CVRSVS THEOLOGICI IVXTA SCHOLASTICAM HVIVS TEMPORIS SOCIETATIS IESV METHODVM

TOMVS QVARTVS

DE FIDE, SPE, ET CHARITATE

AVCTORE
R. P. FRANCISCO AMICO
CONSENTINO SOCIETATIS IESV
SS. THEOLOGIÆ DOCTORE,
Eiuſdemq; olim in NEAPOLITANO Collegio, & in Celeberrima Archiducali Vniuerſitate GRÆCENSI Societatis IESV, necnon in Antiquiſſima & Celeberrima Vniuerſitate VIENNENSI publico PROFESSORE, atque eiuſdem Vniuerſitatis GRÆCENSIS Cancellario.



DVACI,
Ex Officinâ Viduæ BALTAZARIS BELLERI,
ſub Circino aureo, Anno M. DC. XLI.
CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

JLLVSTRISSIMO

ET REVERENDISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO

D. RAINALDO SARLICHIO

EPISCOPO LABACENSI &c.

SAC. CÆSAR. MAIEST.

CONSILIARIO,

PER CARNIOLIAM, STYRIAM, ET CARINTHIAM INFERIOREM AD DRAVVM VSQVE FLVVIVM

CATHOLICÆ RELIGIONIS REFORMATORI &c.

QVOD ad tholum meritorũ tuorũ affigere viuo ſtatueram anathema de tribus Theologicis virtutibus opus, ILLVSTRISSIME AC REVERENDISSIME PRINCEPS, accidit ita annuentibus ſuperis, vt id ipsũ ad inferias tibi perſoluẽdas demortuo dedicarẽ; ſecutus hac in re antiquorũ Heroum funera proſequendi morẽ, qui eadẽ arma, quibus ijdem in viuis hoſtes ſępius attriuerãt, tumulo ſuperſtruerent, cõflatoque (maximè ex galea, ſcuto, & enſe) trophæo, ferreo poſteris charactere mortuorum facinora loquerentur. Cùm enim in vitæ huius mortalis arena ita Paulinis armis

vſus fueris, Præſul ſacratiſſ. vt ſcuto robuſtiſſimę fidei tela nequiſſimi ignea, quæ cōmiſſo tibi gregi nō ſemel imminebant retunderes; ſalutis galeâ, quæ deſuper impendebāt calamitates, ſuſtineres viriliter, & ancipitis Verbi Diuini gladio (cuius omnis vertitur in charitate cardo) quaqua verſum fulminares in hoſtes; decuit profectò vt hanc Fidei, Spei, Charitatiſq; triadem excubitricem adiungerem tumulo tuo, vt hoc vocali cenotaphio, ſine voce intelligerent omnes; ijſdem, quibus viuens dimicaſti ſtrenuè pro Eccleſia Dei armis, etiam cineres adhuc tuos calere. Etſi quidem hanc pompam qua demortuo parentare ſtatui, non ea mente peragam, quaſi viuente Societate hac noſtra intermori poſſe aliquando putem, quę quotidie verſantur ab oculos tuarum monimenta gratiarum, ſed potiùs, vt, quę domeſticæ tibi fuere ſemper Theologicæ virtutes, inter cæterarum funus proſequentium ſcientiarum agmina, non quidem nænias, ſed triumphos cantaturæ præficę inueniantur. neque eſt quid inſolens in luctu conſtituere Chriſtiano eas, quę omnis ſunt lætitię auctrices, quando etiam candidi veſtimenti color idem eſt & gloriæ & luctus. Et verò ſi aliunde hoc quod affero munus inſpiciam, animaduerto vel ex ſolo numero tibi idipſum ingratè accidere non poſſe, quo, viuentis ita Dei nutu omnia, diſpenſabantur, vt in tribus plerumque tibi conſtarent omnia, inciperet in tribus vitæ ratio, & duceretur quoque ad exitum in tribus. Animus tuus, (quo quidem nihil eſt hominis præſtantius) in tria dumtaxat, in Deum nempe, Virginem, & Religioſos totus ferebatur. hinc eiuſdem Deiparæ tribus feſtiuitatibus tria maxima es conſecutus, in vna huic luci editus, vnctus in Epiſcopum in altera, in tertia demum Tergeſtinus, & poſt vertentibus annis in eadem, Labacenſis Præſul es inauguratus. Quid, quòd omnem in Eccleſiaſtica dignitate vitam ita in tres ęquabiles partes tibi ſuperi diuiſerunt, vt Prępoſituram Piſinenſem annis decem, decem Tergeſtinam infulam, & totidem planè Labacenſem geſſeris; prorſus vt perfecta ſua in trino opera poſthuma voce apertè me monere videantur, ne alium in hoc meo munere defuncto adferam numerum, quàm eum, quo viuens tantopere es delectatus. Et ceſſiſſet id mihi quidem omnino ad votum, niſi quod tibi admodum glorioſum, id mihi in hac triplici oblatione mea fraudi accidiſſet; iſte ſiquidē adeo imminutus eſt morte ſua donorū meorum numerus, vt vnum dumtaxat relictum ſit ſuper, quod oblationis poſſit obtinere ſpeciem, & locum apud te obtinere dignitatis. Iam enim claro gloriæ illuſtratus lumine, minimè

eges

eges obſcuris fidei perſpicilijs, & in portu ſalutis ſecurus, negligis naufragantium viatorum anchoram. itaque extracta è muneris cōditione & Spe, & Fide (quam tamen ego promiſſi reus, exſoluere teneor) pręter vnam oblaturo charitatem ſupereſt nihil. Hęc igitur cùm cæterorum peccatorum mulitudinem, etiam huius parſimoniæ in te meę delictum operiet, credo, Illuſtriſſ. ac Reuerend. Pręſul, efficietque vt eam vnam totius operis condimentum, animo, quo ſemper ſolebas ęquiſſimo non ſolùm accipias, ſed inſuper pro ſingulari tua charitate, ſuſtinebis alias quoque duas virtutes tanquam emeritas olim famulas comites accedere, vt ita ex pari conflatus & impari numerus donum efficiatur perfectiſſimum, quod nec meo in te amori ac debito deeſſe quidpiam, nec tuæ lædere excellentiæ prærogatiuam patiatur. Ex Collegio Archiducali & Academico Græcenſi Societatis IESV.

Illuſtriſſimæ ac Reuerendiſſimę
D. Tuę

Seruus humillimus

FRANCISCVS AMICVS.

INDEX
DISPVTATIONVM ET SECTIONVM HVIVS QVARTI TOMI.

DISPVTATIO PRIMA.

De ſubiecto materiali Fidei.

Sectio I. *Quodnam ſit materiale ſubiectum adæquatum fidei infuſæ?* pag. 3

Sectio II. *Quod ſit ſubiectum principale ſeu attributionis fidei infuſæ?* 5

Sectio III. *Sub qua ratione Deus ſit ſubiectum materiale fidei?* 6

Sectio IV. *An inter veritates fidei ſit aliquis ordo in ratione credibilitatis?* 8

Sectio V. *An credibilia ſint per certos articulos, & quot diſtinguenda?* 11

Sectio VI. *An articuli fidei per ſucceſſionem temporum creuerint?* 13

DISPVTATIO SECVNDA.

De obiecto formali fidei infuſæ.

Sectio I. *Quodnam ſit obiectum formale fidei?* 15

Sectio II. *An reuelatio ingrediatur obiectum formale fidei?* 21

Sectio III. *Qualis debeat eſſe reuelatio, quæ obiectum formale fidei conſtituit?* 26

Sectio IV. *An obſcuritas obiecti materialis integret rationem formalem obiecti fidei?* 31

Sectio V. *An obſcuritas obiecti formalis ſit conditio eſſentialiter requiſita ad obiectum formale fidei?* 34

Sectio VI. *An reuelatio virtualis ſit obiectum formale fidei infuſæ?* 45

Sectio VII. *An teſtimonium diuinum ſolùm putatum poſſit eſſe formale obiectum fidei infuſæ?* 52

Sectio VIII. *An authoritas diuina, quæ eſt obiectum formale fidei, ſit infallibilis?* 58

Sectio IX. *An Deus infundere poſſit qualitatem per ſe ad falſum inclinantem?* 65

DISPVTATIO TERTIA.

De obiecti Fidei propoſitione.

Sectio I. *An aliqua obiecti fidei propoſitio ſit neceſſaria & quæ de facto illa ſit?* 68

Sectio II. *Qualis obiecti propoſitio requiratur ad aſſenſum fidei infuſæ eliciendum?* 70

Sectio III. *An res noſtræ fidei ſint euidenter credibiles?* 76

Sectio IV. *An Myſteria fidei ſint euidenter credibilia fide diuina, an humana?* 82

Sectio V. *Ex quo habitu elicitur hoc iudicium de euidentia credibilitatis noſtræ Religionis?* 86

DISPVTATIO QVARTA.

De proximo proponente res fidei.

Quis ſit primus proponens res fidei, & qualiter eas proponere debeat ad obligandum credentes? 88

DISPVTATIO QVINTA.

De proponente Remoto.

Sectio I. *An præter Verbum Dei ſcriptum ſit in Eccleſia Dei aliqua traditio fide diuina credenda?* 90

Sectio II. *Qualis debeat eſſe propoſitio, quæ ſufficienter proponat traditionem fide diuina credendam?* 93

DISPVTATIO SEXTA.

De proponente Remoto, qui eſt ſummus Pontifex.

Sectio I. *An in Eccleſia Dei præter traditiones, & ſcripturas Canonicas ſit aliqua regula viua, quæ in proponendis rebus fidei infallibilem habeat authoritatem?* 94

Sectio II. *Cui de facto hæc authoritas proponendi res fidei à Chriſto collata ſit?* 104

Sectio III. *An Romanus Epiſcopus de facto ſit legitimus Petri ſucceſſor in primatu totius Eccleſiæ.* 107

Sectio IV. *Quo iure primatus vniuerſalis Eccleſiæ ſit coniunctus cum Epiſcopatu Romano?* 114

Sectio V. *An poſſit eſſe fide diuina certum, hunc numero Romanum Pontificem eſſe verum Petri ſucceſſorem, & Chriſti in terris Vicarium?* 117

Sectio VI. *Ad quos ſpectat ius eligendi ſummum Pontificem?* 123

Sectio VII. *An poſſit verus Pontifex Pontificia dignitate priuari?* 129

Sectio VIII. *An præter Pontificis ſit aliqua Eccleſiaſtica poteſtas, quæ immediatè conferatur à Deo?* 135

DISPVTATIO SEPTIMA.

De authoritate Pontificis ad controuerſias fidei definiendas.

Sectio I. *An ſummus Pontifex infallibilem authoritatem in definiendis rebus fidei habeat per ſe ſolus, an cum Concilio & cœtu ſuorum conſiliariorum?* 138

Sectio II. *An Pontifex errare poſſit in decretis morum?* 146

Sectio III. *An ſummus Pontifex errare poſſit in Religionibus approbandis, vel reprobandis?* 149

Sectio IV. *An poſſit Pontifex errare in Canonizatione & Beatificatione ſanctorum?* 151

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO OCTAVA.

De authoritate Concilij.

Sectio I. *Quid, quotuplex, & an neceſſarium ſit Concilium ad controuerſias fidei definiendas?* 154

Sectio II. *Cuius ſit Concilium congregare, eique præſidere?* 155

Sectio III. *Qui, & quot vocandi ſint ad Concilium generale ius ſuffragij habentes?* 156

Sectio IV. *Quot ſuffragium habentes vocandi ſint & ſufficiant ad Concilium generale?* 158

Sectio V. *An Concilium in ſuis decretis condendis procedat inquiſitiuè, an deciſiuè?* 162

Sectio VI. *An authoritas Concilij Generalis legitimè congregati, nondũ tamen à Pontifice confirmati in cauſa fidei ſit infallibilis?* 163

Sectio VII. *An authoritas Concilij generalis ſit ſupra authoritatem Papæ?* 167

DISPVTATIO NONA.

In quod vltimò Chriſtiana fides reſoluatur? 170.

DISPVTATIO DECIMA.

De interiori actu fidei Chriſtianę.

Sectio I. *Quis ſit actus fidei, & an rectè diſtinguatur in credere Deo, credere Deum, & credere in Deum.* 177

Sectio II. *An aſſenſus fidei Chriſtianæ ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam?* 178

Sectio III. *An poſſit homo viribus naturæ abſque ſpeciali auxilio Dei intus mouente aſſentiri ſupernaturalibus Myſterijs fidei?* 182

Sectio IV. *An poſſit homo fide acquiſita naturali aſſentiri reuelatis ex eodem motiuo formali ex quo iiſdem aſſentitur fide infuſa?* 184

Sectio V. *An aſſenſus fidei pendeat ex imperio voluntatis?* 188

Sectio VI. *Quale imperium volunatis ſufficiat ad actum fidei infuſæ?* 190

Sectio VII. *An in voluntate ſit ſpecialis habitus infuſus ad imperandos actus fidei, & quis ille ſit?* 195

Sectio VIII. *Qualem notitiam prærequirat voluntas ſupernaturalis credendi?* 199

Sectio IX. *An actus fidei ſit meritorius?* 202

DISPVTATIO VNDECIMA.

De compoſſibilitate fidei infuſæ cum euidentia eiuſdem obiecti.

Sectio I. *An fidei actus ſtare poſſit cum habitu, nec non habitus cum actu & habitu ſcientiæ eiuſdem obiecti?* 204

Sectio II. *An actus fidei ſimul eſſe poſſit cum actu ſcientiæ tam naturalis, quàm ſupernaturalis & Beatæ?* 206

DISPVTATIO DVODECIMA.

De certitudine aſſenſus fidei comparata cum actu ſcientifico & prophetico?

Sectio I. *An aſſenſus fidei ſit certior quouis actu ſcientifico?* 216

Sectio II. *An actus fidei infuſæ ſit certior actu Prophetiæ, & quo pacto ab illo diſcriminetur?* 218

DISPVTATIO DECIMATERTIA.

De neceſſitate fidei ad ſalutem conſequendam.

Sectio I. *An ad conſequendam ſalutem fuerit ſemper fides ſupernaturalis neceſſaria?* 220

An fides ad ſalutem neceſſaria debeat eſſe de obiecto materiali ſupernaturali? 223

Sectio III. *Quorum obiectorum explicita fides ſit neceſſaria ad iuſtificationem adultorum?* 224

Sectio IV. *An & quæ ſint præcepta interioris fidei, & quos & quando obligent.* 228

DISPVTATIO DECIMAQVARTA.

De actu exteriori fidei.

Sectio I. *An exterior confeſſio fidei pertineat ad fidem, & à qua virtute eliciatur?* 230

Sectio II. *An & quomodo externa confeſſio fidei ſit ad ſalutem neceſſaria?* 231

Sectio III *Qua neceſſitate neceſſaria ſit externa fidei confeſſio?* 234

Sectio IV. *An licitum ſit Chriſtiano externo opere, vel ſigno falſam Religionem ſimulare, & veram diſſimulare?* 236

DISPVTATIO DECIMAQVINTA.

De habitu fidei infuſę.

Sectio I. *An & qua certitudine certum ſit dari habitum fidei quoad ſubſtantiam ſupernaturalem ab acquiſito diſtinctum? quod ſit eius munus?* 240

Sectio II. *In quo tanquam in ſubiecto remoto ſit habitus fidei infuſa?* 244

Sectio III. *An ſolus Deus ſit cauſa efficiens habitus fidei?* 251

Sectio IV. *An in adultis habitus infuſus fidei ſemper duratione præcedat charitatis habitum?* 254

Sectio V. *An, & quibus virtutum actibus habitus infuſus fidei augeatur?* 257

Sectio VI. *An & qua ratione infuſus habitus fidei ſit corruptibilis?* 258

Sectio VII. *In qua nonnulla dubia ſoluuntur?* 260

DISPVTATIO DECIMASEXTA.

De peccatis, quæ fidei infuſæ opponuntur.

Sectio I. *Quæ, & qualia peccata fidei opponuntur?* 264

Sectio II. *Quomodo dignoſcendæ ſint propoſitionum cenſuræ?* 269

DISPVTATIO DECIMASEPTIMA.

De medij, quibus licitè Eccleſia vti poſſit ad fidem Diuinam propagandam vel defendendam.

Sectio I. *An & quam poteſtatem habeat Eccleſia Euangelium prædicandi?* 271

Sectio II. *An infideles cogi poſſint ad fidem acceptandam?* 273

Sectio III. *An poſſint ſubditi infideles compelli ad ſeruandam legem naturæ?* 276

DISPVTATIO DECIMAOCTAVA.

De medijs quibus Eccleſia licitè vtitur contra Hæreticos.

Sectio I. *An & qualis ſit in Eccleſia poteſtas hæreticos puniendi?* 279

Sectio II.

Sectio II. *An, & qui haeretici ipſo facto incurrant excommunicationis pœnam, & quo iure?* 281
Sectio III. *An heretici ipſo facto incurrant pœnam aliquam temporalem in bonis fortunæ?* 283
Sectio IV. *An haereticus ante iudicis ſententiam amittat poſſeſſionem & dominium omnium ſuorum bonorum?* 284
Sectio V. *An haereticus ipſo iure incurrat aliquam pœnam corporis?* 286

DISPVTATIO DECIMANONA.

De natura Spei Theologicæ.

Sectio I. *Quid ſit de ratione ſpei in communi?* 290
Sectio II. *An ſpes Chriſtiana ſit virtus?* 291
Sectio III. *Quodnam ſit obiectum materiale Spei?* 293
Sectio IV. *Quodnam ſit obiectum formale ſpei Theologicæ?* 294
Sectio V. *An Beatitudo alterius ſit obiectum ſpei.* 296

DISPVTATIO VIGESIMA.

De actu ſpei Chriſtianæ.

Sectio I. *An actus ſpei Chriſtianæ ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam?* 299
Sectio II. *Quibus actibus & quo ordine in ſuum obiectum ſpes Theologica feratur?* 302

DISPVTATIO VIGESIMAPRIMA.

De generatione, intenſione, corruptione, & remiſſione ſpei Theologicę.

Sectio I. *Quibus actibus & qua ratione habitus ſpei Theologicæ ſit generabilis, intenſibilis corruptibilis, ac remiſſibilis.* 303
Sectio II. *Quibus actibus corrumpatur habitus ſpei Theologicæ?* 305

DIS. VTATIO VIGESIMASECVNDA.

Quodnam ſit ſubiectum Spei Theologicę? 309.

DISPVTATIO VIGESIMATERTIA.

De præceptis Spei.

Sectio I. *An detur præceptum de ſpe & quale illud ſit, quæue ſub hoc præceptum cadant & quando illud obliget.* 314
Sectio II. *An poſſit Deus reuelare damnationem reprobo, & ad quid tunc reprobus teneretur?* 318

DISPVTATIO VIGISIMAQVARTA.

De obiecto materiali & formali charitatis.

Sectio I. *Quodnam ſit obiectum adæquatum materiale charitatis?* 126
Sectio II. *Quodnam ſit obiectum formale charitatis Theologicæ?* 327
Sectio III. *An idem ſit motiuum charitatis Dei & proximi?* 331

DISPVTATIO VIGESIMAQVINTA.

De habitu charitatis.

Sectio I. *An Charitas ſi amicitia inter nos & Deum?* 339
Sectio II. *An charitas ſit amicitia inter nos & Deum ratione ſui, an ratione gratiæ ſanctificantis?* 343
Sectio III. *An præter amicitiam ſupernaturalem dabilis ſit naturalis inter creaturam & Deum, & in quo illa conſiſtat?* 346
Sectio IV. *An & quo pacto charitas expellatur à peccato mortali?* 349

DISPVTATIO VIGESIMASEXVA.

De actu charitatis.

Sectio I. *Quos actus charitas habeat, & quo pacto inter ſe diſtinguantur?* 352
Sectio II. *An omnis actus charitatis ſit eſſentialiter honeſtus?* 356
Sectio III. *Quinam actus charitatis ſint magis meritorij?* 360
Sectio IV. *A quo producatur maior illa intenſio in actu charitatis, quando excedit intenſionem habitus?* 363
Sectio V. *An actus charitatis viæ ſit eiuſdem rationis ſpecificæ cum actu charitatis Patriæ?* 365

DISPVTATIO VIGESIMASEPTIMA.

De præcepto charitatis erga Deum?

Sectio I. *An, quale, & quotuplex ſit præceptum diligendi Deum?* 369
Sectio II. *Quid nobis per præceptum Dei. datum præcipiatur, & num illud adimpleri poſſit in hac vita?* 372
Sectio III. *Quando hoc præceptum obliget, & num ſuppleri poſſit alio actu, vel ſuſceptione alicuius ſacramenti?* 374

DISPVTATIO VIGESIMAOCTAVA.

De præcepto charitatis erga proximum.

Sectio I. *An, & quale ſit præceptum charitatis erga proximum?* 377
Sectio II. *An ſit peculiare præceptum diligendi ſe ipſum?* 380
Sectio III. *An ſit præceptum diligendi inimicos.* 382

DISTVTATIO VIGESIMANONA.

De ordine charitatis.

Sectio I. *An in charitate ſit aliquis ordo, & qualis ille ſit?* 386
Sectio II. *An & quo pacto Deus ſit ſuper omnia diligendus?* 388
Sectio III. *An naturaliter inclinemur ad diligendum Deum plùs quàm nos ipſos?* 390
Sectio IV. *An ex charitate teneamur magis nos ipſos, quàm proximum diligere?* 393
Sectio V. *An iuxta ordinem charitatis ſemper teneamur maius bonum proximi præferre minori proprio?* 397
Sectio VI. *Qualis ordo charitatis ſeruandus ſit inter ipſos proximos?* 399
Sectio VII. *An ordo charitatis maneat in patria, qui fuit in via?* 404
Sectio VIII. *An poſſit habitus charitatis inclinare in obiectum reipſa malum, putatiuè tantùm bonum & gratum Deo?* 407

Diſputatio

Digitized by Google

DISPVTATIO TRIGESIMA.

De Miſericordia.

Sectio I. *Quid ſit Miſericordia?* 411
Sectio II. *An Miſericordia ſit virtus à charitate diſtincta?* 413
Sectio III. *Quotuplex ſit miſericordia, & an ſit omnium virtutum perfectiſſima?* 415

DISPVTATIO TRIGESIMAPRIMA.

De Eleemoſyna.

Sectio I. *Quotuplex ſit Eleemoſyna & cuius virtutis actus?* 417
Sectio II. *Quos effectus ſpirituales per ſe operetur Eleemoſyna in anima largientis?* 419
Sectio III. *An & quo iure eroganda ſit Eleemoſyna?* 422
Sectio IV. *Quando preceptum Eleemoſynæ obliget?* 424
Sectio V. *An preceptum Eleemoſynæ obliget ex iuſtitia?* 429
Sectio VI. *An ſatisfiat huic precepto ſolùm mutuando, vel commodando?* 431
Sectio VII. *An vrgente neceſſitate liceat aliena ſurripere abſque obligatione reſtituendi.* 433
Sectio VII. *An in pari neceſſitate teneatur quis reſtituere ſuo creditori?* 436
Sectio IX. *Ex quibus bonis facienda ſit Eleemoſyna?* 438
Sectio X. *An omittens ſubuenire extremè indigenti teneatur ad damna, quæ indigens ex tali non ſubuentione incurrit?* 440
Sectio XI. *Quibus facienda ſit Eleemoſyna?* 441
Sectio XII. *An, qui ficto nomine paupertatis Eleemoſynas corrogauit teneatur eas reſtituere & cui?* 442
Sectio XIII. *Quinam poſſint Eleemoſynam facere?* 444
Sectio XIV. *An & quæ Eleemoſyna ſit ſatisfactoria, & an magis, quàm oratio, & ieiunium?* 447

DISPVTATIO TRIGESIMASECVNDA.

De Correptione Fraterna.

Sectio I. *An correctio fraterna ſit virtus & cuius virtutis actus ſit?* 449
Sectio II. *An Fraterna correctio ſit ſub præcepto?* 450
Sectio III. *Quæ ſit materia præcepti correctionis fraternæ?* 452
Sectio IV. *Quas conditiones hoc preceptum requirat vt ad ſui executionem obliget?* 455
Sectio V. *Quæ perſonæ obligentur hoc precepto?* 457
Sectio VI. *Quinam Peccatores vi huius præcepti corrigendi ſint?* 459
Sectio VII. *An ordo fraternæ correptionis à Chriſto praſcriptus ſit ſub precepto ſeruandus?* 460

DISP.	NVM.	VERS.	LEGE.
1.	27.	9 12.	habitudinem
2.	38.	33.	ingreditur
	51.	47.	connectit
	60.	penult.	ad priuatarum perſonarum
	84	10.	ducitur
	151.	5.	aliud
	190.	30.	continentur
	218.	14.	vt aliquando
	271.	9.	quod
	274.	2.	ſit.
3.	68.	36.	prædicare
	76.	26.	an *tolle* non
6.	18.	11.	gentiliſmo
	27.	9.	damnarunt
	265.	24.	eandem
7.	2.	18.	datæ
	4.	1.	Zephirinus.

Digitized by Google

FACVLTAS
R. P. PROVINCIALIS
PROVINCIÆ AVSTRIACÆ
SOCIETATIS IESV.

CVm Sacræ Cæſareæ Maieſtatis decreto omnibus & ſingulis Typographis & Bibliopolis, ac alijs quamcunque librariam negotiationem exercentibus ſeriò, firmiterque inhibeatur, ne quiſquam vllos libros à noſtris Patribus hactenus editos, vel imposterum edendos, intra Sacri Romani Imperij Regnorum, & Dominiorum ſuæ Cæſareæ Maieſtatis hereditariorum fines, ſimili vel alio characteris genere, aut forma, ſiue in toto, ſiue in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impreſſos adducere, vendere, & diſtrahere, clam, ſeu palam, citra iudicium ac teſtimonium ſupradictorum Patrum audeat, vel præſumat: Concedo ego IOANNES RVMER Societatis IESV per Auſtriæ Prouinciam Præpoſitus Prouincialis (poteſtate mihi ad id facta ab Admodum R P. N. Generali Mutio Vitelleſco) ſoli Viduæ BALTAZARIS BELLERI Duacenſis Typographi facultatem excudendi CVRSVS THEOLOGICI Tomum IV. De Fide, Spe, & Charitate, à R. P. FRANCISCO AMICO Societatis Noſtræ Theologo conſcriptum, atque à deputatis ad id Patribus lectum, & approbatum. In quorum fidem hoc ei teſtimonium, & Priuilegium ad decennium manu noſtra ſubſcriptum & ſigillo munitum dare voluimus.

Viennæ 5. Ianua. Anno M. DC. XXXX.

IOANNES RVMER.

APPROBATIO.

REuerendi Patris FRANCISCI AMICI è Societate IESV, Græcienſis Vniuerſitatis Cancellarij tomus hic 4. ſolidè fundat FIDEM diuinam, SPEM erigit conſtanter, CHARITATEM ſuperextruit eminenter, vt Eccleſiam Dei ædificet luculentâ doctrinâ, ac prælo dignâ. Duaci 1. Iun. 1641.

Franciſcus Syluius S. Theol. Doctor, & eiuſdem Regius ac ord. Profeſſor Vniuerſit. Vicecancell.

Digitized by Google

CVRSVS THEOLOGICI IVXTA SCHOLASTICAM HVIVS TEMPORIS SOCIETATIS IESV METHODVM

TOMVS QVARTVS

DE FIDE, SPE, ET CHARITATE,

AVCTORE

R. P. FRANCISCO AMICO CONSENTINO SOCIETATIS IESV SS. THEOLOGIÆ DOCTORE,

Eiuſdemq; olim in NEAPOLITANO Collegio, & in Celeberrima Archiducali Vniuerſitate GRÆCENSI Societatis IESV, necnon in Antiquiſſima & Celeberrima Vniuerſitate VIENNENSI publico PROFESSORE, ac Cancellario GRÆCENSI.

PROOEMIVM.

IActis præcedenti Tomo fundamentis de habitibus virtutibuſq; infuſis, quæ vna cum gratia ſanctificante nobis à Deo infunduntur, ordo Theologicæ doctrinæ poſcit, vt deinceps de ſingulis virtutibus ſingillatim diſputemus. Et primùm in hoc Tomo de Theologalibus, quæ hominem ad Deum immediatè dirigunt, cum eoque tanquam cum vltimo fine feliciter coniungunt; tum in ſe-

quenti de moralibus, quæ ad meritũ æternæ gloriæ ſupponunt Theologales. Quarum generationis ordine prima eſt Fides, ſine qua nec in Deum ſperare, nec eum diligere, vti oportet, valemus. Niſi enim reuelata fide Deum Authorem Remuneratoremque ſupernaturalium bonorum cognoſcamus, nec in eum ſperare, nec amare, vti oportet ad iuſtificationis gratiam conſequendam poſſumus. Meritò igitur Apoſtolus ad Hebræos 11. Illam primo loco vt neceſſariam proponit ijs, qui ad Deũ accedere volunt: *Credere enim,* inquit, *oportet accedentem ad Deum, quia eſt; & inquirentibus ſe Remunerator ſit:* à qua iuſtificationis noſtræ exordium deſumendum docet ſeſſ. 6. cap. 5. & 6. Tridentina Synodus; & ad quam omnis noſtri meriti initium refert Auguſtinus lib. 1. Retract. c. 23. *Sicut enim,* inquit, *in his quos elegit Deus, non opera* (intellige ſolius naturæ viribus facta,) *ſed fides inchoat meritum, vt per munus Dei bene operemur: ſic in his quos damnat infidelitas, & impietas inchoat pœna meritum.* De Fide diſputant Scholaſtici cum Magiſtro in 3. diſp. 23. & duabus ſequentibus, & Thomiſtæ cum Angelico ſecunda ſecundæ à quæſt. 1. vſque ad 16. incluſiuè, de qua nos Methodum S. Thomæ ſequentes poſt virtutes, & vitia in communi in hoc Tomo diſputabimus. De qua naturam, cauſas, oppoſita vitia, & præcepta inquiremus.

Ad Heb. 11. *Tridentina Synodus.* *Auguſt.* *Magiſter.* *S. Thomas.*

DISPV-

DISPVTATIO I.

De ſubiecto materiali Fidei.

Variæ acceptiones nominis fidei.

1. PRo Nominis explicatione notandum, fidem apud Latinos authores ex primæua ſua ſignificatione importare virtutem fidelitatis, qua quis fidelis eſt in promiſſis ſeruandis, quo pacto illa à Cicerone libro 1. de officijs multò poſt initium definitur, *Fundamentum iuſtitiæ*, id eſt, *dictorum, conuentorumque conſtantia, & veritas.* Et teſte Auguſtino lib. de mendacio ad Conſen. cap. 20. *Fides appellatur ex eo, quia fit quod dicitur.* Vnde fide conſtans, fidei plenus, bonæ fidei homo dicitur, qui fidelis in ſuis factis dictiſque reperitur. Sicut fidem dare, idem ſonat, quod promittere: & liberare fidem, eſt præſtare quod promiſſum eſt. Contrà verò, mutare, vel fallere fidem, eſt promiſſa non ſeruare. Secundò accipitur pro fiducia. Tertiò tandem pro aſſenſu, vel habitu ipſo aſſentiendi in rem dictam ob teſtimonium dicentis. In quo ſenſu ſumitur fides à Theologis, & in quo ſenſu in hoc tomo nos diſputaturi ſumus.

Cicero.

Auguſt.

In habitu duplex ſubiectum.

2. Pro explicatione verò tituli duplex in quouis habitu diſtinguendum eſt ſubiectum, materiale, & formale. Illud commune eſt cum alijs, hoc proprium vniuſcuiuſque virtutis, cuius munus eſt ſpecificare, & diſcriminare vnum habitum ab alio. De formali diſputabimus diſputatione ſequenti. Cæterùm ex primo tomo diſp. 1. ſect. 9. cum Durando, & alijs diſcrimen ſuppono inter ſubiectum, & obiectum habitus cognoſcitiui: quòd obiectum ſit id, quod principaliter terminat actum talis habitus, quod ſemper eſt aliquid complexum; nimirum propoſitio complectens ſubiectum, & prædicatum, quę eſt ipſa ſcientiæ; vel fidei concluſio, quæ ſcitur, vel creditur, vt, *Deus eſt omnipotens.* Subiectum verò eſt id, de quo paſſiones in tali habitu demonſtrantur, vel creduntur, quod ordinariè eſt terminus incomplexus: vt in adducto exemplo, eſt Deus, de quo omnipotentia demonſtratur, vel creditur. Quod adhuc eſt duplex; Alterum principale ſeu attributionis, ad quod omnia, quę in tali habitu tractantur, tanquam ad principale analogatum, ordinem, & attributionem dicunt: Alterum adæquatum ſeu communitatis, vel prædicationis complectens ſub ſe omnia, quę in tali habitu tractantur. De vtroque ſubiecto hic diſputabimus.

Durandus. Diſcrimen inter obiectum, & ſubiectum

SECTIO I.

Quodnam ſit materiale ſubiectum adæquatum fidei infuſæ?

3. PRima ſententia affirmat eſſe Deum: ſequitur ex ſententia Paludani, qui in 3. diſt. 24. quęſt. 1. docet, nullam propoſitionem eſſe fide infuſa creditam, cuius ſubiectum eſt creatura. Ex hoc enim manifeſtè ſequitur, nullam creaturam eſſe ſubiectum fidei infuſæ, ac proinde adæquatum ſubiectum materiale fidei infuſæ eſſe ſolum Deum.

Affirmat ſubiectum adæquatum fidei infuſ eſſe Deum Paludanus

4. Probatur hæc ſententia 1. Illud eſt materiale ſubiectum adæquatum fidei infuſæ, quod adęquatè terminat actum eiuſdem fidei: ſed quod adæquatè terminat actum infuſæ fidei, eſt tantùm Deus: igitur ſolus Deus eſt materiale ſubiectum adæquatum fidei infuſæ. Maior patet. Minor probatur: nam vel ſubiectum terminans actum fidei infuſæ eſt tantùm Deus, & tunc ſolus Deus adęquatè terminat actum fidei infuſæ: vel eſt etiam creatura, & quia creatura non terminat actum fidei Theologicæ, niſi vt eſt quędam participatio Dei: & tunc quod principaliter, & vltimatè terminat, eſt Deus. Igitur in omni actu fidei Theologicæ, Deus eſt terminus, & obiectum; proinde ſolus Deus eſt adæquatum ſubiectum materiale fidei infuſæ.

5. Confirmatur 1. Quia creaturæ non terminant viſionem beatam, niſi vt quędam participationes Dei, ideò ſolus Deus dicitur principalis, & vltimatus terminus viſionis beatę. Vnde quemadmodum repugnat, videri creaturas viſione beata, quin videatur Deus: ita repugnat, fide infuſa credi creaturam, quin credatur Deus, tanquam principalis, & vltimatus terminus.

6. Confirmatur 2. Repugnat, actum charitatis infuſæ ferri in proximum, quin principaliter, & vltimatè feratur in Deum: & hoc ideò, quia charitas infuſa fertur in proximum, quatenus proximus eſt quædam participatio Dei. Ergo pariter repugnabit, fidem infuſam ferri in creaturam, quin principaliter, & vltimatè ſimul feratur in Deum; cùm etiam fides infuſa feratur in creaturam, vt participatio quædam Dei eſt.

Digitized by Google

7. Probatur eadem ſententia 2. Fides infuſa eſt virtus Theologica: igitur adæquatum obiectum ipſius eſt Deus. Conſequentia probatur: quoniam ſi eſſet etiam creatura, poſſet aliquando ferri in creaturam, & non in Deum. Repugnat autem actum fidei infuſæ ferri in creaturam, quin feratur in Deum: alioqui talis actus non haberet pro obiecto Deum, ac proinde non eſſet virtus Theologica. Confirmatur. Implicat eſſe actum abſque eſſentiali obiecto: ſed eſſentiale obiectum fidei infuſæ, & cuiuſcunque virtutis Theologicæ eſt Deus: ergo implicat, eſſe actum fidei infuſæ, & non terminari ad Deum.

8. Tertiò. Omnis actus fidei infuſæ eſt ſummè certus: non eſſet autem omnis actus fidei ſummè certus, ſi ipſius obiectum eſſet creatura. Maior conſtat: nam fides infuſa eſt quædam participatio ſcientiæ diuinæ, quæ ſummam habet certitudinem. Minor probatur: nam creatura non habet tantam certitudinem, quantam habet Deus: certius enim eſt, Deum eſſe, eumque æternum, immenſum, & omnipotentem, quam Dauidem genuiſſe Salomonem; cùm illud ſit omninò neceſſarium, hoc contingens: ergo certior eſſet actus fidei, quo creditur Deum eſſe, quàm quo creditur Salomonem genitum fuiſſe à Dauide: cùm omnis actus certitudinem, vel incertitudinem ſumat ex obiecto.

9. Quartò. Omnis actus fidei Theologicæ tendit in obiectum propter teſtimonium Dei: ergo omnis actus fidei Theologicę principaliter, & vltimatè terminatur in Deum.

Aſſerit eſſe omne à Deo reuelabile S. Thomas.

10. SECVNDA ſententia communis reliquorum Scholaſticorum in 3. diſt. 23. & 24. & S. Thomæ 2. 2. q. 1. ar. 1. Affirmat, adæquatum obiectũ materiale fidei Theologicæ eſſe omne reuelabile à Deo, ſiue ſit ens, ſiue negatio entis: cùm etiam negationes entis cadant ſub reuelationem Dei, ſicut cadunt ſub ſcientiam eiuſdem: nam quidquid cadit ſub ſcientiam Dei, cadere poteſt ſub reuelationẽ diuinam, cùm reuelatio diuina non ſit aliud, quàm manifeſtatio ſcientię diuinę. Legantur inter cęteros Bonauentura in 3. diſt. 24. ar. 1. q. 2. Richar. art. 1. q. 1. Capreol. in prologô q. 4. concl. 5. Dixi *omnę reuelabile:* nam licet fides infuſa actu ferri nõ poſſit, niſi in id, quod actu reuelatum eſt: tamen, vi ſuæ rationis formalis, ferri poteſt in omne id, quod à Deo reuelari poteſt. Vnde idem habitus infuſus fidei aptus eſt ferri in alia, & alia reuelabilia in infinitum, quoniam in omnia fertur ſub eadem authoritate Dei dicentis.

Quid ſit reuelatio. Bonauent. Richardus. Capreolus.

11. His explicatis probatur aſſertio hoc vnico fundamento. Illud eſt adæquatum ſubiectum materiale habitus, vel potentię, quod ſub ſe comprehendit omnia, in quæ habitus, vel potentia ferri poteſt. Atqui fides Theologica non ſolùm ferri poteſt in Deum; ſed in omne, quod reuelari poteſt à Deo. Hoc autẽ non ſolùm eſt Deus; ſed omne ens, aut negatio entis. Igitur adęquatum ſubiectum materiale fidei Theologicę non tantùm eſt Deus; ſed omne reuelabile à Deo. Maior patet: nam ſubiectum materiale adæquatum nullum debet ſubiectum in particulari à ſe excludere. Minor aſſumpta conſtat: nam quidquid eſt reuelabile à Deo, informari poteſt motiuo formali fidei, quæ eſt ipſa authoritas Dei reuelantis. Ac proinde quidquid eſt reuelabile à Deo, terminare poteſt actum fidei Theologicę: nam hic ferri poteſt in omne, quod informatur motiuo fidei infuſæ: Sicut charitas ferri poteſt in omne, quod informatur motiuo charitatis; & vniuerſaliter omnis virtus in omne, quod informatur ſuo motiuo formali, à quo virtus ſpecificatur. Minor ſubſumpta probatur: nam omne id reuelare poteſt Deus, quod per ſuam ſcientiam cognoſcit; cùm reuelatio nihil aliud ſit, vt ſupra dictum eſt, quàm manifeſtatio eorum, quæ reuelans habet in ſua ſcientia. Cùm igitur Deus in ſua ſcientia non ſolùm habeat ſeipſum tanquam primarium obiectum cognitum; ſed etiam creaturas omnes omneſque negationes, omne ens, & negationem omnem Deus reuelare poterit.

Veritas contingens cadit ſub obiectum materiale fidei infuſæ.

12. Ex dictis infertur, ſub obiectum materiale fidei infuſę non ſolùm cadere veritates neceſſarias; ſed etiam contingentes, tam prę teritas, quàm præſentes, & futuras: nam etiam hę informari poſſunt motiuo formali fidei diuinę. Vnde tam certa eſt veritas contingens, à Deo reuelata, quàm neceſſaria, cùm vtraque immediatè nitatur authoritate diuina. Nec ſolùm veritas ſupernaturalis; ſed etiam naturalis, & lumine naturę cognoſcibilis poteſt eſſe materiale obiectum fidei Theologicæ: nam etiam hæc credi poteſt authoritate diuina, eſto ſit cognoſcibilis, & actu cognoſcatur cognitione naturali.

13. Ad 1. Oppoſitę ſententię, negatur minor. Cuius probatio ſolùm conuincit, Deum eſſe adæquatum ſubiectum materiale fidei, conſideratũ vt ſubiectum, ſiue directè, ſiue indirectè, & in obliquo terminans actum fidei; non autem conſideratum, vt directè tantùm terminans actum fidei: quoniam, vt probatum eſt, fides Theologica directè non ſolùm ferri poteſt in Deum; ſed etiam in alia. Idem probant 1. & 2. Confirmatio.

14. Ad 2. Reſp. ad virtutem Theologicam ſat eſſe, vt principale motiuum formale ipſius ſit Deus: nam ab hoc, non ab obiecto materiali ſpecificatur virtus: conſtat in charitate infuſa, cuius obiectum materiale non ſolùm eſt Deus; ſed etiam proximus, licet formale principale ſit ſola bonitas increata, vt infrà oſtendam. Ex quo patet ad probationem conſequentiæ, eiuſque confirmationem, quæ ſolùm probant de obiecto, & motiuo formali, ſine quo repugnat, actum ferri in aliquod obiectum materiale.

15. Ad 3. Negatur Minor. Ad cuius probationem, diſtinguendum eſt de certitudine quoad principia intrinſeca, & in eſſendo, & de certitudine quoad principia extrinſeca, & in cognoſcendo: concedendum autem eſt, quoad principia intrinſeca & in eſſendo, cer-

tius

Digitized by Google

tius eſſe, Deum exiſtere, æternum, omnipotentem, & immenſũ eſſe, quàm Salomonem genitum eſſe à Dauide. Quoad principia verò extrinſeca, & in cognoſcendo cognitione infuſa fidei, negandum eſt, certius eſſe, Deum exiſtere, & æternũ atque omnipotentem eſſe, quàm Salomonem genitum eſſe à Dauide: nã ratio formalis aſſentiendi vtrique veritati eſt ſola, & immediata authoritas Dei, vtramque veritatem teſtificantis, cui æque in vno, atque in alio repugnat falli, ac fallere. Sicut eadem certitudine Deus cognoſcit ſeipſum, & alia à ſe: & æque repugnat Deum falli in vno, atque in alio. Cùm igitur notitia fide infuſæ ſit quędam participatio ſcientię, quam Deus habet de rebus, quas per reuelationem nobis manifeſtat, æque certa erit fides de rebus creatis, & cõtingẽtibus, ac de Deo, ac rebus neceſſarijs.

16. Ad 4. Diſtinguendum eſt conſequens: omnis actus fidei infuſæ tẽdit in Deum indirectè tãquam in obiectum formale, concedo; directè tanquam in obiectum materiale, nego. Vt in hac propoſitione: *Animus eſt immortalis, quia prima veritas reuelauit:* Fides infuſa directè tanquam in obiectum materiale tendit in animum immortalem; indirectè verò, & tanquam in obiectum formale, in ipſum Deum, hanc veritatem reuelantem.

Oppoſita ſententia eſt erronea.

17. Ex dictis definiri poteſt, qua cenſura digna ſit oppoſita ſententia. Nam ad minimũ illa cenſenda eſt erronea, cùm expreſsè aduerſetur principijs fidei, quæ docet, multas propoſitiones, quarum ſubiectum eſt creatura, credendas eſſe authoritate, & teſtimonio diuino, ac proinde fide infuſa.

SECTIO II.

Quod ſit ſubiectum principale, ſeu attributionis fidei infuſæ?

Affirmat eſſe actum meritorium Durandus.

18. PRIMA ſententia affirmat eſſe actum meritorium: eſt Durandi in prologo q. 5. vbi num. 9. docet, principale ſubiectum Theologiæ, prout Theologia eſt habitus, quo aſſentimur his, quæ in ſacra Scriptura traduntur, eſſe actum meritorium in beatitudinem ordinabilem. Diſtinguit enim hic author tam præcitato loco; quàm q. 1. prologi q. 6. Theologiam, primò in habitum inclinantem ad aſſentiendũ his, quæ in ſacra Scriptura traduntur. 2. in habitum defenſiuum, & declaratiuum eorundem, quę in ſacra Scriptura ſunt reuelata. 3. in habitũ deductiuum concluſionum ex articulis fidei tanquam ex principijs. Theologiam 1. & 2. modo conſideratam non diſtinguit ab habitu fidei infuſæ: 3. verò modo impropriè ait ſumi Theologiam pro habitu deductiuo, eo quòd, vt eadem q. 1. prologi n. 48. docet, quę Theologia adducit, ſunt tantùm declaratiua, & explicatiua eorum, quæ fides proponit; ac proinde non differt ab habitu fidei declaratiuo eorum, quę in ſacra Scriptura traduntur.

19. Probat autem hanc ſententiam Durandus 1. Illud eſt ſubiectum in quacunque doctrina, cuius notitia in ea principaliter intenditur. Sed in ſacra Scriptura notitia actus meritorij in beatitudinem ordinabilis principaliter intenditur: ergo actus meritorius in beatitudinem ordinabilis eſt ſubiectum fidei infuſæ. Maior clara eſt: nam in omni doctrina cognitio ſubiecti principaliter intenditur. Minorem probat ex illo 2. ad Timotheum 3. *2. ad Tim. 3.* *Omnis Scriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Vbi Apoſtolus omnis Scripturæ à Deo reuelatæ proximum finem aſſignat inſtructionem ad opus bonum, quod eſt ipſe actus meritorius in beatitudinem ordinabilis.

20. Secundò: illud eſt ſubiectum in aliqua doctrina, ad quod reliqua, quæ in ea tractantur attributionem dicunt: talis eſt actus meritorius: ergo actus meritorius eſt ſubiectum fidei Theologicæ. Maior patet. Minor probatur: nam omnia, quæ in ſacra Scriptura traduntur, aut ſunt præcepta rectè operandi, aut monita ſalutaria, aut exempla bonæ operationis, aut præmia & pœnæ, quæ proponuntur benè, & malè operantibus: aut certè ſunt de Deo ipſo ſecundùm ſe, vel de Deo incarnato. Priora per ſe attributionem dicunt ad opus æternæ vitæ meritorium. Poſteriora verò, quę de Deo incarnato proponuntur, per ſe ordinantur ad actum meritorium, vel vt regula & norma operis meritorij, iuxta illud 1. Petri 2. *1. Petri 2.* *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius:* vel quia ipſum credere Deum incarnatum proponitur nobis vt actus meritorius, iuxta illud Ioannis 20. *Ioannis 20.* *Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei viui, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.* Demum, quæ de Deo traduntur, etiam ordinantur ad opus meritorium: quia non ſolùm traduntur, vt notitiam de Deo habeamus, cùm hæc ſit valde exigua, & obſcura in hac vita; ſed principaliter proponitur vt obiectum actus fidei, qui propter difficultatem, & obſcuritatem obiecti, eſt maximè meritorius. Patet igitur omnia, quæ in ſacra Scriptura traduntur, attributionem dicere ad opus meritorium: proinde hoc erit ſubiectum fidei infuſæ.

Aſſignat Deum pro principali ſubiecto fidei infuſæ S. Thomas.

21. SECVNDA ſententia docet, Deum eſſe principale ſubiectum fidei infuſę. Eſt S. Thomæ 2. 2. q. 1. art. 1. vbi aſſignans materiale ſubiectum fidei, ait, non ſolùm eſſe Deum; ſed etiam multa alia, *quæ tamen*, inquit, *ſub aſſenſu fidei non cadunt, niſi ſecundùm quod habent aliquem ordinem ad Deum.* Quod explicat exemplo ſanitatis, quæ eſt ſubiectum medicinæ, quæ omnia conſiderat in ordine ad ſanitatem. Cum S. Thoma conueniunt reliqui Scholaſtici, tum in prologo, tum in 3. diſt. 23. & 24. & quod mirum eſt, ipſemet Durandus *Durandus.* diſtinct. 24. quæſt. 4. n. 7. vbi veritate conuictus retractat ſententiam, quam in prologo docuerat, dum pro principali

fidei ſubiecto aſſignat Deum.

22. Sententia hæc non modò eſt vera ſpectata ratione; verùm etiam non obſcurè ex ſacra Scriptura colligitur: *Creditis in Deum,* inquit, Chriſtus Ioannis 14. *& in me credite.* Qui tanquam obiectum primarium fidei aſſignat Deum, poſt Deum verò ſeipſum, quia poſt Deum principale obiectum fidei eſt Chriſtus. Et Paulus ad Hebræos 11. Præter Deum, nullum aliud obiectum fidei aſſignat: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt.* Quia nimirum Deus eſt principale ſubiectum, propter quod reliqua creduntur. Quam veritatem expreſſit Auguſtinus 4. de Ciuitate cap. 20. his verbis: *Cuius,* nempe fidei, *primum, & maximum officium eſt, vt in verum credatur Deum.*

Ioan. 14.

Ad Heb. 11.

Auguſt.

23. Ratio verò huius ſententiæ, quæ etiam à Durando aſſignatur, eſt: quia omnia, quæ fide reuelantur, ordinantur ad Deum nobis manifeſtandum, eiuſque perfectiones magis explicãdas, vt ex ijs inſurgamus ad ipſum colendum, & venerandum. Confirmatur: nam idem eſt obiectum patriæ, & viæ: atqui primarium obiectum patriæ eſt Deus, ergo & viæ. Minor ſupponitur certa de fide. Maior probatur: nam obſcuræ notitiæ viæ ſuccedit clara viſio patriæ, iuxta illud 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmitate: tunc autem facie ad faciem.*

Idem eſt obiectum patriæ & viæ.

Ad Cor. 13

24. Ad 1. Argumentum Durandi, negatur minor: etenim in ijs, quæ nobis per ſacram Scripturam traduntur, quod principaliter intenditur, non eſt actus meritorius, ſed Deus, ad quem actus ipſe meritorius, tanquam medium ad finem, dirigitur. Ideo enim traditur notitia actus meritorij, vt illum exerceamus, & exercendo Deum colamus, & honoremus. Vnde ſicut Deus, & non opus meritorium, eſt principalis finis virtutum infuſarum, ſe tenentium ex parte voluntatis: ita Deus, & nõ opus meritorium, eſt principalis finis virtutis infuſæ, tenentis ſe ex parte intellectus: quippe cũ virtutes intellectuales infuſæ per ſe ordinentur ad virtutes appetitiuas: ergo ad quod principaliter ordinantur virtutes appetitiuæ infuſæ, ordinantur etiam virtutes infuſæ intellectuales, quæ appetitiuis deſeruiunt tanquam aurigæ, eas ad proprium finem conſequendũ dirigendo. Quòd autem virtutes appetitiuæ infuſæ principaliter ordinentur ad Deum amandum, colendum, venerandũ aperta inductione conſtat: charitas enim infuſa principaliter ordinatur ad Deum diligẽdum; minùs verò principaliter ad proximum. Religio ad debitum cultum Deo exhibendum: obedientia ad ei in omnibus parendum: & ſic de cæteris virtutibus infuſis. Ex his patet ad probationem minoris, quæ ſolùm probat de fine proximo, & minùs principali, non autem de vltimato, & magis principali, qui Deus eſt.

Virtutes intellectuales infuſæ per ſe ordinantur ad virtutes appetitiuas.

25. Ad 2. Neganda eſt minor: cuius probatio vera tantùm eſt de fine proximo, minuſque principali, nõ autem de vltimato magiſque intento. Sicut licet proximus finis charitatis infuſæ ſit dilectio, ad quem tanquam ad proprium actum immediatè inclinat: quia tamen hæc ipſa dilectio ordinatur ad Deum tanquam ad vltimatũ, & principalem finem, non dicitur charitatis finis dilectio, ſed Deus, ad quem dilectio ipſa vltimatè terminatur.

SECTIO III.

Sub qua ratione Deus eſt ſubiectum materiale fidei?

26. PRIMA ſententia docet, eſſe Deum ſub ratione ſaluatoris: eſt Durandi q. 5. prologi n. 17. Probat Durandus 1. Sub illa ratione ſubiectum terminat habitum ſub qua in illo principaliter conſiderantur, quæ in eo habitu tractantur, quæque omnes alias rationes, circa quas habitus verſatur fundamẽtaliter continet: talis in fide infuſa eſt ratio ſaluatoris. Nam hæc & principaliter à fide intenditur, cùm in nullo ſtatu fuerit fides, niſi de Deo Saluatore; & fundamentaliter continet omnes alias rationes, quæ in fide tractantur, nempe Deum eſſe incarnatum, paſſum, reſurrexiſſe, aſcendiſſe in cœlum, venturum ad iudicium &c. Quin ipſemet articulus Trinitatis implicitè continetur in ratione Saluatoris, propter perſonam filij nos meritoriè ſaluantis.

Aſſerit Deũ ſub ratione Saluatoris eſſe ſubiectum materiale fidei Durandus.

27. Secundò. Sub ea ratione Deus eſt ſubiectum fidei, ſub qua habitudinem dicit ad opus meritorium: talis eſt ratio Saluatoris: ergo. Maior probatur: quoniam principia debent habere per ſe habitudinem ad concluſionem: ſed articuli fidei ſunt principia eorum, quæ in ſacra Scriptura de opere meritorio concluduntur: ergo quod in fide articulorum ſubijcitur debet habere beatitudinem ad opus meritorium. Minorem oſtendit. Nam illa ratio maximè beatitudinem dicit ad opus meritorium, quæ includit rationem finis, & modum perueniendi ad finem: ſed ratio Saluatoris includit & finem operis meritorij, quæ eſt ſalus æterna; & modum perueniendi ad talem finem: igitur ratio Saluatoris maximè habitudinem dicit ad opus meritorium.

28. SECVNDA ſententia affirmat, eſſe Deum ſub ratione glorificatoris ſeu remuneratis. Eſt Gregorij Ariminenſis q. 4. prologi art. 2. probatur 1. Nam ſub hac ratione Paulus ad Hæbræos 11. aſſignat ſubiectum fidei: *Credere,* inquit, *oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit.* 2. Sub ea ratione Deus eſt ſubiectum fidei, ſub qua ſe manifeſtat beatis: ſed beatis maximè ſe manifeſtat ſub ratione glorificatoris, & remuneratoris. Maior probatur: nam fidei ſuccedit viſio: ergo & obiecto fidei ſuccedit obiectum viſionis. Minor probatur: nam principale obiectũ viſionis, eſt Deus vt principium noſtræ beatitatis: ſub ea enim ratione Deus eſt obiectum viſionis, ſub qua maximè voluntatem beati inflammat ad amorem ſui: hæc autem eſt ratio glorificatoris, & remuneratoris,

Deum eſſe ſub ratione glorificatoris Gregorius Ariminẽſis. Ad Heb. 11.

Digitized by Google

neratoris, cùm nil ſit ad redamandum potentiùs; quàm remuneratoris amor, & beneficia.

Sub attributo ſpecialis miſericordiæ Cemnitius

29. Tertia ſententia contendit eſſe Deum ſub attributo ſpecialis miſericordię. Eſt Martini Kemnitij apud Bellarminum lib. 1. de iuſtificatione cap. 5. §. *ad hunc locum Kemnitius*. Fundamentum huius hęretici eſt: quia licet multa alia ſint obiecta fidei infuſæ, quæ in ipſo verbo Dei continentur: in quod tamen potiſſimum fides Chriſtiana intendere debet, eſt ſpecialis miſericordia Dei peccata remittentis, in gratiam adoptantis, & ad vitam æternam credentes acceptantis propter Chriſtum mediatorem.

Sub ratione primæ veritatis S. Thomas.

30. Qvarta ſententia aſſerit, eſſe Deum ſub ratione primæ veritatis: videtur S. Thomę 2. 2. q. 1. art. 1. vbi poſtquam aſſignauit obiectum formale fidei, Deum ſub ratione primæ veritatis, loquens de obiecto materiali eiuſdem, ita concludit: *Et ideo etiam ex hac parte obiectum fidei* (nẽpe materiale, de quo ibi loquitur) *eſt quodãmodo veritas prima, in quantum nihil cadit ſub fide niſi in ordine ad Deum.*

Deum eſſe ſub ratione Deitatis.

31. Qvinta, ſententia Scholaſticorum communis, & omnium *probabiliſſima* docet, principale ſubiectum materiale fidei Theologicæ eſſe Deum ſub ratione Deitatis. Eſt Alenſis 3. p. q. 79. mem. vlt. S. Thomę loco præcitato & prima parte q. 1. art. 7. & alibi: Scoti in 3. diſt. 23. q. vnica §. *Et iſte modus ponendi fidem infuſam:* Durandi diſt. 24. q. 1. n. 7. Capreoli q. 4. prologi concl. 5. & ad argumenta Gregorij: Marſilij in 3. q. 14. ar. 2. notabili 3. Bannez 2. 2. q. 1. art. 1. dub. 1. Valentiæ tomo 3. diſp. 1. q. 1. pun. 1. aſſert. 1. Vaſquez 1. p. dip. 10. cap 5. Suarez de Fide, Spe, & Charitate diſp. 2. ſect. 1. Luiſij Turriani 2. 2. diſp. 1. dub. 1. Coninck de actibus ſupernaturalibus diſp. 9. dub. 1. concl. 1. Syluij 2. 2. q. 1. art. 1.

Alenſis. S. Thomas. Scotus. Durandus. Capreolus. Marſilius. Bannez. Valentia. Vaſquez. Suarez. Turrianus. Coninck. Syluius.

32. Vnicum fundamentum communis huius ſententiæ eſt. Sub ea ratione Deus eſt principale ſubiectum fidei, ad quam explicãdam omnia in ſacra Scriptura reuelata ordinantur. Atqui omnia in ſacra Scriptura reuelata ordinantur ad explicandum nobis Deum ſub ratione Deitatis. Igitur Deus ſub ratione Deitatis eſt principale ſubiectum fidei. Maior eſt certa: nam ea ratio eſt principalis in quouis ſubiecto ſcientiæ, cuius notitia in ea ſcientia principaliter intenditur. Minor verò probatur: nam principalis finis, propter quem Deus omnia nobis reuelauit, eſt, vt ipſum perfectiùs cognoſcentes diligimus, veneremur, & colamus, iuxta illud Prouerb. 16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*. Vnde Auguſtiſſimam ſuam naturam cum fœcũditate trium perſonarum nobis reuelauit per Myſterium Trinitatis; Omnipotentiam per mundi creationem; bonitatem ſimul cum omnipotentia per Verbi Incarnationem; iuſtitiam per præmia, & pœnas benè, ac malè operantibus propoſita; miſericordiam per peccatorum remiſſionem abſque condigna noſtra ſatisfactione, & ſic de cæteris ipſius perfectionibus diſcurrendo.

Prouerb. 16.

Fidei infuſæ ſubiecto ſuccedit in patria viſionis beatæ ſubiectum.

33. Confirmatur: nam fidei infuſæ ſubiecto ſuccedit in patria viſionis beatæ obiectũ. Atqui viſionis beatæ obiectum, eſt Deus ſub ratione Deitatis, vt ex primo tomo diſp. 1. ſect. 9. ſuppono: ergo etiam fidei ſubiectũ in eſt Deus ſub ratione Deitatis: niſi quòd fidei, eſt obiectum ſub ratione Deitatis obſcurè, & ęnigmaticè cognoſcibilis; viſionis verò vt clarè viſibilis. Minor probatur: nam per viſionẽ beatificam manifeſtatur beatis totus Deus ſecundùm omnes perfectiones reſpectiuas, & abſolutas, quas formaliter continet; licet non totaliter, totalitate tenente ſe ex parte modi cognoſcendi, cùm non cognoſcatur à beatis ea claritate, qua cognoſcibilis eſt, licet nihil ſit ex parte obiecti, quod à quouis beato non cõgnoſcatur, vt oſtendi 1. tom. diſp. 9. ſect. 17.

34. Ex dictis infertur 1. Deitatẽ in ſubiecto fidei eſſe rationem formalem reſpectu ſubiectorum creatorum, quæ ſub adæquato ſubiecto fidei continentur: eſſe tamen rationem materialem, principalem tamẽ, reſpectu primę veritatis vt reuelantis. 1. patet: quia reſpectu ſubiectorum creatorum eſt ratio, ad quam cętera ſubiecta creata dicũt attributionem. 2. verò probatur: quia prima veritas vt reuelans eſt ratio formalis aſſentiendi, non ſolùm obiectis creatis; ſed etiam ipſi Deo, vt obiecto principali.

Diſcrimen inter ſubiectum materiale fidei & Theologiæ.

35. Infertur 2. Diſcrimen inter ſubiectum materiale fidei, & Theologię: nam illius eſt tantùm id, quod eſt à Deo reuelabile: huius verò eſt id, quod ex reuelatis per naturalem diſcurſũ deducibile eſt. Habent enim ſe fides infuſa, & Theologia tãquã habitus principiorum, & concluſionũ. Vnde Theologia ſupponit principia reuelata, & ex ijs ſuas deducit cõcluſiones. Lege plura in hac materia in tomo 1. Noſtri Theologici curſus diſp. 1. ſect. 9.

36. Ad 1. argumentum primæ ſententiæ neganda eſt minor, ejuſque probatio. Nam ipſa ratio Saluatoris adhuc vlteriùs in fide intenditur ad manifeſtãda diuina attributa, bonitatis, omnipotentiæ, iuſtitiæ, & miſericordiæ. Nego etiam, in ipſa ratione Saluatoris obſcurè credita adæquatè contineri Myſterium Trinitatis. Nam licet reuelata Incarnatione Filij, neceſſariò ſit reuelatus Pater, ſine quo implicat eſſe verum filium: haud tamen cũ filio neceſſariò intelligitur reuelatus Spiritus ſanctus: quia licet filius reipſa dicat realem reſpectum producentis ad Spiritum ſanctum, illum tamen non importat vt nobis obſcurè reuelatus ſub pręciſa ratione filij. Vnde niſi diſtincta reuelatione fuiſſet Spiritus ſanctus nobis manifeſtatus, non potuiſſemus per præciſam reuelationem filij incarnati illum cognoſcere, ac credere.

Non neceſſariò cum reuelato Filio intelligitur reuelatus Spiritus ſanctus.

37. Ad 2. negatur maior: fundatur enim in falſo principio pręcedente ſect. impugnato, nempe principale ſubiectum fidei eſſe actum meritorium ad beatitudinẽ ordinabilem. Vnde negandum eſt, rationẽ ſaluatoris dicere habitudinem ad actum meritorium, tanquam ad vltimum, & principalem finem; ſed ſolùm tanquam ad finem proximũ minùs

 principalem,

Digitized by Google

INDEX

DISPVTATIONVM ET SECTIONVM HVIVS QVARTI TOMI.

DISPVTATIO PRIMA.

DE ſubiecto materiali Fidei.

Sectio I. *Quodnam ſit materiale ſubiectum adæquatum fidei infuſæ?* pag. 3

Sectio II. *Quod ſit ſubiectum principale ſeu attributionis fidei infuſæ?* 5

Sectio III. *Sub qua ratione Deus ſit ſubiectum materiale fidei?* 6

Sectio IV. *An inter veritates fidei ſit aliquis ordo in ratione credibilitatis?* 8

Sectio V. *An credibilia ſint per certos articulos, & quot diſtinguenda?* 11

Sectio VI. *An articuli fidei per ſucceſſionem temporum creuerint?* 13

DISPVTATIO SECVNDA.

De obiecto formali fidei infuſæ.

Sectio I. *Quodnam ſit obiectum formale fidei?* 15

Sectio II. *An reuelatio ingrediatur obiectum formale fidei?* 21

Sectio III. *Qualis debeat eſſe reuelatio, quæ obiectum formale fidei conſtituit?* 26

Sectio IV. *An obſcuritas obiecti materialis integret rationem formalem obiecti fidei?* 31

Sectio V. *An obſcuritas obiecti formalis ſit conditio eſſentialiter requiſita ad obiectum formale fidei?* 34

Sectio VI. *An reuelatio virtualis ſit obiectum formale fidei infuſæ?* 45

Sectio VII. *An teſtimonium diuinum ſolùm putatum poſſit eſſe formale obiectum fidei infuſæ?* 52

Sectio VIII. *An authoritas diuina, quæ eſt obiectum formale fidei, ſit infallibilis?* 58

Sectio IX. *An Deus infundere poſſit qualitatem per ſe ad falſum inclinantem?* 65

DISPVTATIO TERTIA.

De obiecti Fidei propoſitione.

Sectio I. *An aliqua obiecti fidei propoſitio ſit neceſſaria & quæ de facto illa ſit?* 68

Sectio II. *Qualis obiecti propoſitio requiratur ad aſſenſum fidei infuſæ eliciendum?* 70

Sectio III. *An res noſtræ fidei ſint euidenter credibiles?* 76

Sectio IV. *An Myſteria fidei ſint euidenter credibilia fide diuina, an humana?* 82

Sectio V. *Ex quo habitu elicitur hoc iudicium de euidentia credibilitatis noſtræ Religionis?* 86

DISPVTATIO QVARTA.

De proximo proponente res fidei.

Quis ſit primus proponens res fidei, & qualiter eas proponere debeat ad obligandum credentes? 88

DISPVTATIO QVINTA.

De proponente Remoto.

Sectio I. *An præter Verbum Dei ſcriptum ſit in Eccleſia Dei aliqua traditio fide diuina credenda?* 90

Sectio II. *Qualis debeat eſſe propoſitio, quæ ſufficienter proponat traditionem fide diuina credendam?* 93

DISPVTATIO SEXTA.

De proponente Remoto, qui eſt ſummus Pontifex.

Sectio I. *An in Eccleſia Dei præter traditiones, & ſcripturas Canonicas ſit aliqua regula viua, quæ in proponendis rebus fidei infallibilem habeat anthoritatem?* 94

Sectio II. *Cui de facto hæc authoritas proponendi res fidei à Chriſto collata ſit?* 104

Sectio III. *An Romanus Epiſcopus de facto ſit legitimus Petri ſucceſſor in primatu totius Eccleſiæ.* 107

Sectio IV. *Quo iure primatus vniuerſalis Eccleſiæ ſit coniunctus cum Epiſcopatu Romano?* 114

Sectio V. *An poſſit eſſe fide diuina certum, hunc numero Romanum Pontificem eſſe verum Petri ſucceſſorem, & Chriſti in terris Vicarium?* 117

Sectio VI. *Ad quos ſpectat ius eligendi ſummum Pontificem?* 123

Sectio VII. *An poſſit verus Pontifex Pontificia dignitate priuari?* 129

Sectio VIII. *An præter Pontificis ſit aliqua Eccleſiaſtica poteſtas, quæ immediatè conferatur à Deo?* 135

DISPVTATIO SEPTIMA.

De authoritate Pontificis ad controuerſias fidei definiendas.

Sectio I. *An ſummus Pontifex infallibilem anthoritatem in definiendis rebus fidei habeat per ſe ſolus, an cum Concilio & cœtu ſuorum conſiliariorum?* 138

Sectio II. *An Pontifex errare poſſit in decretis morum?* 146

Sectio III. *An ſummus Pontifex errare poſſit in Religionibus approbandis, vel reprobandis?* 149

Sectio IV. *An poſſit Pontifex errare in Canonizatione & Beatificatione ſanctorum?* 151

DISPV-

DISPVTATIO OCTAVA.

De authoritate Concilij.

Sectio I. *Quid, quotuplex, & an neceſſarium ſit Concilium ad controuerſias fidei definiendas?* 154

Sectio II. *Cuius ſit Concilium congregare, eique præſidere?* 155

Sectio III. *Qui, & quot vocandi ſint ad Concilium generale ius ſuffragij habentes?* 156

Sectio IV. *Quot ſuffragium habentes vocandi ſint & ſufficiant ad Concilium generale?* 158

Sectio V. *An Concilium in ſuis decretis condendis procedat inquiſitiuè, an deciſiuè?* 162

Sectio VI. *An authoritas Concilij Generalis legitimè congregati, nondū tamen à Pontifice confirmati in cauſa fidei ſit infallibilis?* 163

Sectio VII. *An authoritas Concilij generalis ſit ſupra authoritatem Papæ?* 167

DISPVTATIO NONA.

In quod vltimò Chriſtiana fides reſoluatur? 170.

DISPVTATIO DECIMA.

De interiori actu fidei Chriſtianæ.

Sectio I. *Quis ſit actus fidei, & an rectè diſtinguatur in credere Deo, credere Deum, & credere in Deum.* 177

Sectio II. *An aſſenſus fidei Chriſtianæ ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam?* 178

Sectio III. *An poſſit homo viribus naturæ abſque ſpeciali auxilio Dei intus mouente aſſentiri ſupernaturalibus Myſterijs fidei?* 182

Sectio IV. *An poſſit homo fide acquiſita naturali aſſentiri reuelatis ex eodem motiuo formali ex quo iiſdem aſſentitur fide infuſa?* 184

Sectio V. *An aſſenſus fidei pendeat ex imperio voluntatis?* 188

Sectio VI. *Quale imperium volunatis ſufficiat ad actum fidei infuſæ?* 190

Sectio VII. *An in voluntate ſit ſpecialis habitus infuſus ad imperandos actus fidei, & quis ille ſit?* 195

Sectio VIII. *Qualem notitiam prærequirat voluntas ſupernaturalis credendi?* 199

Sectio IX. *An actus fidei ſit meritorius?* 202

DISPVTATIO VNDECIMA.

De compoſſibilitate fidei infuſæ cum euidentia eiuſdem obiecti.

Sectio I. *An fidei actus ſtare poſſit cum habitu, nec non habitus cum actu & habitu ſcientiæ eiuſdem obiecti?* 204

Sectio II. *An actus fidei ſimul eſſe poſſit cum actu ſcientiæ tam naturalis, quàm ſupernaturalis & Beatæ?* 206

DISPVTATIO DVODECIMA.

De certitudine aſſenſus fidei comparata cum actu ſcientifico & prophetico?

Sectio I. *An aſſenſus fidei ſit certior quouis actu ſcientifico?* 216

Sectio II. *An actus fidei infuſæ ſit certior actu Prophetiæ, & quo pacto ab illo diſcriminetur?* 218

DISPVTATIO DECIMATERTIA.

De neceſſitate fidei ad ſalutem conſequendam.

Sectio I. *An ad conſequendam ſalutem fuerit ſemper fides ſupernaturalis neceſſaria?* 220

An fides ad ſalutem neceſſaria debeat eſſe de obiecto materiali ſupernaturali? 223

Sectio III. *Quorum obiectorum explicita fides ſit neceſſaria ad iuſtificationem adultorum?* 224

Sectio IV. *An & quæ ſint præcepta interioris fidei, & quos & quando obligent.* 228

DISPVTATIO DECIMAQVARTA.

De actu exteriori fidei.

Sectio I. *An exterior confeſſio fidei pertineat ad fidem, & à qua virtute eliciatur?* 230

Sectio II. *An & quomodo externa confeſſio fidei ſit ad ſalutem neceſſaria?* 231

Sectio III *Qua neceſſitate neceſſaria ſit externa fidei confeſſio?* 234

Sectio IV. *An licitum ſit Chriſtiano externo opere, vel ſigno falſam Religionem ſimulare, & veram diſſimulare?* 236

DISPVTATIO DECIMAQVINTA.

De habitu fidei infuſæ.

Sectio I. *An & quâ certitudine certum ſit dari habitum fidei quoad ſubſtantiam ſupernaturalem ab acquiſito diſtinctum? quod ſit eius munus?* 240

Sectio II. *In quo tanquam in ſubiecto remoto ſit habitus fidei infuſa?* 244

Sectio III. *An ſolus Deus ſit cauſa efficiens habitus fidei?* 251

Sectio IV. *An in adultis habitus infuſus fidei ſemper duratione præcedat charitatis habitum?* 254

Sectio V. *An, & quibus virtutum actibus habitus infuſus fidei augeatur?* 257

Sectio VI. *An & quâ ratione infuſus habitus fidei ſit corruptibilis?* 258

Sectio VII. *In qua nonnulla dubia ſoluuntur?* 260

DISPVTATIO DECIMASEXTA.

De peccatis, quæ fidei infuſæ opponuntur.

Sectio I. *Quæ, & qualia peccata fidei opponuntur?* 264

Sectio II. *Quomodo dignoſcenda ſint propoſitionum cenſura?* 269

DISPVTATIO DECIMASEPTIMA.

De medij, quibus licitè Eccleſia vti poſſit ad fidem Diuinam propagandam vel defendendam.

Sectio I. *An & quam poteſtatem habeat Eccleſia Euangelium prædicandi?* 271

Sectio II. *An infideles cogi poſſint ad fidem acceptandam?* 273

Sectio III. *An poſſint ſubditi infideles compelli ad ſeruandam legem naturæ?* 276

DISPVTATIO DECIMAOCTAVA.

De medijs quibus Eccleſia licitè vtitur contra Hæreticos.

Sectio I. *An & qualis ſit in Eccleſia poteſtas hæreticos puniendi?* 279

Sectio II.

Digitized by Google

Sectio II. *An, & qui hæretici ipſo facto incurrant excommunicationis pœnam, & quo iure?* 281
Sectio III. *An hæretici ipſo facto incurrant pœnam aliquam temporalem in bonis fortunæ?* 283
Sectio IV. *An hæreticus ante iudicis ſententiam amittat poſſeſſionem & dominium omnium ſuorum bonorum?* 284
Sectio V. *An hæreticus ipſo iure incurrat aliquam pœnam corporis?* 286

DISPVTATIO DECIMANONA.

De natura Spei Theologicæ.

Sectio I. *Quid ſit de ratione ſpei in communi?* 290
Sectio II. *An ſpes Chriſtiana ſit virtus?* 291
Sectio III. *Quodnam ſit obiectum materiale Spei?* 293
Sectio IV. *Quodnam ſit obiectum formale ſpei Theologicæ?* 294
Sectio V. *An Beatitudo alterius ſit obiectum ſpei.* 296

DISPVTATIO VIGESIMA.

De actu ſpei Chriſtianæ.

Sectio I. *An actus ſpei Chriſtianæ ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam?* 299
Sectio II. *Quibus actibus & quo ordine in ſuum obiectum ſpes Theologica feratur?* 302

DISPVTATIO VIGESIMAPRIMA.

De generatione, intenſione, corruptione, & remiſſione ſpei Theologicæ.

Sectio I. *Quibus actibus & qua ratione habitus ſpei Theologicæ ſit generabilis, intenſibilis corruptibilis, ac remiſſibilis.* 303
Sectio II. *Quibus actibus corrumpatur habitus ſpei Theologicæ?* 305

DISPVTATIO VIGESIMASECVNDA.

Quodnam ſit ſubiectum Spei Theologicæ? 309.

DISPVTATIO VIGESIMATERTIA.

De præceptis Spei.

Sectio I. *An detur præceptum de ſpe & quale illud ſit, quæue ſub hoc præceptum cadant & quando illud obliget.* 314
Sectio II. *An poſſit Deus reuelare damnationem reprobo, & ad quid tunc reprobus teneretur?* 318

DISPVTATIO VIGISIMAQVARTA.

De obiecto materiali & formali charitatis.

Sectio I. *Quodnam ſit obiectum adæquatum materiale charitatis?* 126
Sectio II. *Quodnam ſit obiectum formale charitatis Theologicæ?* 327
Sectio III. *An idem ſit motiuum charitatis Dei & proximi?* 331

DISPVTATIO VIGESIMAQVINTA.

De habitu charitatis.

Sectio I. *An Charitas ſi amicitia inter nos & Deum?* 339
Sectio II. *An charitas ſit amicitia inter nos & Deum ratione ſui, an ratione gratiæ ſanctificantis?* 343
Sectio III. *An præter amicitiam ſupernaturalem dabilis ſit naturalis inter creaturam & Deum, & in quo illa conſiſtat?* 346
Sectio IV. *An & quo pacto charitas expellatur à peccato mortali?* 349

DISPVTATIO VIGESIMASEXVA.

De actu charitatis.

Sectio I. *Quos actus charitas habeat, & quo pacto inter ſe diſtinguantur?* 352
Sectio II. *An omnis actus charitatis ſit eſſentialiter honeſtus?* 356
Sectio III. *Quinam actus charitatis ſint magis meritorij?* 360
Sectio IV. *A quo producatur maior illa intenſio in actu charitatis, quando excedit intenſionem habitus?* 363
Sectio V. *An actus charitatis viæ ſit eiuſdem rationis ſpecificæ cum actu charitatis Patriæ?* 365

DISPVTATIO VIGESIMASEPTIMA.

De præcepto charitatis erga Deum?

Sectio I. *An, quale, & quotuplex ſit præceptum diligendi Deum?* 369
Sectio II. *Quid nobis per præceptum Deus. datum præcipiatur, & num illud adimpleri poſſit in hac vita?* 372
Sectio III. *Quando hoc præceptum obliget, & num ſuppleri poſſit alio actu, vel ſuſceptione alicuius ſacramenti?* 374

DISPVTATIO VIGESIMAOCTAVA.

De præcepto charitatis erga proximum.

Sectio I. *An, & quale ſit præceptum charitatis erga proximum?* 377
Sectio II. *An ſit peculiare præceptum diligendi ſe ipſum?* 380
Sectio III. *An ſit præceptum diligendi inimicos.* 382

DISTVTATIO VIGESIMANONA.

De ordine charitatis.

Sectio I. *An in charitate ſit aliquis ordo, & qualis ille ſit?* 386
Sectio II. *An & quo pacto Deus ſit ſuper omnia diligendus?* 388
Sectio III. *An naturaliter inclinemur ad diligendum Deum plùs quàm nos ipſos?* 390
Sectio IV. *An ex charitate teneamur magis nos ipſos, quàm proximum diligere?* 393
Sectio V. *An iuxta ordinem charitatis ſemper teneamur maius bonum proximi præferre minori proprio?* 397
Sectio VI. *Qualis ordo charitatis ſeruandus ſit inter ipſos proximos?* 399
Sectio VII. *An ordo charitatis maneat in patria, qui fuit in via?* 404
Sectio VIII. *An poſſit habitus charitatis inclinare in obiectum reipſa malum, putatiuè tantùm bonum & gratum Deo?* 407

Digitized by Google

DISPVTATIO TRIGESIMA.

De Miſericordia.

Sectio I. *Quid ſit Miſericordia?* 411

Sectio II. *An Miſericordia ſit virtus à charitate diſtincta?* 413

Sectio III. *Quotuplex ſit miſericordia, & an ſit omnium virtutum perfectiſſima?* 415

DISPVTATIO TRIGESIMAPRIMA.

De Eleemoſyna.

Sectio I. *Quotuplex ſit Eleemoſyna & cuius virtutis actus?* 417

Sectio II. *Quos effectus ſpirituales per ſe operetur Eleemoſyna in anima largientis?* 419

Sectio III. *An & quo iure eroganda ſit Eleemoſyna?* 422

Sectio IV. *Quando præceptum Eleemoſynæ obliget?* 424

Sectio V. *An præceptum Eleemoſynæ obliget ex iuſtitia?* 429

Sectio VI. *An ſatisfiat huic præcepto ſolùm mutuando, vel commodando?* 431

Sectio VII. *An vrgente neceſſitate liceat aliena ſurripere abſque obligatione reſtituendi.* 433

Sectio VII. *An in pari neceſſitate tenentur quis reſtituere ſuo creditori?* 436

Sectio IX. *Ex quibus bonis facienda ſit Eleemoſyna?* 438

Sectio X. *An omittens ſubuenire extremè indigenti teneatur ad damna, quæ indigens ex tali non ſubuentione incurrit?* 440

Sectio XI. *Quibus facienda ſit Eleemoſyna?* 441

Sectio XII. *An, qui ficto nomine paupertatis Eleemoſynas corrogauit teneatur eas reſtituere & cui?* 442

Sectio XIII. *Quinam poſſint Eleemoſynam facere?* 444

Sectio XIV. *An & quæ Eleemoſyna ſit ſatisfactoria, & an magis, quàm oratio, & ieiunium?* 447

DISPVTATIO TRIGESIMASECVNDA.

De Correptione Fraterna.

Sectio I. *An correctio fraterna ſit virtus & cuius virtutis actus ſit?* 449

Sectio II. *An Fraterna correctio ſit ſub præcepto?* 450

Sectio III. *Quæ ſit materia præcepti correctionis fraternæ?* 452

Sectio IV. *Quas conditiones hoc præceptum requirat vt ad ſui executionem obliget?* 455

Sectio V. *Quæ perſonæ obligentur hoc præcepto?* 457

Sectio VI. *Quinam Peccatores vi huius præcepti corrigendi ſint?* 459

Sectio VII. *An ordo fraternæ correptionis à Chriſto præſcriptus ſit ſub præcepto ſeruandus?* 460

DISP.	*NVM.*	*VERS.*	*LEGE.*
1.	27.	9 11.	habitudinem
2.	38.	33.	ingreditur
	51.	47.	connectit
	60.	penult.	ad priuatarum perſonarum
	84	10.	ducitur
	151.	5.	aliud
	190.	30.	continentur
	218.	14.	vt aliquando
	271.	9.	quod
	274.	2.	fit.
3.	61.	36.	prædicare
	76.	26.	an *tolle* non
6.	18.	11.	gentiliſmo
	37.	9.	damnarunt
	265.	24.	eandem
7.	2.	18.	datæ
	4.	1.	Zephirinus.

CVRSVS THEOLOGICI IVXTA SCHOLASTICAM HVIVS TEMPORIS SOCIETATIS IESV METHODVM

TOMVS QVARTVS

DE FIDE, SPE, ET CHARITATE.

AVCTORE

R. P. FRANCISCO AMICO CONSENTINO SOCIETATIS IESV SS. THEOLOGIÆ DOCTORE,

Eiuſdemq; olim in NEAPOLITANO Collegio, & in Celeberrima Archiducali Vniuerſitate GRÆCENSI Societatis IESV, necnon in Antiquiſſima & Celeberrima Vniuerſitate VIENNENSI publico PROFESSORE, ac Cancellario GRÆCENSI.

PROOEMIVM.

IActis præcedenti Tomo fundamentis de habitibus virtutibuſq; infuſis, quæ vna cum gratia ſanctificante nobis à Deo infunduntur, ordo Theologicæ doctrinæ poſcit, vt deinceps de ſingulis virtutibus ſingillatim diſputemus. Et primùm in hoc Tomo de Theologalibus, quæ hominem ad Deum immediatè dirigunt, cum eoque tanquam cum vltimo fine feliciter coniungunt; tum in ſe-

quenti de moralibus, quæ ad meritũ æternæ gloriæ ſupponunt Theologales. Quarum generationis ordine prima eſt Fides, ſine qua nec in Deum ſperare, nec eum diligere, vti oportet, valemus. Niſi enim reuelata fide Deum Authorem Remuneratoremque ſupernaturalium bonorum cognoſcamus, nec in eum ſperare, nec amare, vti oportet ad iuſtificationis gratiam conſequendam poſſumus. Meritò igitur Apoſtolus ad Hebræos 11. Illam primo loco vt neceſſariam proponit ijs, qui ad Deũ accedere volunt: *Credere enim*, inquit, *oportet accedentem ad Deum, quia eſt; & inquirentibus ſe Remunerator ſit:* à qua iuſtificationis noſtræ exordium deſumendum docet ſeſſ. 6. cap. 5. & 6. Tridentina Synodus; & ad quam omnis noſtri meriti initium refert Auguſtinus lib. 1. Retract. c. 23. *Sicut enim*, inquit, *in his quos elegit Deus, non opera* (intellige ſolius naturæ viribus facta,) *ſed fides inchoat meritum, vt per munus Dei bene operemur: ſic in his quos damnat infidelitas, & impietas inchoat pœna meritum.* De Fide diſputant Scholaſtici cum Magiſtro in 3. diſp. 23. & duabus ſequentibus, & Thomiſtæ cum Angelico ſecunda ſecundæ à quæſt. 1. vſque ad 16. incluſiuè, de qua nos Methodum S. Thomæ ſequentes poſt virtutes, & vitia in communi in hoc Tomo diſputabimus. De qua naturam, cauſas, oppoſita vitia, & præcepta inquiremus.

Ad Heb. 11.

Tridentina Synodus.

Auguſt.

Magiſter.

S. Thomas.

Digitized by Google

DISPVTATIO I.

De ſubiecto materiali Fidei.

Variæ acceptiones nominis fidei.

1. PRo Nominis explicatione notandum, fidem apud Latinos authores ex primæua ſua ſignificatione importare virtutem fidelitatis, qua quis fidelis eſt in promiſſis ſeruandis, quo pacto illa à Cicerone libro 1. de officijs multò poſt initium definitur, *Fundamentum iuſtitia*, id eſt, *dictorum, conuentorumque constantia*, & *veritas*. Et teſte Auguſtino lib. de mendacio ad Conſen. cap. 20. *Fides appellatur ex eo, quia fit quod dicitur.* Vnde fide conſtans, fidei plenus, bonæ fidei homo dicitur, qui fidelis in ſuis factis dictiſque reperitur. Sicut fidem dare, idem ſonat, quod promittere: & liberare fidem, eſt præſtare quod promiſſum eſt. Contrà verò, mutare, vel fallere fidem, eſt promiſſa non ſeruare. Secundò accipitur pro fiducia. Tertiò tandem pro aſſenſu, vel habitu ipſo aſſentiendi in rem dictam ob teſtimonium dicentis. In quo ſenſu ſumitur fides à Theologis, & in quo ſenſu in hoc tomo nos diſputaturi ſumus.

Cicero.

Auguſt.

In habitu duplex ſubiectum.

2. Pro explicatione verò tituli duplex in quouis habitu diſtinguendum eſt ſubiectum, materiale, & formale. Illud commune eſt cum alijs, hoc proprium vniuſcuiuſque virtutis, cuius munus eſt ſpecificare, & diſcriminare vnum habitum ab alio. De formali diſputabimus diſputatione ſequenti. Cæterùm ex primo tomo diſp. 1. ſect. 9. cum Durando, & alijs diſcrimen ſuppono inter ſubiectum, & obiectum habitus cognoſcitiui: quòd obiectum ſit id, quod principaliter terminat actum talis habitus, quod ſemper eſt aliquid complexum; nimirum propoſitio complectens ſubiectum, & prædicatum, quę eſt ipſa ſcientiæ; vel fidei concluſio, quæ ſcitur, vel creditur, vt, *Deus eſt omnipotens*. Subiectum verò eſt id, de quo paſſiones in tali habitu demonſtrantur, vel creduntur, quod ordinariè eſt terminus incomplexus: vt in adducto exemplo, eſt Deus, de quo omnipotentia demonſtratur, vel creditur. Quod adhuc eſt duplex; Alterum principale ſeu attributionis, ad quod omnia, quę in tali habitu tractantur, tanquam ad principale analogatum, ordinem, & attributionem dicunt: Alterum adæquatum ſeu communitatis, vel prædicationis complectens ſub ſe omnia, quę in tali habitu tractantur. De vtroque ſubiecto hic diſputabimus.

Durandus. Diſcrimen inter obiectum, & ſubiectum

SECTIO I.

Quodnam ſit materiale ſubiectum adæquatum fidei infuſæ?

3. PRima ſententia affirmat eſſe Deum: ſequitur ex ſententia Paludani, qui in 3. diſt. 24. quęſt. 1. docet, nullam propoſitionem eſſe fide infuſa creditam, cuius ſubiectum eſt creatura. Ex hoc enim manifeſtè ſequitur, nullam creaturam eſſe ſubiectum fidei infuſæ, ac proinde adæquatum ſubiectum materiale fidei infuſæ eſſe ſolum Deum.

Affirmat ſubiectum adæquatum fidei infuſæ eſſe Deum Paludanus.

4. Probatur hæc ſententia 1. Illud eſt materiale ſubiectum adæquatum fidei infuſæ, quod adęquatè terminat actum eiuſdem fidei: ſed quod adæquatè terminat actum infuſæ fidei, eſt tantùm Deus: igitur ſolus Deus eſt materiale ſubiectum adæquatum fidei infuſæ. Maior patet. Minor probatur: nam vel ſubiectum terminans actum fidei infuſæ eſt tantùm Deus, & tunc ſolus Deus adęquatè terminat actum fidei infuſæ: vel eſt etiam creatura, & quia creatura non terminat actum fidei Theologicæ, niſi vt eſt quędam participatio Dei: & tunc quod principaliter, & vltimatè terminat, eſt Deus. Igitur in omni actu fidei Theologicæ, Deus eſt terminus, & obiectum; proinde ſolus Deus eſt adæquatum ſubiectum materiale fidei infuſæ.

5. Confirmatur 1. Quia creaturæ non terminant viſionem beatam, niſi vt quędam participationes Dei, ideò ſolus Deus dicitur principalis, & vltimatus terminus viſionis beatę. Vnde quemadmodum repugnat, videri creaturas viſione beata, quin videatur Deus: ita repugnat, fide infuſa credi creaturam, quin credatur Deus, tanquam principalis, & vltimatus terminus.

6. Confirmatur 2. Repugnat, actum charitatis infuſæ ferri in proximum, quin principaliter, & vltimatè feratur in Deum: & hoc ideò, quia charitas infuſa fertur in proximum, quatenus proximus eſt quædam participatio Dei. Ergo pariter repugnabit, fidem infuſam ferri in creaturam, quin principaliter, & vltimatè ſimul feratur in Deum; cùm etiam fides infuſa feratur in creaturam, vt participatio quædam Dei eſt.

Digitized by Google

7. Probatur eadem ſententia 2. Fides infuſa eſt virtus Theologica: igitur adæquatum obiectum ipſius eſt Deus. Conſequentia probatur: quoniam ſi eſſet etiam creatura, poſſet aliquando ferri in creaturam, & non in Deum. Repugnat autem actum fidei infuſæ ferri in creaturam, quin feratur in Deum: alioqui talis actus non haberet pro obiecto Deum, ac proinde non eſſet virtus Theologica. Confirmatur. Implicat eſſe actum abſque eſſentiali obiecto: ſed eſſentiale obiectum fidei infuſæ, & cuiuſcunque virtutis Theologicæ eſt Deus: ergo implicat, eſſe actum fidei infuſæ, & non terminari ad Deum.

8. Tertiò. Omnis actus fidei infuſæ eſt ſummè certus: non eſſet autem omnis actus fidei ſummè certus, ſi ipſius obiectum eſſet creatura. Maior conſtat: nam fides infuſa eſt quædam participatio ſcientiæ diuinæ, quæ ſummam habet certitudinem. Minor probatur: nam creatura non habet tantam certitudinem, quantam habet Deus: certius enim eſt, Deum eſſe, eumque æternum, immenſum, & omnipotentem, quam Dauidem genuiſſe Salomonem; cùm illud ſit omninò neceſſarium, hoc contingens: ergo certior eſſet actus fidei, quo creditur Deum eſſe, quàm quo creditur Salomonem genitum fuiſſe à Dauide: cùm omnis actus certitudinem, vel incertitudinem ſumat ex obiecto.

9. Quartò. Omnis actus fidei Theologicæ tendit in obiectum propter teſtimonium Dei: ergo omnis actus fidei Theologicę principaliter, & vltimatè terminatur in Deum.

Aſſerit eſſe omne à Deo reuelabile S. Thomas.

10. SECVNDA ſententia communis reliquorum Scholaſticorum in 3. diſt. 23. & 24. & S. Thomæ 2. 2. q. 1. ar. 1. Affirmat, adæquatum obiectũ materiale fidei Theologicæ eſſe omne reuelabile à Deo, ſiue ſit ens, ſiue negatio entis: cùm etiam negationes entis cadant ſub reuelationem Dei, ſicut cadunt ſub ſcientiam eiuſdem: nam quidquid cadit ſub ſcientiam Dei, cadere poteſt ſub reuelationẽ diuinam, cùm reuelatio diuina non ſit aliud, quàm manifeſtatio ſcientię diuinę. Legantur inter cęteros Bonauentura in 3. diſt. 24. ar. 1. q. 2. Richar. art. 1. q. 1. Capreol. in prologo q. 4. concl. 5. Dixi *omnę reuelabile:* nam licet fides infuſa actu ferri nõ poſſit, niſi in id, quod actu reuelatum eſt: tamen, vi ſuæ rationis formalis, ferri poteſt in omne id, quod à Deo reuelari poteſt. Vnde idem habitus infuſus fidei aptus eſt ferri in alia, & alia reuelabilia in infinitum, quoniam in omnia fertur ſub eadem authoritate Dei dicentis.

Quid ſit reuelatio. Bonauent. Richardus. Capreolus.

11. His explicatis probatur aſſertio hoc vnico fundamento. Illud eſt adæquatum ſubiectum materiale habitus, vel potentię, quod ſub ſe comprehendit omnia, in quæ habitus, vel potentia ferri poteſt. Atqui fides Theologica non ſolùm ferri poteſt in Deum; ſed in omne, quod reuelari poteſt à Deo. Hoc autẽ non ſolùm eſt Deus; ſed omne ens, aut negatio entis. Igitur adęquatum ſubiectum materiale fidei Theologicę non tantùm eſt Deus; ſed omne reuelabile à Deo. Maior patet: nam ſubiectum materiale adæquatum nullum debet ſubiectum in particulari à ſe excludere. Minor aſſumpta conſtat: nam quidquid eſt reuelabile à Deo, informari poteſt motiuo formali fidei, quæ eſt ipſa authoritas Dei reuelantis. Ac proinde quidquid eſt reuelabile à Deo, terminare poteſt actum fidei Theologicę: nam hic ferri poteſt in omne, quod informatur motiuo fidei infuſæ: Sicut charitas ferri poteſt in omne, quod informatur motiuo charitatis; & vniuerſaliter omnis virtus in omne, quod informatur ſuo motiuo formali, à quo virtus ſpecificatur. Minor ſubſumpta probatur: nam omne id reuelare poteſt Deus, quod per ſuam ſcientiam cognoſcit; cùm reuelatio nihil aliud ſit, vt ſupra dictum eſt, quàm manifeſtatio eorum, quæ reuelans habet in ſua ſcientia. Cùm igitur Deus in ſua ſcientia non ſolùm habeat ſeipſum tanquam primarium obiectum cognitum; ſed etiam creaturas omnes omneſque negationes, omne ens, & negationem omnem Deus reuelare poterit.

12. Ex dictis infertur, ſub obiectum materiale fidei infuſę non ſolùm cadere veritates neceſſarias; ſed etiam contingentes, tam pręteritas, quàm præſentes, & futuras: nam etiam hę informari poſſunt motiuo formali fidei diuinę. Vnde tam certa eſt veritas contingens, à Deo reuelata, quàm neceſſaria, cùm vtraque immediatè nitatur authoritate diuina. Nec ſolùm veritas ſupernaturalis; ſed etiam naturalis, & lumine naturę cognoſcibilis poteſt eſſe materiale obiectum fidei Theologicæ: nam etiam hæc credi poteſt authoritate diuina, eſto ſit cognoſcibilis, & actu cognoſcatur cognitione naturali.

Veritas contingens cadit ſub obiectum materiale fidei infuſæ.

13. Ad 1. Oppoſitę ſententię, negatur minor. Cuius probatio ſolùm conuincit, Deum eſſe adæquatum ſubiectum materiale fidei, conſideratũ vt ſubiectum, ſiue directè, ſiue indirectè, & in obliquo terminans actum fidei; non autem conſideratum, vt directè tantùm terminans actum fidei: quoniam, vt probatum eſt, fides Theologica directè non ſolùm ferri poteſt in Deum; ſed etiam in alia. Idem probant 1. & 2. Confirmatio.

14. Ad 2. Reſp. ad virtutem Theologicam ſat eſſe, vt principale motiuum formale ipſius ſit Deus: nam ab hoc, non ab obiecto materiali ſpecificatur virtus: conſtat in charitate infuſa, cuius obiectum materiale non ſolùm eſt Deus; ſed etiam proximus, licet formale principale ſit ſola bonitas increata, vt infrà oſtendam. Ex quo patet ad probationem conſequentiæ, eiuſque confirmationem, quæ ſolùm probant de obiecto, & motiuo formali, ſine quo repugnat, actum ferri in aliquod obiectum materiale.

15. Ad 3. Negatur Minor. Ad cuius probationem, diſtinguendum eſt de certitudine quoad principia intrinſeca, & in eſſendo, & de certitudine quoad principia extrinſeca, & in cognoſcendo: concedendum autem eſt, quoad principia intrinſeca & in eſſendo, cer-

Digitized by Google

tius eſſe, Deum exiſtere, æternum, omnipotentem, & immenſũ eſſe, quàm Salomonem genitum eſſe à Dauide. Quoad principia verò extrinſeca, & in cognoſcendo cognitione infuſa fidei, negandum eſt, certius eſſe, Deum exiſtere, & æternũ atque omnipotentem eſſe, quàm Salomonem genitum eſſe à Dauide: nã ratio formalis aſſentiendi vtrique veritati eſt ſola, & immediata authoritas Dei, vtramque veritatem teſtificantis, cui æque in vno, atque in alio repugnat falli, ac fallere. Sicut eadem certitudine Deus cognoſcit ſeipſum, & alia à ſe: & æque repugnat Deum falli in vno, atque in alio. Cùm igitur notitia fide infuſæ ſit quędam participatio ſcientię, quam Deus habet de rebus, quas per reuelationem nobis manifeſtat, æque certa erit fides de rebus creatis, & cõtingẽtibus, ac de Deo, ac rebus neceſſarijs.

16. Ad 4. Diſtinguendum eſt conſequens: omnis actus fidei infuſæ tẽdit in Deum indirectè tãquam in obiectum formale, concedo; directè tanquam in obiectum materiale, nego. Vt in hac propoſitione: *Animus eſt immortalis, quia prima veritas reuelauit:* Fides infuſa directè tanquam in obiectum materiale tendit in animum immortalem; indirectè verò, & tanquam in obiectum formale, in ipſum Deum, hanc veritatem reuelantem.

Oppoſita ſententia eſt erronea. 17. Ex dictis definiri poteſt, qua cenſura digna ſit oppoſita ſententia. Nam ad minimũ illa cenſenda eſt erronea, cùm expreſsè aduerſetur principijs fidei, quæ docet, multas propoſitiones, quarum ſubiectum eſt creatura, credendas eſſe authoritate, & teſtimonio diuino, ac proinde fide infuſa.

SECTIO II.

Quod ſit ſubiectum principale, ſeu attributionis fidei infuſæ?

Affirmat eſſe actum meritorium Durandus. 18. PRIMA ſententia affirmat eſſe actum meritorium: eſt Durandi in prologo q. 5. vbi num. 9. docet, principale ſubiectum Theologiæ, prout Theologia eſt habitus, quo aſſentimur his, quæ in ſacra Scriptura traduntur, eſſe actum meritorium in beatitudinem ordinabilem. Diſtinguit enim hic author tam præcitato loco; quàm q. 1. prologi q. 6. Theologiam; primò in habitum inclinantem ad aſſentiendũ his, quæ in ſacra Scriptura traduntur. 2. in habitum defenſiuum, & declaratiuum eorundem, quę in ſacra Scriptura ſunt reuelata. 3. in habitũ deductiuum concluſionum ex articulis fidei tanquam ex principijs. Theologiam 1. & 2. modo conſideratam non diſtinguit ab habitu fidei infuſæ. 3. verò modo impropriè ait ſumi Theologiam pro habitu deductiuo, eo quòd, vt eadem q. 1. prologi n. 48. docet, quę Theologia adducit, ſunt tantùm declaratiua, & explicatiua eorum, quæ fides proponit; ac proinde non differt ab habitu fidei declaratiuo eorum, quę in ſacra Scriptura traduntur.

19. Probat autem hanc ſententiam Durandus 1. Illud eſt ſubiectum in quacunque doctrina, cuius notitia in ea principaliter intenditur. Sed in ſacra Scriptura notitia actus meritorij in beatitudinem ordinabilis principaliter intenditur: ergo actus meritorius in beatitudinem ordinabilis eſt ſubiectum fidei infuſæ. Maior clara eſt: nam in omni doctrinã cognitio ſubiecti principaliter intenditur. Minorem probat ex illo 2. ad Timotheum 3. *Omnis Scriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus,* Vbi Apoſtolus omnis Scripturæ à Deo reuelatæ proximum finem aſſignat inſtructionem ad opus bonum, quod eſt ipſe actus meritorius in beatitudinem ordinabilis. *2. ad Tim. 3.*

20. Secundò: illud eſt ſubiectum in aliqua doctrina, ad quod reliqua, quæ in ea tractantur attributionem dicunt: talis eſt actus meritorius: ergo actus meritorius eſt ſubiectum fidei Theologicæ. Maior patet. Minor probatur: nam omnia, quæ in ſacra Scriptura traduntur, aut ſunt præcepta rectè operandi, aut monita ſalutaria, aut exempla bonæ operationis, aut præmia & pœnæ, quæ proponuntur benè, & malè operantibus: aut certè ſunt de Deo ipſo ſecundùm ſe, vel de Deo incarnato. Priora per ſe attributionem dicunt ad opus æternæ vitæ meritorium. Poſteriora verò, quę de Deo incarnato proponuntur, per ſe ordinantur ad actum meritorium, vel vt regula & norma operis meritorij, iuxta illud 1. Petri 2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius:* vel quia ipſum credere Deum incarnatum proponitur nobis vt actus meritorius, iuxta illud Ioannis 20. *Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei viui, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.* Demum, quæ de Deo traduntur, etiam ordinantur ad opus meritorium: quia non ſolùm traduntur, vt notitiam de Deo habeamus, cùm hæc ſit valde exigua, & obſcura in hac vita; ſed principaliter proponitur vt obiectum actus fidei, qui propter difficultatem, & obſcuritatem obiecti, eſt maximè meritorius. Patet igitur omnia, quæ in ſacra Scriptura traduntur, attributionem dicere ad opus meritorium: proinde hoc erit ſubiectum fidei infuſæ. *1. Petri 2.* *Ioannis 20.*

Aſſignat Deum pro principali ſubiecto fidei infuſa S. Thomas. 21. SECVNDA ſententia docet, Deum eſſe principale ſubiectum fidei infuſę. Eſt S. Thomæ 2. 2. q. 1. art. 1. vbi aſſignans materiale ſubiectum fidei, ait, non ſolùm eſſe Deum; ſed etiam multa alia, *quæ tamen*, inquit, *ſub aſſenſu fidei non cadunt, niſi ſecundùm quod habent aliquem ordinem ad Deum.* Quod explicat exemplo ſanitatis, quæ eſt ſubiectum medicinæ, quæ omnia conſiderat in ordine ad ſanitatem. Cum S. Thoma conueniunt reliqui Scholaſtici, tum in prologo, tum in 3. diſt. 23. & 24. & quod mirum eſt, ipſemet Durandus diſtinct. 24. quæſt. 4. n. 7. vbi veritate conuictus retractat ſententiam, quam in prologo docuerat, dum pro principali *Durandus.*

fidei ſubiecto aſſignat Deum.

22. Sententia hæc non modò eſt vera ſpectata ratione; verùm etiam non obſcurè ex ſacra Scriptura colligitur: *Creditis in Deum,* inquit, Chriſtus Ioannis 14 *& in me credite.* Qui tanquàm obiectum primarium fidei aſſignat Deum, poſt Deum verò ſeipſum, quia poſt Deum principale obiectum fidei eſt Chriſtus. Et Paulus ad Hebręos 11. Præter Deum, nullum aliud obiectum fidei aſſignat: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt.* Quia nimirum Deus eſt principale ſubiectum, propter quod reliqua creduntur. Quam veritatem expreſſit Auguſtinus 4. de Ciuitate cap. 20. his verbis: *Cuius,* nempe fidei, *primum, & maximum officium eſt, vt in verum credatur Deum.*

Ioan. 14. *Ad Heb 11.* *Auguſt.*

23. Ratio verò huius ſententiæ, quæ etiam à Durando aſſignatur, eſt: quia omnia, quæ fide reuelantur, ordinantur ad Deum nobis manifeſtandum, eiuſque perfectiones magis explicādas, vt ex ijs inſurgamus ad ipſum colendum, & venerandum. Confirmatur: nam idem eſt obiectum patriæ, & vię: atqui primarium obiectum patriæ eſt Deus, ergo & viæ. Minor ſupponitur certa de fide. Maior probatur: nam obſcuræ notitiæ vię ſuccedit clara viſio patrię, iuxta illud 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.*

Idem eſt obiectum patriæ & viæ. *1. ad Cor. 13*

24. Ad 1. Argumentum Durandi, negatur minor: etenim in ijs, quę nobis per ſacram Scripturam traduntur, quod principaliter intenditur, non eſt actus meritorius, ſed Deus, ad quem actus ipſe meritorius, tanquam medium ad finem, dirigitur. Ideo enim traditur notitia actus meritorij, vt illum exerceamus, & exercendo Deum colamus, & honoremus. Vnde ſicut Deus, & non opus meritorium, eſt principalis finis virtutum infuſarum, ſe tenentium ex parte voluntatis: ita Deus, & nō opus meritorium, eſt principalis finis virtutis infuſæ, tenentis ſe ex parte intellectus: quippè cū virtutes intellectuales infuſę per ſe ordinentur ad virtutes appetitiuas: ergo ad quod principaliter ordinantur virtutes appetitiuæ infuſæ, ordinantur etiam virtutes infuſæ intellectuales, quę appetitiuis deſeruiunt tanquam aurigæ, eas ad proprium finem conſequendū dirigendo. Quòd autem virtutes appetitiuæ infuſæ principaliter ordinentur ad Deum amandum, colendum, venerandū aperta inductione conſtat: charitas enim infuſa principaliter ordinatur ad Deum diligēdum; minùs verò principaliter ad proximum. Religio ad debitum cultum Deo exhibendum: obedientia ad ei in omnibus parendum: & ſic de cæteris virtutibus infuſis. Ex his patet ad probationem minoris, quæ ſolùm probat de fine proximo, & minùs principali, non autem de vltimato, & magis principali, qui Deus eſt.

Virtutes intellectuales infuſæ per ſe ordinantur ad virtutes appetitiuas.

25. Ad 2. Neganda eſt minor: cuius probatio vera tantùm eſt de fine proximo, minuſque principali, nō autem de vltimato magiſque intento. Sicut licet proximus finis charitatis infuſæ ſit dilectio, ad quem tanquam ad proprium actum immediatè inclinat: quia tamen hæc ipſa dilectio ordinatur ad Deum tanquam ad vltimatū, & principalem finem, non dicitur charitatis finis dilectio, ſed Deus, ad quem dilectio ipſa vltimatè terminatur.

SECTIO III.

Sub qua ratione Deus eſt ſubiectum materiale fidei?

26. PRIMA ſententia docet, eſſe Deum ſub ratione ſaluatoris: eſt Durandi q. 5. prologi n. 17. Probat Durandus 1. Sub illa ratione ſubiectum terminat habitum ſub qua in illo principaliter conſiderantur, quæ in eo habitu tractantur, quæque omnes alias rationes, circa quas habitus verſatur fundamētaliter continet: talis in fide infuſa eſt ratio ſaluatoris. Nam hæc & principaliter à fide intenditur, cùm in nullo ſtatu fuerit fides, niſi de Deo Saluatore; & fundamentaliter continet omnes alias rationes, quæ in fide tractantur, nempe Deum eſſe incarnatum, paſſum, reſurrexiſſe, aſcendiſſe in cœlum, venturum ad iudicium &c. Quin ipſemet articulus Trinitatis implicitè continetur in ratione Saluatoris, propter perſonam filij nos meritoriè ſaluantis.

Aſſerit Deū ſub ratione Saluatoris eſſe ſubiectum materiale fidei Durandus.

27. Secundò. Sub ea ratione Deus eſt ſubiectum fidei, ſub qua habitudinem dicit ad opus meritorium: talis eſt ratio Saluatoris: ergo. Maior probatur: quoniam principia debent habere per ſe habitudinem ad concluſionem: ſed articuli fidei ſunt principia eorum, quę in ſacra Scriptura de opere meritorio concluduntur: ergo quod in fide articulorum ſubijcitur debet habere beatitudinem ad opus meritorium. Minorem oſtendit. Nam illa ratio maximè beatitudinem dicit ad opus meritorium, quæ includit rationem finis, & modum perueniendi ad finem: ſed ratio Saluatoris includit & finem operis meritorij, quæ eſt ſalus ęterna; & modum perueniendi ad talem finem: igitur ratio Saluatoris maximę habitudinem dicit ad opus meritorium.

28. SECVNDA ſententia affirmat, eſſe Deum ſub ratione glorificatoris ſeu remuneratis. Eſt Gregorij Ariminenſis q. 4. prologi art. 2. probatur 1. Nam ſub hac ratione Paulus ad Hæbręos 11. aſſignat ſubiectum fidei: *Credere,* inquit, *oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit.* 2. Sub ea ratione Deus eſt ſubiectum fidei, ſub qua ſe manifeſtat beatis: ſed beatis maximè ſe manifeſtat ſub ratione glorificatoris, & remuneratoris. Maior probatur: nam fidei ſuccedit viſio: ergo & obiecto fidei ſuccedit obiectum viſionis. Minor probatur: nam principale obiectū viſionis, eſt Deus vt principium noſtrę beatitatis: ſub ea enim ratione Deus eſt obiectum viſionis, ſub qua maximè voluntatem beati inflammat ad amorem ſui: hæc autem eſt ratio glorificatoris, & remuneratoris,

Deum eſſe ſub ratione glorificatoris Gregorius Ariminēſis. Ad Heb. 11.

Digitized by Google

neratoris, cùm nil ſit ad redamandum potentiùs; quàm remuneratoris amor, & beneficia.

Sub attributo ſpecialis miſericordiæ Kemnitius

29. Tertia ſententia contendit eſſe Deum ſub attributo ſpecialis miſericordiæ. Eſt Martini Kemnitij apud Bellarminum lib. 1. de iuſtificatione cap. 5. §. *ad hunc locum Kemnitius.* Fundamentum huius hæretici eſt: quia licet multa alia ſint obiecta fidei infuſæ, quæ in ipſo verbo Dei continentur: in quod tamen potiſſimum fides Chriſtiana intendere debet, eſt ſpecialis miſericordia Dei peccata remittentis, in gratiam adoptantis, & ad vitam æternam credentes acceptantis propter Chriſtum mediatorem.

Sub ratione primæ veritatis S. Thomas.

30. Qvarta ſententia aſſerit, eſſe Deum ſub ratione primæ veritatis: videtur S. Thomæ 2. 2. q. 1. art. 1. vbi poſtquam aſſignauit obiectum formale fidei, Deum ſub ratione primæ veritatis, loquens de obiecto materiali eiuſdem, ita concludit: *Et ideo etiam ex hac parte obiectum fidei* (nẽpe materiale, de quo ibi loquitur) *eſt quodãmodo veritas prima, in quantum nihil cadit ſub fide niſi in ordine ad Deum.*

Deum eſſe ſub ratione Deitatis.

31. Qvinta, ſententia Scholaſticorum communis, & omnium *probabiliſſima* docet, principale ſubiectum materiale fidei Theologicæ eſſe Deum ſub ratione Deitatis. Eſt Alenſis 3. p. q. 79. mem. vlt. S. Thomæ loco præcitato & prima parte q. 1. art. 7. & alibi: Scoti in 3. diſt. 23. q. vnica §. *Et iſte modus ponendi fidem infuſam:* Durandi diſt. 24. q. 1. n. 7. Capreoli q. 4. prologi concl. 5. & ad argumenta Gregorij: Marſilij in 3. q. 14. ar. 2. notabili 3. Bannez 2. 2. q. 1. art. 1. dub. 1. Valentiæ tomo 3. diſp. 1. q. 1. pun. 1. aſſert. 1. Vaſquez 1. p. diſp. 10. cap. 5. Suarez de Fide, Spe, & Charitate diſp. 2. ſect. 1. Luiſij Turriani 2. 2. diſp. 1. dub. 1. Coninck de actibus ſupernaturalibus diſp. 9. dub. 1. concl. 1. Syluij 2. 2. q. 1. art. 1.

Alenſis. S. Thomas. Scotus. Durandus. Capreolus. Marſilius. Bannez. Valentia. Vaſquez. Suarez. Turrianus. Coninck. Syluius.

32. Vnicum fundamentum communis huius ſententiæ eſt. Sub ea ratione Deus eſt principale ſubiectum fidei, ad quam explicandam omnia in ſacra Scriptura reuelata ordinantur. Atqui omnia in ſacra Scriptura reuelata ordinantur ad explicandum nobis Deum ſub ratione Deitatis. Igitur Deus ſub ratione Deitatis eſt principale ſubiectum fidei. Maior eſt certa: nam ea ratio eſt principalis in quouis ſubiecto ſcientiæ, cuius notitia in ea ſcientia principaliter intenditur. Minor verò probatur: nam principalis finis, propter quem Deus omnia nobis reuelauit, eſt, vt ipſum perfectiùs cognoſcentes diligamus, veneremur, & colamus, iuxta illud Prouerb. 16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Vnde Auguſtiſſimam ſuam naturam cum fœcũditate trium perſonarum nobis reuelauit per Myſterium Trinitatis; Omnipotentiam per mundi creationem; bonitatem ſimul cum omnipotentia per Verbi Incarnationem; iuſtitiam per præmia, & pœnas benè, ac malè operantibus propoſita; miſericordiam per peccatorum remiſſionem, abſque condigna noſtra ſatisfactione, & ſic de cæteris ipſius perfectionibus diſcurrendo.

Prouerb. 16.

Fidei infuſæ ſubiecto ſuccedit in patria viſionis beatæ ſubiectum.

33. Confirmatur: nam fidei infuſæ ſubiecto ſuccedit in patria viſionis beatæ obiectũ. Atqui viſionis beatæ obiectum, eſt Deus ſub ratione Deitatis, vt ex primo tomo diſp. 1. ſect. 9. ſuppono: ergo etiam fidei ſubiectũ eſt Deus ſub ratione Deitatis: niſi quòd fidei, eſt obiectum ſub ratione Deitatis obſcurè, & ænigmaticè cognoſcibilis; viſionis verò vt clarè viſibilis. Minor probatur: nam per viſionẽ beatificam manifeſtatur beatis totus Deus ſecundùm omnes perfectiones reſpectiuas, & abſolutas, quas formaliter continet; licet non totaliter, totalitate tenente ſe ex parte modi cognoſcendi, cùm non cognoſcatur à beatis ea claritate, qua cognoſcibilis eſt, licet nihil ſit ex parte obiecti, quod à quouis beato non cognoſcatur, vt oſtendi 1. tom. diſp. 9. ſect. 17.

34. Ex dictis infertur 1. Deitatẽ in ſubiecto fidei eſſe rationem formalem reſpectu ſubiectorum creatorum, quæ ſub adæquato ſubiecto fidei continentur: eſſe tamen rationem materialem, principalem tamẽ, reſpectu primæ veritatis vt reuelantis. 1. patet: quia reſpectu ſubiectorum creatorum eſt ratio, ad quam cætera ſubiecta creata dicũt attributionem. 2. verò probatur: quia prima veritas vt reuelans eſt ratio formalis aſſentiendi, non ſolùm obiectis creatis; ſed etiam ipſi Deo, vt obiecto principali.

Diſcrimen inter ſubiectum materiale fidei & Theologiæ.

35. Infertur 2. Diſcrimen inter ſubiectum materiale fidei, & Theologiæ: nam illius eſt tantùm id, quod eſt à Deo reuelabile: huius verò eſt id, quod ex reuelatis per naturalem diſcurſũ deducibile eſt. Habent enim ſe fides infuſa, & Theologia tãquã habitus principiorum, & concluſionũ. Vnde Theologia ſupponit principia reuelata, & ex ijs ſuas deducit cõcluſiones. Lege plura in hac materia in tomo 1. Noſtri Theologici curſus diſp. 1. ſect. 9.

36. Ad 1. argumentum primæ ſententiæ neganda eſt minor, eiuſque probatio. Nam ipſa ratio Saluatoris adhuc vlteriùs in fide intenditur ad manifeſtãda diuina attributa, bonitatis, omnipotentiæ, iuſtitiæ, & miſericordiæ. Nego etiam, in ipſa ratione Saluatoris obſcurè credita adæquatè contineri Myſterium Trinitatis. Nam licet reuelata Incarnatione Filij, neceſſariò ſit reuelatus Pater, ſine quo implicat eſſe verum filium: haud tamen cũ filio neceſſariò intelligitur reuelatus Spiritus ſanctus: quia licet filius reipſa dicat realem reſpectum producentis ad Spiritum ſanctum, illum tamen non importat vt nobis obſcurè reuelatus ſub præciſa ratione filij. Vnde niſi diſtincta reuelatione fuiſſet Spiritus ſanctus nobis manifeſtatus, non potuiſſemus per præciſam reuelationem filij incarnati illum cognoſcere, ac credere.

Non neceſſariò cum reuelato Filio intelligitur reuelatus Spiritus ſanctus.

37. Ad 2. negatur maior; fundatur enim in falſo principio præcedente ſect. impugnato, nempe principale ſubiectum fidei eſſe actum meritorium ad beatitudinẽ ordinabilem. Vnde negandum eſt, rationẽ ſaluatoris dicere habitudinem ad actum meritorium, tanquam ad vltimum, & principalem finem; ſed ſolùm tanquam ad finem proximũ minùs

 principalem,

principalem, vtrumque verò, & rationem Saluatoris, & actum meritorium, dicere habitudinem ad Deum tanquam ad vltimum,& principalem finem practicè aſſequibilem.

38. Ad primū ſecundæ ſententię negandū eſt, ſub ratione remuneratoris à Paulo aſſignari adæquatam rationem principalis ſubiecti materialis fidei;ſed tantùm rationē inadæquatam: adæquatam verò aſſignari in verbis præcedentibus: *Credere oportet accedentem ad Deum,quia eſt*, nam per ly *eſt* ſignificatur ipſa Deitas, cuius eſſentia eſt ſua ipſius exiſtentia, ſecundùm totam plenitudinem eſſendi.

39. Ad 2. negatur minor, eiuſque probatio. Falſū quippe eſt,Deū manifeſtare ſe beatis ſolùm vt remuneratorē, & principiū beatitudinis; ſed ſecūdùm omnes ſuas perfectiones, quas in ſeipſo formaliter includit: quæ etiam indepēdenter à ratione remuneratoris, & actu beantis aptæ ſūt, vtpote infinitæ bonitatis, volūtatem beati ad ſui amorē inflāmare.

40. Ad fundamentum tertiæ ſententię negatur antecedens. Nam vel ſpecialis miſericordia Dei, eſt principale ſubiectū fidei,quatenus fides nobis proponit, hoc attributum eſſe in Deo, illudque credendum; ex dictis autem conſtat, hanc non eſſe adæquatam rationem,ſub qua Deus eſt ſubiectum fidei;ſed tantùm inadæquatam:quoniam,vt probatum eſt, Dei finis non eſt, manifeſtare ſe creaturis tantùm vt miſericordem;ſed etiam vt iuſtum, omnipotentem &c. vel quatenus annexā habet promiſſionem Dei de remittendis nobis peccatis, in quo ſenſu ſumitur ſpecialis miſericordia ab hęreticis: & adhuc diſtinguendū eſt: nam vel vt ſic eſt ſubiectum Chriſtianæ fidei, quatenus vniuerſaliter credendum eſt, Deum remiſſurum nobis per Filium ſuum peccata, poſita debita diſpoſitione, & cooperatione ex parte noſtra; & ſic eſt inadæquata ratio principalis ſubiecti fidei: nam per hanc rationem credimus Deum eſſe fidelem in ſuis promiſſis: vel quatenus vnuſquiſque in particulari credere debet, ſibi eſſe remiſſa peccata per Chriſtum, iuxta quem ſenſum hæretici illud aſſignant principale ſubiectum Chriſtianę fidei; in quo ſenſu tātùm abeſt, vt ſit vel inadæquata ratio ſubiecti fidei; vt potiùs repugnet fidei, quæ docet, nullum eſſe certū,odio,an amore dignus ſit. Adde quòd, vt optimè argumētatur Bellarminus loco prænotato cap. 10. ſi ſpecialis miſericordia Dei eſt principale obiectum fidei,quatenus fidelis credere debet, ſibi eſſe remiſſa peccata per Chriſtum, non tam per fidem remitterentur peccata, quàm ſupponerentur remiſſa, cùm ſemper obiectum præſupponatur ad actum, cuius eſt obiectum. Cùm igitur per hos hæreticos obiectum fidei ſint peccata per Chriſtum remiſſa, non poterunt ea per fidem formaliter remitti. Ex quo ſequitur contra eoſdem hæreticos, non ipſam fidem eſſe, quæ formaliter iuſtificat, ſiquidem ipſa ſupponit peccata remiſſa, & conſequenter cum eorum remiſſione ſupponit iuſtificationem.

Bellarm.

41. Ad authoritatem S.Thomæ pro quarta ſententia allatam Reſp. pro prima veritate ibi Sanctum Doctorem non intelligere primam veritatem in dicēdo, quod eſt peculiare attributum Dei; ſed in eſſendo, quę recurrit cum ipſo Deo,vt ex ipſius verbis conſtat: explicans enim, quæ ſit hæc prima veritas, ad quam attributionem dicunt omnia, quæ fide infuſa creduntur, ait, eſſe Deum ipſum, *In quantùm*, inquit, *nihil cadit ſub fide, niſi in ordine ad Deum*. Quæ Doctoris explicatio expreſsè declarat, in quo ſenſu hic accipiatur prima veritas.

Obiectum fidei eſt cōplexum ex parte credentis.

42. Quærunt Scholaſtici, an obiectum fidei ſit aliquid complexum per modum propoſitionis enuntiabilis; & reſpondent communiter in 3. diſt.23.& 24. & cum S.Thoma 2.2.q.1.ar.2. affirmatiuè ex parte credentis, negatiuè verò ex parte rei creditæ. Fundamētum ſumitur ex parte modi cognoſcendi intellectus humani,qui res ſimplices apprehendit vt compoſitas, apprehendit enim Deum Sapientem,vt compoſitum ex Deitate, & Sapientia. Quæ doctrina vt ſit vera, non eſt intelligenda vniuerſaliter: conſtat enim inter obiecta materialia fidei multa eſſe cōpoſita, vt Chriſtum eſſe hominē, iuſtos eſſe amicos Dei; nam & Chriſtus componitur ex natura humana,& perſona diuina,& iuſtus ex ſubiecto, & gratia Dei: ſed intelligendā eſt negatiuè, vt non oporteat obiectum in ſeipſo eſſe compoſitum,ad hoc vt ſecūdùm modū intelligendi noſtrum concipiatur complexum per modū enuntiabilis:cùm nō modò,quæ reipſa cōplexa ſunt;ſed etiā quę ſimplicia ſunt,concipiamus per modū rei complexę enūtiabilis.

Quomodo ex parte rei credita?

SECTIO IV.

An inter veritates fidei ſit aliquis ordo in ratione credibilitatis?

43. DIxi, *in ratione credibilitatis*: nam in ratione rei certum eſt,inter eas multiplicem intercedere ordinem, durationis,dependentiæ, dignitatis, perfectionis, proportionis & habitudinis vnius ad aliud. Nam quę ſunt de rebus increatis, omni prioritatis ordine præcedūt veritates fundatas in rebus creatis: & inter veritates creatas, neceſſariæ præcedunt contingentes: & inter cōtingentes, dignitate præcedunt quæ ſunt de rebus nobilioribus, & ad Deum propiùs accedentibus. Sola igitur controuerſia eſt de veritatibus in ratione credibilis,an inter eas ſit aliquis ordo, vt vna debeat priùs credi, quàm alia.

44. Vt autem propoſita difficultas magis aperiatur, & punctum controuerſiæ preſſiùs attingatur, notandum eſt, inter veritates fidei alias eſſe, quæ ſolùm conſtant ex obiectis materialibus, quæque tantùm creduntur vt obiectum *quod*; alias verò, quæ conſtant ex ipſis rationibus formalibus credendi, vt ſunt prima veritas, eiuſque teſtimonium: quæ rationes nō ſolùm concurrunt vt motiuum formale credendi quamcunque

aliam

Digitized by Google

aliam veritatem reuelatam; ſed etiam ipſęmet poſſunt eſſe obiectum materiale, & rationes creditæ, vt conſtat in his propoſitionibus: *Deus eſt prima veritas: Deus hoc teſtatus eſt*: in quibus ipſęmet rationes credendi, quæ ſunt prima veritas, & dictio Dei ſunt res creditæ. In quo caſu duplex exercent munus & ſubiecti materialis, ſeu rationis creditæ, & motiui formalis, ſeu rationis credendi: cùm poſſit idem eſſe ſibi ratio, & motiuum credendi: ſicut in Phyſicis vnio eſt ſibimet ratio vniendi extremis.

45. Hac diſtinctione poſita, punctus pręſentis controuerſię non eſt de reliquis veritatibus materialibus, quæ non ſunt rationes credendi alias veritates, ſed tantùm rationes creditæ. Certum enim eſt, inter eas nullum eſſe credibilitatis ordinem, vt vna debeat priùs alia credi; ſed de veritatibus formalibus, quæ ſimul ſunt motiua, & rationes credendi reliquas veritates reuelatas: an iſtę non tantùm vt rationes formales credēdi, & vt obiectum *quo*; ſed etiam vt rationes creditæ, & vt obiectum *quod* debeant priùs credi, quàm credantur obiecta materialia, quarum ipſæ ſunt rationes formales credendi. Exempli cauſa in hac propoſitioue: *Mundus eſt creatus in tempore, quia Deus dixit*: an priùs quàm intellectus credentis aſſentiatur obiecto materiali, nempe *mundus eſt creatus in tempore*, debeat priùs credere non ſolùm vt obiectum *quo*, ſed etiam vt obiectum *quod*: *Deus vt prima veritas hoc dixit*.

Negat Capreolus. 46. Prima ſententia abſolutè negat: Eſt Capreoli in 3. diſt. 24. qu. vnica art. 3. ad 3. contra ſecundam concluſionem. Probatur 1. ex abſurdo, quòd ex oppoſita ſententia ſequeretur: ſequeretur enim aſſenſum fidei diſcurſu gigni: Conſequens eſt falſum, alioqui non niteretur ſola authoritate diuina; ſed etiam humano diſcurſu, proinde non excederet certitudinem ipſius, cùm ſemper concluſio ſequatur debiliorem partem præmiſſarum. Sequela verò probatur: nam ordo dependentiæ inter propoſitiones quoad aſſenſum in hoc conſiſtit, vt vna ſit ratio, & cauſa formalis obiectiua aſſentiendi alteri, ac proinde vt aſſenſus vnius eliciatur ex aſſenſu alterius, qui eſt ipſiſſimus formalis diſcurſus, qui ex vna propoſitione nota, vel notiori tendit in aliam ignotam, aut minùs notam. Secundò. Falſum eſt, inter propoſitiones conſtantes ex rationibus formalibus, & conſtantes ex obiectis materialibus fidei, dari ordinem in ratione credibilitatis: nam propoſitiones conſtantes ex rationibus formalibus non ſunt rationes credendi alias, vt ſunt creditæ in ſe; ſed ſolùm vt ſunt rationes credendi: quo pacto non concurrunt vt aliquid complexum; ſed vt aliquid incomplexum, & vt pura ratio credendi vt *quo*.

Affirmat Durandus. 47. Secunda ſententia affirmat: Eſt Durandi in 3. diſt. 24. q. 1. num. 8. vbi primum creditum in fide infuſa aſſignat Eccleſiam vt à Spiritu ſancto rectam, ad quam vltimò reſoluit fidem. Eſt etiam Marſilij in 3. qu. 14. *Marſilius.* art. 1. p. 3. in prima probatione primæ concluſ. vbi prima credita inter credibilia ponit Deum eſſe, veracem eſſe, eiuſque teſtimonium infallibile eſſe. Hos ſequitur Vaſquez *Vaſquez.* prima parte diſp. 5. cap. 3. in quo Deum dicere, & Deum eſſe veracem conſtituit prima principia, quibus omnis fides infuſa innititur: Idem docet Suarez diſp. 2. de Fide *Suarez.* ſect. 4.

48. In pręſenti difficultate triplex poteſt eſſe quæſtio de re: Prima, an priùs quàm aſſentiamur obiecto materiali, aſſentiendum ſit obiecto formali: Secunda, an eodem, vel diſtincto actu, quo aſſentimur obiecto materiali, aſſentiamur formali. Tertia, an eodem lumine fidei, quo aſſentimur obiecto materiali, aſſentiendū etiā ſit obiecto formali. Quarta verò quęſtio de modo loquendi eſſe poteſt: An poſito, quòd ſaltem eodem actu aſſentiēdum ſit obiecto formali, & materiali, dici debeat, formali aſſentiri vt *quo*, vel vt *quod*, ſeu vt ratio credendi, vel vt ratio credita.

49. Dico 1. Nulli obiecto materiali poteſt intellectus fide infuſa aſſentiri, quin priùs prioritate ſaltem rationis aſſentiat obiecto formali. In hac puto omnes conuenire: nam omnes concedere debent, intellectum aſſentiri obiecto materiali fidei propter teſtimonium Dei, tanquam propter rationem aſſentiendi. Cùm enim res fidei non proponantur intellectui per intrinſecam connexionem, per quam ex ſe aptæ ſunt mouere intellectum ad aſſenſum ſui; ſed per teſtimoniū extrinſecum Dei; cumque nequeat propter teſtimonium extrinſecum Dei intellectus aſſentiri obiecto materiali, niſi illud idem priùs iudicet dignū, propter quod aſſentiri debeat obiecto materiali, neceſſariò debet, priùs ſaltęm ratione, quàm aſſentiatur obiecto reuelato vt obiecto materiali, aſſentiri teſtimonio Dei tanquam obiecto formali. Confirmatur. Nihil poteſt eſſe aptum mouere intellectum obiectiuè, vti mouet obiectum formale, niſi vt cognitum: ergo nequit teſtimonium Dei mouere intellectum credentis ad aſſentiendū infallibiliter obiecto materiali, niſi vt cognitum, & iudicatum infallibile. *Nihil poteſt eſſe aptum mouere intellectum obiectiuè niſi vt cognitum.* Cæterùm notanter dixi, *prioritate ſaltem rationis*, vt abſtraherem à prioritate naturæ, & cauſalitatis: cùm hæc prioritas neceſſariò requirat diſtinctos actus, quorum vnus ſit cauſa formalis obiectiua ſaltem vt *quo* alterius.

50. Dico 2. Poteſt vno eodemque aſſenſu fidei intellectus ferri in teſtimonium Dei, propter ipſum teſtimonium Dei, tanquam motiuum formale, & ſimul in rem teſtificatam, propter teſtimonium Dei tanquam propter rationem formalem aſſentiendi. Aſſertio primò conſtat à paritate: nā poteſt intellectus vno eodemq; actu ferri in mediū ſcientificum, & in cōcluſionem, propter ipsū mediū tanquā propter motiuum formale aſſentiēdi. Poteſt voluntas vno eodemque actu ferri in mediū propter finem, & ſimul in finē per mediū: Ergo à fortiori poterit intellectus, adiutus habitu infuſo, & illuſtratione Spiritus S. eodem

eodem actu ferri ſimul in teſtimonium Dei tanquam in motiuum formale, & in rem teſtatam tanquam in obiectum materiale creditum propter formale. Secundò à priori: quia non repugnat potentiam ferri in plura inuicem ſubordinata, & per modum vnius. Atqui obiectum formale, & materiale ſunt inuicem ſubordinata, & per modum vnius: nam vnum ſe habet vt ratio obiectiuè mouens potentiam ad aſſenſum; alterum vt ratio terminans aſſenſum. Igitur non repugnat intellectum vno eodemque actu aſſentiri teſtimonio Dei, & rei atteſtatæ per ipſum teſtimonium Dei: quod expreſsè docuit ex ſententia S. Doctoris prænotato loco Capreolus.

Capreolus.

51. Dico 3. Poteſt idem intellectus diuerſis actibus aſſentiri duabus propoſitionibus, quarum vna ſit ratio, & principium aſſentiendi alteri, abſque formali diſcurſu: vt vno actu aſſentiri poteſt huic propoſitioni: *Deus eſt verax, quia eſt prima veritas:* & alio huic: *Chriſtus eſt homo, quia Deus dixit:* non innitendo diſcurſui, & neceſſariæ connexioni, quæ eſt inter vnum principium & alterum, ſed ſoli authoritati diuinæ: vt, *credo Deum eſſe veracem, quia ipſe dixit:* &, *credo Chriſtum eſſe hominem, quia ipſemet Deus, qui verax eſt, reuelauit.* In quo aſſenſu nulla eſt dependentia à naturali diſcurſu: quia non aſſentior poſteriori propoſitioni propter naturalem connexionem cum priori, ſed propter ſolam authoritatem Dei, qua teſtatus eſt, ſe eſſe veracem in dictis.

52. Dico 4. Non poteſt fide infuſa intellectus aſſentiri obiecto reuelato, propter authoritatem Dei ſola ſcientia naturali cognitam vt infallibilem. Sequitur ex præcedente aſſertione: nam hoc ipſo aſſenſus in obiectum reuelatum non excederet certitudinem ſcientiæ naturalis, cùm nequeat concluſio eſſe certior principio, cui innititur: cùm tamen, vt infrà oſtendam, certitudo fidei infuſæ excedat quamcunque certitudinem ſcientiæ naturalis.

Nequit concluſio certior eſſe principio cui innititur.

53. Dices. Non poteſt intellectus applicare ſe ad credendum propter authoritatem Dei atteſtantis, niſi præcedat cognitio de infallibilitate diuinæ authoritatis: ſed talis cognitio non poteſt eſſe fidei, quia cùm hæc ſit obſcura non poteſt certificare intellectum de infallibilitate diuinæ authoritatis: ſicut non poteſt vnus homo applicare ſe ad credendum alteri homini, niſi aliunde ſibi conſtet de authoritate dicentis.

54. Reſp. Supponi quidem ad aſſenſum fidei diuinæ aliquam cognitionem naturalem, vel fidei humanæ ex teſtimonio hominum fide dignorum, vel ſcientiæ naturalis de infallibilitate diuinæ authoritatis, non tamen vt rationem formalem aſſentiendi, ſed ſolùm vt præuiam conditionem, qua voluntas prudenter imperare poſſit intellectui ad credendum fide diuina.

55. Ex his deducitur deciſio alterius quæſtionis: An ad omnem aſſenſum fidei illa propoſitio, *Deus eſt verax,* ſeu, *prima veritas eſt in dicendo infallibilis,* concurrat vt credita & per modum complexi, an tantùm vt quid incomplexum, & vt pura ratio formalis applicata obiecto materiali. Et ſanè quando diſtincto actu intellectus illi aſſentitur, dubium non eſt, quin illa concurrat vt credita & per modum propoſitionis complexæ, quia concurrit vt integra propoſitio conſtans ex ſubiecto *Deus eſt verax,* & prædicato, *quia ipſe dixit.* Sola difficultas eſt, an etiam concurrat vt credita & per modum complexi, quando eodem indiuiſibili actu concurrit vt ratio formalis credendi obiectum materiale.

56. Ad quam difficultatem Reſp. etiam tunc concurrere vt creditam & per modum complexi. Ratio, quoniam vt authoritas Dei ſit ratio mouendi intellectum ad infallibilem aſſenſum rei atteſtatæ, debet ipſa authoritas Dei priùs ratione cognoſci & credi, vt infallibilis in dicendo, nam propter ipſam cognitam & creditam vt infallibilem in dicendo, intellectus præbet aſſenſum rei atteſtatæ. Non poteſt autem cognoſci & credi vt infallibilis in dicendo, niſi per modum propoſitionis complexæ: quia cùm non debeat credi infallibilis propter ſe, ſuamque neceſſariam connexionem, quam habet cum lumine naturali, ſed propter teſtimonium Dei, quo reuelauit ſe eſſe veracem, non poterit intellectus eſſe certus de infallibilitate diuinæ authoritatis, niſi illã cognoſcat & credat infallibilem propter ipſum teſtimonium Dei, ac proinde niſi illam complexè credat, cùm complexè credere nil aliud ſit, quàm credere illam vt compoſitam ex ſubiecto & prædicato, ſeu ex obiecto materiali & formali.

Hæc propoſitio: Deus eſt verax, concurrit ad aſſenſum fidei vt credita, & per modum complexi.

57. Confirmatur à paritate fidei humanæ, quæ priùs ſaltem ratione, quàm aſſentiatur rei dictæ, debet cognoſcere authoritatem dicentis eique vt tali aſſentiri, vt per illam aſſentiri poſſit rei à tali homine dictæ. Quamdiu enim vnus homo non format aſſenſum de authoritate alterius, non poteſt illius dictis tanquam veris prudenter aſſentiri. Nec ſufficit ad certitudinem fidei infuſæ, quòd authoritas diuina ſupponatur cognita vt infallibilis cognitione naturali: quia licet talis cognitio præſupponatur, non tamen poteſt eſſe ratio formalis aſſentiendi, ſed vt præuia dumtaxat conditio: debet igitur præter cognitionem naturalem eadem ſupponi credita fide infuſa.

Authoritas diuina cognita infallibilis cognitione naturali, non ſufficit ad certitudinem fidei infuſæ.

58. Dices. Hæc duo principia: *Deus eſt prima veritas:* Et, *Deus dixit,* includuntur in omni obiecto credibili fide diuina: ergo non neceſſariò ſupponuntur credita, ſed ſunt tantùm rationes formales credendi obiecta ipſa materialia. Antecedens probatur: nam hoc ipſo quòd aliquod obiectum reuelatur vt credendum fide diuina, in ipſa reuelatione includitur Deus vt verax, & vt dicens. Vnde fidelis credit obiectum reuelatum propter ipſam reuelationem, non credendo priùs reuelationem vt obiectum, *quod,* ſed ſolùm vt medium, & vt obiectum *quo.*

59. Reſpondeo

59. Reſpondeo primò negando in omni reuelatione præter obiectum reuelatum & reuelationem ipſam, explicitè etiam reuelari Deum vt infallibilem in dicendo, ſed ſæpe hoc ſupponi vt reuelatum per aliam reuelationem; & conſequenter vt prius creditum alio actu fidei 2. Eſto in quauis reuelatione includatur *Deus & vt verax, & vt dicens:* negandum tamen eſt, non debere prius ratione credi, præſertim in primo actu fidei, antequam nulla præceſſit ſupernaturalis notitia fidei de veracitate Dei: quia cùm neceſſarium ſit ad aſſentiendum obiecto materiali propter teſtimonium Dei, prius aſſentiri authoritati diuinæ vt infallibili in dicendo, non poterit intellectus aſſentiri obiecto materiali, niſi prius aſſentiatur obiecto formali.

60. Ceterùm vtrum dicendum ſit, intellectum authoritatem diuinam prius ratione credere, vt obiectum, *quo*, vel etiam *quod*, directè, an reflexè, quæſtio eſſe poteſt, vt in principio notauimus, de modo loquendi. Etenim ſi concedatur, intellectum non modo aſſentiri obiecto materiali propter formalem, ſed ipſi etiam formali propter teſtimonium Dei, qui dixit ſe eſſe veracem, quæſtio tantùm erit de modo loquendi, an dici debeat credi vt *quo*, quia nimirum aſſenſus vltimatè non ſiſtit in obiecto formali, ſed vlteriùs tendit in obiectum materiale. Si verò non admittatur, intellectum aſſentiri obiecto formali vt per ſe digno, propter quod aſſentiendum ſit obiecto materiali, quæſtio erit de re: quia tunc non idem aſſenſus conceditur in obiectum formale, qui conceditur in materiale: quia in materiale conceditur aſſenſus propter formale: in formale verò non conceditur aſſenſus propter aliud, nempe propter teſtimonium Dei, qui dixit ſe eſſe veracem, vti ſuprà explicuimus.

61. *Inſtabis.* Non minùs ad aſſenſum fidei vt principium concurrit Deus vt prima veritas, quàm reuelatio eiuſdem: ſed reuelationi aſſentimur propter ipſam reuelationem; ergo & primæ veritati propter ipſam primam veritatem. Reſpondeo diſtinguendo ly *non minùs*, eodem modo, nego; diuerſo modo, concedo. Etenim Deus vt prima veritas, eſt principium aſſenſus fidei remotum & in actu primo: reuelatio autem eſt principium proximum & in actu ſecundo: cæterùm poteſt principium remotum & in actu primo actuari per principium proximum & in actu ſecundo: non poteſt autem principium proximum & in actu ſecundo actuari per aliud principium proximum, alioqui non eſſet principium proximum & in actu ſecundo. Quemadmodum poſſunt extrema vniri vnione diſtincta, non autem vnio ipſa, quę cùm ſit ipſa formalis ratio vniendi, nequit alia ratione à ſe diſtincta vniri, ſed ſe ipſa: ita, cùm reuelatio ſit ipſa teſtificatio Dei, nequit alia reuelatione credi, ſed ſeipſa: prima autem veritas, cùm non ſit ipſa reuelatio, poteſt reuelatione credi.

Deus vt prima veritas, eſt principium aſſenſus fidei remotum; Reuelatio, proximum.

62. Ex his infertur, quis ordo ſeruandus ut inter ipſa principia credendi. Etenim prius credendus eſt Deus quatenus verax, tum quatenus reuelans, quia prius eſt, Deum eſſe veracem, quàm eſſe reuelantem: nam hoc præſupponit illud vt actus ſecundus primum. Vtrumque verò ſupponit Deum eſſe vt fundamentum vtriuſque. Ex his etiam patet ad vtrumque argumentum primæ ſententiæ.

Ordo ſecundus inter principia credendi.

SECTIO V.

An credibilia ſint per certos articulos, & quot diſtinguenda?

63. HAs duas difficultates proponit S. Thomas ſecunda ſecundæ q. 1. ar. 6. & 8. & quoad primam, reſpondet affirmatiuè: cuius vniuerſalem regulam ibidem tradit: quæ ſpecialem difficultatem continent in ratione credibilis ea in articulos diſtinguenda ſunt: quę verò in ratione credibilis ſpecialem difficultatem non continent, in proprios articulos diſtingui non debent. Velut, quia aliam difficultatem habet in ratione credibilis, quòd Deus ſit paſſus, aliam quòd Deus mortuus reſurrexerit, duo diſtinguuntur articuli, paſſionis, & reſurrectionis. Contra verò, quòd idem Deus ſit paſſus, mortuus, & ſepultus ſpecialem difficultatem non continet: nam qui credit illum paſſum facilè credet eundem mortuum & ſepultum, ideò non tres, ſed vnus conſtituitur articulus complectens hæc tria myſteria.

S. Thomas.

Quæ ſpecialem difficultatem habent in ratione credibilis, in articulos diſtinguenda.

64. Quoad ſecundam verò difficultatem, prima ratio dubitandi eſt, quia non videntur noſtræ fidei credibilia in plures articulos diſtinguenda, quàm in quos illa diſtinxit Apoſtolus ad Hebræos 11. vbi in duos tantùm articulos ea diſtinxit, in Deum vt exiſtentem, & vt remuneratorem: *oportet*, inquit, *accedentem ad Deum credere, quia eſt; & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Confirmatur, nam in his duobus principijs virtute continentur reliqua. In primo enim continentur omnia, quę de diuinitate credenda ſunt: nam qui credit Deum eſſe, credit eum exiſtere ſicuti eſt, in eſſentia vnum, & in perſonis trinum, nec non omnipotentem, immenſum &c. In 2. verò implicitè continentur, quę de filij Dei Incarnatione orthodoxa fides docet. Nam qui credit Deum eſſe remuneratorem hominum, credit Deum ſpecialem habere prouidentiam de ſalute hominum: ac proinde implicitè credit eum pro ſalute hominum incarnatum, & paſſum fuiſſe, nec non à mortuis ſurrexiſſe, & in cœlum aſcendiſſe.

Numerus articulorũ.

Heb. 11.

65. SECVNDA verò dubitandi ratio contraria priori eſt: quoniam multa ſunt, quæ ſpecialem difficultatem habent, quæ tamen in proprios articulos redacta non ſunt, vt quòd Deus certò ſciat futura libera, de quibus

bus multi dubitarunt: quòd poſt verba conſecrationis totus Chriſtus ſecundùm corpus & animam ſit ſub ſpeciebus Euchariſticis: hoc enim maiorem difficultatem habet, quàm habeant plures alij articuli de facto inter ſe diſtincti, vt conſtat ex tot hęreſibus, quæ circa hoc myſterium inſurrexerunt. His tamen non obſtantibus,

66. Dicendum eſt, rectè omnia fidei noſtræ credibilia in articulos 12. diſtincta eſſe, quorum aliqui ad diuinitatem, aliqui ad Chriſti humanitatem pertinent. Vnicum ac potiſſimum huius rei fundamentum eſt authoritas Eccleſiæ, quæ in tot articulos ea diuiſit. Nam in primis habemus hæc in articulos diſtincta in ipſo Apoſtolorum ſymbolo, quod fuiſſe

Clemens.

ab Apoſtolis compoſitum teſtatur Clemens Romanus in Epiſtola ad Iacobum fratrem Domini circa medium his verbis: *Adhuc in vno poſiti* (nempe Apoſtoli) *Symbolum, quod fidelis nunc tenet Eccleſia, vnuſquiſque quod ſenſit dicendo, condiderunt, vt diſcedentes ab inuicem, hanc regulam per omnes gentes prædicarent.* Vbi etiam verba ipſa, quæ in ſymbolo recitantur, refert. 2. Idem Symbolum, paucis additis ad maiorem dũtaxat explicationem approbarunt Synodus Nicæna, & Conſtantinopolitana. Eadem ferè, quæ in ſuo Symbolo Apoſtoli tradiderunt, in ſuo incluſit & explicuit Athanaſius.

Concilium Nicæn. Conc. Conſtantinop. Symbol. Athan.

67. Huius diuiſionis ſufficientem rationem aſſignat prǽcitato articulo S. Thomas. Nam fides, teſte Apoſtolo ad Hębræos 11. *Eſt ſperandarum rerum ſubſtantia*: ergo ea per ſe ad fidem ſpectant, quorum viſione beamur, & quibus ad beatitudinem conſequendam iuuamur. Ea autem ſunt Deus, cuius clara viſione beabimur, & Chriſti humanitas, per quam in beatitudinem prouehimur iuxta illud Ioannis 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Ergo prima credibilium diuiſio eſt in ea, quę pertinent ad Dei maiſtatem, & Chriſti humanitatem, tanquam ad duo prima principia, quorum vnum formaliter beatificat, alterum in beatitatem prouehit. Porrò Deus vel conſideratur in ſeipſo, & ſic duo de illo proponuntur articuli, vnitas eſſentiæ, & Trinitas perſonarum. Vel conſideratur vt operum principium eſt ad extra, & ſic quatuor alij diſtinguuntur articuli, mundi creationis, hominum ſanctificationis, carnis reſurrectionis, & animę glorificationis. Totidem proponuntur de Chriſti humanitate articuli: Primus de eius Incarnatione ſeu conceptione, & Natiuitate ex Virgine Matre: Secundus de paſſione, morte, & ſepultura: Tertius de deſcenſu ad inferos: Quartus de reſurrectione: Quintus de aſcenſu in cœlos: Sextus de Aduentu in vltimum iudicium. Aliqui verò in quatuordecim diſtinguunt articulos, ſeptem ad Dei maieſtatem, totidem ad Chriſti humanitatem pertinentes. Nam ſecundùm de Trinitate diuidunt in tres iuxta numerum perſonarum, duos verò vltimos coniungunt in vnum. Primum verò pertinentem ad humanitatem diſtinguunt in duos. Quam diuiſionem ſequitur citato loco Sanctus Doctor.

S. Thomas. Heb. 11. Ioan. 17.

68. Ad primam rationem dubitandi Reſpondeo, inſtitutum Apoſtoli ibi non eſſe, credibilia diſtinguere in certos articulos, ſed ſolùm tradere vniuerſaliſſima principia fidei Thęologicæ, quæ ſunt, Deum eſſe, & remuneratorem eſſe. quorum primum pertinet ad primum articulum: Secundum ad quintum & ſextum, quâtenus Deus eſt remunerator omnium per opus reſurrectionis & glorificationis.

69. Vnde ad confirmationem dico, ad articulum non ſat eſſe, vt in eo virtute contineantur alia credibilia: hoc enim potius eſt de ratione principij, quòd in eo diſcriminatur ab articulo, quòd articulus conſtituitur per ſpecialem difficultatem à cæteris diuerſam; principium verò per virtualem continentiam aliorum. Cæterùm falſum eſt, qui credit Deum eſſe, hoc ipſo abſque noua reuelatione, explicitè credere, eum eſſe in perſonis trinum, & in virtute omnipotentem ad creandum, iuſtificandum, & glorificandum, quo pacto hæc tenemur credere. Sicut falſum etiam eſt, qui credit Deum eſſe remuneratorem hominum, hoc ipſo explicitè credere Myſterium Incarnationis, cùm potuerit Deus alio remedio prouidere ſaluti hominum.

Diſcrimen inter principium & articulum fidei.

70. Ad ſecundam rationem dubitandi Reſpondeo, ſcientiam Dei de futuris contingentibus neceſſariò comprehendi ſub attributo prouidentiæ: non enim poſſet Deus perfectam de hominibus prouidentiam habere, niſi eorum futuras actiones liberas præcognoſceret. Prouidentia autem Dei comprehenditur ſub articulo omnipotentię: non enim eſſet omnipotens, niſi prouidere & agere poſſet quidquid, & quo modo vellet.

71. Myſterium verò Euchariſtiæ idem S. Thomas præcitato articulo 8. ad ſextum comprehendit ſub articulo omnipotentiæ. Nam dupliciter poteſt Euchariſtia conſiderari, vel vt ſacramentum, quo pacto comprehenditur ſub operibus ſanctificationis: vel vt in ea miraculosè continetur Chriſtus: quo modo concluditur ſub omnipotentia, non minùs quàm reliqua miracula, quæ omnipotentię tribuuntur.

S. Thomas. Myſterium de Euchariſtia comprehenditur ſub articulo omnipotentiæ.

72. Sed negari non poteſt, Euchariſtiam peculiarem includere difficultatem diuerſam à difficultate, quam cætera miracula dicunt, propter quam difficultatem potuiſſet ſpecialis articulus conſtitui. Cęterùm ideo non eſt de ea ſpecialis articulus in Symbolo conſtitutus, quia cùm hæc veritas debuiſſet quotidiano vſu à fidelibus tractari, neceſſarium non fuit, illam ſub ſpeciali articulo in Symbolo fidelibus credendam proponere: nam ea tantùm in Symbolo ſub ſpecialibus articulis fidelibus credenda proponuntur, quę ipſi aliunde ſub quotidiano vſu propoſita non habent. Eſt enim Symbolum fidei, quoddam

Symbolum continet talia credenda, quæ fideles ſub quotidiano vſu propoſita non habent.

memoriale

memoriale eorum, quæ fideles tenentur credere ad beatitudinem conſequendam: quę ne memoria exciderent, facilitatis & commoditatis cauſa redacta ſunt ad quædam capita ſeu articulos. Euchariſtia igitur, quia continuo per manus fidelium tractari debebat, non opus fuit, vt peculiari articulo cum alijs credibilibus ad ſalutem neceſſarijs in Symbolo proponeretur, cùm ſufficienter ea credenda proponatur ipſo quotidiano vſu & exercitio fidelium illam frequentantium.

73. Maior difficultas eſt iuxta primam diuiſionem credibilium in duodecim articulos de primo pertinente ad Chriſti humanitatem: nam in eo continentur duæ ſpeciales difficultates inter ſe diuerſæ, qualis eſt difficultas de Conceptione, & Natiuitate Chriſti, & difficultas de Natiuitate ex Matre Virgine. Ad quam difficultatem tollendam dici poſſet, hunc articulum diuidi in duos, & quintum & ſextum pertinentes ad Deitatem coniungi in vnum: cùm non videatur peculiarem difficultatem includere carnis reſurrectio ab animarum glorificatione. Verùm in his, vt initio ſectionis diximus, ſtandum eſt traditioni & authoritati Eccleſiæ, potiùs quàm rationi.

SECTIO VI.

An articuli fidei per ſucceſſionem temporum creuerint?

74. Rationes dubitandi pro parte affirmante ſunt: Primò, quia multæ reuelationes factæ ſunt poſterioribus temporibus, quæ factæ non fuerunt prioribus temporibus: ergo articuli fidei per temporum ſucceſſionem creuerunt. Secundò, multæ veritates determinatę ſunt in Concilijs, quæ antea non erant, vt quod homo iuſtificetur per qualitatem inhęrentem: quod Baptiſmus in forma Eccleſiæ, etiam ab hæreticis collatus valeat, cuius oppoſitum cum Cypriano ſenſerunt multi Patres Africani: quod ſacramenta gratiam conferant ex opere operato, & multæ aliæ. Tertiò Spiritus ſanctus non ſtatim, ſed ſucceſſiuè de ſupernaturalibus veritatibus Eccleſiam inſtruit, vt apertè patebit varios Eccleſiæ ſtatus conſideranti. Nam magis illuminata eſt tempore legis Euangelicæ, quàm Moſaïcę: & tempore legis Moſaïcæ, quam tempore naturæ, in quo magna fuit ſupernaturalium rerum ignorantia & caligo.

Articuli fidei quoad ſubſtantiam non creuerunt. S. Thomas. Magiſter. Auguſt.

75. Dico 1. Articuli fidei quoad ſubſtantiam ſucceſſione temporum non creuerunt. Eſt communis ſententia, quam partim cum Magiſtro docent Scholaſtici in 3. diſt. 25. partim cum S. Thoma ſecunda ſecundæ q. 1. art. 7. Thomiſtæ omnes: eamque multis in locis tradidit Auguſtinus pręſertim lib 2. de nupt. & concupiſ. cap. 12. vbi loquens de fide mediatoris: *Eadem*, inquit, *fides mediatoris ſaluos iuſtos faciebat antiquos puſillos cum magnis: quia ſicut*, ſubdit paulò poſt, *credimus nos Chriſtum in carne veniſſe, ſic illi venturum: ſicut nos mortuum, ita illi moriturum: ſicut nos reſurrexiſſe, ita illi reſurrecturum.* Et Epiſtola 157. ad Optatum poſt initium: *Eadem*, inquit, *fides eſt & noſtra, & illorum, quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum.* Et paulò poſt ita concludit: *Proinde cum omnes iuſti, hoc eſt veraces Dei cultores, ſiue ante Incarnationem, ſiue poſt Incarnationem Chriſti, nec vixerint; nec viuent, niſi ex fide Incarnationis Chriſti, in quo eſt gratiæ plenitudo, profectò quod ſcriptum eſt:* Non eſſe aliud nomen ſub cœlo, in quo oporteat ſaluos fieri nos: *ex illo tempore valet ad ſaluandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum eſt genus humanum:* & tract. 45. in Ioannem paulò antè medium: *Tempora*, ait, *variata ſunt, non fides, quia & ipſa verba pro tempore variantur, cùm variè declinantur. Alium ſonum habet, venturus eſt: alium ſonum habet, venit. Mutatus eſt ſonus, venturus eſt in venit: eadem tamen fides vtroſque coniungit & eos, qui venturum eſſe, & eos, qui eum veniſſe crediderunt.* Eadem ſententia colligitur ex Paulo ad Hebræos 11. vbi in illis verbis: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit:* Virtute & implicitè Apoſtolus comprehendit vniuerſam fidei materiam, quæ eſt *ſperandarum rerum ſubſtantia*, vt ibidem definit. *Hebr. 11.*

76. Ratio verò fundamentalis eſt: quoniam articuli fidei quoad ſubſtantiam continent ea, quæ ad ſalutem conſequendam ex diuina inſtitutione neceſſaria ſunt. Sed fides eorum, quæ ad ſalutem conſequendam ex diuina inſtitutione neceſſaria ſunt, fuit ſemper quoad ſubſtantiam eadem: ergo articuli fidei quoad ſubſtantiam ſucceſſione temporum non creuerunt, ſed fuerunt ſemper ijdem. Maior conſtat ex præcedente ſect. quoniam articuli fidei quoad ſubſtantiam continent fidem Maieſtatis Dei, & Humanitatis Chriſti, quarum vtraque notitia eſt neceſſaria ad conſequendam æternam ſalutem. Minor probatur: quia ſicut fuit eadem Eccleſia ab initio mundi vſque ad finem, ita & eadem ſemper fides: eſt enim Eccleſia vna propter vnam fidem.

Epheſ. 4. Angeli viatores habuerunt eãdem fidem nobiſcum quoad ſubſtantiam.

77. Confirmatur: quia ſicut vnus eſt finis omnium ſupernaturaliter acquiſibilis per Chriſtum: ita vna fides omnium de eodem fine ſupernaturaliter acquiſibili per Chriſtum Mediatorem. Quam argumentationem inſinuat Apoſtolus ad Epheſeos 4. illis verbis: *Vnus dominus, vna fides.* Ex quo ſequitur, etiam Angelos viatores habuiſſe eandem fidem nobiſcum quoad ſubſtantiam: præſertim cùm in mea ſententia, vt in ſexto tomo de Incarnatione doceo, Chriſtus non ſolùm fuerit redemptor hominum, ſed etiam ſanctificator & glorificator Angelorum. Roboratur eadem ratio: nam ideo fides Dei & Chriſti neceſſaria nunc eſt, quia neceſſaria eſt notitia finis

finis à nobis aſſequibilis, & Mediatoris, virtute cuius & meritis illam aſſequimur: ſed idem ſemper fuit finis ab hominibus, & Angelis aſſequibilis, idemque Mediator, virtute cuius & meritis hic finis fuit aſſequibilis: ergo eadem ſemper & hominum & Angelorum fides.

Materia fidei progreſſu temporis creuit quoad accidentalia. S. Thomas.

78. Dico 2. Materia fidei progreſſu temporis creuit quoad accidentalia. Hanc aſſertionem euidenter probant rationes dubitandi, præſertim prima: eamque docet S. Thomas ſecunda ſecundæ q. 174. art. 6. nam vt ibidem ad tertium idem S. Doctor probat, *non defuerunt ſingulis temporibus in Eccleſia viri Prophetiæ Spiritum habentes, non quidem ad nouam fidei doctrinam depromendam, ſed ad humanorum actuum directionem*: ergo licet materia fidei quoad ſubſtantiam progreſſu temporis non creuerit, quia eadem ſemper fuit quoad ſubſtantiam de Deo & Chriſto reuelatio, creuit tamen quoad accidentia ob varias nouaſque reuelationes varijs temporibus Eccleſiæ factas, quæ eandem fidem Dei & Mediatoris declarabant & confirmabant.

Magis credit quoad notitiam explicitam.

79. Dico 3. Materia fidei progreſſu temporis magis creuit quoad notitiam explicitam. Sequitur ex præcedente aſſertione: nam tot reuelationes diuerſis temporibus factæ cò tendunt, vt materiam ipſam ſubſtantialem fidei magis explicent ac declarent. Hanc probat tertia ratio dubitandi: negari enim non poteſt, magis explicitam fidem myſterij Trinitatis & Incarnationis eſſe in lege Euangelica, quàm fuerit in lege naturæ, & ſcripta. Vnde S. Thomas ſecunda ſecundæ q. 1. art. 7. ad quartum docet, eos qui propinquiores fuerunt Chriſto vel ante, vel poſt, pleniùs myſteria fidei cognouiſſe. Vnde concludit, Ioannem Baptiſtam & Apoſtolos, quia fuerunt omnium proximi Chriſto, pleniſſimè omnia myſteria fidei cognouiſſe. Quod intelligendum eſt de myſterijs fidei quoad ſubſtantiam, non quoad reuelationes aliquas accidentales, quas neceſſe non fuit omnes fuiſſe Apoſtolis communicatas, cùm hoc neceſſarium non fuerit ad Apoſtolicum munus exercendum.

S. Thomas.

Aliquam reuelationes accidentales Apoſtolis non communicata.

80. Solùm dubitari poteſt de quibuſdam Patriarchis, qui quamuis à Chriſto tempore remotiores, pleniorem tamen videntur fidei notitiam habuiſſe, quàm alij Chriſto propinquiores, vt Adam, qui totam poſteritatem debuit de rebus fidei inſtruere: Abraham, cui facta eſt promiſſio, vt ex eius ſemine naſciturus eſſet Chriſtus Gen. 22. de quo & ipſe Chriſtus teſtatus eſt Ioannis 8. quod diem Chriſti viderit, & gauiſus ſit. Idem dici poteſt de Moyſe, cum quo Deus *loquebatur facie ad faciem* Geneſis 33. quem & diuinam eſſentiam vidiſſe, multi Patres, & Scholaſtici docent. Pro cuius dubij explicatione,

Geneſ. 22. Ioan. 8. Geneſ. 33.

81. Notandum, comparationem fieri poſſe inter plebem & plebem, & inter capita & capita ſeu Doctores, qui alios etiam de rebus fidei inſtruere debebant. Intellecta comparatio inter plebem & plebem, comparatio facta nullam habet difficultatem: nam quo homines Chriſto propinquiores, cò fuerunt de rebus fidei magis illuminati. Intellecta verò de Doctoribus, qui debebant alios inſtruere, vnum eſt abſque vlla controuerſia ab omnibus ferè conceſſum, Ioannem Baptiſtam, & Apoſtolos quoad explicitam notitiam myſteriorum fidei, omnes ſuperaſſe. De Ioanne Baptiſta probat teſtimonium illud Chriſti Matthæi 11. *Non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta:* quod non ſolùm intelligi poteſt de ſanctitate, ſed etiam de notitia quoad myſteria fidei. De Apoſtolis verò confirmat idem Chriſtus Lucæ 8. *Vobis datum eſt noſſe myſterium Regni Dei.* Sed præcipuè probant hoc verba illa Chriſti Ioannis 15. *Omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Et ratio id etiam perſuadet: quia cùm fuerint Apoſtoli à Chriſto conſtituti Doctores Eccleſiæ in lege gratiæ, in qua, etiam in plebe, notitia fidei magis viget, quam vnquam in vllo ſtatu Eccleſiæ viguerit, debuerunt quoad hanc notitiam non modò ſuperare omnes poſteriores, quorum futuri erant Doctores & Magiſtri, ſed etiam prædeceſſores, in quibus, non fuit tanta notitia myſteriorum fidei neceſſaria, vtpote qui nec illam in tanta perfectione debebant populo tradere, vti eam nobis tradiderunt Apoſtoli.

S. Ioan. Baptiſta & Apoſtoli quoad explicitam notitiam ſuperarunt omnes. Matth. 11. Luc. 8. Ioan. 15.

82. Ex dictis patet ad rationes dubitandi: quæ tantùm probant de incremento fidei quoad accidentalia, & notitiam magis explicitam. Cæterùm ſecunda ratio dubitandi poſtularet, vt hic explicaremus, an cùm Eccleſia declarat aliquam propoſitionem fide diuina credendam, quę antea fide diuina non credebatur, doceat nouam veritatem, ſaltem, accidentalem, quæ antea reuelata non erat, niſi de hac difficultate infrà diſputaturi eſſemus. Breuiter tamen hunc Reſp. poſſe Eccleſiam ſuâ authoritate explicitè declarare aliquam propoſitionem de fide, quæ antea implicitè tantùm continebatur in alijs propoſitionibus explicitè reuelatis, vt allata exempla oſtendunt: nam omnes adductæ veritates erant implicitè contentæ in alijs reuelatis, & ſolùm ab Eccleſia ſunt declaratæ vt explicita fide credendæ.

Myſteria fidei poſſunt creſcere quoad notitiam infuſam & acquiſitam.

83. Vltimò notandum, myſteria fidei non ſolùm creſcere poſſe quoad maiorem notitiam infuſam, ſed etiam quoad maiorem ſcientiam proprio labore de rebus diuinis comparatam, vti ab initio Eccleſiæ vſque huc ſemper creuit per doctrinam tot ſapientiſſimorum Patrum, & eruditiſſimorum Theologorum, qui ingenioſiſſimis ac ſapientiſſimis ſuis lucubrationibus Chriſtianam fidem mirabiliter illuſtrarunt, partim illam ab impugnatoribus defendendo, partim naturalibus rationibus humano diſcurſu excogitatis explicando ac ſolidando.

Digitized by Google

DISPVTATIO II.

De obiecto formali Fidei infuſæ.

Quid obiectum formale. 1. EXplicato obiecto materiali fidei, explicandum eſt formale. Eſt autem formale obiectum potentiæ, vel habitus, ratio, ſeu medium illud, propter quod potentia vel habitus tendit in obiectum materiale. Vt formale obiectum ſcientiæ, eſt medium, propter quod intellectus aſſentitur concluſioni. Obiectum formale virtutis, eſt medium, per quod voluntas inclinat in obiectum materiale talis virtutis, quod medium ſemper eſt aliquod bonum honeſtum. Porrò hoc medium interdum eſt intrinſecum obiecto, vt in obiecto ſcientifico, eſt ipſa intrinſeca connexio prædicati cum ſubiecto, quæ obiecta intellectui ſeipſâ mouet ad aſſenſum concluſionis præbendum: bonitas intrinſeca Dei eſt medium, quod propoſitum voluntati, mouet illam ad dilectionem ipſius. Interdum verò eſt extrinſecum, vt in fide humana & diuina medium, propter quod intellectus aſſentitur rei atteſtatæ, eſt ipſum teſtimonium hominis, aut Dei atteſtantis, quod extrinſecum eſt rei atteſtatæ: ſicut & medium, propter quod voluntas appetit medicinam, eſt ſanitas extrinſeca medicinæ. Cęterùm inter materiale & formale obiectum hoc intereſt, quòd materiale poteſt eſſe commune multis potentijs habitibuſque; formale verò eſt proprium vnicuique potentiæ, vel habitui, quibus vnitatem & ſpecificationem confert, eoſque à reliquis diſcriminat. Eſt enim obiectum formale vltima forma, per ordinem ad quam deſumitur propria & intrinſeca differentia potentiæ, vel habitus.

SECTIO I.

Quodnam ſit obiectum formale fidei infuſæ?

Error Manichæorum August. 2. ANtiquus fuit Manichęorum error, teſte Auguſtino de vtilitate credendi ad Honoratum cap. 1. quo & ipſemet, vt de ſeipſo fatetur, adoleſcens deceptus fuit, qui contendebant, nihil eſſe credendum, niſi quod ratio ipſa oſtendit. Quem errorem quaſi è cineribus extinctum ſuſcitauit *Bernardus.* Petrus Abailardus, vt refert Bernardus Epiſtola 190. circa initium, motus illo teſtimonio *Eccleſ. 19* Eccleſiaſtici 19. *Qui citò credit, leuis eſt corde.* Explicans autem hic Hæreticus, quid ſit citò credere: *citò credere*, inquit, *eſt, adhibere fidem ante rationem.* Verùm hos Hæreticos apertè confutat Paulus ad Hebręos 11. vbi fidem definit, *ſubſtantiam rerum ſperandarum argumentum non apparentium.* In quem locum *Hebr. 11.* Chryſoſtomus Homil. 21. *Si igitur*, inquit, *Chryſoſt.* *fides eſt argumentum eorum, quæ non videntur, quid eſt, quod ea vultis iam videre, vt excidatis à fide, & deſinatis iuſti eſſe? Siquidem iuſtus ex fide viuit, vos autem, ſi volueritis ea videre, iam non eritis fideles.* Contra quos diſputat lib. 50. Homiliarum Homilia 32. Auguſtinus: *videtis*, *August.* inquit, *fratres, quamdiu ſint peruerſi & properando vitioſi, qui tanquam immaturi conceptus ante ortum quærunt abortum, qui nobis dicunt, quid me iubes credere quod non video? videam aliquid vt credam. Iubes credere, dum non videam: ego videre volo, & videndo credere, non audiendo.* Quos vlteriùs premit authoritate Iſaiæ cap. 7. clamantis: *Niſi credideritis, non* *Iſaias 7.* *intelligetis*: quia *fides*, ſubiungit Auguſtinus, *gradus eſt intelligendi: intellectus autem meritum fidei.* Propterea, vt ibidem docet, *Arcana & ſecreta Regni Dei priùs quærunt credentes, quò faciant intelligentes.* Demum, *quid magis aut contra rationem*, inquit, Bernardus, *quàm ra-* *Bernardus.* *tione rationem conari tranſcendere? velle ſcilicet reddere rationem etiam de ijs, quæ ſunt ſupra rationem. Aut quid magis contra fidem, quàm credere nolle, quidquid non poſſis ratione attingere.* Etenim ſi etiam abſque ratione fidem præſtamus parentibus ac maioribus, quantò magis eam pręſtare debemus Deo nobis per Prophetas & Apoſtolos loquenti? Nec citatus locus ſapientis fauet Abailardo: tum quia, vt interpretatur Bernardus, ibi non de fide *Bernardus.* in Deum, ſed de credulitate in hominem, ſermo eſt: tum quia etſi fides ratione non innitatur, cùm nil ſit magis contra fidem, quàm ratione inniti, rationem tamen ſupponit, qua intellectus prudenter ducatur ad credenda ea, quæ fide proponuntur.

3. Confutato igitur Hæreticorum errore, omnes Catholici conueniunt, fidem infuſam pro obiecto formali habere Deum, quod notauit Caietanus ſecunda ſecundę quæſt. 1. *Caietanus.* art. 1. Cùm enim hæc ſit virtus Theologica, quę pro obiecto habet Deum, cumque non ſemper pro obiecto materiali habeat Deum (nam etiam alia à Deo credimus fide infuſa, vt conſtat ex diſput. 1. ſectione 1.) neceſſariò ſequitur, obiectum formale ipſius eſſe Deum: quia cùm obiectum formale ſit illud, quod ſpecificat habitum, & concurrit ad omnes eius actus, nullus erit fidei infuſæ actus, qui non ſit propter Deum, tanquam

tanquam propter motiuum formale. Adhuc tamen inter Doctores controuerſia ſupereſt, ſub qua ratione Deus ſit formale obiectum fidei.

4. PRIMA ſententia affirmat, eſſe Deum ſub ratione Deitatis. Eſt Aureoli apud Capreolum in 3. diſtinct. 24. art. 2. in fine: Caietani ſecunda ſecundæ quæſt. 1. art. 1. §. *ad euidentiam*, & §. *his præmiſſis*, qui tamen inconſtans & varius eſt, vt ipſum legenti patebit. Eam docuiſſe videtur S. Thomas 1. p. quæſt. 1. art. 7. vbi ait, Deum ſub ratione Dei eſſe ſubiectum Theologiæ. Atqui, vt ibidem docet, ſubiectum Theologiæ recurrit cum ſubiecto fidei, cùm idem ſit ſubiectum principiorum, qui ſunt articuli fidei, & totius ſcientię, quæ eſt Theologia.

Aureolus. *Caietanus.* *S. Thomas.*

5. Potiſſimum fundamentum huius ſententię eſt: nam ea eſt ratio formalis in quauis ſcientia, quę in ea eſt ſuprema, quæque ad aliam ſuperiorem reducibilis non eſt, ſed potiùs ad ipſam cęteræ omnes, quæ in ea ſcientia conſiderantur, reducuntur. Sola autem Deitas in fide infuſa eſt ſuprema, quæ nec ad aliam ſuperiorem reducitur, & ad ipſam cæterę omnes, quæ in fide tractantur, reducuntur: igitur Deitas eſt ratio formalis in fide infuſa. Maior patet: quia cùm ratio formalis ſit illa, ſub qua cæteræ omnes attinguntur, debet eſſe in quauis ſcientia ſuprema, & quę ad nullam aliam reduci poſſit. Minorem probant: nam Deitas eſt, in quam vltimò reſoluitur fides Theologica: ſciſcitanti enim cur articulos fidei credis? reſpondes, quia prima veritas, quæ mentiri non poteſt, teſtatur. Si autem rurſus interrogeris, cur prima veritas mentiri non poteſt? reſpondebis, quia Deus eſt: nec pręter hanc, alia ratio aſſignari poterit. Igitur Deitas eſt ratio, ad quam vltimò reſoluitur aſſenſus fidei infuſæ: ac proinde Deitas eſt obiectum formale fidei: nam idem eſt, eſſe obiectum formale alicuius ſcientię, & in quod talis ſcientia vltimò reſoluitur. Confirmat Caietanus: ex eo quòd Deus vt ſapiens eſt mundi ordinator, non excluditur, quin vt Deus ſit mundi ordinator: quia vt Deus, eſt ſapiens: & in Deum vltimò reſoluitur ipſius increata ſapientia. Ergo ex eo quòd Deus vt prima veritas eſt obiectum fidei, non excluditur, quin vt Deus ſit obiectum eiuſdem, quia vt Deus eſt prima veritas, & in Deum vltimò reſoluitur prima veritas.

Caietanus.

6. Quoniam verò S. Thomas ſecunda ſecundæ quęſt. 1. art. 1. expreſsè docet, obiectum formale fidei eſſe Deum vt primam veritatem, conatur Caietanus oſtendere, idem eſſe, Deum vt verum, ſiue vt primam veritatem, & Deum vt Deum. Quoniam Deus, inquit, vt verus nihil addit ſupra Deũ vt Deum: ſicut homo verus nihil addit ſupra naturam hominis. Duplex enim eſt veritas, altera in eſſendo, in dicendo altera: Deus autem non terminat, ſaltem vltimatè actum fidei vt veritas in dicendo, ſed vt veritas in eſſendo: quippe qui actum fidei terminat vt eſt, & vt verus eſt: Deus autem eſt, & verus eſt Deitate: igitur Deitate terminat vltimatè actum fidei. Idem igitur eſt, Deum eſſe obiectum formale fidei vt verum ſiue vt primam veritatem, atque vt Deum.

S. Thomas

7. Cæterùm aſſignatur pro obiecto formali fidei Deus vt prima veritas, potiùs quàm vt Deus, duplici ex cauſa: Prima ad explicandum, quòd fides ſit virtus intellectualis: & quia vt talis debet eſſe infallibilis reſpectu veri, ideo ad explicandum, quod ſit virtus ad intellectum pertinens, debuit explicari per primam veritatem, tanquam per proprium obiectum tribuens actui & habitui infallibilitatem, & per conſequens eſſe virtutis intellectualis. Si enim pro obiecto aſſignatus fuiſſet Deus, cùm Deus poſſit eſſe obiectum opinionis & fidei acquiſitę, non fuiſſet explicatum, quòd fides ſit virtus diſtincta ab opinione & fide acquiſita. Contrà verò aſſignando pro formali obiecto Deum vt primam veritatem, hoc ipſo explicatur, quòd Deus ita ſit obiectum fidei, vt faciat ipſam obiectiuè virtutem intellectualem, dando illi infallibilitatem.

8. SECVNDA cauſa eſt appropriatio. Quia cùm fides infuſa à cæteris virtutibus intellectualibus in hoc diſcriminetur, quòd illæ nitantur rationibus formalibus ſuorum obiectorum vt cauſis in eſſendo, tanquam medijs aſſentiendi: hæc verò tanquam medio aſſentiendi nitatur Deo vt dicenti ſeu teſtificante; cumque teſtificatio nitatur veritati, & in dicentem in quantum verum reſoluatur, ſicut ordinatio in ordinantem in quantum ſapientem, ideo prima veritas eſt appropriatum obiectum formale fidei infuſæ: ſicut ſapientia eſt appropriata cauſa ordinis, & prouidentia gubernationis vniuerſi. Hæc omnia Caietanus ad conciliandum ſanctum Doctorem, ne videatur ipſius ſententię contrarius.

9. SECVNDA ſententia docet, obiectum formale fidei eſſe Deum, quatenus per habitum infuſum immediatè inclinat intellectum fidelis ad aſſentiendum reuelatis, Deo quidem vt obiecto primario ac principali, reliquis verò vt obiectis ſecundarijs in primario contentis. Hanc ſententiam vt probabilem refert Scotus, quamuis illam non ſequatur in 3. diſtinct. 23. quęſt. vnica §. *aliter poteſt poni fides infuſa*: eamque ſic explicat. Cùm articuli fidei non apprehendantur à nobis in hac vita ſub proprijs rationibus, quo pacto apti ſunt euidentem aſſenſum cauſare, ſed ſub rationibus generalibus entis & veri, quo pacto apti non ſunt naturaliter mouere intellectum ad aſſenſum ſui, debet talis aſſenſus ab extrinſeco aliquo principio in nobis ſuppleri: non poteſt autem ſuppleri per teſtimonium Dei atteſtantis; ergo per aliquem habitum immediatè inclinantem intellectum ad talem aſſenſum. Minor probatur: quia non poſſum per teſtimonium Dei aſſentiri rei atteſtatæ, niſi prius aſſentiar ipſi teſtimonio diuino tanquam rationi formali aſſentiendi.

Scotus.

V.l

Vel igitur aſſentior teſtimonio Dei per aliud teſtimonium Dei, & ſic in infinitum: vel aſſentior teſtimonio Dei abſque alia ratione formali aſſentiendi, per ipſum habitum immediatè inclinantem meum intellectum ad aſſenſum: & idem dici poſſet de ipſis obiectis reuelatis. Confirmatur. Habitus realis habere debet obiectum reale, à quo ſpecificetur: ſed eſſe reuelatum eſt ens rationis reſultans ex reuelatione actiua Dei, non minùs quàm eſſe cognitum in re cognita reſultat ex actiua notitia potentiæ cognoſcentis: ergo nequit eſſe formale obiectum fidei.

10. TERTIA ſententia obiectum formale fidei aſſignat Deum ſub ratione primæ veritatis, vt illuminantis intellectum fidelis ad præbendum aſſenſum rei atteſtatæ, ita vt tam ex veracitate Dei quàm ex paſſiua reuelatione intellectum illuſtrante coaleſcat integrum obiectum formale fidei. Eſt igitur adæquatum obiectum formale fidei veracitas Dei vt ſubſtans illuminationi Spiritus ſancti intellectum inclinantis ad aſſenſum præbendum. Eſt Cani lib. 2. de locis Theologicis cap. 8. §. *his verò tribus certis*: Bannez ſecunda ſecundæ quęſt. 1. art. 1. dub. 1. concl. 6. Probat Bannez primò à paritate obiecti formalis ſcientiæ naturalis, quod non ſolùm integratur ex ipſa ratione aſſentiendi, ſed etiam ex abſtractione ab hac vel illa materia: quarum vna ratio ſe tenet ex parte rei cognitę, attingiturque ab ipſo habitu ſcientifico; altera ex parte cognoſcentis, quæ ab habitu ſaltem directè non attingitur. Ergo ſimiliter obiectum formale fidei integratur ex duplici ratione, altera formali aſſentiendi tenente ſe ex parte rei cognitæ; altera ex parte credentis inclinante tantùm illum ad aſſenſum præbendum. *Canus.* *Bannez.*

11. Secundò. Teſtimonium Dei ad hoc vt cognoſcatur fide diuina non minùs debet eſſe illuminans, quàm fidele: ergo vtrumque in ſua ratione formali includit, vnum tenens ſe ex parte rei cognitæ, quæ per fidem attingitur, alterum ex parte credentis, ſub quo ratio ipſa formalis à credente attingitur. 3. Ita ſe habet lumen fidei reſpectu credibilium, ſicut lumen naturale reſpectu primorum principiorum. Sed obiectum formale primorum principiorum non ſolùm integratur ex immediata connexione terminorum, ſed etiam ex ipſo natiuo lumine intellectus immediatè manifeſtante intrinſecam connexionem extremorum. Ergo etiam integrum obiectum formale fidei non ſolùm integratur ex teſtimonio Dei, ſed etiam ex ipſo lumine fidei.

12. QVARTA ſententia obiectum formale fidei conſtituit Deum ſub ratione ſupremi Dominij, cui non modò parendum eſt abſque ratione, ſed etiam obluctante ac renitente ratione, captiuando intellectum noſtrum in obſequium eius. Eſt Gulielmi Pariſienſis apud Valentiam tom. 3. diſp. 1. q. 1. pun. 1. Aſſert. 2. Fundamentum eius eſt: quia fides, quam tenemur exhibere Deo, eiuſque dictis, nullo debet naturali diſcurſu, aut ratione niti. Si autem crederemus Deo, eiuſque dictis propter eius veracitatem, qua nec falli, nec fallere poteſt, fides noſtra interetur diſcurſu & ratione naturali. Non igitur Deus vt verax, ſed vt ſupremus Dominus, quatenus ius habet exigendi à nobis actum fidei, eſt obiectum formale fidei. Vnde fidem Chriſtianam hic Author definit eſſe; *per quam obedientiæ debitum ſoluit humanus intellectus, credendo, quòd Deus iubet ſibi credi.* *Gulielmus Pariſienſis.*

13. QVINTA ſententia contendit eſſe diuinam authoritatem, vt Eccleſiam regentem, & Scripturam reuelantem. Eſt Durandi in 3. diſtinct. 24. quæſt. 1. Fundamentum ipſius eſt: quia hac tanquam medio aſſentimur omnibus credibilibus, & in hanc vltimò reſoluitur fides Theologica, vt in eadem quæſtione ſuprà probauerat. *Durandus.*

14. SEXTA ſententia aſſerit, obiectum fidei eſſe Deum vt verum in cognoſcendo. Eſt Bonauenturæ in 3. diſtinct. 24. art. 1. quæſt. 1. in Corpore. Tribuitur etiam Valentiæ, ſed falsò, vt ipſum accuratè legenti patebit. Fundamentum Bonauenturæ eſt: quoniam fides noſtra in credendis reuelatis nititur diuina preſcientia, à qua ſuam certitudinem & infallibilitatem ſortitur: igitur Deus vt verus in cognoſcendo eſt obiectum formale fidei. Antecedens probatur: quia cùm fidei munus ſit aſſentiri obiectis vt à Deo reuelatis, vltima ratio, in quam tanquam in regulam infallibilem reſoluitur, eſt Dei preſcientia, à qua, vt à principio dirigente fidei reuelatio dimanat. *Bonauent.*

15. SEPTIMA ſententia conſtituit Deum vt verum in dicendo. Ita communiter Doctores. Fundamentum eſt: quia proxima ratio mouens intellectum ad aſſentiendum dictis alicuius, eſt ipſummet teſtimonium dicentis. Igitur proxima ratio mouens intellectum fidelis ad aſſentiendum rebus à Deo reuelatis, eſt ipſummet teſtimonium Dei, in quod vltimò reſoluitur fides noſtra.

16. OCTAVA & omnium *probabiliſſima* ſententia docet, obiectum formale fidei eſſe Deum ſub ratione primæ veritatis infallibilis non tantùm in cognoſcendo, ſed etiam in dicendo. Eſt communis Scholaſticorum, quam explicatiùs docent recentiores Theologi. Vnicum fundamentum huius ſententiæ eſt: nam illud eſt obiectum formale fidei, quod aptum eſt certum reddere credentem de veritate obiecti reuelati: Hoc autem eſt authoritas diuina, quatenus nec propter infinitam ſapientiam falli, nec propter infinitam bonitatem fallere poteſt: igitur formale obiectum fidei eſt prima veritas infallibilis tam in cognoſcendo, quàm in dicendo. Maior patet: nam obiectum formale in quauis doctrina eſt illud, quod cognitum eſt intellectui ratio aſſentiendi concluſioni. Eſt enim obiectum formale cauſa formalis obiectiua mouens & inducens intellectum ad aſſenſum præbendum, *Obiectum formale fidei eſt Deus ſub ratione primæ veritatis infallibilis in cognoſcendo & dicendo.*

Digitized by Google

propter connexionem ſui cum obiecto materiali: etenim cùm intellectus ſit potentia rationalis, nequit moueri ad aſſenſum præbendum, niſi perſuaſus & inductus per aliquam rationem, quæ ſibi fidem faciat. Cùm igitur in fide ratio formalis obiectiuè mouens & inducens intellectum ad aſſenſum præbendum rei dictæ, nequeat eſſe connexio ipſa extremorum, vel medium aliquod intrinſecum, cùm res fidei ſint nobis obſcuræ, erit authoritas ipſa dicentis, quæ extrinſecè connectens rem dictam cum veracitate dicentis, qui in ſuis dictis falli ac fallere non poteſt, mouet & inducit intellectum ad præbendum aſſenſum rei dictæ. Minor probatur tum à paritate fidei humanæ, cuius formale motiuum eſt ſola ac præciſa authoritas dicentis, quę duas includit perfectiones, & ſapientiam, & bonitatem atteſtantis: ex vna enim habet, vt in cognoſcendo non fallatur; ex altera, vt in dicendo non fallat: alterutra enim perfectione in atteſtante deficiente, intellectus ſuſpenſus manet ad aſſenſum præbendum. Nam ſiue dubitet, dicentem falli, eſto ſit certus quòd non fallat: ſiue dubitet, quòd velit fallere, eſto certò ſciat, illum non falli, non poterit rationabiliter moueri ad aſſenſum rei ab ipſo dictæ præbendum. Tum à priori: nam per hoc fides diſcriminatur à quocunque alio aſſenſu, quòd hæc nitatur ſola authoritate dicentis, à qua ſortitur vltimam ſuam ſpecificationem. Atqui authoritas dicentis, vt intellectum credentis iuxta ipſius naturam rationabiliter moueat, debet duas explicatas perfectiones includere, & ſapientiam dicentis in cognoſcendo, & fidelitatem eiuſdem in dicendo.

Authoritas dicentis, includit, ſapientiam & bonitatem atteſtantis.

17. Confirmatur: nam etiamſi plures aliæ perfectiones in atteſtante eluceant, ſi ſola ſapientia in cognoſcendo, & fidelitas in dicendo deſit, intellectus credentis non poterit nec debebit aſſenſum pręſtare. Contrà verò, etiamſi cæteræ perfectiones deſint, modò ſola authoritas hac duplici munita perfectione adſit, intellectus credentis prudenter debebit aſſenſum præbere. Igitur hæc ſola & præciſa eſt formale obiectum, quo motus intellectus credentis aſſenſum præbet rei dictæ. Conſequentia patet. Antecedens probatur: nam qui vult credere dictis alicuius perſonæ, non attendit, an qui dicit ſit Dominus, potens, Clemens, benignus &c, ſed an ſit ſapiens, doctus & peritus in ea re, quam teſtatur, vt non facilè ipſe decipiatur; & fidelis, ne alios decipiat.

18. Ex hoc noſtro fundamento corruunt reliqua omnia aliarum ſententiarum: Corruit fundamentum primæ: Nam Deitas non ingreditur formale motiuum fidei, niſi tantùm materialiter vt perfectio tranſcendens eſſentialiter imbibita in omni perfectione diuina. Ratio verò conſtat ex iacto fundamento: quoniam qui credit non attendit proximè & immediatè ad Deitatem, cùm hæc ſit indifferens ad multas alias perfectiones, ſecundùm quas apta eſt terminare diuerſos actus virtutum; ſed ſolùm ad veracitatem, ſecundùm quam dumtaxat apta eſt terminare actum fidei infuſæ. Quæ veracitas, quia vt increata eſſentialiter includit Deitatem, dicitur etiam vt obiectum fidei includere Deitatem, non quidem formaliter, cùm non moueat ad aſſenſum præciſè vt Deitas; ſed materialiter & concomitanter, quia vt increata, etiam præciſa ab alijs attributis eſt diuina, ac proinde Deitatem includens, vt vniuerſaliter de quouis attributo oſtendi in primo tomo diſp. 3. ſect. 7.

19. Pro ſolutione verò argumenti, quo prima ſententia nititur, diſtinguenda eſt duplex ratio in obiecto fidei, ſicut & in quouis alio obiecto; Altera rei ſiue in eſſendo; Altera obiecti formaliter mouentis ac terminantis aſſenſum. Concedo autem, Deitatem eſſe ſupremam in ratione rei & in eſſendo, ad quam cęterę perfectiones diuinæ tanquam ad primam radicem & originem, modo noſtro concipiendi reducuntur, & ipſa ad nullam aliam perfectionem priorem reducibilis eſt: Nego verò, eam eſſe ſupremam in ratione obiecti formaliter mouentis ac terminantis aſſenſum fidei: nam hic, vt probatum eſt, formaliter tantùm terminatur ad veracitatem Dei, ac proinde ſola veracitas eſt ſuprema ratio, ad quam vltimò reſoluitur fides Theologica, tanquam ad ſuam rationem formalem mouentem ac terminantem. Quo fit, vt reſolutio veracitatis in Deitatem, non ſit reſolutio rationis formalis proximæ in remotam fidei, ſed potiùs rationis vltimæ ac ſupremæ fidei in cauſam dumtaxat eſſendi eiuſdem ſupremæ rationis formalis fidei: & per conſequens ratio, in quam talis reſolutio fit, non pertinet ad obiectum formale fidei, ſed ad cauſam & radicem, in qua ipſa ſuprema ratio formalis fidei fundatur. Vt aſſignantes obiectum formale auditus, dicimus eſſe ſonum, ſeu qualitatem illam, quæ eſt immutatiua organi ad auditionem ſoni. Cùm verò aſſignamus cauſam ſoni ipſam ſolidorum corporum colliſionem, non aſſignamus rationam aliquam formalem ſoni in ratione obiecti mouentis & terminantis auditionem, ſed cauſam dumtaxat eſſendi & originandi ſonum: quæ ratio, vt patet, eſt extra obiectum formale auditus, & conſequenter ſoni in ratione obiecti formaliter mouentis potentiam auditiuam. Ex his patet ad interrogationem in argumento factam: nam in ea non aſſignatur ſuprema ratio formalis fidei in ratione mouentis, ſed cauſa dumtaxat & radix eſſendi ipſius ſupremę rationis formalis fidei: quæ quidem poteſt eſſe ratio motiua aſſenſus Theologici, nam hic etiam cauſas articulorum fidei veſtigat; non autem fidei, quæ ſolùm terminatur ad ipſos articulos fidei, propter meram authoritatem reuelantis.

Deitas eſt quidem ſuprema ratio in eſſendo, non in ratione obiecti formalis.

20. Ad confirmationem Caietani reſpondeo,

diſparem eſſe rationem de perfectionibus diuinis, vt ſunt realia & phyſica principia operationum ad extra, & vt ſunt intentionales termini, ſeu motiua obiecta noſtrarum operationem vitalium. Cùm enim omnis operationis ad extra reale & phyſicum principium ſit ipſa Deitas, à qua phyſicè promanat omnis effectus creatus, meritò reſpectu omnis operationis ad extra non ſolùm dicitur eſſe principium hęc, vel illa determinata perfectio diuina, ſed ipſemet Deus, cùm ipſamet Deitas incluſa in quauis determinata perfectione ſit phyſicum principium cuiuſcunque realis operationis ad extra. Contrà verò, quia non omnis noſtræ vitalis operationis intentionalis terminus, ſeu motiuum obiectum eſt Deitas, ſed hæc vel illa ſpecialis perfectio, nō omnis noſtræ vitalis operationis intentionalis terminus & motiuum dicitur Deus: vt apparet in exemplo allato ab ipſo Caietano. Non enim actio gubernatiua mundi ita procedit à ſapientia Dei, vt non etiam per ſe procedat ab ipſa Deitate: quia cùm ſit effectus creatus, omniſque effectus creatus phyſicè producatur à Deitate, non ſolùm erit per ſe effectus ſapientię diuinę, ſed etiam Deitatis: proinde nō ſolùm Deus dicitur mundi gubernator vt ſapiens, ſed etiam vt Deus. At verò quia Deitas nō eſt formale motiuũ aſſenſus fidei, quę tantùm mouetur ex prima veritate vt infallibili in cognoſcēdo, & fideli in dicendo, nō poterit Deitas ingredi formale motiuum fidei.

21. Ex dictis apparet fallacia huius Syllogiſmi: *Deus vt verax eſt obiectum* fidei: *vt Deus eſt verax: ergo vt Deus eſt obiectum fidei: nam* in maiori prædicatur veracitas de Deo, quatenus eſt obiectum fidei: in minori verò prout illi conuenit à parte rei. Velut ſi dicamus: *color vt color eſt obiectum viſus: color* vt *color eſt ens:* falsò concludes: *ergo color vt ens eſt obiectum viſus:* quia nimirum non quidquid colori à parte rei conuenit, illi conuenit vt obiectum eſt viſus, cùm non ſecundùm omnes rationes, quas à parte rei includit, terminet & moueat viſum. Eodem modo non quidquid Deo ex natura rei conuenit, illi conuenit vt eſt obiectum fidei, quia non ſecundùm omnes perfectiones, quas res ipſa includit, terminat & mouet ad aſſenſum fidei.

22. Demum falſum eſt, quod ibidem Caietanus docet, Deum eſſe obiectum fidei, vt eſt prima veritas in eſſendo, ſed vt eſt prima veritas in cognoſcendo & dicendo, vt ipſemet argumento conuictus in fine tandem concludit, dũ fidem Chriſtianam reſoluit in Deum vt dicentem; & ſolam primam veritatem eſſe obiectum formale fidei, Deitatem verò eſſe tantùm cauſam rei, non autem aſſenſus fidei. Vnde non videtur conſequenter Theologari.

23. Cęterùm cùm S. Thomas 1. parte pro obiecto Theologiæ aſſignat Deum ſub ratione Deitatis, non loquitur de obiecto formali, ſed materiali primario, quod reſpectu ſecundarij, quæ ſunt obiecta creata, habet ſe vt formale, eo quòd omnia, quæ in Theologia tractantur, referuntur ad Deum, quà Deus eſt. Quòd autem hęc ſit mens ipſius, conſtat ex 2. 2. q. 1. art. 1. vbi ex profeſſo obiectum formale fidei aſſignat Deum ſub ratione primę veritatis. *S. Thomas.*

24. Sed adhuc reſtat pro hac ſententia moleſta ſoluenda difficultas. Nam fides infuſa eſt virtus Theologica: eſt autem virtus Theologica non propter obiectum materiale, vt ſuprà probatum eſt, cùm ſæpe feratur in obiecta creata, in quæ ferri non poteſt abſque ſuo obiecto formali: ſed dicitur virtus Theologica propter obiectum formale: ac proinde Deus vt Deus eſt ratio formalis aſſentiendi in fide infuſa: cùm eadem ſit ratio formalis obiecti, & ratio aſſentiendi in obiectum.

25. Ad quam difficultatem Reſp. negando conſequentiam. Ad cuius probationem, concedo eandem eſſe rationem formalem obiecti, & aſſentiendi in obiectum. Cæterùm vt fides ſit virtus Theologica, & habeat Deum pro obiecto formali, & ratione aſſentiendi, ſufficit, vt ratio ipſa formalis, quæ eſt prima veritas, includat eſſe diuinum, quod eſſentialiter inuoluitur in ipſo conceptu primæ veritatis: cùm idem ſit, eſſe primam veritatem, atque eſſe increatam & à ſe, ac proinde diuinam. Quare licet Deitas adæquatè ſumpta, quatenus concipitur vt radix omnium perfectionum, & conſtituit Deum in eſſe Dei, non moueat formaliter ad aſſenſum fidei: mouet tamen ad illum ſaltem inadęquatè ſub conceptu perfectionis diuinæ, quam intrinſecè & eſſentialiter inuoluit ipſa prima veritas, quæ vt prima veritas formaliter intellectum credentis mouet ad aſſenſum fidei præbendum: quia mouet vt infallibilis in cognoſcendo & dicendo, quod formaliter habet vt diuina: ac proinde licet non moueat ratione Deitatis, vt radix eſt omnium perfectionum diuinarum, mouet tamen vt diuina, quod eſſe diuinum à prima veritate præſcindi non poteſt.

26. Corruit 2. ſententia cum ſuo fundamento. Falſum quippe eſt, habitum infuſum ſupplere poſſe rationem formalem aſſentiendi in noſtra fide. Etenim hoc ipſo, quòd intellectus non aſſentiret obiecto propter authoritatem Dei atteſtantis, ſed phyſicè in illud tantùm ferretur, effectiuè ab habitu determinatus, non poſſet talis actus eſſe fidei, qui eſſentialiter poſtulat, vt ſit aſſenſus propter authoritatem dicentis, tanquam propter rationem formalem aſſentiendi, quæ nequit ad aſſenſum mouere, niſi cognita. In forma autem ad argumentum, quo hęc ſententia nititur, negatur Minor. Ad cuius probationem concedo, me non poſſe aſſentiri rei reuelatæ, niſi priùs aſſentiar ipſi reuelationi, propter quam aſſentior rei reuelatę: nego tamen me aſſentiri reuelationi, effectiuè tantùm motum & impulſum ab habitu, ſed etiam obiectiuè perſuaſum & inductum à teſtimonio diuino per illuminationem Spiritus ſancti mihi propoſito. Nec eſt eadem ratio de reuelatione, & reipſa reuelata: quia cùm nequeat intellectus aſſenſum præbere, niſi propter aliquam con- *Ad fund. 2. ſent.*

nexionem, quam inter extrema cognoſcit; cumque nullam connexionem inter res ipſas materiales reuelatas cognoſcat, debet illis aſſentiri propter connexionem, quam inter ipſas & teſtimonium Dei reuelantis à Spiritu ſancto illuſtratus agnoſcit.

Difficultas 27. Verùm non eſt adhuc euacuata difficultas: quoniam, cùm non poſſit intellectus, vt dictum eſt, aſſentiri obiecto reuelato, niſi propter connexionem ipſius cum teſtimonio Dei reuelantis cognitam, non poterit aſſentiri ipſi teſtimonio Dei, niſi propter connexionem eiuſdem cognitam cum alio teſtimonio Dei, cùm nec ipſum teſtimonium Dei ſit per ſe notum ex terminis, ac proinde debeat illi intellectus propter aliud teſtimonium Dei aſſentiri: quo pacto procederetur in infinitum.

Satisfit. 28. Ad quam difficultatem, concedendum eſt, non poſſe intellectum, ſaltem connaturaliter, iuxtà quod poſtulat connaturalis modus cognoſcendi potentiæ intellectricis, aſſentiri teſtimonio Dei, niſi cognoſcat illud eſſe teſtimoniũ Dei. Cæterùm dupliciter poteſt intellectus cognoſcere, hoc eſſe teſtimonium Dei, vno modo notitia aliqua euidenti infuſa, quo pacto aliqui Prophetæ cognoſcebant Deum eſſe, qui ſibi loquebatur; alio modo fide humana, & per externa ſigna credibilitatis, quibus ſit euidenter credibile, quòd hoc ſit teſtimonium Dei: quo pacto Apoſtoli per externa ſigna & miracula, quæ videbant, & nobis per fidem & teſtimonium eorum, qui hæc ſigna & miracula nobis proponunt, ſit euidenter credibile, quòd hoc ſit teſtimonium Dei.

29. Cautè tamen notandum eſt, hanc euidentiam credibilitatis, quòd hoc ſit teſtimonium Dei, ad aſſenſum fidei infuſæ ſolùm prærequiri vt præuiam diſpoſitionem, qua intellectus inducatur ad formandum, prudens iudicium, quòd hoc ſit à Deo, vt tali iudicio formato poſſit voluntas virtuoſè imperare intellectui, vt aſſenſum præbeat rei reuelatæ ob teſtimonium Dei, & non propter naturalem diſcurſum, vel humanas rationes, quibus illud factum eſt nobis euidenter credibile, quòd ſit teſtimonium Dei. Quod in genere cauſæ efficientis præſtat illuminatio Spiritus ſancti, quę poſito præuio iudicio de credibilitate teſtimonij diuini, & imperio voluntatis de credendo teſtimonio Dei, intellectum credentis efficienter inclinat ad aſſenſum præbendum teſtimonio Dei propter ipſum teſtimonium Dei, & non propter motiuum creatum, quo idem teſtimonium Dei factum eſt nobis euidenter credibile. Atque hinc habetur, quo pacto intellectus non feratur in teſtimonium fide infuſa, niſi priùs cognoſcatur vt teſtimonium Dei: quia non fertur in illud fide infuſa, niſi prius vt cognitum euidentia credibilitatis: & tamen fides ipſa infuſa non nitatur, tamquam rationi formali aſſentiendi euidentiæ credibilitatis, quæ tantùm eſt præuia diſpoſitio inducens intellectum ad formandum prudens iudicium de credibilitate obiecti, ſed immediatè nitatur ſolo teſtimonio diuino propter ſe: quod præſtat illuminatio Sancti Spiritus, poſita euidentia credibilitatis, vt præuia dumtaxat diſpoſitione.

30. Ad confirmationem neganda eſt minor. Falſum namque eſt, reuelationem eſſe ens rationis, ſed actionem realem in tempore factam, per quam Deus ſecreta ſuæ ſcientiæ nobis manifeſtat. Nec obſtat, quòd ſit extrinſeca obiecto reuelato: quia poteſt intellectus moueri per rationem extrinſecam ad aſſentiendum rei: ſicut mouetur ad fidem adhibendam rei dictæ propter teſtimonium hominis dicentis. Si enim poteſt vnus homo propter teſtimonium alterius hominis rei atteſtatæ fidem adhibere, multò magis poterit adiutus auxilio Spiritus ſancti, propter teſtimonium Dei, adhibere fidem rei atteſtatæ ab ipſo Deo.

31. Tertia ſententia vel illuminationem accipit in actu primo, de qua eſt eadem ratio ac de habitu; nam illuminatio in actu primo effectiuè tantùm concurrit ad actum repræſentatiuum obiecti formalis fidei; ſicut lumen natiuum in actu primo eſt ipſe intellectus vt productiuus actus repræſentatiui obiecti formalis primorum principiorum; Vel in actu ſecundo pro ſimplici notitia repræſentatiua & expreſſiua obiecti formalis; cùm enim fides ſit iudicium de veritate obiecti propter authoritatem dicentis, neceſſariò ſupponit ſimplicem apprehenſionem proponentem authoritatem dicentis vt dignam, à qua obiectiuè intellectus moueri poſſit ad iudicium ferendum. Atque in hoc ſenſu illuminatio, prout ſe tenet ſubiectiuè ex parte intellectus, habet ſe tantùm vt conditio applicans obiectum formale fidei: nam vt ſic repræſentat authoritatem Dei, propter quam tantùm, & non propter ipſum actum repræſentantem, intellectus præbet aſſenſum, alioqui non ſola authoritas diuina, ſed ipſe quoque actus repræſentans authoritatem diuinam eſſet motiuum formale fidei: vt autem ſe tenet ex parte obiecti repręſentati, recurrit cum ipſo motiuo formali fidei: quia vt ſic dicit authoritatem diuinam: & licet dicat illam vt apprehenſam peculiari illuſtratione Spiritus ſancti, apprehenſionem tamen non importat per modum rationis formalis integrantis obiectum formale, ſed tantùm per modum conditionis, ſine qua obiectum ipſum formale aptum non eſſet mouere intellectum ad aſſenſum fidei prębendum, eo prorſus modo, quo cognitio bonitatis increatę non eſt ratio formalis mouens voluntatem ad actum charitatis erga Deum, ſed ſola conditio applicans bonitatem increatam, à qua tantùm mota voluntas elicit actum charitatis erga Deum. Vnde ad primum argumentum ſumptum à paritate ſcientiæ naturalis, negatur antecedens. Falſum *Ad fund. 3. ſent.*

quippe

quippe eſt, abſtractionem in ſcientijs naturalibus eſſe rationem formalem, ſed tantùm conditionem, totamque rationem formalem eſſe ipſam rationem abſtractam, vt ſtat ſub tali vel tali abſtractione, tanquam ſub conditione ſine qua non.

32. Ad ſecundum concedo, teſtimonium diuinum non minùs eſſe illuminans, quàm fidele ſeu verax: nego tamen vtrumque dicere per modum motiui obiectiuè mouentis; ſed vnum ſolùm importare vel per modum principij effectiuè mouentis, vel per modum conditionis applicantis tantùm obiectum formale: Alterum verò per modum rationis formalis obiectiuè mouentis ad aſſenſum.

33. Ad tertium negandum eſt, eodem modo obiectum formale primorum principiorum integrari ex intrinſeca connexione extremorum, atque ex ipſo natiuo lumine intellectus. Nam ex vno conſtituitur in ratione cauſæ formalis obiectiuè mouentis; ex altero vel in ratione cauſę efficientis, ſi in actu primo accipiatur; vel ad ſummum in ratione cauſæ formalis ſubiectiuè inclinantis, ſi ſumatur in actu ſecundo, vt condiſtinctum ab obiecto repræſentato, vt ſuprà dictum eſt de lumine fidei.

Ad fund. 4 ſent. 34. Corruit quarta ſententia cum ſuo fundamento: quippe quæ non rectè obiectum fidei aſſignat Deum ſub ratione ſupremi Dominij, cui etiam ſine ratione parendum eſt. Nam vel hoc eſt proprium obiectum obedientiæ ſpecialis, ſi ſub ratione pręcipientis formaliter ſumatur; vel generale omnium virtutum, ſi accipiatur ſub ratione generica incluſa in quauis virtute. Cæterùm cùm dicitur, Deo credendum eſſe abſque ratione, ſi intelligatur abſque ratione etiam nixà in ſola ipſius authoritate, falſum eſt; cùm implicet, intellectum aſſentiri obiecto abſque ratione formali aſſentiendi, quę in fide eſt ipſum teſtimonium dicentis. Si intelligatur abſque alia ratione diſtincta ab ipſo teſtimonio & authoritate Dei, verum eſt, quod religioſè ſeruat fides Theologica, quæ vt aſſentiatur rebus à Deo reuelatis, non aliam exquirit cauſam, quàm purum teſtimonium ipſius, cui tantùm nititur. Quòd autem interdum exquirat ſigna & rationes credibilitatis, quibus intellectus credentis perſuadeatur, hoc eſſe teſtimonium Dei, hęc non exquirit vt rationes formales aſſentiendi, ſed vt præuias dumtaxat diſpoſitiones, ob quas prudenter iudicare poſſit, hoc eſſe à Deo reuelatum. Quod iudicium maximè requirit fides diuina, quæ cùm ſit virtus, in obiectum non fertur, niſi vt prudenter iudicatum, iuxta illud Eccleſiaſtici 19. *Qui cito* *Eccleſ. 19.* *credit, leuis eſt corde.* Vnde nec Beata Virgo *Lucæ 1.* Lucæ 1. aſſenſum prębuit Angelo, niſi priùs certior fieret de veritate Angeli proponentis, vt colligitur ex illis verbis: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco.* Nam hæc verba fuerunt non poſitiuè dubitantis, ſed prudenter exquirentis maiorem probabilitatem & certitudinem de veracitate perſonæ proponentis.

35. QVINTA opinio Durandi, prout ab ipſomet explicatur in eadem quæſtione numero 8. qui vltimam rationem formalem fidei infuſę reſoluit in authoritatem Eccleſiæ prout creditur regi à Spiritu ſancto, falſa eſt: nam authoritas Eccleſię, vt infrà oſtendam, non eſt ratio formalis, ne quidem partialis aſſentiendi Myſterijs reuelatis, ſed eſt tantùm ratio infallibiliter proponens obiectum reuelatum: quæ licet ad aſſenſum fidei de lege ordinaria prærequiratur, non tamen ipſa ingreditur formalem rationem aſſentiendi, quæ eſt ſola authoritas diuina. *Ad fund. 5 ſentent.*

36. SEXTA, & ſeptima ſententia in eo deficiunt, quòd neutra integrè & adęquatè aſſignat obiectum formale fidei. Ad quod non ſufficit vel ſola infallibilitas in cognoſcendo, cùm poſſit aliquis eſſe infallibilis in cognoſcendo, & tamen non fidelis in dicendo; vel ſola veracitas in dicendo, cùm poſſit aliquis eſſe verax in dicendo, & fallibilis in cognoſcendo. Eſt igitur ad obiectum formale fidei vtraque perfectio in reuelante neceſſaria, vt & infallibilis ſit in cognoſcendo, & fidelis in teſtificando: Alterum enim ſine altero non tollit dubium à credente: Nam eſto ſit certus vel de infallibilitate cognoſcentis, dubitare tamen poteſt, ne fallat, aliter dicendo, quàm cognoſcat; vel de veracitate loquentis, & adhuc dubitare poteſt, ne fallatur in cognoſcendo, aliter rem cognoſcens, quàm in ſeipſa eſt. Igitur tam infallibilitas in cognoſcendo, quàm veracitas in loquendo integrat obiectum formale fidei. *Ad fund. 6 & 7. ſentent.*

SECTIO II.

An reuelatio ingrediatur obiectum formale fidei?

37. DVplex ratio diſtinguitur in obiecto formali fidei; Altera principalis *qua*, eſtque ipſa prima veritas & authoritas diuina infallibilis in cognoſcendo, & verax in dicendo: Altera minùs principalis & ſub *qua*, eſtque ipſa reuelatio ſeu locutio exterior Dei, per quam res à ſe cognitas nobis Deus manifeſtat. Præcedente ſectione potiùs ſuppoſuimus, quam probauimus, reuelationem ingredi obiectum formale fidei, de qua hic ex profeſſo diſputandum erit. *Duplex ratio in obiecto formali fidei: Quâ, & ſub quâ.*

38. PRIMA ſententia negat: tribuitur Aureolo, quam tamen expreſsè non docet. Probatur 1. Fides eſt virtus Theologica, quę pro obiecto formali habet Deum: ergo nequit pro obiecto formali habere reuelationem, quæ eſt aliquid creatum. 2. Nequit ratio formalis obiecti componi ex rationibus *Negat Aureolus.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

rationibus diſparatis, cuiuſmodi ſunt creatum & increatum: ergo nequit obiectum formale fidei componi ex prima veritate increata, & reuelatione creata. 3. Reuelatio eſt tantùm conditio applicans nobis primam veritatem, vt per eam aſſentiamur obiecto reuelato: ergo non ingreditur obiectum formale fidei: nam obiectum formale eſt ſolùm illud, propter quod aſſentimur materiali. At propter ſolam primam veritatem aſſentimur obiectis reuelatis, nam hæc ſola intellectum credentis certum reddit de veritate obiecti reuelati. 4. Ita ſe habet reuelatio obiecti credibilis reſpectu intellectus ad aſſenſum fidei, ſicut cognitio boni appetibilis reſpectu voluntatis ad actum appetitionis eliciendum: ſed cognitio boni appetibilis eſt tantùm conditio reſpectu voluntatis ad actum appetitionis; ergo & reuelatio rei credibilis reſpectu intellectus ad aſſenſum fidei præbendum. 5. Ita ſe habet reuelatio in obiecto fidei, ſicut abſtractio in obiecto ſcientię: ſed hęc non ingreditur obiectum formale ſcientiæ; ergo nec illa obiectum formale fidei. 6. Per obiectum formale fidei credimus Deum exiſtere: repugnat autem credere Deum exiſtere propter teſtimonium ipſius, dicentis ſe exiſtere: tum quia notius nobis eſt, Deum exiſtere, quàm ipſum reuelaſſe ſe exiſtere: nequit autem ignotius eſſe ratio cognoſcendi notius: tum quia priùs ratione, quàm credamus Deum exiſtere, credere debemus, quod teſtimonium, quo ipſe dicit ſe exiſtere, fit ab ipſo: ac proinde priùs ratione ſupponitur fide creditus, quàm credatur: tum quia, vt infrà oſtendam, non poteſt quis obſcuro teſtimonio Dei credere, quod clara locutione eiuſdem nouit: ergo nec poterit obſcuro teſtimonio Dei credere, quod euidenti lumine naturali cognouit. Atqui euidenti lumine naturali cognoſcitur, Deum eſſe: ergo nequit idem obſcuro teſtimonio fidei credi.

Diſtinguit 39. Secunda ſententia duplicem diſtinguit reuelationem, actiuam vnam, paſſiuam alteram: illa immanet Deo, eſtque ipſa ſubſtantia Dei, quatenus connotat exteriorem actionem ad extra manifeſtatiuam: hæc verò eſt extra Deum, eſtque ipſa creata actio, qua Deus in tempore ſe manifeſtat creaturæ. Priorem, non poſteriorem hęc ſententia conſtituit obiectum formale fidei, idque propter primum argumentum prioris ſententiæ. Eſt Caietani 2. 2. q. 1. art. 1. ad 2. dubium. *Caietanus.*

Affirmat. 40. Tertia ſententia affirmat, reuelationem, etiam vt importat actionem externam manifeſtatiuam locutionis internæ, integrare obiectum formale fidei. Eſt communis tum Scholaſticorum in 3. diſt. 23. & 24. & in Prologo: tum S. Thomæ 2. 2. q. 1. art. 1. & *S. Thomas.* Thomiſtarum, qui abſolutè docent, primam veritatem, vt reuelantem, eſſe obiectum formale fidei. Ex recentioribus illam ſequuntur Canus lib. 2. de locis Theologicis cap. 8. *Canus.* §. *His verò tribus certis:* Vaſquez 1. parte *Vaſquez.* diſput. 7. cap. 4. & prima ſecundæ diſp. 210. cap. 4. Bellarminus lib. 3. de Iuſtificatione *Bellarm.* cap. 8. affirmans, fidem non eſſe, *niſi verbi diuini authoritate nitatur:* Valentia tom. 3. diſp. *Valentia.* 1. q. 1. punct. 1. Aſſert. 2. Turrianus 2. 2. *Turrian.* diſp. 2. dub. 2. Coninck de actibus ſupernaturalibus diſp. 9. dub. 4. Suarez diſp. 3. *Coninck.* *Suarez.* ſect. 2. & alij communiter. *Quæ ſententia verior eſt & probabilior.*

41. Probatur 1. ex Scriptura 1. ad Theſſalonicenſes 2. *Cùm accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non vt verbum hominum, ſed (ſicut eſt verè) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidiſtis.* Ecce ipſum externum verbum Dei per Apoſtolos promulgatum ponit Paulus obiectum fidei. Et *1. Theſ. 2.* Ioannes Epiſtola 1. cap. 5. vrget fideles ad *1. Ioan. 5.* credendum Chriſtum eſſe filium Dei, non alio motiuo, niſi quia *Spiritus*, inquit, *teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas.* Vnde ſubdit: *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt:* &, *Qui credit in filium Dei habet teſtimonium Dei in ſe*, nempe quo credit in filium Dei. Atqui hominibus non ſolùm credimus propter internum teſtimonium, quod non videmus, ſed propter externum, quod tantùm audimus.

42. Secundò ex Patribus. Chryſoſtomus *Chryſoſt.* Homil. 26. in 10. Matthæi initio docet, fidem naſci ex verbo Dei. Quid autem eſt, fidem naſci ex verbo Dei, quàm ſuam naturam accipere ex verbo & teſtimonio Dei? idem quippe eſt, ex aliquo naſci, atque ex eo generari ac naturam accipere. Generatur autem fides, & naturam ſuam accipit ex proprio motiuo formali, ſicut & cęteri omnes actus, & habitus tam cognoſcitiui, quàm appetitiui. Ambroſius ſermone 11. de Epiphania explicans, quę tanquam proximæ diſpoſitiones, quæ verò tanquam formales rationes ad fidei generationem concurrunt, ait, *Ambroſ.* tanquam præuias diſpoſitiones concurrere auditum & viſum obiecti credibilis, hoc eſt teſtimonium Dei, quod ex auditu percipitur, & euidentia credibilitatis cognoſcitur in exterioribus ſignis, & proponentis authoritate. Vt rationem verò formalem aſſignat ipſam vocem ſeu verbum Dei: *fides*, inquit, *noſtra, niſi auditu non conſtat & viſu:* ecce prę uias diſpoſitiones ad fidem requiſitas: vnde ſubdit: *ideo ſe Spiritus in columba oculis ſubdit, Pater in voce ſe auribus ſubminiſtrat. Nam niſi propter noſtram credulitatem iſta fieri oportuiſſet, potuit Pater & Spiritus tanquam inuiſibilis Deus ad Verbum Filium inuiſibili prolapſione deſcendere.* Vnde concludit: *Igitur propter noſtram fidem aperto cœlo Spiritus ad Chriſtum, Pater ad filium, vox deſcendit ad Verbum.* En quo pacto ſanctiſſimus Doctor vocem Patris ad verbum Filium aſſignat, tanquam vltimum fidei noſtræ generatiuum.

43. Tertiò ratione. Illud ingreditur obiectum formale fidei, quod ingreditur rationem formalem aſſentiendi: reuelatio ingreditur rationem formalem aſſentiendi: igitur

Digitized by Google

reuelatio ingreditur obiectum formale fidei. Maior patet, nam per obiectum formale aſſentimur materiali. Minor, in qua tantùm eſt difficultas, probatur. Teſtificatio externa Dei habet eandem certitudinem, quam habet ipſa increata veritas: ergo non minùs infallibiliter mouet intellectum credentis ad aſſenſum fidei, quam ipſa prima veritas. Antecedens conſtat: nam teſtificatio Dei eſt actus ſecundus directus & imperatus ab ipſa prima veritate: eſt enim teſtificatio Dei, ipſa locutio Dei, per quam nobis ſua ſecreta manifeſtat. Implicat autem actum directum & imperatum à veritate Dei non habere eandem certitudinem & infallibilitatem, quam habet ipſa veracitas Dei, cùm ſit proprius actus ipſius, ab ipſa directus & imperatus. Vnde ſi actus ab ipſa directus & imperatus poſſet eſſe fallibilis, poſſet eſſe fallibilis & ipſa prima veritas, à qua immediatè dirigitur & imperatur. Conſequentia verò probatur: nam teſtificatio Dei proponitur intellectui credentis vt conſtituens vnum cum ipſa prima veritate, tanquam actus ſecundus cum primo: ergo non eſt ratio, cur potiùs ſit conditio, & non ratio formalis aſſentiendi: cùm ex vna parte ei non deſit vis motiua infallibilis, & ex alia parte ſit neceſſaria ad proximè connectendam obiecti reuelati veritatem cũ ipſa veracitate increata, quæ ex ſe indifferens eſt ad hanc, vel illam veritatem reuelandam.

euelatio greditur iectũ formale fidei, & habet andem certitudinem vam habet ima veritas.

44. Confirmatur. Nequit intellectus credentis aſſentiri veritati reuelatæ, niſi priùs ſaltem ratione aſſentiat ipſi reuelationi diuinę, tanquam à Deo teſtificatæ; cùm non ſufficiat ad hanc vel illam veritatem in particulari credendam, tantùm credere Deum eſſe primam veritatem, quæ nec falli, nec fallere poſſit: ſed neceſſarium quoque eſt firmiter credere, hanc veritatem de facto eſſe à Deo reuelatam, ac proinde de hac veritate extare reuelationem Dei. Vel igitur intellectus credentis credit hanc reuelationem eſſe à Deo fide humana, vel diuina: ſi fide diuina, habetur intentum: ſi humana: contra eſt, quia, vt probatum eſt, reuelatio ipſa ob infallibilem certitudinem, quam habet vt propria locutio Dei, eſt apta mouere intellectum credentis ad aſſenſum infallibilem fidei diuinæ: tum quia ab aſſenſu in reuelationem pendet aſſenſus in obiectum reuelatum, qui cùm ſit fidei diuinæ, pendere non poteſt ab aſſenſu fallibili fidei humanæ. Quod autem aſſenſus in obiectum reuelatum pendeat ab aſſenſu in reuelationem, probatur: quia nequit intellectus credentis aſſentiri obiecto reuelato aſſenſu infallibili fidei diuinæ, niſi priùs iudicet, hoc eſſe à Deo reuelatum, ac proinde niſi priùs iudicet, factam eſſe de hoc obiecto à Deo reuelationem.

45. Dices: Iudicium de reuelatione diuina præcedere quidem aſſenſum in obiectum reuelatum, non tamen ex motiuo diuino, ſed humano, quo intellectus per ſigna credibilitatis antecedenter iudicat, illam eſſe à Deo. Sed contrà, quia non ſolùm neceſſarium eſt iudicium præcedens de credibilitate reuelationis, quo voluntas prudenter imperet intellectui ad aſſenſum fidei prębendum, ſed etiam concomitans ipſum aſſenſum fidei, quo idem intellectus infallibiliter iudicet, hanc reuelationem eſſe à Deo: cùm non minùs voluntas imperet intellectui ad præbendum aſſenſum rei reuelatę propter teſtimonium Dei, quàm propter veracitatem eiuſdem: nec minùs interna illuſtratio Spiritus ſancti moueat intellectum ad credendam rem reuelatam propter teſtimonium Dei, quàm propter veracitatem eiuſdem. Nam ſicut ad conſtituendum obiectum fidei vtrumque requiritur, & veracitas Dei, & teſtimonium eiuſdem: ita illuminatio Spiritus ſancti ad vtrumque immediatè intellectum credentis mouet, tanquam ad vnum integrum obiectum formale, à quo pendet veritas obiecti materialis, cui proximè aſſentimur propter ipſum teſtimonium Dei, vt patet in hoc Syllogiſmo: *Omne reuelatum à prima veritate eſt verum: hoc eſt reuelatum à prima veritate: ergo hoc eſt verum:* in quo, vt claret, proxima ratio aſſentiendi obiecto reuelato, eſt ipſa reuelatio, quæ immediatè coniungit obiectum reuelatum cum prima veritate.

46. Neque huic noſtro diſcurſui obſtat, quod fides non aſſentit rebus reuelatis per diſcurſum, ſed per ſimplicem dumtaxat adhæſionem ad primam veritatem: nam hoc non tollit, quin etiam per ſimplicem adhæſionem reuelatio ſit intellectui proxima ratio aſſentiendi obiectis reuelatis, cùm ſimplex adhæſio non tollat rationem formalem, propter quam debeat intellectus aſſentiri obiecto reuelato: ſed tantùm diſcurſus manifeſtat id, quod ſit per ſimplicem adhęſionem. Ratio eſt: quia cùm ſimplex adhæſio ſit iudicium de obiecto materiali propter formale, debet etiam habere ſufficiens obiectum formale, cui innitatur. Vnde ſicut non ſufficit ad aſſenſum per diſcurſum ſola prima veritas, vt integra ratio aſſentiendi: ita nec ſufficiet ad aſſenſum per ſimplicem adhæſionem: cùm inter diſcurſum & ſimplicem adhæſionem non ſit aliud diſcrimen, quàm quod diſcurſus, pręter primam veritatem & teſtimonium eiuſdem, nitatur etiam lumini naturali inferenti vnum ex alio propter naturalem connexionem vnius cum alio: ſimplex autem adhæſio ſolùm nitatur primæ veritati & teſtimonio eiuſdem, tanquam integro obiecto formali aſſentiendi rei reuelatæ.

47. Secundò potiſſimũ probatur, quòd reuelatio nõ ſit cõditio, ſed ratio formalis aſſentiẽdi obiecto reuelato, hac ratione. Reuelatio vnit primã veritatem cũ obiecto reuelato tanquam locutio externa cũ interna: ergo non eſt ſola cõditio, ſed ratio formalis aſſentiendi rei reuelatæ. Antecedens conſtat: nam reuelatio eſt ipſa externa teſtificatio Dei, per quam nobis manifeſtat ſuum internum conceptum, quem de reipſa manifeſtata apud ſe habet, & per quem tanquam per internam locutionem ipſe ſibi loquitur: non ſecus ac vocalis locutio

Reuelatio non eſt conditio, ſed ratio formalis aſſentiendi.

tio humana, eſt externa teſtificatio, qua vnus homo alteri manifeſtat internum ſuum conceptum, quem de re manifeſtata apud ſe habet, per quem internum conceptum ipſe ſibi ad intra loquitur, formando intra ſe verbum, in quo rei manifeſtandæ naturam percipit. Conſequentia verò probatur: nam pura conditio nullam vim motiuam in ordine ad effectum cauſandum confert cauſæ, ſed ſolùm tollit aliquod obſtaculum, quod cauſam impediebat, ne ſuam virtutem circa effectum exercere poſſet, vt ſubiecti appropinquatio nullam vim motiuam confert agenti ad effectum cauſandum, ſed ſolùm tollit obſtaculum, quod agens impediebat, ne ſuam virtutem in ſubiectum remotum exercere poſſet. Atqui reuelatio non ſolùm tollit obſtaculum, quod primam veritatem impediebat, ne intellectum fidelis mouere poſſet ad aſſenſum fidei, ſed ſpecialem etiam vim motiuam primæ veritati confert ad mouendum proximè intellectum credentis ad aſſenſum fidei præbendum: ergo non eſt tantùm conditio, ſed ratio formalis aſſentiendi. Conſequentia elucet: nam ideò vnio ſubſtantialis inter materiam & formam, non eſt conditio, ſed ratio integrans compoſitum ſubſtantiale, quia confert illi aliquem effectum formalem ſubſtantialem, quod eſt ipſum vnitum ſubſtantiale vt *quo*. Minor probatur: nam reuelatio non ſolùm applicat, & intentionaliter approximat primam veritatem intellectui credentis vt illa in intellectum credentis obiectiuè operari poſſet, illum mouendo ad infallibilem aſſenſum rei reuelatæ, ſed etiam illi communicat ſuam infallibilem certitudinem, quam vt locutio externa Dei ab ipſomet directa & imperata habet.

48. Dices. Prima veritas eſt infinitæ virtutis & efficacitatis in mouendo intellectum creatum ad quodcunque obiectum reuelatum: ergo non requirit ad illum mouendum vim motiuam reuelationis. Reſpondeo negando conſequentiam: nam prima veritas eſt infinitæ virtutis in actu primo: reuelatio autem eſt infinitę virtutis in actu ſecundo: eandem quippe infinitam certitudinem & infallibilitatem, quam prima veritas ad mouendum intellectum creatum habet in actu primo, accipit reuelatio ipſa in actu ſecundo, quæ conſtituens vnum integrum obiectum formale cum prima veritate, tanquam actus proprius cum virtute propria, adæquatè mouet intellectum credentis ad aſſenſum fidei prębendum.

Prima veritas eſt infinitæ virtutis in actu 1. Reuelatio in actu 2.

49. Ad primum argumentum primæ ſententiæ negatur conſequentia: tum quia ſufficit ad virtutem Theologicam, vt primarium ac principale obiectum formale ipſius ſit increatum: vt patet de ſpe, quæ etiam eſt virtus Theologica, & tamen pro obiecto formali minùs principali, & vt *quo* habet ipſam beatitudinem formalem creatam. Fertur enim ſpes in Deum vt bonum ipſi ſperanti, ac proinde non ſolùm in obiectum increatum, ſed etiam in ipſam beatitudinem creatam, per quam obiectum increatum vitaliter coniungitur cum ipſo beato, ſitque formaliter bonum ipſius. Tum quia reuelatio ingreditur formale obiectum fidei, vt eſt locutio Dei, ac proinde vt includit ipſum internum actum increatum Dei.

Ad virtutē Theologicam ſufficit, vt primarium eius obiectum ſit increatum.

50. Ad ſecundum negandum eſt, veracitatem increatam & reuelationem creatam eſſe rationes diſparatas in ordine ad mouendum intellectum fidelis ad aſſenſum fidei: cùm vtraque conueniat in ratione formali aſſentiendi rei reuelatæ, vna vt remota principalis, altera vt proxima minùs principalis. Nec eſt abſurdum, obiectum formale integrari ex duabus rationibus formalibus conuenientibus in eadem virtute motiua: vt beatitudo obiectiua increata, & formalis creata, conuenientes in eadem virtute motiua voluntatis ad actum ſpei, integrat obiectum formale ſpei infuſæ: & in quouis Syllogiſmo ratio aſſentiendi concluſioni eſt medium connectens vtramque extremitatem.

51. Ad tertium negatur antecedens, vt conſtat ex dictis, quibus probatum eſt, reuelationem, non tantùm applicare primam veritatem intellectui credentis, ſed etiam integrare rationem formalem aſſentiendi, tanquam actum ſecundum cum primo. Pro maiori autem claritate, *Notandum*, reuelationem, præſertim quæ immediatè fit credenti, vt reuelatio, quæ fit Prophetis, triplicem importare reſpectum, vnum ad primam veritatem teſtificantem; Alterum ad rem ipſam teſtificatam; tertium ad intellectum credentis. Porrò reuelation integrat obiectum formale fidei ſecundum tertium reſpectum, nam per hunc eſt tantùm conditio vitaliter applicans obiectum intellectui credentis, vnde ſupponit illud ratione priùs conſtitutum in ratione motiui adæquatè mouentis ad actum fidei infuſæ: non ſecus ac cognitio eſt tantùm conditio applicans obiectum voluntati, illudque ſupponens ratione priùs conſtitutum in ratione motiui adęquatè mouentis voluntatem (ſuppono enim, cognitionem effectiuè non concurrere ad actum voluntatis, ſicut nec apprehenſionem ad iudicium) eſt igitur reuelatio obiectum formale fidei ſecundùm primum & ſecundum reſpectum. Ratio eſt: quia ſecundum eos reſpectus reuelatio integrat obiectum formale fidei, ſecundum quos eſt propria actio Dei, & ſecundum quos apta eſt communicare infallibilem certitudinem obiecto reuelato: ſed per priores duos reſpectus, non autem per tertium reuelatio eſt propria actio Dei, & apta communicare infallibilem ſuam certitudinem obiecto reuelato. Maior claret: nam & vt actio propria Dei participat eandem infallibilem certitudinem, quam Deus ipſe vt prima veritas habet; & vt apta eſt hanc certitudinem communicare obiecto reuelato; integrat vnam rationem formalem aſſentiendi. Minor probatur: nam ſecundum primum reſpectum reuelatio formaliter conſideratur vt propria locutio Dei, directa & imperata ab ipſo Deo, quatenus

Reuelatio triplicem importat reſpectum.

prima

prima veritas eſt, cum qua integrat vnum, tanquam actus ſecundus cum primo. Per ſecundum verò formaliter connectit primam veritatem vt teſtificantem cum re ipſa teſtificata: proinde vt ſic communicat rei teſtificatæ infallibilem certitudinem, quam habet à prima veritate. Per tertium verò reſpectum reuelatio ſupponit primam veritatem, vt teſtificantem tanquam obiectum, quod applicat & proponit intellectui credentis, vt motiuũ formale aſſentiendi: ergo vt ſic formaliter conſiderata nullam vim motiuam communicat obiecto, ſed potiùs illam ſupponit, & vt ſuppoſitam applicat & proponit intellectui credentis.

52. Ad 4. & 5. Negatur Maior. Nam cognitio reſpectu voluntatis habet ſe tantùm vt conditio vitaliter applicans obiectum voluntati: reuelatio autem non ſolum ſe habet vt conditio vitaliter applicans obiectum intellectui credentis, ſed etiam vt integrans & complens illud in ratione adæquati motiui, vt ſuprà probatum eſt. Eodem modo abſtractio in ſcientijs naturalibus ſolum ſe habet vt conditio tollens impedimentum ab obiecto ſcientifico, quę eſt immerſio in materia particulari & indiuidua, ratione cuius impedimenti obiectum non eſt aptum terminare actum ſcientificum, cuius obiectum debet eſſe neceſſarium & æternum.

53. Ad 6. neganda eſt minor. Ad cuius 1. probationem concedo notius nobis eſſe, Deum exiſtere, quàm quòd Deus reuelauerit, ſe exiſtere: quia illud eſt nobis notum lumine euidenti naturæ; hoc tantùm obſcuro fidei. Nego tamen hoc eſſe nobis certius: nam certius eſt, Deum reuelaſſe, ſe exiſtere, quàm lumine naturali certum ſit, Deum exiſtere: quia illud eſt nobis certũ lumine fidei, quod vt participatio eſt luminis increati, certius eſt quouis lumine etiam euidenti naturæ: hoc verò eſt tantùm certum lumine naturali, quod fallibile eſt: ac proinde licet ſupponatur euidenti lumine naturæ notum, Deum exiſtere; adhuc poſſumus ſuperiori lumine fidei certius, quamuis obſcurius, cognoſcere ipſum exiſtere. Sicut licet per medium probabile cognoſcam terram eſſe rotundam, adhuc in eandem veritatem firmiùs aſſentiri poſſum authoritate Sapientiſſimi Geometræ. Non enim repugnat, notum vno medio, cognoſci poſſe alio, quando alio medio res aut euidentiùs, aut certiùs cognoſcitur.

54. Dices: non poſſum certò credere alicui propter teſtimonium ipſius, niſi aliunde mihi notum ſit, eius teſtimonium eſſe infallibile, cùm intellectus non moueatur ad iudicium ferendum, niſi ab obiecto cognito: ergo nec poſſum certo credere Deo propter teſtimonium ipſius, niſi aliunde mihi notum ſit, teſtimonium ipſius eſſe infallibile. Non poteſt autem teſtimonium Dei mihi eſſe infallibile per aliud teſtimonium ipſius, cùm etiam de illo quæri poſſet, per quid à me cognoſcatur infallibile: ergo per lumen naturale: igitur aſſenſus fidei infuſę in ipſum teſtimonium Dei non poteſt eſſe certior aſſenſu naturali, quo euidenter cognoſco teſtimonium Dei eſſe infallibile.

55. Reſp. negando vltimam conſequentiam. Eſto enim nemo poſſit firmiter credere Deo propter teſtimonium ipſius, niſi aliũde ſciat ipſius teſtimonium eſſe infallibile, idque non propter aliud teſtimonium, ſed propter lumen naturale, vel alia ſigna credibilitatis: negandum tamen eſt, aſſenſum fidei infuſę in ipſum teſtimonium Dei non eſſe certiorem aſſenſu, quo idem teſtimonium naturali lumine cognoſco eſſe infallibile. Ratio verò eſt: quia licet naturalis illa cognitio de infallibilitate teſtimonij Diuini connaturaliter prærequiratur ad aſſenſum fidei infuſæ, non tamen prærequiritur vt ratio formalis aſſentiendi, ſed vt præuia duntaxat conditio, qua poſita, alio lumine certiori fidei intellectus credentis aſſentitur eidem teſtimonio Dei. Quod lumen fidei etſi obſcurum ſit, certiùs tamen facit intellectum aſſentiri teſtimonio Dei.

56. Ad 2. probationem, diſtinguendum eſt: dum fide infuſa credo teſtimonium Dei de eius exiſtentia, eadem fide infuſa ſimul credo ipſum exiſtere, implicitè, & indirectè, concedo, explicitè, & directè, vt obiectum quod, nego. Atqui hoc ſufficit, vt intellectus fidelis, poſtquam implicitè & indirectè fide Diuina credidit, Deum exiſtere actu explicito & directè, ad ipſius exiſtentiam terminato, rurſus credat, ipſum exiſtere. Adde, quòd non duplici actu, ſed vno & eodem creditur & teſtimonium Dei vt *quo*, & ſimul cum eodem implicitè vt *quo* creditur Deus ipſe, qui reuelauit: demum eodem actu explicitè & tanquam obiectum *quod* creditur Deus ipſe vt reuelatus: hæc enim omnia includit vnus idemque actus fidei infuſę.

57. Ad 3. probationem, negatur conſequentia. Ratio diſcriminis, vt fusè infrà explicabitur, eſt, quia non poteſt intellectus nouo aſſenſu ferri in obiectum, niſi poſito nouo motiuo cognoſcibilitatis. Qui autem nouit rem dictam propter authoritatem loquentis clarè cognitam, nouit illam propter ipſum teſtimonium dicentis euidenter cognitum, quod in ratione aſſentiendi includit teſtimonium eiuſdem obſcurè notum: ac proinde dum proponitur eadem res credenda propter teſtimonium obſcurum eius, propter cuius teſtimonium euidenter notum cognita eſt eadem res, non proponitur res ſub nouo motiuo cognoſcibilitatis, ſub quo non ſit cognita per priorem actum. Qui verò nouit aliquid ratione naturali, non nouit illud propter teſtimonium dicentis, proinde adhuc poterit nouo actu illi aſſentiri propter teſtimonium dicentis, cùm hæc duo motiua ſint in ratione aſſentiendi diuerſa, & vnum non includatur in alio.

58. Ad fundamentum 2. ſententiæ patet ex dictis. Et confirmatur, nam reuelatio externa componit vnam integram locutionem cum actu ipſo interno: ergo ſimul cum illo

illo mouet intellectum credentis ad infallibilem aſſenſum fidei: ſicut actus exterior tam bonus, quàm malus componens vnum cum interno actu bono vel malo, mouet legiſlatorem ad præmium, vel pœnam decernendam.

SECTIO III.

Qualis debeat eſſe reuelatio quæ obiectum formale fidei conſtituit?

Reuelatio publica an priuata.

Requiritur ad obiectum formale fidei.

59. DVplex diſtinguitur reuelatio: Altera publica; Priuata altera. Publica dicitur non ſolùm, quia fit de rebus publicis ad communem Eccleſiæ vtilitatem ſpectantibus, alioqui etiam reuelationes factæ priuatis perſonis de rebus ſpectantibus ad publicam Eccleſię vtilitatem, quas interdum factas fuiſſe paſſim Eccleſiaſticæ teſtantur hiſtoriæ, dicerentur publicæ; ſed dicuntur publicæ eo maximè, quòd fiunt per Eccleſiæ Principes, vt olim per Prophetas, & in lege Euangelica per Apoſtolos. Priuata dicitur, quæ priuatis perſonis fit, etiamſi fiat de rebus, quæ ad communem Eccleſiæ vtilitatem, & inſtructionem pertinere poſſunt, vti ſunt multę reuelationes ſanctis viris ac fæminis factæ.

Magiſter. Canus. Sotus. Bannez. Valentia.

60. Prima ſententia docet, ſolam reuelationem publicam pertinere ad obiectum formale fidei infuſæ. Eſt Magiſtri in 3. diſt. 23. qui ex Auguſtino in Enchiridio cap. 9. probat ſolùm ea ad fidem pertinere, quę ad Religionem ſpectant: Cani li. 12. de locis Theologicis cap. 3. poſt 3. conclu. Soti lib. 3. de natura & gratia cap. 11. Bannez 2.2. quęſt. 1. art. 1. dub. 3. Valentiæ tomo 3. diſp. 1. qu. 1. puncto 1. Difficult. 5. Probatur. 1. ex Sacris Oraculis Pſal. 86. loquens Dauid de ædificio Spirituali Eccleſiæ in fide Diuina fundato, ait: *Fundamenta eius in montibus Sanctis*: ſunt autem montes ſancti, ſupra quos fundata eſt Eccleſia fidelium, vt Author eſt Paulus ad Epheſeos 2. Apoſtoli, & Prophetæ, qui Myſteria fidei per reuelationem à Deo accepta toti Eccleſiæ credenda tradiderunt. Idem Propheta in eodem Pſalmo ita canit: *Dominus narrabit in Scripturis populorum, & Principum horum, qui fuerunt in ea.* Sunt autem hi Principes Auguſtino Interprete in hunc Pſalmum, Apoſtoli, qui abiecta mundi contemnentes, facti ſunt Principes in Eccleſia Dei. Per hos igitur narrabit Deus in Scripturis populorum, hoc eſt in oraculis non ad priuatarum, ſed ad publicam populorum vtilitatem pertinentibus.

Pſal. 86. Epheſ. 2. Auguſt.

S. Thomas.

61. Probatur 2. Authoritate S. Thomæ docentis ſecunda ſecundæ, quæſt. 5. articulo tertio, ideo in Hæretico non manere fidem, ne informem quidem: *Quia ſpecies*, inquit, *cuiuſlibet habitus dependet ex formali ratione obiecti, qua ſublata, ſpecies habitus remanere non poteſt. Formale autem obiectum fidei eſt veritas prima, ſecundùm quod manifeſtatur in Scripturis Sacris, & Doctrina Eccleſiæ quæ procedit ex veritate prima.* Igitur ea reuelatio ex ſententia Sancti Doctoris integrat obiectum formale fidei, quæ fit per Eccleſiæ Doctrinam. Et clariùs prima parte quæſt. 1. art. 8. ad 2. *Innititur, inquit, fides noſtra reuelationi Apoſtolis, & Prophetis factæ, qui Canonicos libros ſcripſerunt: non autem reuelationi, ſi qua fuit alijs Doctoribus facta.*

61. Probatur 3. ratione. Ea tantùm reuelatio integrat obiectum formale fidei, quæ ſpectat ad fidem Catholicam: ſola autem reuelatio facta per Eccleſiam, ſpectat ad fidem Catholicam: ergo ea tantùm integrat obiectum formale fidei. Minor patet: nam hæc tantùm eſt vniuerſalis & communis omnibus, qualis eſſe debet fides Catholica. Maior probatur: quoniam fides infuſa eſt fides Chriſtiana, quæ eſſentialiter eſt fides Catholica pertinens ad omnes. Vnde colligit hæc ſententia, authoritatem Eccleſię Myſteria fidei proponentis, eſſe neceſſariam conditionem ad formale obiectum fidei infuſæ requiſitam.

Caietanus.

63. SECVNDA ſententia aſſerit, omnem quidem reuelationem, etiam priuatæ perſonæ factam, pertinere ad obiectum formale fidei infuſę, habitum tamen ipſum fidei non ſe extendere, niſi ad reuelationes publicas. Ita Caietanus 2.2. qu. 1. art. 1. *ad 1. dubium.* Fundamentum ipſius eſt: quia nullum eſt inconueniens, quod obiectum formale excedat ſuum habitum, & ad plura ſe extendat, quam ſe extendit habitus, quem ſpecificat. Probat autem hoc exemplo Charitatis, cuius obiectum formale ſe extendit ad aliquas perfectiones Diuinas, ad quas tamen non ſe extendit habitus ipſe, per quem non amamus, niſi perfectiones Diuinas nobis notas.

Valentia. Bannez. Caiet.

64. Quòd ſi ab authoribus huius, & præcedentis ſententiæ petas, ad quem habitum ſpectat, credere ea, quæ priuata reuelatione à Deo manifeſtantur. Reſpondet Valentia, pertinere ad prudentiam infuſam, & ad donum conſilij, vt examinatis circumſtantijs, ſi ea videantur à Deo reuelata, credenda ſint ab ipſa priuata perſona, cui reuelata ſunt. Reſpõdet Bannez ad ea credenda ſat eſſe lumen peculiare à Deo infuſum per modum tranſeuntis impreſſionis. Reſpondet verò Caietanus, ad ea credenda ſufficere voluntatem credentis, ſi ſibi conſonum videatur, ea credere.

Vega. Malderus. Aragonius.

65. TERTIA ſententia affirmat, omnem reuelationem, ſiue publicam, factam per Principes Eccleſiæ, ſiue priuatam priuatis perſonis factam, non ſolùm pertinere ad idem motiuum formale fidei infuſæ contra primam ſententiam, ſed etiam ad eundem habitum contra ſecundam. Eſt communior inter recentiores: quam expreſsè docent Andreas Vega lib. 9. in Tridentinum cap. 3. Malderus ſecunda ſecundæ, quæſt. 1. art. 1. ſect. 5. Aragonius ibidem. Bellarminus lib. 3. de iuſti-

Vaſquez. Turrianus. Coninck. Sanchez. Suarez.

ficatione cap.3. Vaſquez 1.2. diſp. 210. cap. 4.nu.17. Turrianus 2.2.diſp. 5. dub. 1. Coninck de obiecto fidei diſp. 9. dub. 6. Sanchez lib.2.de præceptis cap.7.nu. 32. Suarez de fide diſp.3. ſect. 10. & alij. Pro cuius explicatione.

Reuelatio vtraque pertinet ad obiectum formale fidei.

66. Dico 1. Non ſolùm reuelatio publica, Facta Eccleſiæ, ſed etiam priuata facta priuatæ perſonæ pertinet ad idem obiectum formale fidei infuſæ. Vnicum, idque efficaciſſimum fundamentum eſt: quia non minùs reuelatio priuata, quàm publica eſt propria teſtificatio Dei, proceditq; ab ipſo vt à prima veritate, non minùs in vna, quàm in alia reuelatione infallibili ac veraci: ergo non minùs vna, quàm alia ſpectat ad obiectum formale fidei infuſæ. Antecedens negari non poteſt, cùm non minùs poſſit Deus per ſe ipſum veritatem teſtificari vni perſonę priuatæ, quam toti Eccleſiæ: nec minus in vna teſtificatione, quàm in alia Deus interponat ſuam authoritatem in cognoſcendo & dicendo infallibilem. Conſequentia verò probatur: nam quòd vna reuelatio fiat perſonæ priuatæ, altera vniuerſæ Eccleſiæ, non variat reuelationem in ratione infallibilitatis, quam habet vt actus primæ veritatis per ſe ipſam teſtificantis: ergo ſi publica reuelatio facta vniuerſæ Eccleſiæ ſpectat ad obiectum formale fidei, ex eo præcisè quòd eſt propria teſtificatio primæ veritatis infallibilis in cognoſcendo & dicendo, ad idem obiectum formale ſpectabit reuelatio facta priuatę perſonæ.

67. Confirmatur. Huiuſmodi teſtimonio priuatæ perſonę facto, non poteſt ſubeſſe falſum: ergo credibile eſt fide infuſa. Conſequentia patet, nam hoc eſt proprium obiectum fidei infuſæ. Antecedens probatur, tum quia hoc apertè ſupponit Concilium Tridentinum ſeſſ.6.cap.9.& Canone 16 vbi definit, neminem poſſe eſſe certum certitudine fidei, cui non poſſit ſubeſſe falſum, ſe eſſe in gratia. Vbi vniuerſaliter loquitur de quauis fide nixa ſolo teſtimonio Dei. Quod etiam ſupponit Leo X. in Concilio Lateranenſi ſeſſ.11.vbi prohibet, ne huiuſmodi priuatæ reuelationes publicentur, antequam examinentur, & approbentur, vel à ſede Apoſtolica, vel ſi neceſſitas vrgeat, ab Ordinario loci, adſcitis tribus vel quatuor doctis grauibuſque viris. Tum quia, ſi tali teſtimonio poſſet ſubeſſe falſum, talis falſitas tribueretur Deo vt cauſæ principali, non minùs quàm ei tribueretur, ſi poſſet ſubeſſe falſum teſtimonio publico: cùm non minùs vnius, quàm alterius ſolus Deus ſit cauſa principalis. Implicat autem Deum eſſe principalem cauſam falſitatis, vt infrà demonſtrabo: ergo & huiuſmodi teſtimonio ſubeſſe falſum.

Conc. Trid.

Leo X. Concilium Lateranenſe

68. Dices. Vt Diuina reuelatio ſit obiectum fidei infuſę non ſolum requirit, vt re ipſa ſit à Deo, ſed etiam vt eadem fide infuſa credatur eſſe à Deo. Non poteſt autem fide infuſa credi eſſe à Deo, niſi proponatur ab Eccleſia, quę ſola in proponendis veritatibus reuelatis errare non poteſt. Maior patet: quia cum reuelatio ſit ratio formalis aſſentiendi rei reuelatæ, debet eadem certitudine credi; qua creditur res ipſa reuelata, cùm tota certitudo, qua creditur obiectum materiale, pendeat ex certitudine, qua creditur obiectum formale, nam propter ipſum aſſentimur obiecto materiali. Minor probatur: nam reuelatio priuata vel cognoſcitur euidenter eſſe à Deo, & ſic non poteſt eſſe obiectum fidei, quod eſſentialiter eſt obſcurum, non ſolùm quoad obiectum materiale, ſed etiam quoad formale. Vel non euidenter, ſed obſcurè tantùm cognoſcitur eſſe à Deo: & cùm non poſſit obſcurè cognoſci eſſe à Deo per aliud teſtimonium Dei, cùm etiam de illo quæri poſſet, quomodo cognoſcatur eſſe à Deo, & ſic in infinitum, non videtur qua ratione pertinere queat ad fidem infuſam. Vel cognoſcitur eſſe à Deo per teſtimonium creatum alicuius Angeli, quo pacto Zacharias Pater Ioannis Baptiſtę per teſtimonium Angeli Gabrielis Lucæ 1. cognouit promiſſionem Dei de futura Natiuitate Ioannis; vel per coniecturas & rationes probabiles: vterq; autem modus eſt fallibilis: non quòd Angelus Beatus fallere poſſit, ſed quia vt Paulus teſtatur 2. ad Corinthios. 11. ſæpè *Sathanas transfigurat ſe in Angelum lucis:* vnde Beata virgo non priùs præbuit conſenſum Gabrieli ſibi annuntianti, ex ſe naſciturū Meſſiam, quàm certior facta fuerit, quòd qui annuntiabat, eſſet verus Angelus. Ergo reuelatio facta perſonæ priuatæ non poteſt eſſe obiectum formale fidei, defectu infallibilis certitudinis, an illa ſit à Deo.

Lucæ 1.

2. Cor. 11.

Poteſt Reuelatio credi fide diuina eſſe à Deo etiamſi non proponatur ab Eccleſia.

69. Reſp. negando minorem. Ad cuius probationem dicendum eſt, ſiue cognoſcatur eſſe à Deo euidenter euidentia in atteſtante, ſiue obſcurè per teſtimonium alicuius Angeli, vel alias probabiles coniecturas, eam credi poſſe fide Diuina. Ratio verò eſt: quia neque euidentia in atteſtante, neque teſtimonium Angeli, vel aliæ humanæ coniecturę moraliter perſuadentes, illam eſſe à Deo eſſent credenti motiuum formale aſſenſus fidei infuſę, ſed tantùm rationes proponentes & applicantes obiectum ipſum formale, ad hoc vt prudenter poſſet voluntas imperare intellectui, vt illam fide Diuina crederet. Non ſecus ac vel præuia notitia naturalis euidens de infallibilitate primæ veritatis, vel ſigna & coniecturę humanę de teſtimonio primę veritatis, ſunt tantùm rationes proponentes & applicantes obiectum formale fidei, vt illis poſitis voluntas prudenter poſſit imperare intellectui, vt tale obiectum credat fide Diuina propter ſolum teſtimonium Dei. Quo voluntatis imperio poſito, ſtatim Deus peculiari ſua motione eleuat intellectum credentis ad credēdum teſtimonium ſuum propter ipſum teſtimonium, & per ipſum rem atteſtatam.

Habitus fidei extendit ſe ad reuelationes publicas & priuatas.

70. Dico 2. Habitus fidei infuſæ non ſolum ſe extendit ad credendas reuelationes publicas,

Digitized by Google

publicas, ſed etiam priuatas ſufficienter propoſitas, contra Caietanum. Fundamentum eſt: quia omnis habitus poteſt ſe extendere ad quodcunque obiectum, in quo ipſius ratio formalis relucet: ergo ſi reuelatio priuata pertinet ad rationem formalem habitus fidei infuſæ, poterit ad illam mediante aſſenſu ſe extendere. Conſequentia elucet. Antecedens contra Caietanum conſtat 1. inductione non ſolùm in reliquis habitibus tam naturalibus acquiſitis, quàm ſupernaturalibus infuſis (falſum quippe eſt, quod Caietanus aſſumit, habitum charitatis infuſæ non ſe extendere ad omnes perfectiones increatas) ſed etiam in potentijs naturalibus: intellectus enim ferri poteſt in quodcunque obiectum, vbi ratio naturalis intelligibilitatis, quę eſt ipſius ſpecificatiuum, relucet, voluntas ferri poteſt in quodcunque obiectum, vbi ratio aliqua naturalis bonitatis, quæ eſt ſpecificatiuum ipſius proſecutionis, apparet. Et vniuerſaliter quæuis potentia ferri poteſt in quodcunque obiectum, in quo ipſius ſpecificatiuum reperitur.

Caiet.

71. Secundò eadem noſtra aſſertio conſtat à priori. Quia quod dat ſpecificationem rei, dat commenſurationem & proportionem ad ſe: cùm nihil aliud ſit ſpecificare rem, quā illam proportionare & commenſurare ad ſe ipſum, per intrinſecum reſpectum ad ſe: ſicut calefactio ſpecificat potentiam calefactiuam, dando illi in ratione formæ ſpecificantis eſſe productiuum ſui. Vnde implicat in terminis, dicere, quod aliquid ſpecificet habitum, vel potentiam, & quod talis habitus vel potentia non poſſit tendere ad illud: non minùs quàm dicere virtutem actiuam ſpecificari à ſuo effectu, & illum attingere non poſſe.

72. Confirmatur. Reuelatio priuata eſt attingibilis ab aliquo habitu, non ab alio, quàm fidei infuſæ: ergo attingibilis eſt à fide infuſa. Maior patet: nam omnis ratio ſupernaturalis attingi poteſt ab aliquo habitu infuſo, tanquam à proprio & connaturali principio: rectè enim ex diuerſitate actuum ſupernaturalium colligunt Theologi diuerſitatem habituum infuſorum. Minor verò probatur: quia nullus alius habitus inclinat ad illam tanquam ad proprium ſuum ſpecificatiuum: ergo à nullo alio, præter quàm ab habitu fidei infuſæ, tanquam à proprio & connaturali principio attingi poteſt.

Authoritas Eccleſiæ nō ingreditur rationem formalem obiecti fidei.

73. Dico 3. Authoritas Eccleſiæ nullo pacto ingreditur rationem formalem obiecti fidei Theologicæ. Fundamentum, quia dupliciter poteſt Eccleſiæ authoritas conſiderari, ſemel vt conſtat ex cœtu ſapientum, prudentum, ac Sanctorum virorum, qui vnanimi conſenſu, quantumuis tempore, & loco diſſiti eandem fidem, doctrina, moribus, miraculis, & propria vita ac ſanguine profeſſi ſunt. Iterum vt ex promiſſione Dei infallibilem habet Spiritus Sancti aſſiſtentiam, vt in proponendis rebus fidei errare non poſſit, quo pacto prima ad Timotheum 3. dicitur

1. ad Tim. 3

columna & firmamentum veritatis. Priori modo conſiderata non excedit certitudinem fidei humanæ, quamuis ea ſit ſumma, quæ in hoc genere eſſe poteſt, quę propterea reddit euidenter credibilia myſteria noſtræ fidei, vt nullus ſanæ mentis dubitare poſſit, ea eſſe à Deo reuelata: non tamen ingreditur obiectum formale fidei Theologicæ, quæ ſola nititur authoritate Diuina. Accepta verò ſecundo modo, etſi ſit vnum ex obiectis reuelatis Diuina fide credendum, non tamen ipſa ingreditur obiectum formale fidei Diuinę, quo reliqua Myſteria reuelata creduntur. Ratio eſt: quia quod conſtituit obiectum formale fidei Diuinæ, eſt ſolum teſtimonium Dei. Authoritas autem Eccleſiæ ſecundo modo conſiderata, etſi infallibilis ſit in proponendo teſtimonio Dei, non eſt tamen ipſius propoſitio teſtimonium ipſum Dei, ſed ſola applicatio infallibilis illius. Duo enim diſtinguenda ſunt in Pontifice, & in quouis alio vice Dei proponente aliquid fide Diuina credendum, & propoſitio proponentis, & res ipſa propoſita vt à Deo teſtificata. Porrò obiectum formale, propter quod fide Diuina credimus rem à Pontifice, vel ab alio vicem Dei tenente propoſitam, non eſt propoſitio proponentis, quamuis ipſa ſit infallibilis, ſed teſtificatio Diuina cum re ipſa atteſtata propoſita. Ratio verò eſt: quoniam, vt ſupra dictum eſt, fides Diuina non nititur, niſi teſtimonio Diuino: propoſitio autem infallibilis Eccleſiæ non eſt formaliter ipſum teſtimonium Diuinum, ſed conditio duntaxat applicans & manifeſtans illud.

Propoſitio Eccleſiæ eſt conditio applicans teſtimonium Dei.

74. Dices, hoc eſſe tantùm verum, quando Pontifex proponit teſtimonium Dei iam reuelatum, declarans illud eſſe verum teſtimonium Dei, ſicut cùm declarat aliquem librum eſſe Canonicum, hoc ipſo declarat, quidquid in eo continetur, eſſe à Deo teſtatum: aut cùm definit aliquam propoſitionem de fide, quæ in Sacra Scriptura implicitè continebatur; nam tunc ſolùm Pontifex ſe habet vt applicans & proponens teſtimonium Dei: non autem quando definit nouam veritatem, quæ non ſupponitur reuelata, velut cùm per ſolemnem Canonizationem definit aliquem Beatum in Cœlis regnare cum Chriſto. Tunc enim ipſa aſſertio Pontificis eſt teſtimonium Dei teſtificantis per ſuum Vicarium, tanquam per ſuum animatum inſtrumentum, nouam veritatem antea non reuelatam.

75. Reſp. neq; in hoc caſu aſſertionem Pontificis, præciſe vt Pontificis aſſertio eſt materialiter ſumpta, ingredi obiectum formale fidei: ſed habere ſe tantùm vt conditionem proponentem & applicantem nouam veritatem, per ipſius aſſertionem à Deo teſtatam. Bifariam enim conſideratur in tali caſu aſſertio Pontificis, vno modo, vt aſſertio Dei eſt teſtificata per Pontificem, tanquam per animatum inſtrumentum ab ipſo motum & directum: alio modo, vt actus eſt ipſius

Digitized by Google

Pontificis proponentis & applicantis eandem aſſertionem, quatenus Dei teſtificatio eſt. Priori tantùm modo ingreditur obiectũ formale fidei, non autem poſteriori. Nam priori tantùm modo ſumitur formaliter, vt teſtificatio Dei facta per Pontificem, tanquã per ſuum inſtrumentum. Poſteriori verò modo ſumitur vt formaliter actus Pontificis eſt, eandem aſſertionem proponẽtis & applicãtis.

Authoritas Eccleſiæ non eſt, conditio neceſſario requiſita ad obiectum formale fidei.

76. Dico 4.] Neque Authoritas Eccleſiæ, vt infallibiliter proponentis teſtimonium Dei, eſt conditio neceſſario requiſita ad obiectum formale fidei: tametſi de lege ordinaria nullũ nunc obiectũ obligat omnes fideles, niſi ab Eccleſia propoſitum. Prior pars aſſertionis ſequitur ex præcedentibus: nam ſi poteſt eſſe obiectum formale fidei ſufficienter ad credendum propoſitum abſque propoſitione Eccleſiæ, ſequitur, propoſitionem Eccleſiæ, neque vt conditionem eſſe neceſſariam ad obiectum formale fidei. Quia quod eſt neceſſarium vt conditio, abſque ea non ponitur effectus. Ratio verò à priori eſt: quoniam authoritas Eccleſiæ ſolùm ſe habet ad obiectum formale fidei vt conditio ſufficienter proponens & applicans, ad hoc vt tale obiectum fide Diuina credi poſſit: nam ſine huiuſmodi propoſitione non eſt obiectum fidei idoneum ad mouendum intellectum credentis ad aſſenſum ſupernaturalem fidei. Atqui hæc conditio aliunde ſuppleri poteſt, quàm per Eccleſiæ propoſitionem: vti de facto ſuppleta fuit tum in primo Angelo, cui Myſteria fidei Deus immediatè reuelauit, cæteris Angelis proponenda, vt ex ſecundo Tomo de Angelis diſp. 20. ſect. 8. ſuppono: tum in primis hominibus, nec non in Prophetis & Apoſtolis, quibus etiam immediatè fuerunt Myſteria fidei reuelata. Etenim quod præſtat nunc propoſitio Eccleſiæ, præſtitit in illis aut euidentia reuelationis in atteſtante, aut ſigna & miracula, quibus moraliter reddebantur certi, quod talis reuelatio eſſet à Deo.

De lege ordinaria nullum obiectum fidei obligat omnes fideles, niſi ab Eccleſia propoſitum.

77. Poſterior pars probatur: nam de facto Deus ſuæ Eccleſiæ prouidit de regula animata infallibili, quæ in proponendis rebus fidei errare non poteſt. Ergo de facto iuxta legem à Deo ordinatam authoritas Eccleſiæ eſt neceſſaria ad obligandos fideles ad obiectum Diuina fide credendum. Vnde eſt illud Auguſtini dictum libro contra Epiſtolam fundamenti cap. 5. *Ego Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret authoritas.* Quam Eccleſiæ authoritatem quia ſpernunt Hæretici, non poſſunt habere obiectum fidei ſufficienter applicatum: ac proinde defectu talis applicationis authoritas Diuina non mouet, peculiari motione Spiritus Sancti eorum intellectum ad ſupernaturalem aſſenſum fidei, quantumuis ipſis videatur reuelationibus Diuinis in Sacris Scripturis contentis aſſentiri fide Diuina.

Auguſtin.

Hæretici, quare non eliciant aſſenſum ſupernaturalem fidei.

78. *Obijcies* 1. de facto etiam nunc Deus in Eccleſia Catholica vtitur ſignis & miraculis ad res fidei confirmandas, vt conſtat tum in primitiua Eccleſia, tum quoties Myſteria fidei primo proponuntur alicui Regioni, vt paſſim Hiſtoriæ teſtantur. Ergo neque de facto vnicum medium proponendi res fidei eſt authoritas Eccleſię, ſiquidem præter illam adhibentur etiam ſigna & miracula virtute Dei patrata. Reſp. diſtinguendo conſequens; non eſt Eccleſiæ authoritas de facto vnicum medium de lege ordinaria, nego; extraordinaria, concedo. Propterea enim in aſſertione addidi, *de lege ordinaria*: qua ſtante, non repugnat, quin aliquando Deus extraordinario modo vtatur ad res fidei magis corroborandas, vt nullam prorſus excuſationem habeant mortales, quod non ſint illis Myſteria fidei ſufficienter propoſita.

79. *Obijcies* 2. Sæpè Deus etiam nunc multa reuelat priuatis perſonis, quas ad ea credenda obligat abſque Eccleſiæ authoritate: ergo nec de facto Eccleſiæ Authoritas eſt conditio neceſſariò requiſita ad obiecta fide Diuina credenda. Reſp. propterea in aſſertione dixi, *omnes fideles*: nam eſto Deus ad priuatas reuelationes credendas ſæpè obliget particulares perſonas, quibus eas manifeſtat: non tamen ad tales priuatas reuelationes credendas obligat cæteros fideles, vti obligat ad eas, quas per ſuam Eccleſiam proponit.

Priuata reuelatio obligat eos quibus fit; publica omnes.

80. *Obijcies* 3. non ſolum Authoritas Eccleſiæ proponentis, ſed etiam ratio naturalis ſæpè obligat ad aliquid fide Diuina credendum, vt ſæpe viri docti ex vno Myſterio reuelato multas alias veritates naturali diſcurſu deducunt, quas & ipſi fide Diuina credere, & alijs eadem fide credendas proponere tenentur, præſertim ſi ſint ad publicè docendum conſtituti. Reſpondeo veritates, quę ex aliquo Myſterio reuelato deduci poſſunt, eſſe duplicis generis; Aliæ ſunt, quæ euidenter; aliæ, quæ non euidenter deducuntur. Prioris generis intelliguntur cum ipſo principali Myſterio reuelatę, proinde cenſentur fideles obligare eadem obligatione, qua obligat ipſum principale Myſterium expreſsè reuelatum, poſita tantùm euidenti ratiocinatione, tanquam conditione ſine qua non. Vt ex reuelato Myſterio Auguſtiſſimæ Trinitatis Patris, Filij, & Spiritus Sancti, euidenter colligitur, has perſonas debere realiter inter ſe diſtingui. Ex reuelato Myſterio Sacro ſanctæ Incarnationis euidenter deducitur, Chriſtum duplicem habere voluntatem, Diuinam, & humanam, duplicesque actus Diuinæ & humanæ voluntatis proprios. Poſterioris verò generis nec obligant alios, nec ipſoſmet, quibus probabile tantùm eſt, & ex priuata ſcientia eas in principali Myſterio expreſsè reuelato contineri, vt quod Spiratio actiua in Diuinis communicetur, & non producatur in Filio: quod anima Chriſti fuerit beata ab ipſo inſtanti ſuæ Conceptionis.

Veritates euidenter deductæ obligant ad credendum eas, ſicut ipſum myſterium.

81. Dices. Poſita tantùm probabilitate, quòd aliqua veritas contineatur in Sacra Scriptura, poteſt Eccleſia abſolutè illam definire, ac proponere fide Diuina credendam: ergo poſita eadem probabilitate poterit priuatus Doctor illam fide Diuina credere, eamque alijs credendam proponere. Antecedens probatur: nam ante Concilium Tridentinum erat tantùm probabile, ſiue probabilius, quòd homo iuſtificaretur per habitus infuſos, vt habetur in Concilio Viennenſi. (*Conc. Vien*) Poſt Concilium verò Tridentinum Orthodoxa fides eſt, ab omnibus Catholicis credenda, hominem interna iuſtitia inhærente iuſtificari, vt expreſsè definitur ſeſſ. 6. cap. 7. & Canone 11. (*Conc. Trid.*) Reſpondeo quidquid ſit de Antecedente, de quo infrà: negatur conſequentia: nam Eccleſia habet aſſiſtentiam Spiritus Sancti, vt in colligenda vna veritate ex alia expreſsè reuelata errare non poſſit. Quam aſſiſtentiam quia non habet Doctor priuatus, nec ipſe tenetur illam fide Diuina credere, nec alijs eadem fide credendam proponere.

82. Vrgebis. (*Aliud diſcredere poſitiuè aliud non credere fide diuina*) Si priuatus Doctor non tenetur fide Diuina talem veritatem credere: ergo poterit poſitiuè diſcredere, illam non eſſe à Deo reuelatam. Reſp. negando conſequentiam: quia licet talis diſſenſus non eſſet contra fidem, ſaltem eſſet contra prudentiam infuſam, quæ dictat non eſſe poſitiuè diſſentiendum ab ea veritate quæ ſaltem probabiliter iudicatur contineri in alia expreſsè reuelata.

83. Ad 1. argumentum 1. ſententiæ ductum ex Pſalmo 86. & confirmatum ex 2. ad Epheſios, (*Pſalm 86. Epheſ. 2.*) in primis alias habet expoſitiones, vt videre eſt apud Interpretes: præcipua eſt illa, quam adhibet Auguſtinus (*Auguſtin.*) in hunc locum, vt per Montes & fundamenta Eccleſiæ in his locis intelligantur Apoſtoli & Prophetæ, quatenus ſupra illos ædificata eſt Ciuitas ſancta Ieruſalem. Audiamus eius verba: *Sed quid eſt*, inquit, *fundamenta eius in Montibus Sanctis? qui ſunt montes Sancti, ſuper quos fundata eſt Ciuitas? alter quidam Ciuis plenius hoc dixit Apoſtolus Paulus. Ciuis inde Propheta Ciuis inde Apoſtolus. Sed hi, id eſt Prophetæ & Apoſtoli, quomodo Ciues? forte ſſe ita vt etiam ipſi ſint montes, ſuper quos fundamenta ſunt huius Ciuitatis, cuius portas diligit Dominus.*

84. Secundò eſto per montes ſanctos & fundamenta Eccleſiæ intelligantur Apoſtoli & Prophetæ, per quos factæ ſunt reuelationes Eccleſiæ, hoc tamen non intelligitur de omnibus reuelationibus, cùm nec ipſi aduerſarij negare poſſint, Deum multas priuatas reuelationes feciſſe priuatis perſonis; ſed de reuelationibus duntaxat publicis ſpectantibus ad commune bonum Eccleſiæ. Ex quo nullum dicitur efficax argumentum ad probandum, quòd reuelationes factæ priuatis perſonis non pertineant ad idem obiectum formale fidei. Eodem modo explicatur ſecundus locus eiuſdem Pſalmi citatus. Quanquam illum Auguſtinus (*Auguſt.*) ibidem explicat de Principibus Regnantibus cum Chriſto in Cælo. Sic enim ait: *Magna hæc: ſed vbi hæc, niſi in illa Ciuitate Dei, de qua glorioſiſſima dicta ſunt?* quod probat ex verbis ipſius Pſaltis: *ideo*, inquit, *collatis omnibus gaudijs atque conflatis quomodo clauſit? tanquam iucundatorum habitatio omnium in te.* Vbi fusè huius Ciuitatis gaudia & delitias enarrat.

85. Quoad authoritatem Sancti Thomæ. Reſpondeo primum locum intelligendum eſſe iuxta quartam noſtram aſſertionem, non quòd nimirum authoritas Eccleſiæ ingrediatur formale obiectum fidei: ſed quia de facto ex lege ordinaria Dei authoritas Diuina non ſufficienter proponitur abſque authoritate Eccleſiæ proponentis. Secundus verò non loquitur de reuelatione priuata reſpectu illius perſonæ, cui facta eſt, quæ tantùm fide infuſa moueri poteſt ad illam credendam, ſed reſpectu aliarum, quæ illam non tenentur fide Diuina credere. Vt enim probet argumentum ab authoritate Diuinæ reuelationis, quo Theologia noſtra vtitur, eſſe efficaciſſimum, diſtinguit duplicem reuelationem, alteram factam Apoſtolis & Prophetis, alteram factam priuatis Doctoribus: atque authoritatem Diuinæ reuelationis, qua Theologia vtitur, non eſſe reuelationem factam priuatis Doctoribus, ſed reuelationem Apoſtolis & Prophetis factam: quia nimirum hęc non ſolùm fuit ipſis Apoſtolis & Prophetis, quibus facta eſt, ſed etiam nobis per Eccleſiæ declarationem certa. Priuata autem reuelatio etſi certa eſſe poſſit perſonæ, cui fit, non tamen alijs. Propterea concludit, ex tali reuelatione non duci efficax argumentum ad res fidei confirmandas. Confirmatur (*S. Thom.*) quia ſecunda ſecundæ, quæſt. 1. artic. 1. vbi ex profeſſo diſputat de obiecto formali, fidei, pręter primam veritatem reuelantem, nullum aliud aſſignat: *Sic igitur*, inquit, *in fide, ſi conſideremus formalem rationem obiecti, nihil eſt aliud, quàm veritas prima. Non enim fides, de qua loquimur, aſſentit alicui, niſi quia eſt à Deo reuelatum.* Qui nullum aliud obiectum formale fidei Diuinæ agnoſcit, quàm primam veritatem reuelantem, quæ eadem eſt in publica & priuata reuelatione.

86. Ad rationem, neganda eſt Maior. Etenim cùm hæc denominatio *Catholica* in obiecto fidei deſumatur ex ordine & reſpectu extrinſeco, quo obiectum proponitur credendum omnibus, non poteſt ingredi obiectum formale fidei: proinde obiectum priuatæ reuelationis carens huiuſmodi reſpectu, non caret aliqua ratione formali pertinente ad obiectum formale fidei, ſed tantùm accidentali & extrinſeca, quæ non mutat eſſentialem rationem obiecti formalis. Ad fundamentum

verò

Digitized by Google

verò Caietani patet ex dictis.

Valentia. 87. Ex his patet non bene Valentiam cùm dixit, ad prudentiam infuſam & Donum Conſilij pertinere, examinare ea, quæ priuata reuelatione manifeſtantur, an ſint fide Diuina credenda: non enim hic agimus de prudenti examine credibilium, quod aſſenſum fidei præcedere ſolet, ſed de obiecto formali, & habitu ad ea ipſa credenda inclinante, quorum primum eſt teſtimonium Dei, ſiue publicum, ſiue priuatum ſit, vt probatum eſt: Secundum eſt ipſemet habitus fidei, qui non ſolùm inclinat ad reuelationem publicã, ſed etiam ad priuatam, poſito prudenti examine & iudicio, quod illa ſit à Deo. Nec etiã rectè *Bannez.* Bannez dixit, ad huiuſmodi priuatam reuelationem credendam ſat eſſe lumen inditum per modum tranſeuntis impreſſionis: nam præter hoc, quod per ipſum ad omnem actum ſecundum neceſſarium eſt, requiritur etiam aliquis habitus ſupernaturalis, qui per modum connaturalis principij ad huiuſmodi actum concurrat, adaptans & cõplens potentiam ad illum producendum: Suppono enim, talem actum fore quoad ſubſtãtiam ſupernaturalem, cùm nitatur obiecto formali ſupernaturali, quod eſt teſtimonium à Deo immediatè reuelatum. Sed peſſimè omnium *Caietanus.* pronuntiauit Caietanus, dum ait, ad voluntatem pertinere talia credere, ſi ſibi conſonum viſum fuerit: tum quia credere non eſt voluntatis, ſed intellectûs: tum quia neque ad imperandum intellectui, vt priuatam reuelationem credat, poteſt ſola voluntas abſque peculiari aliquo auxilio: quia cùm tale imperium ſit de actu ſupernaturali, vt dictum eſt, non poterit voluntas abſque ſpeciali auxilio, ſolius naturę viribus illud elicere.

SECTIO IV.

An obſcuritas obiecti materialis integret rationem formalem obiecti fidei?

Duplex obſcuritas obiecti materialis & formalis. 88. Dvplex obſcuritas in fide diſtingui poteſt; Altera obiecti materialis, quod creditur; Altera formalis, quo creditur. Quæ adhuc eſt duplex; Altera obiecti formalis principalis, quę eſt ipſa prima veritas; Altera minùs principalis, quæ eſt teſtificatio primæ veritatis. De omnibus erit nobis diſputandum: in hac de prima, in ſequentibus verò ſectionibus de reliquis. Et quidem omnes Doctores Catholici conueniunt, obiectum materiale fidei debere eſſe obſcurum, cùm per hoc differat ab obiecto ſcientifico: in eo tamen diſcrepant, an hæc obſcuritas ad obiectum fidei ſe habeat formaliter vt ratio formalis integrans & complens illud, an tantùm concomitanter, & vt pura conditio. Non diſputamus autem hic de obſcuritate tenente ſe ex parte ſubiecti, an nimirum neceſſe ſit, vt aliunde intellectus non habeat euidentiam de obiecto, quod fide Diuina credit: ſed de obſcuritate tenente ſe ex parte obiecti. *Materiale vt obſcurū diſtinguitur à ſcientifico.*

89. Prima ſententia affirmat, habere ſe formaliter. Eſt Albertini Tomo Corol. qu. 4. diſp. 3. in 2. p. Difficultatis: Turriani 2. 2. diſp. 8. dub. 1. Suarez diſp. 3. ſect. 7. Fauet S. Thomas 2. 2. qu. 1. art. 4. vbi ait, fidem non poſſe eſſe de viſis aut ſecundum ſenſum, aut ſecundum intellectum. Probatur hęc ſententia 1. ex Paulo ad Hebręos 11. vbi fidem definit *argumentum non apparentium*: & 1. ad Corinthios 13. *viſionem ænigmaticam*, quam opponit *Faciali*. 2. ex Patribus. Hilarius libro 8. de Trinitate multò poſt initium, vbi aſſignans obiectum fidei. *Habet enim*, inquit, *non tam veniam, quàm præmium, ignorare quod credas, quia maximum ſtipendium fidei eſt, ſperare quæ neſcias.* Auguſtinus tract. 40. in Ioannem: *quid*, inquit, *eſt fides, niſi credere quod non vides?* conſentiunt reliqui Patres, qui illam Doctam ignorantiam appellant eamque ſcientię opponunt. *Albertin. Turrianus. Suarez. S.Thomas. Hebr. 11. 1.Cor. 13. Hilarius. Auguſtin.*

90. Tertio probatur rationibus. Prima ſit. Fides eſſentialiter diſtinguitur à ſcientia reliquiſque virtutibus intellectualibus infuſis: ſed non diſtinguitur niſi per ineuidentiam & obſcuritatem obiecti: nam omnis alia differentia accidentalis eſt, & hęc vna ſufficit ad diſtinguendam illam ab omni alia virtute intellectuali infuſa. Omnis autem differentia eſſentialis, in actu, vel habitu deſumitur ex obiecto formali. Ergo id quod fundat talem ineuidentiam & obſcuritatem in actu fidei eſt ratio formalis in obiecto fidei.

91. Secvnda ratio ſit à priori. Obiectum formale, quo eſſentialiter nititur fides Diuina, eſt ſola extrinſeca authoritas Dei dicentis, excludens omnem rationem intrinſecam, quę poſſet obiectum credendum in ſe ipſo manifeſtare: ergo obiectum formale fidei eſt eſſentialiter obſcurum. Conſequentia conſtat: quia ſicut obiectum cognoſcibile per rationem intrinſecam, eſt eſſentialiter clarum, hoc eſt eſſentialiter motiuum ad claram cognitionem ſui: ita obiectum cognoſcibile per rationem extrinſecam eſt eſſentialiter motiuum ad obſcuram notitiam ſui.

92. Confirmatur: nam dupliciter obiectum dicitur obſcurum; vno modo extrinſecè ab ipſo actu obſcuro fidei; in hoc ſenſu negat hæc ſententia, obſcuritatem eſſe rationem formalem obiecti fidei: quia cùm ratio formalis obiecti præſupponatur ad actum, quem debet cauſare in genere cauſę formalis obiectiuæ, ſumi non poteſt ab ipſo actu, ſicut nulla cauſa deſumere poteſt vim cauſandi ab effectu, quem ipſa cauſatura eſt. Alio modo dicitur obiectum obſcurum ex peculiari modo, quo vnitur

intellectui, nempe per medium extrinſecum nullam cauſans intrinſecam euidentiam in obiecto. Atque hoc modo dicitur obſcuritas obiecti materialis ingredi rationem formalem obiecti fidei.

Negant verius Caietanus. Coninck. Bannez. Malderus.

93. Secunda ſententia negat, obſcuritatem obiecti materialis pertinere ad rationem formalem, ſed eſſe puram conditionem, eſſentialiter tamen prærequiſitam ad actum fidei. Eſt Caietani 2.2. q. 1. art. 6. Coninck diſp. 11. dub. 1. nu. 40. Bannez 2.2. q. 1. art. 4. dub. 1. Malderi ibidem dub. 2. qui duo poſteriores Authores, etſi dicant, obſcuritatem obiecti Materialis aliquo modo, & ſecundum quid pertinere ad obiectum formale fidei: dum tamen explicant, quid ſit, illam *aliquo modo, & ſecundum quid ad formalem rationem fidei pertinere*, expreſsè aiunt, illam pertinere vt conditionem quandam, ſine qua ipſa ratio formalis non applicaretur obiecto materiali. Atque in hoc ſenſu dicunt, illam pertinere ad complementum obiecti formalis. Sed omnium copioſiſſimè hanc ſententiam propugnat Durandus in 3. diſt. 24. q. 1. à numero 10. licet multa argumenta ipſius non probent, niſi de obſcuritate vel formali, vel conſequente actum ipſum fidei, cùm tamen contraria ſententia ſolùm afferat obſcuritatem fundamentalem antecedentem actum, pertinere ab obiectum formale fidei.

Durandus.

94. Inter has duas ſententias olim mihi prior arriſit, potiſſimùm, quòd per hanc obſcuritatem fides eſſentialiter diſtinguatur à ſcientia, re tamen poſtea maturiùs conſiderata, *poſterior videtur probabilior & amplectenda*. Potiſſimum fundamentum, quo ad hoc moueor, eſt. Nam illud tantùm pertinet ad rationem formalem obiecti, quod integrat ipſam rationem formalem aſſentiendi: ſed obſcuritas obiecti materialis in fide non integrat rationem formalem aſſentiendi: igitur non pertinet ad rationem formalem, obiecti, ſed eſt pura conditio eſſentialiter requiſita ad obiectum formale fidei. Quia cùm obiectum formale fidei ſit teſtimonium Dei, quod extrinſecum eſt obiecto reuelato, eſſentialiter per modum conditionis affert obſcuritatem obiecto reuelato, quod propter ſolum teſtimonium Dei credi debet. Maior conſtat ex ipſa definitione rationis formalis, quæ eſt cauſa motiua potentiæ ad actum eliciendum, vt Inductione patet in omnibus potentijs, & habitibus. Etenim ratio formalis voluntatis, eſt cauſa motiua eiuſdem ad proſecutionem ſui obiecti. Ratio formalis intellectus eſt cauſa motiua illius ad aſſenſum præbendum. Ratio formalis ſenſuum eſt cauſa motiua eorundem ad ſenſationem circa propria obiecta eliciendam. Vnde quidquid non eſt motiuum potentiæ ad actum, non pertinet ad formalem rationem obiecti. Vt quia nec cognitio eſt cauſa motiua voluntatis, nec abſtractio in ſcientijs eſt cauſa motiua intellectus, neutra ſpectat ad rationem formalem obiecti, ſed eſt pura duntaxat conditio. Et à priori eſt: quia ratio formalis influit in actum, obiectiuè mouendo & inclinando potentiam ad actum.

Obſcuritas materialis eſt conditio eſſentialiter prærequiſita ad formale.

95. Minor verò probatur: nam vel obſcuritas in obiecto materiali fidei ſumitur formaliter, pro ipſa negatione claritatis obiectiuę, vel fundamentaliter pro fundamento, ex quo talis negatio claritatis in obiecto reſultat: neutro autem modo integrat rationem formalem aſſentiendi. Non primo, quia negatio vt negatio, cùm neget formaliter perfectionem, nequit poſitiuè mouere intellectum ad aſſenſum fidei prębendum, qui moueri non ſolet, niſi ex aliqua perfectione poſitiua relucente in obiecto. Non ſecundo, in quo ſenſu, vt vidimus aduerſarij tantùm contendunt obſcuritatem integrare obiectum formale fidei, & conſequenter obiectiuè concurrere ad ipſum aſſenſum fidei: quia nequit obſcuritas fundamentalis obiecti mouere intellectum ad aſſenſum, niſi concepta vt potens fundare ipſam formalem negationem claritatis; cum nihil mouere poſſit obiectiuè intellectum, niſi ab ipſo præconceptum. Sed neque vt ſic obſcuritas obiecti materialis mouet intellectum ad aſſenſum fidei: tum quia nemo eliciturus actum fidei reſpicit ad obiectum vt potens cauſare negationem claritatis, ſed vt teſtatum à prima veritate, quę nec falli, nec fallere teſtando poteſt: tum à priori, nam id tantùm poteſt intellectui eſſe ratio aſſentiendi, quod poteſt eſſe cauſa veritatis obiecti reuelati, cùm hoc ſit proprium munus obiecti formalis, certum reddere intellectum de veritate obiecti materialis. Sed ad veritatem obiecti reuelati nil conducit, quod ſit formaliter obſcurum, vel potens cauſare formalem negationem claritatis, ſed potiùs quod ſit à Deo teſtatum: nam ex hoc habet, vt non poſſit non eſſe verum, quod teſtatur.

96. Confirmatur: nam propter hanc cauſam ſect. 1. huius diſputationis, aduerſarijs etiam nobiſcum conſentientibus, negauimus, Deitatem, & quamcunque aliam rationem, præter ipſam veracitatem Dei atteſtantis, ingredi rationem formalem fidei: quia nimirum nulla ratio, pręter veracitatem Dei atteſtantis, conducit ad infallibilem veritatem obiecti reuelati. At multò minùs ad obiecti reuelati veritatem conducit obſcuritas ſiue formalis, ſiue fundamentalis obiecti materialis: nam adhuc ea per intellectum pręciſa, manet adæquata cauſa veritatis obiecti reuelati, quæ eſt veracitas Dei atteſtantis.

Obſcuritas non poteſt ſeparari ab obiecto niſi per intellectum.

97. Nec refert, quod talis obſcuritas nequeat à parte rei ſeparari ab obiecto fidei: quia ſufficit, vt ſeparari poſſit per intellectum. Sicut neque ab obiecto formali eiuſdem à parte rei ſeparari poteſt Deitas, quia tamen ſeparari poteſt per intellectum, quâ præciſa, adhuc manet integra ratio formalis obiecti fidei, non ponitur vt ratio integrans obiectum formale

fidei

fidei infuſæ. Ergo licet extrinſecum teſtimonium Dei re ipſa ponat obſcuritatem in obiecto materiali, neque poſſit talis obſcuritas à parte rei ſeparari, quia tamen non quidquid re ipſa coniunctum eſt cum obiecto, integrat rationem formalem aſſentiendi, ſed ſolùm id, quod obiectiuè mouet intellectum ad aſſenſum præbendum obiecto reuelato; quod, vt oſtendimus, eſt ſolum id, quod eſt medium perſuadendi veritatem obiecti reuelati, qualis eſt ſola veracitas Dei atteſtantis, ideo etiã ſi obſcuritas re ipſa ſit coniuncta cum obiecto materiali fidei, ab eoque inſeparabilis, haud tamen ponenda eſt vt ratio formalis integrans obiectum formale eiuſdem.

98. Dices. Eſto Deitas non moueat per ſe, ad aſſenſum fidei, mouet tamen vt intrinſecè incluſa in prima veritate, tanquam in ratione formali aſſentiendi. Eſto igitur obſcuritas fundamentalis obiecti materialis non moueat per ſe ad aſſenſum fidei, mouet tamen vt intrinſecè incluſa in ipſa ratione formali aſſentiendi. Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſcriminis eſt: quoniam prima veritas, non tantùm quà veritas, ſed etiam quà veritas prima confert ad veritatem obiecti reuelati. Ratio eſt, quia licet veritas tribuat veritatem obiecto reuelato, non tamen quà veritas præciſè tribuit infallibilitatem, ſed quà prima. Quà prima autem idem eſt, ac Diuina & increata. Igitur in ipſa ratione formali aſſentiendi includitur eſſe Diuinum: nam quidquid facit ad veritatem obiecti reuelati, facit etiam ad rationem aſſentiendi. At verò obſcuritas fundamentalis obiecti materialis, merè concomitanter & materialiter ſe habet ad rationem ipſam aſſentiendi, cùm potiùs abducat, quàm conducat ad veritatem obiecti reuelati, quia negat fundamentalem claritatem, quæ conducit ad obiecti veritatem.

99. Ad 1. & 2. argumentum 1. ſentent. ductum ab authoritate ſcripturæ & Patrum, facilè reſpondetur, prędictas authoritates eſſe veras de obſcuritate concomitanti, & per modum conditionis eſſentialiter requiſitæ ad obiectum materiale fidei, non autem de obſcuritate formaliter conſtituente obiectum ipſum formale fidei. Nec refert, quòd hæc obſcuritas ab Apoſtolo ponatur in ipſa definitione fidei, dum illa definitur, *argumentum non apparentium*: nam hæc non eſt propria definitio, cùm in ea non ſit poſitum, quod in fide eſt potiſſimum, nempe authoritas Dei, tanquam motiuum formale: ſed eſt tantùm deſcriptio data per conditionem eſſentialiter requiſitam.

100. Maior difficultas eſt in ſoluendis rationibus, præſertim illa de ſpecificatione actus fidei. Negare enim non poſſumus, quin fides ſpecie differat à quouis alio aſſenſu: nõ differt autem, niſi per obſcuritatem & ineuidentiam: igitur obſcuritas & ineuidentia obiecti materialis, vti ſpecificat actum, ita pertinet ad rationem formalem obiecti: nam omnis ratio, quę ſpecificat actum, pręſupponi debet in obiecto tanquam ratio formalis ipſius. Ad quam difficultatem reſpondendum eſt cohærenter ad data principia, negando, actum fidei ſpecie differre à quouis alio aſſenſu formaliter per obſcuritatem & ineuidentiam, ſed per ſuam rationem formalem poſitiuam, quam accipit ab obiecto formali & ratione aſſentiendi, quæ eſt ipſa prima veritas infallibilis in teſtificando, vt ſtat ſub applicatione obſcura, tanquam conditione ſine qua non. Eſt igitur ratio formalis ſpecificans actum fidei, illumque ab omni alio diſcriminans, certitudo infallibilis deriuata ex obiecto formali media obſcuritate obiecti materialis, tanquam conditione ſine qua non. Per quam certitudinem diſcriminatur à fide humana, & multò magis ab opinione, quę huiuſmodi certitudine carent: diſcriminatur etiam à certitudine ſcientiæ naturalis: tum quia certitudo ſcientiæ naturalis non eſt omnino infallibilis, ſed in gradu duntaxat infallibilitatis naturalis: certitudo autem fidei Diuinæ eſt infallibilis in omni genere, cùm ſit participatio certitudinis ſcientiæ Diuinę, quæ per nullam potentiam fallibilis eſt: tum quia certitudo fidei eſt eſſentialiter coniuncta cum ineuidentia; contrà verò certitudo ſcientiæ cum euidentia. Nam licet hanc ineuidentiam non habeat actus fidei formaliter cauſatam à ſuo obiecto formali, cùm non habeat illam vt ab obiecto formaliter mouente ad aſſenſum per obſcuritatem, vt probatum eſt: habet tamen illam cauſatã ab obiecto materiali concomitanter, & per modum conditionis eſſentialiter requiſitę: nam ſublata tali conditione neceſſariò, tolleretur ipſum obiectum formale fidei: cùm enim obiectum formale fidei ſit Diuinum teſtimoniũ, quod vt extrinſecum rei atteſtatæ, eſſentialiter affert obſcuritatem eidem rei atteſtatæ; ſi ab obiecto materiali fidei tolleretur obſcuritas, neceſſariò à poſteriori tolleretur ipſum motiuum formale, cùm nequeat conſiſtere motiuum formale fidei ſine obſcuritate obiecti materialis. Per eandem infallibilem certitudinem, vt ſtat ſub tali ineuidentia obiecti materialis idem actus fidei differt tam à viſione beata, quàm à fide euidente in atteſtante: quia licet in omnibus eadem prima veritas intellectum moueat ad aſſenſum, in ſola tamen fide noſtra mouet, vt ſtat ſub obſcuritate tam obiecti materialis, quàm reuelationis formalis, tanquam ſub conditione ſine qua non.

Aſſenſus fidei non differt ſpecie ab alio aſſenſu per obſcuritatē.

101. Secunda ratio ſolùm probat, obſcuritatem obiecti materialis eſſe tantùm conditionem eſſentialiter requiſitam, non autem rationem formalem: ad hanc enim præterea requiritur, vt obiectiuè moueat intellectum ad ipſum aſſenſum eliciendum. Sicut licet obiectum voluntatis ſit bonum vt cognitum, cùm neque de potentia abſoluta poſſit, vt ſuppono ex tertio tomo diſputat. 5. à numero 9. voluntas ferri in incognitum: haud tamen cognitio ponitur vt ratio integrans formale obiectum ipſius,

ſed

ſed vt pura duntaxat conditio eſſentialiter requiſita: idq; ex eo, quia cognitio non eſt ratio mouens, ſed tantùm applicans & proponens obiectum, quod ſolum voluntatem impellit ad actum. Alioqui quidquid eſſet in obiecto ſaltem eſſentialiter prærequiſitum pertineret ad rationem formalem, quod falſum eſt, vt ſuprà oſtendimus, & conſtat de abſtractione in ſcientijs, quæ eſſentialiter prærequiritur ad obiectum ſcientificum, & tamen illud formaliter non integrat vt ratio formalis ipſius. Nec eſt eadem ratio de claritate obiectiua & fundamentali: quia hæc cùm ſit poſitiua perfectio obiecti, & maximè conferat ad veritatem obiecti, poteſt intellectum mouere ad actum circa obiectum eliciendum.

SECTIO V.

An obſcuritas obiecti formalis ſit conditio eſſentialiter requiſita ad obiectum formale fidei?

101. HActenus de obſcuritate obiecti materialis; diſputandum deinceps eſt de obſcuritate obiecti formalis. Quod duplex eſt; Alterum principale, quæ eſt prima veritas; Alterum minus principale, quæ eſt ipſius teſtificatio. Notanter autem in titulo quęſtionis dixi, *An ſit conditio eſſentialiter requiſita?* quoniam ex dictis pręcedente ſectione manifeſtè conſtat, eam non eſſe rationem formalem, cùm neque obiectum ipſum formale moueat intellectum ad aſſenſum fidei formaliter vt obſcurum, ſed vt verax, & infallibile in teſtificando. Nam ſub ea ratione mouet intellectum ad aſſenſum, ſub qua tribuit obiecto materiali infallibilem veritatem. Verùm adhuc ſupereſt quęſtio, an ſaltem talis obſcuritas obiecti formalis ad fidem requiratur per modum concomitantis conditionis eſſentialis, vti requiritur obſcuritas obiecti materialis. Vt autem de obſcuritate obiecti materialis dictum eſt, nos hic non diſputare, an fides eſſe poſſit cum euidentia Dei atteſtantis per actum diſtinctum in eodem intellectu, de hoc enim infrà; ſed an vnus idemque actus eſſe poſſit euidens ratione obiecti formalis, & ſimul obſcurus ratione obiecti materialis, recurritq; cum illa quæſtione, an euidentia in atteſtante conſiſtere poſſit cum actu fidei. Eſt autem euidentia in atteſtante, clara notitia, qua euidens fit, Deum eſſe, qui loquitur.

Euidentia in atteſtante quid.

103. PRIMA ſententia affirmat, obſcuritatem obiecti formalis eſſentialiter requiri ad actum fidei, ac proinde non poſſe cum eodem actu fidei coniungi euidentiam Dei atteſtantis. Eſt Durandi in 3. diſt. 23. quæſt. vlt. nu. 12. & diſt. 31. q. 4. nu. 10. Bannez 2.2. q. 5. art. 1. concl. 2. Suarez diſp. 3. de obiecto formali fidei ſect. 8. puncto 3. n. 18. & 3. p. tomo 1. diſp. 27. ſect. 2. §. *ſed triplex occurrit in hoc difficultas:* Turriani 2.2. diſp. 8. dub. 1. vbi per hoc fidem Diuinam ab humana diſcriminat, quod humana niti poteſt teſtimonio dicentis euidenter noto, non autem Diuina: quia teſtimonium humanum cùm ſit fallibile, adhuc euidenter notum, non cogit intellectum ad præbendum aſſenſum rei atteſtatæ: cogit autem teſtimonium Diuinum euidenter notum: quia teſtimonium Diuinum eſt infallibile: de eſſentia autem fidei eſt, vt ſit actus liber. Neq; hic Author eſt ſibi contrarius diſp. 9. dub. 4. vbi docet, cum euidentia in atteſtante eſſe poſſe actum fidei: quia hic non loquitur de vno eodemq; actu, ſed de diſtinctis, quorum vnus ſit euidens, alter obſcurus reſpectu eiuſdem teſtimonij Diuini. Idem docuerat diſp. 6. dub. 3. in fine: vbi ait, ſi Deus clarè oſtenderet Beato ſuum teſtimonium, non oſtenſa re atteſtata, hunc non poſſe circa talem rem atteſtatam fidei aſſenſum elicere. eandem ſententiam ſequuntur Ægidius Coninck de actibus ſupernaturalibus diſp. 9. dub. 8. concl. 2. Franciſcus Syluius 2.2. q. 5. art. 1. concl. 2. & alij, qui nòn vno omnes ducuntur fundamento. Bannez & Syluius ducuntur, tum quia hæc euidentia in atteſtante non poteſt eſſe ſine clara viſione Dei: tum quia talis euidentia neceſſario infert euidentiam in re ipſa atteſtata: repugnat autem fidei euidentia rei atteſtatæ. Minor conſtat ex ſectione pręcedente. Maior patet hoc Syllogiſmo. *Euidens eſt, quidquid Deus reuelat, eſſe verum: euidens eſt, hoc Deum reuelare: ergo euidens eſt, hoc eſſe verum*. Durandus verò & reliqui ducuntur, quoniam fides infuſa eſſentialiter nititur authoritate Diuina, non ſcita, ſed credita.

Durandus. Bannez. Suarez. Turrianus. Coninck. Franciſcus Syluius.

104. SECVNDA ſententia negat, obſcuritatem obiecti formalis eſſe conditionem eſſentialiter requiſitam ad obiectum formale fidei: & conſequenter concedit hæc ſententia poſſe actum fidei eſſentialiter conſiſtere cum euidentia Dei atteſtantis. Eſt Caietani 2.2. qu. 5. art. 1. Ferrarienſis 3. contra gentes c. 40. §. *ad euidentiam huius difficultatis:* Gabrielis in tertio, diſtinct. 24. quęſt. vnica artic. 2. concl. 7. Medinæ prima ſecundæ, quæſt. 90. articul. 1. ad ſeptimum. Vaſquez 1. p. diſput. 135. cap. 3. & 3 p. diſp. 53. cap. 1. Valentię tomo 3. diſput. 1. quæſt. 1. puncto 4. §. *poſſit ne fides*, & aliorum.

Caietanus. Ferrarienſ. Gabriel. Medina. Vaſquez. Valentia.

105. Vt autem in hac controuerſia diſtinctè procedamus diſtinguendę ſunt multę quęſtiones, quæ in ea inuoluuntur, & ex quarum explicatione pendet perfecta reſolutio propoſitę controuerſiæ. Prima eſt: An poſſibilis ſit euidens cognitio atteſtantis Dei abſque clara viſione eiuſdem? Secunda: An dato quod talis cognitio ſit poſſibilis, illa neceſſaria fuerit, ſaltem in primis hominibus, qui immediatè à Deo de myſterijs fidei inſtructi fuerunt, vt Protoparêtes, Prophetę, Apoſtoli?

Digitized by Google

tertia: An hæc euidentia in vno eodemq; actu conſiſtere poſſit cum fide infuſa? Quarta: An poſito, quòd cum ea fides conſiſtere poſſit, talis fides dicenda ſit eiuſdem ſpeciei cum noſtra? Ex quibus omnibus explicata manebit principalis quæſtio: An obſcuritas obiecti formalis ſit conditio eſſentialiter requiſita ad aſſenſum fidei infuſæ?

Prima quæſtio.

An poſsibilis ſit notitia euidens atteſtantis Dei abſq; clara viſione eiuſdem?

106. NEgat Bannez, vt vidimus loco præcitato ad primum contra primam concluſionem, & ad primum argumentum pro ſententia Durandi, quod etiam negauerat quæſt. 1. artic. 5. ad tertium & cum eo citato loco Syluius. Quorum fundamentum eſt: quia nequit locutio ſeu teſtificatio naturæ intellectualis in ſe videri, quin cum ipſa videatur natura intellectualis loquens. Igitur nequit teſtimonium Dei in ſe ipſo videri, quin cum ipſo videatur Deus ipſe teſtificans. Conſequentia patet, quia teſtimonium Dei eſt ipſa locutio Dei identificata cum ſubſtantia Dei. Antecedens probatur, quia locutio naturæ intellectualis eſt actus immanens, quo loquens ſuum conceptum dirigit ad audientem, vt explicui tomo 2. de Angelis diſp. 15. ergo videri non poteſt, quin videatur perſona ipſa loquens. *Bannez. Syluius.*

107. Affirmant verò reliqui, non ſolùm qui cum huiuſmodi euidentia concedunt, ſtare poſſe fidem, ſed etiam qui cum ea conſiſtere poſſe negant. Quam ſententiam non modò probabiliorem, ſed etiam veram, puto. Probant autem illam nonnulli hac ratione. Certùm eſt, Prophetas, eoſque omnes, qui immediatè à Deo de rebus fidei inſtructi fuerunt, veram habuiſſe fidem: cùm teſte Apoſtolo ad Hebræos 11. *impoſſibile ſit ſine fide placere Deo.* colligiturq; ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 8. vbi fides appellatur *humana Salutis initium, fundamentum & radix omnis iuſtificationis.* Neque illam limitat ad fidem Euangelicam, cùm vtatur citato teſtimonio Pauli, quod verum fuit omni tempore, & pro omnibus viatoribus, vt apertè oſtendit diſcurſus Apoſtoli, qui exempla affert de omni ſtatu, & de omnibus viatoribus. Et confirmatur, quia idem ſemper fuit apud homines iuſtificationis modus. Sed Prophetæ, ijque omnes, qui immediatè de rebus fidei fuerunt à Deo inſtructi, habuerunt euidentiam in atteſtante Deo: quippe qui certi eſſe debuerunt, quòd talis reuelatio eſſet à Deo: quod ſcire non potuerunt, niſi per euidentiam in atteſtante, qua illis euidenter conſtabat, reuelationem, quam ipſi habebant, eſſe à Deo. Verùm hic diſcurſus falſo nititur fundamento, non potuiſſe nimirum Prophetas ſine euidentia in atteſtante, eſſe certos de reuelatione, quod eſſet à Deo, vt infrà oſtendam. *Poſsibilis eſt notitia euidens atteſtantis Dei abſque clara viſione eiuſdem. Hebr. 11. Trident.*

108. Probo igitur illam, aſſignando duplicem modum, quo haberi poſſit euidens cognitio reuelationis, abſque viſione Dei reuelantis. Primus ſit; Si Deus infundat homini vel Angelo, aliquem conceptum complexum per modum iudicij, vt quòd Deus ſit Trinus & Vnus; & ſimul propriam ipſius ſpeciem infundat, qua Angelus vel homo perfectè comprehendat illam eſſe locutionem Dei, vel intuendo immediatam illius dependentiam, quam habet à Deo vt à cauſa principali: cùm enim naturæ lumine euidens ſit, Deum non poſſe eſſe Authorem aſſenſus falſi, hoc ipſo quòd Angelus, vel homo euidenter cognoſcit illum eſſe à Deo, euidenter etiam cognoſcit illum terminari non poſſe ad aliquid falſum, etiamſi obiectum in ſe ipſo non cognoſcat, niſi tantùm abſtractiuè: vel cognoſcendo ſupernaturalitatem aſſenſus, cuius principalis cauſa alia eſſe nequit, quàm Deus. Hoc pacto multi putant primum Angelum & Prophetas certos factos fuiſſe de reuelatione Diuina. *Duplex modus.*

109. Secundus modus ſit. Si Deus in confirmationem alicuius veritatis faciat miraculum, cuius euidentem notitiam infundat credenti. Ex hac enim miraculi euidentia in atteſtationem talis veritatis patrati manifeſtè cognoſcitur, Deum eſſe, qui veritatem reuelat: cùm non poſſit Deus eſſe author mendacij: eſſet autem author mendacij, ſi in confirmationem falſi miraculum faceret. Quia cùm nemo alius, præter ipſum, miraculum efficere poſſit, eo ipſo creaturam cogeret ad credendum falſum, ab ipſo per miraculum atteſtatum.

110. Confirmatur: nam ſicut ex aliquo effectu naturali euidenter cognoſcimus, Deum eſſe, qui operatur, quãdo ille in aliam cauſam reduci non poteſt, Deo in ſe ipſo minimè cognito, vt ex creatione animæ rationalis euidenter cognoſcimus, Deum eſſe, qui illã producit; cùm nec alia actione anima rationalis, vtpote ſubſtantia Spiritualis à materia independens producibilis ſit; nec alij, quàm Deo virtus creandi competere poſſit, vt latè probo tomo 2. de Angelis diſp. 2. ſect. 2. & 3. ita ex aliquo effectu ſupernaturali euidenter cognoſcere poſſumus, Deum eſſe, qui loquitur. Si enim dari poteſt effectus ita proprius Dei, vt euidenter oſtendat, ipſum eſſe, qui operatur, & non alium: cur dari non poterit locutio ita propria Dei, vt euidenter oſtendat, ipſum eſſe, qui loquitur, & non alium? cùm non minorem connexionem habeat locutio cum loquente, quàm actio cum agente: eſt enim locutio effectus loquentis, quatenus ab eo fit in ſignum eorum, quæ habet in mente.

111. Ad fundamentum oppoſitę ſentent.

Reſp.

Reſp. Antecedens eſſet tantùm verum de locutione interna, falſum verò de externa, quæ vt proprius effectus manifeſtat internam. Idem quippe argumentum fieri poteſt de voluntate Dei, quæ non minus, quàm ipſius locutio identificatur cum Deo: nemo tamen negat, illam euidenter cognoſci per effectus ad extra productos. Igitur quamuis locutio interna Dei cognoſci nequeat intuitiuè in ſe ipſa, non cognita intuitiuè ſubſtãtia ipſa Dei, cum qua identificatur; poteſt tamen euidenter cognoſci abſtractiuè per eſſentialem habitudinem alterius ad ipſam, eo modo, quo per effectus creatos euidenter cognoſcimus Deum exiſtere, & ex locutione humana cæcus euidenter cognoſcit perſonam, quæ loquitur. Ad probationem autem: quidquid ſit de natura purè intellectuali creata, quæ ob imperfectionem non habet virtutem producendi extra ſe aliquid, quo audienti ſignificet ſuam locutionem internam, vt prænotato tomo de Angelis citata diſp. docui: negandum eſt de natura increata, quæ non ſolum loqui poteſt per locutionem internam, ſicut loquitur ſibi ipſi, & Pater æternus æterno ſuo Filio, vt in primo tomo diſput. 26. ſect. 1. docui, ſed illam etiam creaturę externo ſigno manifeſtare.

Locutio Dei interna, intuitiuè cognoſci nequit, abſque intuitione ipſius ſubſtantia Dei.

Secunda quaſtio.

An hæc euidentia fuerit neceſſaria Prophetis, ijsq́ omnibus, qui immediate à Deo de rebus fidei inſtituti fuerunt?

Caietanus.

112. AFfirmat Caietanus 2.2.q.171.art. 5. vbi docet, neceſſarium fuiſſe, vt ſaltem primi Eccleſię Principes, vt ſunt Prophetæ, Apoſtoli & Euangeliſtę, euidentiam reuelationis habuerint, qua euidenter cognoſcerent, quæ ſibi à Deo Prophetico lumine manifeſtabãtur. *Neque enim minùs*, inquit, *certus eſt Propheta; neq; minùs videt, quod Deus tunc hoc ſibi reuelat, quàm nos ſimus certi, & videamus nos ſcire prima principia per lumen naturale. Et ſimiliter in lumine diuinitus menti ſuæ infuſo videt ea, quæ ſibi reuelantur. ſicut nos in lumine naturali videmus prima principia, & concluſiones in, & ex eis.*

S. Thomas.

113. Probat autem hanc ſententiam 1. authoritate S. Thomæ tum citato loco 2. 2. vbi cùm ſibi obieciſſet in tertio argumento, quod maior ſit certitudo, quę eſt per lumen Diuinum, quàm quæ eſt per lumen naturale: ille autem qui habet ſcientiam certus eſt ſe illam habere: ergo qui habet Prophetiam multò magis certus eſt per lumen Diuinum, ſe illam habere. Ad quod argumentum reſpondet S. Doctor patere ex dictis. Qua reſponſione apertè concedit, certiorem eſſe Prophetam de accepta reuelatione per lumen Diuinum, quàm ſcientificum de ſua ſcientia per lumen naturale. Sed hic eſt certus per euidentiam naturalis ſcientiæ; ergo & ille per euidentiam reuelationis Diuinæ. Tum q.174. art. 3. vbi docet, finem Prophetiæ eſſe manifeſtationem veritatis ſupra hominem exiſtentis. Conſtat autem abſque euidentia manifeſtationem veritatis non eſſe: ergo ſi Prophetæ per lumen Propheticum manifeſtam habent veritatem, habent illam per euidentiam in atteſtante. Tum 3. contra gentes cap. 154. vbi lumen Propheticum aſſimilat lumini naturali primorum principiorum, aitq́ue cognitionem de rebus fidei per lumen Propheticum neceſſariam fuiſſe primis Eccleſię Doctoribus. Sed audiamus Authoris verba: *In manifeſtatione eorum, quæ ſunt fidei, ordinem quendam obſeruari oportuit, ſcilicet vt quidam immediatè à Deo reciperent: alij verò ab his, & ſic per ordinem vſq; ad vltimos. In quibuſcunq; autem eſt aliquis Ordo, oportet, quod quanto aliquid eſt propinquius primo principio, tanto virtuoſius inueniatur, quod in hoc ordine manifeſtationis Diuinæ apparet. Inuiſibilia enim, quorum viſio beatos facit, de quibus fides eſt, primo à Deo reuelantur Angelis beatis per apertam viſionem. Deinde Angelorum interueniente beneficio manifeſtat quibuſdam hominibus; non quidem per apertam viſionem, ſed per quandam certitudinem prouenientem ex reuelatione Diuina. Quæ quidem reuelatio fit quodam interiori & intelligibili lumine mentem eleuante ad percipienda ea, ad quæ per lumen naturale intellectus pertingere non poteſt. Sicut enim lumine naturali intellectus redditur certus de his, quæ lumine illo cognoſcit, vt de primis principijs: ita de his, quæ ſupernaturali lumine apprehendit, certitudinem habet. Hæc autem certitudo neceſſaria eſt ad hoc, quod alijs proponi poſſint ea, quæ Diuina reuelatione percipiuntur. Non enim cum ſecuritate alijs proferimus, de quibus certitudinem non habemus.* Hæc Sanctus Doctor.

114. Secundò probat duplici ratione. Primò, quia ſæpe Prophetæ iubebantur facere quædam, quæ lumini naturali & Diuino videntur repugnare, vt quòd Abraham proprium Filium occideret: quòd Oſea fornicariam acciperet. Niſi enim hi euidentiam habuiſſent, quòd talis reuelatio eſſet à Deo, non potuiſſent hęc, quę naturali ac Diuino lumini repugnare videntur, executioni mandare velle. Secundò: ad hoc vt Eccleſia ſit certa de his, quæ ſunt fidei, requiritur, vt in ſe habeat aliquot teſtes de viſu, iuxta illud 1. Ioannis 1. *Quod vidimus, teſtamur & annuntiamus*: alioqui Eccleſia ex parte ſui nunquam eſſet certa de his, quę ſunt fidei. *1. Ioan. 1.*

115. Negant communiter alij, hanc euidentiam in atteſtante neceſſariam fuiſſe in Eccleſia. *Quæ ſententia longè probabilior eſt.* Fundamentum eſt. Quia non potuit hæc euidentia in atteſtante eſſe neceſſaria primis Eccleſiæ Doctoribus propter ipſos, cùm potuerint ipſi per ſolam euidentiam moralem credibilitatis obligari ad fidem Diuinam adhibendam ijs, quę ſibi immediatè à Deo reuelabantur: vt conſtat tum de Zacharia Patre Ioannis Baptiſtæ, qui ſi euidentiam in atte-

Euidentia in atteſtante non fuit neceſſaria in Eccleſia.

Euidentia credibilitatis ſufficienter obligat ad credendum.

ſtante

ſtante habuiſſet, dubitare non potuiſſet, an verum eſſet, quod illi ab Angelo dicebatur. Tum de nobis, qui abſque huiuſmodi euidentia in atteſtante, per ſolam euidentiam moralem credibilitatis, tenemur fidem Diuinam adhibere ijs, quæ reuelata ſunt. Potuit igitur Deus etiam primis Eccleſiæ Doctoribus res fidei proponere vt euidenter tantùm credibiles, vt nobis proponuntur per eoſdem Eccleſiæ Doctores. Nec potuit hæc euidentia eſſe neceſſaria propter alios: nam ad res fidei alios docendas, ſufficit, vt illæ certiſſimo fidei lumine cum euidentia duntaxat credibilitatis à Doctore teneantur: ſicut de facto talis euidentia neceſſaria non eſt in præſentibus Eccleſiæ Doctoribus, qui debent fidei Myſteria populum docere.

Ad S. Th. 116. Vnde ad argumenta in oppoſitum adducta: ad authoritatem S. Thomæ Reſpondeo illum ſemper loqui de certitudine, non autem de euidentia, vt conſtat tum ex allatis verbis, tum ex alijs locis. Potuerunt autem Prophetæ, & Apoſtoli eſſe certiſſimi de Myſterijs ſibi reuelatis, etiamſi reuelationis euidentiam non habuerint, ſed tantùm credibilitatis euidentiam, quâ poſitâ, obſcuro fidei lumine firmiſſimè poterant illis adhærere, non ſecus ac nos ipſi, qui nonniſi euidentiam credibilitatis habemus de reuelatione Diuina, qua euidentia poſita firmiſſimè illi per lumen fidei adhæremus.

117. Vnde ad primum locum, cùm dicit multo magis Prophetam per lumen Propheticum eſſe certum de reuelatione Diuina, quàm ſcientificum de ſua ſcientia per lumen naturale: comparatio intelligenda non eſt quoad euidentiam, ſed tantùm quoad certitudinem: quod inde probatur, quia ſolum quoad certitudinem lumen Diuinum, ſiue fidei, ſiue Prophetiæ excedit lumen naturale ſcientificum, non autem quoad euidentiam, ſecundum quam ad ſummum lumẽ Propheticum erit æquale lumini naturali ſcientifico.

118. Ad 2. Negatur conſequentia: etenim ad propriam manifeſtationem veritatis ſufficit, ſi illa certo lumine fidei manifeſtetur. Verè enim dicitur Deus nobis veritates manifeſtare, etiamſi eas obſcuro duntaxat lumine fidei manifeſtet. Neque enim cum Regius Propheta Pſal. 50. Dixit: *Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi*: intellexit tantùm de veritatibus euidenter ſibi in lumine Prophetico manifeſtatis, ſed etiam de veritatibus lumine fidei, tã ſibi, quàm alijs reuelatis. Quas reuelationes obſcuro duntaxat lumine fidei aliquando Prophetas habuiſſe, conſtat tum de Zacharia Ioannis Baptiſtæ Genitore; tum de alijs, qui illas per Angelos acceperunt. *Pſalm. 50.*

119. Tertium teſtimonium explicandum eſt eodem modo, quo explicatum eſt primum: vt nimirum comparatio illa inter lumen primorũ principiorum, & lumen Propheticum non intelligatur quoad euidentiam Diuinæ reuelationis, ſed tantùm quoad certitudinem. Vnde non Dixit, *per quandam euidentiam*, ſed *per quandam certitudinem prouenientem ex reuelatione Diuina*: quæ certitudo neceſſaria fuit primis Eccleſiæ Doctoribus, non minùs quàm neceſſaria eſt nunc eiuſdem Eccleſiæ Doctoribus.

120. Vnum in hac ſancti Doctoris Authoritate reſtat explicandum: nam ſi verum eſt, quod quanto aliquid propinquius eſt primo principio eo magis de virtute principij participat; cùm primi Eccleſiæ Doctores propinquiſſimi fuerint Deo, omnium maximè de ipſius lumine participarunt: ergo non tantùm certo lumine fidei, vti nos, qui procul ab illis primis Eccleſiæ Doctoribus diſtamus, ſed euidentia reuelationis myſteria fidei acceperunt. Sed in primis hæc obiectio ſolùm tãgit difficultatem de facto, de qua infrà. Secundo adhuc hoc principium ſaluari poteſt in primis Eccleſię Doctoribus abſque euidentia reuelationis, per vberiorem illuſtrioremque notitiam fidei, & maiorem credibilitatis euidentiam. *An quo quid propinquius primo principio, eò magis de virtutis eius participat*

121. Ad primam verò rationem Caietani negandum eſt, neceſſariam fuiſſe euidentiam in atteſtante, vt obligari potuiſſent ad exequenda ea, quæ aliquo modo videbantur eſſe contra lumen naturale: ſed ſat fuiſſe euidentiam credibilitatis, quæ omne morale dubium tollit. Vnde poſito quod nullum habuerint morale dubium de reuelatione à Deo facta, tenebantur illam exequi. *Ad Caietani.*

122. Ad ſecundam, negandum pariter eſt, vt Eccleſia certa ſit de rebus fidei, neceſſum eſſe, vt in eadem Eccleſia ſint aliqui teſtes de viſu per euidentiam in atteſtante: nam etiamſi nullus ſit talis teſtis, adhuc per ſolam euidentiam credibilitatis cauſatam ex ſignis & miraculis externis, potuit Eccleſia eſſe certa de rebus fidei. Citatum autem teſtimonium Ioannis vel intelligitur de facto vel certè non loquitur de euidentiã in atteſtante, ſed de euidentia credibilitatis habita per ſigna & miracula à Chriſto in confirmationem Myſteriorum fidei facta. Neque tandem eſt neceſſe, vt fides reſoluatur in aliquã cognitionem euidentem creatam, ſed ſufficit, vt reſoluatur in cognitionem euidentem increatam Dei.

123. Cæterùm, an de facto Deus hanc euidentiam, reuelationis in atteſtante communicauerit omnibus, vel ſaltem aliquibus ex Prophetis & Apoſtolis, maxima ex parte pendet ex diſcrimine, quod eſt inter lumen Propheticum & fidei: de quo diſcrimine infrà, vbi etiam hæc quæſtio reſoluetur.

An cum euidentia in atteſtante conſiſtere poſſit fides infuſa?

Tertia quæſtio. Sententia negans.

124. NEgant Authores citati pro prima ſentent. quorum argumenta ſunt hæc.

Reſp. Antecedens eſſet tantùm verum de locutione interna, falſum verò de externa, quæ vt proprius effectus manifeſtat internam. Idem quippe argumentum fieri poteſt de voluntate Dei, quæ non minus, quàm ipſius locutio identificatur cum Deo: nemo tamen negat, illam euidenter cognoſci per effectus ad extra productos. Igitur quamuis locutio interna Dei cognoſci nequeat intuitiuè in ſe ipſa, non cognita intuitiuè ſubſtãtia ipſa Dei, cum qua identificatur; poteſt tamen euidenter cognoſci abſtractiuè per eſſentialem habitudinem alterius ad ipſam, eo modo, quo per effectus creatos euidenter cognoſcimus Deum exiſtere, & ex locutione humana cæcus euidenter cognoſcit perſonam, quæ loquitur. Ad probationem autem: quidquid ſit de natura purè intellectuali creata, quæ ob imperfectionem non habet virtutem producendi extra ſe aliquid, quo audienti ſignificet ſuam locutionem internam, vt prænotato tomo de Angelis citata diſp. docui: negandum eſt de natura increata, quæ non ſolum loqui poteſt per locutionem internam, ſicut loquitur ſibi ipſi, & Pater æternus æterno ſuo Filio, vt in primo tomo diſput. 26. ſect. 1. docui, ſed illam etiam creaturę externo ſigno manifeſtare.

Locutio Dei interna, intuitiuè cognoſci nequit, abſque intuitione ipſius ſubſtantia Dei.

[S]ecunda [q]uæſtio.

An hæc euidentia fuerit neceſſaria Prophetis, ijſq́; omnibus, qui immediate à Deo de rebus fidei inſtituti fuerunt?

[Ca]ietanus.

112. AFfirmat Caietanus 2.2.q.171.art. 5. vbi docet, neceſſarium fuiſſe, vt ſaltem primi Eccleſię Principes, vt ſunt Prophetæ, Apoſtoli & Euangeliſtę, euidentiam reuelationis habuerint, qua euidenter cognoſcerent, quæ ſibi à Deo Prophetico lumine manifeſtabãtur. *Neque enim minùs*, inquit, *certus eſt Propheta; neq; minùs videt, quod Deus tunc hoc ſibi reuelat, quàm nos ſimus certi, & videamus nos ſcire prima principia per lumen naturale. Et ſimiliter in lumine diuinitus menti ſuæ infuſo videt ea, quæ ſibi reuelantur. ſicut nos in lumine naturali videmus prima principia, & concluſiones in, & ex eis.*

Thomas.

113. Probat autem hanc ſententiam 1. authoritate S. Thomæ tum citato loco 2. 2. vbi cùm ſibi obieciſſet in tertio argumento, quod maior ſit certitudo, quę eſt per lumen Diuinum, quàm quæ eſt per lumen naturale: ille autem qui habet ſcientiam certus eſt ſe illam habere: ergo qui habet Prophetiam multò magis certus eſt per lumen Diuinum, ſe illam habere. Ad quod argumentum reſpondet S. Doctor patere ex dictis. Qua reſponſione apertè concedit, certiorem eſſe Prophetam de accepta reuelatione per lumen Diuinum, quàm ſcientificum de ſua ſcientia per lumen naturale. Sed hic eſt certus per euidentiam naturalis ſcientiæ; ergo & ille per euidentiam reuelationis Diuinæ. Tum q.174.art.3. vbi docet, finem Prophetiæ eſſe manifeſtationem veritatis ſupra hominem exiſtentis. Conſtat autem abſque euidentia manifeſtationem veritatis non eſſe: ergo ſi Prophetæ per lumen Propheticum manifeſtam habent veritatem, habent illam per euidentiam in atteſtante. Tum 3. contra gentes cap. 154. vbi lumen Propheticum aſſimilat lumini naturali primorum principiorum, aitq́ue cognitionem de rebus fidei per lumen Propheticum neceſſariam fuiſſe primis Eccleſię Doctoribus. Sed audiamus Authoris verba: *In manifeſtatione eorum, quæ ſunt fidei, ordinem quendam obſeruari oportuit, ſcilicet vt quidam immediatè à Deo reciperent: alij verò ab his, & ſic per ordinem vſq; ad vltimos. In quibuſcunq; autem eſt aliquis Ordo, oportet, quod quanto aliquid eſt propinquius primo principio, tanto virtuoſius inuenatur, quod in hoc ordine manifeſtationis Diuinæ apparet. Inuiſibilia enim, quorum viſio beatos facit, de quibus fides eſt, primò à Deo reuelantur Angelis beatis per apertam viſionem. Deinde Angelorum interueniente beneficio manifeſtat quibuſdam hominibus; non quidem per apertam viſionem, ſed per quandam certitudinem prouenientem ex reuelatione Diuina. Quæ quidem reuelatio fit quodam interiori & intelligibili lumine mentem eleuante ad percipienda ea, ad quæ per lumen naturale intellectus pertingere non poteſt. Sicut enim lumine naturali intellectus redditur certus de his, quæ lumine illo cognoſcit, vt de primis principijs: ita de his, quæ ſupernaturali lumine apprehendit, certitudinem habet. Hæc autem certitudo neceſſaria eſt ad hoc, quod alijs proponi poſſint ea, quæ Diuina reuelatione percipiuntur. Non enim cum ſecuritate alijs proferimus, de quibus certitudinem non habemus.* Hæc Sanctus Doctor.

114. Secundò probat duplici ratione. Primò, quia ſæpe Prophetæ iubebantur facere quædam, quæ lumini naturali & Diuino videntur repugnare, vt quòd Abraham proprium Filium occideret: quòd Oſea fornicariam acciperet. Niſi enim hi euidentiam habuiſſent, quòd talis reuelatio eſſet à Deo, non potuiſſent hęc, quę naturali ac Diuino lumini repugnare videntur, executioni mandare velle. Secundò: ad hoc vt Eccleſia ſit certa de his, quæ ſunt fidei, requiritur, vt in ſe habeat aliquot teſtes de viſu, iuxta illud 1. Ioannis 1. *Quod vidimus, teſtamur & annuntiamus*: alioqui Eccleſia ex parte ſui nunquam eſſet certa de his, quę ſunt fidei.

1. Ioan. 1.

115. Negant communiter alij, hanc euidentiam in atteſtante neceſſariam fuiſſe in Eccleſia. *Quæ ſententia longè probabilior eſt.* Fundamenrum eſt. Quia non potuit hæc euidentia in atteſtante eſſe neceſſaria primis Eccleſiæ Doctoribus propter ipſos, cùm potuerint ipſi per ſolam euidentiam moralem credibilitatis obligari ad fidem Diuinam adhibendam ijs, quę ſibi immediatè à Deo reuelabantur: vt conſtat tum de Zacharia Patre Ioannis Baptiſtæ, qui ſi euidentiam in atteſtante

Euidentia in atteſtante non fuit neceſſaria in Eccleſia.

Euidentia credibilitatis ſufficienter obligat ad credendum.

Digitized by Google

ſtante habuiſſet, dubitare non potuiſſet, an verum eſſet, quod illi ab Angelo dicebatur. Tum de nobis, qui abſque huiuſmodi euidentia in atteſtante, per ſolam euidentiam moralem credibilitatis, tenemur fidem Diuinam adhibere ijs, quæ reuelata ſunt. Potuit igitur Deus etiam primis Eccleſiæ Doctoribus res fidei proponere vt euidenter tantùm credibiles, vt nobis proponuntur per eoſdem Eccleſiæ Doctores. Nec potuit hæc euidentia eſſe neceſſaria propter alios: nam ad res fidei alios docendas, ſufficit, vt illæ certiſſimo fidei lumine cum euidentia duntaxat credibilitatis à Doctore teneantur: ſicut de facto talis euidentia neceſſaria non eſt in præſentibus Eccleſiæ Doctoribus, qui debent fidei Myſteria populum docere.

116. Vnde ad argumenta in oppoſitum adducta: ad authoritatem S. Thomæ Reſpondeo illum ſemper loqui de certitudine, non autem de euidentia, vt conſtat tum ex allatis verbis, tum ex alijs locis. Potuerunt autem Prophetæ, & Apoſtoli eſſe certiſſimi de Myſterijs ſibi reuelatis, etiamſi reuelationis euidentiam non habuerint, ſed tantùm credibilitatis euidentiam, quâ poſitâ, óbſcuro fidei lumine firmiſſimè poterant illis adhærere, non ſecus ac nos ipſi, qui nonniſi euidentiam credibilitatis habemus de reuelatione Diuina, qua euidentia poſita firmiſſimè illi per lumen fidei adhæremus.

Ad S. Th.

117. Vnde ad primum locum, cùm dicit multo magis Prophetam per lumen Propheticum eſſe certum de reuelatione Diuina, quàm ſcientificum de ſua ſcientia per lumen naturale: comparatio intelligenda non eſt quoad euidentiam, ſed tantùm quoad certitudinem: quod inde probatur, quia ſolum quoad certitudinem lumen Diuinum, ſiue fidei, ſiue Prophetiæ excedit lumen naturale ſcientificum, non autem quoad euidentiam, ſecundum quam ad ſummum lumẽ Propheticum erit æquale lumini naturali ſcientifico.

118. Ad 2. Negatur conſequentia: etenim ad propriam manifeſtationem veritatis ſufficit, ſi illa certo lumine fidei manifeſtetur. Verè enim dicitur Deus nobis veritates manifeſtare, etiamſi eas obſcuro duntaxat lumine fidei manifeſtet. Neque enim cum Regius Propheta Pſal. 50. Dixit: *Incerta & occultà ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi*: intellexit tantùm de veritatibus euidenter ſibi in lumine Prophetico manifeſtatis, ſed etiam de veritatibus lumine fidei, tã ſibi, quàm alijs reuelatis. Quas reuelationes obſcuro duntaxat lumine fidei aliquando Prophetas habuiſſe, conſtat tùm de Zacharia Ioannis Baptiſtæ Genitore; tum de alijs, qui illas per Angelos acceperunt.

Pſalm. 50.

119. Tertium teſtimonium explicandum eſt eodem modo, quo explicatum eſt primum: vt nimirum comparatio illa inter lumen primorũ principiorum, & lumen Propheticum non intelligatur quoad euidentiam Diuinæ reuelationis, ſed tantùm quoad certitudinem. Vnde non Dixit, *per quandam euidentiam*, ſed *per quandam certitudinem prouenientem ex reuelatione Diuina*: quæ certitudo neceſſaria fuit primis Eccleſiæ Doctoribus, non minùs quàm neceſſaria eſt nunc eiuſdem Eccleſiæ Doctoribus.

120. Vnum in hac ſancti Doctoris Authoritate reſtat explicandum: nam ſi verum eſt, quod quanto aliquid propinquius eſt primo principio eo magis de virtute principij participat; cùm primi Eccleſiæ Doctores propinquiſſimi fuerint Deo, omnium maximè de ipſius lumine participarunt: ergo non tantùm certo lumine fidei, vti nos, qui procul ab illis primis Eccleſiæ Doctoribus diſtamus, ſed euidentia reuelationis myſteria fidei acceperunt. Sed in primis hæc obiectio ſolùm tãgit difficultatem de facto, de qua infrà. Secundo adhuc hoc principium ſaluari poteſt in primis Eccleſię Doctoribus abſque euidentia reuelationis, per vberiorem illuſtrioremque notitiam fidei, & maiorem credibilitatis euidentiam.

An quo quid propinquius primo principio, eò magis de virtutis eius participat.

121. Ad primam verò rationem Caietani negandum eſt, neceſſariam fuiſſe euidentiam in atteſtante, vt obligari potuiſſent ad exequenda ea, quæ aliquo modo videbantur eſſe contra lumen naturale: ſed ſat fuiſſe euidentiam credibilitatis, quæ omne morale dubium tollit. Vnde poſito quod nullum habuerint morale dubium de reuelatione à Deo facta, tenebantur illam exequi.

Ad Caietani.

122. Ad ſecundam, negandum pariter eſt, vt Eccleſia certa ſit de rebus fidei, neceſſum eſſe, vt in eadem Eccleſia ſint aliqui teſtes de viſu per euidentiam in atteſtante: nam etiamſi nullus ſit talis teſtis, adhuc per ſolam euidentiam credibilitatis cauſatam ex ſignis & miraculis externis, potuit Eccleſia eſſe certa de rebus fidei. Citatum autem teſtimonium Ioannis vel intelligitur de facto vel certè non loquitur de euidentiâ in atteſtante, ſed de euidentia credibilitatis habita per ſigna & miracula à Chriſto in confirmationem Myſteriorum fidei facta. Neque tandem eſt neceſſe, vt fides reſoluatur in aliquã cognitionem euidentem creatam, ſed ſufficit, vt reſoluatur in cognitionem euidentem increatam Dei.

123. Cæterùm, an de facto Deus hanc euidentiam, reuelationis in atteſtante communicauerit omnibus, vel ſaltem aliquibus ex Prophetis & Apoſtolis, maxima ex parte pendet ex diſcrimine, quod eſt inter lumen Propheticum & fidei: de quo diſcrimine infrà, vbi etiam hæc quæſtio reſoluetur.

An cum euidentia in atteſtante conſiſtere poſſit fides infuſa?

124. NEgant Authores citati pro prima ſentent. quorum argumenta ſunt hæc.

Tertia quæſtio. Sententia negans.

hęc. Primùm. Euidentia in atteſtante cauſat notitiã euidentem ipſius rei atteſtatæ: ergo cum fide conſiſtere nequit. Conſequentia patet, quia fides eſſentialiter requirit obſcuritatem obiecti materialis, per hoc enim diſcriminatur à ſcientia. Antecedens probatur hoc Syllogiſmo. *Quidquid Deus reuelat, eſt verum: hoc Deus reuelat; ergo hoc eſt verum.* Maior eſt euidens vel ipſo naturæ lumine. Minor ſupponitur euidens euidentia in atteſtante: ergo concluſio deducta ex duabus præmiſſis euidẽtibus eſt euidens. Confirmatur. Propoſitionem eſſe veram, nihil aliud eſt, quàm ita eſſe, ſicut per ipſam ſignificatur: ergo ſicut ex pręmiſſis euidentibus gignitur aſſenſus euidens veritatis concluſionis; ita & aſſenſus euidens veritatis concluſionis in ſe.

125. Secundùm. Scientia à poſteriori excludit fidem reſpectu eiuſdem obiecti: ergo etiam euidentia in atteſtante. Antecedens probatur: quia ſcientia à poſteriori tollit obſcuritatem, & ponit euidentiam obiecti: fides autem eſſentialiter ſupponit obſcuritatem & ineuidentiam obiecti. Conſequentia verò probatur: quia non minùs euidentia in atteſtante, quàm ſcientia à poſteriori generat euidentiam concluſionis. Nec refert, quod per euidentiam in atteſtante non videatur res in ſe ipſa, quia ſufficit, vt videatur in cauſa: ſicut nec per demonſtrationem à poſteriori videtur Deus in ſe ipſo, ſed in ſuis effectis.

126. Tertiùm. Magis extrinſecæ ſunt creaturæ Deo, quàm clarum teſtimonium Dei ipſi Deo: ſed creaturæ cauſant euidentiam de exiſtentia Dei, ergo multò magis illam cauſat clarum teſtimonium Dei, quo Deus ipſe ſuam exiſtentiam euidenter teſtatur. Vnde ſicut non poteſt cum euidentia de exiſtentia Dei per creaturas cauſata ſtare fides; ita nec cum euidentia de exiſtentia eiuſdem Dei, per clarum teſtimonium ipſius Dei generata.

127. Quartùm. Non minùs teſtimonium Dei eſt effectus voluntarius cauſatus ab ipſo Deo ad repræſentandum ea, quę ſunt in ſua ſcientia, quàm quæuis alia creatura eſt effectus Dei cauſatus ad repręſentandum ipſum eſſe Dei: ergo non minus illud, ſi euidens eſt, quod ſit à Deo, repræſentat ea, quæ ſunt in ſcientia Dei, quàm quæuis creatura repræſentat ipſum eſſe Dei. Confirmatur. 1. Nullus effectus creatus poſſet repræſentare naturaliter Deum, niſi Deus ipſe mediante lumine naturali reuelaſſet, illos effectus eſſe à Deo, iuxta illud ad Romanos 1. *Quod occultum eſt Dei manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtauit.* Vbi Apoſtolus planè loquitur de manifeſtatione, ſeu reuelatione, quæ fit hominibus virtute luminis naturalis. Ergo ſicut hæc naturalis reuelatio non admittit fidem de eodem obiecto: ita nec reuelatio ſupernaturalis euidens à Deo facta. Confirmatur 2. Hæc eſt euidens conſequentia ab effectu ad cauſam: Deus euidenter mihi reuelauit, *verbum Caro factum eſt*: ergo hæc veritas eſt in mente Diuina. Rurſus hæc veritas in mente Diuina eſt practica, cùm ſit de re iam facta: ergo Deus fecit, quod dicit: ergo *verbum Caro factum eſt*. Omnes conſequentiæ euidentes ſunt in ſuis antecedentibus: prima procedit ab effectu ad cauſam, aliæ verò duæ à cauſa ad effectum: ergo non eſt minùs euidens conſequens, quàm ſit hoc, Deus eſt, quod per effectum à poſteriori demonſtratur.

128. Quintùm. Si euidentia in atteſtante non excludit fidem, ſequitur, beatos videntes Deum habere fidem de perpetuitate ſuæ beatitudinis, deque ijs, quorum notitiam non habent in verbo, neque in proprio genere, ſed in Deo teſtificante. Sequela quoad priorem partem probatur: nam hanc perpetuitatem Beati non cognoſcunt in ipſo Deo vi viſionis beatificæ, cùm poſſint videre Deum, & hanc perpetuitatem non cognoſcere, vt conſtat de Paulo, qui iuxta probabilem aliquorum ſententiam in hac vita vidit aliquando Deum, & tamen in eo beatitudinis perpetuitatem non vidit; ſed cognoſcunt illam ex voluntaria reuelatione Dei: igitur ſi euidentia in atteſtante poteſt ſtare cum fide, beati cognoſcentes ſuę beatitudinis perpetuitatem in atteſtante Deo, de illa fidem haberent. Quoad poſterem verò partem patet.

129. Sextùm. Qui habet memoriam demonſtrationis, oblitus ipſius medium, non poteſt de illa fidem habere: ergo neque qui habet euidentiam in atteſtante.

130. Septimùm. Aſſenſus fidei eſſentialiter eſt liber: euidentia autem in atteſtante tollit in aſſenſu libertatem: ergo deſtruit fidem. Maior patet: quia fides eſt actus meritorius, qui eſſentialiter prærequirit libertatem. Minor probatur: quia neceſſitatur intellectus ad aſſentiendum veritati euidenter cognitæ in atteſtante, non minùs qàum neceſſitetur ad aſſentiendum concluſioni euidenter ex præmiſſis deductæ.

131. Affirmant vero Authores pro ſecunda ſententia citati. *Quæ ſententia probabilior nobis videtur*: eaque non obſcurè colligitur ex S. Thoma 2. 2. quæſt. 5. art. 2. in corpore, vbi ait, non repugnare fidei, vt intellectus aſſentiatur reuelationi, etiamſi aliquo ſigno conuincatur, quod illa ſit à Deo. Et adhibet ibidem rationem: quia licet inquit intellectus manifeſtè cognoſceret hoc dici à Deo, quia tamen in ſe euidens non eſſet, adhuc fides in tali caſu locum haberet.

Affirmat S. Thomas. Euidentia in atteſtante poteſt cõſiſtere cum fide.

132. Video Sanctum Thomam explicari poſſe de diſtincto actu præuio ad aſſenſum fidei, non autem de eodem, qui ſimul ſit euidens in atteſtante, & obſcurus reſpectu rei reuelatæ, in quo tantùm ſenſu hic diſputamus, an euidentia in atteſtante conſiſtere poſſit cum aſſenſu fidei. Sed huic obiectioni occurritur: quia ſi in ſententia. S. Tho. non repugnat fides cum euidentia reuelationis

per

Digitized by Google

per actus diſtinctos, nec repugnabit per eundem. Eo quòd in ſententia S. Thomæ eadem repugnantia eſt, per eundem, atque per diſtinctos actus. Vnde negauit ſupra quæſtione 1. articulo 5. de eodem obiecto poſſe eſſe fidem & ſcientiam ſimul. Si igitur concedit, poſſe per diſtinctos actus haberi euidentiam in atteſtante, & ſimul fidem de eadem re reuelata, poterit etiam per eundem actum. Confirmatur: nam ideò per ipſum poteſt cum euidentia in atteſtante fides conſiſtere, quia adhuc maneret res reuelata ſecundùm ſe ineuidens & obſcura: quæ ratio etiam militat in eodem actu. Quæ quia fundamentalis eſt ſic ampliùs explicatur & roboratur.

Euidentia in atteſtante non tollit obiectū formale fidei.

133. Euidentia in atteſtante non tollit formale obiectum fidei: ergo adhuc cum euidentia in atteſtante conſiſtit fides. Conſequentia elucet, quia eſſentia fidei pendet ex obiecto formali: ergo ſi hæc per euidentiam in atteſtante non tollitur, nec tolletur eſſentia fidei. Antecedens verò probatur: nam obiectum formale fidei eſt teſtimonium Dei: hoc autem per ipſius euidentiam non tollitur: nam adhuc ſtante huiuſmodi euidentia, poteſt intellectus non aſſentiri rei reuelatæ per diſcurſum & naturalem connexionem concluſionis cum præmiſſis, ſed propter ſolum teſtimoniū Dei. Dupliciter enim poſſet intellectus aſſentiri obiecto reuelato, cuius reuelationem euidenter nouit in Deo atteſtante, vno modo propter diſcurſum & naturalem connexionem, quam ipſum teſtimonium diuinum habet cum veritate obiecti reuelati. Atque hunc aſſenſum fateor non eſſe fidei ſed ſcientiæ, quippè qui non nititur teſtimonio Dei, ſed naturali diſcurſu. Alio modo propter ſolum teſtimonium Dei, quà teſtimonium Dei eſt, concomitanter tantùm ſe habente ipſius euidentia in atteſtante. Eo modo, quo explicant, qui aſſerunt actum charitatis viæ & Patriæ eſſe eiuſdem ſpeciei. Nam ſiue bonitas increata, quæ eſt formale obiectum, propter quod ſolùm mouetur charitas ad diligendum Deum, proponatur obſcurè in via, ſiue clarè in Patria, ſemper habitus charitatis tendit in illam propter ſe, concomitanter tantùm ſe habente obſcuritate, vel claritate obiecti. Sicut etiam quia obiectum formale obedientiæ eſt præceptum ſeu voluntas ſuperioris, ſiue hæc cognoſcatur euidenter, ſiue obſcurè per fidem, idem ſemper erit actus obedientiæ executiuus voluntatis ſuperioris, propter ipſam voluntatem ſuperioris.

134. Confirmatur primò. Obſcuritas teſtimonij nullo pacto mouet intellectum ad aſſenſum fidei: ergo claritas illius nihil minuit de ratione obiecti formalis fidei. Antecedens patet, quia teſtimonium Dei ſolum mouet, vt eſt infallibile: hoc autem non habet vt obſcurum eſt, ſed quà teſtimonium Dei primæ veritatis eſt: ergo non poteſt quatenus obſcurum eſt, ne quidem fundamentaliter, vt ex 4. ſectione huius diſputationis conſtat, intellectum mouere. Conſequentia verò probatur: nam id tantùm minuit rationem formalem obiecti fidei, quòd minuit rationem ipſam formalem aſſentiendi, cùm tota ratio obiecti formalis ſit propter aſſentiendum obiecto materiali: ergo quod non minuit rationem aſſentiendi, nec minuit rationem obiecti formalis.

Cum euidentia atteſtationi manet adhuc ineuidentia obiecti materialis in ſe.

135. Confirmatur ſecundò. Cum euidentia teſtimonij diuini in atteſtante, adhuc manet ineuidentia & obſcuritas obiecti materialis in ſe: ergo adhuc cum euidentia teſtimonij Diuini in atteſtante habet locum fides. Antecedens patet: quia teſtimonium diuinum, cùm ſit extrinſecum rei atteſtatæ, adhuc euidenter cognitum non ponit euidentiam in re atteſtata ſecundùm intrinſeca: nam ſecundum proprias & intrinſecas rationes adhuc res manet ineuidens & obſcura. Conſequentia verò probatur: nam ibi locum habet fides, vbi eſt obſcuritas obiecti materialis: igitur ſi cum euidentia teſtimonij diuini in atteſtante adhuc manet obſcuritas obiecti materialis ſecundum proprias rationes, adhuc cum tali euidentia locum habebit fides.

136. Confirmatur tertiò. Talis aſſenſus in obiectum reuelatum propter teſtimonium Dei euidenter cognitum eſt poſſibilis. Atqui talis aſſenſus alterius naturæ eſſe non poteſt, quàm fidei diuinę: igitur cùm euidentia teſtimonij diuini ſtat fides infuſa. Maior communiter admittitur, & nonniſi à paucis, vt ſuprà vidimus, negatur Minor, in qua eſt difficultas. Probatur: nam talis naturæ & ſpeciei eſt aſſenſus, cuius naturæ & ſpeciei eſt ratio formalis, propter quam aſſenſus ipſe elicitur, cùm hæc ſit, quæ naturam & ſpeciem tribuit actui. Sed ratio formalis, propter quam hic aſſenſus elicitur, eſt ipſiſſima ratio formalis fidei, nempè ipſum teſtimonium Dei, quod per euidentiam in atteſtante non perdit ſuam rationem formalem, quæ eſt quà teſtimonium Dei vt primæ veritatis eſt: ergo.

137. Confirmatur quartò. Argumento ad hominem contra multos Authores contrariæ ſententiæ, qui ſaltem per diuerſos actus admittunt in eodem intellectu euidentiam in atteſtante, & fidem elicitam propter idem teſtimonium Dei tantum creditum. Nam ſi cognitio euidens teſtimonij diuini non tollit, quin idem intellectus diuerſo actu moueri poſſit ad aſſentiendum rei atteſtatæ propter ſolum teſtimonium Dei: nec eadem euidens cognitio teſtimonij diuini tollet, quin idē intellectus eodem actu obiecto reuelato aſſentiat propter ſolum teſtimonium Dei. Nam perinde eſt, ſiue eodē, ſiue diuerſo actu teſtimonium Dei euidenter cognoſcatur, ad hoc vt intel-

lectus poſſit propter ſolum teſtimonium Dei rei reuelatæ aſſentiri.

138. *Obijcies* 1. Rationes allatæ ſolùm probant, quòd poſſit eſſe fides infuſa cum euidentia in atteſtante per actum diſtinctum, non autem per eundem: quod ſic oſtendo. Nam ideò adductæ rationes probant, ſimul cum euidentia in atteſtante conſiſtere poſſe fidem, quia poteſt euidentia in atteſtante concomitanter tantùm ſe habere ad aſſenſum fidei: id autem concomitanter ſe habet ad actum, quòd extrinſecè tantum coniungitur cum actu: ſicut naturalis euidentia, quam de Deo habemus, quòd mentiri non poſſit, dicitur concomitanter tantùm ſe habere ad aſſenſum fidei, quia extrinſecè tantùm coniungitur cum illo.

Poteſt eſſe euidētia in atteſtante, & ſimul eſſe fides infuſa, per eundem actum,

139. Reſpondeo negando aſſumptum: quippè cùm etiam probent de vno eodemque actu. Non enim repugnat dari lumen infuſum, quod euidenter manifeſtet teſtimonium Diuinum, & ſimul propter ipſum teſtimonium Diuinum aſſentiat rei atteſtatæ. Vnde licet talis aſſenſus non eſſet fidei formaliter, quatenus euidenter exprimeret teſtimonium Diuinum, eſſet tamen fidei, quatenus formaliter eſſet aſſenſus rei atteſtatæ propter ipſum teſtimonium Diuinum, adeòque concomitanter tantùm ſe habente in tali aſſenſu euidentia ipſius teſtimonij: quia non propter euidentiam teſtimonij, ſed propter ipſum teſtimonium Dei, quà teſtimonium Dei eſt, talis aſſenſus pertineret ad fidem.

Idem dicēdum de euidentia primæ veracitatis.

140. Cæterùm quod dictum eſt de euidentia teſtimonij Diuini, idem dictum puta de euidentia Diuinæ veracitatis. Non enim repugnat, dari lumen ſupernaturale euidenter oſtendens, & Deum eſſe, qui loquitur, & eundem manifeſtans euidenter abſtractiuè veracem eſſe in loquendo, & vi eiuſdem luminis intellectum ſimul aſſentiri rei dictæ propter ſolum teſtimonium dicentis. Quid enim repugnat, vi eiuſdem luminis, euidenter cognoſcere, Deum eſſe, qui teſtatur, eumque in teſtando veracem eſſe, & ſimul rei atteſtatæ aſſenſum præbere propter ipſum teſtimonium Dei? cùm adhuc poſitâ euidentiâ atteſtationis, & veracitatis Dei, res ipſa atteſtata maneat in ſe obſcura, ac proinde non neceſſitans quoad exercitium intellectum ad aſſenſum præbendum. Qui aſſenſus, cùm non propter aliam rationem formalem præberetur, quàm propter ipſum teſtimonium Dei, eſto illud ipſum vi eiuſdem luminis ſupponatur euidenter notum, non poterit eſſe niſi fidei Diuinæ. An autem talis aſſenſus foret eiuſdem rationis & ſpeciei cum aſſenſu fidei noſtræ indagabimus infrà.

141. Quare negandum eſt, id tantùm cum aſſenſu fidei concomitanter ſe habere, quod extrinſecè coniungitur cum ipſo aſſenſu, ſed poſſe concomitanter etiam ſe habere, quod intrinſecè per realem identitatem connectitur cum ipſo. Etenim poteſt aliquid realiter identificari cum actu, quod tamen non ſit ratio formalis eliciendi actum. Nam tunc etiamſi identificetur realiter cum actu, concomitanter tamen ſe habebit ad illum, eo quòd non propter hoc mouetur potentia ad actum eliciendum, nam etiamſi id non adeſſet, potentia moueretur ad actum propter ſolum ſuum motiuum formale: quod eſt materialiter & concomitanter tantùm ſe habere ad actum.

142. *Obijcies* 2. Hinc ſequeretur, poſſe intellectum præbere aſſenſum fidei, infuſæ rei à Deo dictæ, etiamſi talem dictionem intellectus cognoſceret notitia aliqua euidenti naturali, vt ſi illam cognoſceret per aliquod miraculum euidenter cognitum in Confirmationem talis atteſtationis factum.

143. Reſpondeo negando ſequelam. Etenim cùm aſſenſus fidei infuſæ ſit infallibilis, & certior quouis lumine naturali, nequit fundari in aliqua euidentia naturali, quæ fallibilis eſt; nec eam habet certitudinem, quam requirit fides infuſa. Non igitur talis actus eſſet aſſenſus fidei infuſæ, eſto materialiter eſſet propter teſtimonium Dei: ſed vel eſſet ſcientiæ, vel fidei naturalis, cùm ad huiuſmodi aſſenſum teſtimonium Dei non concurreret ſecundùm rationem ſupernaturalem, ſecundùm quam tantùm aptum eſt terminare lumen ſupernaturale. De qua difficultate infrà diſputaturi ſumus, cum de actu fidei.

Cognitio teſtimonij Dei euidēs, euidētia naturali, nō eſſet actus fidei infuſa.

144. Inſtabis. Saltem poſſet intellectus ſupernaturali lumine infuſo euidenter cognoſcere rem atteſtatam ſecundùm intrinſecam naturam ſuam, & ſimul vi eiuſdem luminis virtualiter multiplicis eidem rei atteſtatæ aſſentiri propter ſolum teſtimonium Dei extrinſecum. Nam ſicut dari poteſt lumen euidens ex parte teſtimonij, & obſcurum ex parte rei teſtatæ: ita è contrà dari poſſet lumen obſcurum ex parte teſtimonij, & clarum ex parte rei teſtatæ.

145. Reſpondeo quidquid ſit, an tale lumen ſit poſſibile, de quo infrà conſtabit: negandum tamen eſt, tale lumen fore lumen fidei: nam hæc eſſentialiter requirit vi eiuſdem actus, quo obiectum creditur, ſaltem vt conditionem, obſcuritatem obiecti materialis. Vnde licet in tali actu reperiretur tota perfectio poſitiua fidei, quia tamen non reperiretur cum huiuſmodi conditione obſcuritatis obiecti materialis, quam fides ſaltem vt conditionem concomitantem eſſentialiter inuoluit, non mereretur nomen fidei, quod ex placito & vſu ſapientum impoſitum eſt ad ſignificandum actum inuoluentem obſcuritatem

Lumen, quo euidēter cognoſceretur res atteſtata, & crederetur ob teſtimoniū extrinſecū, nō foret lumen fidei.

obiecti

Digitized by Google

obiecti materialis, ſaltem vt conditionem eſſentialem.

146. *Obijcies.* 3. Idem eſt aſſenſus in obiectum materiale, & in formale. Sed aſſenſus in teſtimonium Dei euidenter cognitum non eſt aſſenſus fidei, ſed ſcientiæ: ergo nec aſſenſus in rem atteſtatam erit fidei, ſed ſcientiæ.

147. Reſp. duplicem rationem diſtinguendam eſſe in ipſo aſſenſu erga teſtimonium Dei euidenter cognitum; alteram, qua cognoſcitur teſtimonium Dei vt proprius effectus Dei cum eſſentiali connexione & habitudine ad Deum, tanquam ad propriam cauſam producentem: alteram, qua intellectus aſſentitur in ipſum teſtimonium, tanquam in propriam locutionem & teſtificationem Dei. Porrò talis aſſenſus non vt euidens notitia eſt teſtimonij Diuini, tanquam proprij effectus Dei, ſed vt aſſenſus eſt in teſtimonium Dei, tanquam in propriam locutionem & teſtificationem ipſius, eſt aſſenſus fidei, & idem cum aſſenſu in obiectum materiale fidei.

148. Confirmatur: nam ſicut poſſet intellectus duplici actu ferri in teſtimonium Dei, vno ſcientifico, quo illud cognoſceret per intrinſecam connexionem, quam habet vt effectus cum Deo tanquam cum propria cauſa: altero fidei, quo eidem teſtimonio aſſentiret, tanquam propriæ locutioni & teſtificationi Dei, eaque mediante ipſi rei teſtificatæ: ita poterit vno eodemque actu æquiualente duobus, aſſentiri eidem, & tanquam proprio effectui, & tanquam propriç locutioni Dei, eaque mediante rei teſtificatæ. Neque ex eo quòd hæ duæ rationes formales conueniunt in vna entitate, tollitur quin verè illę exiſtant in vno eodemque actu: cùm identificatio non deſtruat perfectiones identificatorum, vt patet in Deo, in quo cum ſumma identificatione re ipſa manent formales perfectiones identificatorum.

149. *Obijcies* 4. Repugnat, manere obiectum formale opinionis cum euidentia obiecti formalis eiuſdem: ergo repugnat manere obiectum formale fidei cum euidentia teſtimonij Diuini quod eſt ipſum obiectum formale fidei Reſp. negando conſequentiam. Ratio diſcriminis eſt: quia obiectum formale fidei eſt omnino extrinſecum rei credibili: Obiectum autem formale opinionis plerumque eſt intrinſecum rei opinabili, tametſi non cognitum vt intrinſecum. Quare ſi euidenter cognoſceretur, eo ipſo cauſaret intrinſecam euidentiam rei opinabilis, ac proinde eo ipſo ceſſaret eſſe obiectum formale opinionis, quod eſſentialiter eſt medium ineuidens. Contra verò teſtimonium Dei, cùm ſemper ſit extrinſecum rei credibili, neque euidenter cognitum, cauſat intrinſecam euidentiam rei atteſtatæ.

Teſtimoniū Dei, etiam euidēter cognitum, non cauſat intrinſecam euidentiam rei atteſtatæ.

Duplex euidentia, intrinſeca & extrinſeca.

150. Ad argumenta oppoſitæ ſententiæ Reſp. ad 1. diſtinguendo duplicem euidentiam, alteram intrinſecam, extrinſecam alteram: inter quas hoc eſt diſcrimen, quòd prior habetur ex proprio teſtimonio ipſius intellectus, medio aliquo intrinſecam connexionem habente cum re ipſa, ſiue hoc medium ſit intrinſecum rei in eſſendo, ſiue extrinſecum, vt eſt effectus reſpectu cauſæ, qui quamuis ſit extrinſecus illi in eſſendo, eſt tamen illi intrinſecus in cognoſcendo: quia cognitus euidenter manifeſtat perfectionem cauſæ. Poſterior verò haberur ex ſolo teſtimonio Dei, quod nullam intrinſecam connexionem habet cum re atteſtata: & hoc ideo, quia teſtimonium Dei non eſt cauſa rei atteſtatæ: nam etiamſi Deus non eſſet cauſa rerum, adhuc eas & cognoſceret, & teſtari poſſet, vt conſtat de negationibus, quas etiamſi Deus non cauſet, teſtari tamen eas poteſt, vti eas cognoſcit. Concedo igitur, teſtimonium Dei euidenter cognitum inferre in obiectum reuelatum euidentiam extrinſecam, ortam ex ſumma veracitate Dei: non autem intrinſecam fundatam in intrinſeca natura obiecti. Atque hæc ineuidentia ſufficit ad fundandum aſſenſum obſcurum fidei: nam hæc ineuidentia non tollitur per euidentiam atteſtationis Diuinæ, cùm inter atteſtationem Diuinam & rem ipſam atteſtatam ſecundùm ſe nulla ſit intrinſeca connexio. Syllogiſmus autem ab aduerſarijs propoſitus ſolùm probat euidentiam extrinſecam deriuatam ex teſtimonio extrinſeco, non autem euidentiam intrinſecam cauſatam ex medio intrinſeco.

151. Ad Confirmationem, diſtinguo Antecedens de veritate in ſe ſubiectiuè & fundamentaliter, & de veritate obiectiuè & formaliter: aliud quippe eſt, rem eſſe veram in ſe, illud vt veram in ſe terminare actum noſtræ cognitionis: ad 1. ſufficit, vt propoſitio talis ſit in ſe, qualis ſignificatur per ipſam. Ad 2. requiritur, vt talis obijciatur intellectui, qualis eſt in ſe; per euidentiam autem in atteſtante non obijcitur nobis qualis eſt in ſe, ſed qualis proponitur per reuelationem. Præterea concedo, ex præmiſſis euidentibus in atteſtante generari euidentiam veritatis obiecti ſeu concluſionis, non tamen veritatis obiecti ſeu concluſionis in ſe, ſed obiecti ſeu concluſionis vt atteſtatæ formaliter: quod eſt obiectum ſeu concluſionem eſſe euidentem, non euidentia intrinſeca; qua res ipſa per intrinſeca principia cognoſcatur, ſed euidentia extrinſeca per extrinſecum duntaxat teſtimonium Dei euidenter atteſtantis: ſiue, vt alij loquuntur, ex tali euidentia in atteſtante ſolùm ſequitur euidentia de modo, non de re dicta.

152. Ad 2. Negatur conſequentia, eiuſque probatio. Nam teſtimonium dicentis eſt omnino extrinſecum rei atteſtatæ: effectus verò eſt intrinſecus cauſæ in cognoſcendo, quia euidenter demonſtrat eſſe cauſæ per intrinſecam habitudinem & depen-

Effectus eſt intrinſecus cauſæ in cognoſcendo, licet non in eſſendo.

dentiam, quam habet ab illa. Etenim cum effectus ſuum eſſe accipiat à cauſa, neceſſariò illud ſupponit in cauſa: vnde viſus in ſe euidenter ducit in cognitionem cauſæ ſecundum illud eſſe, ſecundùm quod pendet à cauſa. Teſtimonium vero dicentis, quia nihil continet in ſe, quod præſupponat in re atteſtata, quantumcunque in ſe viſum non poterit ducere in euidentem cognitionem illius ſecundum illud determinatum eſſe, quod habet in ſe. Cuius ſignum eſt, quia teſtimonium Dei euidenter cognitum æqualiter reddit euidenter vera omnia obiecta, quæ teſtatur. Contra verò non omnis effectus eadem euidentia demonſtrat cauſam; nec quiuis idem eſſe cauſæ, ſed diuerſi diuerſum formaliter eſſe cauſæ, iuxta diuerſum eſſe, quod à cauſa participant. Cæterùm etſi per effectus & demonſtrationem à poſteriori Deus non videatur in ſe ipſo, videtur tamen abſtractiuè neceſſariò connexus cum ſuis creaturis, tanquam cauſa cum ſuis effectibus: quo pacto non videtur res atteſtata vi teſtimonij euidenter cogniti: idque ex eo, quia teſtimonium ex ſe nullam habet intrinſecam connexionem cum re atteſtata.

153. Ad 3. diſtinguenda eſt maior: creaturæ ſunt magis extrinſecæ Deo in eſſendo, tranſeat; in cognoſcendo ſiue arguitiuè nego. Nam in cognoſcenda exiſtentia Dei, eiuſque virtute ſunt magis intrinſecæ creaturæ Deo, quam teſtimonium ipſius: quia creaturę propter intrinſecam dependentiam, quàm habent vt effectus, dicunt intrinſecam connexionem cum exiſtentia Dei tanquam cum ſua cauſa, proinde per intrinſecam connexionem demonſtrant exiſtentiam Dei. Contra verò teſtimonium Dei, quà teſtimonium Dei formaliter eſt, nullam habet intrinſecam connexionem cum exiſtentia Dei, ſed ſolùm extrinſecam: vnde adhuc eo poſito, quia intellectus non euidenter videt rem atteſtatam in ſe, poſſet illi aſſenſum non præbere. Dixi: *quà teſtimonium Dei eſt*: nam idem teſtimonium conſideratum vt quidam effectus Dei eſt, intrinſecè oſtendit exiſtentiam Dei, non tamen quà teſtimonium Dei formaliter eſt.

154. Ad 4. concedendum eſt, non minùs teſtimonium Dei repræſentare, quæ ſunt in ſcientia Dei, quàm effectum creatum repræſentare ipſum eſſe Dei: negandum tamen eſt, eodem modo repręſentare vnum, atque aliud: nam effectus repræſentat eſſe Dei per intrinſecam connexionem cum illo tanquam cum cauſa: teſtimonium verò Dei repręſentat, quæ ſunt in ſcientia Dei, ſolùm extrinſecè, non per intrinſecam connexionem, quam teſtimonium ipſum habeat cum ijs, quę ſunt in ſcientia Dei. Quod inde patet: nam ſi hoc eſſet, quodlibet teſtimonium, etiam creatum euidenter cognitum repræſentaret ea, quæ ſunt in ſcientia teſtificantis: ſicut omnis effectus repręſentat ſuam cauſam.

155. Ad primam confirmationem concedo, nullum effectum creatum actu poſſe repræſentare Deum, niſi Deus mediante lumine naturali illos reuelaſſet creaturæ: nego tamen, eodem modo Deum per lumen naturale reuelare effectus creaturæ, ac per ſuum teſtimonium: nam per lumen naturale reuelat illos per intrinſecam euidentiam ipſorum, ac proinde ex proprio teſtimonio ipſius intellectus creati, quo fertur in intrinſecam euidentiam illorum. Per ſuum verò teſtimonium ſolùm repræſentat extrinſecè. Vnde non ſequitur, vt ſi reuelatio facta per lumen naturale tollit fidem eiuſdem obiecti: eandem tollat reuelatio ſupernaturalis facta per teſtimonium Diuinum euidenter cognitum cùm non eodem modo teſtimonium Diuinũ intrinſecam connexionem habeat cum obiecto reuelato, ac lumen naturale cum effectu creato.

156. Ad ſecundam Confirmationem negandum eſt, hanc conſequentiam: *Deus euidenter mihi reuelauit, verbum caro factum eſt: ergo hæc veritas eſt in mente Diuina:* procedere ab effectu ad cauſam: cum reuelatio Diuina non ſit cauſa veritatis exiſtentis in mente Diuina: ac proinde non eſſe eandem rationem alterius conſequentiæ, quę procedit per demonſtrationem ab effectu ad cauſam, cùm per effectus creatos demonſtratur exiſtentia Dei.

157. Ad 5. neganda eſt ſequela: quoad perpetuitatem beatitudinis: nam de illa beati certificantur vi luminis, quo certificantur de ſua ipſorum beatitudine: cùm enim perpetuitas ſpectet ad eſſentiam ipſam beatitudinis, idem lumen, quòd eos certificat de natura beatitudinis, certificat etiam de ipſius perennitate, vt probo in tertio tomo diſp. 2 ſect. 9. concedenda verò eſt de ijs, quorum notitiam non habent in verbo, vel in proprio genere: nam de ijs non repugnat beatos habere fidem, tametſi Deus conformando ſe ſtatui beatitudinis, non hoc modo res futuras, beatis reuelet, ſed infundendo illis notitiam in proprio genere. Cæterũ ſicut Paulus, ſi Deum in hac vita vidit, non habuit perfectam beatitudinem in illo tranſitu de Deo, quia non cognouit illam vt perenniter manſuram; ita nec perfectum lumen participauit. Quare concedendum eſt, poſſe aliquem videre Deum, non videndo perpetuitatem ſuæ viſionis: negandum tamen eſt, talem viſionem habere rationem completæ beatitudinis.

158. Ad 6. Negatur antecedens: quia cum memoria non ſit intrinſecum principium rei, oſtendens rem in ſe ipſa, ſed quaſi extrinſecum teſtimonium noſtri, optimè cum fide conſiſtere poteſt, quando oblita medij intrinſeci demonſtrationis, ſolùm recordatur præteritæ demonſtrationis. Cùm enim talis notitia non ſit ſcientia, cùm nec ſit per cauſam, nec per effectum, poterit de eodem obiecto admittere fidem, quæ tantùm excludit euidentiam intrinſecam obiecti.

Memoria rei per demonſtrationem cognita, poteſt conſiſtere cũ fide. oblito medio demonſtrationis.

159. Ad

159. Ad 7. Si libertas conſideretur formaliter, non eſt intrinſeca differentia actus fidei, cùm ſit tantùm extrinſeca denominatio à voluntate liberè applicante intellectum ad aſſenſum fidei. Si verò conſideretur fundamentaliter, pro aſſenſu in obiectum ab intrinſeco non euidens, tunc concedendum eſt, de eſſentia fidei eſſe libertatem ſaltem quoad exercitium, non autem quoad ſpecificationem. Nam licet poſita euidentia in atteſtante, non poſſit intellectus poſitiuè diſcredere rei atteſtatę, quòd eſt non eſſe liberum quoad ſpecificationem: poteſt tamen actu non aſſentiri, aſſenſumque ſuſpendere, quòd eſt eſſe tantùm liberum quoad exercitium. Ratio autem, cur hæc libertas tantum quoad exercitium ſufficiat ad fidem, eſt: quoniam ea tantùm libertas ſufficit ad fidem, cum qua ſaluantur eſſentialia fidei: ſed cum libertate tantùm quoad exercitium ſaluantur eſſentalia fidei. Eſſentialia enim fidei ſunt, vt ſit actus tendens in obiectum ex ſe obſcurum, propter ſolum teſtimonium dicentis: hæc autem omnia ſaluantur per ſolam libertatem quoad exercitium; nam quamdiu manet libertas quoad exercitium, manet obiectum de ſe obſcurum, propter ſolum teſtimonium Dei credibile.

Euidentia in atteſtante non tollit libertatem quoad exercitiam qua

160. Cæterùm etſi, vt infra dicemus, poſſit eſſe actus elicitus ex medio ſcientifico & teſtimonio Diuino, & per conſequens actus habens poſitiuam perfectionē vtriuſque medij, tam fidei, quàm ſcientiæ: haud tamen eſſe poterit actus fidei, ſaltem quoad ea omnia, quæ fides eſſentialiter inuoluit, inter quæ eſt negatio euidentiæ in eodem actu, reſpectu eiuſdem obiecti.

An talis fides eſſet eiuſdem ſpeciei cum noſtra?

161. Ratio dubitandi: quoniam noſtra non ſolùm habet obſcuritatem obiecti materialis, ſed etiam formalis: nec ſolùm fertur in obiectum materiale obſcurè propoſitum, ſed etiam in ipſum obiectum formale obſcurè applicatum. Alia verò fides haberet obſcuritatem obiecti materialis cum euidentia obiecti formalis. Item noſtra fides eſt libera & quoad ſpecificationē, & quoad exercitium, cùm non ſolùm poſſit intellectus credentis nullum actum elicere circa obiectum ſufficienter propoſitum, ſed etiam poſitiuo actu contrario illi diſcredere. Alia verò eſſet tantùm libera quoad exercitium, non autem quoad ſpecificationem, cùm ſolùm poſſet ſuſpendere actum circa obiectum euidenter propoſitum per euidentiam in atteſtante, non autem poſitiuo actu contrario illi diſcredere. Quæ rationes manifeſtè probant, talem fidem fore diuerſæ ſpeciei à noſtra. Ex alia verò parte non videntur plures ſpecie fides infuſæ diſtingui poſſe: quia cùm fides infuſa nitatur ſolo teſtimonio diuino, quod in quauis fide infuſa eſſe vnum ſpecie, non videtur concedendum, quòd talis fides eſſet diuerſa ſpecie à noſtra. Pro huius difficultatis ſolutione.

162. Dicendum eſt 1. huiuſmodi fidem fore veram fidem ſufficientem ad meritum. Prior pars conſtat: quia non poteſt non eſſe vera fides, quæ nititur vero obiecto formali fidei: Atqui talis fides niteretur vero obiecto formali fidei, quia niteretur teſtimonio Diuino. Quod eſt verum obiectum formale fidei: igitur foret vera fides. Nec refert, quòd teſtimonium Diuinum euidenter cognoſceretur: quia, vt ſuprà probatum eſt, talis euidentia non tollit verum teſtimonium Dei, ac proinde verum obiectum formale fidei.

1. Fides, quæ eſt cum euidentia in atteſtante eſt vera fides.

163. Poſterior verò pars probatur: quoniam ad meritum ſufficit libertas quoad exercitium: tum quia talis libertas fuit in multis actibus meritorijs Chriſti: tum quia nos ipſi poſſumus multos actus honeſtos circa bonum in communi ſupernaturale exercere ſolùm liberos quoad exercitium, cùm nequeamus circa bonum in communi habere libertatem quoad ſpecificationem, quia non poſſumus bonum in communi odio habere: tum quia libertas quoad exercitium eſt vera libertas, quæ cadit ſuper ſubſtantiam ipſam actus: quia qui eſt liber quoad exercitium, poteſt ſubſtantiam ipſam actus elicere, vel non elicere: ergo ſufficiens eſt ad meritum.

Sufficit ad meritum.

164. Dicendum 2. Huiuſmodi fidem fore diuerſam ſubſtantialiter à noſtra. Hoc probant rationes dubitandi, quæ euidenter oſtendunt, talem fidem diſcriminandam fore à noſtra, pluſquàm diſcriminarentur duæ numero fides noſtræ reſpectu eiuſdem obiecti.

2. Eſt diuerſa à noſtra ſubſtãtialiter.

165. Dicendum 3. Diſcrimen, quo talis fides à noſtra diſcriminaretur, eſſe per exceſſũ euidentiæ in atteſtante. Explico. Fides noſtra eſſentialiter eſt aſſenſus infallibilis in rem atteſtatam propter teſtimonium Dei: hanc totam perfectionem includeret fides elicita propter teſtimonium Dei euidenter cognitum in ipſo atteſtante Deo: verè enim eſſet aſſenſus in rem reuelatam propter teſtimonium Dei: & præterea ſuper adderet euidentiam eiuſdem teſtimonij vt locutionis propriæ Dei: proinde diſcriminaretur à fide noſtra per huiuſmodi euidentiã in atteſtante, eo prorſus modo, quo aliqui dicũt, actum elicitum ex motiuo ſcientifico & probabili, diſcriminari ab actu opinionis, per euidentiam, quam ſupra actum opinionis ſuperaddit, ita vt tota perfectio poſitiua opinionis reperiatur in tali actu, & præter illam reperiatur etiam poſitiua perfectio ſcientiæ, per quam talis actus formaliter diſcriminaretur ab actu, qui tantùm eſſet opinio.

3. Diſcriminatur à noſtra per exceſſum euidētiæ in atteſtante

166. Cæterum,

tecie diffe- ti à noſtra ſ quæſtio modo lo- uendi.

166. Cæterùm, an talis fides dicenda eſſet ſpecie differre à noſtra, quæſtio eſt de modo loquendi: & vterque modus probabiliter vſurpari poſſet, & quod differret ſpecie, propter euidentiam in atteſtante, quam fidei noſtræ ſuperadderet, ſicut dici poſſet actus elicitus ex motiuo ſcientifico & probabili ſimul ſpecie differre ab actu elicito ex motiuo probabili tantùm: Et rurſus, quòd talis fides propria ſpecie à noſtra non diſcriminaretur. Nam ea tantùm propria ſpecie diſcriminantur, quæ oppoſitis differentijs poſitiuis inter ſe diuerſificantur: huiuſmodi autem fides non diuerſificarentur oppoſitis differentijs poſitiuis: nam licet vna pro differentia haberet euidentiam in atteſtante; altera tamen nullam diceret poſitiuam differentiam, per quam ſpecificè alteri opponeretur, ſed ſolùm ab illa diſcriminaretur per negationem euidentię in atteſtante, cùm totum id, quod in ipſa poſitiuum eſſet, contineretur in altera: vt ſi daretur animal à parte rei exiſtens abſque vlla differentia poſitiua, per nullam differentiam poſitiuam diſcriminaretur à quauis ſpecie animalis, ſed tantùm per negationem omnis poſitiuæ differentiæ.

167. Dices: quæ differunt pluſquam numero, ſpecie differunt: talis fides pluſquam numero differret à noſtra, vt aſſertione 2. probatum eſt: ergo ſpecie differret à noſtra. Maior probatur, quia inter differentiam ſpecificam & numericam non eſt dabilis media. Reſp. Negando maiorem cum ſua probatione: nam inter differentiam ſpecificam & numericam dari poteſt differentia indiuidualis heterogenea. Ad differentiam enim ſpecificam non ſufficit quęcunque diuerſitas numerica maior, ſed requiritur, vt ſit notabiliter maior: proinde non neceſſariò quę differunt plus quàm numero, differunt ſpecie: quia poſſunt differre differentia indiuiduali heterogenea, quæ media eſt inter ſpecificam & indiuidualem quaſi homogeneam.

168. Ea quæ dicta ſunt de actu, proportionaliter applicanda ſunt habitui, vt quemadmodum fides in atteſtante differret à fide obſcura noſtra per ipſam euidentiam in atteſtante, quam ſuperadderet fidei noſtræ: ita & habitus productiuus fidei euidentis in atteſtante differret ab habitu productiuo fidei obſcuræ in atteſtante per ipſam virtutem productiuam euidentiæ in atteſtante, quam virtutem productiuam euidentiæ in atteſtante non dicit habitus fidei noſtræ, qui ſolùm intellectum inclinat ad aſſentiendum rei atteſtatæ propter teſtimonium Dei atteſtantis. Alter verò habitus non ſolùm inclinaret ad aſſentiendum rei atteſtatæ propter teſtimonium Dei atteſtantis, ſed etiam ad euidentiam eiuſdem teſtimonij vt proprij effectus Dei. An autem tale fuerit lumen Propheticum, dicemus infra.

bitus fi- euiden- in atte- nte, dif- t ab ha- u fidei cura in eſtante.

169. Ex dictis infertur 1. Tam habitum fidei noſtræ ad actum fidei euidentis in atteſtante, quàm habitum fidei euidentis in atteſtante actiuè concurrere poſſe ad actum fidei noſtrę: cum vterque habitus in vtroq; actu fidei producere poſſit aſſenſum in rem atteſtatam propter teſtimonium Dei: hoc tamen diſcrimine, quòd habitus fidei noſtrę nequeat producere actum fidei euidentis in atteſtante ſecundùm totam perfectionem, quæ in eo reperitur, cùm in eo non ſolùm reperiatur aſſenſus in rem atteſtatam propter teſtimonium Dei, ſed etiam ſcientia eiuſdem teſtimonij, vt Dei effectus eſt, quã habitus fidei noſtræ producere non poteſt. Contra verò habitus fidei euidentis in atteſtante producere poteſt actum fidei noſtræ quoad totam ſuam perfectionem: nam ſicut actus fidei euidentis in atteſtante continet totam perfectionem actus fidei noſtræ, & excedit illam quoad euidentiam Dei atteſtantis: ita & habitus fidei euidentis in atteſtante continet totam perfectionem habitus fidei noſtræ, exceditque illum in virtute producendi euidentiam atteſtantis Dei.

170. Infertur 2. poſſe eundem habitum fidei euidentis in atteſtante producere actum, quo tantùm euidenter cognoſcatur teſtimonium Dei, abſque eo quòd eodem actu aſſentiatur rei atteſtatæ; & vice verſa, producere poſſe ſolum actum fidei noſtræ, quo aſſentiatur rei atteſtatæ abſque euidentia Dei atteſtantis. Fundamentum eſt: quia quando principium continet vim virtualiter multiplicem, & in applicatione pendet à libertate operantis, poteſt applicari ad vnum effectum, quin applicetur ad aliud. Sed huiuſmodi habitus continet vim virtualiter multiplicem, & in applicatione pendet à libertate operantis: igitur poterit applicari ad vnum actum, quin applicetur ad alium. Maior conſtat in ſpeciebus Angelicis, quæ quia habent vim virtualiter multiplicem plura obiecta repræſentandi, & in applicatione pendent à libertate Angeli operantis, poſſunt applicari ad formalem repræſentationem vnius obiecti, & non alterius. Minor patet ex dictis, cùm iam probatum ſit, talem habitum ad vtrumque virtualiter inclinare, & ad euidentiam in atteſtante, & ad aſſenſum in rem atteſtatam propter teſtimonium Dei. Quòd autem in applicatione pendeat à libera voluntate operantis, conſtat tum ex natura habituum, quibus vtimur cùm volumus, & quantum volumus: tum à paritate habitus charitatis infuſæ, quo liberè vti poſſumus, vel ad diligendum Deum tantùm, vel proximum tantùm, vel vtrumque ſimul.

171. Ex dictis ſoluta manet principalis quæſtio. An obſcuritas obiecti formalis ſit conditio eſſentialiter requiſita ad obiectum formale fidei? nam ſi intelligatur de fide noſtra, vera eſt pars affirmans: quoniam, vt vidimus, fides noſtra vtramque obſcuritatem tam obiecti materialis, quàm formalis ſupponit vt conditionem. Si verò intelligatur

Obſcuritas obiecti formalis ſolùm eſt conditio eſſentialiter requiſita ad fidem noſtram.

Digitized by Google

gatur de quacunque alia fide ad meritum ſufficiente, negatiua pars eſt vera: quoniam, vt oſtendimus, per negationem obſcuritatis obiecti formalis non tollitur obiectum formale fidei Diuinæ vt ſic, quod eſt ipſum teſtimonium Dei.

172. Ex dictis etiam patet ad argumenta. 1. Sententiæ. Obiter autem aduerto, non cohærenter docuiſſe Durandum, euidentiam reuelationis tollere omnem fidem, eo quòd obiectum fidei ſit authoritas Dei obſcura: quia cū per ipſum obſcuritas nō pertineat ad obiectum formale fidei, ſed ſit ſola conditio concomitans obiectum fidei, non ſequitur, quòd ea ſublata, tollatur obiectum formale fidei, præſertim quia adhuc cum euidentia reuelationis ſtare poteſt obſcuritas obiecti materialis.

173. Argumentum autem ductum à differentia fidei humanę, ad probandum quòd euidentia in atteſtante ſtare non poſſit cum fide Diuina, quo Turrianus vtitur, tantùm abeſt, vt noſtram doctrinam infirmet, vt potiùs eam confirmet: nam etiamſi quis non ſolùm euidenter cognoſcat teſtimonium humanum, ſed ipſam veracitatem hominis dicentis, adhuc locum haberet fides humana, cùm adhuc res atteſtata maneret obſcura in ſe.

SECTIO VI.

An reuelatio virtualis ſit obiectum formale fidei infuſæ?

Reuelatio virtualis & formalis.

174. REVELATIO virtualis eſt, quæ non immediatè & in ſe, ſed mediatè & in alio expreſsè reuelato manifeſtatur, ad differentiam reuelationis formalis, quæ immediatè & in ſe manifeſtatur: Vt *Deus eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus*, reuelatio eſt formalis, quia immediatè manifeſtata eſt in ſcripturis ſacris Matthæi vltimo. Hæc verò, *Pater, Filius, & Spiritus ſanctus diſtinguuntur inter ſe realiter*, reuelatio eſt virtualis manifeſtata in ipſa reuelatione formali, *Deus eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus.* Quæſtio igitur eſt, an non ſolùm reuelatio formalis ſit formale obiectum fidei fide Diuina credendum, ſed etiam reuelatio virtualis. Porrò bifariam poteſt reuelatio virtualis terminare aſſenſum credentis, vno modo vt applicata per diſcurſum, ita vt non tantùm reuelatio, ſed ipſe etiam diſcurſus, ſeu naturalis connexio reuelationis virtualis cum formali, ſit adæquatum & integrum obiectum formale intellectus: alio modo, vt ſe ipſa formaliter terminet actum credentis, præuio tantum diſcurſu vt conditione explicante reuelationem virtualem contineri in formali. In vtroque ſenſu, ſed præcipuè in poſteriori controuerſia eſt, an ſit formale obiectum fidei infuſæ.

Diſcurſus concurrit vel vt conditio Explicans reuelationem virtualem, vel vt ratio ſimul aſſentiendi.

175. Prima ſententia negat, in vllo ſenſu reuelationem virtualem eſſe obiectum formale fidei infuſæ, ſed ſolius habitus Theologici. Eſt Molinæ 1. p. quæſt. 1. art. 2. diſp. 1. & 2. Et Suarez in præſenti materia diſp. 3. ſect. 11 qui in eo differt à Molina, quod Molina putet, neque vt ab Eccleſia definitas, has veritates eſſe obiectum fidei Diuinæ, ſed adhuc poſita definitione Eccleſiæ, illas manere obiectum habitus Theologici. Ratio eius eſt, quia Eccleſia non habet authoritatem efficiendi aliquam veritatem immediatè de fide, quæ de fide immediatè non eſt. Contrà verò Suarez contendit quòd licet hæ veritates ante definitionem Eccleſiæ non ſint de fide formaliter & immediatè, accedente tamen definitione Eccleſiæ, ſtatim eas fieri formaliter de fide, & obiectum habitus fidei infuſæ. Probat autem ſuam opinionem hoc ſyllogiſmo. *Quod Eccleſia definit, Deus per Eccleſiam teſtificatur: ſed Eccleſia definit talem veritatem in ſe & formaliter: ergo illam in ſe & formaliter Deus teſtificatur.* Eandem ſententiam Molinæ ſequuntur Valentia tomo 3. diſputatione 1. quæſtione 1. puncto 2. Coninck diſputatione 9. dubio 9.

Molina. Suarez. Valentia. Coninck.

Fund. Suarez.

176. Ratio autem, cur virtualis reuelatio non ſit formale obiectum fidei, eſt: quoniam, vt argumentatur Suarez, virtualis reuelatio nec habet tantam certitudinem, quantam habet reuelatio formalis; nec habet eundem modum certificandi intellectum, cum vna certificet immediatè & per ſe, altera tantùm mediatè & in altero contenta. Confirmatur 1. Nam hæc virtualis continentia reuelationis virtualis in formali non manifeſtatur per ipſam reuelationem formalem, ſed per lumen naturale, quod non dat tantam certitudinem, quantam dat Diuina reuelatio: ergo aſſenſus vnius non poteſt eſſe ita certus ſicut aſſenſus alterius.

S. Thomas.

177. Confirmatur 2. Nam omnes ferè Scholaſtici in Prologo, præſertim S. Thomas 1. parte quæſtione 1. articulo 1. & 2. diſcriminant habitum fidei ab habitu Theologiæ, etiamſi vterque ſit ad aſſentiendum rebus obſcuris: non poteſt autem vnus ab alio diſcriminari, niſi quia vnus inclinat ad aſſentiendum rebus formaliter & immediatè, alter virtualiter & mediatè tantùm reuelatis. Minorem probat: nam dum S. Thomas diſtinguit aſſenſum Theologicum, ab aſſenſu fidei, docet, aſſenſum Theologicum eſſe certiorem præmiſſa naturali euidenti: hic autem non poteſt intelligi de aſſenſu fundato in diſcurſu, quia hic nequit eſſe certior præmiſſa, ex qua gignitur, cùm nequeat concluſio eſſe certior præmiſſa: ergo loquitur de aſſenſu fundato in ſola reuelatione virtuali, præuio tantùm diſcurſu, tanquam conditione explicante, reuelationem virtualem contineri in formali.

178. Probat

Fund. Molina. 178. Probat 2. Molina. Ita ſe habet habitus fidei ad concluſiones ex articulis reuelatis euidenter deducendas, ſicut habitus principiorum in ſcientijs naturalibus ad concluſiones ex ijs euidenter deducendas: ſed in ſcientijs naturalibus habitus inclinans ad aſſenſum concluſionum, quæ ex principijs euidenter deducuntur, eſt ſpecie diuerſus ab habitu inclinante ad aſſenſum principiorum: ergo & habitus inclinans ad aſſenſum veritatum, quæ euidenter deducuntur ex articulis fidei, ab habitu inclinante ad aſſenſum ipſorum & articulorum: proinde non eodem habitu creduntur veritates immediatè, ac mediatè tantùm & virtualiter reuelatæ: ſed illæ habitu fidei, hæ Theologiæ.

179. Confirmat. Si per poſſibile vel impoſſibile Deus clarè reuelaret alicui articulos fidei, non reuelatis concluſionibus, ſi poſteà hic proprio marte euidenti conſecutione deduceret virtuales veritates, compararet ſibi aſſenſum & habitum ſpecie diuerſum ab habitu articulorum: ergo etiam quando Theologus ex articulis reuelatis proprio Marte deducit concluſiones, comparat ſibi aſſenſum & habitum ſpecie diuerſum à fide.

180. SECVNDA ſententia affirmat, non modo iuxta poſteriorem ſenſum, præuio diſcurſu vt conditione tantùm explicante, ſed etiam iuxta priorem concurrente formaliter diſcurſu vt ratione aſſentiendi, reuelationem virtualem eſſe obiectum formale fidei, pertinereque ad eundum habitum infuſum fidei. Eſt Vegæ lib. 9. in Tridentino cap. 39. aſſerentis, concluſionem Theologicam etiam vt deductam, eſſe de fide, quem fruſtra Vaſquez 1. p. diſp. 5. cap. 3. interpretari conatur de concluſione vt explicata: ſiquidem ibidem docet, concluſionem Theologicam fide infuſa credendam, eſſe minus certam quàm principium, ex quo, deducitur, ob regulam poſterioriſticam. *Propter quod vnum quodque tale & illud magis*: at concluſio Theologica vt explicata non eſt minus certa, quàm principium ex quo deducitur, cùm nitatur eodem motiuo adæquato Diuinæ authoritatis, quo ipſum principium. Eadem ſententia tribuitur Cano. lib. 6. de locis Theologicis cap. 8. §. *Sed & id poſtremo conſiderandum.* Verùm hic author explicari poteſt iuxta poſteriorem ſenſum, vt ſe ipſum explicat lib. 12. cap. 6. §. *Octaua præceptio*, vbi ad diſtinctum habitum ait pertinere concluſionem Theologicam, ex principijs reuelatis euidenter deductam: eſto in priori loco dixerit, illum pertinere ad habitum fidei: quia nimirum hîc concluſionem Theologicam conſiderauit iuxta primum ſenſum; in priori verò iuxta ſecundum. Sicut etiam explicari poſſunt Medina prima 2. quæſt. 112. art. 1. ad 1. argumentum contra 3. Concluſionem, & Sotus lib. 1. poſteriorum quæſt. 2. ad 7. vbi duplicem diſtinguit concluſionem Theologicam; alteram euidenter deductam ex articulis fidei, & hanc putat eſſe de fide: alteram tantum probabilem, quam opinionem appellat.

Vega. Vaſquez. Canus. Medina. Soctus.

181. Probatur hæc ſententia 1. Multæ ſunt propoſitiones de fide Diuina, quarum oppoſitæ cenſentur Hæreticæ, ex eo tantùm quòd euidenter deducuntur ex principijs reuelatis, vt quod Deus ſit incorporeus, infinitus, quod Chriſtus duas habeat voluntates, quod Pater, Filius, & Spiritus ſanctus realiter inter ſe diſtinguantur, & aliæ huiuſmodi.

182. Secundò. Concluſio deducta ex vna credita, & alia euidente habet omnia requiſita ad propoſitionem de fide. Eſt enim certa, quia ſequitur ex certis: eſt ineuidens, quia ſemper concluſio ſequitur partem debiliorem, & conſequenter obſcuritatem præmiſſæ de fide: Sicut quoad certitudinem non ſequitur præmiſſam de fide, ideoque eſt eâ minus certa.

183. Tertiò. Qui negat concluſionem euidenter illatam ex vna credita & alia euidenti, eſt Hæreticus: ergo illa eſt de fide, quia Hæreticus non eſt, niſi qui negat propoſitionem de fide.

184. Quartò. Idem eſt habitus principiorum & concluſionum: ergo idem habitus fidei tendit ad articulos, & concluſiones, ex ijs deductas.

185. Quintò. Theologus eodem habitu aſſentitur concluſioni euidenter deductæ ex vno principio immediatè reuelato ante definitionem Eccleſiæ, ac poſt: ſed poſt definitionem Eccleſię aſſentitur illi habitu fidei; ergo & antea.

186. TERTIA ſententia docet, reuelationem virtualem iuxta poſteriorem tantùm ſenſum eſſe obiectum formale fidei, iuxta priorem verò eſſe tantùm obiectum habitus Theologici. Eſt Scoti in 3. diſt. 25. quæſt. vnica, vbi diſcrimen aſſignat inter habitum principiorum, & concluſionum in ſcientijs naturalibus, & inter habitum articulorum, & eorum quæ ex articulis in fide deducuntur. Nam ratio formalis, à qua ſpecificatur habitus principiorum & concluſionum eſt diuerſa: eſt enim ipſa intrinſeca connexio rerum, quæ diuerſa eſt in principijs, & concluſionibus. Contrà verò ratio formalis, à qua ſpecificatur habitus fidei, & eorum, quæ ex fide deducuntur, eſt eadem, ipſa ſcilicet authoritas Diuina. Eandem ſententiam ex recentioribus docet Bellarminus lib. 4. de amiſſione gratiæ, & ſtatu peccati cap. 11. §. *ad qua teſtimonia.* Et lib. 4. de verbo Dei non ſcripto cap. 9. Vaſquez 1. p. diſputatione 5. cap. 3. vbi quamuis ipſe concedat, aſſenſum fidei infuſæ generari per diſcurſum deductum ex ipſo teſtimonio Dei, aſſentimur enim obiecto reuelato, quia Deus dixit: haud tamen concedit, concluſionem Theologicam vt deductam ex ipſis articulis fidei eſſe obiectum formale fidei, ſed ſolum vt explicatam. Aliud

Scotus. Bellarmin. Vaſquez.

igitur

Digitized by Google

igitur eſt in eius ſententia, aſſenſum generari ex teſtimonio Dei medio diſcurſu, quod fidei non repugnat; aliud generari ex articulis reuelatis medio diſcurſu, quod fidem tollit. Eandem ſententiam ſequitur Albertinus quæſt. 3. ex principio 3. Philoſophico, dubitatione prima & alij. Pro cuius controuerſiæ ſolutione.

Albertinus.

Reuelatio virtualis per diſcurſum non eſt obiectū formale fidei.

187. Dico 1. Nulla virtualis reuelatio applicata per diſcurſum, tanquam per rationem formalem aſſentiendi eſt obiectum formale fidei infuſæ. Fundamentum, quoniam fides nititur ſolo teſtimonio dicentis: vnde tantùm recedit à fide, quantùm recedit à teſtimonio dicentis, cùm hoc ſit proprium motiuum ipſius, & diſtinctiuum à quolibet alio: credere enim, eſt aſſentiri dictis alterius, quia ipſe dicit. Vnde neque in humanis nuncupanda eſſet fides, actus, quo quis ex re ab alio dicta per naturalem diſcurſum deduceret aliquid in ea contentum: quia tunc non tam propter teſtimonium dicentis, quàm propter naturalem euidentiam & intrinſecam connexionem vnius veritatis cum alia homo aſſentiretur, quod è diametro pugnat cum natura fidei.

Credere quid.

Certitudo fidei vnde.

188. Confirmatur. Fides Diuina habet ſummam certitudinem: talis autem aſſenſus non haberet ſummam certitudinem: ergo non eſſet aſſenſus fidei Diuinæ. Maior conſtat: nam fides Diuina eſt participatio luminis increati, quod in certitudine ſuperat omne lumen etiam euidens naturale. Minor probatur: quia concluſio nequit excedere certitudinem ſui principij: ergo ſi principium, propter quod talis aſſenſus præbetur, eſt naturalis connexio vnius cum alio, non poterit eſſe tali principio certior, ſaltem non erit ita certus, ſicut eſt aſſenſus elicitus propter ſolum teſtimonium Dei, ac proinde non erit ſummè certus. Erit igitur talis aſſenſus Theologicus, qui in hoc diſcriminatur à fide, quod hæc nititur tanquam motiuo formali teſtimonio Diuino; ille naturali diſcurſu, cui immediatè innititur. Vnde ſicut concluſio Theologica quoad euidentiam non ſequitur præmiſſam naturalem, ſed obſcuram fidei; ita neque quoad certitudinem ſequitur præmiſſam de fide. An autem concluſio Theologica habeat maiorem certitudinem quàm præmiſſa naturalis, dicemus infrà: nobis autem hic ſufficit, vt non habeat tantam certitudinem, quantam habet præmiſſa de fide, ac proinde non ſit ſummè certa, vti debet eſſe fides Diuina.

Omnes aſſenſus fidei diuinæ ſunt æqualiter certi.

189. Neque dicas cum Vega: non omnes aſſenſus fidei Diuinæ debere eſſe æqualiter certos: nam ſicut omnes nituntur teſtimonio Diuino propter ſe, ita æqualem habere debent certitudinem: alioqui ſi cum teſtimonio Diuino admiſceri poſſet ratio aliqua naturalis, non ampliùs nos ad aſſenſum moueret authoritas Diuina propter ſe ipſam, ſed propter rationem naturalem, propter quam authoritas ipſa Diuina vltimo determinaretur ad mouendum intellectum ad aſſenſum præbendum.

Reuelatio virtualis applicata per diſcurſum, tanquam per conditionem explicantē, eſt obiectū formale fidei.

190. Dico 2. Reuelatio virtualis applicata per diſcurſum, tanquam per conditionem ſolùm explicantem, eſt obiectum formale fidei infuſæ. Antequam aſſertionem probem. Notandum eſt, bifariam poſſe vnum in alio contineri; vno modo, vt particulare ſub vniuerſali, vt ſub hac vniuerſali propoſitione immediatè reuelata. *Omnis homo eſt à Chriſto redemptus*: continentur omnes particulares propoſitiones conſtantes ex ſingulis indiuiduis naturæ humanæ, vt *Petrus eſt à Chriſto redemptus*, *Paulus eſt à Chriſto redemptus*, & ſic de cæteris hominibus ſingillatim: Alio modo vt perfectio tanquam cum ſubiecto naturaliter connexa, vt in hac veritate expreſsè reuelata, *Chriſtus eſt homo*, tanquam cum proprio ſubiecto continentur omnes iſtæ, *Chriſtus eſt riſiuus*, *Chriſtus habet intellectum & voluntatem humanam*, *Chriſtus habet appetitum ſenſitiuum* &c. Quoad primum modum continentiæ conueniunt aduerſarij nobiſcum, ſingulas propoſitiones particulares contentas ſub vniuerſali reuelata, per diſcurſum tantùm explicatas eſſe obiectum formale fidei, credendaſque eodem motiuo & habitu, quibus creditur ipſamet vniuerſalis propoſitio immediatè reuelata. Ratio eſt: quia in ipſa propoſitione vniuerſali immediatè & formaliter, licet confuſè contineantur particulares, propter quas vniuerſalis reuelatur. Idem igitur eſt reuelare hanc vniuerſalem. *Omnis homo eſt à Chriſto redemptus*, ac reuelare, ſingulos indiuiduos homines eſſe à Chriſto redemptos: quia redemptio non exercetur circa hominem in communi, ſed circa ſingulos in particulari.

Particulare contentum in vniuerſali expreſsè reuelato pertinet ad fidem.

191. Dices, hanc regulam deficere in multis caſibus: nam 1. reuelata eſt hæc vniuerſalis, *Omnis contritus eſt in gratia*, cùm tamen de fide non ſit, quod hic, vel ille particularis homo contritus ſit in gratia. Reuelata eſt hæc vniuerſalis, *Omnis hoſtia ritè conſecrata continet verum Chriſti corpus*, cùm tamen de fide non ſit, quod hæc vel illa hoſtia ritè conſecrata contineat verum Chriſti corpus. Reuelatum eſt, quod *omnis ritè Baptizatus ſit in gratia*, cùm tamen de fide non ſit, quod hic vel ille ritè Baptizatus ſit in gratia.

192. Reſp. Negando in vllo caſu datam regulam deficere. Vnde ſi in aſſignatis exemplis euidens eſſet, quod hic vel ille homo eſſet contritus, hæc vel illa hoſtia eſſet ritè conſecrata, hæc illa perſona eſſe legitimè Baptizata, vti euidens eſt, quod Petrus, vel Paulus, & quoduis indiuiduum naturæ humanæ ſit homo, non minùs illa, quàm hæc eſſent obiectum fidei. Quia verò quod hic vel ille homo ſit contritus: quod hæc vel illa hoſtia ſit ritè conſecrata: quod hæc vel illa perſona ſit legitimè Baptizata, pendet ex multis circumſtantijs, quæ nec

certò

Digitized by Google

certò humanitùs ſciri poſſunt, nec tenetur Deus prouidere, vt illæ certò ſciantur, quia non reuelat propoſitionem vniuerſalem, vt certò credantur particulares ſub illa contentæ, ideo magna eſt diſparitas, inter hæc, & illa. Cæterùm ſi mihi euidenter conſtaret, aliquem eſſe ritè Baptizatum, vt ſi ego ipſe infantem Baptizarem, ſaltem mihi de fide eſſet, talem infantem à me ritè Baptizatum eſſe in gratia.

193. Ergo difficultas eſt, quando vnum continetur in alio iuxta poſteriorem modũ, vt perfectio in ſubiecto. Quæ adhuc tripliciter cõtineri poteſt. Primò, vt definitio, vel pars definitionis in definito: Secũdò, vt perfectio omnino inſeparabilis. Tertiò, vt proprietas naturaliter ſaltem cũ ſubiecto connexa. Quę primo modo continentur vt partes definitionis in definito, etiam aduerſarij nobiſcum ſentiunt, ea pertinere ad fidem, non minùs quàm definitum ipſum expreſsè reuelatum: eo quòd, inquiunt, partes definiti formaliter, licet implicitè & confusè contineantur in definito. Vnde reuelato, quod Chriſtus ſit homo, eo ipſo formaliter licet implicitè & confusè reuelatur, quod ſit animal rationale, quod habeat animam, & corpus humanum.

Definitio contenta in definito expreſſè reuelato pertinet ad fidẽ.

194. Sola igitur inter nos & aduerſarios controuerſia reſtat de reliquis duobus modis, quibus tantùm propriè dicitur vnum in alio virtualiter contineri: Iuxta quos modos ita aliqui aſſertionem probant. Ex oppoſita ſententia ſequeretur, poſſe Catholicum admittere propoſitionem expreſsè reuelatam vt veram, & ſimul oppoſitam contradictoriam ipſius: vt poſſet quis admittere hanc vt veram, vtporè expreſsè reuelatam: *Chriſtus eſt homo*: & ſimul vt veram eius contradictoriam: *Chriſtus non eſt homo*: quia non hoc ipſo, quòd reuelatur aliqua propoſitio vt vera, expreſsè etiam reuelatur, quòd contradictoria ipſius ſit falſa, ſed hoc tantùm deducitur per naturalem diſcurſum oſtendentem, non poſſe duo contradictoria ſimul eſſe vera.

Perfectio inſeparabilis, reuelato expreſsè ſubiecto ſpectat ad fidẽ.

195. Sed contrà, nam reſpondere poſſet aduerſarius, quod ſicut vnum contradictorium ſe ipſo formaliter excludit alterum contradictorium: ita in vno contradictorio expreſsè reuelato formaliter continetur excluſio alterius contradictorij, magis quàm in definito continentur partes definitionis: ergo ſicut in definito reuelantur partes definitionis, licet implicitè & confusè: ita in vno contradictorio reuelatur excluſio alterius cõtradictorij: ac proinde in ipſa veritate contradictorij expreſsè reuelata ſimul etiam formaliter, licet confusè reuelatur falſitas oppoſiti contradictorij.

196. Aliter igitur probatur aſſertio poſita. De facto multę ſunt veritates ab Eccleſia definitę ſpectantes ad obiectũ fidei Diuinę, quæ tãtũ virtualiter cõtinebantur in alijs expreſsè reuelatis: ergo virtualis reuelatio eſt ſufficiens obiectum formale fidei Diuinæ, etiam ante Eccleſiæ definitionem. Antecedens conſtat de multis veritatibus, quæ in varijs Concilijs contra Hæreticos definitæ ſunt: vt contra Monothelitas, quod in Chriſto ſint duæ voluntates: contra Neſtorium, quod in eodem vna tantùm ſit perſona: contra Hæreticos noſtri temporis, quòd iuſtificatio fiat per inhærentem iuſtitiam: quòd poſt conſecrationem non maneat ampliùs ſubſtantia panis & vini ſub ſpeciebus Euchariſticis, contra Wicleffiſtas, & Lutheranos: quod ſacramenta gratiam conferant obicem non ponentibus, & multæ aliæ paſſim in generalibus Concilijs definitæ: quæ tamen veritates formaliter & expreſsè in ſacris litteris non habentur, ſed tantùm virtute.

197. Quod autem huiuſmodi veritates ab Eccleſia definitę ſpectent ad obiectum formale fidei contra Molinam, & Coninck, qui volunt eas ab Eccleſia tantùm definiri vt certas certitudine Theologica, non autem fide Diuina, ita vt qui eas negaſſet, non eſſet Hęreticus, ſed erroneus, probatur tum ex communi Theologorum ſenſu, qui eas non minùs quam alias expreſsè in ſcripturis reuelatas, docent ad obiectum formale fidei pertinere: tum quia qui propoſitionem ab Eccleſia definitam negat, eò ipſo habetur pro Hæretico: ſic enim Neſtoriani, Monothelitę, Wicleffiſtæ, & Lutherani, vel ex eo Hęretici habiti ſunt, quòd ſupra dictas propoſitiones ab Eccleſia definitas negarent: tum quia interdum Concilia ipſa expreſsè definiunt contrarium eius, quod ab ipſis decernitur, eſſe hæreſim: vt Concilium Arauſicanum ſecundum cap. 7. contra Pelagianos, Semipelagianoſque definit, non poſſe hominem ſolius naturæ viribus, abſque Spiritus ſancti illuminatione, & inſpiratione bonum aliquod efficere, vel cogitare, quòd ad ſalutem pertinet vitæ æternę, oppoſitum ſentientem appellat Hæreticum. *Hæretico*, inquit, *fallitur Spiritu* &c. Neque dicas, hoc loco Concilium vti voce *Hæretico*, pro *erroneo*, cum nulla ſit ratio impropriè interpretandi verba Concilij.

Veritates ab Eccleſia definitæ ſpectant ad fidem, tam ante quàm poſt definitionem.

Concil. Arauſicanũ.

198. Conſequentia verò primi Enthymematis probatur contra Suarez, qui licet concedat poſt definitionem Eccleſiæ talem veritatem pertinere ad obiectum formale fidei Diuinæ, non minùs quàm veritatem in ſacris Oraculis expreſsè reuelatam: negat tamen illam ad fidem pertinere ante Eccleſiæ definitionem: probatur autem hoc pacto. Quando Eccleſia ex vna veritate expreſsè reuelatā deducit aliam virtualiter in ea contentam, ſicut non proponit diuerſam veritatem ab ea, quæ ſupponebatur cum ipſa veritate formali implicitè reualata: ita non proponit illam ſub alio motiuo & teſtimonio credendam, quàm antea ſupponebatur: cùm propoſitio Eccleſiæ ſit tantum declaratio veritatis iam reuelatæ, non teſtificatio nouæ.

Veritatē ab Eccleſia definitam non tenemur, nec debemus credere teſtimoniū Eccleſiæ ſed Dei.

199. Confirmatur. Veritatem ab Eccleſia definitam non tenemur, imò non debemus credere propter teſtimonium Eccleſiæ, ſed propter teſtimonium Dei. Solum enim teſtimonium Eccleſiæ ſe habet vt præuia conditio infallibiliter proponens teſtimonium Dei, propter quod ſolùm deinde tenemur credere veritates ab Eccleſia definitas: ergo quando Eccleſia ex vna veritate definit aliam fide Diuina credendam, ſupponit illam non ſolùm à Deo reuelatam, ſed etiam ſub eo motiuo credibilem, ſub quo illam proponit credendam, cùm Eccleſia ſua definitione non tribuat veritati definitæ nouum motiuum formale credibilitatis, ſed tantùm declaret illud idem motiuum, quod ex vi reuelationis Diuinæ antea factę acceperat.

200. Ad illud autem quod in Confirmationem ſuæ ſententiæ afferebat Suarez, nempè quod Eccleſia definit, Deus per Eccleſiam teſtificatur: diſtinguendum eſt: teſtificatur noua teſtificatione, nego; eadem, qua antea, concedo; ſolùm enim de nouo Deus, per Eccleſiam teſtificatur, ſe antea teſtificatum fuiſſe hanc veritatem, quam Eccleſia infallibili ſua authoritate proponit credendam: alioqui teneremur huiuſmodi veritatem credere propter nouam teſtificationem Eccleſiæ, & non propter antiquam à Deo factam, & ab Eccleſia tantùm declaratam.

Quicquid eſt euidēter credibile, quod ſit à Deo reuelatum pertinet ad obiectum fidei diuinæ.

201. Probatur ſecundò. Eadem noſtra aſſertio. Quidquid eſt euidenter credibile, quod ſit à Deo reuelatum, pertinet ad obiectum fidei Diuinæ: ſed eſt euidenter credibile, quòd veritas virtualis incluſa in veritate formali ſit à Deo reuelata: ergo pertinet ad obiectum fidei Diuinæ. Maior probatur, tum quia ideo myſteria noſtræ fidei pertinent ad obiectum fidei Diuinæ, quia ſunt euidenter credibilia, quòd ea ſint à Deo reuelata: tum quia ſpectat ad Diuinam prouidentiam, non permittere, vt aliquid, quod non eſt à Deo reuelatum, appareat euidenter credibile, ſaltem vniuerſaliter & pleriſque Eccleſiæ Doctoribus, quòd illud ſit à Deo reuelatum alioqui poſſent homines, qui tenentur ſequi id, quod rationi magis conſonum videtur, in rebus fidei decipi, ſequendo tanquam de fide & à Deo reuelatum, quod à Deo reuelatum non eſſet, imò etiam falſum: quod eſt contra prouidentiam, quam Deus habet de ſalute hominum. Minorem demonſtro: nam diſcurſus ipſe naturalis ſatis euidenter oſtendit, in re expreſsè reuelata in eſſe ſuas proprietates naturales, vt in homine intellectum & voluntatem; in Patre gignente virtutem generandi; in Filio genito realem reſpectum ad Patrem Genitorem; in ſpiratore vim ſpirandi; in Spiritu ſancto ſpirato realem reſpectum ad ſpirantem.

202. Inſtabis contra Maiorem, nam de Minori plura infrà. Non ideo myſteria noſtræ fidei pertinent ad obiectum fidei Diuinæ, quia ſunt euidenter credibilia, quòd ſint à Deo reuelata; ſed quia ſunt propoſita ab Eccleſia, quæ in proponendis rebus fidei errare non poteſt. Atqui ab Eccleſia propoſitum non eſt, quod omnis naturalis perfectio, quam diſcurſus naturalis oſtendit in eſſe rei reuelatæ, ſit etiam cum ipſa re reuelata à Deo manifeſtata. Sed eſto ideo Myſteria noſtræ fidei pertineant ad obiectum fidei Diuinæ, quia ſunt ab Eccleſiæ propoſita, quæ in ijs proponendis errare non poteſt. Hoc ipſum tamen quòd Eccleſia in rebus fidei proponendis errare non poſſit, eſt nobis euidenter credibile, adeóque fide Diuina credendum: ac proinde prima radix, cur myſteria noſtræ fidei ſint Diuina fide credenda, reducitur ad hoc principium, quia ſunt euidenter credibilia, quòd ea ſint à Deo reuelata. Nam cùm omnia ſint Diuina fide credenda, quia ſunt propoſita ab Eccleſia, quæ in eis proponendis errare non poteſt; cumque hoc ipſum fide Diuina credendum ſit, quia eſt euidenter credibile, quòd hoc ſit à Deo reuelatum, Eccleſiam errare non poſſe, manifeſtè ſequitur, primam radicem, cur myſteria noſtræ fidei ſint fide Diuina credenda, eſſe, quia ſunt euidenter credibilia, quòd ea ſint à Deo reuelata,

Prima radix, cur myſteria fidei ſint credenda, eſt, quia euidenter credibilia ſunt ea eſſe à Deo reuelata.

Deus reuelans rem, reuelat eam iuxta ſuam naturam.

203. Tertiò probatur aſſertio à priori. Deus quando reuelat aliquam rem, reuelat illam iuxta ſuam naturam: ergo reuelat illam ſecundùm omnes proprietates, quas re ipſa naturaliter continet. Ergo reuelatio Dei non ſolùm cadit ſupra perfectiones formaliter expreſſas, ſed etiam virtute & implicitè contentas in ipſa re reuelata. Vtraque conſequentia patet. Antecedens probatur: nam finis reuelationis eſt, tradere notitiam rei, quæ reuelatur. Per reuelationem enim Sanctiſſimæ Trinitatis, exempli cauſa, intendit Deus tradere nobis notitiam Diuinarum perſonarum, prout in ſe exiſtunt: per reuelationem Chriſti Domini intendit tradere cognitionem Chriſti prout in ſe exiſtit: igitur quando Deus reuelat rem, reuelat illam iuxta ſuam naturam, & per conſequens iuxta omnes perfectiones, quas naturaliter includit. Confirmatur. Diuina reuelatio eſt manifeſtatio notitiæ, quam Deus de re reuelata apud ſe habet: Deus autem habet notitiam de re reuelata iuxta naturam ipſius rei: ergo talem per reuelationem communicat creaturæ.

204. Quartò ſic argumentor. Vel ideo reuelatio virtualis applicata diſcurſu, tanquam præuia conditione explicante non eſt ſufficiens obiectum formale fidei Diuinæ, quia Deus non intendit nos obligare ad eam credendam, ſed ſolùm ad re-

velationem formalem & expreſſam. Et contrà eſt, quia licet ea non obliget, poteſt tamen eſſe ſufficiens, vt ſi velimus, poſſimus illam credere fide Diuina. Vel Ideo non eſt ſufficiens, quia Deus non intendit reuelare rem ſecundùm rationes virtualiter & implicitè in ea contentas, ſed ſolùm ſecundùm rationes formaliter & explicitè reuelatione expreſſas. Et contrà eſt, tum quia, vt probatum eſt, finis reuelationis eſt, tradere notitiam rei, prout eſt in ſe & in ſcientia Diuina: ſed in ſe, & in ſcientia Diuina non ſolùm eſt ſecundùm rationes explicitè & formaliter expreſſas, ſed etiam implicitè & virtualiter contentas. Tum quia, cùm nobis non conſtet Deum velle reuelare rem ſolùm ſecundùm rationes formales & explicitas & non ſecundùm rationes virtuales & implicitas; Aliunde verò conſtet, ſemper Deum quoad fieri poteſt ad extra operari iuxta naturalem exigentiam rerum, vt patet de productione earundem, quas ſemper producit iuxta naturalem exigentiam ipſarum; cumque res poſtulet, vt reueletur vt eſt in ſe, ita dicendum erit.

205. Vel ideo demum reuelatio virtualis non eſt obiectum formale fidei Diuinæ, quia non poteſt per diſcurſum ſufficienter proponi vt à Deo reuelata. Et contrà eſt, tum quia ad aliquid ſufficienter proponendum, quòd ſit à Deo reuelatum, ſufficit, vt infrà oſtendam, moralis euidentia: ergo à fortiori ſufficiet Phyſica euidentia per naturalem diſcurſum manifeſtata: tum quia, ſi ſemel conceditur, vt iam probatum eſt, debere concedi, quòd Deus intendat reuelare rem non ſolùm ſecundùm rationes formales & explicitas, ſed etiam virtuales & implicitas, debuiſſet ſimul prouidere de modo, quo huiuſmodi rationes ſufficienter proponantur credenti, qui alius, congruentior naturæ hominis eſſe non potuit, quàm per naturalem diſcurſum.

Reuelatio virtualis habet eandem certitudinem, quam habet formalis.

206. Ad argumentum Suarez pro prima ſententia allatum, negatur antecedens: falſum quippè eſt, reuelationem virtualem non habere tantam certitudinem, quantam habet reuelatio ipſa formalis, cùm vtraque immediatè nitatur teſtimonio Dei, vt motiuo formali. Nam poſita ſufficienti propoſitione, quòd vtraque reuelatio ſit à Deo, non minùs vna, quàm alia informatur eodem teſtimonio Dei, tanquam motiuo formali aſſentiendi.

207. Confirmatur. Non minùs reuelatio formalis requirit ſufficientem propoſitionem, vt fiat proximum obiectum fidei Diuinæ, quàm reuelatio ipſa virtualis: ergo quemadmodum, poſita ſufficienti propoſitione, reuelatio formalis fit proximum obiectum fidei Diuinæ: ita, poſita ſufficienti propoſitione reuelationis virtualis, fiet & ipſa proximum obiectum eiuſdem fidei Diuinæ, cùm non minùs vnam reuelationem, quàm aliam ſufficiens propoſitio oſtendat eſſe à Deo. Nec refert, quòd vnam Deus teſtificetur immediatè & formaliter, aliam mediatè & virtualiter: nam hoc non tollit, quin teſtificatio Dei cadat ſupra vtramque reuelationem, licet ordine quodam, vt priùs cadat ſuper vnam, deinde ſuper aliam: ſicut non minùs ad fidem Diuinam ſpectat veritas obiecti materialis reuelati, quàm ipſum teſtimonium Dei, cùm tamen teſtimonium Dei immediatè, obiectum verò materiale mediatè, mediante nimirum ipſo teſtimonio Dei reueletur. Quando igitur id, quod mediat, non eſt ratio aliqua naturalis, velut ſi mediaret diſcurſus naturalis, tanquam ratio aſſentiendi, vni veritati reuelatæ propter naturalem connexionem cum alia veritate reuelata, ſed ipſamet res à Deo reuelata, quæ ordine quodam priùs poſtulat, vt credatur ſecundũ vnam veritatem, quàm ſecundùm aliam, non minuit certitudinem fidei, cùm vtraque debeat credi eodem teſtimonio infallibili Dei ad vtramque terminato, licet ad vnam mediante alia.

208. Ad priorem Confirmationem diſtinguenda eſt Maior: Virtualis reuelatio manifeſtatur per diſcurſum, tanquam per conditionem explicantem & applicantem, concedo; tanquam per rationem formalem aſſentiendi, nego. Quemadmodum enim ipſa reuelatio formalis non manifeſtat ſe ipſam, quòd ſit à Deo, cùm ſemper ipſa maneat nobis obſcura: ſed manifeſtatur per ſigna credibilitatis, non tanquam per rationem formalem aſſentiendi, ſed tanquam per conditionem explicantem & applicantem: ita reuelatio virtualis non manifeſtatur à formali, tanquam à conditione explicante, ſed vtraque manifeſtatur per ſigna credibilitatis, quibus poſitis vtraque mouet vt ratio formalis aſſentiendi.

209. Ad poſteriorem confirmationem, negatur Minor. Etenim obiectum formale fidei Diuinæ in eo diſcriminatur ab obiecto formali Theologiæ, quòd obiectum formale fidei ſit purum teſtimonium Dei, immediatè applicatum per internam illuſtrationem Spiritus ſancti; Obiectum verò formale Theologiæ ſit teſtimonium Dei applicatum per diſcurſum & naturalem connexionem cum veritatibus implicitè & virtualiter reuelatis. Vnde eadem concluſio vt formaliter deducta ex præmiſſis reuelatis, vel ex vna reuelata, & altera naturali, dicitur Theologica, & obiectum habitus Theologici, minoremque habere certitudinem, quàm habeat propoſitio de fide: eadem vt explicata, concurrente diſcurſu vt conditione ſolùm proponente & declarante dicitur & eſt de fide. Quo fit, vt eidem veritati du-

Obiectum formale fidei obiectũ formale Theologiæ.

pli-

plici poſſimus habitu aſſentiri, & Theologico, ſi mediante diſcurſu vt ratione formali aſſentiendi; & fidei Diuinæ, ſi ſolo teſtimonio Dei aſſentiamur. Hoc autem, vt patet, poſitum eſt in libertate operantis. Nam quando in obiecto duplex relucet motiuum, & neutrum ad aſſenſum neceſſitat, in libertate voluntatis eſt propter alterutrum aſſentiri.

210. Quod autem ibi affertur de S. Thoma aſſerente, concluſionem Theologicam eſſe certiorem præmiſſa naturali; ex quo ſancti Doctoris aſſerto aduerſarij colligunt, ipſum intelligere de concluſione vt explicata, non vt deducta, eo quòd vt deducta non excedit certitudinem præmiſſæ naturalis. Reſpondeo 1. Hoc ſanctum

S. Thomas.

Thomam præcitato loco 1. partis quæſtione 1. non aſſerere, ſed ſolùm articulo primo docere, *vt ſalus hominibus & conuenientiùs, & certiùs proueniat*, ſunt verba ipſius, *neceſſarium fuiſſe, quod de Diuinis per Diuinam reuelationem inſtruerentur.* Quod optimè intelligi poteſt de inſtructione per reuelationem, non diſcurſu naturali, ſed lumine ſupernaturali fidei applicatam. Quæ explicatio congruentior eſt ipſius verbis. Nam licet ibi diſputet de Theologia, quia tamen Theologia nititur tanquam primis principijs, articulis reuelatis, potuit ſanctus Doctor hanc maiorem certitudinem intelligere de reuelatione vt applicata per lumen fidei, qua Theologia vtitur tanquam primo principio, ex quo ſuas deriuat Concluſiones, quæ vt deductę pertinent ad ipſius obiectum; vt explicatæ ad obiectum fidei.

211. Reſpondeo 2. negando, Concluſionem Theologicam, etiam vt deductam, non eſſe certiorem præmiſſa naturali: quod

Capreolus.

expreſsè docuit Capreolus in prologo quæſtione 1. articulo 1. concl. 4. his verbis: *Theologia ſecundo modo dicta*, hoc eſt, vt Concluſione ſecunda ex ſententia eiuſdem Doctoris ſancti explicuerat, *per reuelationem habita*, prout diſtinguitur à *Theologia naturaliter inuenta*, *eſt certior quacunque ſcientia inuenta humanitus*. Quod probat authoritate eiuſdem ſancti in 3. diſtinctione 23. quæſtione 2. articulo 2. quæſtiuncula 3.

S. Thomas. Valentia. Albertinus.

Idem docent Valentia tomo 3 diſputatione 1. quæſtione 1. puncto 2. ad finem: Albertinus loco ſupracitato quæſtione 1. Theologica, dubitatione vltima; Ratio verò eſt: quia ad aſſenſum Theologicum non ſolùm concurrit præmiſſa naturalis, ſed etiam de

Concluſio ſequitur ſemper partem debiliorem, quomodo intelligendum.

fide, quæ certior eſt. Concluſio autem etſi nequeat excedere certitudinem vtriuſque præmiſſæ, cùm nullus effectus excedere poſſit perfectionem ſuæ cauſæ adæquatæ, nihil tamen prohibet, excedere poſſe certitudinem vnius tantùm præmiſſæ: ſicut nil prohibet, quòd effectus excedat perfectionem cauſæ partialis: actus enim vitalis excedit perfectionem ſpeciei intentionalis, à qua vt à cauſa partiali producitur. Iuxta hanc doctrinam explicandum eſt illud commune axioma Philoſophorum, quòd ſemper concluſio ſequitur debiliorem partem, vt videlicet nunquã excedat perfectionem vtriuſque, vel certioris præmiſſæ, quamuis non repugnet, excedere perfectionem præmiſſæ debilioris.

212. Ad ſecundum Molinę, neganda eſt Maior: etenim, vt optimè citato loco notauit Scotus, longè diſpar eſt ratio de habitu fidei in ordine ad concluſiones in articulis reuelatis virtualiter contentas, & de habitu intellectus in ordine ad concluſiones ex primis principijs deductas. Ratio diſparitatis eſt: quia ratio formalis aſſentiendi primis principijs, & concluſionibus ex ijs deductis, eſt diuerſa: eſt enim in primis principijs intrinſeca ipſa connexio extremorum per ſe. In Concluſionibus verò eſt connexio concluſionum cum primis principijs, quæ cùm fundetur in intrinſeca habitudine rerum, ſicut res ipſæ diuerſæ ſunt, ita & formale motiuum aſſentiendi in earum intrinſeca natura fundatum. Contrà verò formale motiuum aſſentiendi articulis, & concluſionibus, in eis virtualiter contentis, eſt teſtimonium Diuinum, quod in vtriſque eſt idem.

Scotus. Non eſt eadem ratio fidei in ordine ad concluſiones in articulis virtualiter contentas; & intellectus in ordine ad concluſiones è primis principijs deductas.

213. Ad Confirmationem, vel caſus eſſet, quòd Deus tali homini articulos fidei reuelaret obſcurè: & tunc eadem prorſus eſſet ratio, nempè concluſiones euidenti diſcurſu in eis explicatas, quatenus explicatas pertinere ad fidem Diuinam: aut reuelaret clarè: & tunc non eſſemus in caſu: nam ſicut talis infuſio articulorum non pertinet ad fidem, ſed potiùs ad ſcientiam infuſam: ita nec concluſiones per euidentem diſcurſum in eis explicatæ pertinent ad fidem, ſed ad ſcientiam diuerſam ab ſcientia infuſa articulorum, cùm vtraque immediatè nitatur intrinſeca connexione rerum, quæ ſicut diuerſa eſſet in articulis & concluſionibus; ita diuerſum quoque eſſet formale motiuum vtriuſque; ac proinde diuerſa ſcientia, quæ ex formali motiuo diuerſo ſpecificatur.

214. Ad complementum pręſentis doctrinæ ſupererat hic tractandum, qualis debeat eſſe præmiſſa, quę ſufficienter explicet concluſionem de fide virtualiter contineri in principio expreſsè reuelato: quia tamen de hac re diſputaturi ſumus infrà, ne cum temporis iactura & tædio lectoris eadem repetantur, ad eum locum differendam decreuimus.

Digitized by Google

SECTIO VII.

An teſtimonium diuinum ſolùm putatum poßit eſſe formale obiectum fidei infuſæ.

215. RATIONES pro parte affirmante ſunt: Prima, quia reliquæ virtutes infuſæ verſari poſſunt circa ſua obiecta prudenter tantùm putata. Nam primò charitas diligere poteſt in Deo aliquid, quod re ipſa fortè non eſt, probabiliter tamen putatur eſſe, vt ſubſiſtentiam abſolutam omnibus Diuinis perſonis communem; præſentiam in ſpatijs imaginarijs actu infinitam; decretum de electione hominum ad gloriam ante eorum præuiſa merita; liberalem voluntatem mittendi vnigenitum ſuum in carne impaſſibili, Adamo non peccante, & ſimiles perfectiones, probabiliter tantùm putatas in Deo Secundò: poteſt quis virtute ſpei ſperare ſe fruiturum Deo non ſolùm ſecundùm perfectiones neceſſarias in ipſo exiſtentes, ſed etiam ſecundùm perfectiones liberas, & decreta, quæ de de rebus creatis habet. Tertiò: poteſt prudentia infuſa practicè iudicare, hanc hoſtiam eſſe conſecratam, eamque voluntati proponere practicè adorandam, quæ re ipſa conſecrata non eſt. Quartò: poteſt virtus Religionis exhibere cultum tanquam ſancto, qui vere ſanctus non eſt. Quintò, poteſt obedientia parere ſuperiori, qui verè ſuperior non eſt, vel eius præceptum exequi, quod præceptum ipſius non eſt, & ſic de cæteris virtutibus. Ergo ſimiliter poterit fides infuſa credere obiectum vt verum: & à Deo reuelatum, quod re ipſa nec verum, nec à Deo reuelatum eſt.

216. SECVNDA ratio, ſæpè fidelis tenetur elicere actum fidei Diuinæ circa obiectum putatiuè tantùm verum, ſi ſimplex aliqua Ruſtica edocta à ſuo Parocho, quòd quando proles periclitatur intra vterum Matris, teneatur Mater adhibere ſupra proprium vterum ſignum crucis cum Inuocatione ſanctiſſimæ Trinitatis, firmiterque credere, quòd Deus acceptet illud ſignum loco Baptiſmi, iuſtificando à peccato originali prolem intra vterum periclitantem, vti falsò docuit Caietanus. In tali enim caſu Ruſtica apprehendens ſuam prolem intra proprium vterum periclitari, teneretur illi prædictum remedium adhibere: quod tamen ſine fide Diuina adhibere non poſſet, quia teneretur credere illud eſſe à Deo ordinatum. Confirmatur: quia qui diſcrederet obiecto putatiuè tantū à Deo reuelato, eſſet Hæreticus: ergo teneretur illud actu fidei diuinæ credere: nā contraria circa idem verſantur: ſi igitur diſſenſus circa obiectum putatiuè à Deo reuelatū eſt Hæreſis, aſſenſus circa idem erit actus fidei diuinæ.

217. TERTIA ratio. Fides infuſa non ſolū eſt virtus ſpeculatiua, quæ ſolùm attendit conformitatem cognitionis cum obiecto ſecundùm ſe, ſed etiam moralis & practica, quæ attendit conformitatē obiecti cum appetitu recto. Ergo etiamſi Deus non cōcurrat cum fide ad obiectū putatiuè tantùm reuelatum, quatenus eſt virtus ſpeculatiua, poterit tamen cum illa cōcurrere, quatenus eſt virtus moralis & practica, quia vt ſic non concurreret ad diſformitatem cognitionis cum obiecto ſecundùm ſe, ſed ad conformitatem obiecti cum appetitu appetitu recto. Antecedens patet: nam actus fidei infuſæ eſt meritorius: non poſſet autē eſſe meritorius, niſi eſſet moralis & practicus. Conſequentia verò probatur: nam ſicut Deus concurrit cū prudentia infuſa ad actum practicè verum, licet ſpeculatiuè falſum: ita cōcurrere poterit ad actum fidei practicè verum, licet ſpeculatiuè falſum.

218. Conſtans tamen Schalaſticorum ſententia eſt, obiectū formale fidei Diuinæ non poſſe eſſe teſtimonium Dei tantùm putatū, ſed re ipſa exiſtens. Fundamentum huius cōmunis ſententię manifeſtè deducitur ex illo communi axiomate, quod in materia fidei vnanimi conſenſu Theologi amplectūtur, illudq; ſua authoritate approbat & confirmat Tridentinum ſeſſ. 6. c. 9. nempe fidei Diuinæ falſum ſubeſſe non poſſe. Etenim ſi teſtimonium Diuinū tantū apparens & putatum poſſet eſſe obiectum formale fidei infuſæ, poſſet fidei infuſæ aliquando ſubeſſe falſum: nam contingere poſſet, aliquādo apparenter & probabiliter proponeretur tanquā teſtimoniū Dei quod re ipſa non eſſet: ergo poſſet tunc fidelis elicere actum fidei infuſæ falſum ex teſtimonio Diuino tantùm putato, ac proinde poſſet aliquando fidei infuſæ ſubeſſe falſum. *Sententia negans, verior.* *Concil. Tridentinum.* *Teſtimoniū Dei ſolùm putatum nō poteſt eſſe obiectū formale fidei.*

219. Confirmatur, quia nequit hoc axioma intelligi, quòd non poſſit fidei Diuinæ, quæ vero nititur teſtimonio Dei, ſubeſſe falſum: cùm impoſſibile ſit, quòd fidei, quæ vero nititur teſtimonio Dei, falſum ſubſit: quia ſi teſtmonium Dei, quo fides nititur, eſt verū, non poterit fides illi aſſentiēs eſſe falſa: ergo ſolùm intelligitur de teſtimonio Dei, quod tantū probabiliter putatur tale. Cùm igitur Theologi negant, fidei Diuinæ falſū ſubeſſe poſſe, neceſſariò ſupponunt, quòd teſtimonium Dei probabiliter tātum putatum non poſſit eſſe obiectum formale fidei Diuinę.

220. Verū difficile eſt huius veritatis efficacē aſſignare rationem. Alij hanc aſſignant. Implicat Deum permittere, vt proponatur ſufficienter credibile authoritate Diuina, quod re ipſa falſum eſt: Atqui nequit fides infuſa mouere ad credendum obiectum authoritate Diuina non ſufficienter propoſitū vt credibile authoritate Diuina: igitur implicat, teſtimonium probabiliter tantùm putatum eſſe obiectum formale fidei. Conſequentia conſtat: quia ſi nunquam Deus permittit, proponi vt ſufficienter credibile authoritate ſua, quod re ipſa falſum eſt, nunquā dabitur *Difficile eſt rationē efficacem aſſignare.*

Digitized by Google

dabitur caſus, in quo teſtimonium Diuinum probabiliter tantùm putatum ſit obiectum formale fidei, cùm idem ſit proponi vt ſufficienter credibile authoritate Diuina, ac probabiliter putari eſſe credibile authoritate Diuina. Maior probatur: quoniam ad munus ſupremi gubernatoris ſpectat, homines ad finem dirigere per certa media: ſi autem poſſet in ſua Eccleſia permittere proponi vt ſufficienter credibile authoritate Diuina, quod re ipſa eſt falſum, poſſet permittere, vt homines per falſa & obliqua media ad ſe vt ad vltimum finem dirigerentur: nam homines obligaret ad huiuſmodi media amplectenda: hoc ipſo enim, quòd ea ſufficienter proponerentur vt media ſalutis à Deo reuelata, obligarēt homines ad ea exequenda. Minor conſtabit ex infrà dicendis.

Deus non permittit, vt in tota Eccleſia aliquid proponatur ſufficienter credibile, quod ab ipſo teſtatū non ſit.

221. Sed quamuis hæc ratio conuincat, quòd non poſſit Deus in tota Eccleſia permittere, vt aliquid ipſius authoritate proponatur vt probabiliter ac prudenter credibile, quod ab ipſo teſtatum non ſit: non tamen probat, quòd hoc permittere non poſſit priuatis perſonis, ex qua permiſſione tale abſurdum non ſequeretur, cùm ſemper priuatæ perſonæ habeant, à quo de falſitate propoſiti obiecti edoceri poſſint. Neque ad munus ſupremi Gubernatoris ſpectat, prohibere priuatos errores, ſicut neque ad munus eiuſdem pertinet, prohibere priuata peccata. Quid enim vetat, Deum permittere, vt multi Epiſcopi ex Generali aliquo Concilio redeuntes, ſimul vniti hanc Hæreſim doceant, nulla ſacramenta characterem imprimere? talis namque propoſitio redderet obiectum prudenter credibile, adeoque credendum authoritate Diuina: igitur in tali caſu fides Diuina obligaret ad falſum, & per conſequens concurrere poſſet ad aſſenſum falſum, media authoritate Diuina, tantùm putata, vt ratione formali aſſentiendi.

222. Confirmatur 1. Cum iiſdem ſignis credibilitatis proponi poſſet alicui ruſtico teſtimonium Dei falſum, cum quibus proponeretur teſtimonium Dei verum: igitur ſi ad verum erunt ſufficientia, erunt etiam ſufficientia ad falſum propoſitum vt verum. Conſequentia patet, quia ſigna credibilitatis non ſunt ſpectanda penes rem ipſam, ſed penes probabilitatem, quam cauſant credenti. Antecedens probatur, nam in caſu poſito, ſi viginti Epiſcopi ex aliquo generali Concilio redeuntes ſimul proponerent aliquid re ipſa ab Eccleſia definitum, talis propoſitio foret ſufficiens ad obligandos Ruſticos ad illud fide Diuina credendum: ergo ſi iidem proponerent aliquid re ipſa ab Eccleſia non definitum, talis propoſitio eſſet etiam ſufficiens ad eoſdem obligandos, vt illud Diuina fide crederent.

Sufficiens propoſitio fidei eſt, quæ tollit omne dubiū practicum de oppoſito.

223. Confirmatur 2. Ea propoſitio eſt ſufficiens ad obligandum ſub fide Diuina, quæ tollit omne practicum dubium ab intellectu credentis de oppoſito: Atqui poſſet dari propoſitio teſtimonij Diuini tantùm putati, quæ tolleret omne practicum dubium ab intellectu credentis de oppoſito: igitur dari poſſet propoſitio teſtimonij Diuini tantùm putati, quæ viatorem obligaret ad credendum.

224. Confirmatur 3. Vt poſſit fidelis elicere actum fidei Diuinæ, non eſt neceſſe, vt ad illum obligetur, ſed ſufficit, ſi probabiliter prudenterque apprehendat vt teſtimonium Dei, quod re ipſa teſtimonium Dei non eſt: igitur poterit elicere actum fidei Diuinæ circa teſtimonium Dei probabiliter tantùm apprehenſum, eſto ad illum non obligetur. Maior patet, quia non ſemper obligamur ad actum fidei Diuinæ exercendum, cùm tamen ſemper poſſimus actum fidei Diuinæ exercere, hoc ipſo quòd teſtimonium Diuinum proponimus nobis vt practicè credendum. Minor probatur, quia non eſt maior ratio, cur poſſimus probabiliter apprehendere vt obiectum Religionis, vel miſericordiæ, aut cuiuſcunque alterius virtutis, quod re ipſa talis virtutis obiectum non eſt, & non etiam obiectum fidei Diuinæ, quod re ipſa non eſt: cùm eadem ſigna, quæ nobis probabile reddere poſſunt obiectum aliarum virtutum, reddere etiam poſſunt probabile obiectum fidei Diuinæ.

Abſque peculiari Dei motione nequit homo aſſenſum fidei diuinæ elicere.

225. Olim, cùm hanc materiam bis docerem, ſemel in Italia Neapoli, iterum in Germania in noſtra Archiducali vniuerſitate Græcenſi, hac ratione præſentem veritatem probabam. Nequit Deus peculiari motione concurrere ad obiectum falſum propoſitum ſua authoritate credendum: abſque peculiari autem motione Dei nequit homo aſſenſum fidei Diuinæ elicere: nequit igitur teſtimonium Dei tantùm apparens eſſe obiectum formale fidei Diuinæ. Conſequentia patet, quia nequit teſtimonium Dei apparens mouere intellectum credentis ad aſſenſum fidei Diuinæ, niſi applicatū peculiari motione Dei: ergo ſi nequit Deus peculiari motione concurrere ad aſſenſum circa obiectum falſum propoſitū ſua authoritate credendum, nequit teſtimonium Diuinum apparens eſſe obiectum formale fidei Diuinæ. Minor conſtat: nam aſſenſus fidei Diuinæ eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, vt infrà oſtendo: ergo nequit abſque peculiari motione Dei produci. Maiorem, in qua tantum eſt difficultas, ſic probabam. Nequit Deus eſſe cauſa particularis falſi: eſſet autem cauſa particularis falſi, ſi peculiari motione concurreret ad teſtimonium putatiuè tantùm verum. Maior ſupponitur. Minor probatur, quia Deus peculiari ſua motione præmoueret intellectum credentis ad falſum aſſenſum, cùm non poſſit intellectus ſupernaturalem aſſenſum elicere, niſi præmotus peculiari motione Dei. Atqui talis aſſenſus eſſet ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, quia eſſet productus ab ipſo habitu ſupernaturali fidei, vel ab aliquo auxilio æquiualenti: ergo Deus vt cauſa particula-

ris in tali caſu inchoaret aſſenſum falſum, quod implicat.

226. Verùm hanc quoque rationem maturius poſtea conſideratam, aduerti propoſitam veritatem non euincere. Nam vel talis motio Dei non eſſet antecedens, & à Deo producta vt à cauſa particulari, ſed tantùm concomitans, & à Deo vt à cauſa vniuerſali ſupernaturali: vel etiamſi eſſet antecedens, adhuc non eſſet à Deo, vt à cauſa particulari, ſed vniuerſali ſupernaturali. Prior pars probatur: nam motio antecedens, vel eſt aliqua ſancta cogitatio, vel pia affectio, quam Deus ante omnem noſtrum liberum conſenſum operatur in nobis ſine nobis, vt loquitur Auguſtinus, vt videlicet per eam vel hominem excitet atque alliciat ad bonum proſequendum, vel terreat ad malum fugiendum (ſuppono autem contra modernos Thomiſtas, nullam aliam motionem, quæ Phyſicè hominem prædeterminet, à Deo adhiberi ad actus ſupernaturales in nobis producendos.) Atqui hæc ſancta cogitatio, vel pia affectio ſupponitur à Deo collata ante ipſum imperium, quo voluntas credentis imperaret intellectui, vt aſſenſum præberet in obiectum ſub teſtimonio Diuino apparenti propoſitum, cùm nequear voluntas intellectui imperare, vt aſſentiatur obiecto propter teſtimonium Dei apparenter propoſitum, niſi præcedat cognitio proponens tale obiectum ſub teſtimonio Dei credendum. Quòd autem motio, qua Deus intellectum credentis iuuat ad aſſentiendum obiecto reuelato ſit concomitans, patet: quia cùm non ſit antecedens, vt probatum eſt, erit concomitans, ipſe ſcilicet concurſus Dei, quo cum intellectu credentis Phyſicè concurrit ad ſpeculatiuum aſſenſum fidei. Quòd vero hæc eadem motio non ſit à Deo, vt à cauſa particulari, ſed vniuerſali ſupernaturali, probatur: quia illam Deus producit vt determinatus ab intellectu credentis applicato ad credendum obiectum ſibi propoſitum per imperium voluntatis. Quæ autem Deus producit determinatus à creatura, non producit vt cauſa particularis, ſed vt cauſa vniuerſalis.

Illa motio Dei eſt concomitans, & à Deo vt cauſa vniuerſali & ſupernaturali.

227. Poſterior pars probatur. Nam eſto talis motio Dei eſſet antecedens aſſenſum ipſum ſpeculatiuum fidei, adhuc illa non eſſet à Deo vt à cauſa particulari, ſed vniuerſali ſupernaturali, quia eſſet debita ex ſuppoſitione antecedentis propoſitionis obiecti fidei Diuinæ, & Imperij voluntatis intellectui credentis, qui hîc & nunc determinatus à practico iudicio Supernaturali de credibilitate obiecti, & imperio voluntatis, connaturaliter exigeret talem motionem, per quam & immediatè proponeretur prædictum teſtimonium vt reuelatum à Deo. Vnde vis illi inferretur, ſi in talibus circumſtantijs prædicta motio negaretur, non minus quàm eidem vis inferretur, ſi propoſito obiecto per ſigna credibilitatis, ei negaretur peculiaris motio ad practicum iudicium ſupernaturale, de credendo obiecto fide Diuina, neceſſariò requiſita. Quæ autem Deus producit vt à cauſis ſecundis determinatus, non producit vt cauſa particularis, ſed vniuerſalis, vel naturalis, ſi effectus eſt naturalis; vel ſupernaturalis, ſi effectus eſt ſupernaturalis.

228. Alia ratio præcedenti ſimilis mihi occurrebat ad hanc veritatem confirmandam. Implicat Deum, vt cauſam particularem applicare obiectum falſum propria authoritate credendum: applicaret autem, vt cauſa particularis obiectum falſum propria authoritate credendum, ſi mediante habitu infuſo concurreret ad aſſenſum fidei circa obiectum putatiuè tantùm à ſe reuelatum: ergò implicat, obiectum putatiuè tantùm reuelatum eſſe obiectum formale fidei Diuinæ. Conſequentia patet, quia nequit teſtimonium Dei apparens mouere intellectum viatoris ad ſupernaturalem aſſenſum fidei Diuinæ, niſi ſupernaturaliter à Deo applicatum, vt à cauſa particulari. Maior ſupponitur. Minorem ſic oſtendebam. Ad hoc vt teſtimonium Dei ſit idoneum propter ſe ipſum mouere intellectum credentis ad ſupernaturalem aſſenſum & ſui, & obiecti reuelati, eget ſupernaturali motione Dei, qua per ſe ipſum immediatè applicetur intellectui credentis. Sed talis applicatio nequit fieri, niſi à Deo vt à cauſa particulari: ergo Deus eſſet cauſa particularis applicationis obiecti falſi propria authoritate credendi. Maior huius ſyllogiſmi videtur certa: quia cùm teſtimonium Diuinum ſit obſcurum, non poteſt ſe ipſum applicare intellectui credentis; nec applicari poteſt per rationes humanas & ſigna credibilitatis: nam hæc non applicant illud immediatè & formaliter, ſed ſolùm mediatè & materialiter, quia applicant illud vt credibile propter ipſas rationes humanas & ſigna credibilitatis. Nec applicari poteſt vel per lumen naturale intellectus, cùm hoc ſit impotens ad applicandum ſibi obiectum ſupernaturale; vel per ipſum habitum infuſum fidei; quia cùm hic ſit comprincipiũ potentiæ eliciendi aſſenſum circa obiectum reuelatum, ſupponit prius ſaltem natura illud ſupernaturaliter applicatum potentiæ, vt illi aſſentiri valeat. Minor, nempe quòd hæc applicatio fieri non poſſit, niſi à Deo, patet, quia cùm ſit ſupernaturalis, à nulla cauſa niſi ſupernaturali fieri poteſt, cumq; fieri non poſſit ab habitu ſupernaturali, neceſſariò ſequitur, fieri debere ab ipſo Deo: Quòd autem vt à cauſa particulari, probabam, quia illum Deus produceret à nulla cauſa ſecunda determinatus.

229. Verùm huic etiam rationi obſtat, quod aduerſus præcedentem rationem obiectum eſt, quia nimirum poſſet Deus talem applicationem producere determinatus ab intellectu credentis applicato ad credendum obiectum putatiuè reuelatum à practico iudicio ſupernaturali de credibilitate talis obiecti, & à ſupernaturali Imperio voluntatis

inclinantis

inclinantis illum ad aſſenſum præbendum: proinde non eſſet talis applicatio à Deo vt à cauſa particulari, ſed tantùm vniuerſali ſupernaturali, qui ſine præiudicio creatæ libertatis non poſſet in talibus circumſtantijs ſupernaturalem obiecti applicationem denegare.

S. Thom. 230. Sanctus Tho. & cum eo ferè cæteri Scholaſtici hanc huius veritatis rationem aſſignant. Fides eſt virtus intellectualis: quæuis autem virtus eſſentialiter inclinat ad bonum potentiæ, cuius eſt virtus: atqui bonum intellectus eſt verum, non apparens & putatum, ſed reale & re ipſa tale: ergo nequit virtus infuſa inclinare intellectum ad verũ tantùm apparens & putatum. Reliquæ autem virtutes, quia potentiã appetitiuã perficiunt, cuius bonum non tantùm eſt reale exiſtens, ſed etiam apprehenſum & probabiliter putatum tale; nam hoc ſufficit ad actionem moraliter honeſtam, quam vt finem reſpiciunt reliquæ virtutes appetitiuę potentiæ, quę tãtùm conformitatẽ obiecti cum recto appetitu attendunt, poterunt circa obiectũ falſum verſari. Verũ hac ratione non probatur, ſed potiùs ſupponitur, quòd non poſſit Deus talem habitũ in intellectu producere, qui non ſolùm poſſit in verũ reale & exiſtens, ſed etiã apparens & putatũ. Nam ſiue obiectum eſſet reale, ſiuè apparens, in vtroq; ſaluaretur formale motiuum fidei Diuinæ, quod eſt teſtimonium Dei prudenter putatum. Huius igitur implicantiam quærimus, quæ per aſſignatam rationem non redditur.

Vera ratio. 231. Ratio igitur huius communis ſententiæ, quæ ſimul eſt explicatio præcedentis rationis, deſumenda eſt ex ipſo habitu infuſo fidei, hoc pacto. Nequit habitus fidei infuſæ ad falſum inclinare, adeoque ad producendum cum intellectu credentis falſum aſſenſum circa obiectum putatiuè tantùm verum, & à Deo reuelatum: igitur nequit teſtimonium Dei apparens eſſe obiectum formale fidei Theologicę. Conſequentia patet. Antecedens probatur: quoniam habitus fidei infuſæ eſt ſpecialis participatio luminis increati, quod de ſe eſt tantùm determinatum ad verum re ipſa exiſtens: ergo cum eadem perfectione proportionaliter communicatur nobis. Conſequentia probatur, quia nobis communicatur tãquam inſtrumentum Dei ad veritates ſupernaturales ipſius authoritate credendas: inſtrumentum autem natura ſua poſtulat operari iuxta intentionem & directionem principis cauſæ. Confirmatur. Nequit habitus ſcientificus inclinare ad verum tantùm putatum & apparens: & hoc ideo, quia eſſentialiter eſt qualitas inclinans ad verum reale re ipſa tale: ergo nec habitus fidei infuſæ.

Habitus fidei eſt ſpecialis participatio luminis increati.

232. Hinc aſſignatur ratio à priori, cur circa obiectum putatiuè reuelatum nequeat intellectus credentis elicere actum fidei Diuinæ: quia cùm actus fidei Diuinæ ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, nequit intellectus illum elicere, niſi adiutus ſupernaturali habitu fidei, vel auxilio illi æquiualente, cumque ſupernaturalis habitus fidei, eiuſque æquiualentis auxilij formale obiectum ſit teſtimonium Dei re ipſa exiſtens, & non tantùm probabiliter putatum, non poterit habitus, vel eius æquiualens auxilium in tale obiectum ferri, cùm nullus habitus ferri poſſit extra ſuum obiectũ formale: ac proinde non poterit intellectus viatoris elicere actum fidei Diuinæ circa teſtimonium Dei probabiliter tantùm putatum.

233. Ex hac ratione manifeſtè colligitur, intellectum credentis non modò elicere non poſſe aſſenſum fidei Diuinæ circa obiectum falſum propoſitum ſub teſtimonio Dei apparenti, ſed neque circa obiectum verum propoſitum ſub eodem teſtimonio Dei tantùm apparenti. Cùm non minùs fides Diuina requirat verum teſtimonium Dei re ipſa reuelatum, quàm verum obiectum: igitur etiamſi verum ſit obiectum, quod ſub teſtimonio Dei proponitur credendum, ſi tamen teſtimonium Dei, propter quod proponitur credendum, non eſt verum teſtimonium à Deo manifeſtatum, non poterit eſſe obiectum fidei Diuinæ, cùm illi deſit verum motiuum formale ſine quo nequit habitus ferri in obiectum materiale.

234. Ex dictis redditur etiam diſcrimen inter fidem, & reliquas virtutes infuſas appetitiuæ potentiæ, quæ ferri poſſunt etiam ad obiecta re ipſa falſa: quia nimirum reliquæ virtutes infuſæ appetitiuæ potentiæ habent pro obiecto bonum honeſtum, quod regulatur vero practico, quod ſuam veritatem habet ex conformitate ad appetitum rectum. Proxima enim regula virtutis appetitiuæ eſt honeſtas actionis, quæ non regulatur conformitate ad rem ipſam, ſed ad rectum appetitum. Fides autem, cùm ſit virtus intellectualis, habet pro obiecto verum ſpeculatiuum, quod ſuam conformitatem habet per ordinem ad rem ſecundùm ſe. Quo fit, vt non ſit virtus intellectualis, quæ conformitatem non habet cum obiecto ſecundùm ſe: eſt autem virtus moralis appetitiua etiamſi non habeat conformitatem cum obiecto ſecundùm ſe, modò conformitatem habeat cum recto appetitu, qui regulatur legibus prudentiæ, quæ iuxta occurrentes circumſtantias practicè iudicat proſequendum, vel fugiendum eſſe obiectum. *Diſcrimen inter Fidem & reliquas virtutes potentiæ appetitiuæ.*

235. Hinc etiam infertur, cur Deus concurreret ad practicum iudicium ſupernaturale, quo viator iudicaret, hoc obiectum eſſe Diuino teſtimonio credibile, adeoque credendum fide Diuina, etiamſi illud re ipſa verum non eſſet: non poſſet autem concurrere ad aſſenſum ipſum fidei infuſæ: quia nimirum illud haberet veritatẽ practicam per conformitatem cum appetitu recto, deſeruiretque imperio voluntatis imperantis intellectui, ſuum vt iudicium captiuaret in obſequium fidei Diuinæ prudenter putatæ: hic verò, cùm ſit aſſenſus ſpeculatiuus, ſi nõ habet conformitatem cum re ipſa ſecundùm ſe,

ſe, non eſt actus virtutis: ac proinde non poteſt ad illum concurrere fides infuſa, quæ eſſentialiter inclinat ad actum virtutis.

236. Dices. Poſſet Deus mediante habitu infuſo fidei concurrere ad aſſenſum putatiuè verum, quatenus talis aſſenſus poſſet eſſe proxima regula actionis ſtudioſæ: ergo abſolutè non repugnat, Deum per habitum infuſum concurrere ad aſſenſum fidei putatiuè verum. Antecedens probatur: nam ſicut poteſt Deus mediante habitu ſupernaturali prudentię infuſę concurrere ad falſum iudicium, quo intellectus credentis iudicaret, tale obiectũ eſſe credibile, atque adeo credendum propter authoritatem Dei, quia licet tale iudicium eſſet falſum ſpeculatiuè, eſſet tamen verum practicè, quatenus per conformitatem ad rectum appetitum, poſſet eſſe proxima regula actionis ſtudioſæ, qua voluntas imperaret intellectui ad captiuandum iudicium in obſequium fidei Diuinæ prudenter putatæ: ita poſſet mediante habitu infuſo concurrere ad aſſenſum falſum fidei Diuinę, quatenus talis aſſenſus poſſet eſſe proxima regula actionis honeſtæ. Vt ſi quis propter teſtimonium Dei probabiliter putatum crederet, Deum omnia ſua libera decreta manifeſtaturum beatis: ex quo aſſenſu moueretur ad eliciendum tum actum ſpei ſupernaturalis, hanc Diuinorum decretorum glorioſam manifeſtationem ſperando; tum actum charitatis erga Deum, feruentiùs illum diligendo, propter hanc eximiam ac ſingularem bonitatem, qua apprehenderet tam liberaliter ſe ipſum cõmunicaturũ beatis. Etenim licet hic aſſenſus eſſet ſpeculatiuè falſus, eſſet tamen practicè verus, per conformitatem ad rectum appetitum, à quo tantùm regulari poſſunt ſtudioſæ actiones; quod ſufficit, vt Deus mediante habitu infuſo fidei, vel auxilio ſupernaturali illi æquiualente concurrere poſſit ad talem actum.

[H]abitus fi[de]i infuſæ [e]ſt eſſentia[li]ter deter[m]inati ad [co]nformi[ta]tem cum [re] ipſa ſecũ[d]um ſe.

237. Reſp. Negando antecedẽs: quia cùm habitus fidei infuſæ ſit eſſentialiter determinatus ad conformitatem cum re ipſa ſecundùm ſe, & non tantùm prout eſt in mente credentis; ſicut habitus ſcientificus eſt eſſentialiter determinatus ad conformitatẽ cum re ipſa ſecundùm ſe, & non prout apparet in mente ſpeculantis, non poterit Deus illa vti ad aſſenſum falſum, ſicut nec auxilio virtutem talis habitus ſupplente. Nec eſt eadem ratio de prudentia infuſa, quia hæc eſſentialiter fertur ad veritatem practicam, quę conformitatem ſumit in ordine ad appetitum rectum, non in ordine ad rem in ſe ipſa exiſtentem. Cæterùm in caſu propoſito, qui ſibi perſuaderet, Deum omnia libera ſua decreta manifeſtaturum beatis, eliceret quidẽ circa tale obiectum aliquem aſſenſum non tamen fidei Diuinæ, ſed vel prudentiæ infuſæ, vel fidei humanæ: alteruter autem aſſenſus ſufficeret ad hoc vt voluntas imperare poſſet intellectui ad eliciendum practicum iudicium ſupernaturale de actu ſpei, vel charitatis infuſæ exercendo.

238. Inſtabis. Eſto non poſſit Deus mediante habitu infuſo fidei, vel auxilio illi æquiualente concurrere ad aſſenſum falſum propter teſtimonium Dei tantùm putatum, & apparens, ſaltem poſſet mediãte alio habitu vel lumine infuſo, non determinato ad aſſenſum re ipſa obiecto conformẽ, ſed etiã prudenter putatum verum, cùm nulla in hoc appareat repugnantia.

239. Reſp. implicãtiam eſſe, quia hoc ipſo, quòd Deus non concurreret iuxta exigentiã habitus infuſi, ſuapte natura poſtulantis concurſum ad aſſenſum reipſa obiecto conformem, eſſet cauſa particularis aſſenſus falſi, quia illum produceret, non vt determinatus à cauſa ſecunda, ſed ex ſe contra exigentiam cauſæ ſecundæ: proinde non concurreret vt cauſa vniuerſalis, ſed particularis, quod repugnat Diuinæ veracitati, vt ſequenti ſectione oſtendam.

240. Sed adhuc vrgebis: quia ſaltem produci à Deo poſſet habitus fidei ſupernaturalis non determinatus ad aſſenſum reipſa obiecto conformem, ſed indifferens vel ad aſſenſum reipſa obiecto conformem, vel putatiuè tantùm verum. In quo caſu Deus concurreret vt cauſa vniuerſalis ſupernaturalis determinatus à tali habitu indifferente ad vtrumque aſſenſum, non ſecus ac concurrit cum habitu prudentiæ infuſæ ad aſſenſum, vel re ipſa cum obiecto conformem, vel putatiuè tantùm verum.

241. Reſp. quidquid ſit, an talis habitus ſit poſſibilis, de quo fortè infrà: de facto tamen qui infuſus eſt, determinatur tantùm ad verum reale re ipſa exiſtens, ob rationem ſuprà aſſignatam, quia talis habitus eſt inſtrumentum Dei, quod natura ſua poſtulat conformari cauſæ principali: proinde de facto non poteſt, vel cum illo contra ipſius naturam, vel ſe ſolo, abſque præiudicio infinitæ ſuæ veracitatis ad falſum concurrere.

242. Verùm contra dicta obijcies 1. Poteſt habitus fidei concurrere ad peccatum, aſſentiendo myſterijs reuelatis ex malo fine; ergo etiam ad falſum. 2. Fides antiquorum inclinabat ad credẽdum Chriſtum naſciturum: ergo ſi quis in tali aſſenſu perſeueraſſet poſt Chriſtum natum, talis aſſenſus fuiſſet falſus, & tamen elicitus fuiſſet propter teſtimonium Dei: cùm idem fuiſſet motiuum, propter quod ante, & poſt Chriſtum natum elicitus fuiſſet. 3. Præmiſſæ ſunt cauſæ concluſionis: poteſt autem ex vna de fide, & altera probabili inferri concluſio falſa: ergo poteſt fides eſſe cauſa falſi aſſenſus.

245. Reſp. ad 1. Negando antecedens: ſuppono enim, vt infrà probabitur, actum fidei infuſæ non poſſe eſſe malum, alioqui daretur auxilium ſupernaturale ad actum malum. Qui verò credit myſteria reuelata ex prauo fine, non eodem, ſed diſtincto actu aſſentitur Myſterijs fidei, & intendit malum finem, cùm vnus ſit actus intellectus, alter voluntatis.

244. Ad 2. Reſpondent aliqui, in eo caſu

manſiſſe

manſiſſe eundem actum fidei ſolum quoad ſubſtantiam. Sed contrà, quia cũ talis actus ſit productus ab habitu fidei, vel auxilio æquiualente determinato tantùm ad verum reale re ipſa exiſtens, non poteſt manere idẽ quoad ſubſtantiam de vero mutatus in falſum: cùm poſſit manere idem actus quoad ſubſtantiã, mutato motiuo formali: cũ igitur motiuũ formale præcedentis actus fuerit teſtimonium diuinum re ipſa exiſtens, ſequentis verò actus motiuum formale ſit teſtimonium Dei tantùm putatum, non poterit eſſe idem motiuum formale vtriuſq; ac proinde idem quoad ſubſtantiam, cũ ſubſtantia actus pẽdeat ex motiuo formali, quo commutato, neceſſe eſt mutari ſubſtantiam ipſam actus.

S. Thomas.

245. Reſpondet S. Th. 2. 2. q. 1. art. 3. ad 3. fidem antiquorum ſolũ inclinaſſe ad credẽdam Natiuitatem Chriſti aliquando extituram, abſtrahendo ab hac. vel illa temporis circumſtantia: ſicut nunc credimus Antichriſtum futurum, abſtrahendo ab hac, vel illa circumſtãtia temporis. Quapropter qui crediſſet Chriſtum naſciturum aliquo determinato tempore, non diuina fide, ſed humana coniectura id crediſſet: proinde nil mirum, ſi ſub ea circumſtantia falſum contingere potuiſſet, cũ ſub ea circumſtantia nõ fuiſſet Chriſti natiuitas reuelata. Sed finge aliquem non modò habuiſſe reuelationem de Chriſto naſcituro, ſed etiam de tempore, quo erat naſciturus, potuiſſet hic ante tempus Natiuitatis elicere actum fidei infuſę de Chriſto naſcituro, & in eo perſeuerare etiã poſt Natiuitatis tempus. In quo caſu idem actus inuariatus quoad ſubſtantiã ante Natiuitatem fuiſſet verus, poſt verò falſus: ergo poteſt fides infuſa inclinare, ad falſum.

246. Reſp. igitur ad caſum, dupliciter potuiſſe hominem in eo actu perſeuerare; vno modo perſeuerante apprehenſione de circumſtantia temporis, ſub qua reuelata fuiſſet Chriſti Natiuitas: & tunc repugnat mãſiſſe eundem aſſenſum fidei in Chriſtũ naſciturum, quia teſtimonium diuinum non ampliùs cadebat in Chriſtum naſciturum, ſed in Chriſtum natum: nequit autem manere idem aſſenſus, ſublato eius motiuo formali, vt ſuprà dictum eſt. Alio modo, ſublata apprehenſione de circumſtantia temporis, ſub qua erat Natiuitas reuelata: & tunc etiam implicat perſeueraſſe eundem aſſenſum, qui erat antea: quia ille ferebatur in Natiuitatẽ Chriſti vt modificatã tali circumſtãtia temporis: ſublata autem apprehenſione de circumſtantia temporis, ceſſaſſet aſſenſus, qui ferebatur in Natiuitatem vt modificatã tali circumſtantia: quia aſſenſus pẽdet eſſentialiter ab obiecto actualiter apprehenſo, cùm ſit iudicium de obiecto intentionaliter præſente. Sicut enim actus voluntatis pendet ab obiecto actu cognito, ita iudicium ab obiecto actu apprehenſo. Variata igitur apprehenſione alicuius circumſtantiæ nõ reuelatæ, variatur obiectum fidei, in cuius aſſenſum, quia falſum eſt obiectum, non concurrit habitus fidei infuſæ, & conſequenter nec Deus: proinde nõ poſſet talis actus eſſe fidei infuſæ, ſed acquiſitæ ex humanis circumſtãtijs. Ex his conſtat falsò dixiſſe Bannez 2. 2. q. 1. a. 3. dub. 2. concl. vltima, fidem infuſam poſſe eſſe cauſam aſſenſus falſi quoad ſubſtantiam.

Fides infuſa nõ poteſt eſſe cauſa aſſenſus falſi quoad ſubſtantiã.

247. Ad 3. diſtinguẽdũ eſt cõſequens: poteſt fides habitualis eſſe cauſa aſſenſus falſi; nego: poteſt fides actualis eſſe cauſa tantũ obiectiua aſſenſus falſi, concedo. Hoc autẽ nullum eſt abſurdum, quia in tali caſu aſſenſus ſupernaturalis fidei non concurrit ad aſſenſum cõcluſionis falſæ, vt ſtat ſub lumine ſupernaturali, ſed vt ſtat ſub lumine naturali, cõcurrit enim vt forma obiectiua applicata per naturalem diſcurſum, qui quoniam fallibilis eſt, applicare poteſt illam vt connexam cum aliquo, cũ quo re ipſa connexa non eſt, & conſequenter poteſt ratione malæ applicationis eſſe cauſa obiectiua cõcluſionis falſę. Vt apparet in hoc ſyllogiſmo: *Chriſtus eſt homo: homo eſt lapis: ergo Chriſtus eſt lapis.* Falſitas concluſionis prouenit ex falſa applicatione cõnexionis lapidis cum homine, quæ applicatio fit per naturalem diſcurſum, qui falli poteſt. Neq; hic locum habet Philoſophicum illud axioma: *quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati*: igitur ſi Deus eſt cauſa aſſenſus fidei, erit etiam cauſa aſſenſus cõcluſionis falſæ: nam hoc ad ſummum concludit de cauſato, quod per ſe determinatè ſequitur ex cauſa: aſſenſus autem concluſionis falſæ non ſequitur per ſe determinatè ex aſſenſu ſupernaturali fidei, ſed ex mala applicatione ratiocinantis: cùm ex aſſenſu ſupernaturali fidei non minùs ſequi poſſit aſſenſus concluſionis veræ, quàm aſſenſus concluſionis falſæ. Sicut quia ex libertate creata non ſequitur per ſe determinatè peccatum, cùm æq; ex ea ſequi poſſit virtus, non dicitur Deus cauſa peccati, etiamſi ſit cauſa cauſæ peccati, quæ eſt libertas creata.

248. Ex dictis patet ad primam rationem dubitandi: diſpar enim eſt ratio, vt oſtendimus, de fide, & reliquis virtutibus infuſis appetitiuæ potentiæ. Tametſi aliqui, ſaltem de ſpe, putẽt eandem eſſe rationẽ, ac de fide: eo quòd ſpes inniti debeat promiſſioni Dei, quę non minùs certa & infallibilis eſt, quàm reuelatio eiuſdem. Quapropter à Paulo citato Hebræorũ 6. dicitur *firma anchora*: non enim ſperamus, niſi quæ à Deo reuelata ſunt. Hebr. 6.
Cæterùm etſi hoc verũ ſit de primario obiecto ſpei, quod expreſsè nobis reuelatur, haud tamen verum erit de obiecto ſecundario, quod ex primario probabiliter colligimus: multa enim ex obiecto explicitè reuelato probabili aſſenſu, non quidem fidei Diuinæ, ſed prudentię infuſę nobis ipſi perſuademus, ad quorũ practicum iudicium & aſſenſum Deus mediante habitu infuſo ſupernaturalem actum ſpei in nobis producit.

249. Ad ſecundam Reſp. in eo caſu fidelem ex ignorantia probabili teneri ad actum fidei Diuinæ putatæ: ſicut teneretur ad quẽ-

cunque

cunque alium actum ex ignorantia inuincibili apprehenſum vt præceptum. Vnde talis homo teneretur conari ad aſſenſum fidei diuinæ, quanquam re ipſa circa tale obiectum non eliceret, niſi actum fidei humanæ, per quem in tali caſu ſatisfaceret propriæ conſcientiæ, quæ prudenter dictaret, eliciendum eſſe aſſenſum fidei infuſæ.

250. Ad Confirmationem concedo eum, qui obiecto probabiliter ac prudenter putato à Deo reuelato diſcrederet, fore Hæreticū: quia talis homo, quantum eſſet de ſe, pertinaciter diſcederet à motiuo formali fidei. Quemadmodum foret ſacrilegus is, qui occideret non Clericum inuincibiliter putatū Clericum. Quamuis neuter incurreret pœnas ab Eccleſia impoſitas Hæreticis, & ſacrilegis: nam hæ non imponuntur, niſi propter peccatum in tali genere perfectum & completum, cuiuſmodi non eſſet dicta Hæreſis, quæ deficeret à perfecta ſpecie Hæreſis defectu motiui formalis reipſa exiſtentis.

Fides infuſa non eſt virtus practica extrinſecè, ex imperio voluntatis.

251. Ad tertiam negandum eſt, fidem infuſam eſſe virtutem practicam intrinſecè, & in ſuo aſſenſu formali, ſed ſolùm extrinſecè ex imperio voluntatis, à quo extrinſecè denominatur moralis. Cæteræ verò virtutes ſunt morales & practicæ intrinſecè per conformitatem ad rectum appetitum.

SECTIO VIII.

An authoritas Diuina quæ eſt obiectum formale fidei, ſit infallibilis?

252. QVÆ hactenus de fide infuſa docuimus, fere omnia ſupponunt, authoritatem Diuinam, quæ eſt ipſum motiuum formale fidei, eſſe infallibilem. Quæ perfectio, quia nondum eſt à nobis demonſtrata, quæ tamen neceſſaria eſt ad obiectum fidei meliùs intelligendum, demonſtranda erit in hac & ſequenti ſectione. Duplex autem eſt infallibilitas, vna in cognoſcendo, altera in dicendo. De prima nemo Catholicorum dubitauit: quid enim Deo, eiuſque infinitæ ſapientiæ magis repugnans, quàm poſſe in cognoſcendo falli? nam hoc ipſo in cognoſcendo Deus non eſſet, quo perfectior excogitari non poteſt. Aliqua verò ſupereſt de ſecunda infallibilitate inter Catholicos Scholaſticos controuerſia: *An nimirum poſſit Deus in dicendo fallere.*

Quæſtio eſt de infallibilitate in dicendo.

Hæreſis priſcillianiſtarùm: Deū mentitum fuiſſe. Auguſtinus.

253. Antiqua fuit Hæreſis Priſcillianiſtarum, quos, vt Auguſtinus de Hæreſibus ad quod vult Deum Hæreſi 70. ait, in Hiſpania Priſcillianus inſtituit, aſſerentium, licitum eſſe mēdacium, quin & Deum, Angelos, & Prophetas, & Chriſtum Dominum per ſe ipſum aliquando mentitum fuiſſe: *Non arbitrantes*, inquit Auguſtinus ad Conſentium contra mendacium cap. 2. *aliter veracem ſuam oſtendere falſitatem, niſi veritatem dicant eſſe mendacem.* Vnde, vt priori loco citato Auguſtinus refert, hæc in ſuis dogmatibus habebant verba: *Iura, periura, ſecretum prodere noli.*

Ioannes Caſſianus.

254. Hæreticos aliqua ex parte ſecutus eſt Ioannes Caſſianus coll. 17. quæ eſt ſecunda Abbatis Ioſeph. in qua docet vrgente aliqua neceſſitate, vel humilitatis cauſa ad proprias virtutes tegendas, licitum eſſe mendacium: *quando igitur*, inquit cap. 17. *graue aliquod imminet de veritatis confeſſione diſcrimen, tunc mendaciorum ſunt accipienda perfugia, ita tamen, vt reatu humilis conſcientia ſalubriter mordeamur. Vbi autem nulla conditio ſummæ neceſſitatis incumbit omni cautione mendacium velut mortiferum deuitandum eſt, quemadmodum de ellebori diximus potu, quod ſalubre eſt quidem, ſi tunc demum ſumatur, cùm ineuitabilis atque mortifera imminet ægritudo: ſin verò integra & imperturbata corporis ſanitate ſumatur, ſtatim ad præoccupanda vitalia vis pernicioſa pertendit*: & cap. 23. ita concludit: *Caterùm ſeniores noſtri ſublimioris pronunciarunt eſſe virtutis, contegere potiùs continentiam neceſſario, vt dictum eſt, humiliq́; mendacio, quàm patefacere ſuperbo veritatis indicio.*

Mendaciū intrinſecè malum.

255. Verùm vtrumq́ue errorem euidenter refellit vel ipſa mendacij natura, quod, vt ex dicendis conſtabit, eſt intrinſecè malum, ac proinde nunquam licitum, cùm nunquam poſſit eſſe licitum operari malum. Vnde manifeſtæ contradictionis arguitur in ſuis dictis Caſſianus, dum vrgente neceſſitate, mendacium appellat *ſalubre*, & nihilominus vult, vt de illo tanquam de peccato mordeamur. Nam ſi tali tempore mendacium eſt ſalubre: ergo eſt licitum: quod autem eſt licitum peccatum non eſt. Confirmatur: nam ideo tali tempore mendacio ſalubriter vti poſſumus, quia, vt ipſe indicat, maius vrget præceptum de noſtra, vel proximi vita tuenda, vel ne ſuperbiæ vitium incurramus, noſtras virtutes manifeſtando: igitur non peccamus mentiendo: alioqui in tali caſu eſſemus perplexi, quidquid faceremus, imputaretur nobis ad peccatum, quod nunquam contingere poteſt, cùm ſemper debeat eſſe locus vitandi peccatum. Sequela verò patet: quia ſi eo tempore maius vrget bonum, quàm ſit præceptum de non mentiendo, tenemur ad tale bonū conſeruādum vti mendacio: ergo non mentiendo tali tempore peccaremus. Rurſus ſi tali tempore mentiendo peccaremus, non daretur locus peccatum vitandi, ſed quidquid eo tempore faceremus, imputaretur nobis ad peccatum, quo nihil poteſt peccato eſſe magis contrarium, quod debet eſſe liberum, & à noſtra poteſtate depēdens.

An Deus mentiri poſſit prima ſententia. Adamus.

256. Ex Scholaſticis Adamus in 3. diſt. 4. q. 5. dub 2. & 3. Aliacenſis in 1. q. 12. art. 3.

Propo.

Olchot Hybernicus. Gabriel. Propo. 1. Olchot, & quidam Hybernicus apud Aliacenſem, quos ſecutus eſt Gabriel in 3. diſt. 12. & 38. opinantur, de potentia ordinata Deum mentiri non poſſe, poſſe autem de abſoluta, prout mentiri dicit actum proferendi falſum cum intentione decipiendi ſeu fallendi, non autem prout importat deordinationem iniuſtam & indebitam contra legem, cùm Deus nulla teneatur lege. Ex qua ſententia ſequitur, poſſe Deum efficere, vt nec creatura intellectualis mentiendo peccaret, ſi nimirum à mendacio prohibitionem auferret. Eandem ſententiam *Caietanus.* docuit Caietanus in 2. Regum cap. 12. & 16. quatenus affirmat, poſſe Deum eſſe cauſam mendacij, non quà mendacium eſt, ſed quà pœna eſt. Pro qua ſententia aduerſarij hæc proferunt argumenta.

257. Primum Mendacium, prout eſt actus dicendi falſum cum intentione fallendi, non eſt intrinſecè malum; ergo poteſt à Deo proferri. Conſequentia patet, quia quidquid non eſt intrinſecè malum, poteſt à Deo fieri. Antecedens probatur, nam quidquid eſt malum, ideo eſt malum, quia eſt aliqua lege Superioris prohibitum: Deus autem cùm nulli ſubiaceat ſuperiori, nulla poterit lege adſtringi, ac proinde nullus actus reſpectu Dei poterit eſſe malus.

258. Secundũ. Quidquid Deus efficere poteſt cũ creatura vt cauſa partialis, efficere poteſt ſolus vt cauſa totalis: poteſt autẽ cũ creatura eſſe partialis cauſa mendacij: ergo poterit ſolus vt cauſa totalis. Maior probatur, quia non minùs vt cauſa partialis, quàm totalis per ſe influit in actum mendacij: igitur ſi poteſt vt cauſa partialis, poterit vt totalis.

259. Tertium. Poteſt Deus præcipere alicui, vt innocentem occidat, vt præcepit Abrahamo, vt innocentem filium occideret; vt fornicatiam cognoſcat, vt præcepit *Oſee 1.* Oſeę 1. Ergo etiã pręcipere poterit, vt alium mentiendo decipiat. Conſequentia probatur, quia ſicut diſpenſare poteſt in 5. & 6. Decalogi præcepto, & efficere, vt innocẽtis occiſio, & fornicatio illicita non ſit: ita diſpenſare poterit in octauo de falſo teſtimonio non dicendo, & efficere, vt mendacium licitum ſit, cùm non minùs malum ſit, innocentem occidere, & fornicari, quàm mẽtiri.

260. Quartum. Poteſt Deus in pœnam peccati creaturam decipere, vt ſæpe per homines, & Angelos malos peccatores decepit, *Rom. 1. 3 Regum vlt.* iuxta illud Rom. 1. *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum ſenſum*: & 3. Regum vltimo præcepit Deus ſpiritui nequam, vt deciperet Achab Regem Iſraël. *Decipies*, inquit, *& praualebis. Egredere, & fac ita.* Vnde ſubdit ibidem Michæas Propheta Regi: *Nunc igitur ecce dedit Dominus Spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum tuorum.*

Secunda ſententia. Deus per ſeipſum, nec de facto mẽtitur eſt nec de poſſibili, poteſt mentiri. Richardus

261. Nihilominus communis & conſtans reliquorum Theologorum ſentẽtia eſt, non modo de facto, ſed nec de poſſibili Deum vel per ſe ipſum, vel per alium mentiri poſſe. Legantur in hac materia Richardus in 3. diſt. 14. art. 1. q. 3. Durandus q. 2. Gregorius Ariminenſis in 1. diſt. 24. q. 2. Thomas Argentinas q. vnica art. 2. Marſilius q. 14. art. 2. in 2. p. eiuſdem articuli: Melchior Canus lib. 2. de locis Theologicis cap. 3 Syluius & interpretes S. Tho. 2. 2. q. 1. art. 3. In qua veritate aſſerenda nobiſcum conueniunt huius temporis Hęretici, vt expreſsè teſtatur Caluinus in ſuis Inſtit. cap. 5. de fide num. 4. *Neque etiam ſufficit*, inquit, *Deum credere veracem qui nec fallere nec mentiri poſſit niſi conſtituas procul dubio, quidquid ab ipſo prodit ſacro ſanctam eſſe, & inuiolabilem veritatem.* Pro cuius veritatis declaratione. *Durandus Gregorius Ariminen. Thomas Argentina. Marſilius Canus Syluius.*

262. Dico I. Implicat non ſolùm de facto & iuxta potentiam ordinatam, ſed etiam de poſſibili, & ſecundùm potentiam abſolutam, Deum per ſe ipſum mentiri, ſeu falſum dicere. Dixi, *per ſe ipſum*: nam vtrum poſſit qualitatẽ aliquã producere, quę ſuapte natura intellectum ad falſum inclinet, in quo caſu non Deus, ſed creatura diceretur falſum proferre, ſectione ſequenti. Conſulto omiſi, *cum intentione fallendi ſeu decipiendi*, cum qua etiam intentione contendunt aduerſarij, poſſe Deum de potentia abſoluta falſum dicere: quia ſi probauerimus, Deum per ſe ipſum falſum dicere non poſſe, à fortiori probatum erit, nec voluntatem fallendi decipiendiue habere poſſe, ſiue talis voluntas ſpectet ad eſſentiam mendacij, ſiue non. Quam quæſtionem ſubtiliſſimè diſputat Auguſtinus lib. de mendacio ad Conſentium à cap. 3. cuius neutram *Auguſtin.* partem abſolutè definit. Non deſunt tamen, qui eam ad eſſentiam mendacij ſpectare putent: licet S. Tho. 2. 2. q. 110. art. 1. ſolùm *S. Thomas* ad eſſentiam mendacij pertinere doceat voluntatem dicendi falſum, voluntatem verò fallendi eſſe tantùm effectum conſequentem eſſentiam mendacij. Verùm duplex diſtinguenda eſt voluntas fallendi, altera formalis & expreſſa, altera virtualis & interpretatiua: hæc poſterior, non autẽ prior ſpectat ad eſſentiam mendacij: nam hæc tantùm inſeparabilis eſt à mendacio: hoc ipſo enim, quòd aliquis falſum dicit, virtualiter & interpretatiuè vult deceptionem, quæ nata eſt ſequi ex falſo dicto, eſto non habeat expreſſam & formalem voluntatem decipiendi ſeu fallendi. His igitur obiter adnotatis, *Duplex voluntas fallendi formalis & virtualis.*

263. Aſſertio quoad primam partem eſt expreſſum fidei dogma, quod multa probant ſacrarum litterarum oracula: quoad ſecundam verò eſt ita certa, vt illam non minùs de fide, quàm priorem putet Suarez diſp. 3. ſect. 5. Cui cenſuræ ſubſcribit Coninck diſp. 10. dub. 1. concl. 2. Bannez verò 2. 2. q. 1. a. 3. dub 1. concl. 3. Aragonius ibidẽ, Turrianus diſp. 3. dub. 1. & 2. oppoſitã appellant erroneã: Valẽtia diſp. 1. q. 1. puncto 3. ad minimum temerariam. Cenſuræ huius fundamentum eſt authoritas ſcripturæ & Patrum, quorum teſtimonia non ſolùm loquuntur de potentia ordinata, ſed etiam de abſoluta, vt mox conſtabit. *Suarez Coninck Bannez Aragonius Turrianus Valentia.*

264. Pro-

164. Probatur igitur hæc poſterior pars, ex cuius probatione ſimul confirmata manebit prior, 1. ex ſacris ſcripturis: num. 23. *non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur, nec filius hominis, vt mutetur.* Quo teſtimonio eodē modo dicitur Deus verax, ſicut immutabilis: eſt autem immutabilis etiam de potentia abſoluta: ergo etiam de potentia abſoluta erit verax. Implicat igitur etiam de potentia abſoluta Deum mentiri. *[Nu]m. 23.*

265. Ad Rom. 3. *Eſt autem Deus verax: omnis autem homo mendax.* Quæ comparatio intelligi non poteſt, de potentia tantùm ordinata, ſed etiam de abſoluta. Comparat enim hic Apoſtolus naturam Dei cum natura hominis quoad veracitatem, docetque illum natura ſua eſſe veracem, hunc verò mendacem. Quæ autem ſecundùm naturam Deo conueniunt, per nullam potentiam illi contrarium conuenire poteſt, ac proinde ſecundùm nullam potentiam ijs priuari poteſt. Quòd autem hic comparatio fiat inter naturam Dei, & naturam hominis, probatur: alioqui falſo dixiſſet, *Omnis autem homo mendax*, cùm multi reperiantur homines, qui nunquam in vita ſua mentiti ſunt. Ergo dicitur homo mendax, quia natura ſua eſt talis, eſto nunquam actu mentiatur. Contrà verò dicitur Deus verax, quia natura ſua eſt talis, vt nunquam mentiri poſſit. Atque ita hunc locum inter alios interpretatur Anſelmus: *Omnis*, inquit, *homo in quantum homo eſt, eſt mendax:* igitur è conuerſo, Deus in quantum Deus, eſt verax: alioqui ſi vnum membrum antitheſis intelligeretur ſecundùm naturam, alterum ſecundùm actum nō rectè vna pars antitheſis reſponderet alteri. *[Ro]m. 3.* *[A]nſelmus.*

266. Idem Apoſtolus 2. ad Timotheum 2. ita ſcribit: *ille*, nempè Deus, *fidelis permanet, negare ſe ipſum non poteſt.* Ecce quo pacto Doctor Gentium Dei fidelitatem in ſuis promiſſis ſeruandis explicat, vt ea nimirum neceſſitate ſuas pollicitationes ſeruet, qua neceſſitate non poteſt ſe ipſum negare. Atqui per nullam potentiam poteſt ſe ipſum Deus negare: igitur per nullam potentiam poteſt ſua promiſſa non ſeruare; ergo nec mentiri: cùm non minùs ſit contra Dei naturam, non ſeruare veritatem in verbis, quàm in factis. *[2.] Tim. 2.*

267. Et ad Hebræos 6. explicans firmitatem, ſoliditatemque noſtræ fidei, ac ſpei quæ in Diuina promiſſione fundatur, ſic ait: *Abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui interpoſuit iuſiurandum: vt per duas res immobibes, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, firmiſſimum ſolatium habeamus.* Quibus verbis vt perſuadeat nobis, firmiſſimum nos habere ſolatium earum promiſſionum, quæ factæ ſunt nobis, vtitur hoc medio tanquam efficaciſſimo, *quia impoſſibile eſt*, inquit, *mentiri Deum:* quaſi diceret Apoſtolus, non poſſe nos firmiſſimum ſolatium habere, niſi credamus, Deum in ſuis promiſſionibus mentiri non poſſe: quia ſi mentiri poſſet, rationabiliter dubitare poſſemus, an ſit de facto mentitus. Nec tollitur huiuſmodi dubitatio, ſi dicatur, de potentia ordinata nunquam fuiſſe Deus mentitus, nec mentiturus; quia cùm potentia ordinata pendeat ex libera voluntate ipſius, qua decreuit nunquam de facto ſe mentiturum, poſſet exercendo abſolutam ſuam potentiam contra hanc voluntatem agere: cùm nec de potentia abſoluta per aduerſarios implicet, Deum contra ſuam voluntatem agere, quippè qui dicunt, poſſe Deum per abſolutam potentiam promiſſa non ſeruare; nec reuelando, ſe nunquam mentiturum, priuaret ſe abſoluta potentia, ſecundùm quam, non obſtante promiſſione, poſſet oppoſitum facere. Ergo niſi Deus, etiam de potentia abſoluta mentiri non poſſit, non tolletur à nobis dubitatio. *[H]ebr. 6.*

268. Confirmatur. Poteſt Deus per aduerſarios de potentia abſoluta promiſſa non ſeruare: ergo de potentia abſoluta poſſet hoc ipſum, quod promiſit, ſecundùm potentiam ordinatam ſe non mentiturū, non ſeruare. Vnde enim certi eſſe poſſumus, quòd etiamſi de facto promiſerit, ſe ſua promiſſa ſeruaturum, de potentia tamen abſoluta non ſit ſeruaturus? cùm facta quacunque promiſſione, ſemper Deus per aduerſarios liber maneat ſeruandi, vel non ſeruandi quæ promiſit, abſque vllo prǫiudicio ſuæ fidelitatis ac veracitatis.

269. Vnum poſſet contra hęc ſcripturæ teſtimonia obijci: nam probare quòd Deus non poſſit mentiri authoritate ſcripturę, eſt probare teſtimonio ipſius Dei, de cuius veracitate diſputatur: ergo probare authoritate ſcripturę, quòd Deus non poſſit mentiri, eſt aperta petitio principij, non ſecus ac ſi teſtimonio Petri, de cuius veracitate diſputatur, probaretur, quòd Petrus ſit verax. Verùm tunc tantùm probatio deſumpta ex teſtimonio Dei eſſet petitio principij, quando illius certitudo aliunde nobis non conſtaret, quàm ex ipſa authoritate Dei. Cùm igitur illius certitudo aliunde nobis conſtet, tum ex authoritate Eccleſię tantorumque doctiſſimorum ac ſanctiſſimorum virorum; tum ex ijs, quæ tot annis ante prædicta, ad vnguem adimpleta ſunt, probando ex teſtimonio ſcripturæ Deum mentiri non poſſe, principium non petimus, eo quòd id non probamus ex teſtimonio Dei, quatenus illud nobis ſola reuelatione Dei innoteſcit, ſed ex rationibus aliunde habitis. Quanquā cùm poſtea hanc ipſam veritatem fide diuina credimus, illi adhęremus ſolo teſtimonio Dei reuelantis. *An ſit petitio principij ex ſcriptura probare Deum non poſſe mentiri.*

270. Secundò confirmatur hæc veritas apertiſſimis teſtimonijs Patrum. Dionyſius 8. cap. de Diuinis nominibus circa medium ſoluēs argumentū Elymę Magi obijcientis, qua ratione fieri poſſit, vt Deus ſit omnipotens, cùm ab vno noſtro Theologo, (Paulum intelligens) dicatur, *ſeipſum negare non poſſe?* ita reſpondet: *Nempè ſe ipſum negare, à veritate decidere eſt. Porrò veritas Deus eſt,* *Dionyſius.*

&

& à veritate cadere, à Deo eſt cadere. Si igitur veritas Deus eſt, veritatiſque negatio eſt à Deo prolapſio. A Deo cadere Deus non poteſt, & non eſſe (vt ſic dixerim) non eſt, & non poſſe non poteſt. Quo quid pro hac veritate illuſtrius?

Ambroſius.

271. Ambroſius in Apologia Dauid ca. 10. *Impoſſibile eſt*, inquit, *mentiri Deum*: & vberius expreſſiuſque lib. 6. Epiſt. Epiſtola 37. ad Chromacium: *nunquid non*, inquit *mentitur Deus? ſed non mentitur, quia impoſſibile eſt, mentiri Deum, impoſſibile quoq; iſtud nunquid nam infirmitatis eſt? non vtiq; nam quomodo omnia poteſt, ſi aliquid efficere non poteſt? quid ergo ei impoſſibile? non quid virtuti arduum, ſed quod naturæ eius contrarium. Impoſſibile eſt ei mentiri. Impoſſibile iſtud non infirmitatis eſt, ſed virtutis & maieſtatis: quia veritas non recipit mendacium, nec Dei virtus leuitatis errorem.* Vbi vides, impoſſibilitatem mentiendi ab hoc Doctore non referri ad liberum decretum Dei, quo iuxta legem ordinatam de facto ſtatuerit, ſe nunquam mentiturum, ſed ad ipſius naturam, ſed ad ipſius virtutem, ſed ad ipſius increatam veritatem, cui tam impoſſibile eſt mentiri, quàm impoſſibile eſt, veritatem recipere mendacium, virtutem infirmitatem, Deum ſuæ naturæ contrarium.

Auguſtin.

272. Auguſtinus de Symbolo ad Catechumenos lib. 1. cap. 1. quòd Deus mentiri non poſſit, eius tribuit omnipotentiæ, quæ æquè neceſſaria illi eſt, atque neceſſaria ei eſt propria natura. Audiamus Doctoris verba. *Deus omnipotens eſt, & cùm ſit omnipotens, mori non poteſt, falli non poteſt, mentiri non poteſt, & quod ait Apoſtolus, negare ſe ipſum non poteſt. Quoniam multa non poteſt, & omnipotens eſt: & ideo omnipotens eſt, quia iſta non poteſt: nam ſi mori poſſet, non eſſet omnipotens; ſi mentiri, ſi falli, ſi fallere, ſi iniquè agere, non eſſet Omnipotens: quia ſi hoc in eo eſſet, non fuiſſet dignus, qui eſſet Omnipotens.* Quo quid expreſſiùs in Confirmationem huius veritatis tantus Doctor dicere potuit? qui non modò impoſſibilitatem mentiendi tribuit omnipotentiæ Dei, verùm & ipſum mentiri teſtatur æquè repugnare Deo, atque ipſum mori, falli, atque iniquè agere: quæ ipſo naturæ ductu omnes profitemur per omnem potentiam repugnare Deo. Eandem veritatem confirmat libro vltimo de ciuitate Dei cap. 25. his verbis: *Si volunt inuenire, quod omnipotens non poteſt, habent prorſus, ego dicam, mentiri non poteſt.*

Anſelmus:

273. Demum Anſelmus lib. 1. *Cur Deus homo* cap. 12. hanc impotentiam mentiendi in Deo refert ad ipſam veritatem Dei his verbis: *Nequaquam poteſt velle mentiri voluntas, niſi in qua corrupta eſt veritas, imo quæ deſerendo veritatem corrupta eſt.* Et in 2. Epiſtola ad Timotheum cap. 2. explicans illa verba, *negare ſe ipſum non poteſt*, vtitur citata authoritate Dionyſij ad probandum, quòd Deus vt prima veritas mentiri non poſſit: Cuius ſententiæ ſubſcribit hoc pacto: *Si ergo Deus non poteſt negare ſe, & non poteſt mentiri, vel aliquid iniuſtum facere, quomodo eſt Omnipotens? niſi quia hæc, vel his ſimilia poſſe non eſt potentia, ſed impotentia. Rectè itaq; de Omnipotente dictum, quia negare ſe ipſum non poteſt.* Vnde ad hoc ipſum confirmandum præcitato loco *cur Deus homo* dixerat: Non hoc ipſo quod Deus vult mentiri, iuſtum eſſe mentiri, *ſed potiùs ſequeretur*, inquit, *Deum non eſſe*: quia mentiri *eſt contra naturam Dei.*

Prima ratio. Magiſter. S. Thomas.

274. Tertiò probatur eadem veritas rationibus. Prima ſitque. Implicat Deum eſſe authorem peccati: ſed nullum falſum teſtimonium ſcienter dictum præſcindit à peccato: ergo. Minor, quam omnes Patres & Scholaſtici cum Magiſtro in 3. diſtinct. 38. ſupponunt, probatur ex S. Thoma q. 110. art. 3. hoc pacto. Omnis falſa teſtificatio eſſentialiter eſt abuſus locutionis, quæ vti propria mentis interpres ſuapte natura ordinatur ad exprimendum alteri loquentis conceptum: ergo eſſentialiter eſt mala. Antecedens conſtat, quia vti medijs contra finem, ad quem ſuapte natura diriguntur, eſt illis abuti. Conſequentia probatur, tum quia ideo mollities, ſodomia, beſtialitas ſunt peccata intrinſecè mala, quia eſſentialiter ſunt abuſus humani ſeminis per ſe ordinati ad prolem gignendam: tum quia operari contra id, ad quod natura duce dirigimur, ſemper eſt peccatum, cùm peccatum nihil aliud ſit, quàm deuiatio à recta ratione: cùm igitur hæc virtus manifeſtatiua internorum conceptuum media locutione externa tanquam propria mentis interprete, naturaliter conſequatur ad omnem naturam intellectualem, non minùs illa erit proprietas Dei, quàm cuiuſcunque naturæ intellectualis creatæ: ac proinde non minùs in Deo, quàm in nobis abuſus talis locutionis erit intrinſecè malus: cùm eodem modo in Deo, atque in nobis, opponatur fini, propter quem locutio eſt inſtituta, & aduerſetur recto dictamini, quod Deus de ſua locutione habet mediante qua, vt propria ſuæ mentis interprete inter nos ſuos conceptus & conſilia communicat creaturis.

275. Confirmatur: nam ſi per impoſſibile æternus Pater æterno ſuo Filio falſum diceret, peccaret: ergo etiam falſum dicendo creaturę. Antecedens probatur, quia rationem malitiæ talis actus reciperet ex inordinata locutione rei falſæ contra naturale dictamen, quod Pater ęternus haberet de locutione, per quam tanquam per propriam mentis interpretem deberet ſe æterno ſuo Filio communicare. Atqui eandem inordinationem haberet falſa locutio facta creaturæ. Quocirca Ariſtoteles 4. Ethicorum cap. 7. cuius authoritate vtitur citato loco S. Thomas, vel ipſo naturæ lumine nouit, mendacium eſſe per ſe prauum & fugiendum. Addo, quòd etiamſi ob maximam aliquam vtilitatem, vel vrgentem neceſſitatem poſſit aliquando mendacium eſſe licitum homini, vt falſum putauit pręcitato loco Caſſianus, nunquam tamen illud poterit eſſe licitum Deo, qui nulla ad mentiendum moueri poteſt vtilitate, vel neceſſitate, vt per ſe patet.

Ariſtotel. S. Thom[illegible]

Caſsian[illegible]

276. SECVNDA ratio ſit. Repugnat mendacium

dacium cũ increata veracitate Dei, nõ minùs quàm cum increata bonitate eiuſdem repugnat malitia: ergo implicat illud à Deo eſſe. Antecedens demõſtro. Veracitas Dei eſt, qua maior excogitari non poteſt: poſſet autẽ excogitari maior, ſi Deus mentiri poſſet, quia tunc poſſet excogitari veracitas, cui per omnẽ potentiam repugnaret falſum dicere. Atqui talis veracitas eſſet maior & perfectior, quippe quæ ſuperaret alteram per hoc, quòd per nullam potẽtiam falſum dicere poſſet. Atqui omnis perfectio in Deo talis collocanda eſt, quâ maior ac ſublimior excogitari non poſſit, quia cùm habeat eſſe illimitatum, & à nullo acceptum, omnis perfectio ipſius debet eſſe talis, qua maior excogitari non poſſit.

277. Confirmatur. Nunquam actu mentiri eſt magna perfectio: ergo nunquam poſſe mentiri eſt maior perfectio: ergo concedenda eſt Deo. Poſterior conſequentia patet ex dictis, cùm in Deo concedenda ſit omnis maior perfectio, quæ excogitari poteſt. Antecedens conſtat, tum quia apud homines, nunquam mẽtiri, magna cenſetur perfectio; ergo etiam apud Deum: tum quia ſemper actu mẽtiri, magna eſt imperfectio: igitur eius oppoſitum, nũquam actu mentiri erit magna perfectio. Prior verò conſequentia probatur, tũ à paritate: nunquam poſſe non bene agere, eſt maior perfectio, quàm ſemper bene agere: ergo non poſſe mentiri, eſt maior perfectio, quàm nunquam actu mentiri: tũ à priori, ideo nunquam actu mentiri, eſt magna perfectio, quia negat aliquem defectum in actu: ſed nũquam poſſe mentiri, eundem defectum negat in potentia: tum quia, quòd æſtimatur perfectio in actu, æſtimatur perfectio etiam in ipſa potentia: igitur ſi in actu eſt magna perfectio, nunquam mẽtiri, erit etiam perfectio & maior in ipſa potentia, in qua remotio talis defectus eſt permanenter, & magis intrinſeca & connaturalis.

278. Tertia ratio ſit. Repugnat mendacium, ſeu falſum dicere infinitæ authoritati Dei: igitur non eſt Deo concedendũ. Conſequentia patet, quia nihil repugnans perfectioni Dei, eſt Deo concedẽdum. Authoritas autem eſt perfectio in Deo, nullam inuoluẽs imperfectionem, tum quia in nobis eſt perfectio, & nullam inuoluit imperfectionem: tũ quia authoritas formaliter eſt virtus idonea ad perſuadendum, quod dicis: quæ duplicem ſupponit perfectionem, alterã ſapientiæ, qua falli; alteram fidelitatis, quà fallere non poſſit. Quòd autem mentiri ſeu falſum dicere, etiam de potentia abſoluta, repugnet infinitæ authoritati Dei, probatur: quia maior eſt authoritas, quæ nec de poſſibili fallere poteſt, quàm quæ tantùm de facto & ſecũdùm potentiam ordinatam: maiorẽ quippe fidem præſtamus dictis eius, quẽ ſcimus per nullam potentiam falſum dicere poſſe, quàm quem ſaltem ſecũdùm abſolutam potentiã ſcimus fallere poſſe: nam prima authoritas tollit omne omnino dubium: ſecunda verò ſaltem non tollit dubiũ poſſibile: nam dubitare ſaltem poſſumus, an aliquando Deus vtatur tali potentia, cùm nequeat nobis certò conſtare, quòd nũquam ea ſit vſurus. Quia cùm illius vſus pendeat ex volũtate Dei, & reuelatio, qua teſtatur, ſe illa non vſurum, per aduerſarios non obliget Deũ ad illã non vtendum, nunquam poſſemus eſſe certi, an ea aliquando ſit vſurus: proinde minueretur authoritas Dei: nam tanto minuitur authoritas dicentis, quanto minuitur certitudo, quòd loquens fallere non poſſit.

279. Dico 2. Implicat Deum per alium falſum teſtari. Dupliciter poteſt Deus per alium loqui ſeu teſtari; vno modo tanquã per proponentem rem à ſe teſtatam, vt olim per Prophetas, & nũc per Eccleſiam. Altero modo, vt cauſa particularis mouẽs creaturam ad teſtificandum falſum, non tamen authoritate propria; vterq; modus repugnat Deo: & quidẽ primus euidentiùs, quia loqui hoc modo eſt, ac ſi per ſe ipſum loquatur, tum quia eſt loqui vt cauſam principalẽ per alium tanquã per inſtrumentum à ſe primò motũ, actio autem inſtrumenti tribuitur principali; tũ quia hic modus ſupponit falſam teſtificationẽ immediatè factam à Deo alicui, alioqui nõ poſſet res credenda proponi authoritate Dei, vt immediatè ab ipſo teſtata. Tandẽ ſi poſſet Deus hoc modo per aliũ falsũ teſtificari, corrueret fides noſtra, quæ per Prophetas, & Apoſtolos in nobis deriuatur; vnde eandem certitudinem habet hæc Concluſio, ac præcedens.

Deus non per alium falſum teſtari poteſt.

280. Secundus modus intelligi poteſt dupliciter. Primò, quòd Deus moueat ad falſum formaliter, hoc eſt ad falſum cognitum à loquente vt falſum. Secundò, ad falſum materialiter, nempe cognitum à loquente vt verũ, vterq; modus repugnat Deo. Repugnat primus, quia repugnat Deo vt cauſæ particulari mouere ad peccatum: ſed hoc modo moueret vt cauſa particularis ad peccatum, quia moueret vt cauſa moralis primò determinans creaturam ad falſum formaliter, quod eſt mendacium. Repugnat ſecundus, nam quamuis illa locutio non eſſet mendacium reſpectu Creaturæ, eſſet mendacium reſpectu Dei, quia vt cauſa particularis moueret ad illam vt falſam formaliter, quia moueret, vt cauſa moralis primò determinans ad illam cognitam vt falsã, vnde peccaret, ſicut qui conſilium daret de re mala ignoranti vt malã. Et ratio eſt, quia idcirco peccat qui exercet actionem malã, quia ſcienter, & liberè vt cauſa particularis ſe ad illã mouet, & determinat; ſed qui ſuo cõſilio aut motione aliũ impellit ad actionem de ſe malã, ſcienter, & liberè vt cauſa particularis mouet ad peccatum: ergo peccat, etiãſi ob ignorantiam nõ peccet, qui talem actionẽ exercet.

281. Ad 1. oppoſitæ ſentent. vel potiùs erroris, negatur antecedens, vt ex dictis cõſtat. Ad cuius probationem negandum eſt, omne malum, ideo eſſe malum, quia aliqua lege Superioris prohibetur: ſed ideo aliqua eſſe mala, quia ex intrinſecis ſuis principijs ſunt contraria & diſſona naturæ intellectuali antecedẽter ad omnem legem. Etenim antecedẽter ad omnem legem, non conformare verbum ex-

terum

ternum verbo interno, eſt euidenter diſſonum & difforme naturæ intellectuali, quæ dictat, verbum externum conformandũ eſſe verbo interno. Vnde etiamſi mendacium non eſſet peculiari lege à Deo prohibitum, adhuc ex natura ſua eſſet diſſentaneum naturæ rationali: ac proinde qui illud cõmitteret, peccaret: cùm peccare nihil aliud ſit, quàm operari aliquid contrarium naturæ intellectuali.

282. Ad 2. negatur Maior, vt conſtat in peccato, cuius Phyſicam entitatẽ producit Deus vt cauſa partialis vniuerſalis, quam tamẽ non poſſet vt cauſa totalis, præſertim ſi ſit actus intrinſecè malus. Ratio eſt, quia vt cauſa vniuerſalis Deus non concurrit ad actum vt primò determinans, ſed vt determinatus à creatura: ac proinde malitia deſumitur à creatura primò ſe determinante ad obiectũ diſſonum naturæ rationali, non à Deo Phyſicè tantùm concurrente vt à creatura determinato.

283. Ad 3. Neganda eſt conſequentia: ad cuius probationem, negãda eſt paritas de occiſione innocentis: nam hæc eatenus eſt mala, quatenus fit à non habente poteſtatem: Deus autem, cùm plenam habeat poteſtatem in omnem creaturam, licitè poteſt illam occidere, quemadmodum & annihilare. Mendacium verò nõ ideo eſt malum, quia fit à creatura, ſed quia ex ſe difforme ac diſſonum eſt naturę intellectuali, medio dictamine rationis, quod illa habet de recta locutione vt propria mentis interprete: idq; propter intrinſecam deordinationem à fine, propter quem eſt inſtituta, cuius præceptum Deus tollere non poteſt, nec aliquam eius circumſtantiam mutare, vt oppoſitum aliquando licitum ſit, & conforme naturæ intellectuali. Ad id, quod in eodem argumento dicebatur, minùs malũ eſſe mendacium, quàm homicidium, reſpondeo id verum eſſe reſpectu creaturę, cui vtrũque comparatur, vt difforme & contrarium rationi, non autem reſpectu Dei, reſpectu cuius ſolum mẽdacium comparatur vt malum, quia ſolum mendacium ſuapte natura eſt diſſonum & difforme cuicunque naturę intellectuali. Nec poteſt mutari, vt ex difformi fiat conforme rationi: quia hæc difformitas in mendacio non pendet ab aliqua circumſtanſtantia extrinſeca, quæ à mendacio ſeparari poſſit, vti pẽdet peccatum homicidij. Exemplum autem de fornicaria, quam Deus præcepit Oſeę, vt acciperet in vxorem: nihil probat, nam hoc ipſo, quòd fornicariam accepit in vxorem, non cognouit illam affectu fornicario, ſed matrimoniali.

284. Ad 4. Negatur antecedens: nam licet poſſit Deus in pœnam mendacium permittere, vt adductæ authoritates tantùm probant, non tamen ipſe per ſe, vel per alium illud exercere poſſet, cùm inuoluat difformitatem à proprio obiecto inſeparabilem.

285. Ex his multa alia Vaticinia explicari poſſunt, quæ non videntur adimpleta, vel quia tantùm fuerunt comminatoria 4. Regũ 20. Vbi Deus mortem Ezechiæ Regi comminatus eſt, cui tamen poſtea ſuperaddidit annos quindecim: vel facta fuerunt ſub aliqua conditione tacita, vel expreſſa, quæ quoniam adimpleta non fuit, nec Deus ſuam adimpleuit promiſſionem, quam ſub tali conditione fecit. *4 Reg. 20.*

286. Ex his corruit diſtinctio aduerſariorum de falſo teſtimonio, vel vt eſt iniuſta & inordinata voluntas contra legem, vel vt includit ſolam intentionem fallendi: ſiquidẽ in ipſa prolatione falſi teſtimonij includitur voluntas inordinata, cùm ſit abuſus propriæ locutionis per ſe ordinatæ ad explicandam mentem loquentis, à qua inſeparabilis eſt voluntas, ſaltem virtualis & interpretatiua fallendi, quæ neceſſario includitur in ipſa voluntate dicendi falſum formaliter, eo quòd falſum ſuapte natura ordinatur ad fallendũ: qui autem vult cauſam, interpretatiuè ſaltẽ vult effectum cum cauſa connexum. Neq; vt actus ſit malus, neceſſum eſt, vt ſit contra legem ſuperioris, ſed ſufficit, vt ſit contra proprium dictamen, quod vnaquæq; natura intellectualis, etiam Diuina habet de ſuis operationibus: nam hoc eſt proxima regula, cui in operando quæuis natura intellectualis tenetur ſe conformare. Eſto igitur Deus mentiendo non faceret contra legem Superioris, faceret tamen contra dictamen ſuæ naturæ, quæ vt perfectiſſima & ordinatiſſima eſſentialiter dictat, externam ſuam locutionem nõ eſſe difformandam ab interna mentis conceptione.

SECTIO IX.

An Deus infundere poſſit qualitatem per ſe ad falſum inclinantem?

287. Conueniunt Doctores, non poſſe à Deo infundi qualitatem ſupernaturalem, quæ per ſe inclinet ad falſum: ſola autem inter eos controuerſia eſt de qualitate ordinis naturalis, exẽpli cauſa, an poſſit Deus ſe ſolo producere illum habitum, vel actum erroris, quem ſibi producit homo.

288. Prima ſententia affirmat. Eſt Vaſquez 1. 2. diſp. 90. cap. 4. & 3. p. diſp. 61. cap. 6. & 9. vbi non ſolùm docet, potuiſſe actum vel habitum erroneum, ſed etiam habitum, vel actum vitioſum, poſito quòd actus vitalis à ſolo Deo fieri poſſet, produci in Chriſto Domino abſq; prẹiudicio, vel Dei producẽtis, vel Verbi recipientis. Eandem ſententiam ſequuntur alij recentiores, quos ſuppreſſo nomine citat Turrianus diſp. 3. dub. 4. quam & ipſe probabilem cenſet, licet probabiliorem putet oppoſitam. *Affirmat Vaſquez.* *Turrianus.*

289. Probatur hæc ſententia 1. Quoniam in hoc nulla apparet repugnantia, nam ex eo quòd Deus eſſet cauſa habitus erronei, aut vitioſi, non inde ſequeretur, eſſe authorem erroris, aut peccati: igitur nulla eſt repugnantia: nam ſi qua eſſet, eſſet hæc aſſignata. Ante-

cedens probatur:nam in eo tantùm caſu diceretur cauſa erroris, quando ipſemet, vel per ſe ipſum vel per alium eſſet teſtis falſitatis:ex infuſione autem qualitatis ad falſum inclinantis nullo pacto ipſe dici poſſet falſitatis teſtis:vt enim aliquis ſit teſtis falſitatis,debet per interpoſitum ſuũ teſtimonium alios decipere. Pari ratione neque ex productione habitus vitioſi Deus eſſet author peccati,quia peccatum non ſequeretur ex ſolo habitu à Deo producto,ſed principaliter ex voluntate creata liberè ſe ad talem actum peccaminoſum determinante.

290. Secundò. Solus Deus conſeruat habitum erroris productum ab aſſenſu falſo præterito : ſicut ſolus Deus conſeruat habitum vitioſum ex frequentatis actibus voluntatis creatę acquiſitum: ergo ſolus Deus poſſet vtrumque producere, cùm eadem ſit productionis & conſeruationis ratio.

291. Tertiò. Poteſt Deus producere in oculo ſpeciem,quæ repræſentet obiectum vt exiſtens,quod exiſtens non eſt;ergo & in intellectu qualitatem, quæ inclinat ad falſum. *S.Thomas.* Antecedens eſt S.Thomæ 3.p.q.76.art.8.aſſerentis,apparitiones miraculoſas in Euchariſtia ſæpè fieri per ſolam mutationem videntis , nulla mutatione facta in obiecto viſo: quod fieri nequit,niſi per ſpeciem,aut viſionem productam à Deo de obiecto non exiſtente. Prior conſequentia probatur, tũ quia non minùs ſpecies viſibilis,quàm intelligibilis de obiecto non exiſtente vt exiſtente eſt cauſa deceptionis & erroris : tum quia Prophetæ per ſpecies intelligibiles à Deo infuſas cernebant res futuras tanquam præſentes. Poſterior verò conſequentia conſtat , quia cùm prædicta ſpecies repræſentet obiectum aliter atq; eſt,natura ſua inclinat ad falſum.

Amos 3. 292. Quartò.Error non eſt malum morale,ſed Phyſicum:ergo poteſt Deus illum vt cauſa particularis in pœnam peccati cauſare, iuxta illud Amos 3. *Si erit malum in Ciuitate, quod Dominus non fecerit* : quod etiam docuit *Caietanus.* Caietanus præcedente ſect.citatus.

Sententia negans. 293. SECVNDA ſententia negat, poſſe à Deo vt à cauſa particulari infundi qualitatem,quæ natura ſua inclinet ad falſum . Sententia hæc communis eſt inter recentiores, quam tradunt in 2.2.q.1.art.3.Pro cuius explicatione,Nota, triplicem poſſe eſſe cauſam erroris,ſpeciem aliquam impreſſam , ſimplicem apprehenſionem obiecti, & habitum ex frequentatis actibus erroneis genitum. De ſingulis erit breuiter dicendum,an poſſint à ſolo Deo produci.

Implicat ſpecies impreſſa inclinans ad falſum. 294. DICO 1.Implicat ſpecies impreſſa inclinans ad falſum : & conſequenter implicat à Deo produci ſpeciem inclinantem ad falſum.Fundamentum eſt, quia ſpecies eſſentialiter eſt repræſentatio obiecti, cuius eſt ſpecies : eſt enim ſpecies naturalis ſimilitudo & imago obiecti,virtute cuius potentia in ſe ipſa producit obiectum in eſſe intentionali: ergo implicat natura ſua inclinare ad falſum. Conſequentia conſtat, quia cùm ſit eſſentialis repræſentatio obiecti, implicat inclinare ad aliud,quàm ad ſuum obiectum, ac proinde ad falſum.Declaratur.Nam vel ſpecies eſt incomplexa,& ſic indiuiſibiliter repræſentat obiectum,cùm non ſit in illa pars & pars;vel complexa,& tunc aut eſt propria eius obiecti,ad quod cognoſcendum ea vtimur , aut impropria:ſi impropria;ergo alterius obiecti erit propria,cùm non poſſit dari ſpecies,quæ non ſit alicuius obiecti propria;omnis namq; ſpecies eſſentialiter eſt alicuius obiecti repręſentatiua: ergo reſpectu illius obiecti,cuius eſt propria ſpecies,erit vera:ſi propria, cũ propria ſpecies ſit illa quæ repræſentat obiectum vt eſt in ſe, erit vera ſpecies repręſentatiua ſui obiecti.Igitur nulla ſpecies poteſt ad falſum inclinare.

295. *Obijcies* 1. Species repræſentatiua aſſenſus falſi inclinat ad falſum: ergo poteſt aliqua ſpecies ad falſum inclinare. Secundò poteſt dari ſpecies Angeli corporei, aut Solis quadrati:ſed tales ſpecies inclinarent ad falſum:igitur dari poteſt ſpecies inclinans ad falſum.

296. Reſp. ad 1. huiuſmodi ſpeciem non inclinare ad falſum formaliter, ſed ad falſum tantùm materialiter: inclinat enim ad formandum verum iudicium de aſſenſu falſo, tametſi intellectus falli poſſit apprehendendo aſſenſum falſum vt verum : quemadmodum falli poteſt per ſpeciem repræſentantem aſſenſum verum, apprehendendo illum vt falſum.

297. Ad 2.negandum eſt, dari poſſe ſpeciem Angeli corporei, & vniuerſaliter ſpeciem,quæ repræſentat obiectum aliter atque eſt in ſe. Ratio, quia ſpecies eſſentialiter eſt ſimilitudo virtualis obiecti, exprimens illud in eſſe intentionali,prout eſt in eſſe reali.Cõfirmatur, quia ſpecies propria ducit potentiam ad cognoſcendum obiectum , vt eſt in ſe: implicat autem potentiam cognoſcere obiectum,vt eſt in ſe,& illud cognoſcere aliter atque eſt in ſe:quia illud cognoſceret, & non cognoſceret: cognoſceret , vt ſupponitur;non cognoſceret, quia non cognoſceret illud ſecundùm eſſe, quod habet in ſe.Hinc deducitur, non dari ſpeciem,quę inclinet ad repræſentandum nihilum , ſiue ens impoſſibile: quia nihili , ſeu entis impoſſibilis realis ſimilitudo dari non poteſt. Vnde quando ea cognoſcimus,per alienas ſpecies,& ſolùm per remotionem entis cognoſcimus:ſic Angelum cognoſcimus ad inſtar cuiuſdã corporis per ſpeciem propriam corporis . Omnis enim ſpecies ſuapte natura inclinat ad ſuum obiectum determinatè repręſentandum; per accidens autem eſt, quòd in eius vſu interdum fallatur intellectus , non vtendo ea ad proprium obiectum cognoſcendum. Demum ſpecies Solis quadrati non eſſet propria huius,qui de facto eſt,ſed alterius Solis poſſibilis , qui ei reſponderet tanquam proprium obiectum.

298. DICO 2. Implicat Deum infundere habitum inclinantem ad falſum formaliter.

Digitized by Google

Deus nō poteſt, infundere habitū inclinātem ad falſum formaliter.

liter. Dupliciter probari poteſt aſſertio, primò ſupponendo ex Philoſophia, habitus acquiſitos non diſtingui à ſpeciebus ex frequẽtatis actibus in memoria relictis, ac proinde nullum habitũ inclinare ad falſum formaliter: Secundò, poſito quòd à ſpeciebus diſtinguantur, & inclinẽt ad falſum formaliter, eos non poſſe immediatè à Deo infundi. In priori ſenſu aſſertio ſequitur ex pręcedenti: nam habitus acquiſitus iuxta hanc ſentẽtiam nihil aliud eſt, quàm ſpecies ipſę præteritorum actuum, quæ relictæ in intellectu illum facilitant ad conſimiles actus eliciendos. Cùm igitur probatum ſit, nullam ſpeciem inclinare ad falſum formaliter, probatũ quoq; iuxta hanc ſententiam erit, nullum habitum acquiſitum inclinare ad falſum formaliter: ac proinde poſſe illum à Deo infundi.

299. Explico. In quouis Iudicio falſo, ad quod poteſt quis ex frequentatis actibus magis ac magis facilitari, duo genera ſpecierum diſtingui poſſunt, alterum repræſentantium ſimplices apprehenſiones, ex quibus intellectus mouetur ad falſum iudicium ferendum; Alterum repræſentantium iudicium ipſum affirmatiuum, vel negatiuũ falſum: vt in hoc iudicio, *nihil eſt ens*, ſunt ſpecies repræſentantes ſimplicem notitiam apprehendentem ens & nihil, & ſpecies repræſentantes iudiciũ ipſum affirmans ens de nihilo; vtræque ſpecies repræſentant obiectum vti eſt, quia repræſentant illud vti eſt apprehenſum & iudicatum, cùm enim earum obiectum non ſit res à parte rei exiſtens, ſed vt apprehenſa, vel iudicata per intellectum, earum veritas non eſt attendenda penes obiectũ prout in ſe eſt, ſed prout apprehenſum, vel iudicatum eſt, quo pacto illud etiam cognoſcit Deus: ergo in hac ſententia habitus non inclinat ad falſum formaliter, ſed tantùm materialiter nempe ad obiectum, quod eſt falſum, verè tamen illud repræſentando vt falſum, ac proinde poterit Deus illũ infundere, abſque eo quòd infunderet aliquid inclinans ad falſum formaliter.

300. In poſteriori vero ſenſu probatur Concluſio. Nam poſito quòd habitus ſit qualitas diſtincta à ſpeciebus, tenens ſe ex parte potentiæ tantùm, inclinãs illam ad iudicium falſum, neceſſariò inclinat ad falſum formaliter, ac proinde nequit à Deo infundi. Duo probanda ſunt, alterum eſt, ſi habitus ſit qualitas à ſpeciebus diſtincta, illum inclinare ad falſum formaliter: alterum, nullum habitum inclinantem ad falſum formaliter poſſe à Deo infundi. Primum probo, quia ſi habitus erroris eſt qualitas diſtincta à ſpeciebus, inclinat potentiam ad aſſenſum erroneum per modũ impulſus Phyſicè determinantis ad vnum: ergo ad falſum formaliter. Conſequentia probatur, quia non inclinat repræſentando aſſenſum falſum, vti ſpecies, ſed Phyſicè determinando potentiam ad illud, hoc enim intereſt inter ſpeciem, & qualitatem Phyſicè inclinantem potentiam ad falſum, quòd qualitas inclinat potẽtiam immediatè ad eliciendũ aſſenſum falſum; ſpecies verò ſolũ repræſentando aſſenſum falſum, circa quem verum & falſum iudicium formari poteſt; non autem per qualitatem, per quam ita determinatur intellectus ad iudicium falſum, vt nõ poſſit per eandem ad verum inclinari.

301. Probo 2. Quoniam repugnat primæ ac ſummæ veracitati, nulla exigente cauſa ſecunda, infundere qualitatem, quæ de ſe non inclinet niſi ad falſum, quia ſumma perfectio primæ veritatis non ſolùm poſtulat, vt non poſſit ipſa eſſe teſtis falſi, ſed nec particularis cauſa falſitatis in alio. 1. Quia non minùs Deo repugnat falſitas, quã malitia: ſed nequit eſſe cauſa particularis malitiæ in alio: ergo nec falſitatis. Conſequentia conſtat, tum à paritate rationis; tum quia non poteſt eſſe cauſa falſi, quin ſit cauſa mali; cùm non poſſit eſſe cauſa falſi, quin ſit cauſa decipiendi alios, quod eſt per ſe malum. 2. Si Deus eſſet particularis cauſa falſitatis media qualitate à ſe producta, non minùs ipſi, quàm creaturę tribueretur falſitas; Sequela probatur, nam tribuens impulſum ad malum eſt author mali, etiãſi malum actu non ſequatur, niſi ex proxima libertate operantis, vt patet in conſiliante, ergo imprimens impulſum ad falſum ſit author falſi, etiamſi falſum non ſequatur, niſi ex proxima libertate teſtantis falſum: ergo ſi Deus infunderet habitum falſi, ipſi tribueretur actus falſus, cùm in hoc eadem ſit ratio Dei, ac creaturæ concurrentis cum alia ad dicendum falſum, quia non concurreret vt cauſa prima determinata à ſecunda, ſed vt ſecunda particularis determinans per Phyſicam qualitatem Creaturam ad falſum: neque aliam ob cauſam dicitur Deus author boni actus, niſi quia ad illum concurrit vt cauſa particularis per internum impulſum, etiamſi proxima determinatio illius ſit à voluntate creata, & ratio à priori eſt, quia quando effectus quoad vtrũque eſſe Phyſicum & morale proficiſcitur à duabus cauſis, non magis tribui poteſt vni quam alteri: ſed ſi Deus infunderet habitum falſi, actus falſus quoad vtrumque eſſe Phyſicum, & morale æquè proficiſceretur à Deo, media qualitate Phyſica à ſe producta, & à Creatura: ergo non magis ille tribui poſſet Creaturæ, quàm Deo.

302. Tertiò ſequeretur. Si creatura cognoſceret talem habitum eſſe ſibi à Deo infuſum, licitè poſſe eo vti ad effectum, ad quẽ ſuapte natura inclinat, quia quidquid à ſolo Deo producitur, neceſſariò cenſetur ab ipſo volitum in ordine ad primarium effectum, ad quem eſſentialiter dirigitur; cùm enim Deus producat volendo, repugnat producere aliquid, & illud nolle ad primarium effectum, ad quem eſſentialiter ordinatur, alioqui idem vellet, ex eo quòd cum voluntate illud produceret; & nollet, ex eo quòd idem non vellet ad primarium finem, ad quem eſſentialiter dirigitur: & non poſſe eo licitè vti, quia inclinaret ad aliquid per ſe malum, & diſſonum rationi; vnde multum derogaretur Diuinę Authoritati, dum licitè non poſſet vti, quod immediatè ab ea productum eſſet.

303. *Obijcies* 1. Etiam iſta qualitas diſtincta à ſpeciebus eſſet vera per conformitatem ad effectum, ad quem inclinaret: ergo nõ minùs quàm ſpecies poſſet à Deo produci. 2. Saltem illa à Deo produci poſſet ad meritum, vti producit fomitem, nam augendo difficultatem virtutis, augeret & meritum.

304. Reſp. ad 1. concedendo huiuſmodi qualitatem eſſe veram veritate tranſcendentali per conformitatẽ inclinationis ad falſum iudicium, tanquam ad proprium effectũ; hoc tamen non obſtare, quin ſit per ſe cauſa falſitatis, ob quam repugnat, eam à ſolo Deo produci: nec eſt par ratio de ſpeciebus, quæ quoniam potentiam non inclinant ad eliciendum immediatè aſſenſum falſum, vti inclinaret prædicta qualitas, ſed ad efficiendam cum potẽtia cognoſcitiua formalem repræſentationem obiecti, vel vt eſt in ſe, vel vt cognitũ & iudicatum per intellectum, non eſſet per ſe cauſa falſitatis, ſed tantùm occaſio ex defectu ratiocinantis.

305. Ad 2. negatur antecedens: & ratio vniuerſalis eſt, quia nequit aliquid à Deo immediatè produci, cuius intrinſecum & primarium finem Deus velle non poteſt: cùm igitur intrinſecus & primarius finis talis qualitatis ſit, inclinare potentiam ad falſum formaliter, ſi in ordine ad hunc effectum à ſolo Deo fieri nequit, neque in ordine ad alios extrinſecos & ſecundarios fieri poterit. Cuius à priori ratio ſuprà allata eſt: quia cũ Deus neceſſariò velit & intendat, quidquid ſolus producit, implicat ſe ſolo producere aliquid, cuius intrinſecum & primarium finem velle nõ poſſit. Nec eſt par ratio de fomite, cuius rationem aliqui aſſignant, quia fomes cõnotat priuationẽ Doni gratuiti ſubordinantis appetitũ inferiorẽ ad ſuperiorem, quæ priuatio non eſt moraliter à Deo, ſed à Protoparente, qui ſuo peccato & ſibi, & poſteris hanc priuationem meruit. Sed contrà: nam quamuis fomes ſub hac formalitate non ſit moraliter à Deo, nihilominus ſumptus Phyſicè ſecũdùm ea, quæ illi naturaliter competunt, idem prorſus fuiſſet in pura natura, qui nunc eſt: ſolùm enim à ſe ipſo differret vt ſpoliatus à nudo, teſte Caietano in primam 2. q. 109. art. 2. quia nudus ſolùm dicit negationem doni gratuiti, ſpoliatus verò, ſuperaddidit priuationem eiuſdem doni: eandem enim negationem ſubordinationis, quam homo in pura natura habuiſſet ex ipſa conditione naturę, nunc habet ex ſpoliatione doni gratuiti, quod vltra exigentiã naturæ illum ſubordinabat ad appetitum ſuperiorem. Ex qua doni ſpoliatione non maior, vt patet, ſequitur nunc inordinatio in appetitu inferiori, quam fuiſſet in pura natura. Ratio igitur diſcriminis eſt, quia fomes ſiue appetitus inferior non inclinat ad malum per ſe, vti inclinaret prædicta qualitas: nã ille per ſe tãtùm inclinat ad commodum naturę ſenſitiuæ, quod per ſe malum non eſt, vt patet: licet interdum accidat, vt quod eſt commodum naturę ſenſitiuę, ſit diſſonum naturæ rationali. Cuius ſignum eſt, quia ſæpe hoc ipſum, quod eſt commodum ſenſui, eſt etiam conſonum rationi: quod tamen nunquam in ea qualitate contingeret, quippe quæ ſemper impelleret ad aliquid rationi aduerſum.

[margin: Fomes in pura natura, ab eo, qui nũc eſt, differret, vt nudus à ſpoliato. Caietanus.]

306. DICO 3. Etiamſi ſolus Deus producere poſſet actum vitalem, non tamen ſolus producere poſſet aſſenſum falſum in nobis. Fundamentum eſt: quoniam ideo Deus producere non poteſt qualitatem inclinantem ad falſum, quia Deus eſſet author falſi: ergo à fortiori nec producere poterit aſſenſum falſum, quia potiori iure eſſet cauſa falſitatis, quod repugnat primę veritati. Præterea, cùm hic aſſenſus eſſet cauſa decipiendi alios, multum derogaret authoritati Dei. Nam finge caſum, quòd Deus oppoſitam veritatem atteſtaretur fide credendam, quid hic faceret ſi euidenter noſſet, talem aſſenſum eſſe à Deo? ex vna parte teneretur habere illum vt verũ, vtpótè à Deo infuſum, ac proinde non teneretur ad oppoſitam veritatem credendam, cũ non poſſit ad duo contradictoria ſimul teneri: ex alia verò parte illum haberet vt falſum, & ad oppoſitam veritatem credendam teneretur: quod fieri non poſſet abſq; magna iactura Diuinæ authoritatis.

[margin: Licet ſolus Deus producere poſſet actum vitalem, nõ tamen aſſenſum falſum poſſet in nobis producere.]

307. Maior difficultas eſt de ſimplici apprehenſione complexa aliter exprimente obiectũ, quàm in ſe eſt, cuius licet ſolus Deus ſpeciem impreſſam producere poſſit, eo quòd veritas talis ſpeciei ſit per conformitatem ad obiectum taliter apprehenſum, haud tamen ſolus Deus videtur poſſe producere apprehẽſionem aliter repræſentantem obiectum, quã in ſe eſt, eo quòd conformitas huius deſumitur penes obiectum ſecundùm ſe. Nihilominus diſtinguendum eſt: nam ſi in prima operatione complexa poteſt eſſe falſitas formalis, vt multi probabiliter putant, eadem erit ratio ac de ſecunda operatione. Si verò in ea falſitas eſſe non poteſt, vt alij etiam probabiliter cenſent, tunc vlteriùs diſtinguendum eſt: nam dupliciter poſſet Deus talem apprehẽſionem producere; primò impediẽdo oppoſitam apprehenſionem ad verum iudicium neceſſariã, quo pacto repugnat, illam à ſolo Deo produci: quia per illã intellectus moraliter prædeterminaretur ad falſum, ſaltem quoad ſpecificationem. Secundò non impediẽdo oppoſitam apprehenſionem: in quo caſu nullum video abſurdum, quin poſſit à ſolo Deo produci: Cuiuſmodi eſſet hæc ſimplex apprehenſio, *Angelus corporeus*. Fundamentũ eſt: quia hæc non minùs de ſe, eſt determinata ad verum, quàm ad falſum iudicium: eadẽ enim apprehenſione inuariata intellectus vti poteſt vt extremo veræ, ac falſæ propoſitionis; veræ, ſi neget dicendo; *Angelus corporeus non eſt*: falſæ, ſi affirmet: *Angelus corporeus eſt*: non minùs quàm indifferens eſt oppoſita notitia, *Angelus Spiritualis*: qua & veræ, & falſæ propoſitionis extremo vti poſſumus; veræ, affirmando; falſæ; negando.

[margin: Quid ſtatuendum ſit in ſimplici apprehenſione.]

308. *Obijcies* 1. Ex dictis ſequeretur, poſſe Deum huiuſmodi complexam apprehenſionem producere, etiamſi in ea eſſet falſitas forma-

formalis: nam etiamſi in ea eſſet falſitas formalis, poſſet intellectus illa vti ad verum & falſum aſſensũ. Secũdò. Ideo dicitur Deus cauſa actus boni, quia infundit ſimplicem apprehẽſionem inclinantem ad bonum: ergo idem diceretur, cauſa falſi iudicij, infundendo apprehenſionem repręſentantem falſum.

309. Reſp. ad 1. negando ſequelam: nam tunc ob propriam falſitatem, quam haberet in ſe, à Deo produci non poſſet, vt conſtat in iudicio falſo, quod etſi connexum cum alio extremo conficere poſſit veram propoſitionem, hoc pacto: *Angelus eſt corporeus, falſum eſt*: nequit tamen illud à ſolo Deo produci ob propriam falſitatem, quam in ſe habet.

310. Ad 2. neganda eſt conſequentia. Ratio diſcriminis eſt, quia illa ita eſt ad bonum determinata, vt ad malum excitare ac promouere non poſſit: hæc autem de ſe indifferẽs eſt ad verum, & falſum iudicium excitandum.

311. Vltimò quæri poteſt, an ſaltem Deus qualitatem inclinantem ad falſum producere poſſit extra proprium ſubiectum, exẽpli cauſa, in lapide, vel in alio ſubiecto, in quo ſuum effectum habere non poſſet. Affirmant aliqui apud Turrianum loco præcitato dub. 4. Verùm oppoſitum probabilius eſt, & cõformius ijs, quæ dicta ſunt: nam ſi poteſt illam Deus producere extrą proprium ſubiectum, poterit etiam in proprio ſubiecto: quod ſic probo. Ideo per aduerſarios poſſet Deus illã producere extra proprium ſubiectum, quia extra proprium ſubiectum nũquam poſſet habere ſuum effectum, ratione cuius implicat talem qualitatem à ſolo Deo produci. Atqui etiã in proprio ſubiecto poſſet talis qualitas nunquã habere ſuum effectum, quia poſſet Deus illi perpetuò negare ſuum concurſum, ſine quo non poſſet in actum prodire. Ratio igitur eſt, quia ipſamet productio qualitatis ad falſum inclinãtis repugnat Deo, ratione ſuæ infinitæ veracitatis: quæ implicantia militat etiam in qualitate extra proprium ſubiectũ producta.

Turrianus. Deus non poteſt qualitatem inclinantem ad malum producere v. g. in lapide.

312. Ad 1. primæ ſentent. negandum eſt antecedens. Porrò implicantia eſſet, quoniã, vt ex dictis conſtat, in tali caſu Deus eſſet author falſi: nam qui eſt particularis cauſa habitus inclinantis ad falſum, eſt author falſi: ſicut, quia Deus eſt particularis cauſa habitus infuſi inclinantis ad opus bonum, dicitur author talis operis.

314. Dices. Deus eſt particularis cauſa noſtrę voluntatis, & tamen nõ dicitur author peccati: ergo etiamſi eſſet particularis cauſa habitus inclinantis ad falſum, nõ eſſet author falſi. Reſp. negando conſequentiam: ratio diſcriminis eſt, quoniam voluntas non eſt per ſe determinata ad malum, ſed indifferens ad bonum & malum, & ex propria libertate poteſt ſe ipſam ad vtrumlibet determinare. Habitus verò erroris per ſe tantùm determinatur ad falſum tanquam cauſa neceſſaria.

315. Ad 2. negatur conſequentia. Ad cuius probationem, negandum eſt, in re propoſita eandem eſſe rationem de conſeruatione & productione: nam productio erroris, ſi eſſet à ſolo Deo, eſſet vt à cauſa particulari, nulla exigente cauſa ſecunda: conſeruatio verò eiuſdem erroris producti ab aſſenſu creaturæ, eſt à Deo vt à cauſa vniuerſali, cum exigentia cauſę ſecundæ, quæ non minùs exigit conſeruationem, quàm comproductionem ſuorum effectuum à cauſa prima.

316. Ad 3. negatur conſequentia. Ratio diſcriminis eſt: quoniam ea qualitas inclinaret ad falſum, ſecus ſpecies viſibilis, vel intelligibilis intuitiua obiecti nondum exiſtentis: nam hæc inclinat ad repręſentandum obiectum ſecundùm ſe, ſiue exiſtat, ſiue non exiſtat: cùm enim ſit naturalis imago & intentionalis ſimilitudo ſui obiecti, eius exiſtentiam non requirit, vt illud repræſentet in ſe. Quare nulla eſt falſitas, ſed maxima veritas fundata in natura ſpeciei intuitiuæ, vt per eã repræſentetur obiectum in ſe, etiamſi non exiſtat. Nec propterea eſt cauſa deceptionis, quia id non prouenit ex ſpecie, ſed ex defectu intellectus falsò concludentis. Legatur S. Thomas loco præcitato, & in 4. diſt. 10. art. 4. ad 2. quęſtionem. *S. Thomas.*

317. Ad 4. Reſp. 1. negãdo conſequentiã: nam eſto, error non ſit malum morale, adhuc tamen repugnat, vt illius ſit author Deus ratione ſummæ veracitatis, cui repugnat eſſe cauſam particularem falſi. Reſp. Secundò negando antecedens: nam quamuis habitus erroneus non ſit malum morale formaliter, eſt tamen cauſa mali moralis, quia inclinat ad teſtandum falſum formaliter.

318. Ex dictis infertur, quid reſpondendum ſit ad illam quæſtionem: An poſſit Deus vti verbis ambiguis. Dixi, *ambiguis*: nã obſcuris vti poteſt, & de facto vſus eſt in Sacris Scripturis, vt teſtatur Apoſtolorum Princeps in ſua 2. Canonica cap. vlt. in qua docet, in Epiſtolis Pauli, *quædam eſſe difficilia intellectu*: & conſtat in Prophetis, quorũ multi perobſcurè locuti ſunt; idq; tum propter dignitatem Sacrę Scripturæ, ne paſſim propter facilitatem rudibus & imperitis obuiam eſſet: tũ ad pium Doctorum ſtudium erga illam excitandum: tum quia eſto Deus in Sacra Scriptura ſæpè obſcuris vtatur verbis, ad ea tamẽ interpretanda & declaranda infallibilem dedit Eccleſiæ regulam animatam, quæ in eis declarandis errare non poteſt.

An Deus poſſit vti verbis ambiguis.

2. Petri vl

319. Cęterum ambigua verba ſunt, quæ in vtramq; partẽ accipi poſſunt, quæ propterea ſæpè audientibus, vel legentibus occaſio ſunt deceptionis. Dupliciter autem poſſunt verba eſſe ambigua: vno modo, vt verus ſenſus ex antecedentibus & cõſequentibus, vel alijs ex circumſtantijs intelligi poſſit: alio modo, vt ſenſus falſus ita ſit obuius & vſitatus, & è contra verus ita occultus & obſcurus, vt ex nulla humana cõiectura colligi poſſit. Priori modo Deus vti poteſt verbis ambiguis, etiãſi præuideat aliquos ex huiuſmodi ambiguitate decipiendos: probatur, quia id licitè & prudenter aliquãdo poteſt homo; ergo & Deus, cũ Deus non teneatur vitare hominum deceptionem, quæ ex ipſius verbis ambiguis oriri poteſt, præſer-

præſertim quando illa in vero ſenſu intelligi poſſunt. Poſteriori modo ambiguis verbis Deus vti non poteſt, quia tunc eſſet cauſa erroris. Etenim cùm nulla relinquatur via, quâ humanitus poſſet homo ea in vero ſenſu intelligere, Deus cenſeretur moralis cauſa talis deceptionis. Confirmatur: nam neque Eccleſia poſſet talia verba in vero ſenſu interpretari: quoniam vt poſſit Eccleſia verba Sacræ Scripturę in vero ſenſu declarare, debet habere humana motiua & coniecturas, ex quibus talem declarationem colligere poſſit. Ratio eſt: quia poteſtas declarandi verũ ſenſum Sacræ Scripturę collata eſt Eccleſiæ humano modo exercenda, per humana motiua & rationes naturales. Quo fit, vt nunquam Pontifex ad aliquid certa fide definiendum accedat, niſi præuia cõſultatione Doctorum.

320. Dices. Poteſt homo licitè aliquãdo vti tali verborum ambiguitate, vt cùm aliqua mente ſubintelligit, quę verbis non explicat: ergo etiam id poterit Deus. Reſp. negando antecedens: nam neque homo abſque nota mendacij vti poteſt verbis, quæ humano modo in vero ſenſu intelligi nõ poſſunt. Vnde quando aliqua ſubticentur, ſine quibus nequeunt externa verba verum ſenſum habere, niſi ea ex aliqua circumſtantia, aut communi lege, vel recepta conſuetudine ſubintelligantur, tali taciturnitate vti nunquam eſt licitum.

An homo poſſit vti verbis ambiguis.

DISPVTATIO III.

De obiecti Fidei propoſitione.

HActenus de obiecto fidei tũ materiali, tum formali: diſputandum deinceps erit de conditionibus ex parte obiecti requiſitis, ſine quibus illud non eſt aptum mouere intellectum ad infallibilem aſſenſum ſui: inter quas potiſſima eſt obiecti credendi propoſitio. Quę duplex eſt; Altera exterior, quæ principaliter à Deo mediante Eccleſia eiuſq; miniſtris: Altera interior, quæ peculiari Spiritus Sancti illuſtratione perficitur. De vtraque diſputabimus, an ſit neceſſaria & qualis eſſe debeat, & an Myſteria noſtræ fidei illam de facto habeant.

SECTIO I.

An aliqua obiecti fidei propoſitio ſit neceſſaria? & quæ de facto illa ſit?

1. ALiquam ad credendum obiecti propoſitionem eſſe neceſſariam, ſine cõtrouerſia eſt. Etenim cùm fides ſit quoddam iudicium, quod intellectus de obiecto fert, neceſſariò pręſupponit obiecti propoſitionẽ, cùm nequeat ignotis aſſentiri, non minùs quàm voluntas incognita amare. Quæ obiecti propoſitio, cùm ſit rei ſupernaturalis, naturæ viribus comparari non poteſt, ſed neceſſariò expectanda eſt à Deo authore ſupernaturali. Ex his ſequitur, ſolam externam obiecti propoſitionem ad actum fidei non ſufficere, ſed neceſſariò prærequiri internã. Quia cùm actus fidei ſit iudicium de veritate obiecti propoſiti; cumque nequeat intellectus de obiecto iudicare, niſi illud habeat actu intentionaliter præſens, fit autem obiectum actu intentionaliter præſens intellectui per vitalem repræſentationem illius, conſequenter interna obiecti repræſentatio neceſſaria erit ad actum fidei, non ſolùm de potentia ordinata & extrinſeca lege Dei, ſed etiam de potentia abſoluta, & ex intrinſeca natura rei: non ſecus ac etiam de potentia abſoluta neceſſaria eſt ad actum volendi interna ac vitalis obiecti volibilis repræſentatio.

Propoſitio fidei duplex Externa & Interna.

Neceſſitas propoſitionis internæ.

2. Sola controuerſia ſupereſt, an tantùm interna propoſitio ſine externa ſufficiat? & ſanè de potentia abſoluta nulli dubium eſſe poterit: nam eatenus externa requiritur, quatenus ea mediante homo excitatus internam concipit, per quam obiectum ſibi vitaliter proponit. Atqui poteſt Deus immediatè infundere intellectui credentis apprehenſionẽ obiecti credendi, abſque vlla eiuſdem obiecti externa propoſitione: igitur de potentia abſoluta ſola interna ſufficit abſq; externa. Quin de facto Deus vſus eſt interdum ſola propoſitione interna abſque externa, vt certum eſt de primo Angelo Viatore, cui ipſe Deus immediatè ſupernaturalia Myſteria reuelauit Diuina fide credenda. Niſi quis fingat, etiam primo Angelo reuelata fuiſſe Myſteria fidei mediante aliqua propoſitione externa: nam hęc & ſuperflua eſt in Angelo, & eius naturę, quæ ab externis obiectis materialibus non excitatur, minimè cõſona. Quod probabile etiam eſt de aliquibus Prophetis, vt Deus ipſe immediatè illis Myſteria fidei credenda reuelauerit abſque externo Angelorum Miniſterio. Sola igitur cõtrouerſia eſt, an de lege ordinaria ſit neceſſaria aliqua externa obiecti credendi propoſitio ab Eccleſia facta?

De lege ordinaria non ſufficit ſine externa.

3. Negant Hęretici noſtri temporis, qui pręter externũ verbum Dei ſcriptum, & internum teſtimoniũ Spiritus Sancti vnicuiq; fidelium interiùs loquentis, nullam aliam admittunt fidei propoſitionem. Vnde Brentius apud Bellarminum libro 3. de verbo Dei cap. 3. ad vnumquemque hominem priuatum pertinere ait, de doctrina Religionis iudicare, & veram à falſa internoſcere: ſicut ad Principem (temporalem intelligit) de hac ipſa Religionis doctrina publicum iudicium ferre. Fundantur quibuſdam Sacrę Scripturę teſtimonijs malè intellectis, quæ commodiùs

Hæreſis.

Bellarmin.

Digitized by Google

diùs referemus, & in vero ſenſu explicabimus, cùm de iudice controuerſiarum diſputationem inſtituemus.

De lege ordinaria, neceſſaria eſt obiecti credendi propoſitio facta ab Eccleſia.

4. Affirmant verò omnes Catholici, qui præter teſtimonium Diuinum in Sacris Scripturis & traditionibus contentum, ad credendum aliquid fide Diuina requirunt publicum teſtimonium Eccleſiæ, ſine quo nullus de lege ordinaria elicere poteſt actum fidei infuſæ circa Myſteria Chriſtianæ Religionis. Aſſertio authoritate certa eſt, difficile tamen eſt conuincentem aſſignare rationem. Cauſa difficultatis eſt, quia poteſt quis abſque authoritate Eccleſiæ habere obiectum fidei Diuinæ ſufficienter propoſitum ſibiq; applicatum: igitur authoritas Eccleſię de facto non eſt neceſſaria conditio ad credendū aliquid fide Diuina. Conſequentia conſtat: nam authoritas Eccleſiæ de facto ad credendum ſolùm requiritur vt conditio ſufficienter applicans obiectum fidei: igitur ſi aliunde hæc applicatio haberi poteſt, de facto neceſſaria non erit Eccleſiæ propoſitio. Antecedens conſtat 1. in docto Theologo, qui abſque Eccleſiæ propoſitione, per ſolùm naturalem diſcurſum ex vna propoſitione reuelata deducit aliam in ea virtualiter contentam, eamq; credit fide Diuina eodem teſtimonio, quo credit expreſsè reuelatam. Secundò in multis ſanctiſſimis viris, ac fæminis, quibus Deus ipſe multa occulta reuelauit, quæque ab ipſis, quibus reuelata fuere, credita ſunt fide diuina. Tertiò: hæc ipſa Eccleſiæ authoritas, quòd in proponendis rebus fidei errare non poteſt, eſt vnum ex obiectis Diuina fide credendum. Atqui hoc non credimus vt nobis ab Eccleſia propoſitū: ergo Eccleſiæ propoſitio non eſt cōditio de lege ordinaria neceſſaria ad credendum fide Diuina. Maior conſtabit ex infrà dicendis. Minor probatur, quia Eccleſia non proponit ſeipſam vt obiectum fide Diuina credendam. His tamen non obſtantibus,

5. Hæc ratio pro aſſertione aſſignari poteſt. Ad aſſenſum fidei Chriſtianæ neceſſaria eſt ſufficiens obiecti credendi propoſitio: ſed de lege ordinaria hæc ſufficiens obiecti credendi propoſitio non habetur abſque publico Eccleſię teſtimonio: igitur de lege ordinaria publicum Eccleſiæ teſtimonium neceſſarium eſt ad aſſenſum fidei Chriſtianæ. Maiorem oſtendam ſectione ſequenti, in qua probabo hanc ſufficientem obiecti propoſitionem debere eſſe euidens iudicium de credibilitate obiecti. Minor probatur: nā hoc euidens iudicium de credibilitate obiecti fidei de lege ordinaria non habetur, niſi per infallibile teſtimonium Eccleſiæ proponentis & approbantis obiectum fidei. Idque non obſcurè colligitur ex illis verbis Chriſti Matth. vltimo: *Euntes docete omnes gētes:* & Marci vltimo: *Euntes prædicate Euangelium omni Creaturæ. Qui crediderit & Baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Quod etiam confirmat Paulus ad Romanos 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur?* Ex quibus conſtat, debere Prædicatores Euangelicos mitti à Paſtoribus Eccleſię, vt per illos tāquam per legitimos miniſtros Deus interiorem fidem in credentium cordibus operetur, iuxta illud Marci vltimo: *illi autem profecti prædicauerunt vbiq; Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.* Imò nec ipſi Paulo, qui Euangelium non ab homine accepit, ſed per reuelationē IESV Chriſti, vt ipſemet teſtatur ad Galatas 1. crediturus fuiſſet Eccleſia, vt Auguſtinus docet lib. 28. contra Fauſtum cap. 14. niſi illud cum Apoſtolis communicaſſet, alijſque ad prædicandum miſſus fuiſſet. Hoc ipſum ſentiunt Patres: vnde Auguſtinus lib. contra Epiſtolam fundamenti cap. 5. *Ego*, inquit, *Euangeliū non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret authoritas.* Et ſanè id exigebat & rectus ordo Eccleſiaſticæ Gubernationis, vt Myſteria fidei ad ſalutem neceſſaria non niſi *à Deo* proponerentur, qui in proponendo errare non poteſt, & debita ſubordinatio atque obedientia ſubditorum ad ſupremum caput Eccleſię, qui eſt Summus Pontifex, Chriſti in terris Vicarius, & Petri Succeſſor, & maior ſecuritas de doctrinę veritate, dū ab illo proponitur, qui in proponendo errare nō poteſt.

Matth. vltimo. Marc. vlt. Rom. 10. Gal. 1. Auguſtin.

Teſtimonii Eccleſiæ duplex.

6. Cæterùm hoc teſtimonium Eccleſiæ duplex eſt; alterum vt cōgregatio eſt doctiſſimorum Sapientiſſimorumq; virorum, qui doctrina, moribus, vitæ Sanctitate, proprioque ſanguine illuſtre dederunt de veritate noſtræ fidei teſtimonium: Alterum, vt gerit vicem Chriſti, habetq; peculiarē Spiritus Sancti aſſiſtentiam, vt in proponendis declarandiſq; rebus fidei errare nō poſſit. Porrò vtrūque teſtimonium eſt in ſuo ordine infallibile. Primum in genere fidei humanæ; Secundum in genere fidei Diuinæ. Vtrumq; de lege ordinaria eſt neceſſarium ad ſufficientem obiecti fidei propoſitionem. Et quidem primum præmittitur ad ſecundum, nam ante teſtimonium Pontificis proponentis rem fide Diuina credendam, præcedere debet de eadem re publicum teſtimonium Eccleſiæ, ex quo tanquam ex præuia diſpoſitione prudenter mouetur Pontifex ad rem de fide decernēdam.

Deus cum hæretico non concurrit ad actum fidei diuinæ etiam circa articulos veros.

7. Hinc colliges, cur Deus cum Hæretico non concurrat ad actum fidei Diuinę circa articulos veros, quos Hæreticus adhuc in ſua hęreſi credit vt veros, & à Deo reuelatos: quia nimirum Hæreticus non admittit teſtimonium Eccleſię, quo obiectum fidei redditur euidenter credibile, ac proinde ſufficienter applicatum intellectui credentis: & ex alia parte nō tenetur Deus per internas illuminationes in Hæreticis ſupplere defectū externę propoſitionis Eccleſiæ, cùm illam ipſimet culpabiliter reijciant & contemnant.

8. Ad rationem igitur dubitandi, negandum eſt antecedens: quoniam, vt probatum eſt, de lege ordinaria non habetur ſufficiens obiecti propoſitio abſque Eccleſię propoſitione, quę infallibili ſuo teſtimonio reddit obiectum fidei euidenter credibile. Ad cuius

primam

Digitized by Google

primam probationem, negandum eſt aſſumptum:nam etiam Theologus, quando per naturalem diſcurſum deducit concluſionem in alia virtualiter contentam, vtitur teſtimonio Eccleſiæ,quæ dum ſua authoritate propoſuit veritatem expreſsè reuelatam credendam fide Diuina, virtualiter quoque propoſuit eadem fide credendum, quidquid in ea virtualiter contineretur. Dupliciter autem ſolet Eccleſia proponere veritates fide Diuina credendas;Vno modo form.liter & explicitè,ſicut proponit veritates ſpecialiter à ſe definitas:Alio modo virtualiter & implicitè, quando nimirum definit & proponit Sacros libros tanquam Canonicos, & à Spiritu Sancto dictatos,vt fecit Concil.Trident.ſeſſ. 4. in qua definit, qui libri tam veteris, quàm noui teſtamenti ſint Canonici habendi:nam tunc formaliter & explicitè definiendo libros Canonicos, implicitè & virtualiter definit, quidquid in eis continetur, eſſe Diuina fide credendum:proinde idem teſtimonium, quod formaliter & explicitè ſe extendit ad libros Canonicos credendos,virtualiter etiam ſe extendit ad ea,quæ in talibus libris continẽtur. Pro quo notandum, veritates, quę virtualiter continentur in propoſitionibus expreſsè reuelatis,eſſe duplicis generis, aliæ ſunt, quæ euidenter euidentia Metaphyſica in illis cõtinentur,vt realis diſtinctio Patris à Filio, & vtriuſque à Spiritu Sancto in Myſterio Auguſtiſſimę Trinitatis:compoſitio ex anima & corpore in Chriſto: & has non ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur fidelis eadem fide credere, qua credit veritates ipſas expreſsè reuelatas. Aliæ ſunt,quæ nonniſi euidentia Phyſica cõtinentur,vti ſunt propriæ paſſiones, quæ ſaltẽ Diuinitus ſeparari poſſunt à proprio ſubiecto:& has non tenetur fidelis ante propoſitionem Eccleſiæ credere fide Diuina: quãuis ſi de illis publicum habeat teſtimonium doctiſſimorum ſapientiſſimorumque virorum, quo ſibi certò perſuadeat, tales veritates eſſe virtualiter reuelatas, poterit ante expreſſam definitionem Eccleſiæ illas fide Diuina credere,cùm illas ſufficienter applicatas habeat per publicum teſtimonium Eccleſiæ, quatenus eſt congregatio Sapientiſſimorum virorum.Vt antequam Eccleſia definiret, duplicem eſſe in Chriſto voluntatem, humanam, & Diuinam, quiuis doctus Theologus poterat per publicum teſtimonium Sanctorũ Patrum, aliorumq; Doctorum talem veritatem ſibi certò perſuaderę,eamq́ fide Diuina credere:cùm tale teſtimoniũ Eccleſię ſufficiẽs ſit ad applicandũ obiectũ D uina fide credendũ.

Dupliciter Eccleſia proponit veritates fidei.

Conc. Trid

Euidentia, qua aliquid virtualiter continetur in alio explicitè reuelato, duplex eſt Metaphyſica & phyſica.

9. Ad 2. Reſp.quòd ſicut talis reuelatio priuatæ perſonę facta eſt priuilegiata,& præter conſuetum morem,quo Deus de facto vtitur,ita & applicatio talis obiecti erit priuilegiata, & præter ordinarium modũ, quo de facto Deus vtitur. Etenim in huiuſmodi reuelatione, facta priuatæ perſonæ, ipſemet Deus ſupplet euidentiam credibilitatis obiecti per internas illuſtrationes.

10. Ad 3.Neganda eſt Minor: quia dum Eccleſia nobis proponit libros Canonicos Diuina fide credendos, ſimul proponit ea, quæ in eis continentur, eadem fide eſſe credenda:inter alia autem continetur,quòd Eccleſia infallibilem habeat authoritatem in rebus fidei proponendis.

SECTIO II.

Qualis obiecti propoſitio requiratur ad aſſenſum fidei infuſæ eliciendum?

11. Vidimus,aliquam propoſitionem eſſe neceſſariam ad credendum obiectum fide Diuina, vlterius reſtat videndum, qualis propoſitio requiratur,ſiue ea interior, ſiue exterior ſit.Tota autem difficultas eſt,an talis eſſe debeat, vt ea moraliter conuinci debeat intellectus de credibilitate obiecti,quòd illud ſit à Deo reuelatum.Pro qua,

12. Notandum 1.aliud eſſe obiectum eſſe verum,aliud eſſe credibile.Verum dicit conformitatem & connexionem rei cum ſuis principijs intrinſecis:Credibile verò cum teſtimonio & rationibus extrinſecis, vt talis credatur res eſſe in ſe,qualis per extrinſeca teſtimonia aliorum atteſtatur. Vnde verũ dicit ordinem ad medium intrinſecum,quo res eſt in ſe ipſa ſcibilis:credibile ad mediũ extrinſecum,quo ſit in alio credibilis.Quemadmodũ aliud eſt,obiectum eſſe verum: aliud eſſe probabile:nam probabile eſt,quod nititur rationibus,& authoritatibus extrinſecis: Verũ rationibus & cauſis intrinſecis. Rẽ igitur eſſe credibilem, eſt tales habere rationes & teſtimonia,propter quæ digna ſit fide. Eſſe autem euidenter credibilem,non eſt tantùm euidẽter cognoſcere rationes & teſtimonia, propter quæ res cenſetur digna fide, hoc enim pacto poſſet res vnum duntaxat habere teſtimonium,illudq́ę euidẽter cognoſci: ſed eſt habere tot,ac tales rationes,& tam graues teſtes eius veritatem proteſtantes, eaſque ita cognoſcere, vt intellectus moraliter dubitare non poſſit,rem ita eſſe,ſicuti teſtatur.

Aliud eſt, eſſe verum, aliud eſſe credibile.

13. Notandum 2. hanc credibilitatis euidẽtiam poſſe eſſe triplicem; ſupremam in atteſtante infallibili Deo:Mediam in ſignis naturalibus: Infimam in publico teſtimonio grauiſſimorum teſtium: Prima habetur per euidentiam primę veritatis atteſtantis rem ita eſſe,ſicuti proponitur. Secunda per euidentiam miraculorum ad talem veritatem proteſtandam factorum. Tertia per publicum teſtimonium Eccleſiæ. Omnes iſtæ euidentiæ in eo conueniunt, vt nõ ſolùm tollant actualem formidinem,ſed etiam moralem potentiam ad formidandum.Difficultas igitur eſt, num aliqua, & quę ex his neceſſaria ſit ad ſufficientem propoſitionem fidei, quæ nos ad credendum obliget.

14. Dico 1.Non quęuis obiecti propoſitio ſufficit ad illud fide Theologica credendũ,ſed requiritur, vt ſit aliquo modo euidẽs. Eſt communis,& ſumitur ex S. Thoma 2. 2. q.1.a.4.ad 2.vbi: *Non crederet*, inquit, *niſi videret*

Propoſitio fidei, neceſſariò debet eſſe aliquo modo euidens.

S. Thomas.

deret ea eſſe credenda, vel propter euidentiam ſignorum, vel propter aliquid huiuſmodi. In eadem ſententia conſentiunt Durandus diſt. 25. q. 3. Vega lib. 6 in Tridentinum cap. 13 & omnes ferè recentiores. Cum Caietano loco præcit. §. *Dicendum eſt igitur,*

Durandus. Vega. Caiet. Auguſtin.

15. Probatur 1. nam vt rectè obſeruat Auguſtinus lib. 22. de Ciuitate Dei c. 8. cùm primùm Deus Myſteria fidei mundo credenda propoſuit, ſignis & miraculis ea conteſtatus eſt: *conteſtante Deo*, inquit Paulus ad Hebræos 2. *ſignis & portentis, & varijs virtutibus.* Vnde Moyſi miſſo à Deo ad prædicandam libertatem filijs Iſraël data eſt poteſtas faciendi miracula, ſine quibus non fuiſſet illi fides adhibita, vt ipſemet Exodi 4. Deo proteſtatus: *non credent mihi*, inquit, *neq; audient vocem meam.* Cuius ſententiæ Deus ſubſcribit conferendo illi poteſtatem patrandi miracula. Sic Apoſtoli Marci vlt. *illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis,* vt nimirum per miracula, vt B. Gregorius teſtatur, res fidei ſufficienter proponerentur credendæ.

Hebr. 2. Exodi 4. Marci vlt. B. Greg.

16. Secundò, ſi tantùm probabilis obiecti credendi propoſitio ad obligandum ſufficeret, ſequeretur, facta ſufficienti propoſitione fidei, hominem non teneri ad eam amplectendam, quia cum probabili iudicio partis propoſitę habere poſſet probabile iudicium partis oppoſitæ. At tunc non magis teneretur vni, quàm alteri parti adhærere: quin prudenter ageret adhęrendo proprię, quam nemo tenetur deſerere, niſi oppoſita ſententia euidentior appareat. Præterea ſequeretur, licitum eſſe fideli de Chriſtiana fide dubitare, imò ab ea diſcedere abſq; peccato: quia cùm iudicium probabile vnius partis non excludat actualem formidinem alterius partis, licitè poſſet fidelis eam formidinem in tali iudicio eſſentialiter incluſam admittere. Tandem poſſet ob nouas rationes & motiua oppoſita pars probabilior apparere, adeoque poſſet, relicta fide, probabiliorem ſententiam contrariam ſequi abſque peccato: aut ſaltem licitè iudicare poſſet oppoſitam partem eſſe veriorem, contra illud ad Galatas 1. *Licet nos, aut Angelus de Cælo Euangelizet vobis præterquam quod Euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Vnde non contentus Apoſtolus ſemel hoc Galatis prędicere, ad oſtendendam Euangelicę doctrinę immutabilitatem, iterum eandem ſententiam repetit, his verbis: *ſicut prædiximus & nunc iterum dico, ſi quis vobis Euangelizauerit, præter id quod accepiſtis, anathema ſit.*

Gal. 1.

17. Tertiò probatur eadem aſſertio à priori: quoniam licet hæc obiecti propoſitio non ſit ratio formalis qua fides Chriſtiana nititur, eſt tamen conditio applicans res fidei tanquā infallibiliter à Deo teſtatas, de quibus facta ſufficienti propoſitione, nō eſt ampliùs nobis licitum dubitare: ergo debet eſſe aliquo modo euidens, vt quæ proponit, ſint ita, ſicuti proponuntur: alioqui ſemper poſſemus dubitare de myſterijs noſtrę fidei, an re ipſa ſint, vti proponuntur.

18. Dico 2. Non ſolùm hæc fidei propoſitio requiritur ad obligādum, ſed ad ſimpliciter credendum fide Diuina. Eſt communis inter recentiores: legantur Suarez in prę ſenti materia diſp 4. ſect. 2. Valentia diſp. 1. q. 1. pun. 1. §. *requiri quoq; propoſitionem Eccleſiæ ad credendum:* Turrianus diſp. 4. dub. 3. Cæteriq; S. Thomæ interpretes in 2. 2. q. 1. Difficultas eſt in aſſignāda ratione. Cauſa difficultatis eſt: quoniā hęc propoſitio ſolùm requiritur vt conditio applicans obiectum credēdum: ergo etiamſi illud non applicet vt euidenter, ſed tantùm vt probabiliter credibile, poterit intellectus illi aſſentiri fide Diuina. Antecedens conſtat ex pręcedente ſect. Conſequentia verò probatur, tum quia ad actum reliquarum virtutum ſufficit tantùm probabilis obiecti honeſti propoſitio: tum quia qui operatur ex probabili obiecti propoſitione, prudenter operatur: igitur qui elicit aſſenſum fidei Diuinæ ductus ex probabili duntaxat obiecti credēdi propoſitione, prudenter operatur: tum maximè, quoniam actus fidei pendet ex libero imperio & pio affectu voluntatis: poteſt autem voluntas ex pio affectu erga Myſteria fidei imperare intellectui, vt præſtet aſſenſum fidei Diuinæ obiecto probabiliter tantùm propoſito: nam poteſt imperium voluntatis ſupplere euidentiam credibilitatis obiecti credendi.

Hæc fidei propoſitio eſt neceſſaria etiam ad ſimpliciter credendum. Suarez. Valentia. Turrianus.

19. Aliqui aſſertionem ita probant. Si poſſet quis actum elicere fidei Diuinæ circa obiectum probabiliter tantùm propoſitum, talis actus eſſet malus: implicat actū fidei Diuinæ eſſe malum: igitur implicat, vt quis actum fidei Diuinæ eliciat circa obiectum probabiliter tātùm propoſitum. Maior probatur, quia qui propter authoritatem Dei credit obiectū probabiliter tantùm propoſitum, exponit ſe periculo credendi falſum propter authoritatē Dei, conſequenter exponit periculo ipſam authoritatem Dei, faciendo illum, quantum eſt de ſe, teſtem falſi. Vnde meritò talis reprehenditur à Spiritu ſancto Eccleſiaſt. 19. tanquam *leuis corde.* Minor oſtenditur, quoniam actus fidei Diuinę eſt ſupernaturalis: implicat autem actum ſupernaturālem eſſe malum, alioqui daretur peculiare auxilium ad actum malū: quod fieri nequit, aliàs talis actus tribueretur Deo vt principali Authori, ſicut eſt principalis author auxilij ſupernaturālis.

Eccleſ. 19.

20. Sed contrà, nam hæc omnia ad ſummum probant, actum voluntatis, quo imperaret intellectui aſſenſum fidei infuſæ in obiectum probabiliter tantū propoſitum, fore malum, non autem actum ipſum fidei infuſę: quia cùm actus fidei ſit actus intellectus, pendeatq; ex alijs principijs, non redditur malus ex malo actu voluntatis, niſi tantùm extrinſecè & denominatiuè ex imperio extrinſeco voluntatis: quod non repugnat, vt conſtat, ſi quis ex prauo fine conſecraret corpus Chriſti, conſecratio corporis Chriſti non redderetur mala ex prauo actu voluntatis ob prauum finem illam imperantis.

21. Alij aſſertionem probant ex eo,

quòd

quòd Deus peculiari ſua motione non excitat ad actum fidei Chriſtianæ, niſi præcedat prudens iudicium de credibilitate obiecti: ſine peculiari autem motione Dei nequit homo actum fidei Chriſtianę elicere: igitur nequit homo actum fidei Chriſtianæ elicere abſque ſufficienti propoſitione obiecti, quę ad prudens iudicium de credibilitate obiecti prærequiritur.

22. Sed contrà, tum quia neq; hac ratione probatur, malũ eſſe credere obiecto Chriſtiana fide probabiliter tantùm propoſito, propter quod nequeat Deus ad talem aſſenſum peculiari motione concurrere: tum quia ex eo quòd Deus peculiari motione concurrat ad aſſenſum fidei Chriſtianæ circa obiectum probabiliter tantùm propoſitum, peculiarem ſuam motionem non tribuit actui malo, cùm actus fidei non fiat malus ex malo actu voluntatis, vt ſuprà probatum eſt: tũ demũ quia poſito efficaci imperio etiã prauo voluntatis, tenetur Deus tanquam cauſa vniuerſalis ſupernaturalis concurrere ad actum fidei Chriſtianæ: ſicut, poſito prauo imperio voluntatis, tenetur Deus ex pacto, quo ſe obligauit ad concurrendum cum Sacerdote, ad ſacrilegam venerabilis Euchariſtiæ conſecrationem.

Fundamentum. 23. Quare efficacem huius aſſertionis rationem deſumendam puto ex ipſo habitu fidei infuſæ, euius obiectum eſt veritas propoſita vt euidenter credibilis. Atqui nullus habitus ferri poteſt extra ſuum obiectum: igitur nequit habitus fidei infuſæ elicere aſſenſum circa obiectum probabiliter tantùm propoſitum. Minor cum conſequentia conſtat. Maior tantùm probanda eſt, eaque probatur primò ex omnibus abſurdis ſuprà allatis, quæ ſequerentur, ſi habitus fidei infuſæ ferri poſſet in obiectum probabiliter tantùm propoſitum. Secundò: quia non repugnat talis habitus, qui non inclinet, niſi ad obiectum propoſitum vt euidenter credibile: ergo de facto ille concedendus eſt, quia per hunc meliùs ſaluantur, quę de habitu fidei infuſæ communiter à Doctoribus traduntur.

24. Tertiò. Habitus fidei infuſæ inclinat ad aſſentiendum obiecto reuelato ſumma cum certitudine ac firmitate: ergo ſupponit illud propoſitum vt euidenter credibile. Antecedens patet, quia habitus fidei infuſæ inclinat ad aſſentiendum obiecto reuelato propter teſtimonium Dei, quod eſt ſummè certum ac firmum. Conſequentia verò probatur, quia certitudo & firmitas aſſenſus pendet ex propoſitione obiecti, ſaltem vt ex conditione applicante. Nam licet obiecti propoſitio non tribuat aſſenſui fidei certitudinem & firmitatem, hanc enim tanquam à ratione formali habet fides ab ipſo teſtimonio Dei; nihilominus teſtimonium Dei idoneum non eſt, ſumma cum certitudine & firmitate mouere intellectum ad aſſenſum fidei, niſi propoſitum vt euidenter credibile: quia non eſt idoneum mouere intellectum ad certum firmumque aſſenſum, niſi præcedat prudens & conſtans voluntatis imperium imperantis intellectui ad talem aſſenſum præbendum: vt autem voluntas prudenter cõſtanterque imperet intellectui, vt ſumma cum certitudine & firmitate obiecto reuelato aſſentiat, præcedere debet euidens iudicium de credibilitate obiecti: alioqui ſi dubitet, an verum ſit teſtimonium Dei, non poterit prudenter conſtanterq; imperare intellectui, vt in illud aſſenſu fidei ſumma certitudine & firmitate feratur.

25. Confirmatur 1. Habitus fidei eſt quędam participatio increati iudicij, quod Deus habet de rebus ipſis: Deus autem ſuum iudicium de rebus non profert, vt probabiliter tantùm, ſed vt euidenter propoſitus: ergo neque habitus fidei ſuum aſſenſum de rebus reuelatis profert, vt probabiliter tantùm applicatis, ſed euidenter, non quidem euidentia intrinſeca, quæ fidem tollit, ſed extrinſeca credibilitatis, quæ cum intrinſeca ineuidentia cohęret. Confirmatur 2. Repugnat habitum ſcientificum in obiectum ferri, per medium probabiliter tantùm applicatum: ergo repugnat habitum fidei in obiectum ferri, per teſtimonium Dei probabiliter tantùm propoſitum. *Confirmatur.*

26. *Obijcies* 1. Si ad credendum fide Diuina requireretur talis euidẽtia credibilitatis, quæ omne dubium tolleret, ſequeretur nunquam poſſe viatorem obiecto reuelato ſufficienter propoſito diſcredere: Conſequens eſt falſum, nam adhuc facta ſufficienti propoſitione obiecti, homo liberè credit non ſolùm quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem actus, vt conſtat de Zacharia Patre Sancti Ioannis, qui futura Natiuitate Beati Ioannis ſufficienter ſibi ab Angelo propoſita diſcredidit, propter quod punitus eſt per loquelę amiſſionem. Sequela verò probatur, quia qui nullum habet de propoſita veritate dubium, nequit illi poſitiuo actu diſcredere; cùm omnis poſitiuus actus diſcredendi ſupponat practicũ iudicium de falſitate obiecti.

27. Reſp. negando ſequelam: nam eſto ſtãte certo iudicio de euidentia credibilitatis obiecti propoſiti, non poſſit homo poſitiuo actu diſcredere, poteſt tamen hoc iudicio depoſito, aliud formare; & iuxta illud poſitiuo actu diſcredere: quia cùm iudicium de euidentia credibilitatis non manifeſtet intrinſecam veritatem rei, ſemper remanet plena poteſtas in voluntate tale iudicium deponendi, & contrarium formandi. Cæterùm Zacharias punitus eſt, vel quia obiecto ſufficienter propoſito non ſtatim credidit; nam eſto obiecto ſufficienter propoſito non poſſimus in ſenſu compoſito diſcredere, poſſumus tamen etiam in ſenſu compoſito non credere, proinde non credendo punitus eſt. Vel certè puniri potuit, quia obiecto nondum ſufficienter propoſito imprudenter diſcredidit, cùm potiùs debuiſſet meliorem obiecti propoſitionem ab Angelo petere, vti fecit Beata Virgo, quę antequam certum aſſenſum præberet in Dei Maternitatem, ſibi ab Angelo annuntiatam

nuntiatam, meliorem ab Angelo popoſcit obiecti propoſitionem, vt ex ipſius verbis colligitur.

28. *Obijcies* 2. Hinc euidentiam credibilitatis non habent ruſtici, qui tamen eliciunt actus fidei diuinæ, nam ſine hac impoſſibile eſt placere Deo: igitur hæc euidentia credibilitatis non neceſſariò requiritur ad aſſenſum fidei diuinæ. Maior probatur, nam hanc euidentiam non habet, niſi qui momenta rationum, quibus Chriſtiana fides redditur euidenter credibilis, expendit.

29. Reſpondeo negando maiorem: nam licet ruſtici ipſi per ſe non expendant momenta rationum credibilitatis fidei Chriſtianæ, aduertunt tamen illam in alijs doctis viris, vnde mediatè ſaltem illam participant. Quòd ſi tale iudicium in ipſis non ſufficiat ad tollendum omne dubium & formidinem de oppoſita parte, Deus ipſe interna illuminatione ſupplet id, in quo externa propoſitio deficit, præſertim quando ex parte credentis nullum opponitur impedimentum, quo minùs per externum teſtimonium Eccleſię obiectum fidei ſufficienter proponatur. Quod dico propter Hæreticos, qui culpabiliter teſtimonium Eccleſiæ reijciunt.

30. Ad rationem dubitandi, negatur conſequentia. Ad cuius primam probationem, negatur paritas: quia cùm reliquæ virtutes attendant moralem honeſtatem, quæ in conformitate cum recto appetitu fundantur, ea obiecti propoſitio ad eorum actus validè exercendos ſufficit, quæ illud probabiliter oſtendunt cum recta ratione conforme. Fides autem cùm attendat conformitatem cum reipſa ſecundùm ſe, non quæuis obiecti propoſitio ſufficiens erit ad validè ipſius actum exercendum, ſed tantùm illa, quę moraliter tollit omne dubium de propoſiti obiecti falſitate. Adde, quòd reliquæ virtutes non debent irreuocabiliter ad obiectum tendere, vti debet fides diuina.

31. Ad ſecundam negatur conſequentia: nam in reliquis virtutibus prudens obiecti propoſitio ſpectatur penes conformitatem cum appetitu recto, in fide autem penes conformitatem cum reipſa. Vnde maior requiritur certitudo de veritate obiecti ſecundùm ſe, quæ ſola à fide ſpectatur, quàm in reliquis virtutibus, quæ tantùm attendunt conformitatem cum appetitu recto.

32. Ad tertiam negatur minor: quia nequit voluntas imperare, vt potentia feratur extra ſuum obiectum: cùm igitur obiectum fidei diuinæ ſit teſtimonium Dei propoſitum vt euidenter credibile, non poterit voluntas imperare, vt intellectus per habitum fidei diuinæ feratur in illud probabiliter tantùm propoſitum. Neque voluntatis imperium ſupplere poteſt rationem obiectiuam.

Ad credendum fide infuſa, non requiritur euidentia in atteſtan

33. Dico 3. Ad credendum fide infuſa neceſſaria non eſt, aut euidentia in atteſtante, aut in miraculis in atteſtationem fidei euidenter cognitis. Conſtat, quia nos habemus ſufficientem propoſitionem fidei, & tamen neutram euidentiam habemus, nam miracula quæ in fidei proteſtationem facta narrantur, non cognoſcimus, ſed credimus fide humana. Ratio à priori, quia talis euidentia non eſt neceſſaria ad formandum euidens iudicium de credibilitate obiecti, ac proinde ad inducendam voluntatem ad fidem conſtanter amplectendam.

te aut miracula euidenter cognita.

Moralis euidentia obiecti credibilis ſufficit, & neceſſaria eſt ad credendum fide diuina.

34. Dico 4. Moralis euidentia obiecti credibilis ſufficit, & neceſſaria eſt ad credendum fide diuina. Quòd ſufficiat probatur, quia hic eſt connaturalis modus operandi hominis, qui quoniam omnia per ſeipſum cognoſcere nequit, naturaliter poſtulat, vt aliorum teſtimonio ſuaſus certò credat, quæ ipſe non videt. Vnde ſequitur, non poſſe talem propoſitionem, quæ per moralem euidentiam reſpectu omnium proponit res credendas authoritate diuina, eſſe falſam, quia cùm hic ſit naturaliſſimus modus operandi hominum, tenetur Deus peculiari prouidentia non permittere, vt res falſæ cum tali euidentia ipſius authoritate credendę proponantur, quia ad munus ſupremi gubernatoris ſpectat, non permittere aliquid, quod ſpectato communi, ac naturali modo operandi ſubditorum, poſſit eſſe proxima occaſio errandi contra finem ab ipſo intentum: cùm igitur finis à Deo intentus ſit, homines ad ſalutem dirigere per fidem earum rerum, quæ ab ipſo proponuntur credendę, ſi permittere poſſet, vt res falſæ proponerentur credendæ cum ea euidentia credibilitatis; quæ ſufficit ad obligandos omnes iuxta connaturalem modum operandi hominum, hoc ipſo Deus ageret contra finem à ſe intentum.

35. Ex his infertur 1. Quòd licet publicùm teſtimonium Eccleſiæ, quatenus eſt congregatio ſapientiſſimorum virorum, in quo teſtimonio hęc moralis credibilitatis euidentia fundatur, de ſe non ſit infallibile, eſt tamen infallibile vt ſubitat diuinæ prouidentiæ, à qua aſſumitur vt medium ad fidem diuinam hominibus perſuadendam: vnde vt ſic implicat contradictionem, illud eſſe falſum, quia vt ſic peculiarem ſortitur directionem à Deo in ordine ad finem, ad quem ordinatur.

36. Infertur 2. Non teneri Deum euitare errores, qui circa priuatas perſonas contingere poſſunt in aliqua falſa propoſitione obiecti, ex peculiari diſpoſitione & incapacitate credentium, qui quoniam maioris euidentiæ capaces non ſunt, facilè decipi poſſunt, ſaltem ex conſcientia erronea, credendo vt à Deo reuelata, quæ à Deo reuelata non ſunt; ſed ſolùm teneri ratione vniuerſalis prouidentię, quam habet de ſalute hominum, ad non permittendum, vt res falſæ proponantur credendæ cum ijs ſignis & motiuis credibilitatis, quæ reddant illas euidenter credibiles morali euidentia apud omnes, præſertim apud Doctos & prudentes viros.

37. Infertur 3. Falſam propoſitionem fa-

ctam à viginti, vel triginta Epiſcopis, non eſſe per ſe ſufficientem non modò ad obligandos doctos & prudentes, ſed nec rudes & ignorantes: tametſi iſti ex naturali incapacitate per huiuſmodi falſam propoſitionem obligari poſſint ad credendum fide diuina putata. Ratio Corollarij eſt, quia neque reſpectu rudium talis propoſitio per ſe habet moralem euidentiam, quæ fundatur in publico teſtimonio Eccleſię, cui rudes, niſi naturali incapacitate & ignorantia excuſentur, conformari tenentur.

38. Dices. Suprà docuimus, propoſitionem factam à viginti vel triginta Epiſcopis per ſe eſſe ſufficientem ad obligandos rudes: ergo falsò hic dicimus, talem propoſitionem per ſe non eſſe ſufficientem ad rudes obligandos. Reſpondeo, me nunquam docuiſſe, talem propoſitionem eſſe ſufficientem per ſe ad rudes obligandos, ſed tantùm per accidens, vti hic iterum repeto. Dupliciter igitur poteſt propoſitio eſſe ſufficiens; vno modo per ſe, quia tales habet rationes & motiua, vt idonea ſit cuilibet intellectui cauſare euidentiam credibilitatis, qualis non eſt propoſitio facta à viginti vel triginta Epiſcopis: alio modo per accidens, ex diſpoſitione eius cui applicatur: quia nimirum cùm non ſit capax maioris euidentię, per eam redditur moraliter certus, & ſine vllo dubio de propoſiti obiecti falſitate. Atque in hoc ſenſu ſuprà docui, talem propoſitionem poſſe eſſe ſufficientem ad rudem aliquem obligandum, vt nimirum obiectum ſic propoſitum teneatur fide diuina putata amplecti. Quanquam ſi accidat obiectum ſic propoſitum falſum eſſe, vel à Deo non reuelatum, ad illud fide diuina credendum non ſit concurſurus habitus infuſus fidei, vt ibidem explicui. Duplici enim ex capite poteſt habitus infuſus fidei impediri, quo minus cum intellectu concurrat in aſſenſum ſupernaturalem, ex defectu veritatis, & ex defectu ſufficientis propoſitionis obiecti credendi: in prædicto autem caſu, etſi habitus infuſus fidei non impediretur defectu ſufficientis propoſitionis, impediretur defectu veritatis obiecti propoſiti.

Duplex impedimentũ habitus fidei, defectus veritatis: & defectus ſufficientis propoſitionis.

39. Quòd verò talis euidentia neceſſaria ſit ad credendum fide diuina, conſtat ex aſſertione ſecunda: quoniam, cùm fides Theologica amplectenda ſit à voluntate, non quomodocunque, ſed conſtanter & irreuocabiliter cum firmo propoſito ab ea ſemel admiſſa nunquam recedendi, requirit iudicium moraliter ſaltem euidens.

40. Ex his oritur primum dubium qualia debeant eſſe hęc motiua, quę ſufficiant ad cauſandam moralem euidentiam in omnibus. Secundum, qualis debeat eſſe eorum applicatio, vt obliget ad credendum fide diuina obiectum, quod applicant. Ratio dubitandi eſt, quia nec ſemper obiectum applicatur ſecundùm omnes rationes credibilitatis, quas habet; nec in omnibus eſt eadem applicatio neceſſaria, vt conſtat in rudibus, & pueris, quibus non eadem obiecti credendi applicatio neceſſaria eſt, quæ doctis & maturis.

41. Reſpondeo ad primum, ea motiua eſſe neceſſaria & ſufficere, quæ benè perſpecta & penetrata intellectum conuincunt ad iudicium ferendum de euidentia credibilitatis obiecti, quòd illud ſit à Deo reuelatum, cuiuſmodi ſunt, quæ nos ſequenti ſectione afferemus. Reſponſio eſt S. Thomæ 2. 2. q. 1. art. 4. ad ſecundum vbi docet, fidelem non credere Myſteria fidei, *niſi videret ea eſſe credenda, vel propter euidentiam ſignorum, vel propter aliquid huiuſmodi.* S. Thomas.

42. Ad ſecundum Reſpondeo, eam applicationem ad obligandum ſufficere, quæ tollit omne dubium, & moralem potentiam ad dubitandum, quæ varià eſſe ſolet iuxta varias capacitates credentium. Quamdiu enim non tollitur non ſolùm dubium, ſed etiam moralis potentia dubitandi de veritate propoſiti obiecti, non cenſetur ſufficiens applicatio obiecti, & conſequenter nondum cenſetur hominem obligare ad credendum fide diuina, quoniam fides diuina, vt ſuprà oſtenſum eſt, non obligat, neque Deus ad illam concurrit, niſi facta ſufficienti propoſitione obiecti credendi. Quanquam, vt ſuprà etiam diximus, interdum obiectum in ratione moralis euidentiæ credibilitatis completur à Deo per internas Spiritus ſancti illuminationes, quas Deus ſupplere ſolet, deficiente, abſque credentis culpa, ſufficienti propoſitione externa obiecti.

43. *Obijcies* 1. Ex his ſequeretur, poſſe fideles, præſertim rudes dubitare de articulis Fidei, quia poſſunt ſuſpicari, quòd etiamſi ipſi non dubitent de eorum veritate, non tamen in ſe habere ſufficientia motiua credibilitatis, quòd illi ſint à Deo reuelati: nam fieri poteſt, vt in ſe non habeant ſufficientia motiua, etiamſi ipſi non dubitent de veritate obiecti propoſiti, cùm ad tollendum ipſorum dubium & moralem potentiam ad dubitandum non ſit ea euidentia neceſſaria, quę requiritur ad ſufficientem propoſitionem ſimpliciter.

44. Reſpondeo negando ſequelam, & ad probationem nego, eos poſſe ſuſpicari de inſufficientia motiuorum noſtræ fidei, nam tametſi ad eorum dubium tollendum non ſit neceſſaria tanta euidentia, quanta requiritur ad ſufficientem propoſitionem ſimpliciter, quia tamen aduertunt, vel aduertere poſſunt, quòd non ſolùm ipſi, quibus minor euidentia ſufficit, ſed etiam docti, quibus eadem euidentia neceſſaria eſt, quæ requiritur ad ſufficientem propoſitionem ſimpliciter, eoſdem articulos fortiter credant, nullum habere poſſunt motiuum ſuſpicandi de inſufficientia motiuorum noſtræ fidei, quemadmodum nec docti dubitare poſſunt de motiuis noſtrę fidei, licet ipſi ea non viderint, ſed tantùm legerint apud grauiores authores, quia ad euidentiam moralem ſufficit publicum teſtimonium, ſiue ſcripto, ſiue voce habitum.

45. *Obijcies* 2. Non videtur propoſitioni

Digitized by Google

fidei euidenter credibili non poſſe ſubeſſe falſum: nam ſi Petrus referat aliquid authoritate Pauli, talis relatio non habebit maiorem certitudinem, quàm habeat authoritas ipſa Petri: ergo Eccleſia referens obiectum credendum authoritate Dei, talis relatio non poteſt habere maiorem certitudinem, quàm habeat authoritas ipſa Eccleſiæ referentis: ſed huic poteſt ſubeſſe falſum, cùm ſit teſtimonium humanum (ſumitur enim hic Eccleſia pro Cœtu Sapientiſſimorum virorum) igitur poterit propoſitioni fidei euidenter credibili ſubeſſe falſum.

46. Reſpondeo negando antecedens. Ad cuius probationem, neganda eſt paritas: ratio diſcriminis eſt, quia ad Paulum non refert, quo pacto ipſius authoritas interponatur per authoritatem Petri, ſicut ad Deum refert, quo pacto ipſius authoritas interponatur per authoritatem Eccleſiæ, ob ſpecialem prouidentiam, quam habet, ne in rebus fidei ad ſalutem neceſſarijs fideles errent.

47. *Obijcies* 3. Euidentia credibilitatis repugnat fidei: quia quod eſt euidenter credibile, eſt euidenter verum: quod eſt euidenter verum, neceſſitat intellectum: quod neceſſitat intellectum, non poteſt eſſe obiectum fidei, quia fides pendet ex libera motione voluntatis. Antecedens probatur: quia quod eſt euidenter credibile, eſt euidenter non falſum, & euidenter non impoſſibile: quod eſt euidenter non falſum, & euidenter non impoſſibile, eſt euidenter verum, & poſſibile, cùm inter duo contradictoria non cadat medium.

48. Reſpondeo negando antecedens, eiuſque probationem: non enim ex euidentia credibilitatis infertur euidentia veritatis, aut poſſibilitatis, & conſequenter euidentia negationis falſitatis, aut euidentia negationis impoſſibilitatis obiecti credibilis; quia non repugnat aliquid eſſe credibile, & ſimul falſum, ſi habeat ea ſigna credibilitatis, quæ moraliter intellectum determinent ad credendum: & è contra aliquid eſſe verum, & non credibile, ſi careat ſufficientibus ſignis credibilitatis: ſed ſolùm infertur, eſſe euidenter credibile, quòd tale obiectum ſit verum, & conſequenter non falſum, vel impoſſibile, ita vt euidentia non cadat ſupra veritatem, aut non falſitatem, vel non impoſſibilitatem obiecti, ſed ſupra credibilitatem veritatis, aut non falſitatis, vel non impoſſibilitatis obiecti. Quo fit, vt euidenter credibile, & falſum, ſiue impoſſibile non ſint contradictoria: ſed contradictoria ſunt, euidenter credibile, & non euidenter credibile. Ratio à priori eſt, quia credibilitas infertur ex principijs & teſtimonijs extrinſecis; veritas verò ex cauſis intrinſecis: igitur ex euidentia credibilitatis nequit inferri euidentia veritatis: quia principium euidenter cognitum ſolùm infert, quod ex ſe natum eſt inferre. Cùm igitur ſigna & teſtimonia extrinſeca non ſint apta oſtendere & manifeſtare rem quoad eſſe intrinſecum; principium enim ita ſe habet ad cognoſci, ſicut ad eſſe; ad eſſe autem illa non ſe habent vt cauſæ, velut effectus intrinſeci, & conſequenter neque ad cognoſci; non poterunt, etiam euidenter cognita, inferre euidentiam veritatis, quæ tantùm apta eſt inferri ex principijs & cauſis intrinſecis. Neque ex euidentia credibilitatis cogimur, niſi ad iudicandum eſſe euidenter credibile, quod propoſitum obiectum ſit verum, & oppoſitum ſit falſum.

49. *Obijcies* 4. Non videtur hæc euidentia eſſe neceſſaria ad actum fidei: tum quia qui præſunt Concilio, credunt definitioni Pontificis ſine vllis præuijs ſignis & motiuis: tum quia non poſſunt ſigna cognita ex teſtimonio aliorum facere euidentiam credibilitatis. Atqui ſigna credibilitatis fidei diuinæ cognoſcuntur ex teſtimonio aliorum: ergo nequeunt facere euidentiam credibilitatis. Minor conſtat, quia cognoſcuntur ex relatione maiorum. Maior probatur, quia quod cognoſcitur ex teſtimonio alterius, non habetur ſcientia, ſed fide: ſola autem ſcientia facit euidentiam: ergo,

50. Reſpondeo negando antecedens: cùm enim intellectus ab obiecto fidei, vtpote obſcuro, non determinetur, poſtulat determinari ſaltem à voluntate, vt illi credat: voluntas autem præreq uirit proportionatum iudicium de credibilitate obiecti, vt velit credere: cùm igitur voluntas debeat Myſteria fidei velle credere aſſenſu firmo, & irreuocabili, requirit iudicium euidens de credibilitate obiecti, vt velit illud irreuocabiliter credere. Vnde ad primam probationem, nego antecedens: nam ſigna & motiua, quibus qui Concilio præſunt ſufficienter mouentur ad credendam definitionem Pontificis, ſunt illa ipſa, quibus eis ſit euidenter credibile, illum eſſe legitimum Petri ſucceſſorem, & vt talem infallibilem habere Spiritus ſancti aſſiſtentiam in definiendis rebus fidei; primum habent ex ſignis legitimæ electionis; ſecundum ex promiſſione, & prouidentia Dei.

51. Ad ſecundam nego maiorem. Ratio eſt, quoniam vt ſigna faciant euidentiam credibilitatis, non eſt neceſſe, vt euidenter cognoſcantur in ſe, ſic enim facerent euidentiam in atteſtante, quam aſſertione tertia oſtendimus non eſſe neceſſariam. Cùm enim euidens ſit, non poſſe Deum facere ſigna & miracula in atteſtationem rei falſæ, hoc ipſo quòd ſigna & miracula facta in atteſtationem fidei cognoſcerentur in ſe, euidens eſſet euidentia in atteſtante Deo rem atteſtatam eſſe veram. Sufficit igitur, vt huiuſmodi ſigna & miracula in atteſtationem fidei patrata cognoſcantur in publico teſtimonio Eccleſiæ atteſtantis, ea facta eſſe in confirmationem fidei: ſicut ſufficit publicum teſtimonium atteſtantium Romam eſſe, vt euidenter credibile ſit, Romam exiſtere.

52. Dico 5. Vt propoſitio obiecti fidei ſit ſufficiens, non ſolùm debet eſſe talis, vt per eam *Propoſitio fidei debet hominem*

conuincere, etiam de euidentia incredibilitatis obiecti oppoſiti.

eam homo conuincatur de euidentia credibilitatis obiecti credendi, ſed etiam de euidentia incredibilitatis obiecti oppoſiti. Fundamentum eſt, quia niſi illa ſit talis, vt res contrariæ comparatæ cum rebus fidei euidenter appareant incredibiles, non poterit iudicium de fide amplectanda eſſe ſtabile, ac firmum, nam ſi facta propoſitione obiecti credendi, adhuc oppoſitum poſſet apparere probabile, non poſſet intellectus firmiter adhærere obiecto propoſito abſque formidine, quæ tanta eſt, quanta eſſet probabilitas oppoſitæ partis.

53. *Obijcies:* hanc euidentiam improbabilitatis oppoſitæ partis non habent ſimplices, cùm tamen habeant ſufficientem propoſitionem fidei: ergo non eſt neceſſaria. Reſpondeo, habere implicitè, & virtute in ipſo iudicio, quod formant de euidentia credibilitatis fidei noſtrę, ad cuius oppoſitas Sectas ſi ſe reflecterent, euidenter cognoſcerent improbabilitatem earum in comparatione noſtræ Religionis: præterquam quòd non in omnibus neceſſaria eſt hæc comparatio, ſed tantùm in adultis, qui de nouo ex contraria ſecta conuertuntur ad noſtram Religionem, vt euidenter conuincantur de erroribus ſuæ Sectę. Legatur S. Auguſtinus 6. confeſſ. cap. 5. *Auguſt.*

SECTIO III.

An res noſtræ fidei ſint euidenter credibiles?

Credibilitas principaliter eſt in ordine ad teſtificationem Dei.

54. CRedibilitas, quam de rebus fidei indagamus, principaliter eſt in ordine ad teſtificationem Dei, conſequenter verò in ordine ad earum veritatem: nemo quippe ambigit, ſi res noſtrę fidei à Deo teſtatæ ſunt, eas tanquam veras credendas eſſe, cùm nequeat Deus eſſe author falſitatis: imò in hoc ſita eſt omnium Sectarum controuerſia, quòd ſingulæ exiſtimant, ideo ſuam legem eſſe veram, quia ab aliquo numine, quod tanquam Deum colunt, deriuetur: proinde non poſſe illam eſſe falſam, cùm in omnium animis inſitum ſit, non poſſe Deum eſſe authorem legis falſæ. Probando igitur eſſe euidenter credibile, quòd Myſteria noſtræ Religionis ſint à Deo teſtata, conſequenter probabimus, eſſe euidenter credibile, quòd illa ſint vera, & credenda fide diuina. Hoc autem probabimus tum abſolutè, tum reſpectiuè per comparationem ad alias Sectas.

Eſt euidenter credibile, quod fides Chriſtiana ſit à Deo teſtata. S. Thomas Scotus.

55. DICO I. Eſt euidenter credibile, quòd fides Chriſtiana ſit à Deo teſtata. Eſt conſtans omnium Scholoſticorum ſententia in Prologo, S. Thomæ 2. 2. q. 1. art. 4. ad ſecundum & omnium Thomiſtarum. Inter cæteros Scholaſticos legatur Scotus q. 2. Prologi, vbi doctè hanc ſententiam pertractat. Ex Patribus legantur Tertullianus de præſcript. & in Apologetico aduerſus Gentes, *Tertull.* Euſebius de præparatione Euangelica, qui per decem libros oſtendit veritatem Orthodoxæ Religionis, *Euſebius.* Iuſtinus in Triphone, Lactantius lib. 4. cap. 30. *Iuſtinus. Lactant.* Hieronymus aduerſus Luciferianos, *Hieronym.* Auguſtinus contra Epiſtolam fundamenti, & de Ciuitate Dei, *Auguſt.* præſertim lib. 22. cap. 7. & 8. qui non modò hanc veritatem docent, ſed eam rationibus confirmant, quarum nos præcipuas attingemus in confirmationem noſtrę Religionis.

56. PRIMA ratio ſit conformitas, quam Euangelica doctrina habet cum recta ratione & honeſtis moribus, cui ſoli conuenit illud Pſalmi 18. *Lex Domini immaculata conuertens animas.* *Pſal. 18.* Nihil enim docet rationi contrarium, quamuis multa ſupra rationem. Nec mirum, cùm euidens ſit, multò plura à Deo fieri poſſe, quàm ab humano ingenio comprehendi. Nihil de Deo credit, niſi quod perfectionem, quin vt Scotus *Scotus.* præcitata quæſtione ſapienter aduertit, maiorem importat perfectionem, quàm importet eius oppoſitum. Quid enim honeſtati morum conformius, quàm Deum vt vltimum finem colere, ad eumque per virtutes peruenire, proximumque ſicut nos ipſos diligere? ex quibus principijs reliquæ omnes morum honeſtates deducuntur: & in quibus, authore Chriſto Matthæi 22. *Vniuerſa lex pendet & Prophetæ.* *Matth. 22.* Viuntur hac ratione Tertullianus *Tertull.* Apologia aduerſus gentes cap. 39. Iuſtinus *Iuſtinus.* Apologia 2. Auguſtinus 2. de Ciuitate cap. *Auguſt.* 28. vbi, *Nihil*, inquit, *eis turpe ac flagitioſum ſpectandum imitandumque proponitur, vbi veri Dei, aut præcepta inſinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia poſtulantur.* Hoc ipſum confirmat Plinius II. apud *Plinius.* Tertullianum præcitato Apologetico cap. 2. qui de Chriſtianis ad Imperatorem Traianum ſcribens, *præter obſtinationem non ſacrificandi* (nempe falſis Dijs) *nihil in illis comperiſſe teſtatur, quàm Cœtus Antelucanos ad canendum Chriſto & Deo, & ad confœderandam diſciplinam: Homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cætera ſcelera prohibentes.*

57. SECVNDA ratio deducitur ab authore Chriſtianæ legis; conſtat enim, illam fuiſſe à Chriſto, vt nomen ipſum oſtendit, quem in mundo fuiſſe tam ſacræ, quàm profanæ teſtantur hiſtoriæ. Hunc neque ignorantia fuiſſe deceptum, neque malitia voluiſſe decipere, demonſtrat eius in prędicendis futuris ſcientia, quę ita euenerunt, vti ipſe prædixit; eiuſque ſanctitas, quam vel ipſi aduerſarij fatentur. Ioſephus lib. 18. Antiquitatum, vt *Ioſephus.* referunt Euſebius lib. 3. demonſtrationis *Euſebius.* Euangelicæ, & Hieronymus de Scriptoribus *Hieronym.* Eccleſiaſticis, hæc de Chriſto ſcribit: *Exiſtit per idem tempus Ieſus ſapiens vir, ſi modo virum eum dicere oportet, quippe qui earum rerum author fuerit, quæ humanam fidem ſuperant. Docebat porrò hic homines, ſi quos veritatis ſtudioſos repericbat: ergo multos ſibi Iudaica, multos etiam Græcæ factionis adiunxit. Chriſtus planè*

hic

hic fuit: ſiquidem cùm Magiſtratibus noſtris accuſantibus, illum crucis ſupplicio affeciſſet Pilatus, non deſtiterunt, qui ab initio complexi fuerant: apparuit enim illis tertio die iterum viuens, quemadmodum diuini Prophetæ & hæc, & alia innumerabilia de illo prædixerant, ex quo ad hunc vſque diem Chriſtianorum non deficit genus. Hæc Ioſephus apud Euſebium. Præterea Tiberius [*Tertull.*] Cæſar apud Tertullianum in Apologetico aduerſus gentes cap. 3. Senatum Romanum rogauit, vt Chriſtum Ieſum in Deorum numerum adſcriberet, motus fama earum rerum, quas de ipſo audierat. Quod etiam ex [*Oroſius. Baronius. Publius Lentulus.*] Oſorio refert Baronius tomo 1. Annalium pag. 147. De quo & Publius Lentulus ad Senatum Romanum ſcribens: *His,* inquit, *temporibus vir apparuit magnæ virtutis & authoritatis, cui nomen Ieſus.* Huic conſonat dictum illud Sybillę Erithreę apud Auguſtinum lib. [*Sybilla Erithr. Auguſt.*] 18. de Ciuitate Dei cap. 23. *Ieſus Chriſtus Dei filius Saluator*: de quo multa ibi Propheticè: [*Mahumet.*] quem & Mahumetus in ſuo Alcorano maximum Prophetarum appellat, nec non animam Dei. Accedit ipſum teſtimonium Iudæorum, quem alij vt Prophetam: *Propheta magnus ſurrexit in nobis:* alij vt Deum: *Verè filius Dei erat iſte*: alij per ſummam inuidiam nihil vnquam in eo mali confingere potuerunt, vt Pilatus & Herodes teſtati ſunt, quem propterea nolebant morti tradere. Huc facit teſtimonium Apoſtolorum, qui nulla ſpe temporalis lucri, & humanæ dignitatis, ſed cum aperto vitæ diſcrimine coram Tyrannis ſub pœna mortis id prohibentibus, ſanctiſſimam Chriſti vitam prædicarunt. Facit teſtimonium bis cœlitus delapſum: *Hic eſt Filius meus dilectus,* [*Matth. 3. & 17.*] *ipſum audite* Matth. 3. & 17. Faciunt omnia, quæ reddunt euidēter credibilem, Chriſtum eſſe filium Dei. Ecce qualem legiſlatorem habet Euangelica lex. Confer illum cum Mahumeto, Ario, Manichæo, aut quouis alio gentilis Saracenæ, aut Hæreticæ ſectæ inſtitutore. Id ipſum confirmat Sanctitas Apoſtolorum, Doctorum, fundatorumque Religionũ, qui eandem Chriſti doctrinā prędicarunt, illu- [*Auguſt.*] ſtrarunt, ampliarunt. Legendus eſt Auguſtinus lib. 2. de Ciuitate cap. 28.

58. TERTIA ratio ducitur ex Prophetis, qui tot annis ante Myſteria Chriſtianę Religionis prædixerunt, & vti prædicta fuere, euenerunt, vt patet nouum cum veteri teſtamento conferēti. Qua de cauſa Chriſtus Do- [*Ioan. 5.*] minus Ioannis 5. Sacram Scripturam Iudæis ſcrutandam inculcabat, vt in ea legerent, quę [*Auguſt.*] in ipſo, & de ipſo completa erant. Quod argumentum vrget Auguſtinus lib. 12. de Ciuitate cap. 10. in fine, vbi loquens de veteri Scripturæ authoritate ad Chriſtianæ Religionis veritatem confirmandam, ſic ſcribit: *Quæ totum Orbem ſibi crediturum eſſe prædixit, & cui totus Orbis, ſicut ab ea prædictum eſt, credidit. Quæ vera ſe narraſſe præterita, ex his quæ futura pronunciauit, cùm tanta veritate implentur, oſtendit.* Eandem veritatem confirmant tot Prophetiæ, quas Deus in lege Euangelica varijs ſanctis inſpirauit. Quę ratio efficaciſſima eſt: quippe cùm futura libera prædicere, vti & cognoſcere, ſolius Dei ſit. Ergo non poteſt non eſſe à Deo illa Religio, cuius futura Myſteria libera multò ante prędicta fuere.

59. QVARTA ratio ſumitur ex miraculis, quæ in noſtræ fidei atteſtationem facta leguntur. Porrò miracula nō ſolùm efficaciter, ſed neceſſariò oſtendunt veritatem Chriſtianæ fidei, cùm repugnet Deum eſſe teſtem falſi. Eſt enim miraculum teſte S. Thoma 3. [*S. Thomas*] p. q. 43. art. 1. quaſi ſigillum diuinæ authoritatis, quippe quòd ab alio, quàm à Deo fieri nequit. Non poteſt igitur eſſe falſa illa doctrina, quæ tot conteſtata eſt miraculis: ſicut non poteſt falſa eſſe illa Scriptura, quæ vero ac legitimo Regis ſigillo obſignata eſt. Cùm igitur videamus tot miraculis noſtram Religionem eſſe conteſtatam, non ſolùm à Chriſto, & ab Apoſtolis, initio ipſius ortus, ſed etiam ab alijs per omnes ferè ætates, vt eruditè oſtendit Bellarminus lib. 4. de notis Ec- [*Bellarm.*] cleſię nota 11. fateamur oportet, illam veram eſſe: contrà verò omnem aliam ſectam, quę hac nota caret, eſſe falſam. Meritò igitur Auguſtinus miraculorum vinculis ſe in [*Auguſt.*] Eccleſia teneri teſtatur contra Epiſtolam fundamenti cap. 4. Porrò ad hanc veritatem confirmandam non ſolùm faciunt miracula, quę Chriſtus fecit in confirmationem ſuæ doctrinæ, nec non Apoſtoli in ea promulganda, quæque in particularibus caſibus prędicatores Euangelici fecerunt ad eam Gentilibus, & Hæreticis perſuadendam. Sed etiam quæ Deus continuò facit ad ſuos ſanctos honorandos: nam dum hæc euidenter credibilem reddunt eorum ſanctitatem, ſimul etiam euidenter credibilem faciunt ipſorum legem, quam homines ſeruando ſancti, Deoque grati euaſerunt. Sed quod omnium miraculorum maximum cenſet Auguſtinus 22. de Ci- [*Auguſt.*] uitate cap. 5. quod vel vnum ſufficeret ad oſtendendam veritatem Chriſtianæ Religionis, eſt modus, quo illa in mundum introducta eſt, nempe ab hominibus ignobilibus, pauciſſimis, ineruditis, impolitis, non peritis Grammaticæ, non armatis Dialectica, non Rhetorica inflatis, Piſcatoribus, vt Auguſtinus loquitur, res tam difficiles, ſenſui, & mundo contrariæ, tam efficaciter ac firmiter viris etiam illuſtribus, potentibus, ac ſapientibus perſuaſę ſint, vt eam etiam cum amiſſione omnium temporalium bonorum, ac proprię vitæ amplexi ſint. Non poteſt autem à Deo non eſſe doctrina illa, quæ tam miris atque inſuetis modis toti ferè mundo perſuaſa eſt. Etenim, vt ſapienter philoſophatur Auguſti- [*Auguſt.*] nus libro de vera Religione cap. 3. Si quis mundi ſapiens ante Chriſti aduentum interrogatus fuiſſet, num magnus aliquis vir poſſet talia populis perſuadere. Vtique inquit, reſpondiſſet, *non poſſe hoc ab homine fieri, niſi quem ipſa Dei virtus atque ſapientia ab ipſa rerum natura exceptum, nec hominum Magiſterio, ſed intima illuminatione ab incunabulis illuſtratum, tanta honeſtaret gratia, tanta firmitate roboraret, tanta Maieſtate ſubueheret, vt omnia con-*

temnendo, quæ paruis homines cupiunt, & omnia perpetiendo, quæ horreſcunt, & omnia faciendo, quæ mirantur, genus humanum ad tam ſalubrem fidem ſummo amore, atque authoritate conuerteret: quod cùm factum videamus, id à Deo factum fateri neceſſe eſt. Hoc idem argumentum copioſè & eloquenter, vt ſolet, pertractat *Chryſoſt.* Chryſoſtomus homilia 7. ad priorem epiſtolam ad Corinth. 8.

60. *Obijcies* 1. Etiam de alijs ſectis narrantur miracula, vt gentilium narrant hiſtoriæ. Secundò nobis non conſtat, hæc fuiſſe vera miracula, vel in proteſtationem fidei facta, cùm etiam Antichriſtus miracula facturus ſit.

61. Reſpondeo ad primum primò cum *Auguſt.* Auguſtino lib. 10. de Ciuitate cap. 8. miracula facta in confirmationem noſtræ fidei, eſſe plura, maiora, illuſtriora, euidentiora, cùm de alijs nonniſi pauciſſima, leuiſſima, quæque hominum ac Dœmonum vires, quorum ope fiebant, non excedant. Secundò, finem miraculorum, quę facta ſunt in atteſtationem noſtræ fidei, eſſe, vt vnius Dei rerum omnium conditoris, quem ratio ipſa euidenter demonſtrat, perfectam notitiam acquiramus; gentilium verò finem eſſe, vt Deorum multitudini, à qua ratio naturalis abhorret, immoletur.

62. Ad ſecundum: ſi ea nobis euidenter conſtarent, iam Chriſtiana fides non tam eſſet euidenter credibilis, quàm euidenter vera in atteſtante infallibili Deo. Ad euidentiam ergo credibilitatis ſat eſt, vt ea euidenter habeantur ex publico teſtimonio Eccleſiæ: ex quo etiam habetur, quòd ſint vera miracula, & in fidei proteſtationem facta. Cæterùm ad Dei prouidentiam ſpectat, non permittere tot miracula, etiam apparentia in confirmationem falſæ doctrinæ, quæ illam reddant apparenter ſaltem euidenter credibilem: qua de cauſa multò ante Chriſtus Dominus nobis prædixit falſa miracula, quæ erat Antichriſtus in atteſtationem falſę doctrinæ facturus.

63. QVINTA ratio ducitur ex conſtantia Martyrum & ſanctitate Chriſtianorum. Credibile namque non eſt, falſam eſſe doctrinam, pro qua innumerabiles diuerſi ordinis ſexus & conditionis homines, ſolo ſtudio placendi Deo, per ſummos cruciatus mortui ſunt: quam ſi negaſſent, non modò mortem euaſiſſent, ſed maximis inſuper honoribus donati fuiſſent. Quod argumentum præclarè vrget *Valentia.* Valentia punct. 4. ex prouidentia & bonitate Dei. Ex prouidentia: quia cùm Deus eo fine homines creauerit, vt ipſum colentes tandem ſalui fierent, qui fieri poteſt, vt innumerabiles ferè homines per exquiſita tormenta, & voluntariam mortem non aliud, quàm ipſius cultum & honorem quærentes, in tam graui atque arduo negotio ſalutis æternæ ſint decepti? Ex bonitate: nam quàm ſit alienum à bonitate Dei, hominum alioqui amantiſſimi, permittere, vt tot homines tanto deſiderio ac ſtudio per continuam animi corporiſque mortificationem, veram Religionem, veramque ſalutem quærentes, à vera via aberrent, & in perpetuum damnentur, nemo non videt. Videatur Auguſtinus lib. 22. cap. 9. *Auguſt.*

64. At etiam hæretici, & gentiles ſuos Martyres proferunt. Admittimus: ſed ipſimet iudices ſint, quantò longè plures, illuſtriores, ſapientiores, ſanctiores fuerint Martyres noſtræ Religionis. Nam & hi etiam ante Martyrium vitam agebant innocentiſſimam, adeo vt Plinius 2. Epiſtola ad Traianum ſcri- *Plinius.* pſerit, in Chriſtianis hoc ſolùm reprehendi poſſe, quòd nimis facilè pro Deo ſuo vitam profundant. Pręterea in noſtris Martyribus ea in Martyrio ipſo prodigia contingebant in proteſtationem fidei, pro qua occumbebant, vt nullum in nobis dubiũ relinquerent, quod pro vera fide paterentur. Amplius perpẽdendum eſt, quo fine, & pro qua re Martyres noſtri mortem obibant, nempe pro cultu vnius Dei, reliqui vel pro multitudine Deorũ, quos ratio ipſa naturalis deteſtatur, vel pro impia aliqua lege, nam, vt optimè Auguſtinus, non Martyres veram fidem, ſed vera fides veros Martyres oſtendit. Vlteriùs, quàm non temerè, ſed conſideratè, & prudenter noſtri Martyres mortem oppetebant, parati rationem reddere de ijs omnibus, pro quibus tormenta patiebantur. Tandẽ ex tanta Martyrum multitudine credentium numerus non modò nõ eſt diminutus, verùm incredibiliter auctus, adeo vt Tertullianus in Apologia cap. vltimo *Tertull.* dixerit, ſanguinem Martyrum ſemen fuiſſe Chriſtianorum. Cui conſonat id, quod noſtris temporibus in Iaponia de Chriſtianis Martyribus pronuntiaſſe fertur Tyrannus Imperator: *Fruſtra in eos ſæuiri, è quorum cineribus plures in dies exurgunt.*

65. SEXTA ratio ſumitur ex efficacia Euangelicę doctrinæ, tam in perſuadendo quod docet, non quidem humanis, ſed diuinis modis, interniſque motiuis & illuſtrationibus, de quibus legendus eſt S. Thomas 2.2. *S. Thomas.* q. 2. art. 3. quàm in efficiendo, quod perſuadet, homines repentè mutando ex peccatoribus in iuſtos & amatores virtutis: tum in ardore, quem in ſuis profeſſoribus ingenerat, illam vbique propagandi. Nulla enim alia Secta hanc notam habet, vt ſuam legem apud alias nationes promulget: ſola noſtra Catholica Religio nullis certis concluſa finibus, generoſo quodam impetu ad omnes nationes ſe extendit, per Euangelicam prædicationem, quam diuino iure tenentur Eccleſiæ Paſtores per legitimos Miniſtros vbique promouere: euidens argumentum, quòd hæc ſola ſit ad ſalutem neceſſaria. Colligitur etiam veritas noſtræ Religionis ex Dominio, quod exercet in Dæmones, qui ad Euangelicæ doctrinæ prędicationem inuiti diſcedunt, vt ex energumenis & obſeſſis euidenter apparet, qui ſponte ſe inferiores fatentur Chriſtianæ legis authore; quod manifeſtè de Chriſto teſtatus eſt Dæmõ ille Lucę 8. *Quid mihi & tibi* *Luc.* 8. *eſt,* inquit, *Ieſu Fili Dei altiſſimi? obſecro te ne me torqueas.* Credibile autem non eſt, doctrinam, quæ tam miris ac diuinis modis & per-

ſuadet

ſuadet, quod docet, & efficit, quod perſuadet, ab alio quàm à Deo reuelatam eſſe. Legendi *August.* ſunt Auguſtinus lib. 22. de Ciuitate Dei cap. *Athanaſ.* 5. Athanaſius de Incarnatione verbi, *Theodoret.* Theodoretus lib. de legibus.

66. SEPTIMA ratio eſt antiquitas & conſtantia noſtræ Religionis, quæ cœpit cum ipſo mundo: qua de cauſa Catholica dicitur, nō ſolùm loco; ſed etiam tempore, quia ſemper fuit ſemperque futura eſt, vt probat Auguſtinus lib. 18. de Ciuitate à cap. 37. Iam verò ſi de Euangelica Sermo ſit, quæ non eſt diuerſa Eccleſia ab antiqua, ſed ſolùm facta eſt mutatio ſtatus perfectioris iuxta Prophetarum vaticinia, hæc cœpit à Chriſto, & ab Apoſtolis, quæ per tot Romanorum Pontificum vſque ad præſentem Vrbanum VIII. in ſede Petri continuatam ſucceſſionē, conſtans in eadem doctrina, quam ſemel à Chriſto, eiuſque Apoſtolis hauſit, perſeuerat. Quod argumentum *August.* inter alia maximam vim intulit Auguſtino, vt relicta Manichæorum Secta, in qua nouem, vt ipſe teſtatur, annis detentus fuit, ad Romanam Catholicamque Religionem conuerteretur: ſed audiamus verba ipſius: *Tenet me ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt Reſurrectionem Dominus commendauit vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum*. Quòd ſi continuata ſucceſſio quadringentorum annorum (tamdiu enim durauerat vſque ad Auguſtini tempora) hunc ſapientiſſimum Doctorem tantopere mouit, quantò magis nos mouere debebit continuata ſucceſſio mille & ſexcentorum annorum? quod ar- *Hieron.* gumentum vrget etiam Hieronymus aduerſus Luciferianos in fine. Hæc igitur Eccleſia ab exordio mundi nata, ad hæc vſque tempora acriter ſemper oppugnata, integra & inconcuſſa manet in ſua veritate: nec tantùm manet, ſed ex ipſis etiam oppugnatoribus mirum in modum creſcit, *non ſecus ac*, inquit *Iuſtinus.* Iuſtinus, *vinea putatione, ita creſcit Eccleſia perſecutionibus*. In qua re valde notandum eſt, *Theodoret.* quod notarunt Theodoretus lib. de Hæreti- *August.* cis fabulis, & Auguſtinus, lib. de hæreſibus, omnes hæreſes, quæ ab initio Eccleſiæ ad ipſorum vſque tempora exortæ fuerunt, extinctas fuiſſe: euidens ſignum veritatis Catholicæ Religionis fundatæ in illa Chriſti promiſſione: *Et portæ inferi non prænalebunt aduerſus eam*.

67. OCTAVA ratio eſt, mira concordia Eccleſiaſticorum Scriptorum. Etenim, vt ar- *Scotus.* gumentatur Scotus, in rebus non euidentibus non ſolent multi diuerſimodè diſpoſiti infallibiliter conſpirare, vt eadem omnes ſentiant & doceant, niſi ab aliqua ſuperiori cauſa & numine dirigantur, vt conſtat de Philoſophis, qui quoniam ſuo quiſque ducitur ingenio, tam in rebus naturalibus, quàm moralibus, quot capita, tot ſentētiæ. At noſtri Eccleſiaſtici Scriptores, licet ingenio varij, loco & tempore diſſiti, lingua & Idiomate diuerſi, in eadem fidei doctrina, & quoad mores, & quoad credibilia omnes conſentiunt. Egre- *August.* giè hoc argumentum proſequitur Auguſtinus lib. 18. de Ciuitate cap. 41. vbi concordiam Prophetarum opponit diſcordiæ Philoſophorum in doctrina & moribus tradendis. Quia nimirum quod ab illis dictum eſt *non ora humana, ſed oracula diuina fuderunt*. Accedit & ipſa conſenſio in poſteris in eadem doctrina recipienda & defendenda, quæ in alijs Sectis non eſt, quę quoniam veritate deſtituuntur, nequeunt Sectatores ſuos ſtabilire, quin ſemper fluctuent in contrarias partes.

68. NONA ratio ſumitur ex prouidentia Dei. Euidens namque eſt, & naturæ lumine notum, Deum de hominibus prouidentiam habere, & conſequenter ad ipſum ſpectare, eos dirigere in ijs, quæ ad ipſorum ſalutem, & media ad illam conducentia pertinent. At quàm malè prouiſum eſſet hominibus, ſi falſa foret noſtra Religio? hominis quippe eſt, vtpote rationalis, in ſuis operationibus ductū rationis ſequi: at nulla lex tam conformis eſt rationi, nec tot ac tam euidentia ſigna credibiliatis habet, quàm noſtra, adeo vt Richar- *Richardus de S. Victore.* dus de S. Victore 1. de Trinit. c. 2. piè auſus ſit dicere: *Domine ſi eſt error, à te decepti ſumus, nam tantis ſignis confirmata ſunt, quæ nonniſi per te fieri poſſent*; & Chryſoſtomus homil. *Chryſoſt.* de prouidentia aſſeruerit, ſi per impoſſibile res noſtræ fidei poſſent eſſe falſæ, nos tamen nullo modo practicè errare in illis credendis, tum quia in omnibus eas ſeruando, ductū ſequimur rationis: tum quia nemo poteſt ſine iniuria diuinę prouidentię eas vt falſas reijcere, cùm ad ipſum ſpectet, non permittere in ijs, quæ ad æternam ſalutem pertinent, homines decipi. Quare fingamus legem Chriſtianam eſſe falſam, certè non poſſet, vt rectè ratiocinatur Chryſoſtomus, Iuſtè Deus punire eos, qui illam ſequuntur, cùm in ea ſequenda ſequantur ductum rationis, quæ dictat, eam legem ſequendam eſſe, quæ conformior eſt lumini naturali, honeſtis moribus, & euidentiora habet ſigna credibilitatis. Huc accedit præceptum Eccleſiæ Paſtoribus datum promulgandi Euangelicam doctrinam omnibus gentibus. Matthæi & *Matthæus. Marcus.* Marci vltimo. *Docete omnes gentes, prædicate Euangelium omni creaturæ*; cùm enim hęc neceſſaria ſit ad ſalutem, ad Diuinam prouidentiam pertinuit adinuenire modum, quo illa poſſet innoteſcere omnibus, aliàs non fuiſſet hominibus de medijs ad ſalutem ſufficienter prouiſum: quod præceptum cùm non habeant reliquæ Sectæ, ſatis arguunt, ipſarum legem non eſſe ad ſalutem neceſſariam, ac proinde falſam. Nam certum eſt, aliquam legem eſſe ad ſalutem neceſſariam; non aliquam vagè, quia cùm plures ſint oppoſitæ, altera tantùm earum erit vera: Homo autem nequit niſi in vera lege ſaluari, quia nequit ſaluari niſi in ea, quam Deus ſtatuit: Deus autem falſum ſtatuere non potuit.

69. Huic rationi annectenda eſt hęc alia, ducta ex prouidentia, quam Deus habet de ſalute hominū, quotidiana experientia comprobata.

probata. Etenim experientia quotidiana conſtat, quòd ſi aliquando aliquis alterius Religionis Sectator, deſiderio tactus conſequendæ ſalutis in vera lege, non aliam eligere ſolet, quàm noſtram, tanquam rationi, virtuti, & Diuinæ prouidentiæ magis conformem. Noui ego ipſe multos, qui tum ex Iudaiſmo, tum ex Lutheraniſmo, ſolo deſiderio æternæ ſalutis in vera Religione conſequendę, in noſtram tranſiuiſſe Religionem, manifeſtè fatentes, nullam aliam ſibi magis rationi, & virtuti, ac Diuinæ prouidentię conformem viſam fuiſſe, quàm noſtram. Omitto innumeros Gentiles, qui quotidiè ex Paganiſmo ad Chriſtianam tranſeunt legem, ex puro deſiderio conſequendæ æternæ ſalutis, etiam cum periculo amiſſionis bonorum, ac propriæ vitæ, vt de facto nunc, non obſtante crudeliſſima perſecutione Imperatoris Tyranni, innumerabiles in Iaponia ad noſtram conuertuntur fidem. Contrà verò nullus legitur, qui ſolo deſiderio conſequendæ æternæ ſalutis ex noſtra ad aliam legem tranſierit: ſed quotquot ex noſtra Religione ad aliam gradum fecerunt, id prauo deſiderio alicuius inordinatę cupiditatis explendæ fecerunt, vt notatur in omnibus Apoſtatis. Quod argumentum efficaciſſimum eſt ad oſtendendam veritatem Catholicæ Religionis ſupra cæteras. Nam ſi certum eſt, Deum ſpecialem habere curam de ſalute hominum, maximè verò certum erit, curam habere de ſalute eorum, qui peculiari affectu & amore ad ipſum recurrunt, vt in via æternę ſalutis illuminentur. Ageret ergo Deus contra ſpecialem curam, quam de ſalute hominum gerit, ſi peculiari affectu ad ipſum recurrentibus falſam inſpiraret Religionem. Nam quo pacto poſſet Deus huiuſmodi homines iuſtè punire, ſi ex toto corde ipſum requirentibus falſam inſpirauerit Religionem? Confirmatur, nam illud idem deſiderium conſequendæ æternæ ſalutis per obſeruantiam verę legis non poteſt eſſe niſi à Deo, cùm ſit de re omnino ſupernaturali, naturæ vires prorſus excedente. Ergo idem Deus, qui per deſiderium æternæ ſalutis conſequendæ in homine opus inchoat, idem per electionem veræ Religionis perficit & conſummat, cùm non poſſit Deus ſibi ipſe eſſe contrarius, vnum per deſiderium inſpirando, & aliud per electionem exequendo.

70. Quoniam verò ad ſufficientem fidei Diuinæ propoſitionem non ſatis eſt, vt ipſa ſit euidenter credibilis, ſed etiam vt reliquæ omnes Sectæ præ noſtra appareant euidenter incredibiles, enitendum nobis erit, ſingularum Sectarum incredibilitatem oſtendere. Quintuplex autem diſtinguitur infidelium Secta, Atheorum, Saracenorum, Gentilium, Iudæorum, Hæreticorum: de ſingulis erit breuiter dicendum.

71. Dico 2. Nulla Secta infidelium eſt, quæ comparata cum noſtra non conuincatur vt euidenter incredibilis & falſa, cùm nulla ſit, quæ manifeſtùm aliquem errorem non admittat, vt patet ſingulas examinanti. Nam prima tollit è mundo Deum, & conſequenter omnem de rebus humanis prouidentiam, quam perfecta cauſarum ſubordinatio, & ordinata hæc perenniſque Vniuerſi diſpoſitio euidenter demonſtrat. Quid enim tam contra naturæ lumen, quàm omne negare Numen, à quo hæc tam recta & ordinata mundi diſpoſitio originem duxit? & à quo ita reliqua creata dependent, vt ipſum a nullo, neque à ſeipſo effectiuè pendere poſſit?

72. Secvnda vltimam hominis felicitatem collocat in voluptatibus corporis: quo nihil contra rationem pugnantius, quę dictat in ea hominis parte conſtituendam eſſe ſupremam hominis felicitatem, quæ potior eſt ac perfectior. Vnde Auicenna lib. 9. Met. *Auicenna.* cap. 7. & Auerroës huius Sectæ profeſſores, *Auerroës.* manifeſtè huius legis falſitatem faſſi ſunt. Pręterea hęc ſecta docet, vnumquemque in ſua lege ſaluari: cùm tamen vera lex non poſſit eſſe niſi vna; neque vllus, niſi in vera ſaluari. Multa alia falſa notat in hac Secta Medina de recta in Deum fide. *Medina.*

73. Tertia contra naturalem rationem admittit pluralitatem Deorum, quod vel ipſi Gentiles Philoſophi tanquam falſum dogma reiecerunt. Nulla præterea gentilium Secta eſt, quæ aliquod contra mores abſurdum non admittat. Legendus eſt Auguſtinus lib. *Auguſt.* 7. de Ciuitate, vbi per totum oſtendit varios gentilium errores.

74. Qvarta Secta Iudæorum apertè conuinci poteſt expreſſis vaticinijs Prophetarum de Meſſia iam completis: quorum tria ſunt præcipua: Primum eſt illud Geneſeos *Geneſ. 49.* 49 *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Atqui ſublatum eſt ſceptrum, & Dux de Iuda, vt experientia manifeſtū eſt: ergo venit qui mittendus erat. Secundum eſt Danielis 9. in quo promittitur Chriſtus venturus poſt ſeptuaginta hebdomadas, quę in omnium computatione cōpletæ ſunt. *Daniel. 9.* Tertium eſt tam diuturna ipſorum deſolatio, euidens ſignum in pœnam commiſſi ſceleris à Daniele prædicta.

75. Vltima hęreticorum apertè conuincitur falſitatis: tum quia nulla oſtendit ſigna credibilitatis: cùm enim probatum ſit, ſemper Deum noua Myſteria fidei nouis conteſtari miraculis, debent & ipſi ad noua dogmata, quæ nobis credenda proponunt, noua oſtendere miracula: tum ex malitia authorum, quos teſte Auguſtino lib. de Paſtoribus cap. 8. Vna mater ſuperbia genuit *Auguſt.* omnes. Nullus quippe Hęreſiarcha eſt, quem praua aliqua affectio, vt ſceleſta eorum vita & infelix exitus oſtendit, ad id non impulerit. Tum ex inconſtantia & mutabilitate omnis hæreticæ doctrinæ, quæ nec in ſeipſa ad longum tempus ſubſiſtere, vt conſtat de antiquis hęreſibus iam extinctis; nec diu inter Magiſtrum & Diſcipulos ſeruare valet vnitatis concordiam, quin ſtatim

exorta

Digitized by Google

exorta in varias diſcindatur Sectas: nec eadem ſemper conſtans inter eos ſententia, ſed varia, & ſæpe ſibi ipſa pro quauis nata occaſione repugnans; aliqua ex ſacris literis admittens, aliqua reijciens, multa deprauans ac mutilans, cùm tamen eadem ſit omnium ratio, vt planè voluntaria, & ad ipſorum ſenſum confiсta ſit. Tum ex apertis erroribus, quos vnaquæque admittit. Omiſſis antiquis, vulgata ſunt Caluiniſtarum dogmata, Deum eſſe auctorem peccati: nullam eſſe humani arbitrij libertatem: Lutheranorum verò, infantes vti ratione, credere, ſperare, ac diligere, dum baptizantur, quo nihil cum ratione pugnantius. Tum quia in ijs rebus plerumque à nobis hęretici diſcedunt, quæ ſenſui aduerſantur, vt libentiùs ſuis queant indulgere paſſionibus: quod ſerio notauit inſignis quidem Iudæus, qui dum inſtanter à Deo peteret, vt in vera Religione illuminaretur, decreuit ſingularum Sectarum leges examinare, quando autem hæreticorum huius temporis Sectas examinandas ſuſcepit, vel ex eo earum falſitatem deprehendit, quòd plerumque in ijs à nobis diſcedant, quæ ſunt contraria ſenſui, vt in Eccleſiaſticis ieiunijs adimplendis, in caſtitate ſeruanda, & carnis concupiſcentia compeſcenda, in obedientia erga ſupremum Eccleſiæ caput exhibenda, & in reliquis honeſtis operibus corpori laborioſis exercendis: qui propterea docent, homines abſque operibus, ſola fide ſaluari, contra omnem Canonicam Scripturam, & Sanctos Patres. Tum quia, eſtque ratio efficaciſſima, doctrina Chriſti non poteſt eſſe niſi vna, iuxta illud ad Epheſeos 4. *Vnum corpus, & vnus Spiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptiſma.* Quæ doctrina ab ipſo Chriſto, eiuſque Apoſtolis originem ducens ſemper illæſa vſque ad finem mundi permanſura eſt, vti hactenus inter tot hoſtium impugnationes illæſa permanſit: hæc enim eſt vna nota veræ Eccleſiæ fundata in illa Chriſti promiſſione: *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Matth. 16. *Et ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*, Matthæi vltimo in fine. Ergo omnis alia doctrina, quæ ab hac diſcedit, habenda eſt vt falſa: atqui doctrina hęreticorum diſcedit à doctrina Chriſti & Apoſtolorum. Antecedens patet, quia vna eſt veritas, in qua Chriſti doctrina fundatur. Conſequentia verò probatur, quia omnis alia doctrina, quæ Chriſti doctrinæ contradicit, non poteſt niti veritati, quæ vna tantùm eſt. Minor, in qua noſtra cum hæreticis controuerſia eſt, demonſtratur: quia noſtra fides eadem ab exordio Eccleſiæ, quamuis acriter à diuerſis oppugnata ad nos vſque continuata ſucceſſione ſemper integra permanſit, & quoad authorem, quem alium quàm Chriſtum non agnoſcimus, vt nomen ipſum Chriſtianæ fidei declarat; & quoad dogmata eorumque legitimam explicationem, vt ex varijs Concilijs, Pontificum decretis, & Patrum doctrina, quorum veſtigijs illa inſiſtit, apertè conſtat. Neque vllam huius doctrinæ interruptionem, vel per ſeparationem à primo capite, vel per dogmatum mutationem, vel per alterius doctrinę profeſſionem obijcere nobis aduerſarij poſſunt. Contrà verò nos vniuſcuiuſque hæreticæ Sectę & proprium authorem, à quo ſingulæ nuncupantur, & propria dogmata, locum, & tempus, aliaſque circumſtantias, quibus & cepit, & augmentum, & finem accepit, aſſignare poſſumus: quod eſt euidens ſignum, nos non ab illis, ſed illos diſceſſiſſe à nobis, vt Cyprianus dixit. Prætereà cùm multę ſint hæreſes inter ſeſe diuerſæ, nequeunt omnes, ſed vna tantùm eſſe vera: ſed non eſt maior ratio, cur vna potiùs, quàm alia vera ſit, cùm omnes ferè vno nitantur principio & motiuo, quod eſt humanus aliquis inuentor, humanaque ratio: igitur nulla erit vera.

Epheſ. 4. — Matth. 16. — Matth. vlt. — Cyprianus.

76. Adde modum, quo noſtra, & hæreticorum doctrina ex principijs reuelatis deducitur. Etenim noſtra nonniſi præuiæ multorum Sapientiſſimorum virorum conſultatione adhibita, veterum Patrum interpretatione, antiquorum Conciliorum Sanctionibus in medium productis, cum aſſiſtentia Romani Pontificis legitimi Petri ſucceſſoris, vti tot annorum continuata Epiſcoporum in Romana ſede ſucceſſio demonſtrat, ſtatuitur & decernitur. Hęreticorum contrà, nulla pręuia matura conſultatione, nulla Patrum adhibita declaratione, nulla tot antiquorum ac ſapientiſſimorum Conciliorū expenſa atque examinata doctrina, id tãtùm, quod vnus, vel alter ſuperbię fumo excæcatus, vel ambitionis vento elatus ex proprio cerebro dixerit, habetur pro Spiritus ſancti oraculo. Etenim ſi credimus, vti credere debemus, nunquam Spiritum ſanctum permiſſurum, ſuam Eccleſiam errare in ſana veraque Chriſti doctrina retinenda, cui potiùs credendum erit, Deum in rebus fidei definiendis aſtiturum vni ſceleſto homini, vniuerſum populum ab obedientia capitis ſubtrahenti, non vniuerſo Concilio Sapientiſſimorum virorum, ex vniuerſo orbe, authoritate capitis, ad hunc finem congregato?

77. Ex quibus omnibus hæc conficitur demonſtratio, quæ, niſi adſit pertinacia, vnumquemque intellectum apta eſt conuincere. Illa doctrina, quæ à Sapientiſſimo, Sanctiſſimoque tradita Magiſtro, nihil docet rationi contrarium, nihil moribus diſſonum; quęque tot conteſtata ſignis, tot Martyrum, Doctorumque confirmata teſtimonio, tamdiu inter tot acerrimos hoſtes illęſa permanſit, præ qua ipſa cæterę omnes improbabiles, incredibileſque euidenter apparent, eſt euidenter credibilis, quòd ſit à Deo reuelata: talis eſt fides Chriſtiana: ergo fides Chriſtiana eſt euidenter credibilis. Doctrina autem, quæ eſt euidenter credibilis, quòd ſit à Deo, falſa eſſe non poteſt: igitur noſtra Religio falſa

eſſe

Digitized by Google

eſſe non poteſt: vnde merito Regius Pſaltes Pſal. 92. exclamauit: *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* Pſal. 92.

78. Ex dictis deducitur, quę ſint notæ veræ Eccleſiæ. Eſt autem *nota* ſignum ſenſibile, quo vera à falſa Eccleſia dignoſcitur. Nam eſſe veram Eccleſiam, neque hęretici negare audent, vt conſtat ex Matthęi 18. *Quòd ſi non audierit eos: dic Eccleſiæ* &c. & 1. ad Timotheum 3. *Hæc tibi ſcribo, vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis:* negant tamen, illam certis notis dignoſci poſſe, eo quòd Eccleſia ſit vnus ex articulis Fidei: Articuli autem Fidei non videntur, ſed creduntur: quæ autem creduntur, nequeunt certis notis dignoſci, cùm nota ſignum ſit ſenſibile, quod cum fide, quæ obſcura eſt, repugnat. Matth. 18. 1. Tim. 3.

79. Sed falluntur: nam Deum eſſe, eſt articulus Fidei, quem tamen ex effectibus euidenter cognoſcimus. Sic igitur ex quibuſdam attributis viſibilibus à Scriptura deſcriptis poſſumus euidenter cognoſcere, quæ ſit Eccleſia Chriſti, & de illa ea omnia credere, quę Scriptura ſacra docet: non quòd ſigna hæc ſint ratio credendi, ſed conditio dumtaxat applicans & proponens ad credendum, quòd hęc ſit Eccleſia Chriſti, de qua tales notæ prædicantur. Sicut effectus ſenſibiles non ſunt ratio formalis credendi Deum eſſe, ſed tantùm conditio applicans & proponens obiectum credendum ex teſtimonio primæ veritatis. Quòd ſi has ipſas notas credimus, vt à ſacra Scriptura deſcriptas & teſtatas, non credimus illas ob teſtimonium euidens ſenſus, ſed propter teſtimonium obſcurum Dei. Dupliciter igitur veram Eccleſiam cognoſcere poſſumus, vno modo aſſenſu fidei ex teſtimonio obſcuro Dei in ſacris Scripturis reuelato, poſita vt præuia conditione notitia notarum, quæ veræ Eccleſiæ à ſacra Scriptura tribuuntur: alio modo aſſenſu euidenti ex euidenti cognitione attributorum, quæ veræ Eccleſiæ competunt.

80. Porrò præcipuæ notæ Eccleſię ſunt illę quatuor, quas Nicænum Symbolum exprimit, vt ſit *Vna, Sancta, Catholica, Apoſtolica.* Dicitur *vna* vnitate fidei tam interioris, quàm exterioris per colligationem vnius externæ profeſſionis diuini cultus, & Sacramentorum ſub vno viſibili capite Chriſti Vicario in terris. Per hanc notam ab Eccleſia excluduntur non ſolùm hęretici, qui tam interiori, quàm exteriori fidei profeſſione à nobis diſcernuntur, ſed etiam Catechumeni: hi enim etſi per interiorem fidem inuiſibiliter Eccleſię connexi ſint, nondum tamen viſibiliter cum illa per Sacramenti fidei profeſſionem coniuncti ſunt.

81. Dicitur *Sancta* tum ſanctitate capitis Chriſti, & membrorum eius, tum ſanctitate doctrinæ, & mediorum, quibus vtitur ad finem conſequendum. Neque vt ſancta dicatur, neceſſe eſt, vt omnes, qui in ea ſunt, ſancti ſint, ſed ſufficit, vt aliqui, etiamſi pauci ſint, ſanctitate ſint prędìti: nam etiam quę vni tantùm membro conueniunt, tribui ſolent toti corpori: dicitur enim homo lotus, etiamſi tantùm lotus ſit in vnà tantùm corporis parte: dicitur totum Regnum bellicoſum, etiamſi tantùm aliqui in eo ſint bellicoſi. Dicitur igitur Eccleſia Sancta, pulchra, immaculata ratione bonorum: ſicut dicitur hortus concluſus, fons ſignatus ratione electorum. Cæterùm, vt notat Canus lib. 4. de locis Theologicis cap. vltimo, aliud eſt eſſe partem Eccleſiæ, aliud membrum: nam membrum reſpicit animantis corpus, quod ſine vita intelligi non poteſt; membrum enim abſciſſum à corpore, non dicitur propriè membrum: pars verò reſpicit totum, quod etiam ſine vita eſſe poteſt. Vnde fit, vt peccatores ſint partes, non autem membra Eccleſiæ: contra Iuſti non ſolùm ſunt partes, ſed etiam membra vitali nexu coniuncta Chriſto capiti. Canus.

82. Dicitur *Catholica*, tum ex vniuerſalitate & amplitudine gentium, cùm neminem à ſe excludat; tum ex diuturnitate temporis, quę cum ipſo mundo incepit, qua nota cùm careat quæuis congregatio hęreticorum, nulla hæreticorum congregatio Catholica dici poteſt.

83. Dicitur *Apoſtolica* ex doctrina & traditione Apoſtolorum, ſupra quorum fundamentum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Iesv ſuſtentatur & ſuperædificatur Eccleſia Dei. Ex quibus etiam conſtat, illam debere eſſe viſibilem, tum quia caput Chriſti viſibile eſt: tum quia modus hic accommodatior eſt & congruentior hominum congregationi: alioqui non eſſet certus ſuperior, ad quem fideles in rebus fidei recurrerent: Tum quia eadem eſt Eccleſia Chriſti nunc, quæ fuit tempore Apoſtolorum: at tunc fuit viſibilis, & ratione capitis, & ratione membrorum; ergo etiam nunc.

SECTIO IV.

An Myſteria fidei ſint euidenter credibilia fide diuina, an humana?

84. Prima ratio dubitandi pro fide diuina eſt, quia Myſteria noſtrę fidei ſunt euidenter credibilia propter ſigna & miracula in eorum atteſtationem facta: ſed hęc creduntur fide diuina: ergo Myſteria noſtræ fidei ſunt euidenter credibilia fide diuina. Maior conſtat ex præcedente ſect. Minor probatur, nã ſigna & miracula, quibus noſtrę Religionis Myſteria ſunt euidẽter credibilia, ſumũtur ex ſacra Scriptura; ex eo enim quòd in ſacra Scriptura illa multò ante prędicta ſunt & ex eo quòd multa ſigna & miracula

Digitized by Google

in ea leguntur in confirmationem fidei facta, dicuntur Myſteria fidei euidenter credibilia: quæ autem authoritate ſacræ Scripturæ creduntur, teſtimonio diuino creduntur, ac proinde fide diuina. Ergo Myſteria noſtræ Religionis ſunt euidenter credibilia fide diuina,

85. Secvnda ratio dubitandi pro eadem fide diuina eſt: quoniam ea fide Myſteria Chriſtianæ Religionis ſunt euidenter credibilia, qua illa credibilia oſtendunt rationes & teſtimonia ſuprà allata: ſed teſtimonia hactenus allata oſtendunt, illa eſſe euidenter credibilia fide diuina: igitur illa ſunt euidenter credibilia fide diuina. Minor probatur, nam omnia argumenta & motiua ſuprà adducta eò tendunt, vt demonſtrent Myſteria noſtræ Religionis eſſe à Deo reuelata, adeoque credenda fide diuina.

86. Ratio dubitandi pro fide humana ſit: quòd omnes rationes, quibus Myſteria noſtræ Religionis probantur eſſe euidenter credibilia, creduntur fide humana. Credimus enim illa eſſe euidenter credibilia propter publicum teſtimonium Eccleſiæ atteſtantis, illa eſſe à Deo reuelata: ſed hoc teſtimonium eſt humanum: ergo creduntur eſſe euidenter credibilia fide humana. Pro cuius difficultatis ſolutione,

87. Notandum eſt, fidem eſſe duplicem actualem & exercitam, obiectiuam, & exercendam. Actualis & exercita eſt, qua actu & exercitè aliquid creditur propter teſtimonium alterius. obiectiua & exercenda eſt, qua aliquid iudicatur dignum fide, propter rationes & motiua, quibus proponitur, vt in ſubiectis exemplis apparet: *Credo Deum eſſe Trinum & vnum, quia ipſe dicit:* fides eſt actualis & exercita, quia aſſenſu actuali & exercito aſſentior, Deum eſſe Trinum & vnum, propter teſtimonium ipſius Dei. *Iudico hanc propoſitionem, Deus eſt Trinus & vnus, eſſe dignam fide diuina propter rationes & teſtimonia, quæ oſtendunt illam eſſe à Deo reuelatam*: eſt fides diuina, non quidem actualis & exercita, ſed obiectiua ſeu ſignata & exercenda. Non eſt actualis & exercita, quia motiuum, quo iudico, hoc Myſterium eſſe dignum fide diuina, non eſt teſtimonium Dei, ſed rationes & motiua humana: eſt autem fides diuina obiectiua ſeu ſignata & exercenda, quia eſt obiectum iudicij, quo iudico, hoc Myſterium eſſe credendum fide diuina. his breuiter adnotatis,

88. Dico 1. Myſteria noſtræ Religionis non creduntur eſſe euidenter credibilia fide diuina exercita & actuali, ſed obiectiua ſeu ſignata & exercenda. Primum probo. Illud creditur fide diuina exercita & actuali, quod creditur ſolo teſtimonio Dei, propter ſeipſum applicato: atqui Myſteria noſtrę Religionis non creduntur eſſe euidenter credibilia ſolo teſtimonio Dei propter ſeipſum applicato, ſed propter rationes & motiua humana: igitur non creduntur eſſe euidenter credibilia fide diuina actuali & exercita. Maior patet, nam teſtimonium Dei propter ſeipſum immediatè applicatum eſt formale motiuum fidei diuinę: ſine formali autem motiuo nullus actus exerceri poteſt, cùm nullus actus exerceri poſſit abſque forma, à qua ſuam eſſentiam deſumit. Minor conſtat ex pręcedente ſect; in qua euidentiam credibilitatis noſtræ Religionis deduximus ex motiuis & rationibus humanis: & quamuis inter hæc motiua vtamur etiam teſtimonio ſacræ Scripturę, illo tamen non vtimur, quatenus teſtimonium Dei formaliter eſt, propter ſeipſum applicatum, & vt aptum eſt obſcuritatem in ipſo actu cauſare, ſed vt applicatum per naturalem diſcurſum, quatenus aptum eſt cauſare euidentiam credibilitatis in obiecto propoſito. Quare teſtimonium diuinum reſpectu huius actus ſe habet vt obiectum materiale; reſpectu aſſenſus verò fidei ſe habet vt obiectum formale.

89. Secundum oſtendo, nam licet Myſteria Chriſtianę Religionis non credantur eſſe euidenter credibilia fide diuina actuali & exercita, tamen cenſentur hoc ipſo actu, quo cognoſcuntur euidenter credibilia, eſſe digna fide diuina, proinde ad hunc actum fides diuina concurrit vt obiectum materiale credendum.

90. Dico 2. Myſteria noſtrę Religionis non creduntur eſſe euidenter credibilia fide humana, neque actuali & exercita, neque obiectiua & exercenda. Secundum patet: Nam ea creduntur vt euidenter credibilia fide humana obiectiua & exercenda, quę iudicantur digna fide humana: atqui per ſigna credibilitatis non iudicamus Myſteria noſtræ Religionis digna fide humana, ſed diuina: igitur non creduntur vt euidenter credibilia fide humana obiectiua & exercenda.

91. Quòd verò nec credantur eſſe euidenter credibilia fide humana actuali, & exercita, probatur: nam illud creditur fide humana actuali & exercita, quod creditur ſolo teſtimonio humano: atqui Myſteria Chriſtianæ Religionis non creduntur, quòd ſint euidenter credibilia, puro teſtimonio humano, ſed rationibus naturalibus cauſantibus euidentiam: nam licet inter rationes cauſantes euidentiam ſit etiam teſtimonium humanum, illud tamen non concurrit vt purum teſtimonium hominum, mouens propter obſcuram authoritatem hominum, ſed vt motiuum naturale applicatum per diſcurſum cauſans euidentiam credibilitatis in actu.

92. Dico 3. Myſteria noſtræ Religionis cognoſcuntur ſcientia actuali & exercita, quòd ea ſint euidenter credibilia fide diuina obiectiua. Fundamentum eſt, nam ea cognoſcuntur ſcientia actuali & exercita, quæ cognoſcuntur medio aliquo demonſtratiuo euidentem connexionem habente cum re demonſtrabili: atqui hoc modo cognoſcuntur Myſteria noſtrę Religionis, quòd ea ſint euidenter credibilia fide diuina obiectiua: ergo. Maior conſtat. Minor probatur, nam motiua, quæ afferuntur de credibilitate noſtrę Religionis,

gionis, ea ſimul ſumpta habent euidentem connexionem cum credibilitate noſtrę Religionis, quòd illa ſit à Deo reuelata: nam licet non habeant euidentem connexionem cum veritate Chriſtianæ Religionis, habent tamen euidentem connexionem cum ipſius credibilitate. Quemadmodum licet teſtimonium Dei euidenter cognitum in atteſtante non habeat euidentem connexionem cum veritate rei atteſtatæ, habet tamen euidentem connexionem cum veritate ipſius atteſtationis. Et motiua probabilitatis licet non habeant euidentem connexionem cum veritate rei probabilis, habent tamen euidentem connexionem cum ipſius probabilitate, quam euidenter oſtendunt, hoc ipſo quòd illam reddunt dignam iudicio probabili.

93. Confirmatur. Poteſt aliquid demonſtrari, quòd ſit euidenter credibile, ſicut poteſt aliquid demonſtrari, quòd ſit euidenter probabile, aut demonſtrabile: ergo poteſt demonſtrari, quòd Myſteria noſtræ Religionis ſint euidenter credibilia: ergo de facto demonſtratur per rationes & motiua, quæ hactenus adduximus. Prior conſequentia patet. Poſterior conſtat, nam ſi quæ ſunt motiua & rationes, quæ euidenter demonſtrant, rem eſſe, euidenter credibilem, ſunt rationes & motiua Chriſtianę Religionis, quæ tot ac tanta, tamque euidentia ſunt, vt auſus fuerit Richardus de Sancto Victore dicere, ſi in noſtra Religione eſt error, illum eſſe à Deo, cùm non poſſit tanta euidentia ſignorum eſſe, niſi à Deo. Antecedens probatur, nam vt aliquid demonſtrari poſſit, quòd ſit euidenter credibile, nihil aliud requirit, quàm vt ea habeat motiua & rationes, quæ intellectum conuincant, quòd illud ſit credibile, & à Deo teſtatum.

Richardus de S. Victore.

94. Dico 4. De fide eſt, Myſteria noſtræ Religionis eſſe credibilia fide diuina obiectiua ac ſignata. Fundamentum eſt, quia de fide eſt Myſteria noſtræ Religionis eſſe credenda fide diuina: ergo de fide eſt, eſſe credibilia fide diuina obiectiua & ſignata. Antecedens eſt certum. Conſequentia probatur, nam credendum eſſentialiter ſupponit credibile; implicat enim aliquid eſſe credendum, quin ſit credibile, ſicut implicat aliquid eſſe, vel futurum eſſe, quin ſit poſſibile: qua de cauſa non ſolùm fide certum eſt, Myſterium Incarnationis eſſe peractum, ſed etiam eſſe poſſibile. Eodem igitur teſtimonio & certitudine, quà reuelatum eſt: Myſteria Chriſtianæ Religionis eſſe credenda fide diuina, eodem quoque teſtimonio & certitudine reuelatum eſt, ea eſſe credibilia fide diuina: ſicut eodem teſtimonio & certitudine, qua reuelatum eſt, Myſterium Incarnationis eſſe peractum, reuelatum quoque eſt eſſe poſſibile.

95. Maior difficultas eſt, an ſit de fide, quòd Myſteria Chriſtianæ Religionis ſint euidenter credibilia. Aliqui negant, ea fortè ratione moti, quòd neque hoc ſit expreſsè reuelatum in ſe, neque virtualiter in alio. Confirmatur, nam ſi de fide eſſet, quòd Myſteria noſtræ Religionis eſſent euidenter credibilia, iudicium, quod de euidenti credibilitate eorum formamus, pertineret ad fidem, quod falſum eſt, vt ſequenti ſect. conſtabit. A fortiori hanc ſententiam docebunt, qui abſolutè negant, Myſteria noſtræ Religionis eſſe euidenter credibilia. Pro cuius difficultatis ſolutione

96. Dico 5. Probabilius eſt, de fide eſſe, quòd Myſteria noſtræ Religionis ſint euidenter credibilia. Pro quo notandum, aliud eſſe Myſteria noſtrę Religionis habere in ſe motiua & rationes, propter quas ſint euidenter credibilia; aliud hęc motiua & rationes nobis euidenter apparere. Nam poſſent Myſteria noſtræ Religionis habere in ſe huiuſmodi motiua & rationes, etiamſi ea non euidenter appareant omnibus, vel defectu applicationis, vel defectu conſiderationis, & malæ affectionis erga res noſtræ fidei. Quòd autem hic aſſerimus, eſt, de fide eſſe, quòd Myſteria noſtræ Religionis in ſe habeant talia ſigna & motiua, propter quę ſint euidenter credibilia. Prętereà, quod eſt valde notandum, hic nos non contendere, quòd ad hoc credendum obligentur fideles, qui non obligantur, niſi ad ea, quæ proponuntur ab Eccleſia; ſed tantùm aſſerere, hoc eſſe ſufficiens obiectum fidei diuinę, ita vt licet ad illud fide diuina credendum non obligemur, poſſumus tamen, ſi volumus, illud fide diuina credere, cùm ſufficientia habeamus motiua, propter quæ illud poſſimus fide diuina credere; His adnotatis,

97. Probatur aſſertio 1. De fide eſt, multa ſigna & miracula facta eſſe in conteſtationem veritatis noſtræ Religionis: ergo de fide eſt, Myſteria noſtræ Religionis habere in ſe ſufficientia motiua, quibus reddantur euidenter credibilia. Antecedens conſtat ex toto teſtamento nouo, in quo multa narrantur miracula in atteſtationem veritatis noſtræ Religionis facta: nam quę fecit Chriſtus, & quæ poſtea fecerunt Apoſtoli, facta ſunt omnia ad hunc finem, vt credibilia redderentur Myſteria noſtræ Religionis: quod patet tum ex illis verbis Chriſti Ioannis 5. *Ego autem habeo teſtimonium maius Ioanne: opera enim qua dedit mihi Pater, vt perficiam, ipſa opera, qua ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me:* tum ex miraculo, quod fecit in reſuſcitatione Lazari, vt populus crederet, quòd eſſet à Patre miſſus: *Ego autem,* inquit, Ioannis 11. *ſciebam, quia ſemper me audis, ſed propter populum, qui circumſtat me, dixi, vt credant, quia tu me miſiſti:* tum ex Matt. 9. vbi Chriſtus ſuam poteſtatem dimittendi peccata in terris confirmat miraculo ſanandi Paralyticum: *vt autem,* inquit, *ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terris dimittendi peccata, tunc ait Paralytico: ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam:* tùm Acto. 3. vbi princeps Apoſtolorum Petrus apertè teſtatur, claudum à natiuitate à ſe ſanatum fuiſſe in confirmationem fidei Ieſu Chriſti: tum ex

Ioan. 5. *Ioan. 11.* *Matth. 9.* *Actor. 3.*

illo

Marci vlt.

illo Marci vlt. *Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.* Conſequentiam verò ſic demonſtro. Naturæ lumine euidens eſt, vera miracula facta in confirmationem alicuius doctrinæ, reddere illam euidenter credibilem, quòd ſit à Deo, cùm implicet Deum operari verum miraculum in atteſtationem falſi. Igitur hæc concluſio, non vt per diſcurſum deducta, ſic enim non nititur ſolo teſtimonio Dei, ſed vt explicata per euidentem propoſitionem naturalem, pertinet ad fidem, credenda eodem teſtimonio diuino, quo creduntur ipſa miracula à Chriſto, & ab Apoſtolis in confirmationem noſtræ Religionis patrata.

98. Confirmatur, quoniam vt ex præcedente diſp. ſect. 6. conſtat, quando ex propoſitione reuelata per euidentem diſcurſum colligitur aliqua veritas, talis veritas cenſetur virtualiter reuelata in ea propoſitione, ex qua euidenter deducitur; ac proinde licet non vt deducta formaliter, ſaltem vt explicata, credenda eſt eodem teſtimonio diuino, quo creditur ipſa veritas expreſsè reuelata, ex qua illa euidenter deducitur. Atqui expreſsè reuelatum eſt, multa miracula à Chriſto, & ab Apoſtolis patrata eſſe in confirmationem Chriſtianæ Religionis: ex hac autem expreſsè reuelata per euidentem diſcurſum deducitur, huiuſmodi miracula reddere euidenter credibilem noſtram Religionem: cùm implicet miracula à Deo fieri in atteſtationem falſi: ergo de fide eſt, quòd Myſteria noſtræ Religionis ſint euidenter credibilia.

99. Secundò de fide eſt, Myſteria Chriſtianæ Religionis eſſe credenda aſſenſu firmo & irreuocabili: euidens autem eſt, ea non poſſe firmo atque irreuocabili aſſenſu credi, niſi ex præuio iudicio de euidenti credibilitate eorum: igitur de fide eſt, Myſteria Chriſtianæ Religionis eſſe euidenter credibilia. Maior eſt certa, cùm de fide ſit, Myſteria Chriſtianæ Religionis eſſe à Deo teſtata: igitur de fide eſt, ea eſſe firmo atque irreuocabili aſſenſu credenda. Minorem euidenter oſtendit ſequens diſcurſus. Fieri non poteſt, vt intellectus firmiter atque irreuocabiliter aſſentiatur obiecto obſcurè propoſito, niſi pręcedat iudicium de euidentia credibilitatis talis obiecti, quòd illud ſit à Deo teſtatum. Quotieſcunque autem nequit aliqua veritas expreſsè reuelata ſubſiſtere abſque ſubſidio alterius veritatis, non expreſsè reuelatæ, talis veritas cenſetur ſimul cum alia virtualiter reuelata. Cùm igitur nequeat hæc veritas reuelata ſubſiſtere, *Myſteria noſtræ Religionis credenda ſunt aſſenſu firmo & irriuocabili*, abſque pręuio iudicio de euidentia credibilitatis eorum, ſequitur de fide eſſe, quòd ea ſint euidenter credibilia. Quòd autem euidens ſit, non poſſe intellectum firmo atque irreuocabili aſſenſu credere Myſteria noſtræ Religionis, niſi præuio iudicio de euidenti eorũ credibilitate, patet: quia debet intellectus ea credere ex libero & prudenti imperio voluntatis (quidquid ſit, an poſſit ea credere determinatus ab extrinſeca cauſa, de quo aſſenſu hic non loquimur, quia hic non eſſet liber & meritorius) non poteſt autem voluntas prudenter imperare, vt intellectus firmiter & irreuocabiliter aſſentiatur, niſi ex præuio iudicio de euidenti credibilitate eorum: ergo.

100. Reſponderi poſſet, adhuc non præuio iudicio de euidentia credibilitatis obiecti modò pręcedat iudicium de ſola credibilitate ipſius, poſſe voluntatem imperare intellectui, vt firmiter illi aſſentiatur, quia poſſet Deus interna ſua motione ſupplere, quod deeſſet ex parte euidentiæ credibilitatis obiecti. Sed contrà, quia non poſſet tale imperiũ eſſe virtuoſum. Vt enim ſit virtuoſum, debet regulari ex rationabili iudicio: rationabile autẽ iudicium ad tale imperium ſufficiens, nõ eſt iudicium de ſola credibilitate obiecti, quia cum hac ſtat probabilitas oppoſitæ partis, ac proinde iudicium de probabili veritate oppoſitæ partis, quod repugnat fidei Diuinæ. Cùm igitur nequeat Deus tale iudicium ſupplere, cùm ſit actus vitalis eſſentialiter pendens à principio vitali, euidenter ſequitur, adhoc vt poſſit volũtas virtuoſè imperare intellectui, vt firmiter & irreuocabiliter aſſentiatur Myſterijs fidei, debere id facere ex præuio iudicio de euidenti credibilitate eorum.

101 Confirmatur. Per euidentẽ diſcurſum ſufficiẽter applicatur veritas virtualiter contẽta in propoſitione expreſsè reuelata: ergo eſt ſufficiens obiectum fidei diuinæ. Conſequentia patet, nam vt aliquid ſit ſufficiens obiectum fidei diuinæ, ſufficit, vt ita proponatur, vt nullum maneat dubium, aut moralis potentia ad dubitãdum, quòd illud ſit virtualiter contentũ in alio expreſsè reuelato: quia tunc moraliter dubitari non poteſt, quin id, quod virtute continetur in alio expreſsè reuelato, ſit verum, ac proinde credibile fide Diuina eodẽ teſtimonio, quo credibilis eſt veritas ipſa expreſsè reuelata. Ex his infertur, dupliciter poſſe nos huiuſmodi motiuis aſſentiri; vno modo aſſenſu fidei diuinæ ex ſolo teſtimonio Dei, ſi nimirum aſſentiamur, multa talia ſigna & miracula facta eſſe in confirmationem noſtræ Religionis, quia Deus in ſacris ſcripturis teſtatur: alio modo aſſenſu ſcientiæ naturalis quoad ſubſtantiã, ſi illis aſſentiamur per naturalem diſcurſum, quatenus naturaliter apta ſunt cauſare euidentiam credibilitatis.

102. Ex dictis patet ad rationem oppoſitæ ſententię: falſum quippe eſt, non eſſe ſaltem implicitè & virtualiter reuelatũ, quòd Myſteria noſtræ Religionis ſint euidẽter credibilia, vt à nobis probatũ eſt. Ad cõfirmationẽ, negatur ſequela: etenim dupliciter poſſumus iudicare. Myſteria noſtræ Religinois

eſſe euidenter credibilia; vno modo, ſolo teſtimonio diuino propter ſeipſum applicato, quo pacto credimus illa fide diuina: alio modo teſtimonio diuino applicato per diſcurſum, quatenus aptum eſt cauſare euidentiā credibilitatis, quomodo non aſſentimur illi actu fidei, ſed ſcientiæ naturalis quoad ſubſtantiam, vt ſuprà probatum eſt. Atque hic actus præcedit aſſenſum fidei.

103. Ad 1. rationem dubitandi pro fide diuina, negatur Minor. Ad cuius probationē, diſtinguenda eſt Minor: quæ creduntur authoritate ſacræ ſcripturæ, propter ipſam authoritatem ſacræ ſcripturæ, creduntur fide diuina, concedo: quæ creduntur authoritate ſacræ ſcripturæ, propter naturalem euidentiam, quā per diſcurſum applicata cauſant, creduntur fide diuina, nego: ſicut propter idē teſtimoniū Dei aſſentimur obiecto reuelato actu fidei, & Theologiæ; actu fidei, propter ſolum teſtimonium Dei, vt dictio & & locutio ipſius eſt; actu Theologiæ, propter idem teſtimonium Dei, quatenus connexionē habet cum concluſione. Vnde priori modo cōcurrit propter ſe ipſum immediate applicatum ſpeciali motione diuina: poſteriori modo concurrit propter naturalem connexionem cum concluſione per diſcurſum applicatum.

104. Ad poſteriorem rationē dubitādi, diſtinguenda eſt Minor: motiua allata probāt, Myſteria noſtræ religionis eſſe euidēter credebilia fide diuina obiectiua & ſignata, cōcedo; probant eſſe euidenter credibilia fide diuina actuali & exercita, nego. Nā dum hęc motiua per ſe ipſa tanquam per rationem formalem probant, Myſteria noſtræ Religionis eſſe euidenter credibilia, nō poſſunt credi fide diuina actuali & exercita: quoniā vt credantur fide Diuina actuali & exercita, illa eſſe euidenter credibilia, debent ſolo teſtimonio diuino credi, quòd illa ſint euidenter credibilia: cùm tamen hanc euidentiam credibitatis noſtræ religionis per huiuſmodi motiua & rationes non credamus, ſed demonſtremus.

105. Ad rationem dubitādi pro fide humana, negatur antecedens. Ad cuius probationem, diſtinguendū eſt antecedens: credimus Myſteria noſtræ Religionis, eſſe euidenter credibilia propter teſtimonium Eccleſiæ, quatenus cauſatiuum eſt fidei obſcuræ, nego; quatenus cauſatiuum eſt alicuius euidētiæ, concedo. Quemadmodū dupliciter poſſumus ex teſtimonio Petri aſſentiri, Romam eſſe, vno modo ſola authoritate ipſius nixi: alio, quatenus teſtimonium ipſius cum teſtimonio aliorum aptum eſt naturaliter cauſare moralem euidentiam, quatenus impoſſibile eſt moraliter, quod homines tam multi, tam varij, tamque diuerſis temporibus, & locis exiſtentes conueniant ad teſtandam rem falſam.

SECTIO V.

Ex quo habitu elicitur hoc iudicium de euidentia credibilitatis noſtræ Religionis?

106. PRIMA ſententia affirmat, elici ab habitu fidei infuſæ, qui ſimul inclinat ad actum obſcurum circa veritatem obiecti, & euidentem circa credibilitatem eiuſdem obiecti. Eſt Caietani 2. 2. q. 1. a. 4. ad 2. §. *ad primum:* Bannez ibidem, & aliorū Thomiſtarum: idque probant authoritate S. Thomæ præcitata q. a. 5. ad 1. vbi ait, fideles per lumen fidei videre ea, quæ ſunt credenda nempe ratione euidentiæ credibilitatis, vt explicuit articulo præcedenti ad 2. quo idem S. Doctor ſeipſum remittit. *Caietanus.* *Bannez* *S.Thomas.*

107. Confirmant, tum quia non repugnat, ab vno eodemque habitu duplicem elici aſſenſum, obſcurum, & euidentem, vt ſuprà docuimus de habitu inclinante ad aſſenſum euidentem in atteſtante, & obſcurum in obiectum atteſtatum: & de habitu opinionis, qui ſimul inclinat ad probabilem aſſenſum circa veritatem obiecti, & ad euidentem circa probabilitatem eiuſdem obiecti. Tum quia omnis habitus inclinat ad ea, quæ conuenientia ſunt proprio obiecto. Tum demum quia iudicium de credibilitate obiecti fidei eſt ſupernaturale: ergo eſt ab habitu fidei, cū nullus actus ſupernaturalis præcedat fidem infuſam, cū ipſa ſit primum donum ſupernaturale, quod à Deo infunditur. Quocirca à Tridentino ſeſſ. 6. c. 8. fides appellatur, *initium ſalutis, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis.* *Concil. Tridentinum.*

108. SECVNDA ſententia negat, hoc iudiciū elici ab habitu fidei infuſæ. Eſt Capreoli in 3. diſt. 31. q. vnica a. 3. §. *ad tertium dictum dicitur*, & cōmunior inter recentiores Theologos. *Quæ longè probabilior eſt:* cuius duplex eſt fundamentum. Primum: Nullus habitus elicere poteſt actum ex alio motiuo, quā ex quo habitus ipſe ſpecificatur. Atqui ex motiuo, ex quo elicitur actus euidentiæ credibilitatis noſtræ fidei, non ſpecificatur habitus ipſæ fidei infuſæ: igitur non poteſt talem actum elicere. Maior patet, quia nullus habitus, aut potentia operari poteſt, niſi determinata à proprio motiuo, à quo ſpecificatur: eſt enim motiuum cauſa formalis mouens habitum, vel potentiam ad operandum: implicat autem habitum, vel potentiam operari abſque ſua cauſa formali mouente. Præterea, motiuum formale non ſolùm ſpecificat, ſed etiam limitat habitum vel potentiam, ne extra ſuos fines ferri poſſit, vt inductione conſtat in omnibus habitibus & potentijs. Minor verò primi ſyllogiſmi probatur, *Capreolus.*

batur,

Digitized by Google

batur, nã motiuũ, ex quo elicitur actus euidentiæ credibilitatis noſtræ fidei, ſunt rationes humanę per naturalem diſcurſum applicatę, vt ex præcedenti ſect. conſtat: motiuum autem fidei infuſæ eſt ſolùm teſtimonium Dei immediatè per ſeipſum applicatum: igitur ex motiuo, quo elicitur actus euidentiæ credibilitatis noſtræ Religionis, non ſpecificatur habitus ipſe fidei infuſæ.

109. Secundum fundamentum eſt. Iudicium de euidentia credibilitatis obiecti præcedit actum fidei infuſæ, vt conditio applicans obiectum fidei: ergo nequit elici ab habitu fidei. Antecedẽs conſtat ex dictis, nam obiectum fidei infuſæ eſt teſtimonium Diuinum propoſitum, vt firmiter & irreuocabiliter credendum. Conſequentia probatur, quia nequit habitus operari, niſi circa proprium obiectum ſufficienter applicatum. Confirmatur. Qui negaret aliquod obiectum fidei eſſe euidenter credibile, non eſſet Hæreticus, eſſet autem Hæreticus qui negaret illud eſſe verum: ergo alterius habitus eſt iudicium de euidẽtia credibilitatis, & de veritate ipſa obiecti. Maior probatur: nam licet præcedente ſect. aſſert. 5. docuerimus, de fide eſſe, quòd Myſteria noſtræ Religionis ſint euidenter credibilia, non tamen docuimus, quòd de fide ſit, hoc vel illud obiectum in particulari eſſe euidẽter credibile: ergo qui negaret de fide eſſe, quòd hoc vel illud obiectum in particulari ſit euidenter credibile, non committeret aliquid contra fidem; proinde Hæreticus non eſſet; eſſet autem, ſi quodcunque obiectum in particulari negaret eſſe verum, & à Deo reuelatum. Minor verò probatur: nam quodcunque obiectum à Deo reuelatum negetur, committitur aliquid contra fidem, proinde Hæreſis incurritur.

110. Video ad vtrumque aduerſarios reſpondere poſſe: ad 1. quidem teſtimonium Diuinum propoſitum vt euidenter credibile eſſe obiectum fidei ſolùm quoad aſſenſum circa veritatem obiecti, non autem quoad aſſenſum circa credibilitatem eiuſdem. Ad 2. verò non per quemcunque actum contrarium habitui fidei infuſæ incurri Hereſim, ſed per ſolum actũ negantem veritatẽ obiecti reuelati. Sed contrà, tum quia id gratis dicitur, ad vim tantùm argumentis eludendã: tum quia cùm vtriuſque actus, vt probatum eſt, diuerſum ſit motiuum formale, diuerſus quoque erit vtriuſque habitus. Neq; eſt vlla ratio diſtinguendi duplicem habitum fidei, alterum, qui verſetur circa veritatem obiecti; alterum circa credibitatem eiuſdem.

111. Sed adhuc ſupereſt moleſta inter Doctores controuerſia, à quo habitu talis actus eliciatur? alij elici putant à prudentia infuſa; alij ab acquiſita: alij ab habitu Theologiæ; alij demum à fide acquiſita. Mihi verò dicendum eſt, illum elici ab habitu ſcientiæ acquiſitæ naturalis quoad ſubſtantiam. Eſt Turriani diſp. 7. dub. 4. Et probatur à partium Enumeratione: quia talis *Turrianus.* actus non elicitur ab habitu fidei infuſæ, vt iam oſtenſum eſt; neque ab habitu prudentiæ infuſæ, nam hæc ſupponit obiectum creditum fide infuſa: iudicat enim acquirendam eſſe, exempli cauſa, beatitudinem per opera meritoria; vel, ſatisfaciendum eſſe Deo pro peccatis commiſſis: quod iudicium ſupponit beatitudinem acquiri meritis; & pro peccatis Deo ſatisfieri operibus ſatisfactorijs. Præterea, iudicium prudentiæ infuſæ eſt practicum, quippe quod immediatè dirigitur ad operis executionem. Contrà verò iudicium de credibilitate obiecti fidei Diuinæ, eſt ſpeculatiuum, fertur enim de ipſa credibilitate obiecti ſecundùm ſe: quod inde patet, quia multi habent hoc iudicium de euidentia credibilitatis obiecti fidei, cùm tamen non habeant actum ipſum fidei, qui ſequi ſolet ex iudicio practico.

112. Neque hoc iudicium elicitur à prudentia acquiſita, propter eandem rationem; nam etiam prudentia acquiſita verſatur circa obiectum agibile. Neque elicitur ab habitu Theologiæ: nam ſemper hic ſupponit aliquod principium creditum fide Diuina, ex quo per diſcurſum deducit concluſionem virtualiter in eo contentam. Neque demum elicitur à fide acquiſita: nam hæc pro obiecto formali habet teſtimonium humanum, quatenus nititur ſola authoritate hominis dicentis: hoc autem iudicium pro obiecto formali habet teſtimonium humanum, quatenus aptum eſt cauſare euidentiam credibilitatis. Igitur à partium enumeratione ſupereſt, vt eliciatur ab habitu ſcientifico acquiſito per actus ſcientificos quibus euidenter aſſentimur credibilitati obiecti fidei.

113. Ex quo ſequitur, talem actum eſſe quoad ſubſtantiam naturalem, cùm nullum habeat motiuum in ſubſtantia ſupernaturale. Dixi, *quoad ſubſtantiam*: nam quoad modum frequenter hic actus eſt ſupernaturalis, quatenus Deus extraordinario concurſu intra eundem ordinem naturæ iuuat credentem ad huiuſmodi iudicium formandum, vt eo remotè diſponatur ad aſſenſum ſupernaturalem fidei Diuinæ eliciendum: non enim repugnat, actum ſolùm quoad modum ſupernaturalem remotè diſponere ad actum ſupernaturalem quoad ſubſtantiã, vt ſuppono ex pręcedente tomo.

114. Ad argumenta oppoſitæ ſententiæ. Reſpondeo ad authoritatem S. Doctoris varias afferri ab interpretibus explicationes: omiſſis reliquis, placet illa, quam Capreolus affert loco ſuprà citato, vt intelligatur non de actu euidentiæ credibilitatis, ſed de aſſenſu ipſo fidei, qui largo & improprio modo dicitur viſio: vt idem ſit iuxta hanc explicationem, fideles per lumen fidei, videre quæ ſunt credenda, ac credere aſſenſu fidei quem fortè propter certitudinẽ appellauit citato loco S. Thomas viſionem. *Capreolus.* *S Thomas.*

115. Ad priorem confirmationem, quid-

quid ſit, an poſſit vnus idemque habitus ſimul eſſe principium actus euidentis & obſcuri, de quo infrà; negatur tamen de facto talem eſſe habitum fidei, alioqui propter talẽ actum euidentẽ poſſet habitus fidei eſſe in Chriſto, & manere in beatis, in quibus quia poteſt habitus ſpei habere aliquem actum, manet in illis. Et ratio eſt, quia debet in beatis omnis actus connaturaliter elici à principio intrinſecè completo: igitur ſi habitus fidei talem actum habere poſſet, maneret in beatis, in quibus manet actus euidens de credibilitate Chriſtianæ Religionis. Negatur etiam ab eodem habitu opinionis elici & actum obſcurum circa veritatem obiecti, & euidentem circa euidentiam probabilitatis eiuſdem. Ad poſteriorem, concedendum eſt, quemlibet habitum faciles inclinare ad ea, quæ ſunt conuenientia ſuo obiecto, ſub proprio tamen motiuo formali: cùm igitur probatum ſit, ſub diuerſo motiuo formali habitum fidei inclinare ad ſuum obiectum, & ſub diuerſo habitum eliciti uum euidentiæ credibilitatis, non poterunt huiuſmodi habitus in vnum coaleſcere. Ad proſtremã verò, negatur antecedens vt oſtenſum eſt. Cæterùm quo pacto fides dicatur initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis, dixi præcitato tomo 3. & infrà etiam aliquid dicam, cùm de actu fidei diſputabimus.

DISPVTATIO IV.

De proximo proponente rẽs Fidei.

Quis ſit proximus proponens res fidei, & qualiter eas proponere debeat ad obligandum credentes?

1. Hactenvs de propoſitione fidei: diſputandum ſupereſt de ipſo proponente, qui duplex eſt, vnus proximus, alter remotus. In hac diſputatione de proximo, in ſequentibus de remoto diſputabimus. Eſt autem proximus proponens, qui immediatè applicat credenti obiectum fidei credendum propter teſtimonium Dei. De quo proponente hic quærimus, quis ſit, & qualiter Myſteria fidei credituris proponere debeat, vt eos ad credendum obliget.

2. Dico 1. Proximus proponens res fidei poteſt eſſe ipſemet Deus. Probatur, quia quod facere poteſt homo, vel Angelus per externam obiecti propoſitionem, facere poteſt Deus vel per internas illuminationes, vel etiam per externam obiecti propoſitionem: vti de facto ſolus Deus propoſuit primo Angelo Myſteria fidei propter ſuam authoritatem credenda.

3. Dico 2. Proximus proponens, præter Deum, poteſt eſſe quæuis, & ſola creatura intellectualis: de facto tamen nunc in Eccleſia Chriſti ſunt Prædicatores Euãgelici, in antiqua verò erãt Prophetę & Doctores. Quòd poſſit eſſe quęuis creatura intellectualis, patet: quoniã ad proximũ proponẽtem requiritur & ſufficit, vt ipſe ſit principalis cauſa propoſitionis: quæuis autem creatura intellectualis poteſt eſſe principalis cauſa propoſitionis obiecti fidei. Nam quæuis, & ſola creatura intellectualis poteſt vitali & intelligibili modo proponere ea, quæ ad fidem pertinent. Quòd ſola creatura intellectualis poſſit, probatur: nam etiamſi Deus vti poſſit natura brutali ad res fidei proponendas, vti olim vſus eſt Aſina ad proponendum Prophetę Balaam ipſius errorem num. 22. non tamen poſſet in eo caſu natura brutalis dici proponens, eo quòd non eſſet talis propoſitionis cauſa principalis, ſed merè inſtrumentalis obedientialis, eo prorſus modo, quo ſi lapis eleuaretur ad viſionem, vel intellectionem producendam, non diceretur videns, aut intelligens, quià non eſſet vitalis cauſa viſionis, aut intellectionis. *Num. 22.*

4. Quòd de facto nunc ſoli Euangelici Prædicatores hoc munus exerceant, probatur, nam hi tantùm ſunt legitimi Miniſtri ab Eccleſia conſtituti ad res fidei populo explicandas. Cæterùm in defectum iſtorum poſſunt eſſe quicunque alij, qui de rebus fidei ſunt bene inſtructi. Non ſunt autem ad hoc officium admittendi Hæretici, etiam in ijs fidei Myſterijs, quæ ipſi admittunt: tum propter periculum, ne cum veris miſceant falſa: tum maximè, quoniam illa ipſa vera Myſteria non proponunt cum pręcipuo motiuo credibilitatis, quod eſt publicum teſtimonium verę Eccleſię, quam ipſi non agnoſcunt ſaltem vt viſibilem. Quo fit, vt non poſſint illa proponere vt ſufficienter credibilia fide Diuina: nã hæc cùm ſit conſtãs & firmus aſſẽſus de veritate obiecti propoſiti, prærequirit certũ iudiciũ de euidentia credibilitatis obiecti: hoc autẽ ſupponit obiectum propoſitum vt euidenter credibile:

proponitur

proponitur autem obiectum fidei vt euidenter credibile maximè per publicum teſtimonium Eccleſiæ: cùm euidens ſit, ob ſingularem prouidentiam, quam Deus habet de ſalute hominum, eum nunquam permiſſurum, vt publicum teſtimonium Eccleſiæ de rebus fidei ſit falſum.

5. Ex quo infertur, regulariter non teneri gentilem fide Diuina credere Myſteria vera ab Hæretico propoſita: quia non tenetur gentilis Myſteria noſtræ Religionis fide Diuina credere, niſi ſibi ſint propoſita vt euidenter credibilia: ſine publico autem Eccleſiæ teſtimonio illa non proponuntur vt euidenter credibilia. Dixi, *regulariter*: tum quia poſſet Deus publicum teſtimonium Eccleſiæ ſupplere per internas illuminationes: tum quia poſſet talis propoſitio alicui ſaltem rudi ac ruſtico eſſe ſufficiens; & conſequenter poſſet per eam obligari ad propoſita Myſteria fide Diuina credenda.

6. Dices. Hinc ſequeretur, poſſe ruſticum obligari ad credendum fide Diuina aliquod falſum ab Hæretico propoſitum. Reſp. diſtinguendo conſequens: ſequeretur poſſe ruſticum obligari ad credendum falſum fide Diuina putata, concedo; reali, nego. Non enim repugnat, vt ſuprà oſtendimus, poſſe obiectum falſum alicui priuatæ perſonæ rudi ac ſimplici proponi cum nullo dubio & morali potentia dubitandi de falſitate obiecti propoſiti: ac proinde tunc teneri ad illud credendum fide Diuina putata. Dixi, *alicui priuatæ perſonæ*: nam an poſſit alicui integro regno, vel Regioni falſum dogma tanquam verum ſufficienter proponi, conſtabit ex ijs, quæ infrà dicturi ſumus.

7. *Obijcies* contra id quod dictum eſt, qui res fidei in antiqua Eccleſia proponebãt, fuiſſe Prophetas & Doctores, nam ſæpè in ſacris literis leguntur Angeli res fidei propoſuiſſe. Reſp. Nuſquam in ſacra Scriptura legi, quòd Angeli publica Myſteria fidei ab omnibus credenda propoſuerint publicæ Eccleſiæ, ſed ſolùm veritates particulares priuatis perſonis. Vnde ipſamet antiqua lex, quæ Act. 7. & ad Galat. 3. dicitur data Moyſi in diſpoſitione Angelorum & ordinata per Angelos, non fuit ab Angelis, ſed à Moyſe populo promulgata & propoſita. Etenim Moyſi, non Angelo dixit Deus Exod. 21. *Hæc ſunt iudicia, quæ propones eis.* Ratio verò eſt, quoniam ſuauior ac naturalior gubernandi modus eſt, vt homines per homines immediatè gubernentur, & ad ſalutem dirigantur, ſicut è contra, vt Angeli per Angelos illuminentur ac doceantur de rebus pertinentibus ad executionem Diuinę voluntatis.

Actor. 7. *Galat. 3.* *Exod. 21.*

8. Dico 3. Vt proximus proponens obliget Auditores ad acceptandas res propoſitas fide Diuina credendas, debet cum ijs motiuis eas proponere, quibus illæ reddantur euidenter credibiles, quòd ſint à Deo reuelatæ. Fundamentum eſt, quia ad obligandum, vt res propoſita acceptetur fide Diuina credenda, neceſſum eſt, vt illa intellectum credentis conuincat, quòd ſit à Deo teſtata: nequit autem intellectum conuincere, quòd ſit à Deo teſtata, niſi cum ijs motiuis proponatur, quibus appareat euidenter credibilis.

9. Confirmatur. Proximus proponens non habet ex ſe infallibilitatem in proponendo: ergo debet ſaltem illam habere ex motiuis, ſub quibus res fidei proponit. Conſequentia patet, quoniam, vt probatum eſt, talis infallibilitas neceſſaria eſt ad credendam rem propoſitam fide Diuina antecedens probatur, nam proximus proponens eſt homo, qui in proponendo non habet Spiritus ſancti aſſiſtentiam, quæ tantùm reſidet in ſupremo Eccleſię capite, vt infrà oſtendam: vnde quantum ex ſe proximus proponens poteſt fallere ac falli.

10. Ex quo ſequitur, vt qui acceptaturus eſt res propoſitas fide Diuina credendas, credere debeat, quòd proponens in eo, quod proponit, nec fallatur ipſe, nec velit alios fallere: alioqui ſi dubitaret, quod in eo, quod proponit, aut fallatur, aut fallere velit, non poſſet rei propoſitę tanquam à Deo dictę infallibilem conſenſum præſtare. Nam talis conſenſus pendet, ſaltem remotè, à iudicio quod credens format de infallibi authoritate prę ponentis. Etenim licet proponens non debeat ſua authoritate infallibilitatem conferre rei propoſitæ, cùm illam potiùs ſupponat ex teſtimonio Diuino, niſi tamen ita rem proponat, vt vi motiuorum, quibus illam proponit, eam reddat euidenter credibilem, quòd ſi à Deo reuelata, non habebit infallibilem authoritatem apud credentes. Vnde multum conducit ad reddendam rem, quæ proponitur, euidenter credibilem, ſapientia & ſanctitas proponentis, nam per ſapientiam credens faciliùs ſibi perſuadet, quòd proponens non fallatur; per ſanctitatem, quòd nolit fallere. Cæterùm non repugnat, proximum proponentem obligare credentes ad acceptandas res falſas, credendas fide Diuina putata: quia ita poteſt res falſas alicui ſimplici ac rudi proponere, vt ab illo tollat omne dubium, & moralem potentiã dubitandi. In quo euentu teneretur talis homo eas acceptare credendas fide diuina putata, vt ſuprà oſtenſum eſt.

DISPVTATIO V.

De proponente remoto.

DVPLEX eſt proponens remotus; Alter infallibilis authoritatis diuinæ; Alter infallibilis authoritatis humanæ. Ille eſt Summus Pontifex, qui hoc ipſo quod eſt Canonicè electus, infallibilem aſſiſtentiam habet Spiritus ſancti vt in proponendis rebus fidei errare non poſſit, vt infrà oſtendam: Hic eſt publicum teſtimonium Eccleſiæ. Quod bifariam accipi poteſt, vno modo pro veritate aliqua, continua ſucceſſione in Eccleſia Dei ſeruata, quæ traditio dicitur: alio modo, pro ipſa propoſitione, qua traditio ipſa ſeruanda proponitur. In hac autem diſputatione agemus de publico teſtimonio tam quoad traditionem ipſam, quam proponit, quàm quoad modum illam proponendi: in reliquis verò de Summo Pontifice & capite totius Eccleſiæ.

SECTIO I.

An præter verbum Dei ſcriptum ſit in Eccleſia Dei aliqua traditio fide diuina credenda?

1. NEgant hæretici noſtri temporis, præter verbum Dei ſcriptum, dari aliquã traditionem pertinentem ad fidem, vel mores, qnam fideles teneantur fide diuina acceptare: quòd ſi quæ ſunt, eas docent non neceſſariò, ſed liberè à fidelibus ſeruari. Ita Caluinus in ſuis Inſtit. c. 13. de traditionibus humanis à nu. 17. & deinceps, & Lutherus in ca. 1. ad Galat. Quorum potiſſimum fundamentum eſt, quoniam omnia, quæ ad fidem, vel mores ſpectanr, ſufficienter continentur in verbo Dei ſcripto: igitur fictitiæ ac fruſtraneæ ſunt traditiones. Antecedens probat Caluinus nu. 17. ex Deuteron. 12. in fine: *quod præcipio tibi*, inquit Deus, *hoc tantùm facito Domino. Non addas quidquam nec minuas.* Et Prou. 30. *Ne addas quidquam verbis Dei, & arguaris, inueniariſq́; mendax.* Alij probant ex Apoc. vlt. *Si quis appoſuerit ad hac, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto: & ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate ſancta*: & ad Galat. 1. *Licet nos aut Angelus de Cœlo Euangelizet vobis, præterquam quòd Euangelizamus vobis, anathema ſit.*

Caluinus Lutherus.

Deuter. 12. Prouerb 30.

Apoc. vlt.

Galat. 1.

2. Affirmant verò Catholici omnes, præter verbum Dei ſcriptũ, admittẽdas eſſe Apoſtolicas traditiones, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquã oretenus à Chriſto, vel à Spiritu ſancto dictatas, & cõtinuata ſucceſſione in Eccleſia Catholica obſeruatas. Eſt dogma fidei à Cõcilio Tridentino ſeſſ. 4. expreſsè definitum. Et fundamentum habet in ſacra ſcriptura 2. ad Theſſal. 2. vbi Apoſtolus: *Tenete*, inquit, *traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem ſiue per Epiſtolam noſtram.*

Concil Tridentinum.

2. Theſſ. 2.

3. Porrò triplex diſtinguitur traditionum genus: nam aliæ ſunt immediatè à Chriſto, quæ diuinæ: aliæ ab Apoſtolis cum aſſiſtẽtia Spiritus ſãcti, quæ Apoſtolicæ; aliæ, quæ vel à Prælatis, vel à põpulis inchoatæ, vſu & conſuetudine obtinuerunt, vt vim legis haberent, quæ Eccleſiaſticæ dicuntur. Priores duæ habent eandem vim, & certitudinem, quam habet verbum Dei ſcriptum, cùm nituntur eadem authoritate, qua nititur ipſum verbum Dei ſcriptũ. Poſtremæ fideles obligant ſicut leges & ſtatuta Eccleſiæ ſcripta. Rurſus earum, quæ à Chriſto, vel ab Apoſtolis ſunt, aliæ ad fidem, vt quòd Deipara fuerit ſemper virgo, quòd ſit in Cœlum aſſumpta, quòd nunquam venialiter peccarit: aliæ ad mores pertinet, vt quòd ſeruanda ſint ieiunia, quòd celebranda ſint feſta certis anni diebus &c. His adnotatis,

4. Probanda eſt Catholica aſſertio 1. ex Pontificibus. Primus ſit Clemens Romanus Epiſt. 5. ad ſuos diſcipulos, quæ habetur in 1. tomo Concil. in qua mentionem facit traditionum Apoſtolicarum. Secundus ſit Fabianus, qui ſedit anno Domini 238. in ſecunda Epiſtola ad Epiſcopos Orientales circa initium: vbi docet, modũ conficiendi Chriſma ſingulis annis fuiſſe ab Apoſtolis traditum, eumque ſeruandum; ſicut Apoſtoli tradiderunt: *iſta*, inquit, *à ſanctis Apoſtolis & ſucceſſoribus eorum accepimus, vobiſq́; tenenda mandamus. Hæc ſancta Romana Eccleſia, & Antiochena à temporibus Apoſtolorum cuſtodit. Hac Ieroſolymorum, & Epheſinorum tenet.* Tertius ſit Innocentius I. creatus Pontifex anno 402. in Epiſtola ad Decentiũ Eugubinum Epiſcopum, vbi hæc ſcribit: *ſi inſtituta Eccleſiaſtica, vt ſunt à beatis Apoſtolis tradita, integra vellẽt ſeruare Domini Sacerdotes, nulla diuerſitas, nulla varietas in ipſis Ordinibus & cõſecrationibus haberetur.* Quòd autẽ ibi Pontifex agat de traditionibus nõ ſcriptis, ſed tãtũ oretenus ab Apoſtolis habitis, conſtat: nã in eadem Epiſtola capite 3. agit de confirmandis infantibus, quod ſola traditione oretenus habita tenemus. Quartus ſit Leo I.

Clemens Rom.

Innoc. I.

Leo I.

Digitized by Google

qui floruit anno 440. ſem. 2. de ieiunio Pentecoſtes: vbi hæc habet: *dubitandum non eſt, dilectiſſimi, omnem obſeruantiam Chriſtianam eruditionis eſſe Diuinæ: & quidquid ab Eccleſia in conſuetudinem eſt deuotionis receptum de traditione Apoſtolica, & de ſancti Spiritus prodire doctrina, qui nunc quoque cordibus fidelium ſuis reſides inſtitutis.*

5. Secundò eadẽ veritas probatur ex Concilijs. Concil. Nic. Et præter citatum Concilium Tridentinum, afferenda eſt authoritas Nicænæ Synodi Secundæ celebratæ anno 781. in qua actione ſexta initio hæc habet verba: *præterea cũ multis, quæ nobis ſine ſcripto tradita ſunt, etiam imaginum factio in Eccleſia ab Apoſtolorum prædicatione dilatata eſt.* Et actione 7. in vlt. titulo: *ſed ab Apoſtolo*, inquit, *edocti tenemus traditiones, quas accepimus, omnia recipientes, & amplectentes quæcunque ſancta Catholica Eccleſia antiquitus ſcripta, & non ſcripta recepit: ex quibus ſunt etiam figurationes picturarum, imaginum*: quam Synodum deberent huius temporis Hæretici admittere, cùm ſit vna è primis quatuor œcumenicis Concilijs, quæ ipſi non negant, niſi expreſsè contra ipſos ſacrarum imaginum cultum doceret. Vnde apparet, eos non tam veritatis amore, quàm priuato affectu ea Concilia, eaque in Cõcilijs decreta admitere, quę ipſis magis placent & proprio ſenſui obſecũdant.

6. Tertiò probatur ex Patribus, qui hanc veritatẽ vnanimi conſenſu tradunt: quorũ è multis pauci nobis ſufficiãt. Ex Gręcis apertè illã docẽt Dionyſ. Areopag. qui c. 1. Eccleſ. Hierarchiæ verſus finẽ: *Summa*, inquit, *illa & ſuperſubſtantialia partim ſcriptis partim nõ ſcriptis inſtitutionibus ſuis nobis tradiderunt.* (Dionyſ. Areopagita) Irenæus lib. 3. aduerſus hæreſes cap. 2. & 3. (Irenæus.) Apoſtolicas traditiones probat per cõtinuatam ſucceſſionẽ Romanorũ Pontificũ incipiendo à Lino, qui immediatè ſucceſſit Petro vſq; Eleutheriũ duodecimũ iuxta computũ Irenæi, decimũ tertium iuxta computũ Platinæ, & aliorũ. Baſilius lib. de Spiritu ſancto (Baſilius.) cap. 27. hæc de traditionibus habet: *dogmata quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus è doctrina ſcripto prodita, quædã rurſus ex traditione Apoſt. in Myſterio, id eſt in occulto tradita recepimus: quorũ vtraque parẽ vim habẽt ad pietatem.* Vbi multa, quę in Eccleſia obſeruãtur, ex traditione deducit, vt quòd ſigno Crucis Chriſtiani vtãtur; quòd aqua ante Baptiſmũ conſecretur: quòd Baptizandus ſacro oleo inungatur, & ſimilia. Cauſamque ibidẽ aſſignat, cur nõ expediat, omnia ſcripto tradi: *ne*, inquit, *dogmatũ cognitio propter aſſuetudinem vulgò veniret in contemptum.* (Damaſc.) Damaſcenus l. 4. Fidei c. 17. *plurima*, inquit, *ſancti Apoſtoli tradiderunt ſine ſcripto.* Idque probat illis verbis 2. ad Theſſalonicenſes 2. (1. Ad Theſſ 2.) *Tenete traditiones noſtras, quas edocti eſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram*: & 1. (1. Ad Cor. 11.) ad Corinth. 11. *traditiones*, ſiue vt vulgata legit, *præcepta mea tenete.*

7. Ex Latinis verò inter alia illam docẽt Tertullianus l. de corona militis, aliquanto (Tertullian) poſt initium: vbi ſic loquitur: *hanc ſi nulla ſcriptura determinauit, certè conſuetudo corroborauit, quæ ſine dubio de traditione manauit. Quomodo enim vſurpari quid poteſt, ſi traditũ prius nõ eſt?* & infrà enumeratis ceremonijs, quas in Baptiſmo Eccleſia adhibet, ſubiungit hæc verba: *harum, & aliarum eiuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules ſcripturarũ, nulla legis traditio tibi prætẽdetur, auctrix conſuetudo, confirmatrix, & fidei obſeruatrix.* Auguſtinus Epiſtola 118. paulo poſt initium: (Auguſtin.) *illa autem*, inquit, *quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidẽ toto terrarũ orbe obſeruantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenarijs Concilijs, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas commendata atque ſtatuta retineri: ſicut quod Domini paſſio, & reſurrectio, & Aſcenſio in cœlũ, & Aduentus de cœlo Spiritus ſancti anniuerſaria ſolemnitate celebrantur. Et ſi quid aliud tale occurrerit, quod ſeruatur ab vniuerſis quocunq; ſe diffundit Eccleſia.* Hæc Auguſtinus, qui ſępè alibi eãdem doctrinam rationibus & exemplis confirmat.

8. Tertiò eadem aſſertio probatur rationibus. Prima ſit. Neceſſariò admitenda eſt, vel ab ipſis Hæreticis aliqua traditio, fide diuina credẽda: igitur non poteſt vniuerſaliter omnis traditio negari. Antecedens conſtat de ipſa ſcriptura ſacra, quam nonniſi traditione credimus, quòd ſit ea ipſa, quam de facto credimus. Vnde enim certi ſumus, quòd hæc ſcriptura ab ijs authoribus cõſcripta, ſit illa eadem, quã tenemur credere, niſi traditione? vnde ſcire poſſumus quòd tertius & quartus liber Eſdræ, tertius & quartus Machabęorũ, oratio Regis Manaſſæ, annecti ſolita libris Paralipomenon, appẽdix ad librũ Iob, centeſimus quinquageſimus primus Pſalmus Dauidis, qui in Græcis Pſalterijs inuenitur, Euangelium Nazaręorum, Epiſtolæ Pauli ad Senecam, quarũ meminit Hieronymus in Catalogo de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, liber Paſtoris, cuius author, teſte Hieronymo citato loco, fuit Hermen, cuius mentio fit in Epiſtola ad Romanos c. vlt. vnde, inquam, certò ſcire poſſumus, quòd prædicti libri nõ ſint Canonici, niſi traditione? quicũq; igitur ſacrã ſcripturam admittit, neceſſariò admittere debet traditionẽ, quæ hanc potiùs ſcripturã quàm aliam nobis diuinitus reuelatam proponit, cùm id aliũde, quã traditione ſcire nequeamus. Niſi fortè Hæretici recurrãt ad Spiritũ internũ, quo aſſerũt vnũquemq; à Spiritu ſancto doceri, quæ ſibi ſint Diuina fide credẽda, quod commentũ infrà refutabitur.

9. Secunda ratio ſit. Eccleſia Dei ab Adã vſq; ad Moyſen, qui iuxta ſententiã omniũ fuit primus ſcriptor Canonicus, nullam habuit ſcripturã, ſed tantùm dirigebatur traditione maiorũ: cũ nulla ante Moyſen de ſcriptura mẽtio fiat, ſed ſolũ de traditione: Gen. 18. (Gen. 18.) vbi loquẽs Dominus de Abrahamo: *ſcio*, inquit, *quòd præcepturus ſit filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viã Domini, & faciãt iudiciũ & iuſtitiã.* Deinde etſi à Moyſe vſq; ad Chriſti Aduentũ habuerit Eccleſia ſcripturã

diuinitus

Digitized by Google

diuinitus reuelatã, multa ramẽ ſola traditione ſeruabat, vt conſtat tũ ex varijs ſcripturæ locis: Exod. 13. *Cũ interrogauerit te filius tuus cras, dicens: quid eſt hoc? reſpondebis ei: in manu forti eduxit nos Dominus de terra Ægypti, de domo ſeruitutis*: Deuteronomij 32. *Interroga patrem tuum & annuntiabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi*. Iudicum 6. *Vbi ſunt mirabilia eius, quæ narrauerunt Patres noſtri* &c. Pſalmo 43. *Deus auribus noſtris audiuimus, Patres noſtri annunciauerunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis*. Tum ex remedio, quod antiqua Eccleſia adhibebat tam in fœminis, quàm in maribus ante octauum diem, ſi fortè mortis periculum imminebat, ad originale peccatum delendum: hæc enim nullibi in veteri teſtamento ſcripta leguntur, & tamen certò ſeruabantur. Ergo etiam in Eccleſia Euangelica, præter ſcripturas ſacras, admittendæ ſunt traditiones oretenus à Chriſto acceptę, & per Apoſtolos Eccleſiæ communicatæ, & per manus maiorum continuata ſucceſſione ad nos vſque traductæ. Vero ſimile enim eſt, toto illo tempore quadraginta dierum, quo poſt ſuam Reſurrectionem Chriſtus cum diſcipulis conuerſatus eſt, multa oretenus dixiſſe, quæ ad fidem, moreſque vniuerſales Eccleſiæ pertinerent. Quod indicat Lucas in Actis Apoſtolorum cap. 1. illis verbis: *Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei*: videlicet de modo propagandi fidẽ, gubernandi Eccleſiam, de ritu in ſacramentis adhibendo, deq; eorum formis & materijs, de feſtis & ieiunijs, reliquiſque Eccleſiæ præceptis ſeruãdis, alijſq; medijs ad beatitudinem æternam conſequẽdam Hæc enim omnia, vt doctè notauit Lorinus in hunc locum, intelligi poſſunt nomine regni Dei.

Exod 13. Deut. 32. Iud. 6. Pſalm. 43. Act. 1. Lorinus.

10. Tertia ratio ducitur ex varijs traditionibus, quæ de facto ſeruantur in lege Euangelica, quæ aliunde manare non potuerunt, quam à Chriſto, vel Apoſtolis. Prima traditio eſt, Baptiſmus paruulorum: nam in ſacra ſcriptura ſolũ habetur, quòd *qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit*: quod tantũ de adultis videtur dictum, cùm hi tantũ poſſint credere. Niſi abſurdiſſimè cum Luthero dicas, etiam pueros, dum baptizantur, credere. Hanc igitur cõſuetudinem baptizandi paruulos nonniſi Apoſtolica traditione tenemus, vt expreſsè teſtatur Auguſt. lib. 10. de Geneſi ad literam cã. 23. *Conſuetudo*, inquit, *Matris Eccleſia in baptizandis paruulis nequaquam ſpernenda eſt, neque vllo modo ſuperflua reputanda; nec omnino credenda, niſi Apoſtolica eſſet traditio*.

Auguſtin.

11. Secunda traditio eſt, Baptiſmum collatum ab Hæreticis iuxta legitimam formã & materiam à Chriſto præſcriptam, & ab Eccleſia vſurpatam, eſſe validum: & conſequenter ſi ad Catholicam fidem redeant, eos non eſſe baptizandos. Huius Apoſtolicæ traditiones acerrimus propugnator cõtra multa Concilia Prouincialia, tum in Africa tẽpore Cypriani, tum in Oriente tẽpore Dionyſij Epiſcopi Alexandrini celebrata, fuit Stephanus Papa, qui ſedit Anno 257 vel vt Platinæ placet 255. Conſtat autem hoc ex verbis Pontificis relatis à Cypriano in quadam Epiſtola ad Pompeium in Africa Epiſcopum: *Si quis ergo*, inquit Pontifex, *à quacunq; hæreſi venerit ad nos, nihil innouetur, niſi quod traditum eſt, vt manus illi imponatur in pœnitẽtiam: cùm ipſi Hæretici propriè ſeu propè vt in margine notatur alterutrum ad ſe venientes non baptizent, ſed communicent tantũ*.

Stephanus Papa. Platina Cyprianus.

12. Tertia traditio, eſt ipſum Chriſtianæ Religionis ſymbolum, quod multi Patres apud Baronium Anno Chriſti 44. in Compendio Spondani nu. 8. teſtantur, non fuiſſe ab Apoſtolis conſcriptum, ſed oretenus duntaxat Eccleſiæ cõmunicatum, vt per hoc ſignificarent, illud non tam in mortuis mẽbranis, quã in viuis cordibus fidelium debere conſcribi, vt egregiè Ruffinus in Præfatione expoſitionis ipſius Symboli docet.

Baronius Spondanus Ruffinus

13. Quarta traditio eſt, quæ de materijs & formis ſacramentũ vſurpat Eccleſia. Etenim certum eſt, eas nonniſi à Chriſto inſtitutas fuiſſe, cùm ſolus Chriſtus fuerit ſacramentorum author. Cùm igitur non de omnium ſacramentorũ materijs & formis in ſacra ſcriptura mentio fiat, dicendum eſt, eas ſola traditione Eccleſiæ conſtare.

14. Quinta traditio eſt, quòd in Calice ante conſecrationem ſic admiſcenda aqua: quod, præter alios, docuit Cyprianus lib. 2. Epiſt. 3. circa initium: *Admonitos noſcias, vt in Calice offerendo Dominica traditio ſeruetur. Neq; aliud fiat à nobis, quã quod pro nobis Dominus prius fecit*. Et infrà circa finẽ: *Nobis*, inquit, *non poterit ignoſci, qui nunc à Domino admoniti & inſtructi ſumus, vt Calicem Dominicum vino mixtum, ſecundùm quod Dominus obtulit, offeramus. Et de hoc quoq; ad Collegas noſtros literas dirigamus, vt vbiq; lex Euangelica, & traditio Dominica ſeruetur*. Porrò lex Euangelica ad vinum, traditio ad aquam vino miſcendam, refertur.

Cyprianus

15. Sexta traditio eſt, ieiunium quadrageſimale, quod omnes ferè Patres, vt videre eſt apud Baronium in Compendio Spondani Anno 57. nu. 57. docent inſtitutum fuiſſe ab Apoſtolis in honorem Paſſionis & Reſurrectionis Chriſti Domini: à quo, vt teſtatur Baſilius Sermo. 2. de ieiunio aliquanto poſt initium, nemo excipiebatur, *non inſula, non terra, non ciuitas, non gens, non denique locus vllus tam deſertus, vbi Prædicatio iſta non fuerit audita. Sed & exercitus, & iter facientes terra mariq; : mercatores quoque omnes ſimiliter audiunt & ſuſcipiunt*. Cuius traditionis meminit etiã Ignatius Martyr Epiſtola ad Philippenſes ad finem: *quadrageſimale*, inquit, *ieiunium ne ſpernatis*. Quod idem de ieiunio, quod ſeruatur quatuor anni temporibus, docet Leo Papa ſerm. 7. de ieiunio ſeptimi menſis.

Baronius Baſilius Ignatius Leo

16. Septima traditio eſt, ſpeciale priuilegium Beatæ Virginis, quod nunquam

Digitized by Google

Concilium Tridentin. actualiter peccauerit, vt indicat Trident. ſeſſ. 6. Cano. 23.

17. Octaua traditio eſt, celebratio Paſchatis die Dominico poſt decimam quartam lunam æquinoctij vernalis; quin & ipſius Dominici diei feſti reliquarumque omnium Chriſti Domini feſtiuitatum. De die *Baronius* Paſchatis teſtantur multi Patres apud Baronium anno 159. num. 1. in compendio Spon-*Pius I.* dani. Nec refert, quòd Pius I. decretum edidit de celebrando Paſchate die Dominico; nam ipſe tantùm lege confirmauit, quod Apoſtoli tradiderunt. De die Dominico ex-*Ignatius.* preſsè teſtatur Ignatius Martyr in Epiſtola ad Magneſianos, qui cùm vixerit tempore Apoſtolorum, non potuit niſi, quæ ab ipſis didicit, edocere. Docet autem ibi, Dominicam diem, eſſe Reſurrectioni Chriſti conſecratam; propterea illam Reginam ac Principem omnium dierum appellat. De reliquis verò feſtiuitatibus Domini multi pa-*Baronius.* tres teſtantur apud Baronium anno Domini 58. num. 36. in compendio Spondani. Et quidem de Paſſione, Reſurrectione, Aſcenſione, & Aduentu Spiritus ſancti expreſsè *Auguſtinus* docuit Auguſtinus Epiſt. 118. initio. Quin *Tertullian.* & reliqua feſta ſanctorum ab Apoſtolis celebrari cæpta, facile colligi poteſt ex Tertulliano antiquiſſimo ſcriptore, qui de corona militis aliquanto poſt initium, de natalitijs ſanctorum ſinglis annis celebrandis expreſſam mentionem facit his verbis: *oblationes pro defunctis, pro natalitijs annua die facimus.* Multa alia præterea ſunt, quæ in Eccleſia obſeruantur, quorum initium non poteſt, niſi ad Apoſtolos referri. Nequeunt igitur traditiones abſque aperta temeritate in Eccleſia negari.

18. Ad fundamentũ Hæreticorũ, negatur antecedens, vt patet ex dictis. Ad 1. teſtimonium deſumptum ex Deuteronomio *Bellarm.* Reſp. cum Bellarmino lib. 4. de verbo non ſcripto cap. 10. ſenſum illius loci non eſſe, vt præter id, quod ſcripto traditur, nullum aliud ſeruandum ſit præceptum: alioqui peccaſſent Apoſtoli, qui multa alia præterea, quæ ſcripto acceperunt, & ipſi in primis ſeruarunt, & poſteris ſeruanda tradiderunt: ſed ſenſum eſſe, vt id, quod ſcripto à Deo traditur, integrè & completè ſeruetur. Idem ſenſus eſt ſecundi loci Prouerb. 30. ad 3. teſtimonium Apocalypſis. nolle eo loquendi modo Euangeliſtam Ioannem prohibere, ne vel aliæ honeſtę conſuetudines inducantur, vel boni ſanctique libri conſcribantur, ſed tantùm, ne liber ipſe Apocalypticus falſificetur. Ad vltimum teſtimonium Pauli Reſp. illud primò intelligi non ſolùm de ijs, quæ Galatæ habuerunt ſcripto, ſed etiam traditione. Secundò particulam *præter* eo loco idem ſignificare, quod *contra*, vt ſolùm dogmata contra Euangelicam doctrinam acceptanda non ſint, non autem quę Euangelicæ veritati conformia ſunt.

SECTIO II.

Qualis debeat eſſe propoſitio, quæ ſufficienter proponat traditionem fide Diuina credendam?

19. PRIMÒ ſufficienter proponitur traditio fide diuina credenda, ſi illa proponatur per definitionem alicuius Concilij generalis vel Prouincialis à ſummo Pontifice approbati: talis fuit adoratio ſacrarum imaginum à Concilio Nicæno II. 350. Epi- *Conc. Nic. II* ſcoporum approbata: numerus librorum Canonicorum à Concilio Trid. ſeſſ. 4. defi- *Conc. Trid.* nitus. Ratio, quia, vt infrà oſtendam, non poteſt Concilium à ſummo Pontifice approbatum in doctrina fidei, vel morum ad vniuerſalem Eccleſiam ſpectantium errare.

20. Proponitur ſufficienter ſecundò, ſi nullo contradicente ab vniuerſa Eccleſia ſeruatur, & creditur. Talis videtur aſſumptio Deiparæ, quę vbique celebratur & creditur nullo fidelium contradicente. Ratio eſt, quoniam huiuſmodi traditiones hoc ipſo cenſentur ab Eccleſia approbari, quòd ab ipſa inuiolabiliter ſeruantur: *inſolentiſſimæ quippe inſaniæ eſt*, vt Auguſt. dixit Epiſt. 118. puta- *Auguſtin.* re non rectè fieri quod *tota per orbem frequentat Eccleſia.*

21. Tertiò. Sufficienter proponitur, quando omnes Doctores Eccleſiæ vnanimi conſenſu docent, aliquid tanqam à Chriſto, vel Apoſtolis traditum, nullo cõtradicente. Ratio eſt, quia ſi omnes Doctores Eccleſiæ errare poſſẽt, tota Eccleſia errare poſſet: repugnat autẽ totam Eccleſiã errare poſſe: igitur repugnat, omnes Eccleſiæ Doctores aliquid docere, tanquã à Chriſto, vel Apoſtolis traditũ, quod re ipſa traditũ nõ ſit. Minor eſt de fide: alioqui ſi tota Eccleſia errare poſſet, non eſſet *Eccleſia columna & firmamentũ veritatis* contra Apoſtolum 1. ad Thimot. 3. neq; vera *1. Tim. 3.* foret illa promiſſio Chriſti Matt. 16. *portæ in-* *Matth. 16.* *feri non præualebunt aduerſus eã.* Sequela verò probatur, quia Eccleſia tenetur in rebus fidei ſequi ſuos Doctores: vnde ſi omnes Eccleſiæ Doctores errarent, erraret & ipſa Eccleſia. Cõfirmatur, quia quãdo omnes Eccleclesię Doctores conueniũt in aliqua veritate tradenda, tollunt à conſciẽtia fideliũ omnẽ moralẽ potentiã dubitandi: ergo ſufficienter proponunt illã tanquam de fide credendam.

22. Secus verò eſt, quando non omnes Eccleſiæ Doctores in ea tradẽda conueniũt, ſed aliqui poſitiuè contradicunt, etiamſi maior pars eorũ conſentiat: nã per talẽ propoſitionẽ nõ tollitur è cordibus fidelium moralis potentia dubitandi. Debet autẽ poſitiuè contra dicere: nam ſi tantùm negatiuè ſe habeant, non eſt ſignum, quòd doctrinã ab alijs traditam improbent, imò potius eſt ſignum, quòd

illam

Digitized by Google

illam approbet, præſertim cùm illius mentionem faciunt; nam hoc ipſo, quòd illius mentionem faciunt, & non reprobant, approbare cenſentur.

23. Verùm notandum eſt, quod ſupra etiam aduertimus, aliud eſſe, nos obligari ad traditionem diuina fide acceptandam; aliud ſufficienter illam nobis proponi, vt eam poſſimus, ſi velimus, diuina fide credere. Nam multa ſunt, quę ſufficienter nobis proponuntur, quæ tamen non tenemur diuina fide poſitiuè credere, cuiuſmodi ſunt illa, quę proprio noſtro diſcurſu ex reuelatis deducimus, quæ tamen ab Eccleſia expreſſè nobis diuina fide credenda propoſita non ſunt. Sola igitur ea tenemur fide diuina poſitiuè credere, quæ vel nobis ad Eccleſia credenda proponuntur, vel à tota Eccleſia, vt talia habentur ac ſeruantur.

24. Atque hæc breuiter de Apoſtolicis traditionibus occaſione remoti proponentis, quod eſt publicum teſtimonium Eccleſiæ, quatenus Eccleſia eſt congregatio ſapientiſſimorum virorum, dicta ſufficiant. Reliquum eſt, vt de altero proponente remoto, quod eſt ſummus Pontifex Canonicè electus, inquiramus, de quo multa ſunt nobis diſputanda.

DISPVTATIO VI.

De proponēte remoto qui eſt ſummus Pontifex

SECTIO PRIMA.

An in Eccleſia Dei præter traditiones & Scripturas Canonicas ſit aliqua regula viua, quæ in proponendis rebus fidei infallibilem habeat authoritatem.

1. ESSE in Eccleſia Dei aliquā regulam infallibilem, quæ in proponendis rebus fidei errare nō poſſit, vel apud ipſos Hæreticos indubitatum eſt. Cùm enim indubitatum ſit apud omnes, qui Chriſtianam Religionem profitentur, vnam eſſe fidem, qua Chriſtiani homines tanquam vinculo aſtringuntur, & ab alijs qui Chriſtiani non ſunt, diſtinguuntur, iuxta illud ad Epheſ. 4. *Vnus Deus, vna Fides, vnum Baptiſma*; cumque vna fides apud omnes eſſe nequeat, niſi vna ſit regula, quæ in proponēdis rebus fidei errare non poſſit, quā omnes ſequi teneantur; manifeſtè ſequitur, aliquā debere eſſe in Eccleſia Dei regulam, communem omnibus, quæ in proponendis rebus fidei infallibilem habeat authoritatem. Cōtrouerſia tamen inter nos & Hæreticos eſt, quænam ſit iſta regula, & in quo illa reſideat. Epheſ. 4.

2. Hæretici noſtri temporis autumant, præter ſcripturam ſacram, nullam aliam eſſe regulam, quæ res fidei cū infallibili authoritate credendas proponat: ſed vnúquemq; interno Spiritus ſancti ductu ac lumine ex ipſis ſcripturis ſacris cognoſcere, quæ ad ipſius ſalutē neceſſaria ſunt, niſi quod Brentius apud Bellarminum lib. 3. de verbo Dei cap. 3. diſtinguit inter Principem & priuatā perſonam, docetq; Principem etiam publicam poteſtatem habere iudicandi de doctrina Religionis, quam poteſtatem non habet perſona priuata, quæ tantùm ex ſacris ſcripturis internoſcere poteſt vera à falſis, quæ ad ſuam duntaxat ſpectant ſalutem. Probāt autem hunc ſuum errorem 1. ex Ieremia 31. *Dabo legem meam in cordibus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & non docebit vltra vir proximum ſuum.* Secundò ex Ioanne 10. *Oues meæ vocem meam audiunt.* Tertiò ex prima ad Corinth 2. *Spiritualis autem iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur.* Quartò ex 1. ad Theſſ. 5. *Omnia probate: quod bonum eſt, tenete.* Simile quid habet Ioannes in prima ſua Canonica cap. 4. *Nolite*, inquit, *omni Spiritui credere, ſed probate Spiritus, ſi ex Deo ſint.* Quintò ex eadem Canonica cap. 2. *Non neceſſe habetis*, inquit Apoſtolus, *vt aliquis doceat vos, ſed vnctio docet vos de omnibus.* Sextò probat Caluinus cap. 8. de fide num. 161. authoritate Auguſtini contra Maximinum lib. 3. cap. 14. vbi docet, non Conciliorum, ſed ſcripturarum authoritate de rebus fidei certandum eſſe. Brentius Bellarm. Ierem. 31. Ioan. 10. 1. Cor. 2. 1. Theſſ. 5. 1. Ioan. 4. 1. Ioan. 2 Caluinus

3. Septimò probant ratione. Tum quia ſi præter ſcripturas ſacras, docetur aliqua alia regula, vel illa eſſet humana, vel Diuina. Diuina, præter ſcripturam ſacram, nulla datur: omnis autem humana eſt fallibilis, igitur, præter ſcripturas ſacras, nulla alia datur regula fidei. Tum quia ſi aliqua datur regula humana, quæ de ſacris ſcripturis ſit iudex: igitur regula humana eſt ſupra ſcripturas ſacras. Ex quo vlteriùs ſequitur, fidē Chriſtianam non reſolui in authoritatem diuinam, ſed humanam; proinde illā non habere certitudinem infallibilem, ſed fallibilē.

Hęc

Hæc ferè ſunt argumenta, quibus Hæretici putant ſe demonſtrare, præter ſacras ſcripturas, nullam aliam dari regulam, quæ infallibili authoritate Myſteria noſtræ Religionis fide Diuina credenda proponat.

4. Contrà verò, omnes Catholici docent, præter ſcripturas Canonicas, & traditiones, dari etiam regulam aliquam viuam, quæ ſit infallibilis authoritatis, & magiſtra veritatis in proponendis definiendiſque rebus fidei, quam omnes ſequi tenentur. Ad quam veritatem probandam præclara ſuppetunt tum veteris, tum noui teſtamenti teſtimonia. Primum veteris teſtamenti teſtimonium ſit Exod. 18. vbi pro declaratione dubiorum, quæ in ipſa lege Diuina populus habebat, non ad proprium ſpiritum, ſed ad viuam Moſis vocem recurrebat: *Venit*, inquit Moſes, *ad me populus, quærens ſententiam Dei: cumq; acciderit eis aliqua diſceptatio venient ad me, vt iudicem inter eos.* Idque faciebat Moſes ex imperio Dei, vt ex eodem capite conſtat. *Exod. 18.*

5. At inſtant Hæretici, non feciſſe hoc Moyſem vt Sacerdotem, ſed vt Principem Politicum. Sed contrà, nam & Moyſes non ſolùm Princeps Politicus fuit, ſed etiam Sacerdos à Deo conſtitutus, vt patet ex munere Sacerdotali, quod exercebat, ſacrificia offerendo, veſtes Sacerdotales conſecrando, Sacerdotes initiando, vt legenti 18. & 19. caput Exodi patebit; & iudicium in cauſa Religionis nonniſi ad Sacerdotes pertinebat, vt mox ex ſequenti teſtimonio cõſtabit. *Exod. 18. & 19.*

6. Secundũ teſtimonium veteris Teſtamenti ſit Deuteronomij 17. vbi Diuina lege ſtatuitur, vt quodcunque ambiguum & difficile acciderit, deferatur ad Sacerdotes Leuitici generis, ab iiſque exquiratur ſententia, & qui parere noluerit, decreto Iudicis moriatur. Nec refert, quòd non tantùm in cauſa Religionis, ſed etiam in cauſa ciuili, Iudices inferiores in dubijs iuris tenebantur adire Sacerdotes, quorum ordinaria reſidentia erat Ieroſolymis: nam etiã de cauſis ciuilibus, quæ pendebant à lege, poterant Sacerdotes iudicare, vt colligitur ex Ezechiele 44. & docent plurimi interpretes in hunc locum. *Deut. 17.* *Ezech. 44.*

7. At obijciunt aduerſarij, hoc præceptum adeundi in dubijs Religionis Sacerdotes, eorumque iudicio acquieſcendi, fuiſſe conditionatum, non abſolutum, ſi nimirum Sacerdotes iudicium tuliſſent iuxta legem. Sed contrà: nam alioqui non bene illis prouiſum fuiſſet. Etenim ſi dubium fuiſſet, an Sacerdos iuxta legem iudicaſſet, nec ne, alius iudex ſtatui debuiſſet, qui iudicaſſet, an prior Sacerdos iuxta legem iudicium tuliſſet. De quo rurſus ſi dubitatum fuiſſet, an ſe ſecundùm legem iudicaſſet, alius cenſor ſtatui debuiſſet, qui iudicaſſet, an hic ex lege ſententiam tuliſſet, & ſic de alijs in infinitũ. Voluit igitur Deus populum quietum reddere, vt in dubijs iudicio ſtaret Sacerdotum, niſi manifeſtè eſſet contra legem: contra quam an iudicare potuiſſent Sacerdotes, iuridicè à populo interrogati, ſententia publica & authentica, conſtabit ex infra dicendis.

8. Tertium teſtimonium ſit 2. lib. Paralipomenon cap. 19. vbi Ioſaphat Rex Iuda conſtituit in Ieruſalem Sacerdotes, vt iudicarent cauſas ſacras, condiſtinctos à Iudicibus, iudicantibus cauſas ciuiles. Poſtquã enim præceptũ dedit cunctis iudicibus de iuſto iudicio faciendo, ſubdit: *Amaſias autẽ Sacerdos & Pontifex veſter in his quæ ad Deum pertinent præſidebit: porrò Zabadias filius Iſmahel, qui eſt dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* Ex quibus manifeſtè apparet ſententiam de dubijs Religionis in veteri lege à Deo commiſsã fuiſſe publico iudicio Sacerdotis, nõ autẽ vel priuato vniuſcuiuſq;, vel publico Principis Politici, vt Hæretici putant. *2. Paral. 19.*

9. Ex nouo teſtamento longè plura clarioraque ſuppeditantur ad hanc veritatem confirmandam teſtimonia. Ex multis tamen, quæ afferri poſſent hæc quatuor ſufficiant. Primum Matt. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum: quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Quo teſtimonio Chriſtus amplam concedit Petro eiuſque ſucceſſoribus ligandi & ſoluendi poteſtatem nõ ſolũ in foro ſacramẽtali per ſacramentũ pœnitentiæ, ſed etiam in foro iudiciali, vt denotat particula *quodcunq;* quæ non ad vnũ tantũ genus officij limitatur, ſed comprehendit omnia, quæ ſunt propria Paſtoris & Rectoris vniuerſalis. *Matth. 16*

10. Secundum teſtimonium Ioannis vlt. *Paſce oues meas:* quibus verbis Chriſtus ſpecialem curam demandat Petro, eiuſque ſucceſſoribus, vt ſcientia & doctrina fidei ſuas oues paſcat. At quæ ſunt Chriſti oues, niſi qui Chriſti fidem ſequũtur? Cæterùm quid ſit oues paſcere, nobis declarat ipſemet Deus Ieremiæ 3. *Dabo*, inquit, *vobis Paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina.* Curam igitur paſcendi oues, adeoque Eccleſiam regendi & gubernandi ſoli Petro committit hoc loco Chriſtus, vt ſequenti ſect. oſtendã; proinde ad ipſum eiuſq; ſucceſſores pertinet, fidei doctrina Eccleſiam paſcere. *Ioan. vlt.* *Ierem. 3.*

11. At inſtare poſſunt aduerſarij etiã reliquis Apoſtolis commiſſam fuiſſe hac curã doctrina paſcendi oues Chriſti: igitur non fuit ſoli Petro ſingulariter demãdata. Antecedens probat 1. locus Matt. & Marci vlt. *Eũtes in mundũ vniuerſum docete omnes gẽtes.* Secundò, locus Ioannis 20. *Accipite Spiritũ ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis* &c. Sed contrà, nã in primo loco non omnes mundi partes ſingulis committuntur Apoſtolis, ſed omnibus ſimul: cùm non ſinguli omnes mũdi Regiones peragrarint, ſed ſinguli ſingulas: cùm tamẽ citato loco Ioannis vlt. omnes oues paſcendas Chriſtus committat Petro. Vnde Cyprianus de ſimplicitate Prælatorũ aliquanto poſt initiũ, hoc idẽ *Matth. & Marc. vlt.* *Ioan. 20.* *Cyprianus*

argumentum

argumentum ſibi obijciens ſic illud ſoluit: *vt vnitatem*, inquit, *manifeſtaret* (ſcilicet Chriſtus) *vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua voluntate diſpoſuit. Hoc erant vtiq́, & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia vna monſtretur.* Quaſi diceret, omnes Apoſtoli habebãt eandem poteſtatem, ſed depẽdentem à Petro tanquam à primo capite & origine. Alioqui quomodo ſeruaretur vnitas, ſi omnibus independenter ab vno conferretur authoritas? quod clariùs explicat inferius, dum ait: *Epiſcopatus vnus eſt, cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur.* Pars igitur à ſingulis Apoſtolis, non totum tenetur, vti tenetur à Petro. Secundus locus noſtram potiùs confirmat ſententiam, nam non contentus Chriſtus poteſtate collata omnibus Apoſtolis abſoluendi & retinendi peccata in foro pœnitentiæ, ſingularem authoritatem contulit Petro, quam non contulit reliquis, dum ſoli Petro, & non reliquis curam paſcendi ſuas oues commiſit.

Matth. 23. 12. Tertium teſtimonium eſt Matth. 23. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: omnia ergo quæcunq́, dixerint vobis, ſeruate & facite, ſecundũ opera verò eorũ, nolite facere.* In quo teſtimonio duo ſunt diligenter notanda: primum obediendum eſſe Scribis & Phariſæis, eorumque doctrinam ſequendam, etiamſi ipſi improbi ſint: Secundum, radicem huius quaſi à priori eſſe, quia ſuper Cathedram Moyſi ſederunt, quod indicat particula illatiua *ergo*. Hoc ipſo enim, quòd ſuper Cathedrã Moyſi ſederunt, hoc eſt electi fuerunt, ad docendum publicè ex Cathedra, poteſtatem accipiebant interpretandi legem diuinam, quorum interpretationem omnes ſequi debebant. Auguſtin. Quod docuit Auguſtinus lib. 4. de doctrina Chriſtiana cap. 27. lib. 16 contra Fauſtum cap. 29. *Illa*, inquit, *Cathedra non eorũ, ſed Moyſi cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes.* Quod autẽ de Cathedra Moyſi dicitur, à fortiori intelligendum eſt de Cathedra Petri, vt inter reliquos Auguſt. Epiſt. Auguſtin. 165 docet his verbis: *in illum autem ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro vſq́, ad Anaſtaſium, qui nunc eandem Cathedram ſedet, etiamſi quiſpiam traditor per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil præiudicaret Eccleſiæ, & innocentibus Chriſtianis: quibus Dominus prouidens ait de Præpoſitis malis: quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite.*

13. At obijciet quiſpiam: ſæpe Chriſtus doctrinam Scribarum & Phariſæorum Matth. 16. reprehendit, vt Matth. cap. 16. docet diſcipulos ſuos cauere à fermento, hoc eſt doctrina Phariſæorum: & hoc eodem capite inuehitur contra eorum doctrinam. Reſp. 1. ex citatis verbis Auguſtini, non reprehendi doctrinam, quã ex Cathedra Moyſi Phariſæi docebant, nam illa non permittebat aliena à lege doceri, ſed quam extra Cathedram iactabant. Sed quia non apud omnes certum eſt, non potuiſſe Phariſæos ex Cathedra Moyſi docentes errare. Reſp. 2. cum Chryſoſtomo & Euthymio in hunc locum, eam Chryſoſt. Euthym. doctrinam à Phariſæis à Chriſto reprehendi, quæ vel apertè aduerſabatur doctrinæ Moyſi, vel quia ipſi propter minora præcepta omittebant maiora, vt ipſe Chriſtus in hoc eodem capite eos coarguit: *hæc*, inquit, *oportuit facere & illa non omittere*: vel demum, quia propter ſuperſtitioſas ſeniorum traditiones contemnebant mandata Dei, vt eoſdem Chriſtus reprehendit Matt. Matth. 15. 15. illis verbis: *quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Neque hinc licet contra traditiones Eccleſiaſticas argumentum ducere: nam nulla traditio Eccleſiaſtica aduerſatur ſcripturæ ac legi Diuinæ: quin ſignum veræ traditionis eſt, ſi contraria non ſit legi, aut ſcripturæ Diuinæ.

14. Quartum teſtimonium eſt 1. ad Co- 1. Cor. 12. rinth. 12. vbi negat Apoſtolus, vnicuiq; fidelium dari ſpiritum interpretandi ſcripturas: ſine ſpiritu autem interpretandi, nemo poteſt ſcripturam interpretari: quippe quæ Petro teſte 2. Epiſtola cap. 1. *omnis Prophetia* 2. Petri 1. *ſcriptura propria interpretatione non fit.* Cùm igitur iuxta hunc locum hic ſpiritus interpretandi ſcripturas non detur omnibus, & ex alia parte neſciamus, cui detur, certi eſſe non poſſumus, quiſnam illum habeat. Quapropter Lutherus apud Bellarminum lib. 3. Lutherus. Bellarm. de verbo Dei cap. 5. apertè in vno loco fatetur, de nullo priuato homine nos certos eſſe poſſe, an habeat reuelationem Dei: quamuis de Eccleſia nobis dubitare non liceat.

15. At obijcere poſſunt Hæretici 1. quoniam eodem citato capite, dicitur, vnicuique dari manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatẽ: licet igitur non vnicuique detur ſpiritus interpretandi ſcripturam omnibus, vnicuique tamen datur manifeſtatio ſpiritus ad propriam vtilitatem. Sed contrà, nam manifeſtatio ſpiritus ad propriam vtilitatem, non eſt interpretatio ſcripturæ ad propriam vtilitatem, ſed, vt Anſelmus interpretatur, *Do-* Anſelmus. *num gratiæ, per quod alijs manifeſtetur Spiritus ſanctus*: ſiue, vt Ambroſius exponit & Ambroſius. in idem recidit: *donum, quo Diuinis retinaculis vitam ſuam gubernans & ſibi, & alijs vtilis ſit, dum exemplum bonæ conuerſationis oſtendit.*

16. Obijcere poſſunt 2. nam ſcriptum Lucæ 11. *Pater veſter de Cœlo dabit ſpiritum* Luc. 11. *bonum petentibus ſe*: nec non Iacobi 1. *ſi quis* Iacob. 1. *indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.* Ergo quicunque hunc ſpiritum à Deo petiuerit, certus eſſe poterit, ſe illum accepturum. Sed contrà, tum quia non ſemper certi eſſe poſſumus, nos infallibiliter impetraturos, quod oratione petimus, eo quòd non ſemper eas conditiones in oratione adhibemus, quæ ad impetrandum neceſſariæ ſunt: tum quia, vt Auguſti- Auguſtin. nus docet tract. 102. in Ioannem, non quidquid petimus, infallibiliter conſequimur,

ſed

ſed quod tantùm ad beatam ſpectat vitam. Atqui ſpiritus interpretandi Scipturas non pertinet ad vitam beatam, cùm non pertineat ad gratiam gratum facientem, multi enim ſaluantur, qui hunc ſpiritum non habent; ſed ad gratiam gratis datam, quæ ad ſalutem neceſſaria non eſt. Tum maximè, quoniam cùm multi hunc ſpiritum petant, veluti Lutherani, Caluiniſtæ, Ariani, Anabaptiſtæ, quibus potiùs illum infundi credendum eſt? Caluiniſtæ contendunt ſibi verum Spiritum infundi, interpretandi illa verba: *Hoc eſt corpus meum* figuratè ac Tropicè: contrà verò Lutherani putant, verum ſibi Spiritum infundi, eadem verba interpretandi literaliter, non tamen permanenter, & per realem conuerſionē panis in corpus Chriſti, ſed tranſeunter, & cū reali permanentia ſubſtantiæ panis cum corpore Chriſti. Vtri ex his credendum verum infundi Spiritum? cùm nequeat ſanctus Spiritus eſſe inſpirator oppoſitarum contrariarumque ſententiarum; cùm nequeat eſſe inſpirator falſi, quod neceſſariò eſt admittendum inter contrarios oppoſitoſque ſenſus.

17. Quo argumento conuicti aliqui, apertè fatentur, vnumquemque in ſua Secta ſaluari. Sed hi in primis maximam iniuriam irrogant Spiritui ſancto, quem ſaltem in aliqua Secta falſi inſpiratorem faciunt; nec non impotentem, qui non poſſit verum Spiritum infundere, aut ſufficiens remedium ſuę Eccleſię dare verum Spiritum veramque legem cognoſcendi. Eiuſdem veritatis luce perſtrictus Lutherus, faſſus tandem eſt apud Bellarminum lib. 3. de Verbo Dei cap. 5. de nullo priuato homine certum eſſe poſſe, an habeat reuelationem Patris; de Eccleſia autem id nobis dubitare non licere. Sed vocem, quàm veritas vel ſemel ab ipſo coactè elicuit, odiū in Chriſti Eccleſiam intercluſit, vt non permitteret in reliquis ſuis ſcriptis tam apertam veritatem ad aures fidelium peruenire. *Lutherus. Bellarm.*

18. Secundò. Eadem veritas probatur, ex perpetua praxi Eccleſiæ, cui non acquieſcere *inſolentiſſima inſania eſt*, vt ait Auguſt. Epiſt. 118. ad Ianuarium: conſtat autem ſemper in dubijs Religionis recurſum eſſe, non ad priuatum Spiritum vniuſcuiuſque, vel ad Principes Sęculares, ſed ad ſummum Pontificē, & Præſides Eccleſiæ. Nam primò initio naſcentis Eccleſiæ in controuerſia illa, an Moſaïcæ ceremoniæ ſeruandæ eſſent à Chriſtianis recens à gentiliſſimo conuerſis, recurſum eſt nō ad priuatum Spiritum vniuſcuiuſque, vel ad Principes Politicos, ſed ad Apoſtolos, qui Concilio de hac re Ieroſolymis coacto, ſtatuerunt cum aſſiſtentia Spiritus ſancti, vt declarant illa verba Act. 15. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, eas ſeruandas non eſſe.* *Auguſt.* *Act. 15.*

19. Secundò. In dubio, an celebrandum eſſet Paſcha cū Iudæis, vel poſt illos ſequenti die Dominica proxima, recurſum non eſt ad Principes Politicos, & conuentum Sęcularem, ſed ad Pręſides Eccleſię: nam poſt multa Concilia de hac controuerſia habita determinatum tandem fuit à Victore I. Pontifice Romano Anno 198. vt celebraretur die Dominica proxima ſequenti, vt ex Apoſtolica traditione decreuerat antea Pius I. Anno 159. quin omnes illi, qui Victoris decretum acceptare noluerunt, tanquam hæretici ſunt habiti, & Quartodecimani appellati. *Victor.* *Pius I.*

20. Tertiò. In controuerſia à Nouato excitata, ſiue vt Hieronymus contra Iouinianum lib. 2. aliquanto poſt initium putat, etiam à Montano, an ſcilicet poſſent, poſt Baptiſmum lapſi, à peccatis abſolui, recurſum eſt ad Principes Eccleſiaſticos, definitumque à Cornelio in Cōcilio Romano Anno 255. poſſe & debere poſt Baptiſmum lapſos à peccatis abſolui. *Hieron.*

21. Quartò. Controuerſia illa diu in Africa, & Oriente, tempore Cypriani agitata, an rebaptizandi eſſent, qui ab hæreticis baptizati fuiſſent, poſt multa Concilia in Africa celebrata, deciſa tandem eſt à Stephano Pontifice Romano Anno 258. & hæretici habiti ſunt omnes, qui contrarium pertinaciter ſentiebant. *Stephanus.*

22. Quintò. Ad cognoſcendam examinandamque Arij hæreſim non eſt recurſum ad Principes Seculares, ſed ad Epiſcopos Eccleſiæ, qui trecenti octodecim in Concilio Nicæno congregati, præſidentibus legatis, nomine Syluestri Romani Pontificis, illam damnarunt Anno 325. Et quamuis in eo Concilio interfuerit Conſtantinus Imperator, is tamen non interfuit, vt ſuffragium ferret, vel cauſam propria ſententia definiret, aut legem vllam inconſultis Patribus ſtatueret, ſed, vt Euſebius apud Baronium Anno 325. teſtatur, *vt paci ſtuderet, faueret veritati, foueret concordiam, tumultus comprimeret, à veritate diſcrepantes reuocaret:* Quin, vt refert hiſtoria Nicæni Concilij appoſita initio eiuſdem Concilij, Imperator, ob ſuam in Epiſcopos reuerentiam, voluit eſſe infra Epiſcopos, nec ante ſedere, quàm Epiſcopi ipſi annuerent: cuius illa verba in eadem hiſtoria narrantur ad Epiſcopos Concilij directa: *Vos nobis à Deo dati eſtis Dij, & indecorum eſt, vt homo iudicet Deos.* *Concilium Nicænum.* *Euſebius. Baronius.*

23. Sextò. Ad iudicandam hæreſim Macedonij aſſerentis, Spiritum ſanctū eſſe creaturam, non eſt recurſum ad Principes Seculares, ſed Antiſtites Eccleſiæ, qui centum quinquaginta Epiſcopi, authoritate Damaſi Pontificis Conſtantinopoli congregati, illam damnarunt Anno Domini 381. Pontificatus Damaſi 15. *Damaſus.*

24. Septimò. Ad examinandam Pelagij hæreſim non fuerunt vocati Principes Politici, ſed Prælati Eccleſiaſtici, qui primùm in Palæſtina, tum in Romana Synodo, poſtremo in Carthaginenſi ac Mileuitano Concilio illam damnarunt, ſub Innocentio I. & Zoſimo Romanis Pontificibus Anno Domini 415. & 418. *Innocent. Zoſimus.*

25. Octauò. Ad diſcutiendos errores Neſtorij, & Eutychetis non fuerunt admiſſi Iudices Seculares, ſed Eccleſiaſtici, qui prio-

Digitized by Google

Cæleſtinus. rem in Concilio Epheſino primo ſub Cœleſtino I. Anno 430. ipſius vicem in Concilio gerente Cyrillo Epiſcopo Alexandrino, vt conſtat ex Epiſtola Cœleſtini ad eum miſſa, quæ habetur in primo tomo Concil. in vita & decretis Cœleſtini I. Poſteriorem damnarunt in Concilio Chalcedonenſi Anno 449. præſidentibus legatis Leonis I.

26. Nonò ad damnandam Hæreſim Monothelitarum non ſunt admiſſi Principes ſeculares, ſed Eccleſiæ Præſides. Nam 1. illa damnata eſt à Seuerino Papa Anno 639. *Seuerinus.* 2. à Ioanne IV. Anno 640. *Ioannes IV.* 3. à Synodo Cypria ſub Theodoro Papa Anno 643. *Theodorus* 4. à Martino I. in Concilio Lateranenſi Anno 649. *Martinus I.* & ab alijs Concilijs tum in Italia, tum in Africa, tum in Gallia, & Anglia congregatis. Vltimò damnata fuit à ſexta Synodo Generali Conſtantinopoli coacta ſub Agathone, *Agatho.* vicem ipſius gerentibus Ioanne Epiſcopo Portuenſi, Abundantio Paternenſi, & Ioanne Regitano Anno 680. in qua Synodo etſi interfuit Conſtantinus Imperator, is tamen non interfuit vel ad ſuffragium ferendum, vel ad ſententiam examinandam, vt conſtat tum ex ipſius ſubſcriptione, in qua tantùm fatetur, ſe legiſſe & conſenſiſſe ijs, quæ fuerunt à Synodo definita & declarata. Verba autem ipſius ſubſcriptionis ſunt hęc: *legimus & conſenſimus.* Tum ex reſponſione eiuſdem ad Synodum poſt Patrum acclamationes, quæ habetur actione 18. in qua reſponſione teſtatur, ſe Patres inuitaſſe ad examinandas Scripturas, antiqua Concilia, & ſtatuta maiorum, vt iuxta ea fides Catholica ſtabilis & intemerata permaneat.

27. Decimò. Ad confutandum errorem Iconomachorum à Leone Iſaurico Imperatore excitatum, & à Copronymo eius filio pertinaciter defenſum, non fuerunt acciti Principes ſeculares, ſed trecenti quinquaginta Epiſcopi, qui in ſeptima Synodo Nicææ celebrata, *Adrianus I.* præſidentibus legatis Adriani primi Pontificis Romani, Conſtantino, & Irene Imperantibus, perpetuo anathemate damnarant Anno 787. Conciliabulumque à Copronymo Conſtantinopoli ad hunc eundem errorem confirmandum coactum, irritum illegitimumque declararunt.

28. Vndecimò. Ad Berengarij hæreſim confutandam non ſunt cōuocati Iudices Politici, ſed Eccleſiaſtici: nam bis eam damnauit Leo nonus, *Leo.* ſemel in Synodo Romana, iterum in Vercellenſi, ipſo Pontifice præſidente Anno 1050.

29. Duodecimò. Damnata eſt hæreſis Petri Abailardi Anno 1140. non à Politicis Principibus, ſed ab Epiſcopis in Cōcilio Rhemenſi ſub Innocentio II. *Innoc. II.* item damnatus eſt error Gilberti Porretani Epiſcopi Pictauienſis, nec non aliorum complures hęreſes in alio Concilio Rhemis coacto, ſub Eugenio III. *Eug. III.* Anno 1148.

30. Decimo tertiò. Damnatus eſt error Abbatis Ioachimi, & Almarici, non à Principe aliquo Politico, vel à conuentu ſeculari, ſed ab Innocentio III. *Innoc. III.* in Concilio generali Lateranenſi quadringentorum duodecim Epiſcoporum Anno 1215.

31. Decimo quartò. Confutati ſunt errores Græcorum à Romanis Pontificibus Gregorio X. *Greg. X.* in Conciliò Lugdunenſi Oecumenico Anno 1274. & ab Eugenio IV. *Eugen. IV.* in generali Synodo Florentina Anno 1439.

32. Decimò quintò. Examinati & damnati ſunt errores Petri Ioannis, nec non Beguardorum & Beguinarum à Romano Pontifice Clemente V. *Clemens V.* in Concilio Viennenſi generali Anno Domini 1311. in quo & Templariorum Religio extincta eſt, propter eorum nefanda vitia atque hæreſes.

33. Decimo ſextò. confutati ſunt errores Ioannis Wicleffi & Ioannis Huss, nec non Hieronymi à Praga à Martino V. *Martinus V.* Summo Pontifice in Concilio generali Conſtantienſi Anno 1418.

34. Decimo ſeptimò. Demum errores Lutheranorum & Caluiniſtarum examinati & damnati ſunt à Concilio Tridentino, inchoato ſub Paulo III. *Paulus III.* abſoluto & confirmato à Pio IV. *Pius IV.* Anno 1564.

35. Quòd ſi authoritatem huius, aliorumque Conciliorum, propterea quòd minùs antiqua videntur, hæretici non admittunt, opponimus illis antiqua Concilia ab ipſis admiſſa, in quibus, vt oſtendimus, non minùs quàm in recentioribus iudices controuerſiarum ad Religionem ſpectantium, fuerunt Eccleſiaſtici. Sic enim de antiquis Concilijs ſcribit Caluinus *Caluinus.* in ſuis Inſtit. cap. 8. de fide n. 154. *Veneror ea ex animo, ſuoque in honore apud omnes eſſe cupio:* Vnde ſi recentiora Concilia ideo non probant, quia, vt idem Caluinus ait, n. 155. ea *non contenta Scripturæ oraculis, hoc eſt vnica perfecta ſapientiæ Regula, de ſuo capite nouum aliquid comminiſcuntur:* cur antiqua admittunt, quæ ſacris imaginibus debitum cultum exhibendum decernunt, quem ipſi, quia in Scripturæ oraculis non continetur, negant eſſe exhibendum? cur eadem antiqua Concilia admittunt, quę corpus & ſanguinem Chriſti in ſacro altari poſt conſecratoria verba, non in figura, vt Caluinus, & Oecolampadius blaterant, ſed quoad ſubſtantiam contineri docent? vt expreſsè habetur in Concilio Epheſino *Conc. Epheſ.* in Epiſt. Cyrilli ad Neſtorium ab ipſo Concilio approbata. Tandem dicant nobis iſti nouelli hæretici, id quod Maximino Ariano Epiſcopo obiecit Auguſtinus *Auguſt.* lib. 3. contra ipſum cap. 3. in quo loco Scripturæ legitur, *Deus Pater ingenitus & innatus?* & tamen tanquam dogma fidei creditur vel ab ipſiſmet aduerſarijs. Poteſt igitur aliquid diuina fide credi, quod in ſacris Scripturis non exprimitur. Ex quibus manifeſtè apparet, eos non alia de cauſa recentiora Concilia non admittere, niſi quia in eis ipſorum errores confutantur. Cùm aliàs ipſi nequeunt vel vnicum Concilium proferre, in quo oſtendant controuerſias Religionis à Principibns ſecularibus declaratas definitaſque fuiſſe.

36. Eandem

36. Eandem veritatem confirmat authoritas multorum Imperatorum, qui expreſsè faſſi ſunt, non eſſe Secularis Principis de rebus Religionem ſpectantibus iudicare. Aurelianus Imperator, vt eſt apud Baronium *Baronius.* Anno Chriſti 272. cùm controuerſia eſſet inter Paulum Samoſatenum & Catholicos, cui Epiſcopalis domus tribuenda eſſet, cumque lis hæc lata eſſet ad Imperatorem, reſpondit quamuis Ethnicus, ei domum tribuendam eſſe, cui vrbis Romæ Epiſcopi tribuendam eſſe iudicarent. Conſtantinus, vt ſuprà vidimus, nefas & indecorum iudicauit, Politicum Principem de rebus Religionis iudicare. Gratianus Imperator ſcribens ad Synodum Aquileienſem: *Neque controuerſia dubia,* inquit, *ſententia rectius poterant expediri, quàm ſi obortæ altercationis in interpretes ipſos conſtituiſſemus Antiſtites, vt videlicet à quibus proficiſcuntur inſtituta Doctrinæ, ab eiſdem diſcordis eruditionis repugnantia ſolueretur.* Quæ Imperatoris verba ſic interpretatus eſt *Ambroſ.* B. Ambroſius, qui in eo Concilio partes egit Catholicorum contra Palladium & Secundianum Arianos, propter quos fuerat Concilium coactum: *Ecce quod Chriſtianus conſtituit Imperator. Noluit iniuriam facere Sacerdotibus: ipſos interpretes conſtituit Epiſcopos.* Hæc eadem leguntur in ipſis Actis Concilij paulò poſt initium: quod Concilium *Concilium Aquileienſe.* habetur in 1. Tomo Concil. pag. 545. ſub Damaſo Papa.

37. *Octaua Synodus.* Baſilius Imperator in octaua Synodo in fine actionis decimæ ſic loquitur: *De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quàm qui abſolutè conuerſamini, quid amplius dicam non habeo, quàm quia nullo modo vobis licet de Eccleſiaſticis cauſis ſermonem mouere. Hoc enim inueſtigare & quærere, Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum eſt, qui Regiminis officium ſortiti ſunt, qui ſanctificandi, qui ligandi, & ſoluendi poteſtatem habent: qui Eccleſiaſticas & cœleſtes ſunt adepti claues: Non noſtrum qui paſci debemus, qui ſanctificari, qui ligari, vel à ligamento ſolui egemus. Quantacunque enim Religionis & Sapientia laicus exiſtat, vel etiam ſi vniuerſa virtute interiùs polleat, donec laicus eſt, ouis vocari non deſinet: rurſumque quantacunque Epiſcopus ſit irreuerentia, & irreligioſitate plenus, & nudus omni virtute, donec Antiſtes eſt, & veritatis verbum rectè prædicauerit, Paſtoris mentionis, & dignitatis damna non patietur. Quæ ergo nobis ratio eſt in ordine ouium conſtitutis, Paſtores verborum ſubtilitate diſcutiendi, & ea quæ ſuper nos ſunt, quærendi & ambiendi? oportet nos cum timore & fide ſyncera hos adire, & à facie eorum vereri, cum ſint Miniſtri Domini Omnipotentis, & huiuſmodi formam poſſideant: & nihil ampliùs, quàm quæ ſunt noſtri Ordinis, requirere.* Hæc pijſſimus Imperator, qui inſanos appellat eos, qui in dignitate Eccleſiaſtica non conſtituti audent in rebus ad Religionem pertinentibus ſe immiſcere.

38. De Valentiniano Seniore hæc ſcribit Ambroſius in Epiſtola 32. ad Valentinianum *Ambroſius.* Iuniorem, Valentiniani Senioris filium: *Pater tuus Deo fauente vir maturioris æui dicebat: non eſt meum iudicare inter Epiſcopos.* Quin hanc ipſam veritatem non voce tantùm, ſed legibus etiam publicis ab Imperatore ſancitam fuiſſe teſtatur ibidem Ambroſius.

39. Fruſtraneum eſſe arbitror, hanc eandem veritatem Sanctorum Patrum teſtimonijs comprobare, cùm omnes tam Græci, quàm Latini ita in eam defendendam conſpirent, vt tanquam in Eccleſia Dei inauditum proclament, laicos de rebus fidei iudicare. Legatur inter alios Athanaſius Epiſtola ad ſolitariam vitam agentes, ibi inauditum à condito ſeculo pronuntiat, Imperatorem, aut vllum Politicum Principem de rebus ad Religionem ſpectantibus vnquam ſententiam tuliſſe. *Athanaſ.*

40. Quartò igitur & vltimò probatur hæc ſententia ratione. Aliquis Iudex in Eccleſia neceſſarius eſt, qui authoritatem habeat dirimendi controuerſias, quæ de rebus fidei ad ſalutem ſpectantibus oriri ſolent. Hic autem eſſe non poteſt Scriptura ſacra, vel priuatus vniuſcuiuſque Spiritus, aut Princeps aliquis Politicus: ergo erit Eccleſiaſticus, qui à Deo immediatè authoritatem habeat declarandi verum ſenſum ſacræ Scripturæ. Conſequentia conſtat à partium enumeratione, cùm nullus alius in rebus fidei decidendis Iudex eſſe poſſit. Maior videtur ipſo lumine naturæ nota, cuius ductu omnis benè ordinata Reſpublica aliquem ſibi Iudicem eligit, qui emergentes lites, ad bonum commune ſpectantes, propria authoritate dirimat. Cùm igitur Eccleſia ſit à Chriſto rectiſſimè ſapientiſſimeque ordinata, habere debet aliquem Iudicem, qui emergentes de rebus fidei ad ſalutem ſpectantes controuerſias dirimere valeat.

41. Minor, in qua tantùm cum aduerſarijs eſt nobis controuerſia probatur primò quoad primam partem: tum quia in omni benè ordinata Republica, præter leges ſcriptas, eſt aliquis animatus Iudex, cuius munus ſit leges interpretari, & iuxta legum interpretationem ſententiam ferre. Tum quia interdum lex ſcripta eſt obſcura, & ambigua, multorumque capax ſenſuum, vt patet ex tot interpretationibus, quibus plerumque vna eademque propoſitio à Doctoribus explicatur, vt conſtat non ſolùm inter nos & hæreticos, ſed inter hæreticos ipſos, qui eadem ſacræ Scripturæ verba in varios contrarioſque ſenſus explicant, vt notare eſt in multis ſacræ Scripturæ locis, Ariani, & Neſtoriani verba illa: *Ego & Pater vnum ſumus,* explicant ſecundùm vnitatem affectus & voluntatis: reliqui etiam hæretici, contra quos diſputamus, ſecundùm vnitatem naturæ. Sabelliani verba illa: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti:* intelligunt ſecundùm diuerſa munia & officia, quæ Deus ad extra operatur, reliqui etiam hæretici ſecundùm

realem Diuinarum perſonarũ diſtinctionem. Anabaptiſtę verba illa, *Baptizantes eos* &c. &, *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto:* interpretantur ſolùm de adultis, excluſis paruulis, quos Baptiſmi capaces eſſe negant. Zuingliani & Caluiniſtæ verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, intelligi volunt figuratè ac Tropicè; reliqui literaliter & ſubſtantiuè. Ex quibus manifeſtè apparet, pręter Scripturam, neceſſarium eſſe aliquem alium Iudicem, qui à Deo poteſtatem habeat illam iuxta verum ſenſum à Spiritu ſancto intentum interpretandi: niſi velimus vel abſurdiſſimè concedere, Eccleſiam manere perpetuò dubiam & perplexam in rebus ad ſalutem pertinentibus, vel impiè aſſerere, vnumquemque ſaluari poſſe iuxta ſuam Sectam, & propriam explicationem, quã de rebus fidei ſibi fingit.

42. Probatur 2. quoad poſteriorem partem: tum quia Iudex debet eſſe certus & notus omnibus, qui de fidei controuerſijs certificãdi ſunt. Spiritus autem proprius ad ſummum innoteſcit tantùm illi, qui talem Spiritum habet. At quo pacto de ijſdem Religionis controuerſijs certificabuntur Idiotę & ruſtici, qui Spiritum interpretandi Scripturã non habent? Per eos, inquies, qui illũ habent. At ſępe hi, vt vidimus, contrarias habent de rebus fidei ſententias. Quorum igitur tunc Idiotæ tenebuntur ſequi ſententiam? tum quia, vt demonſtratum eſt, & experientia apertè docet, ſępe ipſimet hęretici in contrarias diſtrahuntur opiniones: cùm igitur certum ſit, Spiritum ſanctum non poſſe oppoſitorũ ſenſuum eſſe inſpiratorem, quęnam ex duobus contraria ſentientibus credẽdum erit verum habere Spiritum? Confirmatur, nam hic modus eſt alienus à conſueto ordine, quo Deus vtitur cũ ſuis creaturis intellectualibus, quas non immediatè & per ſeipſum, ſed per alias inſtruere ſolet. Quem ordinẽ non modò ſeruat cum hominibus, vt experientia, & ſacræ literæ teſtantur, ſed etiam cum Angelis, quorum inferiores inſtruit & illuminat per ſuperiores, vt communis Sanctorum Patrũ, pręſertim Areopagitæ ſententia fert, & nos fusè oſtendimus 2. Tomo de Angelis diſp. 16. ſect. 1. Eſt enim hic modus magis accõmodatus homini, & minùs ſubiectus illuſioni, aptiorque ad virtutes exercendas.

Dionyſius Areopag.

43. Probatur 3. quoad poſtremam partem: Nullus Princeps Politicus poteſt ſe extendere vltra ſuam poteſtatem. Atqui nullius Politici Principis poteſtas poteſt ſe extendere ad iudicanda & definienda ea, quæ ſupernaturalem fidem concernunt. Maior claret naturæ lumine, cùm nulla potentia vim habeat attingendi, quę ſunt extra ſuam Sphæram: alioqui eſſet potentia, cùm ſupponatur ea attingere poſſe; & non eſſet potentia, cùm ad ea propria virtute non ſe extenderet. Minor, in quã tantùm eſt cum hęreticis nobis controuerſia, probatur: nam Princeps Politicus ad ea tantùm ſe extendit, in ordine ad quæ poteſtatem accipit: atqui poteſtatem tantùm accipit ad conſeruandum ſua authoritate publicum bonum & tranquillitatem Reipublicæ. Cùm enim ſuam poteſtatem Secularis Princeps accipiat ab ipſa Republica, cumque Reſpublica aliam poteſtatem conferre non poſſit, quàm ad bonum Politicum conſeruandum, non poterit Secularis Princeps vltra hunc finem, & media huic fini proportionata ſe extendere. Poteſtas autem iudicandi de rebus fidei eſt ſupernaturalis, per ſe ordinata ad finem ſupernaturalem, quæ eſt ſalus æterna hominum: ergo eſſe debet ab authore ſupernaturali, qui illam conferre valeat; qui non eſt, niſi Deus, qui illam immediatè confert, non Reipublicæ Politicæ, ſed ordini Eccleſiaſtico: alioqui ſi illam contuliſſet Politicæ Reipublicæ, fruſtrà inſtituiſſet ordinem Eccleſiaſticum à Politico diſtinctum. Quòd autem ordo Eccleſiaſticus ſit à Politico diſtinctus, non ſolùm eſt certum ex nouo teſtamento, vt patet ex 1. Corinth. 12. & Epheſ. 4. vbi Apoſtolus numerãs membra Eccleſiaſtici corporis, nullam mẽtionem facit Principum Secularium, ſed etiam ex veteri, in quo ordo Leuitarum & Sacerdotum, qui curam habebant de rebus Diuinis ad Religionem ſpectantibus, erat diſtinctus à Politico, vt ex ſuprà allatis teſtimonijs conſtat.

1. Cor. 12. Epheſ. 4.

44. Confirmatur: nam fides debet eſſe vna reſpectu totius Eccleſiæ. Non poſſet autem conſeruari vna reſpectu omnium, ſine aliqua regula viua infallibilis authoritatis in explicandis & proponendis ijs, quę ex doctrina Chriſti & Apoſtolorum tradenda ſunt fidelibus: ergo talis regula neceſſaria eſt. Minor probatur: quia vbi non eſt euidentia veritatis, nequeunt diuerſi intellectus variè diſpoſiti in eundem ſenſum infallibiliter conſpirare: ſed multa ſunt in ſacra Scriptura difficilia, ambigua, Trópologica, quæ trahi poſſunt in contrarios ſenſus: ergo niſi ſit aliqua regula animata, quæ ex promiſſione diuina authoritatem habeat attingendi verum ſenſum, eumque fidelibus proponendi certa fide credendum, non poterit fidei vnitas in Eccleſia conſeruari. Maior conſtat: nam talis eſt natura noſtri intellectus, vt vbi non fuerit euidentia veritatis apertè conuictus, varios de eadem re eliciat aſſenſus, iuxta varia motiua, quæ ſibi occurrunt, vt patet in ipſis hæreticis, qui quoniam vſum huius regulæ non admittunt, in ijſdem rebus ad Religionem ſpectantibus inter ſe contrarij ſunt. Ergo niſi fideles dirigantur aliqua regula animata infallibili, non poterunt in ijs, quæ ad Religionem ſpectant, vnitatem ſeruare. Legatur Auguſtinus 18. de Ciuitate cap. 41. Minor etſi ab hæreticis negetur, qui contendunt omnia, quæ ad fidem & Religionem ſpectant, clarè in Scriptura contineri, conſtat manifeſta experientia non modò doctiſſimorum virorum, qui affirmant multa ſe non intelligere, propter quod Petrus ſecunda Epiſtola cap. 3. aſſerit, in ea eſſe quædam intellectu difficilia, ſed ipſorummet hæreticorum, vt ſuprà oſtendimus.

Auguſt.

2. Petri 3.

Vnde

Bellarm. Vnde refert Bellarminus lib. 1. de Sacramento Euchariſtiæ cap. 8. in illa ſola verba, *Hoc eſt corpus meum*, legi ducentas interpretationes in quodam libello edito Anno 1577.

45. Confirmatur 2. Certum eſt, etiam per ipſos hæreticos, adhuc Chriſtum ſuam gubernare Eccleſiam, à qua licet abſit viſibili præſentia, adeſt tamen Imperio, Matth. vlt. (Matth. vlt.) *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra: & ero vobiſcum vſque ad conſummationem ſæculi.* Atqui illam non gubernat Chriſtus immediatè per ſeipſum; ergo per aliquem ſui Vicarium, qui vices ipſius gerat in terris, qui ſanè alius eſſe non poteſt, quàm vel vnus aliquis homo inter nos viuens, vel vniuerſa congregatio Eccleſiæ cum infallibili aſſiſtentia Spiritus ſancti in definiendis rebus ad Religionem ſpectantibus. Igitur præter Scripturas & traditiones, datur regula viua viſibilis Magiſtra veritatis, quæ in definiendis rebus fidei errare non poſſit. Minor prioris Syllogiſmi probatur, tũ quia neque in principio Eccleſiæ, quando minùs videbatur neceſſarium ob paucitatem fidelium, Chriſtus per ſeipſum immediatè exercebat hoc Regimen, ſed per Petrum, eiuſque ſucceſſores tanquam per ſui Vicarios, & Supremos Eccleſiæ Paſtores: ergo idem dicendum eſt nunc. Antecedens admittunt hæretici, & apertè conſtat ex ſacra Scriptura, in qua leguntur homines mitti ad homines de rebus fidei inſtruendi, vt Cornelius ad Petrum, Paulus ad Ananiam, (Oecumenius.) quem Oecumenius docet fuiſſe Diaconum vnum ex ſeptuaginta Chriſti Diſcipulis, (August.) Auguſtinus lib. 2. Euangelicarum quæſtionum quæſt. 40. Sacerdotem, (Dorotheus.) Dorotheus Damaſci Epiſcopum; Eunuchus ad Philippum vnum ex ſeptem Diaconis ab Apoſtolis electis. Cõſequentia verò patet, quia non conſtat, nunc variatum eſſe Eccleſiæ Regimen, cùm tamen conſtare deberet, cùm ſit res grauiſſima. Ex alia verò parte maior eſt neceſſitas nunc huius regulæ animatæ viſibilis, ob maiorẽ multitudinem fidelium, & plures circa res fidei exortas controuerſias. Reliqua prioris Syllogiſmi clarent. Vltima autem cõſequentia poſterioris Syllogiſmi probatur: quia cùm Vicarius faciat vnum cum principali, tanquam inſtrumẽtum cum ſua cauſa principali, quidquid agit Vicarius vt Vicarius, tribuitur principali: ergo ſi erraret Vicarius Chriſti, talis error tribueretur Chriſto, tanquam principali gubernanti. Vt igitur nõ erret Vicarius Chriſti in iis, quæ agit vt Chriſti Vicarius, debetur illi infallibilis aſſiſtentia Spiritus ſancti. Datur igitur in Eccleſia regula animata viſibilis infallibilis authoritatis, quæ ſit Magiſtra veritatis, & ex ſpeciali aſſiſtentia Spiritus ſancti errare non poſſit in proponendis definiendiſque rebus fidei.

46. *Obiicies* 1. Vel hæc regula animata in definiendis rebus fidei non eget aliis regulis fidei, & ſic reliquæ erunt ſuperfluæ: vel eget, & tunc ipſa non erit regula, ſed potiùs regulata, cùm nequeat ſine regula dirigere.

47. Reſpondeo indigere regulis traditis & ſcriptis, cùm ipſa non ſit regula per eſſentiam, vt eſt Deus; neque per nouas & immediatas reuelationes, vt Prophetæ & Apoſtoli, ſed per infallibilem dumtaxat interpretationem earum, quæ hactenus Eccleſiæ factæ ſunt. Vnde dicitur tantùm ſuprema in proponẽdo: inter quam, & reliquas hoc intereſt, quòd reliquæ continent obiectum credendum fide Diuina, ſolumque egent ſufficienti applicatione: hæc tantùm proponit & definit quodnam ſit obiectum credendum. Atque in hoc ſenſu habet aſſiſtentiã Spiritus ſancti, ne erret in proponendo vnum pro alio.

48. *Obiicies* 2. Si Iudex iſte animatus in definiendis rebus fidei prærequirit regulam Scripturæ, vel traditionis, prærequirit illam ſufficienter propoſitam: Atqui hoc modo illæ etiam ſine definitione Iudicis animati ſunt regulæ infallibiles, obligantes fideles ad credendum fide Diuina, quod ipſæ proponunt: igitur ad hunc effectum ſuperflua eſt regula animata. Maior conſtat, quia regula non poteſt exercere munus regulæ, niſi ſit certa, quia non regulat niſi prudenter cognita vt talis, alioqui facilè falli poſſet regulandus, vna regula pro alia vtendo. Minor probatur, tum quia ſola Scriptura & traditio ſufficienter propoſitæ, ſunt infallibiles regulæ obligantes fideles ad credendas res fidei: tum quia ipſamet Scriptura & traditio ſufficienter propoſitæ, ſunt regula, qua Iudex ipſe animatus dirigendus eſt in proponendis rebus fidei: ergo ante definitionem ipſius ſupponuntur regulæ infallibiles obligantes fideles ad credendum, quod ipſæ proponunt.

49. Reſpondeo omninò concedendum eſſe, Iudicem animatum in proponendis definiendiſque rebus fidei requirere Scripturæ & traditionis regulam ſufficienter propoſitam, cùm Spiritus ſanctus illi non aſſiſtat, niſi more humano, præuia diligenti conſultatione Doctorum: quamuis de fide etiam ſit, nunquam Deum permiſſurum ſuum Vicarium ad res fidei definiendas accedere abſque præuia diligentia, quia qui abſolutè promittit finem, implicitè etiam promittit media ad finem neceſſaria. Ad minorem, negandum eſt, de facto Scripturam vel traditionem obligare fideles ad eas fide Diuina credendas ante Pontificis declarationem: idque non ex natura ipſarum, cùm ex ſe habeant ſufficientia motiua, quibus independenter à definitione Põtificis ſint euidenter credibiles, & fideles obligare poſſint ad eas fide Diuina credendas, ſi diligenter eorum motiua perpendantur; ſed ex voluntate Dei, nolentis de facto ad eas obligare, niſi vt propoſitas per ſuum Vicarium, ad euitandos errores, & Schiſmata, quæ inter fideles in iis dijudicandis eſſe poſſent: quo fit vt ipſæ valeant Pontificem dirigere per modum applicantis, quia ſupponuntur habere ſufficientia motiua, quibus Põtificem inducant ad eas de fide proponendas, etſi non ſupponantur actu obligantes. an verò obligare poſſent Pontifi-

cem, vt eas de fide proponat, coniectandum eſt ex grauitate & neceſſitate materiæ, & ex pluribus, aut ex paucioribus ſignis credibilitatis, quæ in ſe continent.

50. *Obijcies* 3. Talis regula animata viſibilis non videtur poſſibilis: quia cùm ſit creata, non poteſt huiuſmodi authoritatem habere ex ſe, ſed à Deo; neque ipſa poterit de ſeipſa teſtari, quòd talem authoritatem habeat à Deo, cùm ipſius teſtimonium non ſit infallibile: proinde alia regula erit neceſſaria ad illam cognoſcendum: quæ rurſus, quoniam creata eſt, eandem habebit difficultatem.

51. Reſpondeo negando antecedens: ad cuius probationem dico, talem authoritatem habere à Deo ex ſpeciali aſſiſtentia Spiritus ſancti. Negandum autem eſt, ipſam de ſeipſa teſtari, quòd talem habeat à Deo authoritatem, ſed id euidenter colligi per euidentiam credibilitatis ex traditione, Scripturis, communi conſenſu totius Eccleſię, & ex peculiari prouidentia, quam Chriſtus habet de ſua Eccleſia. Cùm enim Deus permittere non poſſit, vt res falſa tot ſignis & teſtimonijs firmata, authoritate ipſius, in detrimentum totius Eccleſiæ, credenda proponatur fide Diuina, neceſſariò aſſerendum erit, dari huiuſmodi regulam viuam infallibilis authoritatis apud nos. Etenim ſi Deus permittere poſſet rem falſam tot ſignis euidenter credibilem, propter ipſius authoritatem vniuerſæ Eccleſiæ credendam proponi, obligaret nos ad oppoſitum, quod intendit: intendit enim nos obligare ad veram fidem: ex alia verò parte ſi permittere poſſet rem falſam tot ſignis euidenter credibilem vniuerſę Eccleſiæ ſua authoritate credendam proponi, lege naturali nos obligaret ad eam ſequendam: ſiquidem lege naturali obligamur ad ſequendum rectum dictamen rationis. Dicere autem, quòd ſolùm obligamur, ad ſequendam fidem, quam putamus veram, eſt tollere veram fidem de Eccleſia Chriſti, & ſpecialem prouidentiam, quam Deus habet de ſua Eccleſia; nec non cum Mahumeto fateri, vnumquemque in ſua Secta ſaluari poſſe: nam vnuſquiſque tuta conſcientia ſequi poſſet ſuam Sectam, quam putaret veram. Quòd autem talis regula animata ſit fide diuina credenda, conſtat ex dictis: nam quotieſcunque aliquid proponitur authoritate diuina credendum ea euidentia credibilitatis, cui naturaliter non poſſit ſubeſſe falſum, ſine dubio fide diuina credendum eſt: eo quòd non poſſumus ſpectato modo, quo Deus nobis fidem credendam proponit, maiorem euidentiam de obiecti fidei credibilitate habere: ac proinde tenetur Deus, ne res falſa cum tanta euidentia credibilitatis proponatur, præſertim quando per aliam regulam ſuperiorem eius falſitas diſcerni nequit. Vnde ad argumentum in forma, concedo hanc regulam animatam probari per aliam creatam: nego tamen illam eſſe fallibilem, quoniam ex peculiari prouidentia tenetur Deus illã reddere infallibilem, eique aſſiſtere, ne illi falſum ſubſit.

52. *Obijcies* 4. Ex traditione & Scriptura probatur hæc regula rurſus teſtimonio huius regulę probatur traditio & Scriptura: ergo committitur vitioſus circulus in eodem genere probationis: & virtute idem probatur per idem.

53. Reſpondeo negando conſequentiam. Etenim dupliciter ſumi poſſunt traditio & Scriptura, vno modo vt approbatæ infallibili iudicio ipſius regulę animatæ, quo pacto ſunt authoritatis diuinæ, & credendæ fide infuſa: hoc autem modo à nobis non ſumuntur ad probandam infallibilem authoritatem regulæ animatę; ſic enim ſupponerent illam iam infallibilem, à qua & ipſę approbatæ infallibilitatem haberent quoad nos: ac proinde illam probare nõ poſſent qnoad infallibilitatem, quam ſupponerent, cùm nulla probatio ſupponat, qud eſt ipſa probatura: ſicut nulla cauſa ſupponit effectum, quem eſt ipſa productura. Alio modo ſumi poſſunt traditio & Scriptura vt teſtatæ ſignis & rationibus humanis, vt quòd Scriptura ex prædictione futurorum, ſeipſam veracem oſtendat: quòd Deus tanto tẽpore illam incorruptam inuiolatamque ſeruauerit: quòd traditio ſit tamdiu ab vniuerſa Eccleſia ſeruata, & à tot ſapientiſſimis viris habita & atteſtata vt regula à Chriſto, vel Apoſtolis tradita: quo pacto ſunt authoritatis humanæ, & credendæ fide acquiſita. Atque hoc modo ſumuntur ad probandam regulam animatam: ſic enim non ſupponunt illam infallibilem quoad nos, à qua & ipſæ infallibilitatem diuinæ authoritatis quoad nos ſumunt, ſed aliunde ſupponuntur infallibilis authoritatis, non quidem diuinæ, ſed humanę, talis tamen, cui ex adiuncta prouidentia, quam Chriſtus habet de ſua Eccleſia, quam proprio ſanguine fundauit, non poſſit ſubeſſe falſum, ac proinde ſufficientis ad obligandos fideles ad talem regulam animati iudicis fide diuina credendam. Nam tali modo & euidentia credibilitatis illa nobis credenda proponitur, vt non poſſit ſpectato modo, quo reliqua Myſteria fidei nobis Deus credenda proponit, euidentiori credibilitate, & modo homini magis accommodato proponi. Atque hoc modo vitatur circulus, & efficaciter probatur vna per aliam in diuerſo genere probationis. Nam traditio & Scriptura hoc modo ſumptæ probant infallibilitatem iudicis animati, per modum conditionis applicantis obiectum credibile fide diuina, tali applicatione, cui non poſſit ſubeſſe falſum ex ſpeciali aſſiſtentia Spiritus ſancti.

54. Inſtabis. Vtraque probatio procedit per modum conditionis applicantis obiectum fidei: ergo vtraque procedit in eodem genere probationis. Non inficior, quòd argumentum proponit: verùm vna procedit per euidentiam crebibilitatis ex ſignis & rationibus humanis, cui ex ſpeciali Dei prouidentia non poteſt ſubeſſe falſum; altera per certitudinem fidei, ex teſtimonio diuino immediatè, cui falſum ſubeſſe non poteſt ex ſpeciali aſſiſtentia Spiritus ſancti.

55. *Obijcies*

Digitized by Google

55. *Obijcies* 5. Ad credendum aliquid fide diuina non eſt neceſſarium, vt proponens ſit infallibilis authoritatis, nam plerumque res fidei proponuntur ab ijs, qui talem authoritatem non habent, cùm tamen obligemur ad eas credendas fide diuina: ergo ad hunc effectum non eſt neceſſaria infallibilis authoritas res fidei proponendi, alioqui ſine illa nunquam res fidei ſufficienter proponerentur.

56. Reſpondeo duplicem diſtinguendo proponentem: alter eſt, qui proponit propria authoritate, definiendo id quod proponit: alter, qui proponit authoritate alterius, referendo tantùm, quod alter credendum decreuerit. Cæterùm etſi ad credendum aliquid fide diuina, neceſſum non ſit, vt ſecundus proponens ſit infallibilis authoritatis, quia ſufficit, vt tantùm ille ſit infallibilis authoritatis, in cuius authoritate proponitur: eſt tamen neceſſum, vt ſit infallibilis authoritatis primus proponens: quia cùm primus non proponat in authoritate alterius, ſed propria, niſi ipſe ſit infallibilis authoritatis, ſemper dubium eſſe poterit, an verùm ſit, quod proponit.

57. Dices. Neque primus proponens proponit authoritate propria, ſed Dei, cuius teſtimonium credendum proponit. Sed contrà, quia licet ipſe ſupponat teſtimonium Dei, quod proponit, non tamen ſupponit ipſum certum quoad nos; proinde in proponendo illud definitè ſequendum, proponit illud authoritate propria ſibi à Deo communicata, ſine qua authoritate fidei vnitas ſeruari non poſſet, quia cùm multa in ea ſint non ita euidenter credibilia, ſi non eſſet aliquis iudex animatus, qui ea infallibili authoritate determinare poſſet, daretur in rebus fidei locus opinionibus humanis, vt quiſque ea crederet, quæ ſibi probabiliora viderentur; ex quo multa ſequerentur ſchiſmata.

58. Vrgebis, idem dubium fieri poſſet de ipſa regula animata, ſiquidem illa non proponitur per aliam regulam infallibilem, ſed per ſigna tantùm credibilitatis; ſed hæc eadem ſigna ſufficere poſſent ad applicandum de fide credendum, quod regula ipſa animata proponit: ergo. Sed contrà, quia ſigna credibilitatis, quæ nobis animatam regulam fide diuina credendam proponunt, ſunt adeo euidentia, vt apertam diuinæ prouidentię iniuriam faceret, qui eam non crederet; at non quidquid hæc ipſa regula animata credendum proponit, ea habet ſigna credibilitatis, vt ante huius regulæ determinationem non poſſit quis, oppoſitum opinari, vt patet in multis fidei dogmatibus ante Pontificis determinationem.

Soluuntur argumenta Hæreticorum?

59. PRimum locum Ieremiæ explicat Auguſtinus de Spiritu & litera cap. 24. & 25. de diſcrimine, quod eſt inter legem veteris, & noui teſtamenti, quod illam in tabulis lapideis, hanc in cordibus fidelium per viuificantem Spiritum inſcribit Deus: *vt quod,* inquit, *ibi forinſecus terret, hic delectat intrinſecùs; ibique fiat præuaricator per occidentem literam, hic dilector per viuificantem Spiritum: & quod ibi forinſecus inſonat ſenſibus, hic intrinſecùs incrementum dat diffundendo charitatem in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Illa autem verba: *& non docebit vir proximum ſuum:* intelligit de vita futura, in qua, vt Deum cognoſcamus, non egemus aliorum Magiſterio & inſtructione, ſed omnes videbimus eum ſicuti eſt. *Auguſt.*

60. Ad ſecundum Ioannis, cùm Chriſtus dicit: *Oues meæ vocem meam audiunt*: non excludit ſuos miniſtros & Vicarios, quos dat ouibus tanquam Paſtores, à quibus paſci debeant, iuxta illud Ieremiæ 15. *Et dabo vobis Paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina:* verè enim qui miniſtros Chriſti audit, Chriſtum ipſum audit, authore Chriſto Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit.* *Ierem. 15.* *Luca 10.*

61. Ad tertium ex Paulo 1. ad Corinth. 2. *Spiritualis iudicat omnia & ipſe à nemine iudicatur:* quoniam, vt Hieronymus interpretatur, *iudicat vana eſſe, in quibus carnales homines delectantur, & ipſe ita ſe agit, vt à nemine iudicetur.* Huic Hieronymi expoſitioni concordat Chryſoſtomus Homil. 7. quia ſcilicet ſpiritualis homo nouit, ſiue per internum Spiritum, ſiue per Scripturas, ſiue per Magiſterium ſuperiorum, quæ ſunt Dei, quæ tamen carnalis homo ignorat, adeoque ab eo iudicari non poteſt. *Hieron.* *Chryſoſt.*

62. Ad quartum ex prima ad Theſſal. 1. non intendit eo loco Paulus, cùm dicit, *omnia probate*, eſſe omnia examinis ſcrutinio diſcutienda, ſed tantùm ea, quæ à veris, vel falſis Prophetis dicuntur. Erant enim apud Theſſal. falſi aliqui Prophetæ, à quibus ne deciperentur, cautè monet, vt non omnia tanquam Propheticè dicta, abſque vllo examine excipiantur, ſed priùs examinentur, an ſint conformia ijs, quæ ab ipſo per Euangelium acceperunt. Neque intelligit, vt hoc examen fieri debeat ab omnibus, ſed ab ijs dumtaxat, qui in Eccleſia Dei authoritatem habent, vt ſunt Eccleſiaſtici. Eodem modo explicatur primus locus Ioannis citatus.

62. Ad quintum argumentum ductum ex authoritate eiuſdem Euangeliſtæ Reſpondeo, ſenſum ipſius non eſſe, vt velit Apoſtolus, vnumquemque interno tantùm Spiritu priuato inſtrui à Deo ac doceri, ſed tantùm vult eos monere, ne ab ijs doceantur, qui ſimulant ſe eſſe ex Schola Chriſti & Apoſto-

lorum, cùm ipſi ſint ſufficienter per Apoſtolos inſtructi. Qui ſenſus manifeſtè colligitur ex ipſo textu: præmiſerat enim hęc verba: *hæc ſcripſi vobis de his, qui ſeducunt vos: & vos vnctionem, quam accepiſtis ab eo maneat in vobis.* Quibus verbis declarat Euangeliſta, à quo vnctionem acceperint, videlicet, vt ſuprà docuerat à Sancto Sanctorum Chriſto, vel immediatè ab ipſomet docti, vel mediatè per Apoſtolos.

63. Ad ſextum ex authoritate Beati Auguſtini lib. 3. contra Maximinum Epiſcopum Arianum cap. 14. Reſpondeo, nolle citato loco Auguſtinum in definiendis, rebus fidei Concilijs legitimè congregatis, & à Pontifice confirmatis authoritatem negare, quibus tantam tribuit, vt ne ipſi quidem Euangelio ſe crediturum fateatur, niſi Catholicæ Eccleſiæ ipſum commoueret authoritas, vt teſtatur contra Epiſtolam fundamenti cap. 5. ſed cùm controuerſia eſſet inter ipſum, & citatum Epiſcopum Arianum, qui Nicæni Concilij, in quo definita fuit Filij Dei conſubſtantialitas, eaque nouo vocabulo *Homouſion* explicata, authoritatem non admittebat; cumque ex alia parte in Concilio Ariminenſi, ob prauitatem aliorum Epiſcoporum Arianorum, reiectum fuiſſet, ob vocabuli nouitatem, nomen ipſum *Homouſion*, vt ibidem Auguſtinus teſtatur, ad hoc, vt cum hæretico, cum quo diſputabat, in quibuſdam principijs conueniret, dixit: *Nec nunc ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe, tanquam præiudicaturus proferre Concilium: nec ego huius authoritate* (ſiquidem in hoc approbatum non fuit) *nec tu illius detineris: Scripturarum authoritatibus, non quorumcunque proprijs, ſed vtriſque communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet.* Ex quibus Auguſtini verbis manifeſtè apparet, ſe non ideo authoritate Conciliorum noluiſſe cum hæretico concertare, quia illorum authoritatem contemneret, ſed vt cum aduerſario, cum quo diſputabat, in communi aliquo principio conueniret: cùm nulla poſſit eſſe diſputatio, in qua diſputantes in nullo conueniunt principio. *Auguſt.*

64. Ad ſeptimum & octauum argumentum ex ratione ductum Reſpondeo, huiuſmodi regulam eſſe diuinam, non minùs quàm ipſam Scripturam, vel traditionem, cùm non minùs quàm Scriptura & traditio immediatam authoritatem habeat à Deo, à quo vtraque æqualem accipit in ſuo genere infallibilitatem; hæc in proponendo, illa in teſtificando. Sicut tam lex Scripta, quàm animatus Iudex ab eodem principe conſtitutus, eandem habet in ſuo genere authoritatem, illa in obligando, hęc in ſententia & iudicio ferendo.

SECTIO II.

Cui de facto hæc authoritas proponendi res fidei à Chriſto collata ſit?

65. QVatuor ſunt, quæ in controuerſiam venire poſſunt; Tota Eccleſia, primarij Paſtores in Concilio congregati; Vnum aliquod ſupremum caput, & princeps omnium, vel ſolùm, vel cum ſuis membris coniunctum.

66. Hæretici, vt omnem à Romano Pontifice poteſtatem tollãt, quibus id vnum cordi eſt, vt eius omnem deprimant poteſtatem, non ſolùm illi authoritatem proponendi res fidei negant, ſed etiam poteſtatem gubernandi Eccleſiam, quam propterea negant eſſe Monarchicam, ſed vel Democraticam penes multitudinem, vt Illyricus, vel Ariſtocraticam penes cœtum ſeniorum, vt Caluinus; aut penes Principes ſeculares, vt Ioannes Brentius. *Illyricus. Caluinus. Brentius.*

67. At Catholici omnes docent, non modò Eccleſiaſticum Regimen, quod Monarchicum eſt, ſed & infallibilem authoritatem definiendi lites & controuerſias fidei legeſque ferendi ad vniuerſalem Eccleſiam ſpectantes, reſidere in ſummo aliquo Paſtore, qui legitimè in Petri munus, & poteſtatem gubernandi Eccleſiam ſuccedat. Nonnulla controuerſia inter eos eſt, an illa ſit penes ſummum Paſtorem ſolùm, an coniunctum cum Concilio generali.

68. DICO. Hæc infallibilis authoritas proponendi res fidei, eſt tantùm in vno aliquo ſupremo capite legitimo Petri ſucceſſore. Eſt S. Thomæ ſecunda ſecundæ q. 1. art. 10. & 4. contra gentes cap. 76. Caietani opuſc. de poteſtate Papę & Concilij cap. 9. & aliorum communis. Fundamentum eſt: quia cùm primum hæc authoritas à Chriſto, vel promiſſa, vel collata Eccleſię fuit, nuſquam legitur promiſſa, vel collata, niſi ſoli & indiuiduæ perſonę Petri: Hæc autem cum officio & perſona Petri extincta non eſt: ergo adhuc per ſucceſſionem durat in ijs, qui legitimè ſuccedunt in munus & officium Petri. Conſequentia conſtat, quia ſi illa extincta non eſt, in aliquo perſeueret neceſſe eſt: in nullo autem perſeuerare poteſt, quàm in eo, qui in officium & poteſtatem gubernandi Eccleſiam ſuccedit Petro: eſt enim hæc prærogatiua annexa officio, cum quo communicatur ad vtilitatem, non priuatæ perſonæ, ſed publicę Eccleſię. Maior euidenter deducitur ex Sacra Scriptura 1. ex Matt. 16. vbi primùm hanc prærogatiuam Chriſtus Petro promiſit illis verbis: *tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: & tibi dabo claues Regni cœlorum* &c. Quibus verbis *S. Thomas. Caietanus. Matth. 16.*

non

nō potuit Chriſtus expreſſiùs hanc authoritatem ſoli ſingulari perſonę Petri deſignare: nā cæteris Apoſtolis, quos interrogauerat, omiſſis, ſoli Petro ſuam promiſſionem fundandæ Eccleſiæ ſuper ipſius fidei ſoliditatem per Petram ſignificatam dirigit. Soli Petro ſpondet claues, ſupremam in Eccleſia poteſtatem ſignificantes, vt non modò conſuetudine conſtat, qua cùm alicui domus, aut vrbis dominium tribuitur, claues traduntur, ſed id ſacra etiam Scriptura docet Iſaiæ 32. *& dabo claues ſuper humerum eius:* Soli Petro poteſtatem ligandi & ſoluendi promittit. *Iſa. 32.*

69. Occurrunt hæretici, per Petram hic non ſignificari Petrum, ſed Chriſtum, vel fidem, aut populum fidelem. Sed cœcutiunt in media luce, nam quorſum dixiſſet Chriſtus *Tu es Petrus*, ſiue Syriacè, quo idiomatè Chriſtus loquebatur, *Tu es Petra* (Cepha enim, vt Hieronymus docet 2. ad Galat. Syriacè Petram ſignificat), & non potiùs ſeipſum pro fundamento Eccleſiæ deſignaſſet? cur dixit *ædificabo Eccleſiam meam*, & non potiùs *ædificaui*, cùm iam diu ipſe Eccleſiam per Apoſtolos ędificare cepiſſet? quid? pronomen *hanc* nonne aliquam petram, de qua Chriſtus proximè locutus fuerat, refert? at non de ſe, ſed de Petro dixerat, *Tu es Petrus*. Tandem ſequentia verba, *Tibi dabo claues*, apertè denotant, ad quem priora referantur: nam omnia diriguntur ad deſcribendam completam authoritatem, quæ in ſupremo Paſtore totius Eccleſiæ requiritur. Si ergo ſequentia verba, aduerſarijs etiam fatentibus, ad Petrum referuntur, Cur non etiam priora? *Hieron.*

70. Secundò eadem veritas ex illis verbis Ioannis vlt. *paſce oues meas*: quibus verbis Chriſtus corporali præſentia ſuam Eccleſiam relicturus, promiſſionem regendę Eccleſiæ, quam antea Petro fecerat, implet in eadem ſingulari perſona Petri: nam hic ſoli Petro traditur poteſtas vniuerſalis regendæ Eccleſiæ, vt demonſtrat tam trina interrogatio ſoli Petro facta, quàm pronomen *meas*, quòd ſicut nullam ouem excipit à Chriſti ouili, ita neque à poteſtate Petri. Ex quo loco luculenter hanc vniuerſalem poteſtatem paſcendi fideles collatam Petro deducit Bernardus lib. 2. de conſideratione ad Eugenium cap. 8. *Agè*, inquit, (Eugenium Pontificem alloquens) *indagemus diligentiùs, qui ſis, quam geras pro tempore perſonam in Eccleſia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, ſummus Pontifex. Tu princeps Epiſcoporum, tu Hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, authoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus. Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Sunt quidem & alij, cœli Ianitores, & gregum Paſtores, ſed tu tantò glorioſius, quantò & differentius vtrumque præ cæteris nomen hæreditaſti. Habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos, tibi vniuerſi crediti, vni vnus: nec modo ouium, ſed & Paſtorum tu vnus omnium Paſtor. Vnde id probem, quæris? ex verbo Domini. Cui enim non dico* *Bernardus.*

Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum ſic abſolutè & indiſcretè tota commiſſa ſunt oues? Si me amas Petre, paſce oues meas. Quas? illius, aut illius populi, ciuitatis, aut Regionis, aut certi Regni? oues meas, inquit. Cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil. Confirmatur: ſi noluiſſet Chriſtus vniuerſalem Eccleſiæ curam Petro demandare, aliquam appoſuiſſet reſtrictionem, vti appoſuit Petrus ipſe primæ 5. *Paſcite gregem qui in vobis eſt.* Paulus Acto. 20. *Attendite vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos.* *1. Petri 5.* *Actor. 20.*

71. Tertiò ex Lucæ 22. vbi Chriſtus alloquens in perſona Petri omnes diſcipulos, ſoli Petro dicit, *ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua*; & vt apertiùs ſignificaret hanc prærogatiuam non deficiendi à fide, ſoli Petro vt ſupremo Paſtori ſe impetraſſe, ſubiungit, *& tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* In quem locum Theophylactus: *quia te habeo*, inquit, *vt Principem diſcipulorum, poſtquam, negato me, fleueris, confirma cæteros, hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ petra es, & fundamentum.* *Luc. 22.* *Theophylactus.*

72. Secundò probatur eadem maior ratione. Etenim nulli dubium eſt, quin Chriſtus optimum ſuę Eccleſiæ regimen inſtituerit; at hoc eſt Monarchicum, vt docet Philoſophus 8. Ethic. 10. tum quia aptius eſt ad ciuium concordiam, quę finis eſt regiminis, conſeruandam; quis enim illos vniet, ſi ciues ipſi, penes quos eſt regimen, diſcordabunt? tum quia hoc perſimile eſt cœleſti regimini, ad inſtar cuius Eccleſiaſticum inſtitutum eſt. Vnde & antiqua Eccleſia ſub ſummis Sacerdotibus, Deut. 17. & noſtra hęc, cùm primùm nata eſt ſub Auguſtiſſimo principe Chriſto, Monarchicè regi cœpit. Confirmatur, nam concedunt hęretici, particulares Eccleſias ſub vno Epiſcopo, aut Primate Monarchicè gubernari, cur non & vniuerſam ſub vno ſummo Pontifice Vicario Chriſti? nam quis particulares Paſtores ad ſuum munus exequendum coget, aut eorum lites componet? generale, inquies, Concilium. Sed contrà, tum quia non ſemper illud commodè congregari poteſt, cùm tamen ſæpe in Eccleſia opus ſit opportuno remedio, quod capitis authoritatem requirat, & temporis dilationem non patiatur: tum quia quid fiet, ſi Patres ipſi in Concilio congregati diſcordabunt? quis eos componet? *Ariſtoteles.* *Deuter. 17.*

73. Probatur autem minor, nempe hanc authoritatem non eſſe cum officio & perſona Petri extinctam. Primò ex citato loco Matt. 16. vbi Chriſtus non ſine Myſterio mutato nomine Simonis in Cepham, quod Græcè caput, Syriacè petram, quod Chriſti nomen eſt, poteſtatem regendi Eccleſiam Petro pollicetur: Vt apertè ſignificaret, cum nomine ei communicaſſe ſimul & poteſtatem Eccleſiam perpetuò gubernandi, vt Leo Serm. 3. de anniuerſario die ſuę ad Pontificatum aſſumptionis apertè teſtatur. Non igitur illi hęc poteſtas vt priuatæ perſonæ, cum qua ex- *Matth. 16.* *S. Leo.*

tincta

tincta extinguenda eſſet, ſed vt publicæ, Chriſti vicem ac ſupremi capitis perſonam gerentis, quę in ſucceſſoribus perpetuanda eſſet, communicata fuit.

74. Id etiam colligitur ex Metaphora fundamenti, cuius eſt non modò ędificium inchoare, ſed illud perpetuò conſeruare: ruente quippe fundamento, totum ædificium ruat neceſſe eſt; cùm igitur adhuc Chriſti Eccleſia duret, durare quoque debet fundamentum, in quo ſuſtentetur; atqui illud non durat in perſona Petri: ergo in eius ſucceſſoribus. Idem deducitur ex citatis verbis, *paſce oues meas*, quibus tanta traditur Petro poteſtas, quantus eſt numerus ouium Chriſti: ſed Petrus non pauit per ſe omnes oues Chriſti: ergo pauit illas per ſuos ſucceſſores, quibus Paſtoris officium communicauit. Eandem veritatem confirmat perpetua ſucceſſio ſummorum Sacerdotum, qui naturali generatione ex Aarone primo Sacerdote deſcendebant. Etenim ſicut Aaroni data fuit à Deo poteſtas Sacerdotalis in totam Eccleſiam Iſraeliticam, cum prærogatiua eam transferendi in poſteros ex eodem ſemine generandos: ita data eſt a Chriſto Petro Pontificia poteſtas in totam Eccleſiam Chriſtianam, cum prærogatiua eam transferendi in ſucceſſores.

75. Secundò eadem minor conſtat teſtimonio eorum, qui veritatem hanc vel ab ipſis Apoſtolis, vel ab Apoſtolorum diſcipulis didicerunt. *Clemens.* Clemens Epiſtola 1. ſcribit, à Beato Petro ſibi traditam fuiſſe poteſtatem, quam à Chriſto acceperat in omnes fideles: *Anacletus, Euariſtus, Iulius I. Alexander. Concilium Lugdun. Florentin. Trident.* idem ferè Anacletus, Euariſtus, Iulius I. Alexander, & reliqui Pontifices Apoſtolis propinquiores. Idem colligitur ex Concilijs generalibus, Lugdunenſi, Florentino, Tridentino ſeſſ. 14. cap. 7.

76. Tertiò probatur ex facto Petri, qui morti proximus ſibi ſucceſſorem Clementem *Clemens I.* declarauit, vt ipſe Clemens lib 3. conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 46. & epiſt. 1. & alij grauiſſimi authores teſtantur; tametſi alij Petro ſubſtituant Linum, & Cletum, quarto verò loco Clementem, quam controuerſiam componit Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice cap. 1. *Bellarm.* vt Clemens fuerit à Beato Petro declaratus ſucceſſor in Pontificia dignitate, quam ipſe humilitatis cauſa ceſſit Lino & Cleto, qui in Paſtorali officio Petro fuerant adiutores, quibus defunctis ſucceſſit ipſe IV. Pontifex: non potuiſſet autem Petrus ſibi in ſucceſſorem aliquem eligere, niſi à Chriſto didiciſſet, Paſtoralem dignitatem fore ſemper in Eccleſia per vnum aliquod ſupremum caput conſeruandam, quia nec ipſe poterat propria authoritate illam inſtituere, quam vt vicarius acceperat vice Chriſti geſturus, nec in aliam formam à Chriſto traditam commutare.

77. Quartò. Ex fine regiminis probatur: nam hoc non eſt propter principem, ſed propter Rempublicam, vt eam in pace conſeruet, vnde illo extincto, non extinguitur eius officium, ſed tranſit ad ſucceſſores, hæreditate, aut electione; atqui durat eadem Eccleſia cum eadem, & fortè maiori neceſſitate, quàm antea, habendi vnum ſupremum Paſtorem cum infallibili authoritate definiendi controuerſias fidei, ob plures hæreſes & ſchiſmata exorta: ergo adhuc durare debet officium ſummi Pontificis cum authoritate ſedandi lites circa res fidei. Maior patet, minor conſtat exemplo ipſorummet hæreticorum, qui in varias Sectas multiplicantur in dies. Conſequentia probatur, alioqui malè prouiſum eſſet Chriſti Eccleſiæ, ſi quando eſt maior neceſſitas capitis cum infallibili authoritate componendi lites, eò tum maximè priuaretur.

78. *Obijcies* 1. Sæpe Apoſtoli æquales deſcribuntur in dignitate ad Epheſ. 2. & 4. *Epheſ. 2. & 4.* omnes dicuntur fundamentum, omnes Apoſtoli; & Paulus 2. ad Corinth. 11. affirmat, *2. Cor. 11.* ſibi curam incumbere omnium Eccleſiarum; non igitur ſoli Petro ea cura demandata eſt. Præterea nunquam Petrus aut dixit, aut egit, quo ſe cæteris Apoſtolis, ſuperiorem oſtenderit, vt conſtat in electione Matthiæ, & Diaconorum, Actorum. 1. & 6. in abrogatione veteris legis. *Actor. 1. & 6.*

79. Reſpondeo omnes Apoſtolos pares fuiſſe in prædicatione Euangelij, & teſtificatione eorum, quæ ab omnibus credenda erant, iuxta illud Marci vlt. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*; *Marc. vlt. Act. 1.* Actor. 1. *eritis mihi teſtes in Ieruſalem vſque ad vltimum terræ*; nec non in vniuerſali gubernatione omnium Eccleſiarum, quæ tunc ad propagandam fidem neceſſaria fuit, ſed cæteros vt delegatos, Petrum vt ordinarium Paſtorem, à quo reliqui vt à capite dependebant; atque hoc ſpeciali modo dicitur Petro commiſſa cura vniuerſalis Eccleſię, cum poteſtate etiam relinquendi ſibi ſucceſſorem, quo modo reliquis commiſſa non eſt. Cæterùm Petrus in multis ſe ſuperiorem oſtendit; nam in electione Matthiæ, & in promulgatione legis Euangelicæ die Pentecoſtes Acto 2. & in abrogatione veteris legis, *Act. 1.* & in reliquis cœtibus ſemper primus fuit in dicendo; quòd autem multa, quę grauioris erant momenti, nonniſi Concilio Apoſtolorum decreuerit, id non præiudicat Primatui, quem ſupra cæteros habebat, nam neque Reges, Supremam habentes poteſtatem in populis, grauiora decernunt ſine Concilio ſuorum aſſiſtentium.

80. *Obijcies* 2. Paulus, non Petrus per Antonomaſiam vocatur Apoſtolus: ergo potiùs Paulus, quàm Petrus inter Apoſtolos primatum tenet. Confirmatur. In antiquis imaginibus, quibus Pontificum diplomata obſignari ſolent, Paulus à dextris, Petrus à ſiniſtris deputati cernuntur: ergo Paulus pręponitur Petro, non Petrus Paulo.

81. Reſpondeo cum Auguſtino lib. 3. ad *Auguſt.* Bonifacium cap. 3. Solum Paulum per Antonomaſiam dici Apoſtolum, tum quia plura ſcripta nobis reliquit: tum quia plus alijs Apoſtolis in prędicatione Euangelij, quod

eſt

eſt Apoſtolorum proprium, laborauit, vt ipſemet teſtatur 1. ad Corinth. 15.

1. Cor. 15.

82. Ad confirmationem reſponderi poſſet 1. hunc maiorem honorem Eccleſiam Paulo detuliſſe, non propter maiorem poteſtatem, ſed propter maiorem ſapientiam & doctrinam, qua Eccleſiam illuſtrauit: vti ſæpe ſolet Eccleſia minores ſanctos maiori ſolemnitate celebrare, propter illuſtriora exempla, quæ poſteris reliquerunt. Reſpondeo 2. morem fuiſſe apud antiquos, vt refert Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 27. Iuniorem, ambulantem cum ſeniore, incedere à dextris ſenioris, eumque obſequij cauſa paululum præcedere. Ex qua conſuetudine fieri potuit, vt etiam in imaginibus Paulus depingeretur à dextris Petri.

Bellarm.

83. *Obijcit* 3. Caluinus. Eſto vnum ſit Eccleſiæ caput, illam Monarchicè gubernans, tamen iniuriam facit Chriſto, qui alium, quàm Chriſtum agnoſcit Eccleſiæ caput: Ex quo, teſte Paulo ad Epheſ. 4. tanquam ex capite omne gratiæ & perfectionis incrementum ad Eccleſiæ corpus deriuatur. Confirmatur, nam idem Apoſtolus ibidem Eccleſiam, eiuſque membra deſcribens, nullius, præter Dei & Chriſti, capitis mentionem facit, cùm tamen maximè facere debuiſſet: *conſtituit*, inquit, *alios quidem Apoſtolos, alios verò Paſtores, alios Euangeliſtas, alios Doctores*. Cur, inquit Caluinus, non dicit Apoſtolus, vnum omnibus præfeciſſe, qui vices ſuas gereret?

Caluinus.

Epheſ. 4.

84. Reſpondeo, eſſe quidem Chriſtum caput Eccleſiæ, ſed inuiſibile, qui illam inuiſibiliter regit: adhuc tamen neceſſarium eſſe caput aliquod viſibile, quod illam humano modo & viſibiliter gubernet. Non enim Chriſtus immediatè & per ſeipſum controuerſias de rebus fidei in Eccleſia emergentes decidit ac definit, ſed per aliquem hominem, cui tanquam proprio vicario ſua authoritate aſſiſtit. Quin ipſimet hæretici velint, nolint debent ad aliquod humanum caput viſibile confugere pro dubijs fidei reſoluendis, quod ipſi putant eſſe Principem Politicum.

85. Ad confirmationem, reſpondendum eſt 1. argumentum eſſe negatiuum. Vnde non propterea quòd citato loco nullam Paulus humani capitis mentionem facit, nullum eſt in Eccleſia viſibile caput, quod illam humano modo gubernet. 2. id virtute & implicitè Paulum dixiſſe, quando docuit, vnam eſſe in Eccleſia fidem: cuius vnitas, vt oſtendimus, ſine vno ſupremo & viſibili capite conſeruari non poteſt. Reliqua quæ ad completam præſentis controuerſiæ deciſionem deſiderantur, conſtabunt ex infrà dicendis.

SECTIO III.

An Romanus Epiſcopus de facto ſit legitimus Petri ſucceſſor in primatu totius Eccleſiæ?

86. HÆc quæſtio duplicem habet ſenſum; Alterum, an Romanus Epiſcopus de facto ſit legitimus Petri ſucceſſor in vniuerſalis Eccleſiæ primatu: Alterum, an ita primatus totius Eccleſię ſit cum Romano Epiſcopatu coniunctus, vt nullus alius, quàm Romanus Epiſcopus ei legitimè ſuccedere poſſit: quod pendet ex iure, quo Romanus Epiſcopus in primatu totius Eccleſiæ ſuccedit Petro: nam ſi tantùm iure Eccleſiaſtico primatus Eccleſiæ coniunctus eſt cum Romano Epiſcopatu, alius ab Epiſcopo Romano in primatu Eccleſię Petro ſuccedere poſſet; ſecus, ſi diuino. De priori controuerſia in hac ſectione, de poſteriori verò ſequenti diſputabimus.

87. Negant Hæretici Epiſcopum Romanum ſuccedere Petro in Paſtorali munere regendi vniuerſam Eccleſiam: vel quia negant, Petrum Romę fuiſſe; vel vſque in finem vitæ Romanum geſſiſſe Epiſcopatum; vel demum, quia licet Romæ fuerit, ibique vrbis, & orbis Epiſcopus obierit, nolunt tamen, Epiſcopum Romanum ei ſuccedere in regimine totius orbis, ſed tantùm vrbis. Ita Caluinus lib. de Inſtit. cap. 8. de fide n. 98. Caluinus.
& deinceps: *Iam vt alterum*, inquit, *illis largiar, quòd nunquam apud ſanos homines obtinebunt, ſic conſtitutum in Petro Eccleſiæ primatum vt perpetua ſucceſſione ſemper maneret: vnde tamen euincent, ſedem Romæ ita collocatam vt, quicunque ſit vrbis illius Epiſcopus, orbi vniuerſo præſideat? quo iure hanc loco dignitatem alligant, quæ ſine loci mentione data eſt? Petrus, inquiunt, Romæ vixit, & mortuus eſt. Quid Chriſtus ipſe? nonne Ieroſolymis functus eſt Epiſcopatu, dum vixit, & moriendo Sacerdotij munus impleuit? Princeps Paſtorum, ſummus Epiſcopus, caput Eccleſiæ, non potuit honorem loco acquirere: Petrus longè ipſo inferior potuit? nonne ſunt ineptiæ iſtæ magis quàm pueriles? Chriſtus honorem primatus contulit Petro: Petrus Romæ ſedit: ergo illic collocauit ſedem primatus? nempe hac ratione ſedem primatus debuerunt olim Iſraëlitæ conſtituere in deſerto, vbi Moſes ſummus Doctor & Princeps Prophetarum miniſterio ſuo functus erat & mortuus.* Hæc Caluinus more ſuo verba ſine ratione effutiens.

88. Verùm nos oppoſitum huius poſtremi erroris mox manifeſtè probabimus: nam priores duo confutatione non egent, cùm nemo ſit, qui in tanto annorum ſpatio auſus ſit in dubium reuocare, Beatum Petrum & Romæ obijſſe, & vſque in finem vitæ Epiſcopa-

tum

tum Romanum geſſiſſe: cùm id non modò veteres annales, ſed ipſa vrbis mœnia, quæ illum excepere; vincula & carceres, quos ſanctificauit, locus patibuli, vbi pro fide Chriſti Martyrium feliciter conſummauit; ſepulchra, quæ eius Sacratiſſima oſſa cuſtodiunt, templa & Baſilicæ in ipſius cultum dedicatæ; pietas tot hominum ex toto orbe ad vrbem peregrinantium apertè teſtantur. Ex quo apparet, quanta ſit horum hæreticorum impudentia, qui non verentur, vt Romanæ ſedis poteſtatem deprimant, totius antiqui tatis atque vniuerſi orbis authoritati ſe opponere.

89. Dicendum igitur eſt, Romanum Epiſcopum eſſe legitimum Petri ſucceſſorem in primatu totius Eccleſiæ. Eſt certa aſſertio definita in Concilio Florentinò ab Eugenio IV. in ſuo decreto his verbis: *Item definimus, Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere; & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.* Qui etiam citat pro hac veritate alia Oecumenica Concilia, & Sacros Canones, qui multi ſunt, ſed breuitatis cauſa omittuntur. *Concilium Florentin.*

90. Fundamentum huius veritatis eſt. Neceſſariò aliquis Petro ſucceſſit in Paſtorali munère regendi vniuerſam Eccleſiam: atqui is fuit Epiſcopus Romanus: ergo Epiſcopus Romanus eſt legitimus Petri ſucceſſor. Maior conſtat ex ſect. præcedente, in qua oſtendimus, hoc munus regendi vniuerſam Eccleſiam, non fuiſſe extinctum cum perſona Petri, cùm illud datum fuerit in bonum & vtilitatem Eccleſiæ. Minor probatur: nam is in eius officium legitimè ſuccedit, qui in ipſius locum ſuffectus eſt: is autem eſt Romanus Epiſcopus: ergo. Maior patet, quia legitima ſucceſſio in officium alterius fit, per iuridicam ſuccedentis in locum cedentis ſubſtitutionem. Minor probatur, quia cùm Petrus munus gubernandi Eccleſiam à Chriſto acceperit, vt perpetuò conſeruandum in ſucceſſoribus, debuit moriens ſibi ſucceſſorem eligere, in quo poſſet hoc munus à Chriſto acceptum conſeruari: ſed is alius quàm Romanus Epiſcopus aſſignari non poteſt: vt conſtat tum ex 7. lib. Conſtitut. Apoſtolicarum cap. 46. & ex Epiſtola 1. Clementis ad Iacobum fratrem Domini, in qua dicitur Clemens ab ipſo Petro electus fuiſſe ſucceſſor in Epiſcopatu Romano: nec alium conſtat ſubſtituiſſe Rectorem totius Eccleſiæ, cùm tamen id conſtare deberet, vt ei tanquam ſupremo Paſtori obedientiam fideles omnes præſtare poſſent. Tum quia nullus hactenus inuentus eſt, qui ſe Petri ſucceſſorem affirmarit, vel ab alijs vt talis ſit habitus, præter Epiſcopum Romanum, cui cæteri ſemper primatum dederunt, vt ex Concilijs infrà citandis manifeſtè conſtabit. Tum quia ad Epiſcopum Romanum ex vniuerſo orbe legitimè appellatur: & à cuius ſententia nulla vnquam conceſſa eſt appellatio. *Clemens.*

91. Dices. Cur non potiùs in primatu totius Eccleſiæ Petro ſucceſſit Epiſcopus Antiochenus, qui in eadem ſede illi ſucceſſit? Reſpondeo, quia Epiſcopus Antiochenus non ſucceſſit Petro in officio Paſtorali totius orbis, ſed ſolius Eccleſiæ Antiochenæ: quia ſucceſſit illi adhuc totius Eccleſiæ curam gerenti: legitima autem ſucceſſio fit per alterius locum cedentis ſubſtitutionem. Moriens autem non Antiocheno, ſed Romano Epiſcopo locum ceſſit.

92. Vltimò probatur hæc veritas argumento à poſteriori ſatis efficaci. Hactenus nulla ſedes, præter Romanam in fide pura & illibata permanſit: ergo iure ſedes Romana ſuccedit Petro in regimine vniuerſalis Eccleſiæ. Conſequentia patet, nam illa potiùs ſedes cenſetur ſuccedere cathedræ Petri, quæ conſtanter ſeruauit, & ſeruat doctrinam Petri. Antecedens probatur, nam reliquæ omnes quatuor Patriarchales ſedes, Alexandrina, Antiochena, Ieroſolymitana, & Conſtantinopolitana à vera fide, & Apoſtolica doctrina defecerunt. Vnde Marcus Papa ad Athanaſium ſcribens: *Hæc ſancta*, inquit, *& Apoſtolica mater omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſia, quæ per Omnipotentis Dei gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis, nunquam aberrare probatur, ſed illibata fine tenus permanet, ſecundùm ipſius Domini pollicitationem.* Etſi nonnulli putent, hanc Marci Epiſtolam eſſe ſuppoſititiam. Sed quidquid ſit de hac Epiſtola, cuius tamen mentio fit in Concilio Florentino ſeſſ. 20. manifeſta experientia conſtat, nullam Patriarchalem ſedem perpetuò manſiſſe in ea doctrina, qua ſemel ab Apoſtolis imbuta fuit, præter Romanam, in qua nullus vnquam hæreſiarcha ſedit, vti in reliquis. *Marcus.* *Concilium Florent.*

93. At contendunt hæretici, hanc legitimam Romanorum Epiſcoporum ſucceſſionem interruptam eſſe, propter Schiſma Vrbani VI. & Clementis VII. Quod quia multis annis durauit, non potuit eſſe legitima electio Martini V. qui poſt tale Schiſma electus eſt, quippe qui à dubijs Cardinalibus electus fuit in Concilio Conſtantienſi.

94. Verùm huius rationis inefficacia inde conſtat, tum quia eſto Cardinales fuerint dubij, non deerat tamen modus, quo talis defectus ſuppleri potuiſſet. Cùm enim modus eligendi Pontificem ſit de iure Eccleſiaſtico, vt infrà oſtendam, iuſtas ob cauſas mutari poteſt, præſertim à Concilio generali, quando electores ipſi dubij ſunt, vel de eligendo Pontifice non conueniunt. Tum quia etiamſi modus eligendi Pontificem per Cardinales mutatus non fuiſſet, certè ipſa confirmatio Concilij generalis Conſtantienſis in quo Martinus V. electus eſt, abundè ſuppleuit defectū electionis à dubijs Cardinalibus factæ: cùm in Eccleſia ſit poteſtas iure diuino conceſſa eligendi ſibi verum ac legitimum caput.

95. Ad

Digitized by Google

95. Ad argumentum Caluini conſtat ex ijs, quæ præcedente ſectione dicta ſunt, Petrum officium regendi Eccleſiam non accepiſſe propter ſe, ſed propter ipſam Eccleſiam, quæ non minùs nunc, quàm tempore Apoſtolorum eget vno ſummo capite ac Paſtore: vnde non debuit cum ipſo deſinere, ſed perſeuerare in ſuis ſucceſſoribus toto tempore, quo duratura eſt Eccleſia.

96. Ad primam inſtantiam à Caluino factam, negandum eſt, Chriſtum ſedem Epiſcopalem fixiſſe Ieroſolymis, aut alicui alteri particulari loco, vti Petrus ſuam ſedem fixit Romæ.

97. Ad ſecundam quæ redigi poteſt in hanc formam: Priuilegium regendi totam Eccleſiam, non fuit Petro collatum cum reſtrictione ad certum locum, vt conſtat ex illis verbis: *Paſce oues meas:* quę ſine vlla limitatione fuerunt Petro dicta: ergo non minùs quicunque alius Epiſcopus in primatu totius Eccleſię ſuccedit Petro. Ad quam argumentationem, neganda eſt conſequentia: nam licet ipſe hoc munus à Chriſto non acceperit adſtrictum loco, potuit tamen ipſe illud certo loco aſtringere, ibi ſuam ſedem figendo. Potuit enim Chriſtus hoc munus concedere Petro dependenter à voluntate ipſius, quoad loci fixionem.

98. Ad tertiam inſtantiam, negandum eſt, ideo ſimpliciter Romanum Pontificem ſuccedere Petro in primatu totius Eccleſię, quia Romæ mortuus eſt Petrus, nam potuiſſet mori Romę retinens Epiſcopatum Antiochenum: ſed ideo illi legitimè ſuccedere, quia ibi ſuam ſedem gubernandi totam Eccleſiam fixit. Moſes autem & Aaron ſuam ſedem non fixerunt in deſerto, ſed ibi in itinere mortui ſunt.

Concilium Nicænum. 99. At inſtat quartò Caluinus. Concilium Nicænum can. 6. non totum orbem, ſed certam Regionem regendam aſſignat Romano Pontifici: non igitur Romanus Pontifex primatum habet in totam Eccleſiam. Verba canonis ſunt hæc: *Antiqua conſuetudo ſeruetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ita vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & vrbis Romæ Epiſcopo parilis mos* eſt: ſiue vt infrà habetur in 3. lib. eiuſdem Concilij: can. 8. *Conſtitutum eſt, vt Epiſcopus Ægypti, id eſt Patriarcha Alexandrinus præſideat, & habeat poteſtatem totius Ægypti, & omnium locorum, quæ ſunt circa eam, quia ſic conuenit. Siquidem ſimiliter Epiſcopus Romæ, id eſt ſucceſſor Petri Apoſtoli poteſtatem habet omnium ciuitatum ac locorum, quæ ſunt circa eam. Ac ſimiliter Epiſcopus Antiochiæ, id eſt Patriarcha poteſtatem habeat Prouinciæ illius totius, & eorum locorum, quæ circa eam ſunt. Et in alijs item locis ſeruari debet, quod in præterito conſtitutum eſt.* Subditur autem in eodem 8. Canone pars ſexti Canonis vulgati: *Antiquiores obtineant qui apud Ægyptum ſunt & Lybiam & Pentapolim, ita vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat ſolicitudinem, quia & vrbis Romæ Epiſcopo ſimilis mos eſt.*

100. Reſpondeo hoc argumentum ex Concilio deductum dupliciter ſolui. Primò, vt illud ſoluit Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice cap. 13. vt ſenſus ſit: Epiſcopum Alexandrinum debere gubernare ſuas Prouincias, quia Romanus Epiſcopus ante omnem Conciliorum definitionem conſueuit permittere Epiſcopo Alexandrino Regimen Ægypti, Libiæ & Pentapolis: ſicut conſueuit per Alexandrinum Epiſcopum illas prouincias gubernare. Quam explicationem colligit ex Nicolao I. in Epiſtola ad Michaelem Imperatorem, in qua ſic habet: *Ad cuius* (nempe ſedis Apoſtolicæ) *ſicut ipſi ſcitis integritatem obſeruationis multoties conuentus factus fuerit Sanctorum Patrum, à quibus & deliberatum ac obſeruatum exiſtit qualiter abſque Romanæ ſedis Romanique Pontificis conſenſu, nullius inſurgentis deliberationis terminus daretur.* Vnde paulò poſt cum imperatore conqueritur, quòd ſine Romani Pontificis conſenſu priuatus ſit Patriarchatu Ignatius Patriarcha. *Bellarm.* *Nicolaus I.*

101. Secundò hoc argumentum ſoluitur ex legitima huius canonis tranſlatione, quę habetur in Concilio Chalcedonenſi Actione 16. in qua ſic canon iſte recitatur ab Epiſcopo Paſchaſino ſedis Apoſtolicæ Vicario, & admittitur à toto Concilio, trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum: *Canon ſextus. Quod Eccleſia Romana ſemper habuit primatum. Teneat autem & Ægyptus vt Epiſcopus Alexandriæ omnium habeat poteſtatem, quoniam & Romano Epiſcopo hæc eſt conſuetudo. Similiter autem & qui in Antiochia conſtitutus eſt, & in cæteris Prouincijs, primatus habeant Eccleſiæ Ciuitatum ampliorum.* Poſt cuius canonis propoſitionem ita Concilium decreuit: *Ex his, quæ geſta ſunt, & ab vno quoque depoſita perpendimus, omnem quidem primatum & honorem præcipuum ſecundùm Canones, antiquæ Romæ Deo amantiſſimo Archiepiſcopo conſeruari.* Dixit autem, *Antiqua Roma,* ad differentiam nouæ, quo nomine inſignita eſt ab Imperatore Conſtantino vrbs Conſtantinopolitana. Cæterùm quòd hæc ſit legitima huius canonis explicatio conſtat tum ex Epiſtola 1. & 2. Iulij I. miſſa ad orientales Epiſcopos: in quarum prima ait, ex decreto Nicænæ Synodi definitum eſſe, Romanam Eccleſiam inter omnes primatum tenere: in 2. verò inſerit triginta ſex canones exceptos ex actis ipſis Concilij Nicæni, in quorum multis decernitur authoritas & primatus Romani Pontificis ſupra cęteros: tum ex Concilio ipſo Nicæno, quod canone 39. ſic habet: *Sic præeſt Patriarcha ijs, omnibus qui ſub poteſtate eius ſunt, ſicut ille, qui tenet ſedem Romæ, caput eſt & Princeps omnium Patriarcharum. Quandoquidem ipſe eſt primus, ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, & omnes populos eorum, vt qui ſit Vicarius Chriſti Domini noſtri ſuper cunctos populos, & cunctam Eccleſiam Chriſtianam. Et quicunque contradixerit, à Synodo excommunicabitur.* Quem canonem collector ipſe canonum citari docet ab Auguſtino Steucho *Concilium Chalcedon.* *Iulius I.* *Concilium Nicænum.* *Auguſt. Steuchus.*

Franciſcus Turrianus. *Alanus.* lib. 2. de donatione Conſtantini, Franciſco Turriano lib. 2. de dogmaticis charact. & Alano Copio in Dialogis: aitque prædictum canonem Arabicè extare in Bibliotheca Marcelli II. Romani Pontificis num. 44. in hunc modum: *Veneramur ſecundùm Scripturas, & canonum definitionem Sanctiſſimum Romanæ antiquæque Eccleſiæ Epiſcopum, primum eſſe & maximum omnium Epiſcoporum. Vt autem cunctis ditionis ſuæ nationibus imperat Patriarcha, & leges indicit: & vt à principio Petrus Chriſti Vicarius Religioni, Eccleſijs, cæteriſque ad Chriſtum rebus pertinentibus præfectus, Principum Chriſtianorum, Prouinciarum, & omnium gentium Dominus & Rector erat: ita ille, cuius Principatus Romæ eſt, Petro ſimilis, & authoritate par, Patriarcharum omnium dominatum & Principatum obtinet. Huic Sanctioni ſi quis repugnauerit, & obſiſtere auſus fuerit, totius Synodi decreto anathemati ſubijciatur.*

102. Inſtat 5. Non ſemper in Concilijs datus eſt primus locus legatis Romani Pontificis: igitur Romanus Pontifex non habet primatum in reliquos omnes. Antecedens probat: nam 1. in Concilio Nicæno non primus, ſed quartus locus datus eſt Vito, & Vincentio legatis Iulij I. Pontificis Romani, præſidente in eo Athanaſio Epiſcopo Alexandrino. Secundò in Concilio Epheſino legati Celeſtini inferiori loco ſedent, ſententiam interrogantur, ſubſcribunt: vt autem videretur Pontifex, inquit *Caluinus.* Caluinus, in eo Concilio primam ſedem habere, obliquo artificio vices ſuas mandat Cyrillo Epiſcopo Alexandrino, qui aliàs erat in eo Concilio præſeſſurus. Tertiò in Concilio Epheſino II. non legati Leonis, qui in eo Concilio aderant, ſed Dioſcorus Patriarcha Alexandrinus ſuo iure præſedit. Quartò in Synodo Chalcedonenſi non iure, ſed Priuilegio Imperatoris, vt Leo ipſe, ait Caluinus, in Epiſtola ad Marcianum Imperatorem, & Pulcheriam Auguſtam confitetur, primam ſedem occuparunt, eo quòd non eſſet in eo Concilio Idonea perſona, quę præeſſet: nam qui iure præeſſe debebant, per ſuam intemperiem & libidinem ſeſe loco excluſerunt. Quintò in Concilio Conſtantinopolitano non Romani Pontificis legati, ſed Menna Conſtantinopolitanus Patriarcha præſedit. Sexto in Concilio Carthaginenſi, cui interfuit Auguſtinus, non legati Romani Pontificis, ſed ipſe Auguſtinus loco Archiepiſcopi præfuit: cùm tamen in eo Concilio maximè lis eſſet de Romani Pontificis authoritate. Septimò in ipſa Italia habitum eſt Concilium vniuerſale, cui non Romani Pontificis legati, ſed Ambroſius Mediolanenſis Eccleſiæ Epiſcopus præſedit.

103. Reſp. negando antecedens: falſum quippe eſt vllum fuiſſe generale Concilium legitimè congregatum, in quo alius præſederit quàm vel ipſe Romanus Pontifex, vel eius legati, vt inductione conſtat de omnibus Concilijs generalibus, quæ hactenus in Eccleſia Dei celebrata ſunt. Dixi *de Concilijs generalibus:* nam in Diœceſanis ſolus Epiſcopus, in Prouincialibus ſolus Metropolitanus, in nationalibus ſolus præeſt vel Patriarcha, vel primas. Inductio conſtat vel ex ipſo primo Concilio generali ab Apoſtolis Ieroſolymis coacto, vbi præſedit Petrus, qui & primus fuit in ferenda ſententia, & reliqui ipſius ſententiam ſunt ſecuti.

104. Poſt Concilium Apoſtolorum primum generale, quod celebratum eſt, fuit Nicænum Anno Domini 325. ad Arium hæreticum damnandum. *Concilium Nicænum.* In quo præſediſſe Romani Pontificis legatos, apertè conſtat ex ſubſcriptionibus: nam qui primi in eo Concilio ſubſcripſerunt, fuerunt Hoſius Epiſcopus Cordubenſis, Vitus & Vincentius Romanę ſedis legati, vt omnes ferè graues Scriptores, qui de Nicæna Synodo tractant, teſtantur. Legatur Baronius in compendio Spondani Anno 325. numero 7. *Baronius.* *Spondanus.* Ex quo ſoluitur prima obiectio Caluini falſo affirmantis, in eo Concilio præſediſſe Athanaſium, cùm nondum eo tempore Athanaſius fuerit Epiſcopus, vt ex eodem Concilio conſtat, vbi poſt legatos ſubſcribit Alexander Epiſcopus Alexandrinus, cum quo Athanaſius ad Concilium venerat Diaconus, qui quinto menſe poſt celebratum Nicænum Concilium ſufficitur Epiſcopus Alexandrinus in locum Alexandri demortui, vt teſtatur Baronius in compendio Spondani Anno 326.

105. Secundum Concilium generale fuit Conſtantinopolitanum, *Concilium Conſtantinopolit.* ad confirmandos contra Arianam hæreſim Nicænę Synodi canones, celebratum Anno 381. authoritate Damaſi, vt ex vetuſto codice Bibliothecæ Vaticanæ, id apertè atteſtante, refert Baronius eodem anno, *Baronius.* & teſtantur literæ tum Damaſi ad Synodum, tum Synodi ad Damaſum, quas citat Theodoretus libro 5. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap. 9. *Theodoretus.* Quòd autem in eo Concilio non præſederint Pontificis legati, ſed Nectarius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, rationem reddit Bellarminus libro 1. de Concilijs capite *Bellarm.* 19. quia cùm vellet Pontifex, poſt conuocatos orientales Epiſcopos Conſtantinopolim, eos vocare Romam ad celebrandum ibi Concilium, ijs iuſtas ob cauſas ſe excuſantibus, non miſit Conſtantinopolim legatos, ſed permiſit, vt in eo præſideret Epiſcopus Conſtantinopolitanus, vt ex literis à Theodoreto relatis apparet.

106. Tertium Concilium generale fuit Epheſinum primum *Concilium Epheſinum.* ad Neſtorij hæreſim damnandam, coactum Anno 431. in quo præſedit Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus nomine Celeſtini I. vt teſtantur multi authores apud Bellarminum libro 1. de Concilijs capite 19. *Bellarm.* & apparet tum ex Epiſtola ipſius Celeſtini ad Cyrillum, quæ habetur in ipſo Concilio prima parte capite 15. in

qua

qua ſuas vices illi mandat, eumq; inſtruit, quo pacto debeat ad Neſtorium excommunicandum ſe gerere, his verbis: *Quamobrem noſtra ſedis authoritate adſcita, noſtraque vice & loco cum poteſtate vſus, euiſmodi non abſque exquiſita ſeueritate ſententiam exequeris* &c. tum ex Epiſtola Cyrilli ad Neſtorium, quę inſerta eſt in eodem Concilio capite 26. in qua nomine Romani Pontificis illi excommunicationem fulminat, niſi reſipiſcat: tum ex ipſius ſubſcriptione, quæ tanquam Romani Pontificis locum tenentis omnium Epiſcoporum ſubſcriptionem præcedit, vt habetur initio ſecundæ partis Concilij. Neque id Caluinus negare audet, ſed tribuit Romani Pontificis fraudi. Quod eſt hæreticorum proprium, vt cùm vident ſe veritate conuictos, ad contumelias confugiant: & quod confictis mendacijs extorquere non poſſunt, conuitijs extorqueant ac probris.

Cyrillus.

107. Quartum fuit Chalcedonenſe ſub Leone I. Pontifice maximo, & Marciano Imperatore celebratum Anno 451. ad hæreſes Eutychetis & Neſtorij damnandas: in quo loco Romani Pontificis præſederunt Paſchaſinus, & Lucentius Epiſcopi, & Bonifacius & Baſilius Presbyteri, qui & primi ſubſcripſerunt, & ſententiam contra Dioſcorum dixerunt, vt ex Concilio ipſo conſtat. Cæterùm apertum mendacium eſt, quod Caluinus ex ſuo cerebro fingit, petijſſe Leonem à Marciano Imperatore, vt in defectum ſufficientis perſonæ, in eo Concilio Præſides admitterentur ipſius legati, cùm conſtet, nullo petito Imperatoris conſenſu, eos legatos miſiſſe ad Concilium, vt ex multis Leonis literis tam ad Imperatorem, quàm ad Synodum colligitur: quin in quadam Epiſtola Leonis ad Imperatorem, quæ habetur in parte tertia Concilij, Imperatorem ipſum monet, aliam rationem eſſe rerum humanarum, aliam diuinarum; nec pręter illam petram, quam Dominus in fundamento poſuit, ſtabilem fore vllam conſtructionem. Qua igitur ratione potuit Beatus Leo ab Imperatore petere, vt ex ipſius conſenſu ſedis Romanæ legati tanquam Præſides in Concilio admitterentur, qui hoc ipſum non ad Imperatorem, vtpote rem maximè diuinam, ſed ad ſedem Apoſtolicam pertinere iudicabat?

Concilium Chalcedon.

108. Quintum Concilium generale fuit Conſtantinopolitanum II. à Iuſtiniano Imperatore authoritate Vigilij ſummi Pontificis indictum anno 553. In quo Concilio non Menna Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ſed Eutychius Mennæ ſucceſſor præſedit. In quo tamen, vt ipſe Eutychius in Epiſtola ad Vigilium fatetur, debuiſſet ipſe Romanus Pontifex præſidere: qui tamen nec per ſe, nec per ſuos legatos præſedit, quos nullos miſit: quoniam, vt hiſtoria huius Concilij refert, Pontifex volebat, vt illud celebraretur in Italia. Cæterùm hoc non obſtante Concilium iſtud obtinuit vim oecumenici, propter Romanorum Pontificum approbationem, nam & ipſe Vigilius, licet non ſtatim, & alij Romani Pontifices illud approbarunt ac ratum habuerunt, præſertim Beatus Gregorius lib. 1. Epiſt. 24. ad finem: *ſicut ſancti*, inquit, *Euangelij quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere & venerari me fateor: Nicaenum ſcilicet, in quo peruerſum Arij dogma deſtruitur; Conſtantinopolitanum quoque in quo Eunomij, & Macedonij error conuincitur, Epheſinum etiam primum, in quo Neſtorij impietas iudicatur: Chalcedonenſe verò, in quo Eutychetis Dioſcorique prauitas reprobatur, tota deuotione complector, integerrima approbatione cuſtodio, quia in his velut in quadrato lapide ſancta fidei ſtructura conſurgit. Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo Epiſtola, qua Iba dicitur, erroris plena, reprobatur. Theodorus perſonam mediatoris Dei & hominum in duabus ſubſtantijs ſeparans ad impietatis perfidiam cecidiſſe conuincitur. Scripta quoque Theodoreti, per qua Beati Cyrilli fides reprehenditur auſu dementia prolata, refutantur. Cunctas vero, quas præfata veneranda Concilia perſonas reſpuunt, reſpuo; quas venerantur, amplector; quia dum vniuerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe & non illa deſtruit quiſquis præſumit aut ſoluere, quos religant, aut ligare, quos ſoluunt.* Hæc beatus Gregorius, qui non minùs hoc V. Concilium, quàm reliqua quatuor priora vniuerſali Eccleſiæ conſenſu ait eſſe celebrata.

Concilium Conſtantinop. II.

Gregorius.

109. Sextum Concilium generale fuit Conſtantinopolitanum III. coactum tempore Conſtantini cognomento Pogonati Imperatoris, & Agathonis Papæ aduerſus Monothelitas Anno 680. in quo Pontifex Romanus præſedit per ſuos legatos Theodorum, & Georgium Presbyteros, & Ioannem Diaconum, & Conſtantium Subdiaconum, qui, vt ex ipſo Concilio apparet, primi ad ſententiam dicendam nomine Romani Pontificis interrogantur: primi ſententiam dicunt. Et licet primus Imperator & ſederit, & ſubſcripſerit, non tamen vt Iudex, ſed honoris cauſa, & tantùm vt conſentiens ijs, quæ à ſancta Synodo decreta fuere, vt ex ipſius ſubſcriptione conſtat: *Ego*, inquit, *N. fidelis in Chriſto Ieſu Deo Imperator Romanorum conſentiens omnibus, qua definita ſunt, & ea recipiens ſubſcripſi.* Non igitur ipſe definiuit, ſed quod definitum fuerat, acceptauit, & conſenſit. Contrà verò Concilij Præſides ita ſubſcribunt: *Ego N. definiens ſubſcripſi.*

Concilium Conſtantinop. III.

110. Septima generalis Synodus fuit Nicæna II. ſub Adriano I. & Conſtantino & Irene Imperatoribus, pro cultu ſacrarum imaginum aduerſus Iconomachos Anno 787. congregata: in qua loco Pontificis Romani præſederunt Petrus Archipresbyter, & Petrus Presbyter Abbas Monaſterij Sancti Sabæ vrbis Romanæ, qui, vt ex ipſo Concilio conſtat, primi ſederunt, primi interrogati ſententiam tulerunt, primi ſubſcripſerunt.

Concilium Nicæn. II.

cem, vt eas de fide proponat, coniectandum eſt ex grauitate & neceſſitate materiæ, & ex pluribus, aut ex paucioribus ſignis credibilitatis, quæ in ſe continent.

50. *Obijcies* 3. Talis regula animata viſibilis non videtur poſſibilis: quia cùm ſit creata, non poteſt huiuſmodi authoritatem habere ex ſe, ſed à Deo; neque ipſa poterit de ſeipſa teſtari, quòd talem authoritatem habeat à Deo, cùm ipſius teſtimonium non ſit infallibile: proinde alia regula erit neceſſaria ad illam cognoſcendam: quæ rurſus, quoniam creata eſt, eandem habebit difficultatem.

51. Reſpondeo negando antecedens: ad cuius probationem dico, talem authoritatem habere à Deo ex ſpeciali aſſiſtentia Spiritus ſancti. Negandum autem eſt, ipſam de ſeipſa teſtari, quòd talem habeat à Deo authoritatem, ſed id euidenter colligi per euidentiam credibilitatis ex traditione, Scripturis, communi conſenſu totius Eccleſię, & ex peculiari prouidentia, quam Chriſtus habet de ſua Eccleſia. Cùm enim Deus permittere non poſſit, vt res falſa tot ſignis & teſtimonijs firmata, authoritate ipſius, in detrimentum totius Eccleſiæ, credenda proponatur fide Diuina, neceſſariò aſſerendum erit, dari huiuſmodi regulam viuam infallibilis authoritatis apud nos. Etenim ſi Deus permittere poſſet rem falſam tot ſignis euidenter credibilem, propter ipſius authoritatem vniuerſæ Eccleſiæ credendam proponi, obligaret nos ad oppoſitum, quod intendit: intendit enim nos obligare ad veram fidem: ex alia verò parte ſi permittere poſſet rem falſam tot ſignis euidenter credibilem vniuerſę Eccleſiæ ſua authoritate credendam proponi, lege naturali nos obligaret ad eam ſequendam: ſiquidem lege naturali obligamur ad ſequendum rectum dictamen rationis. Dicere autem, quòd ſolùm obligamur, ad ſequendam fidem, quam putamus veram, eſt tollere veram fidem de Eccleſia Chriſti, & ſpecialem prouidentiam, quam Deus habet de ſua Eccleſia; nec non cum Mahumeto fateri, vnumquemque in ſua Secta ſaluari poſſe: nam vnuſquiſque tuta conſcientia ſequi poſſet ſuam Sectam, quam putaret veram. Quòd autem talis regula animata ſit fide diuina credenda, conſtat ex dictis: nam quotieſcunque aliquid proponitur authoritate diuina credendum ea euidentia credibilitatis, cui naturaliter non poſſit ſubeſſe falſum, ſine dubio fide diuina credendum eſt: eo quòd non poſſumus ſpectato modo, quo Deus nobis fidem credendam proponit, maiorem euidentiam de obiecti fidei credibilitate habere: ac proinde tenetur Deus, ne res falſa cum tanta euidentia credibilitatis proponatur, præſertim quando per aliam regulam ſuperiorem eius falſitas diſcerni nequit. Vnde ad argumentum in forma, concedo hanc regulam animatam probari per aliam creatam: nego tamen illam eſſe fallibilem, quoniam ex peculiari prouidentia tenetur Deus illā reddere infallibilem, eique aſſiſtere, ne illi falſum ſubſit.

52. *Obijcies* 4. Ex traditione & Scriptura probatur hæc regula rurſus teſtimonio huius regulę probatur traditio & Scriptura: ergo committitur vitioſus circulus in eodem genere probationis: & virtute idem probatur per idem.

53. Reſpondeo negando conſequentiam. Etenim dupliciter ſumi poſſunt traditio & Scriptura, vno modo vt approbatæ infallibili iudicio ipſius regulę animatæ, quo pacto ſunt authoritatis diuinæ, & credendæ fide infuſa: hoc autem modo à nobis non ſumuntur ad probandam infallibilem authoritatem regulæ animatę; ſic enim ſupponerent illam iam infallibilem, à qua & ipſę approbatæ infallibilitatem haberent quoad nos: ac proinde illam probare nō poſſent quoad infallibilitatem, quam ſupponerent, cùm nulla probatio ſupponat, quod eſt ipſa probatura: ſicut nulla cauſa ſupponit effectum, quem eſt ipſa productura. Alio modo ſumi poſſunt traditio & Scriptura vt teſtatæ ſignis & rationibus humanis, vt quòd Scriptura ex prædictione futurorum, ſeipſam veracem oſtendat: quòd Deus tanto tēpore illam incorruptam inuiolatamque ſeruauerit: quòd traditio ſit tamdiu ab vniuerſa Eccleſia ſeruata, & à tot ſapientiſſimis viris habita & atteſtata vt regula à Chriſto, vel Apoſtolis tradita: quo pacto ſunt authoritatis humanæ, & credendæ fide acquiſita. Atque hoc modo ſumuntur ad probandam regulam animatam: ſic enim non ſupponunt illam infallibilem quoad nos, à qua & ipſæ infallibilitatem diuinæ authoritatis quoad nos ſumunt, ſed aliunde ſupponuntur infallibilis authoritatis, non quidem diuinæ, ſed humanę, talis tamen, cui ex adiuncta prouidentia, quam Chriſtus habet de ſua Eccleſia, quam proprio ſanguine fundauit, non poſſit ſubeſſe falſum, ac proinde ſufficientis ad obligandos fideles ad talem regulam animati iudicis fide diuina credendam. Nam tali modo & euidentia credibilitatis illa nobis credenda proponitur, vt non poſſit ſpectato modo, quo reliqua Myſteria fidei nobis Deus credenda proponit, euidentiori credibilitate, & modo homini magis accommodato proponi. Atque hoc modo vitatur circulus, & efficaciter probatur vna per aliam in diuerſo genere probationis. Nam traditio & Scriptura hoc modo ſumptæ probant infallibilitatem iudicis animati, per modum conditionis applicantis obiectum credibile fide diuina, tali applicatione, cui non poſſit ſubeſſe falſum ex ſpeciali aſſiſtentia Spiritus ſancti.

54. Inſtabis. Vtraque probatio procedit per modum conditionis applicantis obiectum fidei: ergo vtraque procedit in eodem genere probationis. Non inficior, quòd argumentum proponit: verùm vna procedit per euidentiam crebibilitatis ex ſignis & rationibus humanis, cui ex ſpeciali Dei prouidentia non poteſt ſubeſſe falſum; altera per certitudinem fidei, ex teſtimonio diuino immediatè, cui falſum ſubeſſe non poteſt ex ſpeciali aſſiſtentia Spiritus ſancti.

Digitized by Google

55. *Obijcies* 5. Ad credendum aliquid fide diuina non eſt neceſſarium, vt proponens ſit infallibilis authoritatis, nam plerumque res fidei proponuntur ab ijs, qui talem authoritatem non habent, cùm tamen obligemur ad eas credendas fide diuina: ergo ad hunc effectum non eſt neceſſaria infallibilis authoritas res fidei proponendi, alioqui ſine illa nunquam res fidei ſufficienter proponerentur.

56. Reſpondeo duplicem diſtinguendo proponentem: alter eſt, qui proponit propria authoritate, definiendo id quod proponit: alter, qui proponit authoritate alterius, referendo tantùm, quod alter credendum decreuerit. Cæterùm etſi ad credendum aliquid fide diuina, neceſſum non ſit, vt ſecundus proponens ſit infallibilis authoritatis, quia ſufficit, vt tantùm ille ſit infallibilis authoritatis, in cuius authoritate proponitur: eſt tamen neceſſum, vt ſit infallibilis authoritatis primus proponens: quia cùm primus non proponat in authoritate alterius, ſed propria, niſi ipſe ſit infallibilis authoritatis, ſemper dubium eſſe poterit, an verùm ſit, quod proponit.

57. Dices. Neque primus proponens proponit authoritate propria, ſed Dei, cuius teſtimonium credendum proponit. Sed contrà, quia licet ipſe ſupponat teſtimonium Dei, quod proponit, non tamen ſupponit ipſum certum quoad nos; proinde in proponendo illud definitè ſequendum, proponit illud authoritate propria ſibi à Deo communicata, ſine qua authoritate fidei vnitas ſeruari non poſſet, quia cùm multa in ea ſint non ita euidenter credibilia, ſi non eſſet aliquis iudex animatus, qui ea infallibili authoritate determinare poſſet, daretur in rebus fidei locus opinionibus humanis, vt quiſque ea crederet, quæ ſibi probabiliora viderentur; ex quo multa ſequerentur ſchiſmata.

58. Vrgebis, idem dubium fieri poſſet de ipſa regula animata, ſiquidem illa non proponitur per aliam regulam infallibilem, ſed per ſigna tantùm credibilitatis; ſed hæc eadem ſigna ſufficere poſſent ad applicandum de fide credendum, quod regula ipſa animata proponit: ergo. Sed contrà, quia ſigna credibilitatis, quæ nobis animatam regulam fide diuina credendam proponunt, ſunt adeo euidentia, vt apertam diuinæ prouidentię iniuriam faceret, qui eam non crederet; at non quidquid hæc ipſa regula animata credendum proponit, ea habet ſigna credibilitatis, vt ante huius regulæ determinationem non poſſit quis, oppoſitum opinari, vt patet in multis fidei dogmatibus ante Pontificis determinationem.

Soluuntur argumenta Hæreticorum?

59. Primum locum Ieremiæ explicat Auguſtinus de Spiritu & litera cap. 24. & 25. de diſcrimine, quod eſt inter legem veteris, & noui teſtamenti, quod illam in tabulis lapideis, hanc in cordibus fidelium per viuificantem Spiritum inſcribit Deus: *vt quod*, inquit, *ibi forinſecus terret*, *hic delectat intrinſecùs; ibiq́ue fiat prævaricator per occidentem literam*, *hic dilector per viuificantem Spiritum: & quod ibi forinſecus inſonat ſenſibus*, *hic intrinſecùs incrementum dat diffundendo charitatem in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum*, *qui datus eſt nobis*. Illa autem verba: *& non docebit vir proximum ſuum:* intelligit de vita futura, in qua, vt Deum cognoſcamus, non egemus aliorum Magiſterio & inſtructione, ſed omnes videbimus eum ſicuti eſt. *Auguſt.*

60. Ad ſecundum Ioannis, cùm Chriſtus dicit: *Oues meæ vocem meam audiunt*: non excludit ſuos miniſtros & Vicarios, quos dat ouibus tanquam Paſtores, à quibus paſci debeant, iuxta illud Ieremiæ 15. *Et dabo vobis Paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina*: verè enim qui miniſtros Chriſti audit, Chriſtum ipſum audit, authore Chriſto Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit.* *Ierem.* 15. *Luca* 10.

61. Ad tertium ex Paulo 1. ad Corinth. 2. *Spiritualis iudicat omnia & ipſe à nemine iudicatur*: quoniam, vt Hieronymus interpretatur, *iudicat vana eſſe, in quibus carnales homines delectantur, & ipſe ita ſe agit, vt à nemine iudicetur.* Huic Hieronymi expoſitioni concordat Chryſoſtomus Homil. 7. quia ſcilicet ſpiritualis homo nouit, ſiue per internum Spiritum, ſiue per Scripturas, ſiue per Magiſterium ſuperiorum, quæ ſunt Dei, quæ tamen carnalis homo ignorat, adeoq́ue ab eo iudicari non poteſt. *Hieron.* *Chryſoſt.*

62. Ad quartum ex prima ad Theſſal. 1. non intendit eo loco Paulus, cùm dicit, *omnia probate*, eſſe omnia examinis ſcrutinio diſcutienda, ſed tantùm ea, quæ à veris, vel falſis Prophetis dicuntur. Erant enim apud Theſſal. falſi aliqui Prophetæ, à quibus ne deciperentur, cautè monet, vt non omnia tanquam Propheticè dicta, abſque vllo examine excipiantur, ſed priùs examinentur, an ſint conformia ijs, quæ ab ipſo per Euangelium acceperunt. Neque intelligit, vt hoc examen fieri debeat ab omnibus, ſed ab ijs dumtaxat, qui in Eccleſia Dei authoritatem habent, vt ſunt Eccleſiaſtici. Eodem modo explicatur primus locus Ioannis citatus.

62. Ad quintum argumentum ductum ex authoritate eiuſdem Euangeliſtæ Reſpondeo, ſenſum ipſius non eſſe, vt velit Apoſtolus, vnumquemque interno tantùm Spiritu priuato inſtrui à Deo ac doceri, ſed tantùm vult eos monere, ne ab ijs doceantur, qui ſimulant ſe eſſe ex Schola Chriſti & Apoſto-

lorum, cùm ipſi ſint ſufficienter per Apoſtolos inſtructi. Qui ſenſus manifeſtè colligitur ex ipſo textu: præmiſerat enim hęc verba: *hæc ſcripſi vobis de his, qui ſeducunt vos: & vos vnctionem, quam accepiſtis ab eo maneat in vobis.* Quibus verbis declarat Euangeliſta, à quo vnctionem acceperint, videlicet, vt ſuprà docuerat à Sancto Sanctorum Chriſto, vel immediatè ab ipſomet docti, vel mediatè per Apoſtolos.

Auguſt. 63. Ad ſextum ex authoritate Beati Auguſtini lib. 3. contra Maximinum Epiſcopum Arianum cap. 14. Reſpondeo, nolle citato loco Auguſtinum in definiendis, rebus fidei Concilijs legitimè congregatis, & à Pontifice confirmatis authoritatem negare, quibus tantam tribuit, vt ne ipſi quidem Euangelio ſe crediturum fateatur, niſi Catholicæ Eccleſiæ ipſum commoueret authoritas, vt teſtatur contra Epiſtolam fundamenti cap. 5. ſed cùm controuerſia eſſet inter ipſum, & citatum Epiſcopum Arianum, qui Nicæni Concilij, in quo definita fuit Filij Dei conſubſtantialitas, eaque nouo vocabulo *Homouſion* explicata, authoritatem non admittebat; cumque ex alia parte in Concilio Ariminenſi, ob prauitatem aliorum Epiſcoporum Arianorum, reiectum fuiſſet, ob vocabuli nouitatem, nomen ipſum *Homouſion*, vt ibidem Auguſtinus teſtatur, ad hoc, vt cum hæretico, cum quo diſputabat, in quibuſdam principijs conueniret, dixit: *Nec nunc ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe, tanquam præiudicaturus proferre Concilium: nec ego huius authoritate* (ſiquidem in hoc approbatum non fuit) *nec tu illius detineris: Scripturarum authoritatibus, non quorumcunque proprijs, ſed vtriſque communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet.* Ex quibus Auguſtini verbis manifeſtè apparet, ſe non ideo authoritate Conciliorum noluiſſe cum hæretico concertare, quia illorum authoritatem contemneret, ſed vt cum aduerſario, cum quo diſputabat, in communi aliquo principio conueniret: cùm nulla poſſit eſſe diſputatio, in qua diſputantes in nullo conueniunt principio.

64. Ad ſeptimum & octauum argumentum ex ratione ductum Reſpondeo, huiuſmodi regulam eſſe diuinam, non minùs quàm ipſam Scripturam, vel traditionem, cùm non minùs quàm Scriptura & traditio immediatam authoritatem habeat à Deo, à quo vtraque æqualem accipit in ſuo genere infallibilitatem; hæc in proponendo, illa in teſtificando. Sicut tam lex Scripta, quàm animatus Iudex ab eodem principe conſtitutus, eandem habet in ſuo genere authoritatem, illa in obligando, hęc in ſententia & iudicio ferendo.

SECTIO II.

Cui de facto hæc authoritas proponendi res fidei à Chriſto collata ſit?

65. Qvatuor ſunt, quæ in controuerſiam venire poſſunt; Tota Eccleſia, primarij Paſtores in Concilio congregati; Vnum aliquod ſupremum caput, & princeps omnium, vel ſolùm, vel cum ſuis membris coniunctum.

66. Hæretici, vt omnem à Romano Pontifice poteſtatem tollãt, quibus id vnum cordi eſt, vt eius omnem deprimant poteſtatem, non ſolùm illi authoritatem proponendi res fidei negant, ſed etiam poteſtatem gubernandi Eccleſiam, quam propterea negant eſſe Monarchicam, ſed vel Democraticam penes multitudinem, vt Illyricus, vel Ariſtocraticam penes cœtum ſeniorum, vt Caluinus; aut penes Principes ſeculares, vt Ioannes Brentius. *Illyricus. Caluinus. Brentius.*

67. At Catholici omnes docent, non modò Eccleſiaſticum Regimen, quod Monarchicum eſt, ſed & infallibilem authoritatem definiendi lites & controuerſias fidei legeſque ferendi ad vniuerſalem Eccleſiam ſpectantes, reſidere in ſummo aliquo Paſtore, qui legitimè in Petri munus, & poteſtatem gubernandi Eccleſiam ſuccedat. Nonnulla controuerſia inter eos eſt, an illa ſit penes ſummum Paſtorem ſolùm, an coniunctum cum Concilio generali.

68. Dico. Hæc infallibilis authoritas proponendi res fidei, eſt tantùm in vno aliquo ſupremo capite legitimo Petri ſucceſſore. Eſt S. Thomæ ſecunda ſecundæ q. 1. art. 10. & 4. contra gentes cap. 76. Caietani opuſc. de poteſtate Papę & Concilij cap. 9. & aliorum communis. Fundamentum eſt: quia cùm primum hæc authoritas à Chriſto, vel promiſſa, vel collata Eccleſię fuit, nuſquam legitur promiſſa, vel collata, niſi ſoli & indiuiduæ perſonę Petri: Hæc autem cum officio & perſona Petri extincta non eſt: ergo adhuc per ſucceſſionem durat in ijs, qui legitimè ſuccedunt in munus & officium Petri. Conſequentia conſtat, quia ſi illa extincta non eſt, in aliquo perſeueret neceſſe eſt: in nullo autem perſeuerare poteſt, quàm in eo, qui in officium & poteſtatem gubernandi Eccleſiam ſuccedit Petro: eſt enim hæc prærogatiua annexa officio, cum quo communicatur ad vtilitatem, non priuatæ perſonæ, ſed publicę Eccleſię. Maior euidenter deducitur ex Sacra Scriptura 1. ex Matt. 16. vbi primùm hanc prærogatiuam Chriſtus Petro promiſit illis verbis: *tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: & tibi dabo claues Regni cœlorum* &c. Quibus verbis *S. Thomas. Caietanus. Matth. 16.*

non

nõ potuit Chriſtus expreſſiùs hanc authoritatem ſoli ſingulari perſonę Petri deſignare: nã cæteris Apoſtolis, quos interrogauerat, omiſſis, ſoli Petro ſuam promiſſionem fundandæ Eccleſiæ ſuper ipſius fidei ſoliditatem per Petram ſignificatam dirigit. Soli Petro ſpondet claues, ſupremam in Eccleſia poteſtatem ſignificantes, vt non modò conſuetudine conſtat, qua cùm alicui domus, aut vrbis dominium tribuitur, claues traduntur, ſed id
Iſa. 32. ſacra etiam Scriptura docet Iſaiæ 32. *& dabo claues ſuper humerum eius:* Soli Petro poteſtatem ligandi & ſoluendi promittit.

69. Occurrunt hæretici, per Petram hic non ſignificari Petrum, ſed Chriſtum, vel fidem, aut populum fidelem. Sed cœcutiunt in media luce, nam quorſum dixiſſet Chriſtus *Tu es Petrus*, ſiue Syriacè, quo idiomatè Chriſtus loquebatur, *Tu es Petra* (Cepha enim, vt
Hieron. Hieronymus docet 2. ad Galat. Syriacè Petram ſignificat), & non potiùs ſeipſum pro fundamento Eccleſiæ deſignaſſet? cur dixit *ædificabo Eccleſiam meam*, & non potiùs *ædificaui*, cùm iam diu ipſe Eccleſiam per Apoſtolos ędificare cepiſſet? quid? pronomen *hanc* nonne aliquam petram, de qua Chriſtus proximè locutus fuerat, refert? at non de ſe, ſed de Petro dixerat, *Tu es Petrus*. Tandem ſequentia verba, *Tibi dabo claues*, apertè denotant, ad quem priora referantur: nam omnia diriguntur ad deſcribendam completam authoritatem, quæ in ſupremo Paſtore totius Eccleſiæ requiritur. Si ergo ſequentia verba, aduerſarijs etiam fatentibus, ad Petrum referuntur, Cur non etiam priora?

70. Secundò eadem veritas ex illis verbis Ioannis vlt. *paſce oues meas:* quibus verbis Chriſtus corporali præſentia ſuam Eccleſiam relicturus, promiſſionem regendę Eccleſiæ, quam antea Petro fecerat, implet in eadem ſingulari perſona Petri: nam hic ſoli Petro traditur poteſtas vniuerſalis regendæ Eccleſiæ, vt demonſtrat tam trina interrogatio ſoli Petro facta, quàm pronomen *meas*, quòd ſicut nullam ouem excipit à Chriſti ouili, ita neque à poteſtate Petri. Ex quo loco luculenter hanc vniuerſalem poteſtatem paſ-
Bernardus. cendi fideles collatam Petro deducit Bernardus lib. 2. de conſideratione ad Eugenium cap. 8. *Age*, inquit, (Eugenium Pontificem alloquens) *indagemus diligentiùs, qui ſis, quam geras pro tempore perſonam in Eccleſia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, ſummus Pontifex. Tu princeps Epiſcoporum, tu Hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, authoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus. Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Sunt quidem & alij, cæli ianitores, & gregum Paſtores, ſed tu tantò glorioſius, quantò & differentius vtrumque præ cæteris nomen hæreditaſti. Habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos, tibi vniuerſi crediti, vni vnus: nec modo ouium, ſed & Paſtorum tu vnus omnium Paſtor. Vnde id probem, quæris? ex verbo Domini. Cui enim non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum ſic abſolutè & indiſcretè tota commiſſa ſunt oues? Si me amas Petre, paſce oues meas. Quas? illius ſiue illius populi, ciuitatis, aut Regionis, aut certi Regni? oues meas, inquit. Cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil.* Confirmatur: ſi noluiſſet Chriſtus vniuerſalem Eccleſiæ curam Petro demandare, aliquam appoſuiſſet reſtrictio-
nem, vti appoſuit Petrus ipſe primæ 5. *Paſci-* 1. Petri 5.
te gregem qui in vobis eſt. Paulus Act. 20. *At-* Actor. 20.
tendite vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos.

71. Tertiò ex Lucæ 22. vbi Chriſtus allo- Luc. 22.
quens in perſona Petri omnes diſcipulos, ſoli Petro dicit, *ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua*; & vt apertiùs ſignificaret hanc prærogatiuam non deficiendi à fide, ſoli Petro vt ſupremo Paſtori ſe impetraſſe, ſubiungit, *& tu aliquando conuerſus confirma fratres*
tuos. In quem locum Theophylactus: *quia te* Theophylactus.
habeo, inquit, *vt Principem diſcipulorum, poſtquam, negato me, fleueris, confirma cæteros, hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ petra es, & fundamentum.*

72. Secundò probatur eadem maior ratione. Etenim nulli dubium eſt, quin Chriſtus optimum ſuę Eccleſiæ regimen inſti-
tuerit; at hoc eſt Monarchicum, vt docet Phi- Ariſtoteles.
loſophus 8. Ethic. 10. tum quia aptius eſt ad ciuium concordiam, quę finis eſt regiminis, conſeruandam; quis enim illos vniet, ſi ciues ipſi, penes quos eſt regimen, diſcordabunt? tum quia hoc perſimile eſt cœleſti regimini, ad inſtar cuius Eccleſiaſticum inſtitutum eſt. Vnde & antiqua Eccleſia ſub ſummis Sacer-
dotibus, Deut. 17. & noſtra hęc, cùm pri- Deuter. 17.
mùm nata eſt ſub Auguſtiſſimo principe Chriſto, Monarchicè regi cœpit. Confirmatur, nam concedunt hęretici, particulares Eccleſias ſub vno Epiſcopo, aut Primate Monarchicè gubernari, cur non & vniuerſam ſub vno ſummo Pontifice Vicario Chriſti? nam quis particulares Paſtores ad ſuum munus exequendum coget, aut eorum lites componet? generale, inquies, Concilium. Sed contrà, tum quia non ſemper illud commodè congregari poteſt, cùm tamen ſæpe in Eccleſia opus ſit opportuno remedio, quod capitis authoritatem requirat, & temporis dilationem non patiatur: tum quia quid fiet, ſi Patres ipſi in Concilio congregati diſcordabunt? quis eos componet?

73. Probatur autem minor, nempe hanc authoritatem non eſſe cum officio & perſona
Petri extinctam. Primò ex citato loco Matt. Matth. 16.
16. vbi Chriſtus non ſine Myſterio mutato nomine Simonis in Cepham, quod Græcè caput, Syriacè petram, quod Chriſti nomen eſt, poteſtatem regendi Eccleſiam Petro pollicetur: Vt apertè ſignificaret, cum nomine ei communicaſſe ſimul & poteſtatem Eccle-
ſiam perpetuò gubernandi, vt Leo Serm. 3. S. Leo.
de anniuerſario die ſuę ad Pontificatum aſſumptionis apertè teſtatur. Non igitur illi hęc poteſtas vt priuatæ perſonæ, cum qua ex-

tincta

tincta extinguenda eſſet, ſed vt publicæ, Chriſti vicem ac ſupremi capitis perſonam gerentis, quę in ſucceſſoribus perpetuanda eſſet, communicata fuit.

74. Id etiam colligitur ex Metaphora fundamenti, cuius eſt non modò ędificium inchoare, ſed illud perpetuò conſeruare: ruente quippe fundamento, totum ædificium ruat neceſſe eſt; cùm igitur adhuc Chriſti Eccleſia duret, durare quoque debet fundamentum, in quo ſuſtentetur; atqui illud non durat in perſona Petri: ergo in eius ſucceſſoribus. Idem deducitur ex citatis verbis, *paſce oues meas*, quibus tanta traditur Petro poteſtas, quantus eſt numerus ouium Chriſti: ſed Petrus non pauit per ſe omnes oues Chriſti: ergo pauit illas per ſuos ſucceſſores, quibus Paſtoris officium communicauit. Eandem veritatem confirmat perpetua ſucceſſio ſummorum Sacerdotum, qui naturali generatione ex Aarone primo Sacerdote deſcendebant. Etenim ſicut Aaroni data fuit à Deo poteſtas Sacerdotalis in totam Eccleſiam Iſraëliticam, cum prerogatiua eam transferendi in poſteros ex eodem ſemine generandos: ita data eſt a Chriſto Petro Pontificia poteſtas in totam Eccleſiam Chriſtianam, cum prærogatiua eam transferendi in ſucceſſores.

lemens. *nacletus, uariſtus, ulius I. lexander. oncilium ugdun. lorentin. rident.*

75. Secundò eadem minor conſtat teſtimonio eorum, qui veritatem hanc vel ab ipſis Apoſtolis, vel ab Apoſtolorum diſcipulis didicerunt. Clemens Epiſtola 1. ſcribit, à Beato Petro ſibi traditam fuiſſe poteſtatem, quam à Chriſto acceperat in omnes fideles: idem ferè Anacletus, Euariſtus, Iulius I. Alexander, & reliqui Pontifices Apoſtolis propinquiores. Idem colligitur ex Concilijs generalibus, Lugdunenſi, Florentino, Tridentino ſeſſ. 14. cap. 7.

lement I. *llarm.*

76. Tertiò probatur ex facto Petri, qui morti proximus ſibi ſucceſſorem Clementem declarauit, vt ipſe Clemens lib. 3. conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 46. & epiſt. 1. & alij grauiſſimi authores teſtantur; tametſi alij Petro ſubſtituant Linum, & Cletum, quarto verò loco Clementem, quam controuerſiam componit Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice cap. 1. vt Clemens fuerit à Beato Petro declaratus ſucceſſor in Pontificia dignitate, quam ipſe humilitatis cauſa ceſſit Lino & Cleto, qui in Paſtorali officio Petro fuerant adiutores, quibus defunctis ſucceſſit ipſe IV. Pontifex: non potuiſſet autem Petrus ſibi in ſucceſſorem aliquem eligere, niſi à Chriſto didiciſſet, Paſtoralem dignitatem fore ſemper in Eccleſia per vnum aliquod ſupremum caput conſeruandam, quia nec ipſe poterat propria authoritate illam inſtituere, quam vt vicarius acceperat vice Chriſti geſturus, nec in aliam formam à Chriſto traditam commutare.

77. Quartò. Ex fine regiminis probatur: nam hoc non eſt propter principem, ſed propter Rempublicam, vt eam in pace conſeruet, vnde illo extincto, non extinguitur eius officium, ſed tranſit ad ſucceſſores, hæreditate, aut electione; atqui durat eadem Eccleſia cum eadem, & fortè maiori neceſſitate, quàm antea, habendi vnum ſupremum Paſtorem cum infallibili authoritate definiendi controuerſias fidei, ob plures hæreſes & ſchiſmata exorta: ergo adhuc durare debet officium ſummi Pontificis cum authoritate ſedandi lites circa res fidei. Maior patet, minor conſtat exemplo ipſorummet hæreticorum, qui in varias Sectas multiplicantur in dies. Conſequentia probatur, alioqui malè prouiſum eſſet Chriſti Eccleſiæ, ſi quando eſt maior neceſſitas capitis cum infallibili authoritate componendi lites, eò tum maximè priuaretur.

78. *Obijcies* 1. Sæpe Apoſtoli æquales deſcribuntur in dignitate ad Epheſ. 2. & 4. omnes dicuntur fundamentum, omnes Apoſtoli; & Paulus 2. ad Corinth. 11. affirmat, ſibi curam incumbere omnium Eccleſiarum; non igitur ſoli Petro ea cura demandata eſt. Præterea nunquam Petrus aut dixit, aut egit, quo ſe cæteris Apoſtolis, ſuperiorem oſtenderit, vt conſtat in electione Matthiæ, & Diaconorum, Actorum. 1. & 6. in abrogatione veteris legis.

Epheſ. 2. & 4. *2. Cor. 11.* *Actor. 1. & 6.*

79. Reſpondeo omnes Apoſtolos pares fuiſſe in prædicatione Euangelij, & teſtificatione eorum, quæ ab omnibus credenda erant, iuxta illud Marci vlt. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*; Actor. 1. *eritis mihi teſtes in Ieruſalem vſque ad vltimum terræ*; nec non in vniuerſali gubernatione omnium Eccleſiarum, quæ tunc ad propagandam fidem neceſſaria fuit, ſed cæteros vt delegatos, Petrum vt ordinarium Paſtorem, à quo reliqui vt à capite dependebant; atque hoc ſpeciali modo dicitur Petro commiſſa cura vniuerſalis Eccleſię, cum poteſtate etiam relinquendi ſibi ſucceſſorem, quo modo reliquis commiſſa non eſt. Cæterùm Petrus in multis ſe ſuperiorem oſtendit; nam in electione Matthiæ, & in promulgatione legis Euangelicæ die Pentecoſtes Acto 2. & in abrogatione veteris legis, & in reliquis cœtibus ſemper primus fuit in dicendo; quòd autem multa, quę grauioris erant momenti, nonniſi Concilio Apoſtolorum decreuerit, id non præiudicat Primatui, quem ſupra cæteros habebat, nam neque Reges, Supremam habentes poteſtatem in populis, grauiora decernunt ſine Concilio ſuorum aſſiſtentium.

Marc. vlt. *Act. 1.* *Act. 1.*

80. *Obijcies* 2. Paulus, non Petrus per Antonomaſiam vocatur Apoſtolus: ergo potiùs Paulus, quàm Petrus inter Apoſtolos primatum tenet. Confirmatur. In antiquis imaginibus, quibus Pontificum diplomata obſignari ſolent, Paulus à dextris, Petrus à ſiniſtris deputati cernuntur: ergo Paulus pręponitur Petro, non Petrus Paulo.

Auguſt.

81. Reſpondeo cum Auguſtino lib. 3. ad Bonifacium cap. 3. Solum Paulum per Antonomaſiam dici Apoſtolum, tum quia plura ſcripta nobis reliquit: tum quia plus alijs Apoſtolis in prędicatione Euangelij, quod

eſt

eſt Apoſtolorum proprium, laborauit, vt ipſemet teſtatur 1. ad Corinth. 15. 1.Cor. 15.

82. Ad confirmationem reſponderi poſſet 1. hunc maiorem honorem Eccleſiam Paulo detuliſſe, non propter maiorem poteſtatem, ſed propter maiorem ſapientiam & doctrinam, qua Eccleſiam illuſtrauit: vti ſæpe ſolet Eccleſia minores ſanctos maiori ſolemnitate celebrare, propter illuſtriora exempla, quæ poſteris reliquerunt. Reſpondeo 2. mo- Bellarm. rem fuiſſe apud antiquos, vt refert Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 27. Iuniorem, ambulantem cum ſeniore, incedere à dextris ſenioris, eumque obſequij cauſa paululum præcedere. Ex qua conſuetudine fieri potuit, vt etiam in imaginibus Paulus depingeretur à dextris Petri.

Caluinus. 83. *Obijcit* 3. Caluinus. Eſto vnum ſit Eccleſiæ caput, illam Monarchicè gubernans, tamen iniuriam facit Chriſto, qui alium, quàm Chriſtum agnoſcit Eccleſiæ caput: Ex Epheſ. 4. quo, teſte Paulo ad Epheſ. 4. tanquam ex capite omne gratiæ & perfectionis incrementum ad Eccleſiæ corpus deriuatur. Confirmatur, nam idem Apoſtolus ibidem Eccleſiam, eiuſque membra deſcribens, nullius, præter Dei & Chriſti, capitis mentionem facit, cùm tamen maximè facere debuiſſet: *conſtituit*, inquit, *alios quidem Apoſtolos, alios verò Paſtores, alios Euangeliſtas, alios Doctores.* Cur, inquit Caluinus, non dicit Apoſtolus, vnum omnibus præfeciſſe, qui vices ſuas gereret?

84. Reſpondeo, eſſe quidem Chriſtum caput Eccleſiæ, ſed inuiſibile, qui illam inuiſibiliter regit: adhuc tamen neceſſarium eſſe caput aliquod viſibile, quod illam humano modo & viſibiliter gubernet. Non enim Chriſtus immediatè & per ſeipſum controuerſias de rebus fidei in Eccleſia emergentes decidit ac definit, ſed per aliquem hominem, cui tanquam proprio vicario ſua authoritate aſſiſtit. Quin ipſimet hæretici velint, nolint debent ad aliquod humanum caput viſibile confugere pro dubijs fidei reſoluendis, quod ipſi putant eſſe Principem Politicum.

85. Ad confirmationem, reſpondendum eſt 1. argumentum eſſe negatiuum. Vnde non propterea quòd citato loco nullam Paulus humani capitis mentionem facit, nullum eſt in Eccleſia viſibile caput, quod illam humano modo gubernet. 2. id virtute & implicitè Paulum dixiſſe, quando docuit, vnam eſſe in Eccleſia fidem: cuius vnitas, vt oſtendimus, ſine vno ſupremo & viſibili capite conſeruari non poteſt. Reliqua quæ ad completam præſentis controuerſiæ deciſionem deſiderantur, conſtabunt ex infrà dicendis.

SECTIO III.

An Romanus Epiſcopus de facto ſit legitimus Petri ſucceſſor in primatu totius Eccleſiæ?

86. HÆc quæſtio duplicem habet ſenſum; Alterum, an Romanus Epiſcopus de facto ſit legitimus Petri ſucceſſor in vniuerſalis Eccleſiæ primatu: Alterum, an ita primatus totius Eccleſiæ ſit cum Romano Epiſcopatu coniunctus, vt nullus alius, quàm Romanus Epiſcopus ei legitimè ſuccedere poſſit: quod pendet ex iure, quo Romanus Epiſcopus in primatu totius Eccleſiæ ſuccedit Petro: nam ſi tantùm iure Eccleſiaſtico primatus Eccleſiæ coniunctus eſt cum Romano Epiſcopatu, alius ab Epiſcopo Romano in primatu Eccleſiæ Petro ſuccedere poſſet; ſecus, ſi diuino. De priori controuerſia in hac ſectione, de poſteriori verò ſequenti diſputabimus.

87. Negant Hæretici Epiſcopum Romanum ſuccedere Petro in Paſtorali munere regendi vniuerſam Eccleſiam: vel quia negant, Petrum Romæ fuiſſe; vel vſque in finem vitæ Romanum geſſiſſe Epiſcopatum; vel demum, quia licet Romæ fuerit, ibique vrbis, & orbis Epiſcopus obierit, nolunt tamen, Epiſcopum Romanum ei ſuccedere in regimine totius orbis, ſed tantùm vrbis. Ita Caluinus lib. de Inſtit. cap. 8. de fide n. 98. Caluinus. & deinceps: *Iam vt alterum*, inquit, *illis largiar, quòd nunquam apud ſanos homines obtinebunt, ſic conſtitutum in Petro Eccleſiæ primatum vt perpetua ſucceſſione ſemper maneret: vnde tamen euincent, ſedem Romæ ita collocatam vt, quicunque ſit vrbis illius Epiſcopus, orbi vniuerſo præſideat? quo iure hanc loco dignitatem alligant, quæ ſine loci mentione data eſt? Petrus, inquiunt, Romæ vixit, & mortuus eſt. Quid Chriſtus ipſe? nonne Ieroſolymis functus eſt Epiſcopatu, dum vixit, & moriendo Sacerdotij munus impleuit? Princeps Paſtorum, ſummus Epiſcopus, caput Eccleſiæ, non potuit honorem loco acquirere: Petrus longè ipſo inferior potuit? nonne ſunt ineptiæ iſtæ magis quàm pueriles? Chriſtus honorem primatus contulit Petro: Petrus Romæ ſedit: ergo illic collocauit ſedem primatus? nempe hac ratione ſedem primatus debuerunt olim Iſraëlitæ conſtituere in deſerto, vbi Moſes ſummus Doctor & Princeps Prophetarum miniſterio ſuo functus erat & mortuus.* Hæc Caluinus more ſuo verba ſine ratione effutiens.

88. Verùm nos oppoſitum huius poſtremi erroris mox manifeſtè probabimus: nam priores duo confutatione non egent, cùm nemo ſit, qui in tanto annorum ſpatio auſus ſit in dubium reuocare, Beatum Petrum & Romæ obijſſe, & vſque in finem vitæ Epiſcopa-

tum

tum Romanum geſſiſſe: cùm id non modò veteres annales, ſed ipſa vrbis mœnia, quæ illum excepere; vincula & carceres, quos ſanctificauit, locus patibuli, vbi pro fide Chriſti Martyrium feliciter conſummauit; ſepulchra, quæ eius Sacratiſſima oſſa cuſtodiunt, templa & Baſilicæ in ipſius cultum dedicatæ; pietas tot hominum ex toto orbe ad vrbem peregrinantium apertè teſtantur. Ex quo apparet, quanta ſit horum hęreticorum impudentia, qui non verentur, vt Romanæ ſedis poteſtatem deprimant, totius antiqui tatis atque vniuerſi orbis authoritati ſe opponere.

89. Dicendum igitur eſt, Romanum Epiſcopum eſſe legitimum Petri ſucceſſorem in primatu totius Eccleſiæ. Eſt certa aſſertio definita in Concilio Florentino ab Eugenio IV. in ſuo decreto his verbis: *Item definimus, Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſię caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere; & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.* Qui etiam citat pro hac veritate alia Oecumenica Concilia, & Sacros Canones, qui multi ſunt, ſed breuitatis cauſa omittuntur. *Concilium Florentin.*

90. Fundamentum huius veritatis eſt. Neceſſariò aliquis Petro ſucceſſit in Paſtorali munere regendi vniuerſam Eccleſiam: atqui is fuit Epiſcopus Romanus: ergo Epiſcopus Romanus eſt legitimus Petri ſucceſſor. Maior conſtat ex ſect. præcedente, in qua oſtendimus, hoc munus regendi vniuerſam Eccleſiam, non fuiſſe extinctum cum perſona Petri, cùm illud datum fuerit in bonum & vtilitatem Eccleſię. Minor probatur: nam is in eius officium legitimè ſuccedit, qui in ipſius locum ſuffectus eſt: is autem eſt Romanus Epiſcopus: ergo. Maior patet, quia legitima ſucceſſio in officium alterius fit, per iuridicam ſuccedentis in locum cedentis ſubſtitutionem. Minor probatur, quia cùm Petrus munus gubernandi Eccleſiam à Chriſto acceperit, vt perpetuò conſeruandum in ſucceſſoribus, debuit moriens ſibi ſucceſſorem eligere, in quo poſſet hoc munus à Chriſto acceptum conſeruari: ſed is alius quàm Romanus Epiſcopus aſſignari non poteſt: vt conſtat tum ex 7. lib. Conſtitut. Apoſtolicarum cap. 46. & ex Epiſtola 1. Clementis ad Iacobum fratrem Domini, in qua dicitur Clemens ab ipſo Petro electus fuiſſe ſucceſſor in Epiſcopatu Romano: nec alium conſtat ſubſtituiſſe Rectorem totius Eccleſiæ, cùm tamen id conſtare deberet, vt ei tanquam ſupremo Paſtori obedientiam fideles omnes pręſtare poſſent. Tum quia nullus hactenus inuentus eſt, qui ſe Petri ſucceſſorem affirmarit, vel ab alijs vt talis ſit habitus, præter Epiſcopum Romanum, cui cæteri ſemper primatum dederunt, vt ex Concilijs infrà citandis manifeſtè conſtabit. Tum quia ad Epiſcopum Romanum ex vniuerſo orbe legitimè appellatur: & à cuius ſententia nulla vnquam conceſſa eſt appellatio. *...mens.*

91. Dices. Cur non potiùs in primatu totius Eccleſię Petro ſucceſſit Epiſcopus Antiochenus, qui in eadem ſede illi ſucceſſit? Reſpondeo, quia Epiſcopus Antiochenus non ſucceſſit Petro in officio Paſtorali totius orbis, ſed ſolius Eccleſiæ Antiochenæ: quia ſucceſſit illi adhuc totius Eccleſiæ curam gerenti: legitima autem ſucceſſio fit per alterius locum cedentis ſubſtitutionem. Moriens autem non Antiocheno, ſed Romano Epiſcopo locum ceſſit.

92. Vltimò probatur hæc veritas argumento à poſteriori ſatis efficaci. Hactenus nulla ſedes, præter Romanam in fide pura & illibata permanſit: ergo iure ſedes Romana ſuccedit Petro in regimine vniuerſalis Eccleſiæ. Conſequentia patet, nam illa potiùs ſedes cenſetur ſuccedere cathedræ Petri, quæ conſtanter ſeruauit, & ſeruat doctrinam Petri. Antecedens probatur, nam reliquæ omnes quatuor Patriarchales ſedes, Alexandrina, Antiochena, Ieroſolymitana, & Conſtantinopolitana à vera fide, & Apoſtolica doctrina defecerunt. Vnde Marcus Papa ad Athanaſium ſcribens: *Hac ſancta*, inquit, *& Apoſtolica mater omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſia, quæ per Omnipotentis Dei gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis, nunquam aberrare probatur, ſed illibata ſine tenus permanet, ſecundùm ipſius Domini pollicitationem.* Etſi nonnulli putent, hanc Marci Epiſtolam eſſe ſuppoſititiam. Sed quidquid ſit de hac Epiſtola, cuius tamen mentio fit in Concilio Florentino ſeſſ. 20. manifeſta experientia conſtat, nullam Patriarchalem ſedem perpetuò manſiſſe in ea doctrina, qua ſemel ab Apoſtolis imbuta fuit, præter Romanam, in qua nullus vnquam hæreſiarcha ſedit, vti in reliquis. *Marcus.* *Concilium Florent.*

93. At contendunt hæretici, hanc legitimam Romanorum Epiſcoporum ſucceſſionem interruptam eſſe, propter Schiſma Vrbani VI. & Clementis VII. Quod quia multis annis durauit, non potuit eſſe legitima electio Martini V. qui poſt tale Schiſma electus eſt, quippe qui à dubijs Cardinalibus electus fuit in Concilio Conſtantienſi.

94. Verùm huius rationis inefficacia inde conſtat, tum quia eſto Cardinales fuerint dubij, non deerat tamen modus, quo talis defectus ſuppleri potuiſſet. Cùm enim modus eligendi Pontificem ſit de iure Eccleſiaſtico, vt infrà oſtendam, iuſtas ob cauſas mutari poteſt, præſertim à Concilio generali, quando electores ipſi dubij ſunt, vel de eligendo Pontifice non conueniunt. Tum quia etiamſi modus eligendi Pontificem per Cardinales mutatus non fuiſſet, certè ipſa confirmatio Concilij generalis Conſtantienſis in quo Martinus V. electus eſt, abundè ſuppleuit defectũ electionis à dubijs Cardinalibus factę: cùm in Eccleſia ſit poteſtas iure diuino conceſſa eligendi ſibi verum ac legitimum caput.

95. Ad

Digitized by Google

95. Ad argumentum Caluini conſtat ex ijs, quæ præcedente ſectione dicta ſunt, Petrum officium regendi Eccleſiam non accepiſſe propter ſe, ſed propter ipſam Eccleſiam, quæ non minùs nunc, quàm tempore Apoſtolorum eget vno ſummo capite ac Paſtore: vnde non debuit cum ipſo deſinere, ſed perſeuerare in ſuis ſucceſſoribus toto tempore, quo duratura eſt Eccleſia.

96. Ad primam inſtantiam à Caluino factam, negandum eſt, Chriſtum ſedem Epiſcopalem fixiſſe Ieroſolymis, aut alicui alteri particulari loco, vti Petrus ſuam ſedem fixit Romæ.

97. Ad ſecundam quæ redigi poteſt in hanc formam: Priuilegium regendi totam Eccleſiam, non fuit Petro collatum cum reſtrictione ad certum locum, vt conſtat ex illis verbis: *Paſce oues meas:* quę ſine vlla limitatione fuerunt Petro dicta: ergo non minùs quicunque alius Epiſcopus in primatu totius Eccleſię ſuccedit Petro. Ad quam argumentationem, neganda eſt conſequentia: nam licet ipſe hoc munus à Chriſto non acceperit adſtrictum loco, potuit tamen ipſe illud certo loco aſtringere, ibi ſuam ſedem figendo. Potuit enim Chriſtus hoc munus concedere Petro dependenter à voluntate ipſius, quoad loci fixionem.

98. Ad tertiam inſtantiam, negandum eſt, ideo ſimpliciter Romanum Pontificem ſuccedere Petro in primatu totius Eccleſię, quia Romæ mortuus eſt Petrus, nam potuiſſet mori Romę retinens Epiſcopatum Antiochenum: ſed ideo illi legitimè ſuccedere, quia ibi ſuam ſedem gubernandi totam Eccleſiam fixit. Moſes autem & Aaron ſuam ſedem non fixerunt in deſerto, ſed ibi in itinere mortui ſunt.

Concilium Nicænum. 99. At inſtat quartò Caluinus. Concilium Nicænum can. 6. non totum orbem, ſed certam Regionem regendam aſſignat Romano Pontifici: non igitur Romanus Pontifex primatum habet in totam Eccleſiam. Verba canonis ſunt hæc: *Antiqua conſuetudo ſeruetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ita vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & vrbis Romæ Epiſcopo parilis mos* eſt: ſiue vt infrà habetur in 3. lib. eiuſdem Concilij: can. 8. *Conſtitutum eſt, vt Epiſcopus Ægypti, id eſt Patriarcha Alexandrinus præſideat, & habeat poteſtatem totius Ægypti, & omnium locorum, quæ ſunt circa eam, quia ſic conuenit. Siquidem ſimiliter Epiſcopus Romæ, id eſt ſucceſſor Petri Apoſtoli poteſtatem habet omnium ciuitatum ac locorum, quæ ſunt circa eam. Ac ſimiliter Epiſcopus Antiochiæ, id eſt Patriarcha poteſtatem habeat Prouinciæ illius totius, & eorum locorum, quæ circa eam ſunt. Et in alijs item locis ſeruari debet, quod in præterito conſtitutum eſt.* Subditur autem in eodem 8. Canone pars ſexti Canonis vulgati: *Antiquiores obtineant qui apud Ægyptum ſunt & Lybiam & Pentapolim, ita vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat ſolicitudinem, quia & vrbis Romæ Epiſcopo ſimilis mos eſt.*

100. Reſpondeo hoc argumentum ex Concilio deductum dupliciter ſolui. Primò, vt illud ſoluit Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice cap. 13. vt ſenſus ſit: Epiſcopum Alexandrinum debere gubernare ſuas Prouincias, quia Romanus Epiſcopus ante omnem Conciliorum definitionem conſueuit permittere Epiſcopo Alexandrino Regimen Ægypti, Libiæ & Pentapolis: ſicut conſueuit per Alexandrinum Epiſcopum illas prouincias gubernare. Quam explicationem colligit ex Nicolao I. in Epiſtola ad Michaelem Imperatorem, in qua ſic habet: *Ad cuius* (nempe ſedis Apoſtolicæ) *ſicut ipſi ſcitis integritatem obſeruationis multoties conuentus factus fuerit Sanctorum Patrum, à quibus & deliberatum ac obſeruatum extitit qualiter abſque Romanæ ſedis Romanique Pontificis conſenſu, nullius inſurgentis deliberationis terminus daretur.* Vnde paulò poſt cum imperatore conqueritur, quòd ſine Romani Pontificis conſenſu priuatus ſit Patriarchatu Ignatius Patriarcha. *Bellarm.* *Nicolaus I.*

101. Secundò hoc argumentum ſoluitur ex legitima huius canonis tranſlatione, quę habetur in Concilio Chalcedonenſi Actione 16. in qua ſic canon iſte recitatur ab Epiſcopo Paſchaſino ſedis Apoſtolicæ Vicario, & admittitur à toto Concilio, trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum: *Canon ſextus. Quod Eccleſia Romana ſemper habuit primatum. Teneat autem & Ægyptus vt Epiſcopus Alexandriæ omnium habeat poteſtatem, quoniam & Romano Epiſcopo hæc eſt conſuetudo. Similiter autem & qui in Antiochia conſtitutus eſt, & in cæteris Prouincijs, primatus habeant Eccleſiæ Ciuitatum ampliorum.* Poſt cuius canonis propoſitionem ita Concilium decreuit: *Ex his, quæ geſta ſunt, & ab vno quoque depoſita perpendimus, omnem quidem primatum & honorem præcipuum ſecundùm Canones, antiqua Roma Dei amantiſſimo Archiepiſcopo conſeruari.* Dixit autem, *Antiqua Roma*, ad differentiam nouæ, quo nomine inſignita eſt ab Imperatore Conſtantino vrbs Conſtantinopolitana. Cæterùm quòd hæc ſit legitima huius canonis explicatio conſtat tum ex Epiſtola 1. & 2. Iulij I. miſſa ad orientales Epiſcopos: in quarum prima ait, ex decreto Nicænæ Synodi definitum eſſe, Romanam Eccleſiam inter omnes primatum tenere: in 2. verò inſerit triginta ſex canones exceptos ex actis ipſis Concilij Nicæni, in quorum multis decernitur authoritas & primatus Romani Pontificis ſupra cęteros: tum ex Concilio ipſo Nicæno, quod canone 39. ſic habet: *Sic præeſt Patriarcha ijs, omnibus qui ſub poteſtate eius ſunt, ſicut ille, qui tenet ſedem Romæ, caput eſt & Princeps omnium Patriarcharum. Quandoquidem ipſe eſt primus, ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, & omnes populos eorum, vt qui ſit Vicarius Chriſti Domini noſtri ſuper cunctos populos, & cunctam Eccleſiam Chriſtianam. Et quicunque contradixerit, à Synodo excommunicabitur.* Quem canonem collector ipſe canonum citari docet ab Auguſtino Steucho *Concilium Chalcedon.* *Iulius I.* *Concilium Nicænum.* *Auguſt. Steuchus.*

Franciſcus Turrianus. *Alanus.*

lib. 2. de donatione Conſtantini, Franciſco Turriano lib. 2. de dogmaticis charact. & Alano Copio in Dialogis: aitque prędictum canonem Arabicè extare in Bibliotheca Marcelli II. Romani Pontificis num. 44. in hunc modum: *Veneramur ſecundùm Scripturas, & canonum definitionem Sanctiſſimum Romanæ antiquæque Eccleſiæ Epiſcopum, primum eſſe & maximum omnium Epiſcoporum. Vt autem cunctis ditionis ſuæ nationibus imperat Patriarcha, & leges indicit: & vt à principio Petrus Chriſti Vicarius Religioni, Eccleſijs, cæteriſque ad Chriſtum rebus pertinentibus præfectus, Principum Chriſtianorum, Prouinciarum, & omnium gentium Dominus & Rector erat: ita ille, cuius Principatus Romæ eſt, Petro ſimilis, & authoritate par, Patriarcharum omnium dominatum & Principatum obtinet. Huic Sanctioni ſi quis repugnauerit, & obſiſtere auſus fuerit, totius Synodi decreto anathemati ſubijciatur.*

102. Inſtat 5. Non ſemper in Concilijs datus eſt primus locus legatis Romani Pontificis: igitur Romanus Pontifex non habet primatum in reliquos omnes. Antecedens probat: nam 1. in Concilio Nicæno non primus, ſed quartus locus datus eſt Vito, & Vincentio legatis Iulij I. Pontificis Romani, præſidente in eo Athanaſio Epiſcopo Alexandrino. Secundò in Concilio Epheſino legati Celeſtini inferiori loco ſedent, ſententiam interrogantur, ſubſcribunt: vt autem videretur Pontifex, inquit Caluinus, in eo Concilio primam ſedem habere, obliquo artificio vices ſuas mandat Cyrillo Epiſcopo Alexandrino, qui aliàs erat in eo Concilio præſeſſurus. Tertiò in Concilio Epheſino II. non legati Leonis, qui in eo Concilio aderant, ſed Dioſcorus Patriarcha Alexandrinus ſuo iure præſedit. Quartò in Synodo Chalcedonenſi non iure, ſed Priuilegio Imperatoris, vt Leo ipſe, ait Caluinus, in Epiſtola ad Marcianum Imperatorem, & Pulcheriam Auguſtam confitetur, primam ſedem occuparunt, eo quòd non eſſet in eo Concilio idonea perſona, quę præeſſet: nam qui iure præeſſe debebant, per ſuam intemperiem & libidinem ſeſe loco excluſerunt. Quintò in Concilio Conſtantinopolitano non Romani Pontificis legati, ſed Menna Conſtantinopolitanus Patriarcha præſedit. Sexto in Concilio Carthaginenſi, cui interfuit Auguſtinus, non legati Romani Pontificis, ſed ipſe Auguſtinus loco Archiepiſcopi præfuit: cùm tamen in eo Concilio maximè lis eſſet de Romani Pontificis authoritate. Septimò in ipſa Italia habitum eſt Concilium vniuerſale, cui non Romani Pontificis legati, ſed Ambroſius Mediolanenſis Eccleſiæ Epiſcopus præſedit.

Caluinus.

103. Reſp. negando antecedens: falſum quippe eſt vllum fuiſſe generale Concilium legitimè congregatum, in quo alius præſederit quàm vel ipſe Romanus Pontifex, vel eius legati, vt inductione conſtat de omnibus Concilijs generalibus, quæ hactenus in Eccleſia Dei celebrata ſunt. Dixi *de Concilijs generalibus:* nam in Diœceſanis ſolus Epiſcopus, in Prouincialibus ſolus Metropolitanus, in nationalibus ſolus præeſt vel Patriarcha, vel primas. Inductio conſtat vel ex ipſo primo Concilio generali ab Apoſtolis Ieroſolymis coacto, vbi præſedit Petrus, qui & primus fuit in ferenda ſententia, & reliqui ipſius ſententiam ſunt ſecuti.

104. Poſt Concilium Apoſtolorum primum generale, quod celebratum eſt, fuit Nicænum Anno Domini 325. ad Arium hæreticum damnandum. In quo præſediſſe Romani Pontificis legatos, apertè conſtat ex ſubſcriptionibus: nam qui primi in eo Concilio ſubſcripſerunt, fuerunt Hoſius Epiſcopus Cordubenſis, Vitus & Vincentius Romanę ſedis legati, vt omnes ferè graues Scriptores, qui de Nicæna Synodo tractant, teſtantur. Legatur Baronius in compendio Spondani Anno 325. numero 7. Ex quo ſoluitur prima obiectio Caluini falſo affirmantis, in eo Concilio præſediſſe Athanaſium, cùm nondum eo tempore Athanaſius fuerit Epiſcopus, vt ex eodem Concilio conſtat, vbi poſt legatos ſubſcribit Alexander Epiſcopus Alexandrinus, cum quo Athanaſius ad Concilium venerat Diaconus, qui quinto menſe poſt celebratum Nicænum Concilium ſufficitur Epiſcopus Alexandrinus in locum Alexandri demortui, vt teſtatur Baronius in compendio Spondani Anno 326.

Concilium Nicænum. *Baronius.* *Spondanus.*

105. Secundum Concilium generale fuit Conſtantinopolitanum, ad confirmandos contra Arianam hæreſim Nicænę Synodi canones, celebratum Anno 381. authoritate Damaſi, vt ex vetuſto codice Bibliothecæ Vaticanæ, id apertè atteſtante, refert Baronius eodem anno, & teſtantur literæ tum Damaſi ad Synodum, tum Synodi ad Damaſum, quas citat Theodoretus libro 5. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap. 9. Quòd autem in eo Concilio non præſederint Pontificis legati, ſed Nectarius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, rationem reddit Bellarminus libro 1. de Concilijs capite 19. quia cùm vellet Pontifex, poſt conuocatos orientales Epiſcopos Conſtantinopolim, eos vocare Romam ad celebrandum ibi Concilium, ijs iuſtas ob cauſas ſe excuſantibus, non miſit Conſtantinopolim legatos, ſed permiſit, vt in eo præſideret Epiſcopus Conſtantinopolitanus, vt ex literis à Theodoreto relatis apparet.

Concilium Conſtantinopolit. *Baronius.* *Theodoretus.* *Bellarm.*

106. Tertium Concilium generale fuit Epheſinum primum ad Neſtorij hæreſim damnandam, coactum Anno 431. in quo præſedit Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus nomine Celeſtini I. vt teſtantur multi authores apud Bellarminum libro 1. de Concilijs capite 19. & apparet tum ex Epiſtola ipſius Celeſtini ad Cyrillum, quæ habetur in ipſo Concilio prima parte capite 15. in

Concilium Epheſinum. *Bellarm.*

qua

qua ſuas vices illi mandat, eumq; inſtruit, quo pacto debeat ad Neſtorium excommunicandum ſe gerere, his verbis: *Quamobrem noſtra ſedis authoritate adſcita, noſtraque vice & loco cum poteſtate vſus, eiuſmodi non abſque exquiſita ſeueritate ſententiam exequeris* &c. tum ex Epiſtola Cyrilli ad Neſtorium, quę inſerta eſt in eodem Concilio capite 26. in qua nomine Romani Pontificis illi excommunicationem fulminat, niſi reſipiſcat: tum ex ipſius ſubſcriptione, quæ tanquam Romani Pontificis locum tenentis omnium Epiſcoporum ſubſcriptionem præcedit, vt habetur initio ſecundæ partis Concilij. Neque id Caluinus negare audet, ſed tribuit Romani Pontificis fraudi. Quod eſt hæreticorum proprium, vt cùm vident ſe veritate conuictos, ad contumelias confugiant: & quod confictis mendacijs extorquere non poſſunt, conuitijs extorqueant ac probris.

Cyrillus.

Concilium Chalcedon.

107. Quartum fuit Chalcedonenſe ſub Leone I. Pontifice maximo, & Marciano Imperatore celebratum Anno 451. ad hæreſes Eutychetis & Neſtorij damnandas: in quo loco Romani Pontificis præſederunt Paſchaſinus, & Lucentius Epiſcopi, & Bonifacius & Baſilius Presbyteri, qui & primi ſubſcripſerunt, & ſententiam contra Dioſcorum dixerunt, vt ex Concilio ipſo conſtat. Cæterùm apertum mendacium eſt, quod Caluinus ex ſuo cerebro fingit, petijſſe Leonem à Marciano Imperatore, vt in defectum ſufficientis perſonæ, in eo Concilio Præſides admitterentur ipſius legati, cùm conſtet, nullo petito Imperatoris conſenſu, eos legatos miſiſſe ad Concilium, vt ex multis Leonis literis tam ad Imperatorem, quàm ad Synodum colligitur: quin in quadam Epiſtola Leonis ad Imperatorem, quæ habetur in parte tertia Concilij, Imperatorem ipſum monet, aliam rationem eſſe rerum humanarum, aliam diuinarum; nec pręter illam petram, quam Dominus in fundamento poſuit, ſtabilem fore vllam conſtructionem. Qua igitur ratione potuit Beatus Leo ab Imperatore petere, vt ex ipſius conſenſu ſedis Romanæ legati tanquam Præſides in Concilio admitterentur, qui hoc ipſum non ad Imperatorem, vtpote rem maximè diuinam, ſed ad ſedem Apoſtolicam pertinere iudicabat?

Concilium Conſtantinop. II.

108. Quintum Concilium generale fuit Conſtantinopolitanum II. à Iuſtiniano Imperatore authoritate Vigilij ſummi Pontificis indictum anno 553. In quo Concilio non Menna Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ſed Eutychius Mennæ ſucceſſor præſedit. In quo tamen, vt ipſe Eutychius in Epiſtola ad Vigilium fatetur, debuiſſet ipſe Romanus Pontifex præſidere: qui tamen nec per ſe, nec per ſuos legatos præſedit, quos nullos miſit: quoniam, vt hiſtoria huius Concilij refert, Pontifex volebat, vt illud celebraretur in Italia. Cæterùm hoc non obſtante Concilium iſtud obtinuit vim oecumenici, propter Romanorum Pontificum approbationem, nam & ipſe Vigilius, licet non ſtatim, & alij Romani Pontifices illud approbarunt ac ratum habuerunt, præſertim Beatus Gregorius lib. 1. Epiſt. 24. ad finem: *ſicut ſancti*, inquit, *Euangelij quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere & venerari me fateor: Nicænum ſcilicet, in quo peruerſum Arij dogma deſtruitur; Conſtantinopolitanum quoque in quo Eunomij, & Macedonij error conuincitur, Epheſinum etiam primum, in quo Neſtorij impietas iudicatur: Chalcedonenſe vero, in quo Eutychetis Dioſcorique prauitas reprobatur, tota deuotione complector, integerrima approbatione cuſtodio, quia in his velut in quadrato lapide ſancta fidei ſtructura conſurgit. Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo Epiſtola, quæ Iba dicitur, erroris plena, reprobatur. Theodorus perſonam mediatoris Dei & hominum in duabus ſubſtantijs ſeparans ad impietatis perfidiam cecidiſſe conuincitur. Scripta quoque Theodoreti, per qua Beati Cyrilli fides reprehenditur auſu dementia prolata, refutantur. Cunctas vero, quas præfata veneranda Concilia perſonas reſpuunt, reſpuo; quas venerantur, amplector; quia dum vniuerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe & non illa deſtruit quiſquis præſumit aut ſoluere, quos religant, aut ligare, quos ſoluunt.* Hæc beatus Gregorius, qui non minùs hoc V. Concilium, quàm reliqua quatuor priora vniuerſali Eccleſiæ conſenſu ait eſſe celebrata.

Gregorius.

Concilium Conſtantinop. III.

109. Sextum Concilium generale fuit Conſtantinopolitanum III. coactum tempore Conſtantini cognomento Pogonati Imperatoris, & Agathonis Papæ aduerſus Monothelitas Anno 680. in quo Pontifex Romanus præſedit per ſuos legatos Theodorum, & Georgium Presbyteros, & Ioannem Diaconum, & Conſtantium Subdiaconum, qui, vt ex ipſo Concilio apparet, primi ad ſententiam dicendam nomine Romani Pontificis interrogantur: primi ſententiam dicunt. Et licet primus Imperator & ſederit, & ſubſcripſerit, non tamen vt Iudex, ſed honoris cauſa, & tantùm vt conſentiens ijs, quæ à ſancta Synodo decreta fuere, vt ex ipſius ſubſcriptione conſtat: *Ego*, inquit, *N. fidelis in Chriſto Ieſu Deo Imperator Romanorum conſentiens omnibus, quæ definita ſunt, & ea recipiens ſubſcripſi.* Non igitur ipſe definiuit, ſed quod definitum fuerat, acceptauit, & conſenſit. Contrà verò Concilij Præſides ita ſubſcribunt: *Ego N. definiens ſubſcripſi.*

Concilium Nicæn. II.

110. Septima generalis Synodus fuit Nicæna II. ſub Adriano I. & Conſtantino & Irene Imperatoribus, pro cultu ſacrarum imaginum aduerſus Iconomachos Anno 787. congregata: in qua loco Pontificis Romani præſederunt Petrus Archipresbyter, & Petrus Presbyter Abbas Monaſterij Sancti Sabæ vrbis Romanæ, qui, vt ex ipſo Concilio conſtat, primi ſederunt, primi interrogati ſententiam tulerunt, primi ſubſcripſerunt.

Digitized by Google

pſerunt. Neque hæc Synodus damnata eſt à Concilio Francofordienſi celebrato anno 794. ſub Carolo magno, & Adriano II. Nam licet in hoc Concilio, quod tantùm nationale fuit, actum eſſet ab ijs, qui de ſacrarum imaginum cultu malè ſentiebant, de damnatione Concilij Nicæni II. quoad ſacrarum imaginum cultum: huic tamen errori per legatos, & ipſum Pontificem Romanum conſtanter reſtitutum fuit, adeo vt quæ de hac damnatione ſacrarum imaginum cultus in dicto Concilio acta ſunt, nullibi extent: euidens ſignum, quòd ea omnia fuerint à legatis, vel à Pontifice abolita. Legatur Baronius anno 794. *Baronius.*

Concilium Conſtant. IV. 111. Octauum Concilium generale fuit Conſtantinopolitanum IV. coactum authoritate Adriani II. tempore Imperatoris Baſilij, contra Photium Photianos, & Iconomachos anno 869. in quo Romani Pontificis legati præſederunt Donatus, & Stephanus Epiſcopi, cum Marino Diacono. Qui primi ſententiam dicunt, & ſubſcribunt, ſubſcribente Imperatore poſt Patriarchas, etiamſi rogatus fuerit, vt ante omnes ſubſcriberet. *Concilium Florentin.* Quòd autem in Concilio Florentino ſeſſ. 6 aliquanto poſt initium dicatur hæc octaua Synodus abrogata, id Baronius refert in ignorantiam Iuliani Cardinalis, qui dum in ea Seſſione diſputaret cum Marco Epheſino, hanc octauam Synodum negante, mendaciterque aſſerente, eam abrogatam fuiſſe à Ioanne Pontifice, & approbatam Photianam; qua hæc octaua ſub Adriano II. damnata eſt, nimis indulſit, concedens quòd concedere non debuiſſet.

112. Verùm falſitas huius abrogationis vel inde conſtat, quòd Pontifices Romani ſtatim creati ſolemnem profeſſionem faciunt acceptandi, & defendendi omnia, quæ in his octo Concilijs generalibus definita ſunt. *Seuerinus Binius.* Formula autem relata à Seuerino Binio in fine huius octauæ Synodi in explicatione particulæ *Approbatum*, ſic ſe habet: *In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis; Ego N. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus, vel Presbyter, aut Epiſcopus Cardinalis electus, vt fiam per Dei gratiam huius ſanctæ Apoſtolicæ ſedis humilis miniſter, profiteor tibi Beate Petre Apoſtolorum Princeps &c. quòd quamdiu in hac miſera vita conſtitutus fuero, ipſam* (nempe Eccleſiam) *non deſeram: nec ex quacunque cauſa cuiuſcunque metus vel periculi occaſione dimittam: nec me ſegregabo ab ipſa, ſed vera fidei rectitudinem, quam Chriſto authore tradente per beatiſſimum tuum Coapoſtolum Paulum, & per diſcipulos ſucceſſores veſtros vſque ad exiguitatem meam prolatam in tua ſancta Eccleſia reperi, totis conatibus, vſque ad ſanguinem cuſtodire, tam de ſancta & indiuiduæ Trinitatis Myſterio, quæ vnus eſt Deus, quàm de diſpenſatione, quæ ſecundum carnem facta eſt vnigeniti filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et de cæteris Eccleſiæ dogmatibus, ſicut in vniuerſalibus Concilijs, & conſtitutionibus Apoſtolicorum Pontificum, probatiſſimorumque Eccleſiæ Doctorum ſcriptis ſunt commendata, id eſt, quæ ad rectitudinem noſtræ, veſtræque Orthodoxæ fidei à te traditionem accipiunt, conſeruare, Sanctaque octo vniuerſalia Concilia, id eſt Nicænum, Conſtantinopolitanum, & Epheſinum I. Chalcedonenſe, quintum quoque & ſextum item Conſtantinopolitana, & ſeptimum item Nicænum, Octauum quoque item Conſtantinopolitanum, vſque ad vnum apicem immutilatè ſeruare, & pari honore & veneratione digna habere: & quæ prædicauerunt & ſtatuerunt, omnimodè ſequi & prædicare: quæque condemnauerunt, condemnare ore & corde.* Atqui hæc de Concilijs generalibus celebratis in oriente: quæ verò celebrata ſunt in occidente continuando cum præcedentibus,

113. Nonum eſt Lateranenſe I. congregatum authoritate Caliſti II. ſub Imperatore Henrico anno 1122. ad pacem vniuerſalis Eccleſiæ ſtabiliendam: in quo ipſemet Pontifex præſedit. *Concilium Lateran. I.*

114. Decimum eſt Lateranenſe II. ſub Innocentio II. tempore Conradi Romanorum Regis coactum, tum aduerſus Anacletum, & Victorem Antipapas, eorumque fautores; tum ad hæreſim Arnaldi de Brixia damnandam; tum ad diſciplinam Eccleſiaſticam in priſtinum vigorem reſtituendam anno 1139. in quo Concilio præſedit ipſe Pontifex, qui & excommunicationem contra Clerici percuſſores ſanxit, & militum torneamenta prohibuit. *Concilium Later. II.*

115. Vndecimum fuit Lateranenſe III. celebratum anno 1180. authoritate Alexandri III. ſub Friderico I. Imperatore contra hæreſes Catharorum, ſeu Waldenſium, & Albigenſium, & aduerſus ſchiſmaticos ab Antipapis ordinatos, quos omnes degradatos damnauit. *Concilium Later. III.*

116. Duodecimum fuit Lateranenſe IV. indictum ab Innocentio III. tempore Friderici II. Regis Romanorum ad Albigenſium, & Almarici hæreſes, Abbatiſque Ioachimi errores damnandos; nec non ad Eccleſiam reformandam, & pro terra ſancta recuperanda anno 1215. in quo ipſe Pontifex præſedit, vt apparet ex duobus ſermonibus, quos habuit ad Synodum congregatam. *Concilium Later. IV.*

116. Decimum tertium fuit Lugdunenſe I. celebratum anno 1245. ab Innocentio IV. contra Fridericum II. Imperatorem, qui ob ſuam in ſedem Apoſtolicam contumaciam, fuit in eo Concilio imperiali dignitate priuatus; nec non pro terra ſancta recuperanda. Præſedit in eo ipſe Pontifex, qui propter bella, quibus tota Italia infeſtabatur, elegit Concilium celebrare Lugduni, quæ eſt celebris Galliæ Ciuitas. *Concilium Lugdun. I.*

117. Decimum quartum fuit Lugdunenſe II. celebratum anno 1274. a Gregorio X. ſub Imperatore Michaële Palæologo contra errores Græcorum: in quo Pontifex ipſe præſedit, multaſque ſalutares edi- *Concilium Lugdun. II.*

dit

dit conſtitutiones, quarum præcipua fuit de modo, & loco eligendi ſummum Pontificem, quam Gregorius XV. anno 1621 26. menſis Nouembris primo anno ſui Pontificatus renouauit, & auxit. Ad hoc Concilium vocati fuerunt duo illa Eccleſię lumina Beatus Thomas Aquinas, & Sanctus Bonauentura: quorum ille in itinere inter Neapolim & Romam in Monaſterio Foſſę nouæ venerabilium Monachorum Sancti Bernardi mortuus ad Concilium non peruenit: hic verò mortuus eſt in ipſo Concilio, poſtquam à Gregorio X. creatus fuerat Cardinalis.

Concilium Viennenſe. 118. Decimum quintum fuit Concilium Viennenſe celebratum anno 1311. à Clemente V. ſub Henrico VII. Imperatore contra Templarios, & hæreſes Petri Ioannis, & Fraticellorum, Begardorum ac Beguinarum; nec non de terra Sancta recuperanda: in quo & Pontifex ipſe præſedit, & multas condidit pro Eccleſiæ reformatione ſanctiones.

Concilium Florentin. 119. Decimum ſextum fuit Florentinum celebratum anno 1438. contra errores Græcorum, in quo præſedit Eugenius IV. cui etiam interfuit Græcorum Imperator Ioannes Palæologus, non vt iudex, ſed vt ſpectator & conſentiens dumtaxat ijs, quæ à ſacro Concilio definiebantur. Nec ſe ſubſcripſit, niſi poſt Cardinales.

Concilium Lateran. V. 120. Decimum ſeptimum fuit Lateranenſe V. cœptum anno 1512. ſub Leone X. tempore Imperatoris Maximiliani ad extinguendum ſchiſma à Conciliabulo Piſano propagatum, ad concordiam inter Chriſtianos Principes conciliandam, ad Romanæ Curiæ totiusque Eccleſiæ mores reformandos, ad expeditionem contra Turcas ſuſcipiendam: cui Concilio præfuerunt ipſimet Romani Pontifices.

Concilium Trident. 121. Decimum octauum & vltimum fuit Concilium Tridentinum aduerſus hæreſes Lutheranorum, & Caluiniſtarum, cœptum ſub Paulo III. anno 1545. & finitum ſub Pio IV. anno 1563. tempore Caroli V. & Ferdinandi I. Imperatorum, præſidentibus in eo legatis Romanorum Pontificum. Atque hæc de Concilijs generalibus, quoad omnia à ſede Apoſtolica receptis & approbatis.

Concilium Sardicenſe, nō diuerſum à Nicæno. 122. Omiſi inter Synodos generales Orientales Sardicenſem, celebratam anno 347. ſub Iulio I. & Conſtante ac Conſtantio Imperatoribus, in cauſa Athanaſij, Marcelli, aliorumque exulum Epiſcoporum, in quo præſederunt Archidamus & Philoxenus Apoſtolicæ ſedis legati, vt ex Athanaſij Apologia 2. refert Seuerinus Binius in notis huius Concilij, in explicatione particulæ *Oecumenicum*. Omiſi, inquam, inter generalia Concilia in Oriente celebrata hoc, eo quòd ferè nullus ex antiquis Patribus illud inter generalia Concilia Orientalia annumerat vt diſtinctum. Cuius rei duplicem cauſam reddit Baronius hoc eodem *Baronius.* anno 347. Prima eſt: quia cùm nihil in materia fidei contineat diuerſum à Concilio Nicæno, ſed ſit pura confirmatio eorum, quę in Concilio Nicæno definita fuère, fuerintque ijdem ferè Patres qui eidem Concilio interfuerunt, non cenſetur ab illo diuerſum. Vnde in ipſo tomo Conciliorum appellatur *appendix* Concilij Nicæni. Secunda eſt: quoniam Ariani poſt Concilium Nicænum, in quo fuit eorum hæreſis damnata, ſtatim coëgerunt Philippopoli in Thracia Conciliabulum, vt ex Sozomeno refert idem Baronius, illudque promulgarunt ſub titulo Sardicenſis Concilij, vt maiorem haberet fidem apud ipſos etiam Catholicos: In quo Concilio damnarunt Romanum Pontificem. Patres igitur vel non diſtinguentes inter verum & falſum Concilium, vel nomen ipſum Sardicenſis Concilij, quod hęretici vſurpauerant, execrantes, noluerunt illud inter ſacra Oecumenica Concilia annumerare.

Concil. Conſtantienſe an errauerit. 123. Omiſi etiam inter Concilia Oecumenica occidentalia Conſtantienſe, coactum ſub Sygiſmundo Romanorum Imperatore anno 1413. ad tollendum ſchiſma inter Gregorium XII. Benedictum XIII. & Ioannem XXIV. eo quòd hoc Concilium non fuit quoad omnia approbatum: non enim fuit approbatum, quòd poteſtas Concilij ſit ſupra poteſtatem Papæ, quod hoc Concilium decreuit ſeſſ. 4. & 5. oppoſitum namque definitum fuit in Concilio Florentino in ipſo decreto Eugenij IV. Sed quid mirum, ſi hoc Concilium etiam vniuerſale errauerit, cùm in eo neque legitimus Pontifex, qui electus fuit in ſeſſ. 41. 11. Nouembris anno 1417. appellatusque eſt Martinus V. nec Pontificis legati præſederint, cùm hoc Concilium non fuerit coactum authoritate Canonici Pontificis, propter ſchiſma, quod tunc erat, ſed ab ipſis Cardinalibus & Epiſcopis. Vnde ſtatim atque fuit electus Canonicus Pontifex in eo præſedit, confirmauitque tantùm ea, quæ confirmanda erant.

124. Ex dictis apparet, quanta ſit Caluini impudentia, qui auſus eſt contra tam conſtantem & perpetuam Eccleſiæ conſuetudinem aſſeuerare, non ſemper in Concilijs generalibus primam ſedem datam eſſe legatis Romani Pontificis. Cæterùm Concilium Carthaginenſe, in quo Auguſtinus, & Aquileienſe, *Concilium Carthag.* in quo Ambroſius interfuit, non fuerunt Concilia generalia, ſed Prouincialia, vel ad ſummum Nationalia, cùm ad ea non fuerint Epiſcopi ex toto orbe vocati. Adde, quòd Ambroſius ſolùm in eo Concilio obiuit munus diſputantis, non præſidentis; quemadmodum in Concilio Florentino Ioannes Latinus ex parte Latinorum, & Marcus Epheſinus ex parte Græcorum, qui non propterea dicuntur in eo Concilio præſediſſe: cùm munus diſputandi ſit proprium Theologi, præſidendi verò Epiſcopi.

125. Inſtat 6. Si ideo Roma habet primas, quia illis vſque ad extremum ſedit Petrus,

cur Antiochia non retinuit ſecundas, Ieroſolyma tertias, in qua ſedit Iacobus, quartas Epheſina ſedes quam fundarunt Paulus & Ioannes, qui vſque ad mortem illam rexit, cùm tamen Antiochiam præcedat Alexandria, Ieroſolyma fuerit ſemper vltima, Epheſina verò nullum habuerit certum in Concilijs locum.

Bellarm. 126. Reſpondeo cum Bellarmino lib. 2. de Romano Pontifice cap. 12. numerum & dignitatem Patriarchalium ſedium non pendere ex dignitate Epiſcoporum, qui in illis ſederunt, ſed ex dignitate & voluntate Petri, *Anacletus.* vt teſtatur Anacletus Epiſt. 3. *Prima*, inquit, *ſedes eſt Cœleſti beneficio Romana Eccleſia. Secunda autem ſedes apud Alexandriam, Beati Petri nomine, à Marco eius diſcipulo atque Euangeliſta cõſecrata eſt. Tertia autem ſedes apud Antiochiam eiuſdem, id eſt Beati Petri Apoſtoli nomine habetur honorabilis: quia illic, priuſquam Romam veniret, habitauit; & Ignatium Epiſcopum conſtituit.* *Gregorius.* Et Beatus Gregorius lib. 6. Epiſt. 37. ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum hęc ſcribit: *Itaque cùm multi ſint Apoſtoli, pro ipſo tamen principatu ſola Apoſtolorum Principis ſedes in authoritate conualuit, quæ in tribus locis vnius eſt. Ipſe enim ſublimauit ſedem, in qua etiam quieſcere, & præſentem vitam finire dignatus eſt: Ipſe decorauit ſedem, in quam Euangeliſtam diſcipulum miſit, ipſe firmauit ſedem, in qua ſeptem annis, quamuis diſceſſurus, ſedit. Cùm ergo vnius atque vna ſit ſedes, cui ex authoritate diuina tres nunc Epiſcopi præſident, quidquid ego de vobis audio, hoc mihi imputo.* Hæc Gregorius: quibus verbis conſtat, hanc Patriarchalium ſedium diuiſionem factam eſſe voluntate Petri. Cur autem Alexandria prælata ſit Antiochiæ, cùm tamen Antiochiæ Petrus præſederit per ſeipſum, Alexandrinæ verò per ſuum Diſcipu- *Baronius.* lum; eam rationem reddit Baronius in compendio Spondani anno 45. num. 16. quoniam Alexandria tunc temporis erat quaſi totius orbis theatrum, ad quod ex omnibus mundi partibus vniuerſæ ferè gentes confluebant. Cur autem primas obtineat Romana, aperta eſt ratio: quoniam ibi ſedem fixit, ſuaque morte illam confirmauit. Quo fit, vt antiquitus non fuerint niſi tres ſedes Patriarchales: quibus progreſſu temporis acceſſerunt Ieroſolymitana, & Conſtantinopolitana.

SECTIO IV.

Quo Iure primatus vniuerſalis Eccleſiæ ſit coniunctus cum Epiſcopatu Romano?

127. HActenus oſtendimus, iure diuino & ex inſtitutione Chriſti, collatum fuiſſe primatum totius Eccleſię Petro, & ſucceſſoribus eius, qui de facto ſunt Epiſcopi Romani, quoniam hi de facto continuata ſerie tot annorum ſuccedunt Petro in Cathedram, in qua ipſe vltimò ſedit, ſuaque morte illam confirmauit, & loco addixit, alijſque in eam legitimè ſuccedentibus reliquit. Atque id totum de fide eſt. Illud autem inter Catholicos in dubium vocatur, an coniunctio iſta primatus totius orbis cum Epiſcopatu vrbis ſit de iure diuino & ex Chriſti inſtitutione; an tantùm de iure humano, & ex ſola diſpoſitione Petri, qui ſuo facto & morte talem coniunctionem fecit. Nam ſi dicamus, illam eſſe ex diſpoſitione Chriſti, irrita & inualida erit Pontificia electio, ſi alius, quàm Romanus Epiſcopus, in Petri ſucceſſorem eligatur: quia non ſeruaretur conditio à Chriſto præſcripta. Contrà verò, ſi dicamus, eam eſſe de iure Eccleſiaſtico, & ex mera voluntate Petri, poterit alius Epiſcopus, quàm Romanus, in primatum Eccleſię eligi. Quia quod Petrus propria voluntate inſtituit, poteſt à ſucceſſoribus mutari: ſicut de facto mutata fuit electio Clementis, quem Petrus immediatum ſucceſſorem elegerat, in Lini, vel Cleti. Nam quod Petrus propria voluntate inſtituit, non excedit ius humanum, ſupra quod Pontifices plenam habent poteſtatem: poſſunt enim poſteriores Pontifices mutare, quod prædeceſſores propria voluntate inſtituerunt: quia non poteſt prædeceſſor obligare ſucceſſorem ad id, quod ſola ſua voluntate inſtituit, cùm par in parem non habeat imperium.

128. At, inquies, Pontifices non ſolùm obligantur ad ſeruandas traditiones diuinas, ſed etiam Apoſtolicas: ergo non ſolùm obligantur ad ſeruandum præceptum Chriſti, ſed etiam Apoſtolorum. Reſp. teneri Pontifices ad ſeruandas traditiones Apoſtolicas, quę vel ex voluntate Chriſti per Apoſtolos ad ſucceſſores deriuantur, vel quas ipſi Apoſtoli non ex propria voluntate, ſed ex ſpeciali Spiritus ſancti inſtinctu & aſſiſtentia condunt. Quo pacto tenentur poſteriores Pontifices ſeruare decreta & ſanctiones, quas priores cum Spiritus ſancti aſſiſtentia condiderunt. His igitur adnotatis,

129. PRIMA ſententia, ſeu error hæreticorum eſt, hanc coniunctionem primatus orbis cum Epiſcopatu vrbis eſſe de iure humano, quod honoris cauſa vel Imperatores, vt autumat Caluinus; vel Patres in Concilio *Caluinus.* Chalcedonenſi congregati actione 16. vt contendit Nilus, in Eccleſiam Romanam *Nilus.* contulerunt.

130. SECVNDA ſententia Catholicorum affirmat, hanc coniunctionem primatus in totum orbem cum Epiſcopatu Romano eſſe de iure Eccleſiaſtico, & conſequenter eadem lege ſtatui poſſe, vt non idem ſit Epiſcopus orbis & vrbis. Hanc docent Aliacenſis in qua- *Aliacenſis.* dam quæſtione habita in ſuis Veſperijs art. 2. Coroll. 2. & 3. Sotus in 4. diſt. 24. q. 2. art. *Sotus.* vlt. Bannez 2. 2. q. 1. art. 10. in commenta- *Bannez.* rijs fuſioribus dub. 4. & alij, quos citat Suarez *Suarez.* diſp. 10. ſect. 3. n. 9. quos legere non potui.

Funda-

Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia quando Chriſtus hanc poteſtatem tradidit Petro, illam ad certum locum non limitauit. Atqui eandem poteſtatem in perſona Petri tradidit omnibus ſucceſſoribus. Ergo nõ magis illam in perſona Petri tradidit Epiſcopo Romano, quàm reliquis. Sola igitur electorum voluntate factum eſt, vt quoniam primus ſucceſſor Petri fuit Epiſcopus Romanus, nullus alius deinceps ad huiuſmodi dignitatem eueheretur. Maior conſtat ex forma ipſa verborum, quibus Chriſtus hanc poteſtatem Petro tradidit, quibus nulla apponitur ad locum limitatio: *Tu es*, inquit, *Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: tibi dabo claues Regni cœlorum: quodcunque ligaueris ſuper terram* &c. *Paſce oues meas*. Quæ formæ omnes ſunt à loco abſolutę, & tantùm vniuerſalem poteſtatem, aut ſpondent, aut conferunt.

131. Confirmatur 1. Quia potuiſſet Petrus ſupremam authoritatem in vniuerſam Eccleſiam exercere, nulla particulari ſede ſibi appropriata, vti fecit toto illo tempore, quo nondum Antiochenam, & Alexandrinam Eccleſiam fundauerat: vel certè potuiſſet ſemper in Antiochena ſedere, aut Roma relicta aliò ſedem transferre. In quibus caſibus, qui Petro ſucceſſiſſet in præfecturam totius Eccleſiæ, non fuiſſet Epiſcopus Romanus, ſed vel quicunque iuxta primum caſum, vel Antiochenus, aut Alexandrinus iuxta ſecundum, vel eius loci, vbi ipſe Petrus relicta Roma, ſedem fixiſſet. Ergo etiamſi de facto mortuus ſit Romæ, ibique ſuam ſedem fixerit, adhuc poterit alius, quàm Romanus Epiſcopus in ipſius dignitatem ſuccedere, cùm mors Petri non mutet voluntatem Chriſti & inſtitutionem conferendi vniuerſalem poteſtatem Petro, eiuſque ſucceſſoribus independenter à certo & limitato loco.

132. Confirmatur 2. Quia poſſet Epiſcopatus Romanus ceſſare, vel per hoſtium inuaſionem & poſſeſſionem, vel per fidei diuinæ extinctionem: ſed adhuc in eo euentu deberet eſſe, qui loco Petri totius Eccleſiæ curam gereret. Ergo dignitas Petri in vniuerſali Regimine Eccleſię non eſt iure diuino alligata Epiſcopatui Romano: alioqui in eo caſu non eſſet, qui Petro ſuccederet, in munere gubernandi Eccleſiam, & conſequenter non eſſet, qui tanquam Iudex à Chriſto conſtitutus cum infallibili authoritate decidere poſſet controuerſias fidei, quę eo tempore maximè inſurgerent.

133. Confirmatur 3. Si hoc eſſet de iure diuino à Chriſto inſtituto, deberet per aliquam regulam Canonicam Eccleſię conſtare: atqui per nullam Canonicam regulam Eccleſiæ conſtat. Nam vel ea eſſet Scriptura diuina, vel traditio, vel definitio Eccleſię. Scriptura diuina non eſt, vt hactenus oſtendimus: traditio nulla extat: definitio Eccleſiæ nulla afferri poteſt, nam ſi quæ affertur, illa tantùm loquitur, poſita electione Romani Epiſcopi in primatum Eccleſiæ: nam poſito, quòd in ſucceſſorem Petri de facto eligitur Romanus Epiſcopus, de fide eſt, illum eſſe legitimum Petri ſucceſſorem: non autem loquitur, quid fieret, ſi alterius Diœceſis Epiſcopus in ſucceſſorem Petri eligeretur, de quo tantùm eſt præſens quæſtio.

134. Tertia ſententia docet, coniunctionem primatus totius Eccleſiæ cum Epiſcopatu Romano eſſe de iure diuino à Chriſto Domino inſtituto; proinde non poſſe ad primatum orbis alium, quàm vrbis Epiſcopum eligi. Eſt Caietani tom. 1. opuſc. tract. 3. de Pontificis inſtitutione cap. 13. vbi: *Si ad ortum*, inquit, *atque initium ſucceſſionis Romani Pontificis retroſpectes, rationem ſuccedendi inuenies fuiſſe Eccleſia Romana appropriationem ad Pontificatum Petri, firmatam Petri morte & Chriſti mandato*. Eandem ſententiam ſequuntur Canus lib. 6. de locis Theologicis cap. 4. 5. & 6. Valentia diſp. 1. q. 1. punct. 7. §. 37. Malderus 2. 2. q. 1. art. 10. dubit. 3. Suarez diſp. 10. ſect. 3. Turrianus diſp. 15. dub. 2. Driedo de varijs dogmatibus lib. 4. Turrecremata in caput Rogamus 24. q. 1. Syluius lib. 4. de controuerſijs q. 1. art. 6. ad quam inclinat Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice cap. 12. quam ſententiam adeo certam putat Valentia, vt oppoſitam cenſeat ſingularem, & non ſatis tutam. Pro explicatione huius controuerſiæ,

Caietanus. Canus. Valentia. Malderus. Suarez. Turrianus. Driedo. Turrecremata. Syluius. Bellarm.

135. Dico 1. Coniunctio primatus orbis cum Epiſcopatu vrbis non eſt de iure humano Imperatorum, aut Conciliorum. Prior pars conſtat, quia nequeunt Imperatores conferre ius, quod non habent. Atqui Imperatores nullum ius habent in res diuinas, cùm eorum poteſtas non excedat poteſtatem, quam habent ſeculares Reſpublicæ, à quibus ipſi eliguntur, quæ tantùm verſatur intra limites humanorum iurium. Falſum igitur eſt, quod de Phoca Imperatore, & Pipino Gallorum Rege commentatur Caluinus, quòd ille primatum dederit Bonifacio III. hic iuriſdictionem in Galliam Zachariæ: cùm conſtet, ante Pipinũ Romanos Pontifices iuriſdictionem exercuiſſe in Gallos; & Phocam tantùm declaraſſe Imperiali edicto contra Cyriacum Patriarcham Cõſtantinopolitanum, *Oecumenici* titulum ſibi vſurpantem, ſoli Romano Epiſcopo iure competere. Vbi non de primatu, quem omnes Romanæ ſedi ſemper dederunt, ſed de titulo tantùm *Oecumenici* controuerſia fuit, vt teſtatur Baronius anno Chriſtiano 606.

Concil. 1. Caluinus. Baronius.

136. Poſterior pars probatur: nam decretum illud, quod Chalcedonenſis Synodus fecit, de primatu concedendo Eccleſiæ Romanæ, propter Ciuitatis Imperium, non fuit acceptatum, quippe cui, vt in ipſa actione conſtat, legati Romani Pontificis reclamaruut: nec in vllo alio Concilio à ſede Apoſtolica approbato legitur, quòd iſta coniunctio primatus orbis cum Epiſcopatu vrbis conceſſa ſit Romanæ ſedi priuilegio Concilij.

137. Dico 2. De fide non eſt, primatũ Eccleſię iure diuino coniunctũ eſſe cum Epiſco-

Concil. 2.

patu Romano. Primò id demonſtrat opinionum varietas, abſque vlla cenſuræ nota: nam præter Valentiam, nullus auſus eſt oppoſitam ſententiam cenſere. Secundò id oſtendunt rationes pro prima ſententia allatæ. Tertiò potiſſimum fundamentum, quo contraria ſententia nititur, eſt mandatum Chriſti, quo Petro præcepit, vt in vrbe Romæ moreretur. Ex quo mandato prædicta ſententia colligit, Chriſti voluntatem fuiſſe, vt ibi Petri ſedes figeretur, ſublata poteſtate ſucceſſoribus, eam aliò transferendi. Sed nec primum eſt ita certum, vt oppoſitum ſit aliqua nota dignum, cùm pendeat ex pura hiſtoria, quam Patres non definiendo, ſed narrando referunt. Nec ſecundum euidenter deducitur ex primo: cùm potuerit Chriſtus præcipere Petro, vt Romæ moreretur propter alium finem, quàm vt ibi ſedem figeret. Vnde cautè Bellarminus ſententiam aſſerentem, hoc eſſe de iure diuino, ſolùm appellat non improbabilem.

Bellarm.

Concl. 3. 138. Dico 3. Etſi de fide non ſit, coniunctionem Epiſcopatus Romani cum primatu totius Eccleſiæ eſſe de iure diuino, eſt tamen probabilior ſententia: ad quam confirmandam multa congerit Canus, & Patrum, & Pontificum teſtimonia, quibus declarant, ad Romanam Eccleſiam, tanquam ad Caput omnium Eccleſiarum, pertinere Iudicium reliquarum Eccleſiarum, eo quòd Chriſtus Petro dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Verùm hæc teſtimonia authoritate Chriſti nixa ſolùm probant id, quod initio diximus, de fide tantùm eſſe, Romanam ſedem eſſe omnium Eccleſiarum caput, poſito quòd de facto Romanus Epiſcopus eligitur in dignitatem Petri, qui ſicut à Chriſto totius orbis primatum accepit, ita illum moriens ſucceſſoribus reliquit, vt quicunque in ipſius officium ſuccederet, eandem dignitatem acciperet. Poſito igitur, quòd de facto Romanus Epiſcopus ſubſtituitur in officium Petri, is, & non alius in primatum totius Eccleſiæ Petro ſuccedit. Quia ex vna parte Romanus Epiſcopus eligitur in Cathedram, in qua vltimò ſedit Petrus: & ex alia parte non extat mandatum, quòd in vniuerſalem curam Eccleſiæ debeat eligi alius, quàm Romanus Epiſcopus: igitur de facto Romanus Epiſcopus electus in Cathedram Petri, eſt legitimus ſucceſſor Petri in Paſtorali officio regendi vniuerſam Eccleſiam. Quòd autem hoc tantùm citata teſtimonia probent, euidenter oſtenditur: nam de fide eſt, Romanam ſedem eſſe omnium Eccleſiarum caput, ad eamque tanquam ad Matrem & Magiſtram veritatis ſpectare deciſionem omnium controuerſiarum, quæ in rebus fidei oriri poſſunt: De fide autem non eſt, vt omnes fatentur, Epiſcopatum vrbis eſſe neceſſariò coniunctum cum primatu orbis.

Canus.

139. Solùm igitur hæc aſſertio fundamentum habet in ijs Patribus, qui aſſerunt, Petrum ex peculiari mandato Chriſti ſedem fixiſſe Romæ. Quod mandatum pleríque colligunt ex eo, quòd cùm nouelli Chriſtiani indignè ferrent, ſibi morte abripi Petrum vniuerſalem Eccleſiæ Paſtorem, perſuaſerunt illi, vt fuga vitæ conſuleret, ſeque ad commune animarum bonum conſeruaret. Quod cùm Petrus feciſſet, eorum precibus compulſus, occurrit illi in ipſa fuga Chriſtus, eum his verbis alloquens: *Venio iterum Romæ crucifigi:* quaſi volens his verbis Petro Chriſtus mandatum dare, vt ſedem, quam Romæ fixerat, ſua morte perpetuò firmaret. Narrant hanc hiſtoriam inter alios Ambroſius oratione in Auxentium, quæ habetur lib. 5. Epiſt. poſt Epiſtolam 32. Etſi Marcellus Papa Epiſtola ad Epiſcopos Antiochenos videatur ſentire, hoc mandatum habuiſſe Petrum à Chriſto, quando primò ſedem Antiochia Romam tranſtulit: ſic enim ſcribit Epiſt. 2. ad Epiſcopos Antiochenos, & refertur capite *Rogamus* 24. q. 1. *Eius*, nempe Petri, *Sedes primitus apud vos fuit, quæ poſtea iubente Domino Romam tranſlata eſt.* Quod etiam ſentire videntur alij Patres. Et à poſteriori optimum argumentum eſt, ex eo quòd in tantis procellis perſecutionum, quas Eccleſia Romana tum à ſuis, tum ab exteris in ipſa vrbe paſſa eſt, maximam occaſionem habuit aliò Apoſtolicam ſedem transferendi. Quod cùm nunquam fecerit, veroſimile eſt, id aliunde non prouenire, quàm ex eo, quòd talis coniunctio ſemper æſtimata ſit de iure diuino, in quo nequeunt Pontifices diſpenſare. Vnde licet aliquando Pontifices propter perſecutiones multis annis habitauerint in Gallia, nunquam tamen deſinebant eſſe Romani Epiſcopi.

Ambroſius.

Marcellus.

140. Variæ huius coniunctionis congruentiæ aſſignantur, tum ex certitudine loci, vt ſicut debuit eſſe certa perſona, ad quam fideles in controuerſijs fidei recurrerent; ita & certa ac ſtabilis ſedes, ex qua diuina oracula vniuerſo orbi emanarent: tum ex vrbis ſplendore & Maieſtate: decebat enim, vt ſicut olim ante Chriſti aduentum electa fuit Ieroſolyma caput & ſedes omnium Synagogarum, in qua ſummus Pontifex cum ſuo Concilio reſideret: ita poſt eius in cœlum aſcenſum eligeretur Roma caput & ſedes totius orbis, in qua Chriſti Vicarius reſideret. Tum vt magis conſtaret Euangelicæ doctrinæ virtus & efficacia, vt quæ fuerat omnium errorum auctrix, fieret Magiſtra cultrixque veritatis. Tum demum propter beati Petri Principis Apoſtolorum, & primi Chriſti Vicarij dignitatem ac meritum: vt ſicut ipſe dignatus eſt, non ſolùm viuens corporali præſentia illam fundare, ſed etiam moriens pretioſiſſimo ſuo ſepulchro illam confirmare: ita promeritus eſt, vt illa fieret perpetua ſedes omnium eorum, qui ſibi in Paſtorali officio ſuccederent.

141. Ex dictis deducitur 1. hanc ſententiam non excedere limites maioris probabilitatis; nec poſſe contrariam aliqua nota cenſeri.

Digitized by Google

cenſeri. Hoc tamen non obſtante, nullus Pōtifex, nullumve Concilium etiam generale alterius opinionis probabilitate nixum ſtatuere poteſt vt alius, quàm Romanus Epiſcopus in ſucceſſorem Petri eligatur. Quia, cùm poteſtas regendi Eccleſiam, & definiendi res fidei immediatè conferatur à Chriſto; cumque hoc pendeat ex conditionibus à Chriſto præſcriptis, ſi alius, quàm Romanus Epiſcopus in ſucceſſorem Petri eligeretur, non poſſet eſſe certum, an talis electus, eſſet verus Petri ſucceſſor, & Chriſti Vicarius: cùm tamen Chriſti Vicarius debeat eſſe Eccleſiæ certus, vt ad illum in dubijs fidei recurri poſſit: nec de ipſius authoritate dubitari. Atque hoc fateri debent etiam authores contrariæ ſententiæ: nam ipſi negare ſaltem non poſſunt, quin noſtra ſententia ſit probabilis, qua probabilitate poſita, idem abſurdum ſequitur de incertitudine perſonę electæ, cùm hoc non tam pendeat ex ſententia Doctorum, quàm ex voluntate & inſtitutione Chriſti.

Bellarm. *Caietanus.* 142. Deducitur 2. Id, quod ſapienter notauit Bellarminus lib. 2. de Pontifice cap. 12. & ante ipſum Caietanus loco ſuprà citato, Romanum Epiſcopatum & primatum totius Eccleſiæ, non eſſe duas ſedes, aut duos Epiſcopatus, ſed vnum, qui Petri facto, & Chriſti mandato euectus eſt ad Epiſcopatum totius Orbis: in cuius ſignum non datur niſi vnum Pallium Epiſcopo Romano.

Reſpondetur ad fundam. 2. ſentent. 143. Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ Reſpondeo, illud tantùm probare, coniunctionem primatus totius Orbis cum Epiſcopatu Vrbis non eſſe de Iure Diuino, ex primaria Chriſti inſtitutione & voluntate, non autem ex ſecundaria, vt nos probauimus.

Ad 1. 144. Ad primam probationem, concedo, quòd ijs caſibus poſitis, coniunctio Præfecturę totius Eccleſię cū Epiſcopatu Romano non fuiſſet de Iure Diuino, quia tunc non acceſſiſſet ſecundaria Chriſti inſtitutio, quę nobis ſola Patrum authoritate conſtat: ſed manſiſſet ſola prima Chriſti voluntas, vi cuius poteſtas regendi totam Eccleſiam collata Petro, & eius ſucceſſoribus, non fuit ad certum locum limitata.

Ad 2. 145. Ad ſecundam, nego vnquam ceſſaturam ſedem Apoſtolicam in Epiſcopatu Romano: nam qui inſtituit vnum, infallibiliter præſtabit & alterum, à quo illud pendet. Sicut impoſſibile eſt, impoſſibilitate infallibilitatis, prædeſtinatum mori in peccato. Quin ex hoc aliqui colligunt, neque in Clero Romano vnquam defecturam fidem, etiamſi defectura eſſet in reliquo orbe. Quod certum omninò eſt ratione capitis ibi præſidentis, & ex Cathedra docentis: haud tamen eadem certitudine certum eſt ratione membrorum Romæ commorantium: quia promiſſio tantùm facta eſt capiti, ad quod ſpectaret in eo caſu fratres confirmare, eoſque ab infidelitate ad fidem conuertere. Tametſi probabilius ſit, eam neque in membris vnquam defecturam in Romano Epiſcopatu propter electores: quanquam non deeſſet tunc modus eligendi Romanum Epiſcopum in vniuerſalem Eccleſiæ Paſtorem. Dixi *ratione capitis præſidentis & ex Cathedra docentis*: quia certum de fide non eſt, quòd non poſſit fides deficere in Romano Epiſcopo, vt perſona priuata.

146. Ad tertiam patet ex dictis, vnde Eccleſiæ conſtet, hanc coniunctionem Romani Epiſcopatus cum Prælatura totius Orbis eſſe de Iure Diuino. *Ad 3.*

SECTIO V.

An poſſit eſſe fide Diuina certum, hunc numero Romanum Pontificem eſſe verum Petri ſucceſſorem, & Chriſti in terris Vicarium?

147. PRIMA ſententia negatiua Caietani 2. 2. q. 1. art. 3. §. *in reſponſione ad quartum*, Bannez 2. 2. q. 1. art. 10. in breuioribus commentarijs dub 2. ad 2. Alphonſi de Caſtro lib. 1. aduerſus hęreſes cap. 9. & aliorum, docentium, ſola prudentia humana, aut etiam infuſa, cui ſpeculatiuè poteſt ſubeſſe falſum, haberi poſſe, quòd hic numero Romanus Pontifex ſit verus Petri ſucceſſor, & Chriſti Vicarius: quamuis omnia, quæ fide Diuina credenda proponit, teneamur credere fide Diuina. Quorum illud eſt pręcipuum fundamentum, quia Canonica Pontificis electio à multis pendet conditionibus, quas non modò non tenemur fide Diuina credere, ſed nec poſſumus humanitus ſcire. Igitur non poteſt nobis eſſe fide Diuina certum, quòd hic, vel ille numero Pontifex ſit legitimus Petri ſucceſſor, & verus Chriſti Vicarius. Conſequentia patet, quia non poteſt nobis certum eſſe conſequens, de cuius antecedente dubitamus. Antecedens conſtat tum de conditionibus Diuino Iure pręrequiſitis, vt quòd ſit vir, Baptizatus, legitimè ordinatus: tum de conditionibus humana lege ſtatutis, vt quòd ſit à legitimis electoribus, ſufficienti calculorum numero, liberè & ſpontaneè ſuffragantium volūtate Canonicè electus. Quæ omnia nec tenemur Diuina fide credere, nec poſſumus humanitus euidenter ſcire, cùm tamen ex ijs pendeat legitima Petri ſucceſſoris in primatum vniuerſalis Eccleſiæ electio. *Negant Caietanus. Bannez. Alphonſus de Caſtro.*

148. Probatur 2. Quoniam nec Scripturæ, nec aliqua veri Pontificis definitione, aut legitima traditione conſtare nobis poteſt, quòd hęc ſingularis perſona ſit verus Petri ſucceſſor. De Scriptura conſtat. De traditione probatur, quia nulla traditio eſt, quę fideles obliget ad hunc vel illum numero Pontificem adorandum, vt legitimum Petri ſucceſſorem.

Digitized by Google

ceſſorem. De definitione veri Pontificis patet: nam definitio veri Pontificis ſupponit verum Pontificem: ſi autem incertum eſt de ſingulari perſona veri Pontificis, incerta quoque erit definitio de ipſius ſingulari perſona.

149. Probatur 3. Qui negaret hunc numero Romanum Pontificem eſſe Petri ſucceſſorem, modò non negaret Romanum Pontificem legitimè electum eſſe Petri ſucceſſorem, non eſſet hæreticus: ergo quòd hic numero Romanus Pontifex ſit verus Petri ſucceſſor, non eſt de fide: alioqui oppoſitum eſſet hæreticum.

150. Quartò. Si hoc de vno Romano Pontifice eſſet de fide, eſſet de omnibus, qui in Romanam ſedem aſſumpti ſunt. Atqui hoc non eſt fide certum de omnibus, vt conſtat ex hiſtoria cuiuſdam fœminæ, quæ, referente Platina, electorum errore circa annum 850. ſiue vt alij volunt 873. aſſumpta eſt in Cathedram Petri, in eaque vixit duos annos & quinque menſes, quæ dicta eſt Ioannes VIII.

151. Quintò. Etiamſi in Cathedram Romanam aſſumatur incapax, haud tamen ſequitur, vel eum aliquid docturum, quod Chriſtus non docuit, vel aliquid definiturum contra vniuerſales Eccleſiæ mores: nam vel Deus hunc nunquam permitteret ex Cathedra aliquid definire: vel certè in definiendis rebus ad Religionem ſpectantibus illi aſſiſteret, non minùs quàm ſi eſſet verus Pontifex. Sicut & Eccleſia aſſiſtit Parocho, & reſpublica Prætori probabiliter putato, vt conſtat ex lege *Barbarius* ff. de officio Prætoris.

Affirmant verius Valentia, Suarez, Albertinus, Syluius.

152. SECVNDA ſententia affirmatiua Valentiæ diſp. 1. quæſt. 1. de obiecto fidei punct. 7. §. 38. Suarez de fide diſp. 10. ſect. 5. Albertini principio 3. Philoſophico qu. 3. Theologica dubit. 2. Syluij lib. 4. de controuerſ. q. 2. art. 9. & aliorum. *Quæ verior eſt & ſequenda.* difficultas maxima eſt in aſſignanda efficaci ratione.

153. Aliqui hanc aſſignant. Si diuina fide non conſtaret, hunc eſſe verum Pontificem, neque diuina fide conſtaret, hanc eſſe canonicam Scripturam, hoc eſſe legitimum Concilium, hanc eſſe Apoſtolicam traditionem. Nam quòd hæc ſit canonica Scriptura, quòd hoc ſit legitimum Concilium, quòd hæc ſit Apoſtolica traditio, pendet ex definitione & declaratione Pontificis. Igitur ſi diuina fide mihi certum non eſt, hunc eſſe verum Pontificem, neque diuina fide mihi certum erit, hanc eſſe canonicam Scripturam, hoc eſſe legitimum Concilium, hanc eſſe Apoſtolicam traditionem: ac proinde tota Chriſtiana fides, quæ his regulis nititur, ruet.

154. Confirmatur 1. Non minùs hoc legitimum Concilium includit tanquam verum caput hunc Pontificem, quàm hæc propoſitio: *Chriſtus eſt homo:* includit eſſe animal, viuens, ſubſtantiam &c. Atqui eadem diuina fide, qua credimus, Chriſtum eſſe hominem, credimus eſſe animal, viuentem, ſubſtantiam: ergo eadem fide diuina, qua credimus, hoc Concilium eſſe legitimum, credimus hunc Pontificem eſſe verum huius Concilij caput.

155. Confirmatur 2. Eadem fidei certitudine, qua credo, hoc obiectum à Deo reuelatum eſſe verum, credo Deum eſſe infallibilis authoritatis in reuelando: ergo eadem fidei certitudine, qua credo, hoc obiectum propoſitum à Pontifice eſſe verum, credo ipſum Pontificem eſſe infallibilis authoritatis in proponendo, cùm non minùs obiectum quoad veritatem pendeat ex infallibili authoritate proponentis, quàm ex infallibili authoritate reuelantis.

156. Sed contrà: nam poteſt res propoſita eſſe fide diuina certa, eſto proponens non ſit diuina, ſed humana dumtaxat fide certus. Conſtat primò exemplis: nam primò, quòd hoc ſit legitimum Concilium à legitimo capite congregatum, ſola fide humana conſtat: non enim nobis immediatè applicatur per ipſam Pontificis definitionem, ſed id tantùm habetur per teſtimonium Eccleſiæ; quæ illud acceptat vt legitimum Concilium; quod teſtimonium non excedit fidem humanam: & tamen fide diuina tenemur credere, quæ de Orthodoxa fide hoc Concilium docet. Secundò quòd hæc Scriptura ſit declarata vt canonica, nobis non conſtat immediatè teſtimonio Pontificis definientis & declarantis, hanc eſſe canonicam Scripturam, ſed ſolo teſtimonio hominum, qui illam vt talem acceptant: cùm tamen fide diuina teneamur credere, illam eſſe canonicam, & quidquid in ea continetur, eſſe à Deo reuelatum. Tertiò. tenemur fide diuina credere Chriſtianæ Religionis Myſteria eſſe vera, & à Deo reuelata, cùm tamen ſigna, quibus illa nobis proponuntur vt euidenter credibilia, quòd ſint à Deo reuelata, non credamus fide diuina, ſed humana. Ergo pari modo poſſumus fide diuina credere, quæ hic Pontifex nobis credenda proponit, eſto eadem fide diuina non credamus ipſum eſſe verum Pontificem.

257. Probatur 2. Ratione: quoniam, vt aliquod obiectum ſit fide Diuina credendum, non eſt neceſſe, vt ipſius propoſitio debeat fide Diuina credi, ac proinde eadem fide Diuina credi debeat proponens; ſed ſufficit, ſi tantùm credatur fide humana: quia non eſt neceſſe, vt ipſa propoſitio, quę tantùm applicat teſtimonium Diuinum, ſit ipſum teſtimonium Dei, cùm poſſit eſſe teſtimonium humanum reddens euidenter credibile ipſum teſtimonium Diuinum, quod credendum applicat. Quotieſcunque enim res proponitur vt euidenter credibilis quòd ſit à Deo dicta, obligat ad credendum illam fide diuina, præſertim quando proponitur credẽda toti Eccleſię, cùm nequeat Deus permittere, vt res proponatur toti Eccleſiæ vt euidenter credibilis, & ipſius authoritate credenda, à quo reipſa dicta non ſit. Cùm

igitur

Digitized by Google

igitur Pontifex ſolùm ſe habeat vt proponens res fidei, ad hoc vt res ab ipſo propoſitæ ſint fide Diuina credendæ, neceſſum non eſt, vt ipſe etiam fide Diuina credatur, quòd ſit verus Pontifex, ſed ſufficit, ſi tantùm credatur fide humana, quia nimirum cum iis ſignis Pontificiæ authoritatis rem credendam proponit, vt moraliter ſit certum, quòd ipſe ſit verus Pontifex: nam tunc res propoſita credenda eſt fide Diuina, & tamen ipſe credi poteſt fide tantùm humana.

158. Vnde neganda eſt ſequela argumenti: nam poſſum fide Diuina eſſe certus, quòd hoc ſit legitimum Concilium, quòd hæc ſit Canonica Scriptura, quòd hęc ſit Apoſtolica traditio, etiamſi eadem fide Diuina non ſim certus, quòd proponens ſit legitimus Pontifex, ſed ſufficit, ſi tantùm ſim certus fide humana.

159. Ad priorem confirmationem, neganda eſt maior: nam *Homo* includit animal, viuens, ſubſtantiam, vt rationes ſui eſſentialiter conſtituentes. Quare idem teſtimonium Diuinum cadens ſupra *Hominem*, cadit ſupra omnia prędicata eſſentialia ipſius: & conſequenter idem aſſenſus credentis, qui fertur in Chriſtum vt hominem, fertur in Chriſtum vt animal, vt viuens, vt ſubſtantiam, quę conſtituunt eſſentialiter hominem. At verò hoc Concilium includit hunc Pontificem ſolùm vt proponentem & declarantem hoc Concilium eſſe legitimum: proinde non eodem actu, quo aſſentior huic Concilio, quòd ſit legitimum, neceſſariò aſſentior huic Pontifici, quòd ſit legitimus Petri ſucceſſor: ſed poſſum diuerſo actu aſſentiri Pontifici vt proponenti ex vno motiuo, & Concilio vt legitimo ex alio.

160. Dices. Non ſolùm hoc legitimum Concilium includit hunc Pontificem vt proponentem & declarantem, ſed etiam vt partem eſſentialem ſui, cùm nequeat eſſe legitimum Concilium, niſi ratione legitimi capitis: ergo hoc ipſo, quòd debeo credere hoc eſſe legitimum Concilium, teneor etiam credere, illud includere legitimum caput, ſine quo non eſt legitimum Concilium. Reſpondeo de Pontifice vt capite in legitimo Concilio incluſo infrà: nunc tantùm impugnamus rationem de Pontifice in legitimo Concilio incluſo vt proponente. Duplicem enim reſpectum habet Pontifex ad Concilium, alterum vt caput integrans vnum Myſticum corpus cum illo: alterum vt proponens, ſuaque authoritate declarans, illud eſſe legitimum, quæque in eo definita ſunt, credenda eſſe fide Diuina, de quo tãtùm hic.

161. Ad poſteriorem confirmationem, neganda eſt conſequentia. Ratio diſcriminis, quoniam authoritas reuelantis eſt ipſum motiuum formale fidei; credo enim obiectum reuelatum propter ipſam authoritatem reuelantis. Implicat igitur Diuina fide, hoc eſt propter authoritatem Dei reuelantis, credere obiectum reuelatum, & ſimul non credere Deum in reuelando eſſe infallibilis authoritatis, cùm ipſa authoritas Diuina infallibilis, ſit ipſiſſimum formale motiuum credendi in fide Diuina. Authoritas verò Pontificis non eſt motiuum formale, quo res ab ipſo propoſita fide diuina creditur, ſed ſola conditio prærequiſita ad credendum, quæ tantùm applicat rem credendam. Quo fit, vt non eodem actu, quo aſſentimur rebus propoſitis, aſſentiamur proponenti, ſicut eodem actu aſſentimur Deo reuelanti, & rebus ab ipſo reuelatis.

162. Inſtabis. Si non teneor credere fide diuina, hũc hominem, qui mihi proponit res credendas fide diuina, eſſe verum Põtificem, fieri poſſet, vt hic homo non eſſet verus Pontifex, ſiquidem fidei humanę ſubeſſe poteſt falſum. Quo poſito non haberet hic homo in proponendo Spiritus ſancti aſſiſtentiam; & conſequenter errare poſſet: ac proinde poſſet rebus ab ipſo propoſitis diuina fide credendis ſubeſſe falſum.

163. Reſpondeo negando ſequelam: quemadmodum, etiamſi tantùm fide humana credamus ſigna credibilitatis, quibus Myſteria noſtræ Religionis proponuntur, adhuc fieri non poteſt, vt res aliter ſe habeant, quàm proponuntur. Ratio verò eſt, quia licet teſtimonio humano per ſe ſumpto poſſit ſubeſſe falſum, ſumptum tamen vt ſtat ſub ſpeciali prouidentia Dei, qui eo vtitur ad Myſteria Chriſtianæ Religionis proponenda, non poteſt eſſe falſum, quia vt ſic eſt peculiare inſtrumentum Dei ad perſuadendas veritates ipſius authoritate credendas.

164. Alij hanc rationem aſſignant. Impoſſibile eſt, vt quis teneatur ad credenda ea, quæ hic Pontifex definit tanquam dicta à Deo, quin etiam teneatur ad credendum fide diuina, hunc Pontificem habere à Deo infallibilem authoritatem definiendi & obligandi.

165. Sed contrà, quoniam, vt oſtenſum eſt, ad hoc vt tenear fide diuina credere, quę Pontifex definit vt dicta à Deo, ſufficit, vt per ſigna credibilitatis humana fide credam, hunc hominem habere à Deo infallibilem authoritatem definiendi & obligandi. Nam hoc ipſo, quòd per ſigna & teſtimonia humana eſt mihi moraliter certum, quòd hic homo poteſtatem definiendi & obligandi habet à Deo, fide diuina teneor credere, quæ ipſe definit vt dicta à Deo, abſque eo quòd fide diuina, ſed tantùm humana credam, ipſum habere poteſtatem definiendi & obligandi à Deo: cùm non neceſſariò eodem actu, quo credo res ab ipſo propoſitas, credam ipſum proponentem.

166. Dices. Ergo fide diuina credere poſſum, quæ hic Pontifex mihi credenda proponit, & ſimul dubitare de authoritate ipſius proponentis, cùm fides humana admittat dubium. Reſp. negãdo conſequentiam: quoniam non omnis fides humana admittit dubiũ. Etenim fide humana credo, Romam eſſe, Ariſtotelem fuiſſe, cùm tamen, quòd Roma ſit, vel

Digitized by Google

Ariſtoteles fuerit, nullum admittat dubium. Ita fide humana credere poſſum, quod hic ſit verus Pontifex, & tamen de hoc nullum admittere dubium. Confirmatur, nam etiamſi poſſim fide diuina ex ſolo teſtimonio diuino credere, hunc hominem eſſe verum Pontificem, adhuc negari non poteſt, quin etiam poſſim fide humana ex ſolo teſtimonio humano excludente omnem potentiam ad dubitandum credere hunc eſſe verum Pontificem: in quo caſu non minùs, quàm in priori, tenebor fide diuina credere, quæ mihi credenda proponit vt reuelata à Deo.

167. Alij hanc reddunt rationem: quotieſcunque Pontifex vel definit aliquid diuina fide credendum, vel ſtatuit aliquid ad vniuerſalis Eccleſiæ mores pertinens, de fide tenendum eſt, quòd ipſe ſit verus Pontifex & Chriſti Vicarius, eo quòd non permittit Deus aliquid ad fidem, vel ad totius Eccleſiæ mores ſpectans definiri ab eo, qui poteſtatem definiendi non habet ab ipſo Deo. Sed contrà: nam poſſent à tali Pontifice definita pertinere ad fidem diuinam, ex eo quòd proponerentur credenda teſtimonio diuino cum ſignis euidentis credibilitatis, quòd ipſe proponens ſit verus Pontifex, etiamſi ipſe Pontifex non pertineret ad obiectum fidei diuinæ, ſed humanæ.

Vera ratio. 168. His igitur confutatis, duæ aliæ ſuperſunt rationes, quibus efficaciùs oſtendi poteſt, huuc hominem eſſe verum Pontificem & Petri ſucceſſorem. Prima eſt, quam tradidimus diſp. 2. ſect. 6. Quotieſcunque ex vna propoſitione reuelata, per euidentem deductionem, ſaltem moralem, deducitur alia propoſitio, talis propoſitio non vt deducta, ſed vt explicata pertinet ad fidem, non minùs quàm ipſa propoſitio immediatè reuelata: quod principium ibi fusè probauimus. Atqui hæc propoſitio: Omnis Pontifex in Cathedram Petri canonicè aſſumptus, eſt verus Petri ſucceſſor, & Vicarius Chriſti, eſt reuelata: & ex ea per euidentiam moralem deduci poteſt hæc alia: hic ſingularis homo, exempli cauſa Vrbanus VIII. qui nunc Eccleſiæ clauum tenet, eſt in Cathedram Petri canonicè aſſumptus: ergo hæc ſingularis propoſitio non vt deducta, ſed vt explicata pertinet ad fidem. Minor aſſumpta probata eſt ſuprà, vbi oſtendimus, poteſtatem gubernandi Eccleſiam, quam Petrus accepit à Chriſto, collatam ei eſſe vt continuandam in ſucceſſoribus. Conſequentia conſtat, ex allato principio: Minor tantùm hic probanda eſt, quam ſic probo. Tot ſigna credibilitatis eſſe poſſunt de legitima electione huius hominis in Cathedram Petri, vt reddant illam moraliter certam, & iuxta prudentiæ regulas indubitatam: ergo poteſt hæc propoſitio: hic ſingularis homo eſt legitimus Petri ſucceſſor, & Vicarius Chriſti, eſſe obiectum fidei diuinæ. Conſequentia conſtat, quoniam vt aliqua propoſitio pertineat ad fidem diuinam, ſufficit, vt per ea ſigna proponatur, quę reddant illam moraliter certam, quòd ſit à Deo reuelata. Antecedens probatur, quia poteſt ſaltem electoribus euidenter conſtare, euidentia morali, quòd in electione ſeruatę ſint omnes conditiones ad legitimam electionem præſcriptæ. Ergo ſaltem electores tenebuntur talem hominem adorare vt legitimum Chriſti Vicarium. Deinde dum electores illum promulgant & proponunt toti Eccleſiæ adorandum, tanquam legitimum Pontificem, & verum Chriſti Vicarium ac Petri ſucceſſorem, ſufficienter reddunt alijs moraliter certam canonicam huius hominis electionem in Petri ſedem. Qua morali certitudine poſita, tenentur fideles fide diuina illum acceptare vt legitimum Petri ſucceſſorem.

169. Confirmatur. Non maior certitudo moralis habetur, quòd hoc ſit legitimum Concilium, quàm quòd hic ſit legitimus Pontifex: ſed moralis certitudo, quòd hoc ſit legitimum Concilium, ſufficit ad obligandum fideles ad illud diuina fide acceptandum: Ergo moralis certitudo de hoc Pontifice, quòd ſit legitimè electus, ſufficiet ad obligandum fideles ad illum diuina fide acceptandum & adorandum, vt legitimum Petri ſucceſſorem. Conſequentia conſtat à paritate rationis, cuius nulla afferri poteſt diſparitas, cùm vtrumque ſit obiectum virtute tantùm reuelatum in ſacra Scriptura; & vtrumque explicetur per moralem euidentiam, & publicum teſtimonium Eccleſiæ. Minor ſupponitur tanquam certa infrà probanda. Maior oſtenditur, nam vtraquè certitudo eſt moralis dependens à publica fide & teſtimonio hominum, id vnanimiter atteſtantium. Nec refert, quòd moralis certitudo huius legitimi Concilij pendeat à teſtimonio plurium, quàm moralis certitudo huius legitimi Pontificis, eo quòd illa pendeat à publico teſtimonio totius Eccleſiæ in generali Concilio congregatæ; hæc ex ſolo teſtimonio Cardinalium, quod videtur priuatum. Nam primò non ſolùm Concilium generale, ſed etiam Prouinciale à Pontifice declaratum vt legitimum, in quo tamen non eſt tota Eccleſia congregata, obligat vt acceptetur fide diuina. Secundò eſto quòd in Concilio generali ſint plures perſonæ extenſiuè, non ſunt tamen plures intenſiuè: quia cùm collegium Cardinalium ſit à tota Eccleſia inſtitutum ad eligendum legitimum Pontificem, teſtimonium Cardinalium eſt teſtimonium totius Eccleſiæ, cuius ipſi vicem gerunt.

170. Dices. Maiorem certitudinem moralem habere poſſum, quòd hæc numero hoſtia ſit ritè conſecrata, vel quòd elicuerim actum contritionis, quàm quòd hic Pontifex ſit legitimè electus: & tamen non teneor diuina fide credere, quòd vel hæc ſingularis hoſtia ſit ritè conſecrata, vel quòd verum actum contritionis elicuerim: ergo nec fide diuina teneor credere, quòd hic Pontifex ſit legitimus Petri ſucceſſor.

171. Reſpondeo negando conſequentiam: ratio diſcriminis eſt, quia quando propoſitio vniuerſalis reuelatur propter particularem

cularem contingentem de qua maior certitudo haberi non poteſt, quam moralis, ea ſufficit, ad illam Diuina fide credendam: ſed illa propoſitio vniuerſalis, *Omnis Pontifex legitimè electus eſt verus Petri ſucceſſor, & Chriſti vicarius*, reuelata eſt Eccleſiæ propter hanc particularem contingentem: *Hic homo eſt verus Petri ſucceſſor & Chriſti vicarius*: igitur ad hanc Diuina fide credendam ſufficit certitudo moralis, quæ iuxta prudentię regulas de Canonica electione Pontificis haberi poteſt. Minor conſtat, nam finis huius reuelationis eſt, vt in Eccleſia Dei ſit aliqua regula animata infallibilis, quæ cum aſſiſtentia Spiritus ſancti dirimat omnes controuerſias, quæ in ea circa materiam fidei emergere poſſunt: hæc autem, vt conſtat, debet eſſe ſingulis in indiuiduo certa, ad quam fideles in dubijs fidei recurrere valeant. Maior probatur, nam alioqui fruſtraretur finis reuelationis, ſi moralis certitudo, quæ iuxta prudentię regulas de Canonica electione Pontificis haberi poteſt, ad credendum fide Diuina non ſufficeret. Contrà verò illa vniuerſalis propoſitio, *Omnis hoſtia ritè conſecrata continet verum Chriſti corpus*, non eſt reuelata ad credendum fide Diuina, quòd hæc ſingularis hoſtia contineat verum Chriſti corpus, ſed ad credendum in communi, quòd hoſtia rite conſecrata contineat verum Chriſti corpus. Et hoc ideo, quia hęc ſingularis hoſtia non debet eſſe regula practicè directiua morum, ſicut hic Pontifex, ſed ſolùm obiectum adorationis, ad quod ſufficit, vt per infuſam prudentiam apprehendatur vt verum, eſto in indiuiduo verum non ſit. Pari ratione propoſitio illa vniuerſalis, *Omnis verè contritus eſt in gratia Dei*, non eſt reuelata propter particulares contingentes, vt hic, vel ille homo ſciat, ſe eſſe in gratia Dei; ſed ſolùm, vt in communi homo ſciat, omnem verè contritum eſſe in gratia Dei, vt per hoc quiuis ſe excitet ad actum contritionis, & ſimul ſe ipſum conſeruet in ſancto timore & tremore, neſciens, odio, an amore dignus ſit.

172. Eſt & aliud diſcrimen, quòd teſtimonium, quo legitima regula viua Eccleſiæ ſit moraliter certa, eſt publicum Eccleſiæ, quod certius eſt, eo quòd huic teſtimonio Deus peculiariter aſſiſtit, ne tota Eccleſia erret: teſtimonium verò, quo redditur moraliter certum, quòd hęc hoſtia ſit rite conſecrata; vel hic actus ſit vera contritio, eſt priuatum, & expoſitum errori: neque Deus peculiari prouidentia tenetur illi aſſiſtere, cùm non redundet in errorem totius Eccleſiæ.

173. Inſtabis: hæc ratio ſupponit, Deum reuelaſſe propoſitionem illam vniuerſalem, *Omnis Pontifex legitimè electus eſt verus Petri ſucceſſor & Chriſti Vicarius*, propter iſtam particularem, *Hic Pontifex eſt legitimè electus, & verus Petri ſucceſſor*, vt credendam fide Diuina: atqui hoc eſt in controuerſia, cum aduerſarij contendant, illam vniuerſalem reuelatam tantùm eſſe ad credendam hanc particularem fide humana, non Diuina, cùm hoc ſufficiat ad munus regulæ practicè dirigentis.

174. Reſp. hoc noſtra ratione non tam ſupponi, quàm probari. Etenim dum finis Dei eſt, per illam vniuerſalem reuelatam, in praxim reducere hanc particularem, explicatam ſignis moralis euidentiæ credibilitatis, ſicut ad illam obligat acceptandam fide Diuina; ita & ad hanc, cùm primùm explicata fuerit ſignis moralis euidentię credibilitatis. Vnde idem teſtimonium Diuinum, quod cadit ſupra propoſitionem vniuerſalem, cadit etiam ſupra particularem virtualiter in vniuerſali contentam. Quòd autem hic ſit finis Dei, rectè deducitur ex eo, quòd hoc ſaltem meliùs conducit ad munus & officium animatæ regulæ practicè dirigentis. Sic enim firmiùs eius decreta & definitiones acceptantur, non modò credendæ infallibili teſtimonio Dei reuelantis, ſed etiam infallibili authoritate ipſius vicarij proponentis. Cæterùm, vt fide Diuina hic Pontifex acceptetur vt legitimus Petri ſucceſſor, & Chriſti vicarius, requiritur vt de eius Canonica electione publicè conſtet, nec vllum ſit dubium.

175. SECVNDA ratio ſit. Fide Diuina 2. Ratio.
tenemur credere, hanc eſſe veram Eccleſiam, hoc Concilium, Exempli cauſa, Tridentinum eſſe legitimum: ergo fide Diuina tenemur credere, hoc caput, quod hæc numero Eccleſia, & hunc Pontificem, quem hoc numero legitimum Concilium includit eſſe verum Pontificem, & Petri ſucceſſorem. Antecedens admittunt Catholici contra hæreticos. Conſequentia probatur: quoniam hæc numero Eccleſia, & hoc numero legitimum Concilium includit hoc numero caput, ſine quo non eſt perfecta hæc numero Eccleſia, vel hoc numero legitimum Concilium. Nam ſicut nequit intelligi Eccleſia in communi abſque aliquo capite in communi, quo regatur: ita nequit intelligi hæc determinata Eccleſia, vel hoc determinatum legitimum Concilium abſque determinato capite: nam ita hæc determinata Eccleſia, vel hoc determinatum legitimum Concilium includit hoc determinatum caput: ſicut hoc determinatum corpus Phyſicum includit hoc determinatum caput Phyſicum: ergo ſicut qui credit, Chriſtum habere determinatum corpus Phyſicum, fieri non poteſt, quin ſimul credat, Chriſtum habere determinatum caput Phyſicum: ita qui credit, hanc eſſe determinatam Eccleſiam, vel hoc eſſe determinatum legitimum Concilium, fieri non poteſt, quin ſimul credat, hanc Eccleſiam, & hoc legitimum Concilium habere determinatum caput morale, quo Myſticè conſtat.

176. Neque dici poteſt 1. poſſe Diuina fide credi hanc Eccleſiam, & hoc legitimum Concilium quoad membra tantùm, non au-

tem quoad caput: quia tenemur credere hanc Eccleſiam perfectam in ratione Eccleſiæ, & hoc Concilium perfectum & legitimum in ratione Concilij, ſed neque Eccleſia eſt perfecta, vel Concilium legitimum abſque capite: igitur eadem fide, qua tenemur credere, hanc Eccleſiam eſſe perfectam, & hoc Cōcilium eſſe legitimum etiam credere eſſe cum ſuo capite.

177. Neque dici poteſt 2. membra credi fide Diuina, caput autem fide humana: cùm eadem fides Diuina nos obliget ad credendam Eccleſiam ſimpliciter, & Concilium legitimum ſimpliciter. Adde, quòd cùm Concilium, vt infrà oſtendam, infallibilem authoritatem definiendi res fidei non habeat, niſi ratione capitis, à quo etiam habet, vt formaliter ſit legitimum, non poſſum Diuina fide credere, ipſum eſſe legitimum, quin ſimul credam, congregatum eſſe ſub legitimo capite.

178. Ex dictis deducitur, non ſolùm fide Diuina conſtare, hunc Romanum Pontificem eſſe legitimum Petri ſucceſſorem, & verum Chriſti vicarium, quando vel aliquid definit fide Diuina credendum, vel aliquam legem ſtatuit de rebus ad ſalutem neceſſarijs, obligantem totam Eccleſiam, vel cùm per Iubilæum exercet iuridicum actum diſpenſandi Eccleſiæ theſaurum, vt Valentia docet; ſed etiam ante vllum actum iuridicum Pontificis proprium, modò de eius Canonica electione ſit moraliter certum & indubitatum apud fideles. *Valentia.*

Reſpond. ad fundam. 1 ſentent.

Ad 1. 179. Ad fundamentum 1. ſent. concedendum eſt, Canonicam electionem huius Pontificis pendere ex multis conditionibus: negandum tamen eſt, ſi ea moraliter ſit certa, & vt talis publicè ab Eccleſia acceptetur, poſſe defectu alicuius Conditionis eſſe inualidam: non quòd Deus, etiamſi ab aliqua conditione deficiat, illam acceptet vt legitimam, ſuamque aſſiſtentiam exhibeat: ſed quia nunquam permittet, vt habeatur, & recipiatur à tota Eccleſia vt legitimus, qui reipſa legitimus non eſt: idque ex ſuppoſitione, quòd voluit, vt crederemus; hunc eſſe legitimum Petri ſucceſſorem, & verum ſui Vicarium, vt ſuprà probatum eſt. Vnde eo ipſo, quòd acceptatur vt legitimus Pontifex, ſupponuntur omnes conditiones tam iuris Diuini, quàm Eccleſiaſtici in eo fuiſſe ſeruatæ.

Ad 2. 180. Ad 2. Reſp. hanc veritatem nobis conſtare ex ſacra ſcriptura, vt explicata per moralem euidentiam, quæ Eccleſiæ conſtat per certa ſigna credibilitatis Canonicę electionis. Per hæc enim explicatur, quòd poteſtas illa paſcendi oues collata Petro, eiuſq; ſucceſſoribus, reperiatur in hac ſingulari perſona, in qua reperitur moralis euidentia & certitudo de ipſius legitima ſucceſſione in ſedem Petri.

Ad 3. 181. Ad 3. Reſp. Hoc inde prouenire, quia licet hæc noſtra ſententia ſit de fide, non eſt tamen tam certum, quòd ſit de fide, vt oppoſita apertæ hæreſis coargui poſſit.

181. Ad 4. concedenda eſt ſequela de ijs, de quorum legitima electione in Pontificem certò conſtabat, ſecus de ijs, de quorum legitima electione non certò conſtitit. Cęterum hiſtoriam illam de fœmina in Pōtificatum aſſumpta eruditè confutat Cardinalis Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice cap. vlt. *Ad 4.* *Bell. rmin.*

183. Ad 5. Reſp. neutrum modum aſſignatum ſufficere: non primum, tum quia hoc ipſo, quòd certò conſtat moraliter de Canonica electione Romani Pontificis, teſtimonium Chriſti, obligans ad credendum fide Diuina omnes ſucceſſores Petri ab ipſo accipere poteſtatem regendi Eccleſiam, obligat ad credendum, hunc eſſe ſucceſſorem Petri, vt ſuprà probatum eſt: tum quia, eſto non permitteretur, aliquid vel ad fidem pertinens definire, vel ad vniuerſales Eccleſię mores ſtatuere, nullumue iuridicum actum ſummi Paſtoris exercere: hoc ipſum tamen violentum eſſet, & contra ſuauem ordinem Diuinæ prouidentiæ. Nam hic poſſet diu viuere, & iuxta leges Eccleſiaſtici Regiminis frequenter occaſio recurrere exercendi aliquem actum iuridicum Pontificis proprium, qui nimis violenter in huiuſmodi euentu impediretur. *Ad 5.*

184. Non ſecundum: nam falſum eſt infallibilem aſſiſtentiam Spiritus ſancti dari Pontifici non Canonicè electo: cùm illam aliunde non colligamus, quàm ex promiſſione facta Petro, cui nonniſi tanquam legitimo Pontifici à Chriſto inſtituto collata eſt. Ergo non debemus temerè illam etiam ad non legitimè electos extendere: cùm id neque authoritas, neque ratio ſuadeat. Nec eſt eadem ratio de ſuperiori humano, qui quoniam non eſt tantæ virtutis, vt ſemper valeat Reipublicę prouidere de veris ac legitimis Miniſtris, ad euitanda maiora abſurda, legitimat actus celebratos à miniſtris probabiliter tantùm putatis. Deus autem cùm ſemper poſſit de legitimo Paſtore ſuæ Eccleſiæ prouidere, dicendum potiùs eſt, illum nunquam permiſſurum, vt in Cathedram Petri eligatur incapax, quàm eo permiſſo, omnes eius actus legitimaturum: cùm illud ſit connaturalius, & Dei potentiæ ac ſapientiæ congruentius: hic verò defectum arguat virtutis non valentis de legitimo Miniſtro Eccleſiæ prouidere: Vnde ſi poſſent ſuperiores humani, potiùs hoc, quàm illud eligerent.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO VI.

Ad quos ſpectat ius eligendi ſummum Pontificem?

185. DVo ſunt in hac cõtrouerſia diſtinguẽda, perſonæ deſignatio, & collatio poteſtatis. Vtrumq; dubium in hac ſectione ſoluendũ eſt. Et quoad poteſtatis collationem, certum eſt, illam non conferri à Republica Ciuili, vel à Principibus politicis, vti confertur dignitas Regia, vel Imperialis: quia cùm poteſtas Pontificia ſit poteſtas ſpiritualis ordinata ad finem ſupernaturalẽ, per media ſupernaturalia, nequit conferri à Republica, vel Principibus ſecularibus, qui talem poteſtatem non habent. Oppoſitum huic veritati docuit Ioannes Huſs, vt legitur in 9. artic. ipſius, damnato in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 15. in quo ſic ait: *Papalis dignitas à Cæſare inoleuit, & Papa perfectio & inſtitutio à Cæſaris potentia emanauit.*

Conc. Conſtant.

186. Aliqua difficultas eſſe poſſet de Eccleſia ſeu Concilio generali. Et ſanè qui putant, Concilium generale eſſe ſupra Papam, poteſtatemque regendi Eccleſiam non eſſe conceſſam alicui ſingulari perſonæ, ſed toti Eccleſiæ, conſequenter docebunt, hanc poteſtatem regendi Eccleſiam Summum Pontificem immediatè accipere à Concilio generali, cui Chriſtus immediatè illam contulit, cum iure eam pro recto Regimine huic, vel illi ſingulari perſonæ communicandi. Verùm, vt ex ſuprà diſputatis conſtat, & ex infrà diſputandis clariùs conſtabit, poteſtatem regendi Eccleſiam Chriſtus non vniuerſæ Eccleſiæ, ſed ſingulari perſonæ Petri, eoque mediante ſucceſſoribus contulit: proinde defuncto Petro, illa non in Eccleſiæ, ſed in Chriſti poteſtate manſit, tanquam principalis Paſtoris & Summi Pontificis adhuc ſuam Eccleſiam gubernantis: non minùs quàm defuncto Prorege, dignitas Proregia non manet in regno, ſed in Rege, tanquam in primo ac principali Regni Gubernatore, qui eam poteſt alteri conferre. Atque hęc quoad ſecundum dubium.

Primus error Huſſ.

187. Quoad 1. verò, primus error eſt Ioannis Huſs aſſerentis, ius eligendi Pontificem eſſe tantùm penes Deum. Colligitur hic error ex 11. 12. 20. & 22. ipſius articulis damnatis in præcitato Concilio Cõſtantienſi, in quibus docet, ad Papatum non eligi, niſi prædeſtinatum: cùm igitur ſolius Dei ſit, hominem prædeſtinare, ſolius Dei erit, hominem ad Papatum eligere. Vnde præſcitum appellat æquiuocè Paſtorem. Idem docet Wicleffus in articulo 8. & 40. in eodem Concilio ſeſſione 8 damnatis. In quorum priori ſic habet: *Si Papa ſit præſcitus & malus, & per conſequens membrum diaboli, non habet poteſtatem ſuper fideles ab aliquo ſibi datam, niſi fortè à Cæſare:* in poſteriori verò, *Electio*, inquit *Papæ à Cardinalibus per Diabolum eſt introducta.* Verùm hic error non modò contradicit ſcripturæ, in qua ad regendum populum Dei leguntur electi fuiſſe etiam reprobi, vt conſtat de Saule electo à Deo, & de Iuda electo à Chriſto ad Apoſtolatum; ſed etiam rationi: cùm repugnet hic modus humano Regimini. Etenim ſi ſummus Pontifex à ſolo Deo eligeretur, non poſſet eſſe Eccleſiæ notus, proinde fruſtranea foret talis electio. Nec dici poteſt, illum ſigno aliquo ſenſibili fieri Eccleſiæ manifeſtum, cùm nec ſoleant, neque etiam expediant talia ſigna fieri. Confirmatur: nam ſicut malitia & iniquitas miniſtri non impedit effectum ſacramentorum: ita neque iniquitas & malitia Pontificis impediet effectum Põtificiæ authoritatis: cùm talis poteſtas ſit à Deo collata ad publicum Eccleſiæ emolumentum, quod impediri non debet per priuatos miniſtri defectus.

VVicleff.

Secundus error Lutheri Caluini.

188. Secundus error eſt Lutheri, & Caluini, qui contendunt, ius eligendi Pontificem reſidere in populo, idque lege Diuina, & nonniſi Tyrannicè vſurpari à Preſbyteris. Sic enim cap. 8. de fide num. 49. loquitur Caluinus: *Habemus ergo, eſſe hanc ex verbo Dei legitimam miniſtri vocationem, vbi ex populi conſenſu & approbatione creantur, qui viſi fuerint idonei.* Quòd ſi aliquando electioni præfuiſſe legantur alij Paſtores, illi non præfuerunt ſuffragium ferendo, ſed *ne quid*, inquit, *vel per leuitatem, vel per mala ſtudia, vel per tumultum à multitudine peccetur.* Et num. 68. loquens ſpecialiter de electione Pontificis, prout nunc fit: *Iam in eligendo totum illud ius populi ſublatum eſt*, inquit, *Vota, aſſenſus, ſubſcriptiones, & omnia eiuſmodi euanuerunt, ad ſolos Canonicos integra poteſtas tranſlata eſt. Illi, in quem volunt, conferunt Epiſcopatum. Eum mox in conſpectum plebis producunt, ſed adorandum, non examinandum. Atqui reclamat Leo, nullam rationem id ſinere: ac violentam impoſitionem eſſe pronũtiat. Cyprianus cùm fluere ex iure Diuino teſtatur, ne fiat, niſi ex conſenſu populi, pugnare diuerſum morem cũ verbo Dei oſtendit. Tot Synodorum decreta, ne ſecus fiat, ſeueriſſimè prohibent: ac, ſi factum ſit, iubent eſſe irritum.* Tandem concludit: *Si hæc vera ſunt, nulla hodie neque Diuino, neque Eccleſiaſtico iure, Canonica electio in toto Papatu ſupereſt.* Quod etiam probat exemplis tam ex veteri quàm ex nouo teſtamento ductis: *ſiquidem hoc videmus iuſſu Domini in Sacerdotibus Leuiticis fuiſſe obſeruatum, vt ante Conſecrationem in conſpectum populi producerentur. Non aliter adſcribitur Matthias Apoſtolorum Collegio: nec aliter ſeptem Diaconi creantur, quàm populo vidente & approbante*; idemmet Caluinus ſcribit numero 49.

189. Verùm hic error facilè confutatur. Nam ſi eligere Pontificem, iure Diui-

no pertinet ad populum, ſequitur, nunquam licitum fuiſſe, ab alio, quam à populo, Pontificem eligi. Atqui aliquando licitum fuit, ab alio, quam à populo, Pontificem eligi: igitur iure Diuino ad populum non pertinet Pontificis electio. Prior conſequentia patet, quia ius Diuinum præſcribit certam electionem in electione ſeruandam, qua non ſeruata, inualida eſt electio. Minor conſtat primò exemplis: nam & Timotheus electus eſt Epiſcopus ab Apoſtolo Paulo, vt teſtatur Euſebius apud Baronium anno 57. & colligitur ex Epiſt. 2. ad ipſum miſſa capite 1. *Moneo te*, inquit, *vt reſuſcites gratiam Dei, qua eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Et alij Apoſtoli Epiſcopos crearunt, nullo requiſito eius populi conſenſu, ad quem docendum mittebantur, vt conſtat de Dionyſio Areopagita, qui creatus ab Apoſtolis Epiſcopus Athenienſis, miſſus eſt à Clemente Pariſios, abſque vllo conſenſu illius populi. Et Chriſtus ipſe quando Apoſtolos elegit, non elegit dependenter à conſenſu populi: quod autem Chriſtus cum Apoſtolis fecit, fieri voluit ab ipſis Apoſtolis cum Epiſcopis, quos ipſi electuri erant, iuxta illud Ioannis 20. *Sicut miſit me Pater & ego mitto vos.*

Euſebius Baronius. 2. ad Timoth. 1.

Ioan 20.

190. Secundò conſtat ex multis Concilijs, quæ Cardinalis Bellarminus citat libro 1. de Clericis capite 7. ſufficiant duo generalia, quæ quia antiquiſſima ſunt ab Hæreticis negari non poſſunt Nicænum II. & Conſtantinopolitanum IV. quorum illud ſic habet Cano. 3. *Omnem electionem, quæ fit à Magiſtratibus, Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi irritam manere:* additque rationem: *Oportet enim*, inquit, *eum, qui eſt promouendus ad Epiſcopatum, ab Epiſcopis eligi:* hoc vero Can. 28. & refertur diſtinctione 63. capite *Adrianus*, definit, *neminem Laicorum Principum, vel Potentum ſemet inſerere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitani, aut cuiuſlibet Epiſcopi, præſertim cùm nullam in talibus poteſtatem quemlibet Potentium, vel cæterorum Laicorum habere conueniat, ſed potiùs ſilere, & attendere ſibi, vſque quo regulariter à Collegio Eccleſiæ ſuſcipiat finem electio futuri Pontificis.*

Concilium Nicen. II. Conſtantinopol. IV.

191. Tertiò conſtat ex Patribus. Chryſoſtomus in 1. ad Timotheum 4. explicans verba illa, *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterij:* ita ait: *Non de Presbyteris hoc in loco, ſed de Epiſcopis loquitur. Neque enim profectò Presbyteri ipſum ordinarant.* Quòd ſi negat illum à Presbyteris fuiſſe Epiſcopum ordinatum, multò magis negat ordinatum fuiſſe à plebe. Anſelmus hanc gratiam interpretatur gratiam *Epiſcopalis officij*, quam docet accepiſſe Timotheum per impoſitionem manuum Pauli, dum illum Epiſcopum conſecrauit. Theodoretus in 2. ad Timotheum 1. in ea verba, *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei*, ita ſcribit: *Hac mihi, cùm de te ſint perſuaſa, hortor te, vt animi promptitudine & alacritate excites gratiam Spiritus, quam accepiſti per meam ordinationem. Per meam dixit, non per populi ordinationem.*

Chryſoſt.

Anſelmus.

Theodoret.

192. Ex his apparet, quã impudenter Caluinus auſus ſit dicere, nullam hodie, neq; diuino, neq; Eccleſiaſtico iure Canonicam electionem in toto Papatu ſupereſſe: contra quã non dubitat aſſerere eſſe tot Synodorum decreta, ac tot Patres reclamare, cũ tamen nullum pro ſe ſynodale decretum citet: contrà verò multa ſint Concilia, & Patres oppoſitũ docentes à nobis citati: Patres autem, quos ipſe citat, infrà explicabuntur.

193. Vera igitur Catholicorum ſententia eſt, ius eligendi Pontificem nõ eſſe penes populum, ſed penes Eccleſiaſticos: licet aliquando permiſſione Pontificum fuerit populus ad huiuſmodi electionẽ admiſſus. Prior pars conſtat tum ex refutatione præcedentis erroris, tum ex manifeſta ratione. Etenim ad eos, vel ipſo naturæ iure ſuffragante, ſpectat electio Pontificis, qui de qualitate & conditionibus perſonę eligendæ iudicare poſſunt. Atqui nõn plebs & imperitũ vulgus, ſed primores Eccleſiæ Prælati de qualitate & conditionibus eligẽdi Põtificis iudicare poſſunt: igitur ad eos, non ad populũ ſpectabit Pontificis electio. Minorem aduerſarij nõ negabunt, niſi velint cum aperto naturæ lumine pugnare. Quod enim iudiciũ imperita plebs ferre poterit de talentis & conditionibus ad animas regendas in Pontifice requiſitis?

Vera ſententia.

194. At inquies, poterit id iudicare ex publico teſtimonio ſapiẽtum, in quorũ æſtimatione videt eos, quos ſibi in Prælatos eligit. Sed contrà, tũ quia non ſemper talenta Põtificis eligendi ſunt per publicam famã manifeſta populo: tum maximè quoniam hoc ipſum euidenter oſtendit, electionem non debere eſſe penes eos, qui non ex propria ſententia, ſed ex aliorum teſtimonio iudicium ferre valent.

195. Maior eſt ipſum bene inſtructum naturæ dictamen, quæ docet, ab ijs eligendum eſſe Pontificem, qui prudentiæ & doctrinæ dono inſtructi eũ eligere poſſunt, qui maximè ad munus ſupremi Paſtoris exercendum idoneus ſit. Cùm enim Pontificis electio ſit potiſſimum medium ad ſalutem animarum, ab ijs, vel ipſo naturæ lumine clamante, facienda eſt, qui optimè ſciunt de medijs & fine iudicare.

196. Cõfirmatur ex innumeris incommodis, quæ ex imperitæ plebis electione naſci poſſunt: quippe quæ non tam rationis ſcrutinio, quàm voluntatis impetu moueri ſolet ad ſuffragium ferendum. Quo fit, vt ſæpe ad gubernandũ minùs apti eligerentur, nempe qui magis forent chari plebi, in cuius beneuolentiam plerumq; homines minùs idonei ſeſe inſinuarẽt, vt eligi poſſent, excluſis aptis.

197. Dices. Principes politici non ſolùm eliguntur à prioribus Regni, ſed etiam

à populo;

à populo: ergo etiam Principes Eccleſiaſtici. Reſp. 1. negando Antecedens: etenim in multis locis Principes Politici non à populo, ſed à primoribus Regni eliguntur. Neque id eſt contra ius naturæ, ſaltem poſtquam populus ſemel ſuam libertatem tranſtulit in Regni Primores, vt ipſi plenum ius haberent ad Principem eligendum. Reſp. 2. negando conſequentiam: nam in electione Principis Politici non ſolùm agitur de bona electione Principis, ſed etiam de reſignatione propriæ libertatis in manus Principis. Cùm igitur non ſolùm Proceres Regni, ſed etiam populares ſint propriæ libertatis perfecti Domini, debent non ſolùm Proceres, ſed etiam populares in ſui Principis electionem conſentire. In electione verò Principis Eccleſiaſtici ſolùm agitur de externa directione ſpirituali animarum in ordine ad vitam æternam, quæ tota pendet à Deo: Deus autem ad eam bene faciendam ſtatuit, vt nonniſi ab Eccleſiaſticis per ſe fieret, eſto aliquando per accidens, Indulgentia & conceſſione Pontificis, poſſit etiam à populo; vt mox conſtabit.

198. Poſterior pars apertè colligitur ex capite *in Synodo* diſt. 63. vbi ſupponitur, electionem Pontificis aliquando factam fuiſſe à Clero, & à populo ſimul. Qui vſus, vt teſtatur Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 9. Viguit tempore Chriſoſtomi, Ambroſij, Auguſtini, Leonis, Gregorij. Quanquam, vt ex Leone Epiſt. 89. colligitur, ad Clerum ſpectabat electio, ad populum ſola poſtulatio & teſtimoniū de vita & moribus eligendi: *Expectarentur*, inquit, *certa vota Ciuium, teſtimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio Clericorum, quæ in Sacerdotum ſolent ordinationibus ab his, qui norunt Patrum regulas cuſtodiri, vt Apoſtolicæ authoritatis norma in omnibus ſeruaretur, qua præcipitur, vt Sacerdos Eccleſiæ præfuturus, non ſolùm atteſtatione fidelium, ſed etiam eorum, qui foris ſunt, teſtimonio muniatur.* Vbi vides, teſtimonium tantùm tribui populo. Quod etiam conſtat ex Epiſt. 87. in qua reprehendit Epiſcopos per Cæſaream Mauritaniam conſtitutos, eo quòd indignos ad Sacerdotium elegiſſent. Non potuiſſent autem iure reprehendi, ſi eorum electio pertinuiſſet ad populum. *Bellarmin.*

119. Dices. Si electio Pontificis iure Diuino pertinet ad Eccleſiaſticos, non poteſt iure humano cōmunicari populo. Reſp. quidquid ſit, an poſſit iure humano ſtatui, vt ſolus populus Pontificem eligat: ſaltem non videtur contra ius Diuinum, vt populus ſimul cum Clero concurrat ad Pontificis electionem: quia in tali caſu ſeruatur ius diuinum naturale, vt Eccleſiaſtici eligant, etiamſi cum illis ſimul eligant Laici. Et propterea ſuprà dixi, hoc ius conceſſione Pontificis communicari poſſe etiam populo, non excluſis Eccleſiaſticis. Quanquam, vt oſtenſum eſt ex vtraque Epiſtola Leonis, iudicium populi ſolùm requirebatur ad petendum, & teſtificandum de vita & moribus Pontificis, non autem ad eligendum, quorum munus erat Eccleſiaſticorum.

200. Ex his facilè eſt Caluini argumenta diluere. Nam quod ad Leonem attinet, quem contra noſtram ſententiam reclamare ait, ſatis apertè viſum eſt, in quo ſenſu ipſe dixerit, requiri populi vota, nempe non ad eligendam ſed ad poſtulandum, & teſtificandum. Cyprianus vero, qui lib. 1. Epiſt. 4. docet, plebem *poteſtatem à Deo habere vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recuſandi*, explicandus eſt de poteſtate eligendi, vel recuſandi, per teſtimonium, non per electionem: quia per teſtimonum efficere poteſt, vt eligatur, vel electus recuſetur. Et cùm addit, id ex iure, ſeu authoritate Diuina deſcendere, *vt Sacerdos plebe præſente, ſub omnium oculis deligatur & dignus atque idoneus publico iudicio ac teſtimonio comprobetur*: non intelligit, id eſſe de iure Diuino præceptiuo, ſed tantùm permiſſiuo: vti etiam in veteri lege Sacerdotes Leuitici ordinis coram populo eligebantur, quo exemplo vtitur ibidem Cyprianus. Quoad electionem verò Matthiæ reſpondet Chryſoſtomus in hunc locum, illam factam fuiſſe à tota multitudine, ex conceſſione Petri, & quidem ſolùm quoad petitionem: quanquam ille non tam humana quàm Diuina electione videlicet per ſortem, electus fuit. De diaconis autem diſpar fuit ratio: quia cùm illi eligerentur, vt præeſſent menſis, potuerunt eligi à populo. Tametſi etiam illa electio fieri potuerit, plebe tantùm petente ac teſtificante, non autem eligente. *Cyprianus* *Chryſoſtom.*

201. Hactenus vidimus, ius eligendi Pontificem, & idem eſt de iure eligendi Epiſcopos, reliquoſque Eccleſiæ Miniſtros, per ſe non eſſe penes populum, ſed penes Eccleſiaſticos. Vlteriùs ſupereſt indagandum, an ius hoc ſit penes omnes Eccleſiaſticos, an tantùm penes Primores, vt ſunt Epiſcopi, an penes ſummum Pontificem tantū, qui vel ſolus præſcribere poſſit modum eligendi ſucceſſorem, vel etiam ipſemet illum eligere, aut ei adhuc viuens ſuum Pontificatum cedendo, aut deſignando illum ſibi poſt mortem ſucceſſurum. Pro quorum dubiorum reſolutione.

202. Dico 1. Penes Summum Pontificem eſt ius ſtatuendi modum eligendi, non ſolùm Epiſcopos, ſed etiam ipſum ſummum Pontificem. Eſt communis inter Theologos: & conſtat ex varijs conſtitutionibus Romanorum Pontificum, qui modum eligendi Pontificem præſcripſerunt. Fundamentū aſſertionis, eſt quia nullus eſt, iure Diuino determinatus modus eligendi Pontificem, vel Epiſcopos: nam licet videatur iure Diuino determinatum, vt ſummi Pontificis electio ad Eccleſiaſticos ſpectet, modus tamen eligendi non eſt iure Diuino determinatus: ergo ad eum talis determinatio ſpectabit, cui cōmiſſū eſt ſupremū Eccleſiæ Regimen: talis eſt Romanus Pontifex. *Concluſio 1*

Digitized by Google

203. Dices. Si penes ſummum Pontificem eſt, ius ſtatuere eligendi Pontificem cùm eiuſdem ſit ius auferre, cuius eſt ferre, poſſet tale ius ab Eccleſia auferre: ac proinde manere poſſet Eccleſia perpetuo priuata ſuo Paſtore. Reſp. negando ſequelam: non enim ſummi Pontificis eſt, ius Eccleſiæ conferre eligendi Pontificem ſimpliciter, cùm hoc ius Eccleſia habeat à Deo. Nec per hoc Eccleſia eſt ſupra Pontificem: quia hoc ius non eſt ad conferendam poteſtatem Pontificiam, ſed ad deſignandam duntaxat perſonam, cui conferenda ſit à Deo authoritas Pontificia. Eſt igitur ſummi Pontificis tantùm determinare modum, vel perſonas, quæ debeant Pontificem eligere.

Concl. 2. 204. Dico 2. Poſſet ſummus Pontifex ſibi ſucceſſorem poſt mortem deſignare: iſque ſic deſignatus validè electus foret. Eſt Victoriæ apud Suarez tomo de fide diſp. 10. ſect. 4. qui etiam hanc poteſtatem concedit Pontifici, modò talis electio apertam non contineat iniuſtitiam: quòd tunc eſſet, vt declarat Gloſſa in caput. *Si tranſitus Papa* diſt. 79. quando Pontifex hoc faceret, *quaſi ex teſtamento dignitatis ſuæ heredem ſubſtitueret.* Nam tunc inualida eſſet electio tanquam vſurpati iuris non ſui: cùm Pontifex hanc poteſtatem non habeat vt hæreditariam, cum iure de illa diſponendi quomodocunque, ſed in vtilitatem duntaxat & emolumentum Eccleſiæ. Eandē ſententiam approbare videtur Caietanus in Apologia de Authoritate Pontificis & Concilij parte 2. cap. 22. in caſu neceſſitatis, quo poſt mortem Papæ non poſſent electores congregari, & pro occurrenti periculo opus eſſet vniuerſali Eccleſiæ Paſtore.

205. Aſſertio ſic explicata 1. colligitur ex præcitato capite *ſi tranſitus:* in quo videtur ſupponi, poſſe Pontificem futurum ſucceſſorem nominare: ſic enim habet: *ſi tranſitus Papæ inopinatus euenerit, vt de ſui electione ſucceſſoris ante decernere non poſſit* &c. Nam etſi hoc caput nonnulli explicent de electione ſucceſſoris, non quem ipſe Pontifex immediatè & per ſe ipſum deſignet, ſed mediantibus electoribus, cum quibus ante mortem, de futuro ſucceſſore ab ipſis eligendo deliberet: nulla tamen ratio cogit ad illud ſic intelligendum. Præterea, ſi poteſt illum per electores à ſe deſignatos eligere, cur non poſſet ipſemet illum eligere? cùm ſit ſupra electores, qui poteſtatem eligendi habent ab ipſo Papa, qui electores pro futuro Pontifice determinare poteſt.

206. Dices, ideo non poſſe præſentem Papam futurum eligere, quia mortuo eligente, non ampliùs obligat eius electio, quæ in vita eligentis non habuit effectum. Sed contrà, nam vnde conſtat, mortuo Papa eligente, eius electionem non ampliùs obligare? potuit enim Chriſtus hanc poteſtatem ſuo Vicario concedere: & aliunde non conſtat, illam ei non conceſſiſſe.

207. Probatur igitur aſſertio 2. Ipſo facto Petri, qui viuens ſucceſſorem ſibi elegit Clementem, vt ipſemet Clemens teſtatur Epiſt. 1. ad Iacobum fratrem Domini circa initium, & habetur capite, *Si Petrus* 8. q. 1. vbi dicitur Petrus Pontificiam poteſtatem tradidiſſe ſucceſſori ſuo Clementi. Quo modo eligendi aliqui apud Suarez diſputatione 10. ſect. 4. num. 8. vſos fuiſſe putant Linum & Cletum.

208. Dices. Aut Clemens electus fuit à Petro peculiari inſtinctu Spiritus ſancti, qui modus non eſt in exemplum trahendus: vel certè electus fuit à Petro non immediatè, ſed mediantibus electoribus, quos Petrus ipſe conſtituit: ſicut dicitur Pontifex eligere futurum Papā per electores à ſe conſtitutos. Sed contrà 1. nam vnde conſtat, hoc Petrum feciſſe peculiari inſtinctu Spiritus ſancti, & non ex ordinaria poteſtate ſibi à Chriſto communicata? Contra 2. quoniam, vt rectè notat Caietanus tom. 1. Opuſc. tract. 3. in Apologia de comparatione authoritatis Papæ cum authoritate Concilij p. 2. cap. 22. ad 5. talis explicatio eſt contra textum, in quo legitur, *tradente* ſibi Petro, non autem *ordinante.*

209. Probatur 3. aſſertio poſita, quia nullum extat ius Diuinum oppoſitum prohibens: humanum autem poſitiuum non ſufficit, cùm Pontifex plenam poteſtatem habeat ſupra omne ius humanum poſitiuum, cùm ſuam poteſtatem habeat non ab Eccleſia, ſed à Deo.

210. Dices. Hoc ius Diuinum colligi ex duobus capitibus *Epiſcopo* 8. quæſtione 1. in quibus ſtatuitur, non licere Epiſcopo ſucceſſorem ſibi eligere. Sed contrà, nam manifeſtè ibi agitur de iure Eccleſiaſtico, quod fuit in Antiocheno Concilio determinatum. Et conſtat quia ex diſpenſatione Papæ poteſt Epiſcopus ſucceſſorem ſibi eligere, vt notat ibi Gloſſa, & expreſsè habetur capite *Petiſti* 7. quæſtione 1. vbi Pontifex Zacharias concedit Archiepiſcopo Moguntino, vt ſibi ſucceſſorem poſt mortem eligat.

211. Oppoſitum huius aſſertionis docent Caietanus loco proximè citato, Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 9. Turrianus diſp. 15. dub. 3. & alij: quorum fundamentum eſt, quia non fuit expediens, vt talis poteſtas concederetur Pontifici ob multa incommoda, quæ ex tali electione naſci poſſent. Vnde efficax argumentum ſumunt ex eo, quòd nullus Pontifex hactenus tali modo vſus ſit.

212. Verùm hæc ratio tantùm probat, huiuſmodi electionem irritam fore in caſu, in quo apertam contineret iniuſtitiam. Aliàs in maximum bonum Eccleſiæ interdum cederet ſi præſens Pontifex præuidens futura ſchiſmata ex futuri Pontificis electione, ipſemet ſucceſſorem deſignaret. Cæterùm, quòd nullus Pontifex hactenus hoc modo eligendi vſus ſit, id fortè accidit, vel pro-

preг

Marginalia: Victoria. Suarez. Caietanus. Clemens. Suarez. Caietanus. Caietanus. Bellarmin. Turrianus.

Digitized by Google

pter probabilitatem contrariæ ſententiæ, propter quam meritò nullus voluit futuri Pontificis electionē dubio exponere: multa enim ſpeculatiuè iudicantur vera, quæ tamen vt redigantur in praxim, non ſemper cenſetur tutum: tum ne daretur occaſio, ne Pontifices hoc iure vterentur tanquam proprio & hæreditario, qui eſſet peſſimus poteſtatis abuſus.

Concl. 3. 213. Dico 3. Poſſet Pontifex adhuc viuens renuntiare Papatui, & alium Papam loco ſui eligere. Hęc aſſertio ſequitur ex præcedente: nam ſi poteſt Pontifex naturali morte Papatu defunctus, ipſe ſucceſſorem ſibi eligere, cur non poterit adhuc viuens, renuntiato Papatu, alium in ſedem Petri deſignare? nam quòd poſſit ſponte Papatum renuntiare, maximè accedente conſenſu Eccleſię, ab omnibus conceditur: *Celeſtin. V.* idque peculiari ſtatuto definiuit Celeſtinus V. qui & ipſe ſponte Papatui renuntiauit, *Bonifacius VIII.* vt de renuntiatione cap. 1. refert Bonifacius VIII. qui tunc temporis erat vnus è Cardinalibus, vt ipſemet teſtatur. Quòd autem ipſe eligere poſſit Papam, probatur: quia modus eligendi Papam eſt de iure poſitiuo, pendens à poteſtate Romani Pontificis: ergo poſſet hunc modum ipſe ſtatuere ac ſeruare.

214. Aduertendum tamen eſt, non poſſe Papam, priùs renuntiare Papatui, & deinde alium eligere: quia renuntiato Papatu, non haberet ampliùs poteſtatem mutandi modum præſcriptum ab alio Papa: ſed exiſtens Papa poſſet alium deſignare, per quam deſignationem ſimul & alter eligeretur, & ipſe deſineret eſſe Papa, ita vt electio vnius eſſet renuntiatio & depoſitio alterius, vt nec ſimul tempore eſſent duo ſummi Pōtifices: nec daretur tempus, in quo nullus eſſet in tali caſu Pontifex, ſed quando vnus deſineret, alter inciperet.

215. Neque huic noſtræ aſſertioni obſtat, *Celeſtinus III.* quòd cùm Celeſtinus III. graui morbo laborans, renuntiare vellet Papatui, & Cardinalem Ioannem de ſancto Paulo titulo ſanctæ Priſcę, ipſius loco eligi cuperet, Cardinales noluerint, aſſerentes inauditum eſſe in Eccleſia Dei, vt ſummus Pontifex ſe ipſum deponat: nam hoc factum eſt ante Celeſtinum V. ante quē nullum præceſſerat exemplum, quòd ſummus Pontifex ſe ipſum ſponte à Papatu deponeret.

Concl. 4. 216. Dico 4. Secluſo iure poſitiuo, poteſtas eligendi Papam nō eſt penes ſolum Clerum Romanum, ſed penes vniuerſam Eccleſiam, & Concilium generale Epiſcoporum, etiamſi de facto Papatus ſit coniunctus cum Romano Epiſcopatu. Eſt contra *Caietanus.* Caietanum in Opuſculis tract. 2. in Apol. de comparatione authoritatis Papę cum authoritate Concilij p. 2. c. 22. §. *quoad ſecundū*: oppoſitū tamen docere videtur ſupra tract. 1. de authoritate Papæ & Concilij c. 13. & 21. *Bellarmin.* Eſt etiam contra Bellarminum l. 1. de Clericis c. 10. *Turrianus.* Turrianum diſp. 15. dub. 3. & alios, qui ſecluſo iure poſitiuo, ad ſolum Clerum Romanum pertinere aiunt electionem ſummi Pontificis, poſito quòd de facto Papatus ſit coniunctus cum Romano Epiſcopatu, ſecus ſi Papatus cū nullo particulari Epiſcopatu coniunctus eſſet. Mouentur 1. quoniam de facto Cardinales ſubſtituti ſūt loco Cleri & Epiſcoporum Eccleſię Romanę: igitur ſecluſo iure poſitiuo, electio Papæ pertineret ad Epiſcopos & Clerum Archiepiſcopatus Romani. Secundò in reliquis Eccleſijs, deficiente Epiſcopo, & ſecluſo iure poſitiuo, poteſtas eligendi Epiſcopum deuolueretur ad Clerum talis Eccleſiæ: ergo deficiente Papa, & iure poſitiuo ſecluſo, ad Clerum Romanum pertinebit poteſtas eligendi Papam.

217. Noſtra autem aſſertio eſt Suarez diſp. *Suarez.* 10. ſect. 4. & Victorię apud ipſum. *Victoria.* Fundamētū verò eſt, quoniam ſecluſa lege poſitiua, determināte electores, ad primores totius Reipublicæ pertinebit de ſupremo capite ſibi prouidere, vt conſtat in omni bene inſtituta Republica. Etenim ſicut omnes Reipublicæ Primores debent illum vt caput agnoſcere, eumq; vt caput vniuerſæ Reipublicę proponere: ita naturæ debent omnes Reipublicæ primores in illius electionē concurrere. Nec refert, quòd de facto Papatus ſit coniunctus cum Epiſcopatu Romano: nā ſicut in eo dignitas ſupremi Paſtoris & vniuerſalis capitis præualet dignitati Epiſcopi particularis: ita electio ſupremi Paſtoris & vniuerſalis capitis præualere debet electioni particularis Epiſcopi. Vnde licet vt Epiſcopus vrbis eligi poſſet à Clero Romano; vt Epiſcopus tamē orbis eligi deberet ab Epiſcopis totius orbis: quæ cauſa, cùm ſit potior & vniuerſalis præualet particulari.

218. Ad 1. argumentum aduerſariorum. *Reſpond. ad 1.* Reſp. negando antecedens: etenim Cardinales in eligendo Pontifice, repræſentant totam Eccleſiam, cuius dicuntur eſſe Principes: habent enim ius eligendi ab ipſo Pontifice, qui poteſtatem habet ſupra vniuerſam Eccleſiam, quam in ſe authoritatiuè repræſentat. Vnde communicando illis Apoſtolica authoritate poteſtatem eligendi Pontificem, communicat illis in hoc actu eligendi poteſtatem totius Eccleſiæ.

219. Reſp. 2. Negando conſequentiam: *Reſpond. 2.* quia Cardinales ſunt electores poſitiua lege humana determinati: quæ ſicut ad eligendum Pontificem determinauit Cardinales, ita determinare potuit ſolum Clerum Romanum: at ſecluſa lege poſitiua, nulla eſt ratio, quæ electores determinet ad ſolum Clerum Romanum. Sicut de facto iuxta poſitiuum ius à Romanis Pontificibus præſcriptum, & vſu receptum, Rex Romanorum eligendus eſt à ſeptem duntaxat deſignatis Imperij electoribus: hoc tamen poſitiuo iure ſecluſo, eligendus eſſet à Proceribus totius Romani Imperij Feudatarijs, quemadmodum eligebatur ante Concilium generale Lugdunenſe celebratum anno 1245. ſub Innocentio IV. à quo primùm, ad lites decidendas,

dendas,

Digitized by Google

dendas, quæ inter ipſos Imperij Proceres in eligendo Rege ſuboriri ſolebant, publica ſanctione conſtituti ſunt ſeptem electores ex ipſo Imperio, tres Eccleſiaſtici, & quatuor Laici, vt rectè oſtendit Baronius ſub finem anni 996. *Baronius.*

Ad 2. 220. Ad 2. negatur conſequentia. Ratio diſcriminis eſt: quia cæteri Epiſcopi, cùm ſint tantùm caput particularis Eccleſiæ, ſufficit vt à Primoribus eius Eccleſiæ eligantur, cuius conſtituuntur capita. Epiſcopus autem Romanus, cùm ſit caput totius Eccleſiæ, eligi debet à Primoribus totius Eccleſiæ.

221. Atque hęc quantum ad ius ſeu Diuinum poſitiuum ſeu Diuinum naturale eligendi Pontificem. Quantùm ad modum autem, quo de facto in eo eligendo nunc vtitur, vel antea vſa eſt Eccleſia, vt ex hiſtorijs conſtat, varius fuit. Nam primis temporibus, vt colligitur ex capite *cum longè* diſt. 63. eligebatur à Clero, ſolùm teſtificante, & conſentiente populo: vbi, *Electiones*, inquit, *ſummorum Pontificum, atque aliorum infra Præſulum quondam Imperatoribus præſentabantur: ſicut de electione Beati Ambroſij, & Beati Gregorij legitur. Quibus exemplis & præmiſſis authoritatibus liquidò colligitur, Laicos non eſſe excludendos ab electione, neque Principes eſſe reijciendos ab ordinatione Eccleſiarum. Sed quòd populus, aut Princeps iubetur electioni intereſſe, non præcipitur aduocari ad electionem faciendam, ſed ad conſenſum electioni adhibendum. Sacerdotum enim (vt in fine ſuperioris Capituli Stephani Papæ legitur) eſt electio, & fidelis populi, eſt humiliter conſentire. Deſiderium ergo plebis requiritur vt Clericorum electioni concordet. Tunc enim in Eccleſia Dei rite præficietur Antiſtes, cùm populus pariter in eum acclamauerit, quem Clerus communi voto elegerit.* Hæc in prædicto capitulo. Vbi etiam citatur dictum Celeſtini I. *Plebis non eſt eligere, ſed electioni conſentire.* Eadem docet Cyprianus lib. 4. Epiſt. 2. in qua refert modum, quo Cornelius Papa electus fuit Romæ Pontifex: *Cornelius*, inquit, *Epiſcopus de Dei & Chriſti eius iudicio, de Clericorum penè omnium teſtimonio, de Plebis, quæ tunc affuit, ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum Collegio* &c.

Celeſtinus I.

Cyprianus.

222. Aliquando verò, vt firma haberetur Pontificis electio, Imperatoris confirmatio requirebatur, vt ex eodem præcitato capite *cum longè*, conſtat. Cui iuri, ſiue Tyrannicè, ſiue Pontificum conceſſione ab Imperatoribus vſurpato, renuntiauit Ludouicus Romanorum Imperator Paſchaſio Papę, vt habetur capite *Ego Ludouicus* diſt. 63. quam conſuetudinem perpetuo edicto prohibuit Gregorius IX. vt refertur capite *Maſſana* de electione.

Stephan. IV. Baronius. 223. Demum à Stephano IV. qui iuxta Baronij computum creatus eſt Pontifex anno 768. ius eligendi Pontificem commiſſum fuit Cardinalibus, qui nonniſi vnum ex ipſiſmet Cardinalibus, qui ſaltem Diaconus eſſet, eligerent. Quē modum poſtea ſequentes Pōtifices peculiaribus Bullis & decretis confirmarūt. Nicolaus II. anno 1059. qui tamen ius conceſſit Henrico Imperatori Pontificis electionē confirmandi: nec non decreuit, vt non tantùm ex Cardinalibus, ſed ex quocunque alio ordine, modò dignus iudicaretur, Pontifex creari poſſet, vt conſtat ex Decretali à Gratiano relata capite *In nomine Domini* diſt. 23. Alexander III. qui & conſtitutionem addidit in Concilio generali Lateranenſi anno 1179. vt non haberetur legitimus Pontifex, qui ad minimum à duabus partibus Cardinalium non eſſet electus. Quam conſtitutionem Gregorius X. confirmauit in Concilio generali Lugdunenſi anno 1274. & inſuper determinauit locum, in quo Pontifex eſſet eligendus, nec non tempus, nempe vt poſt decem dies à morte pręcedentis Cardinales electionem inchoaturi eſſent, & iuramentum ſtatim poſt mortem præſtituri eſſent de ſeruanda conſtitutione Pontificis in electione noui Papæ. Quæ omnia habentur in Decretali de electione, & electi poteſtate capite *Vbi periculum* in 6. Eadem decreuit Clemens V. in Concilio generali Vienneſi ſub anno 1311. qui & Apoſtolica authoritate declarauit, non poſſe è Cardinalibus, quæ in conſtitutione Pontificis pro eligendo nouo Pontifice decreta ſunt, vel mutari, vel corrigi: & vt mortuo Pontifice omnes Eccleſiaſtici Magiſtratus & officia ſtatim ceſſarent, & à ſuis muneribus vacarent, præter Pœnitētiarios & Camerarium: omnia hæc habentur in libro conſtit. Clementis V. titulo de electione, & electi poteſtate capite *Ne Romani* in 6.

Nicolaus II.

Alexander III.

Gregorius X.

Clemens V.

224. Vltimò hæc eadem peculiari Bulla confirmauit Gregorius XV. quę incipit. *Æterni Patris Filius*: in qua præterea, quæ præcedentes Pontifices ſtatuerunt hæc addit. Primò, omnibus & ſingulis electoribus iuramentum imponit de eligendo Pontifice, quem iudicant ſecundùm Deum eligendum eſſe. Forma autem iuramenti eſt: *Teſtor Chriſtum Dominum, qui me iudicaturus eſt, me eligere, quem ſecundùm Deum iudico eligi debere.* Secundò aſſignat triplicem modum, quo Canonica Pontificis electio fieri poteſt: Primus eſt, per Spiritus ſancti inſtinctum, ſi nimirum omnes electores afflatu Spiritus ſancti conſpirent in vnam perſonam, quam vnanimi conſenſu, nullo diſcrepante, deſignent per verbum *Eligo* intelligibili voce, aut ſcripto expreſſum. Secundus eſt, per compromiſſum, ſi ſcilicet omnes, & ſinguli Cardinales in conclaui præſentes, nemine diſſentiente, aliquos ex Cardinalibus ſeligant, quibus poteſtatem tribuant, vt vice omnium Pontificem eligant. Tertius eſt, per Scrutinium, vel per Scrutinium & acceſſum ſimul, vtrumque per ſuffragia ſecreta. Tertiò, definit vt irritam & nullam eius electionem, qui ſibi ſuffragium dedit. Quartò, excommunicat ipſo

Gregorius XV.

facto

facto omnem, qui conſtitutionem de eligendo Pontifice non ſeruauit. Quintò, declarat, in paritate Votorum nullam fore legitimam electionem. Sextò, indicat, non ſolùm ex ipſo Collegio Cardinalium, ſed etiam extra, Pontificem eligi poſſe. Quam Bullam quoad omnia Apoſtolica authoritate cõfirmat Vrbanus VIII immediatus ſucceſſor Greg. XV. in cuius electione hæc omnia primò ſeruata fuere. *Vrban. VIII* Qui modus eligendi eſt omnium optimus, vt conſtat tum ex diuturnitate temporis, quo in Eccleſia Dei ſeruatus fuit, tum ex paucioribus Schiſmatibus, quæ acciderunt, ex quo hic modus ſeruari cœptus eſt: tum quia & propter Sapientiam, & prudentiam electorum, qui ſunt Primores Eccleſiæ, liber eſt à popularibus tumultibus, & propter numerum Cardinalium, qui debent præuio iuramento eligere, quem iudicant ſecundùm Deum eligi debere, non eſt facilè ſubiectus humanis affectibus. Vnde enitendum erit, vt nunquam hic modus mutetur. Et cùm definitum ſit à Clemente V. illum non poſſe à Cardinalibus mutari, *Clemens V.* reſtat vt non niſi à Romanis Pontificibus mutari poſſit: credendum autem eſt pro ſingulari prouidentia, quam Romani Pontifices habent erga Eccleſiam Dei ſibi commiſſam, fore vt nullus deinceps talem modum mutatus ſit, niſi fortè in melius.

SECTIO VII.

An poſſit verus Pontifex Pontificia dignitate priuari?

225. DVpliciter poſſet verus Põtifex Põtificia dignitate priuari, vno modo ſponte renuntiando Papatum: alio modo coactè, per voluntatem & ſententiam alterius. Quoad priorem modum, definitum eſt à Celeſtino V. *Celeſtinus V.* vt conſtat ex eius decreto inſerto in iure communi cap. 1. de renuntiatione in 6. poſſe Romanum Pontificem, maximè cùm ſe inſufficientem agnoſcit ad regendam Eccleſiam, & ad ſummi Pontificatus onera ſuſtinenda, renuntiare Papatui, quod decretum ſuomet exemplo ad perpetuam rei memoriam obſignauit ipſemet, ſex menſes poſtquam Papa creatus eſt anno 1294. Cæterùm notandum cum Gloſſa in caput citatum verbo *maximè*, limitationem illam, *Maximè cum ſe inſufficientem agnoſcit*, non eſſe appoſitam ad excludendas alias cauſas ob quas poſſet Pontifex Pontificiam dignitatem renuntiare, eſto ſe alioqui non inſufficientem agnoſceret, ſed ad illam inter alias cauſas duntaxat commendandam, vt patet de Clemente, qui deſignatus Pontifex à Beato Petro Pontificatum renuntiauit Lino & Cleto, poſt quos ille electus fuit IV. Pontifex Romanus.

226. Vna ſupereſt in hoc modo difficultas, an, vt legitimus Pontifex validè Papatui renuntiet, neceſſarius ſit conſenſus Eccleſiæ, ſeu Cardinalium, qui Eccleſiæ in eligendo, & deponendo Pontifice vices ſubeunt. Affirmat Bellarminus libro 2. de *Bellarmin.* Pontifice capite 29. in fine. Fundamentum eſſe poteſt, quoniam Pontificatus eſt quoddam ſpirituale Matrimonium Pontificis cum Eccleſia: ergo ſicut ad diſſolutionem Matrimonij non ſufficit conſenſus vnius, ſed requiritur voluntas vtriuſque Coniugis: ita ad diſſolutionem ſpiritualis Matrimonij inter Pontificem & Eccleſiam non ſufficit ſola renuntiatio Pontificis, ſed requiritur etiam conſenſus Eccleſiæ renuntiationem acceptantis. Confirmatur, quia Chriſtus non confert Pontificiam dignitatem, niſi dependenter à conſenſu Eccleſiæ: ergo nec illam aufert, niſi dependenter à conſenſu eiuſdem.

227. Negat verò Suarez, ad vali- *Suarez.* dam Pontificis depoſitionem, præter ſpontaneam ipſius renuntiationem, neceſſarium eſſe Eccleſiæ conſenſum. *Quæ ſententia probabilior eſt*, & conformior tum citato decreto Pontificis, in quo abſolutè & abſque vlla limitatione definit, poſſe Pontificem Papatum liberè reſignare. Tum rationi, nam ſicut dignitas Papalis non confertur inuito, ita nec perſeuerat in nolente renuntiare; ijſdem quippe principijs res & gignitur, & conſeruatur: ergo in non gignitur ſine conſenſu recipientis, nec conſeruabitur ſine conſenſu & voluntate habentis. Igitur defectu ſolius conſenſus Pontificis illa deſinit: eſt enim Pontificis conſenſus neceſſaria conditio tam ad generationem, quàm ad conſeruationem Pontificiæ dignitatis requiſita.

228. Dices. Ex ſolo defectu conſenſus Epiſcopi non confertur dignitas Epiſcopalis, cùm tamen ſola renuntiatione Epiſcopi, abſque Pontificis voluntate non auferatur dignitas Epiſcopalis: ergo licet ſolo defectu conſenſus Pontificis non conferatur dignitas Pontificia, non tamen ſequitur, ſolo defectu conſenſus Pontificis, abſque voluntate Eccleſiæ, ceſſare dignitatem Pontificiam: cùm plura requirantur ad generationem, quàm ad conſeruationem rei.

229. Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſcriminis: quoniam dignitas Papalis pendet à Deo: Deus autem, vt illam conferat, requirit conſenſum vtriuſque, & Pontificis acceptantis, & Eccleſiæ eligentis. Ratio eſt, quia collatio Pontificiæ dignitatis debet humano modo fieri, nempe per electionem perſonæ, & conſenſum electi. Vt autem illam auferat, ſolam requirit renuntiationem Pontificis, quia per ſolam renuntiationem Pontificis ſubiectum redditur incapax dignitatis Papalis, quam Deus non conſeruat in ſubie-

cto

Digitized by Google

236. Ad rationem autem dubitandi, neganda eſt Minor. Ad cuius probationem, eſto Phyſicè & ex natura rei nullum peccatum repugnet cum Pontificia dignitate, repugnat tamen moraliter & ex inſtitutione Diuina, ob maximum incommodum, quod aliquod peccatum Pontificis afferre poſſet Eccleſiæ, in cuius bonum & vtilitatem Pontificia dignitas confertur. Quis autem ſit hic caſus, in quo cenſetur Pontifex iniuſtè Eccleſiam inuadere, nonnulla eſt inter Doctores varietas.

237. Aliqui putant cum Gloſſa capite *Si Papa* diſt. 40. propter quodcunque peccatum, quod notorium & ſcandaloſum eſt Eccleſiæ, poſſe Pontificem, ſi corrigi nolit, deponi. Probant 1. teſtimonio Chriſti, qui Ioannis vlt. antequam Petro Paſtoralē authoritatem paſcendi oues conferret, ſuumq; Vicarium conſtitueret, ter ab eo charitatem requiſiuit. Secundò per omne crimen publicum & notorium Pontifex Eccleſiam ſcandalizat: ergo per omne crimen publicum & notorium fit iniuſtus Eccleſiæ inuaſor: ergo propter quodcunque crimen publicum & notorium Eccleſia ius habet à natura procedendi contra ipſum, tanquam contra iniuſtum inuaſorem, per officij depoſitionem. Ioan. vlt.

238. Alij vero docent, propter ſolum crimen hæreſis fore Pontificem deponendum, ſi in illud incurrere poſſet: Cæterùm impoſſibile putant, poſſe Pontificem, etiam vt priuatam perſonam in hæreſim incurrere: ac proinde ſimpliciter negāt, poſſe Pontificem deponi. Ita Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 6. & Suarez diſp. 7. ſect. 6. pro qua ſententia citatur Pighius. Probant 1. quia nullus Pontifex hactenus, etiam vt priuata perſona, notatus eſt hæreticus: ſignum igitur eſt, id accidere nō poſſe. Secundò ad ſuauem diuinæ prouidentiæ diſpoſitionem ſpectat, vt qui ex officio debet ſemper veritatem docere, hæreticus non ſit. Quo enim pacto ſemper veritatem docebit, qui hæreticus eſt, & oppoſitum ſentit? Niſi dicas, Deum à tali Pontifice veritatem extorturum, non ſecus ac olim ex ore Aſinæ Balaam extorſit iuſtam querelā cōtra errorem ipſius Balaam: At hoc violentum eſt, & contra prudentiam Dei ſuauiter diſponentis omnia. Bellarmin. Suarez. Pighius.

239. Alij demum arbitrantur, poſſe Pōtificem, vt priuatam perſonam in hæreſim incidere, & propter eam deponi, non autem propter alia crimina, quantumcumque ea grauia & ſcandaloſa ſint. *Quæ ſententia vti communior, ita probabilior eſt*: eamque docent Caietanus Opuſc. de authoritate Papæ & Concilij à cap. 17. & deinceps, Canus lib. 6. de locis Theologicis cap. vlt. ad 11. circa medium, Sotus in 4. diſt. 22. q. 2. art. 2. §. *Dubium autem eſt.* Bannez 2. 2. q. 1. art. 10. prioribus commentarijs dub. 2. §. *Reſpondetur ergo ad quæſtionem.* Ioannes Malderus ibidem dubit. 7. Turrianus diſp. 16. dub. 1. Caietanus Canus Sotus Bannez Malderus Turrianus.

240. Prior pars huius ſententiæ non obſcurè colligitur ex citatis literis Adriani ad 8. Synodum datis, in quibus videtur admittere Honorium propter hæreſim, vt priuatā perſonam fuiſſe in Concilio damnatum. Et probatur, quoniā ex vi fidelitatis, qua Chriſtus promiſit, ſe nunquam permiſſurum, vt portæ inferi præualituræ eſſent aduerſus ſuā Eccleſiam, non tenetur impedire priuatos errores Pontificis quà priuata perſona eſt, ſed tantùm publicos ex Cathedra docentis & definientis. Nam vt ſic tantùm errores Pōtificis nocere poſſunt Eccleſiæ, quæ obedire tenetur ſuo capiti ex Cathedra docenti & definienti. Vnde illa verba Lucæ 22. à Chriſto Petro, eiuſque ſucceſſoribus dicta: *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, non intelliguntur de fide priuata, ſed publica, quam Petrus, eiuſque ſucceſſores fratres docere tenentur: idque colligitur ex verbis, quæ ſtatim ſubiungit: *& tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Quare etiāſi Petrus, quādo vt priuata perſona Chriſtum ore negauit, negaſſet etiā corde, vera adhuc fuiſſet promiſſio Chriſti, quia potuiſſet fide recuperata, fratres in fide confirmare. Luc. 22.

241. Poſterior pars, quòd poſſit & debeat Pōtifex propter hæreſim deponi, apertè colligitur ex citato capite *Si Papa* diſt. 40. & ex literis Adriani ad 8. Synodum. Et ratio eſt, quoniā hoc malum eſt valde perniciosum, nam ſemel natum potenter ſerpit in animis mortalium. Idq; ex eo, quòd peccatum hoc non eſt ſicut cætera, quæ relinquunt lumen intellectus liberum ad dignoſcendam fœditatem ipſorum peccatorum, qua homo remoueri poſſit ab illis committēdis: ſed obſcurat intellectum ipſum, proponendo illi falſum ſub ratione veri, & malum ſub ſpecie boni. Hæreticus enim certiſſimè putat, verum eſſe, quod ipſe credit, & bonum, quod agit. Proinde potentius hoc peccatum ſuas radices agit in animis mortalium: cùm tamen cætera peccata apertè ſuā malitiam oſtendant. Vnde tantò magis eſt hæreſis fugienda in ſuperiore, quantò efficaciùs ſuperior ſuo exemplo & authoritate inficere poteſt ſubditos. Debuit igitur in Eccleſia eſſe medium, quo efficaciter poſſit hoc tam perniciosum malum amoliri: alioqui deterioris conditionis foret Reſpublica Eccleſiaſtica & Chriſtiana, quàm quæcunque politica & ſæcularis, quæ poteſt à quocunq; iniuſto inuaſore ſe defendere.

242. Cæterùm vt Pontifex Hæreticus Pontificia dignitate priuetur, non ſufficit, vt ſit tantùm mentaliter, & occultè Hæreticus, ſed requiritur, vt ſit publicus & notorius: nam id debet Eccleſiæ conſtare: quamdiu enim Eccleſiæ iuridicè non conſtat de hæreſi ſui capitis, non poteſt illud deponere. Contrà verò, ſi publicos hæreſis actus profeſſus ſit, etiamſi mentaliter Hæreticus non fuerit, idque iuridicè Eccleſiæ conſtet, priuandus eſt Pontificia dignitate: nam hæc dignitatis depoſitio eſt in ordine ad Eccleſiam, quæ nonniſi de notis iudicat.

243. Præterea

Digitized by Google

Vigilius Pōtifex.

252. Omitto Vigilium, qui adhuc viuente in exilio Siluerio legitimo Pontifice, non tam electus, quàm intruſus fuit in Sedē Romanam, opera Theodoræ Imperatricis hæreticæ per Bellizarium, qui eo tempore cum magno exercitu vrbem obſidebat. Mortuo verò Siluerio, idem Vigilius, qui antea fuerat Schiſmaticus, cœpit eſſe legitimus Pontifex, accedente ad Canonicam eius electionem conſenſu Cleri Romani.

Ioan. de Turrecremata Bellarminus.

253. Quoad 3. difficultatem, à quo nimirum poſſit, aut debeat Pontifex hæreticus deponi, maior eſt difficultas. Aliqui putant, illum deponi à Deo, vbi primùm in hæreſim incidit, etiam per ſolum actum internum, vt Ioannes de Turrecremata apud Bellarminum lib. 2. de Romano Pontifice cap. 30. arbitratur; aut certè per actum externum manifeſtum, vt Bellarminus loco præcitato, & alij apud ipſum opinantur. Probant 1. Hæreticus per hæreſim ſtatim deſinit eſſe membrum Eccleſiæ: ergo nequit eſſe caput eiuſdem. Antecedens probatur, nam ſicut per fidem efficimur membra Eccleſiæ, ita per amiſſionem fidei deſinimus eſſe membra eiuſdem. Secundò. Non Chriſtianus non poteſt eſſe Papa: Sed hæreticus eſt non Chriſtianus: ergò nequit eſſe Papa. Tertiò Papa nullum habet in terris Superiorem, niſi Deum: ergo à ſolo Deo deponi poteſt. Antecedens admittunt ferè omnes Catholici. Conſequentia probatur, quia depoſitio eſt actus Iuriſdictionis, qui Superioritatem requirit in deponente, & ſubiectionem in deponendo. Igitur ſi Papa deponi poſſet ab Eccleſia, Eccleſia eſſet Superior Papâ. Quartò confirmatur authoritate Patrum, qui communiter docent, hæreticos eo ipſo quòd in hęreſim incidunt, pręſcindi à corpore Chriſti, & ab Eccleſia ante vllam iudicis ſententiam. Signum igitur eſt, hæreſim ſuapte natura reddere ſubiectum incapax cuiuſcunq; Eccleſiaſticæ authoritatis.

Caietanus. Sotus. Bannez. Malderus. Suarez. Turrianus.

254. Alij communiter negant illum deponi à Deo, ſed deponendum eſſe ab Eccleſia. Ita Caietanus de authoritate Papæ & Concilij cap. 18. & deinceps, Canus, Sotus, Bannez, Malderus locis præcitatis, Suarez diſp. 10. ſect. 6. dicto 2. Turrianus diſp. 16. dub. 3. & alij. *Quæ ſententia probabilior eſt & verior.* Probatur 1. nam vel Pontifex deponeretur à Deo per ſolam hęreſim internam, vt Turrecremata putat: & hoc dici non poteſt; cùm id Eccleſię non conſtet: vnde in eo caſu non poſſet de alio capite ſibi prouidere. Vel deponeretur per hæreſim externam. Et contrà eſt: quia vel per hæreſim externam occultam, vel per hęreſim externam publicam & notoriam. Non per hæreſim externam occultam, quia nec talis hæreſis conſtat Eccleſię, licet conſtare poſſit: nec per hęreſim publicā: nam adhuc manet dubiū, quæ publicitas neceſſaria ſit, vt Pōtifex cenſeatur Pōtificia dignitate à Deo priuatus. Vnde maneret Eccleſia perplexa de vero capite & Paſtore.

255. Confirmatur: nam apud Deum tam eſt perfectè hęreticus, qui ſolo actu interno obiecto reuelato diſcredit, quàm qui actu externo: ergo non ſolùm qui actu externo, ſed etiam qui ſolo interno eſſet hæreticus, deponeretur à Deo. Præterea interrogo: an qui tantùm actu externo eſſet hæreticus, deponeretur à Deo? Si deponeretur: ergo Deus deponeret, qui verus hæreticus nō eſſet; nam hæreſis præcipuè conſiſtit in actu externo: Si non deponeretur; contrà eſt, quia talis ſaltem in facie Eccleſiæ eſſet hæreticus.

256. Probatur 2. ex Caietano citato loco cap. 19. Depoſitio à Papatu eſt grauiſſima pœna: ergo non incurritur, niſi ſit in iure expreſſa: atqui in nullo iure eſt talis pœna expreſſa. Maior patet, nam omnis pœna debet à Legiſlatore taxari, cùm nulla culpa determinatam pœnam annexam habeat. Minor probatur, nam neque huiuſmodi pœna eſt expreſſa in iure humano, neque in Diuino poſitiuo, neque in Diuino naturali. Non in iure humano, tum quia nullibi tale ius extat: tum quia etiamſi extaret, non poſſet Pontificem obligare, qui nullum agnoſcit in terris Superiorem. Vnde: Sicut nequit vnus Pontifex ab alio Pontifice excommunicari, quo fit, vt hęreſim incurrens, excommunicationem non contrahat: ita nec ab alio Pontifice Papali dignitate deponi: cùm par in parem nullum habeat imperium. Non iure Diuino poſitiuo, quia tale ius nullum extat: deberet autem extare, vt obligaret, cùm nulla pœna obliget, niſi de illa expreſsè conſtet. Nec iure Diuino naturali: tum quia ſi hæc pœna eſſet de iure Diuino naturali, non poſſet à pleriſque negari, vti de facto negatur: tum quia nullum videtur tale ius Diuinum naturale, quod dictet, Pontificem hæreticum ſtatim à Deo deponi: nam ſi quod eſſet, maximè eſſet, quia fides videtur neceſſaria diſpoſitio ad Papatum: hoc autem in ſolutione argumentorum oſtēdemus eſſe falſum. *Caietanus.*

257. Tertiò probatur ex abſurdo. Nam ſi Pontifex incideret in manifeſtam hæreſim, & ſtatim poſtea reſipiſceret: iam propter manifeſtam hæreſim ſtatim à Deo Pontificia dignitate priuaretur, quia per hæreſim ſtatim ſubiectum redderetur coram Deo incapax Papatus: Cùm tamen iuxta Canones talis nō eſſet deponendus, qui ſolum deponendum iubent incorrigibilem. Quod etiam colligitur ex Paulo ad Titum. 3. *Poſt vnam & ſecundam correptionem*, non dicit ſtatim, *hæreticum hominem deuita*. Quòd ſi dicas, huiuſmodi Pontificem reſipiſcentem ſtatim à Deo reponi in priſtinam dignitatem: in maius incidis abſurdum, quòd ſine humana electione, de nouo accipiat Pontificiam dignitatem, quam per præcedentem hæreſim amiſerat. Præterquam quòd dubia eſſet Eccleſia de toto tempore intermedio. Confirmatur; non confert Deus dignitatem Papalē, niſi media Eccleſię electione: ergo nec eandem tollit, niſi media eiuſdē declaratione. *Tit. 3.*

258. Ex his infertur, neque in collatione Pontificiæ dignitatis hęreſim obſtare, quò minùs hæreticus Pontifex Canonicè electus

Pontificiam dignitatem à Deo accipiat. Nam licet peccent electores, hæreticum Pontificem eligendo, valida tamē eſt electio.

259. Ad 1. oppoſitæ ſentent. diſtinguendum eſt antecedens: ſtatim Pontifex per manifeſtam hæreſim deſinit eſſe membrum Eccleſiæ quoad vitalem influxum fidei & Charitatis, concedo; quod exteriorem Eccleſiaſtici Regiminis gubernationem, nego. Etenim potuit Chriſtus membro adhuc arido propter commune bonum Eccleſię Paſtorale officium regendi Eccleſiam committere. Quòd autem de facto illud commiſerit, ex eo probatur, quoniam hic modus eſt congruentior pro Eccleſiæ vtilitate.

260. Ad 2. diſtinguenda eſt maior: Si nullo modo, neque per fidem, neque per characterem ſit Chriſtianus, nequit eſſe Pontifex, concedo: nequit eſſe Pontifex, ſi ſaltem Chriſtianus ſit ratione characteris, nego.

261. Ad 3. Reſpondent aliqui, Eccleſiam in caſu hęreſis eſſe ſupra Papam. Sed contrà, nam Concilia, Pontifices, & Canones abſolutè pronuntiant, Papam eſſe ſupra Eccleſiā, vt nos infrà de authoritate Concilij oſtēdemus.

262. Reſp. igitur, Eccleſiam nullum actum iuriſdictionis exercere in Pontificem, cùm illum hæreticum declarat: nam per declarationem Eccleſiæ, Deus, non Eccleſia illum à Papatu deponit. Tres enim actus diſtinguendi ſunt in depoſitione Pontificis. Primus declaratio hæreſis iuridicè ab Eccleſia facta: Secundus, depoſitio Pontificatus: Tertius, executio pœnæ, quæ eſt priuatio ipſa externæ dignitatis Papalis. Primus & tertius eſt Eccleſiæ; Secundus Dei, qui poſita Canonica declaratione hæreſis, aufert ab hæretico Pontifice Papalem poteſtatem. Ex eo igitur quod Eccleſia declarat, hunc Pontificem eſſe hæreticum, nullum Superioritatis actum exercet in illum: quia per huiuſmodi actum Eccleſia non deponit formaliter Pontificem à Papali dignitate, ſed Deus ipſe, poſita tali declaratione, tanquam conditione ſine qua non. Sicut ex eo quòd Eccleſia eligit hanc perſonam ad Papatum, nullum exercet actum Superioritatis in ipſum Papam, quia per electionem non ipſa, ſed Deus, poſita humana electione tanquam conditione ſine qua non, confert dignitatem Papalem. Neque per tertium actum Iuriſdictionem exercet in Papam, ſed in perſonam, quæ fuit Papa: nam tertius actus ſupponit Papam iam depoſitum à Deo, qui ſtatim ad Canonicam declarationem hæreſis illum Papali dignitate priuat: qua pœna à Deo poſita, poteſt Eccleſia Iuridicè vlterius procedere ad alias pœnas conſequentes infligendas. Aliter reſpondet ad hoc argumentum Caietanus. Legatur ipſe loco præcitato cap. 20. [margin: -iet.]

263. Ex his refellitur inſtantia Bellarmini negantis, eandem rationem eſſe de electione, & depoſitione: quoniam electio, inquit, verſatur circa perſonam, quę nondum eſt, ſed futura eſt Papa: depoſitio verò verſatur circa perſonam, quæ eſt Papa: ac proinde concludit, ſi Eccleſia deponeret Papam, eſſet ſupra Papam: non tamen eſt ſupra Papam, eligendo Papam. Refellitur autem hæc inſtantia, quia Eccleſia non deponit Papam, ſed declarat tantùm illum eſſe hæreticum: Deus autem eſt, qui ad declarationem Eccleſiæ à Papatu illum deponit. Habet autem hanc authoritatem Eccleſia declarandi Pontificem hæreticum ab ipſo iure naturæ, quo cum moderamine inculpatæ tutelæ poteſt ſe contra iniuſtum inuaſorem defendere. Ex eodem iure naturæ conſtat, Deum ad Canonicam declarationem Eccleſiæ Papam deponere à Papali dignitate: cùm eodem iure naturæ conſtet, talem Papam non eſſe in Papatu retinendum: non ſecus ac eodem iure naturæ manifeſtum eſt, non eſſe Tyrannum in publico officio retinendum, & quia Eccleſia non habet ius immediatè deponendi Papam à Papatu, ſequitur, vt Deus illum ad Eccleſię declarationem deponat. [margin: -larmin.]

264. Ad quartum argumentum ex authoritate Patrum petitū Reſp. Patres explicandos eſſe, vel de pręciſione quoad vitalē influxum fidei, nō autem quoad externam gubernationem, vel certe eos loqui ſecundum iura humana, ſecundùm quę ſtatim hęretici priuantur Eccleſiaſtica dignitate. Quæ iura locum non habent in ſummo Pontifice, qui nullo humano iuri pœnali & coactiuo ſubeſt.

265. Vltimò diſcutiendum ſupereſt, à quo debeat hæc hęreſis declaratio fieri, vt per eam Canonicè cenſeatur Pontifex Pontificia dignitate depoſitus. Suarez diſp. 10. ſect. 6. & Turrianus diſp. 15. dub. 13. docent depoſitionem Pontificis in caſu hęreſis pertinere ad Concilium generale, cuius congregatio in tali caſu pertineret ad Cardinales, vt Turrianus putat: nec parendum eſſet Pontifici, ſi illud vellet impedire. *Quæ Sententia probabilis eſt.* Cęterum poſito quod de facto iam Cardinales habent ab Eccleſia per ſummos Pontifices authoritatem eligendi Papam, ipſorum etiam erit hęreticum Papam deponere: cum hæc poteſtas naturali iure ſit connexa cum priori. Vnde qui concedit primam, concedere cenſetur & ſecundam: nam poteſtas eligendi Pontificē includit poteſtatem prouidendi Eccleſiam de Paſtore vniuerſali in omni euentu, quo Eccleſia indigeret illo: inter euentus autem, quibus Eccleſia vniuerſali Paſtore indigeret, eſſet, in quo Pontifex incideret in manifeſtam & publicam hæreſim. Ergò ad eosdem in tali caſu ſpectat ſupremum Paſtorem eligere, qui ſupremū Paſtorem eligendi authoritatem habent; confirmatur qui dat poteſtatem ad finem, dat etiam poteſtatem ad media, quæ ad finem neceſſaria ſunt, ſed ad ſupremum Paſtorem in tali caſu eligendum neceſſaria eſt depoſitio hęretici Pontificis ergo qui poteſtatem dat Cardinalibus eligendi Pontificem, poteſtatem etiam dat declarandi hæreticum Pontificem, vt eo depoſito, alius eligi iuridicè poſſit. [margin: Suarez. Turrianus.]

266. Ex dictis colligitur dubium Pontificem

ficem de cuius Canonica electione Eccleſiæ certò conſtare non poteſt, deponendum eſſe. Fundamentum eſt: nam eſto hic coram Deo ſit legitimè electus, reſpectu tamen Eccleſiæ, quæ debet certo capiti ac ſuperiori obedire non cenſetur legitimè electus. Cùm enim electio Pontificis procedat more humano, per hominum ſuffragia, debet humano more Eccleſię conſtare, vt illi parere teneatur.

SECTIO VII.

An præter Pontificis ſit aliqua Eccleſiaſtica poteſtas, quæ immediatè conferatur à Deo?

267. DVPLEX diſtinguitur Eccleſiaſtica poteſtas, Ordinis, & iuriſdictionis. Quæ rurſus ſubdiuiditur in iuriſdictionem in foro interiori conſcientiæ, & exteriori regiminis. Primam poteſtatem ordinis certum eſt immediatè conferri à Deo, vt à cauſa principali in ipſa ſuſceptione Ordinis, & à legitimo miniſtro vt ab inſtumento Dei. Secundam etiam poteſtatem iuriſdictionis in foro conſcientiæ dicemus in vltimo tomo de Sacramento Pœnitentię, immediatè conferri à Deo, dependenter tamen quoad exercitium ab authoritate Eccleſiæ, quæ illam pro recto Regimine impedire & reſtringere poteſt quoad vſum, non autem quoad radicem & ſubſtantiam ipſam. De tertia, quæ ordinatur ad Regimen externum Eccleſię eſt tãtùm pręſens quęſtio, quæ tota reſtringitur ad epiſcopos, an hi poteſtatem iuriſdictionis in foro exteriori immediatè habeant à Deo, ſicut ipſe ſummus Pontifex; an verò ab ipſo Pontifice? nam de reliquis Eccleſiaſticis inferioribus Epiſcopo, nulla eſt difficultas, quin omnem iuriſdictionem in foro exteriori accipiant à Pontifice, vel immediatè, vel mediatè. Quòd autem epiſcopus ius dicendi habeat in foro exteriori ratione epiſcopalis dignitatis, in confeſſo eſt apud omnes: quippe qui & ſuſpendere, & excommunicare & degradare, nec non Eccleſias & Altaria conſecrare, virgines velare ac benedicere poteſt qui maximè ſunt iuriſdictionis actus. Sola igitur controuerſia eſt, an hoc ius immediatè habeat à Deo in ſua Conſecratione, an verò à Pontifice à quo eligitur, & in Epicopali dignitate confirmatur.

Victoria Alphonſus de Caſtro. *Bellarmin. Canus.*

268. PRIMA Sententia affirmat, Epiſcopalem poteſtatem immediatè eſſe à Deo. Ita victoria relect. 2 de poteſtate Eccleſię q. 2. & Alphonſus de Caſtro lib. 2. cap. 24. de iuſta hęreticorum punitione apud Bellarminũ lib. 4. de Romano Pontifice cap. 2[illegible]. eamq; docere videtur Canus lib. 6. de locis Theologicis cap. vlt. §. *præterea illud caput*, dum ait, Epiſcopos ſuccedere Apoſtolis in poteſtate non generali & extraordinaria, quam à Chriſto acceperunt in totum orbem, ſed in poteſtate ordinaria, quam ſinguli Apoſtoli in ſuis Eccleſijs habebant.

269. Probatur hęc ſententia 1. ex illis verbis Pauli Act. 20. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Quibus verbis Apoſtolus collationem Epiſcopalis dignitatis immediatè refert in Deum. Secundò. Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis: ſed Apoſtoli poteſtatem Iuriſdictionis immediatè acceperunt à Chriſto, à quo fuerunt conſtituti Apoſtoli: ergo & epiſcopi. Maior eſt Florentini in decreto Eugenij IV. Pontificis in explicatione Sacramenti Confirmationis, & Tridentini ſeſſ. 23. cap 4 Minor cõſtat Lucę 6. & 9. *Elegit* inquit *duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominauit; quibus & dedit virtutem & poteſtatem.* Quòd autem cum Apoſtolatu acceperint iuriſdictionem regendi Eccleſiam, colligitur ex illis verbis Ioannis. 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Atqui Chriſtus miſſus eſt à Patre cum plena poteſtate regendi Eccleſiam, ergo & Apoſtoli. Confirmatur. Ex eo quòd Pontifex Romanus in Põtificatu ſuccedit Petro, rectè colligitur illi ſuccedere in modo accipiendi Pontificiam authoritatem immediatè à Deo, ſicut & ipſe accepit: ergo ex eo quòd Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis, rectè etiam colligitur illis ſuccedere in modo accipiendi Epiſcopalem dignitatem immediatè à Deo, ſicut & ipſi acceperunt. Tertiò. Si poteſtas Epiſcopalis immediatè eſſet à Pontifice, poſſet Pontifex omnes Epiſcopos ab Eccleſia tollere: conſequens eſt falſum, cùm nequeat Pontifex ordinem Hierarchicum à Deo in ſua Eccleſia inſtitutũ deſtruere. Sequela probatur, nam omnia quę ab ipſius voluntate pendent, tollere poteſt. Quartò. non poteſt Papa ab Epiſcopo ſemel conſecrato tollere poteſtatem conferendi Ordines, cum etiam ordines ab epiſcopo degradato collati ſint validi: ergo poteſtas epiſcopalis non eſt à Papa, ſed à Deo, alioqui poſſet illam tollere. Quintò. Sequeretur defuncto Papa, poteſtatem Epiſcopalẽ ceſſare: ſicut extincto Principe extinguitur poteſtas omnium gubernatorum, qui ab ipſo poteſtatem gubernandi acceperunt. Sextò. Ordo Epiſcopalis eſt de iure Diuino à Chriſto inſtitutus, vt conſtat ex 4. cap. ad Epheſios: *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti*: Vbi per paſtores intelliguntur Epiſcopi, qui ſunt Ordinarij animarum Paſtores. Igitur Epiſcopi poteſtatem habent, non à Pontifice, ſed à Deo. Septimò. poteſtatem Iuriſdictionis in foro interiori conſcientiæ ſacerdotes accipiunt immediatè à Deo in ipſa ſuſceptione Ordinis: ergo poteſtatem iuriſdictionis in foro exteriori Epiſcopi accipiunt immediatè à Deo in ipſa conſecratione. Octauò. Si poteſtas Epiſcopalis deriuaretur immediatè à Pontifice, Epiſcopi, qui olim elige-

Act. 20. Conc. Flor. Conc. Trid. Lucæ 6. & 9. Ioan. 20.

Epheſ. 4.

eligebantur à Clero & populo non fuiſſent veri Epiſcopi, nam illi immediatam poteſtatem non accipiebant à Pontifice.

270. Secvnda. Sententia docet omnem Eccleſiaſticam poteſtatem inferiorem Papali immediatè deriuari ab ipſo Papa. Hæc eſt communis inter Theologos, eamq́; expreſsè tradũt Caietanus opuſc. de authoritate Papę & Concilij cap. 3. Sotus in 4. diſt. 20. q. 1. art. 2. poſt. 4. concluſ. Bannez Secunda ſecundæ q. 1. art. 10. in fuſioribus commentarijs dub. 5. conclu. 5. Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 24. Malderus Secundaſecundæ, q. 1. art. 10. diſp. 4. dub. 1. *Quæ Sententia longè probabilior eſt*: quam non obſcure tradunt Innocentius I. Epiſtola, quæ inter Auguſtini eſt 91. in qua his verbis ſcribit ad Cõcilium Carthaginenſe: *A quo*, nempe Apoſtolo Petro, *ipſe Epiſcopatus & tota authoritas nominis huius emerſit*: & Leo epiſt. 89. initio, & refertur capite, *Ita Dominus* diſt. 19. ſic ait: *Sed huius muneris Sacramenta ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret, vt ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet*: & Serm. 3. anniuerſarij diei ſuæ Aſſumptionis ad Pontificatũ, loquens de Petro eiuſque ſucceſſoribus, hęc ſcribit: *Qui*, nempe Petrus, *ab ipſo omnium chariſmatum fonte tam copioſis eſt irrigationibus inundatus vt multa ſolus acceperit, nihil in quemquam ſine illius participatione tranſierit*: & paulò poſt: *Si quid*, inquit, *cum eo commune cæteris voluit eſſe Principibus, nunquam niſi per ipſum dedit, quidquid alijs non negauit.*

Caiet. Sotus. Bannez. Bellarmin. Malderus. Innocent. I. Leo.

271. Secvndò probatur rationibus. Prima ſit. Regimen Eccleaſticum eſt Monarchicum, vt ſuprà oſtenſum eſt: proprium autem Monarchici Regiminis eſt, ab vno capite omnia inferiora regi & gubernari. Nec refert, quòd Eccleſiaſticum Regimẽ habeat aliquid ſimul admixtum de Ariſtocratia: nam non omnis Ariſtocratia repugnat Monarchiæ, ſed ea tantùm, quæ cauſas definit ad plura ſuffragia, qualis non eſt Eccleſiaſtica Ariſtocratia, quæ non eſt deciſiua per plura ſuffragia, ſed vltima deciſio manet tantùm in vno tanquam in ſupremo capite. Vnde Cyprianus relatus 24. q. 1. cap. *loquitur Dominus*, Eccleſiam in Petro fundatam comparat ſoli, à quo per totum orbem diffunduntur radij; radici, à qua varij pullulant rami; fonti, à quo diuerſi dimanant riuuli. Sicut igitur nullus radius, niſi à ſole; nullus ramus niſi à radice; nullus riuulus, niſi à fonte promanat: ita nulla inferior poteſtas in Eccleſia Dei eſt, niſi ab ipſo ſupremo capite Pontifice Romano, qui quaſi Sol irradiat omnes, quaſi radix vitalẽ humorem influit in omnes, quaſi fons irrigat omnes. Vnde concludit ibidem Cyprianus, licet multi ſint in Eccleſia diffuſi radij, expanſi rami, profluentes riui, *vnum tamen caput eſt, & vna origo, & vna Mater copioſa fœcunditatis.* Cõfirmatur, nã Eccleſia Monarchicè cœpit à Chriſto, ab ipſo enim immediatè deriuata eſt omnis poteſtas & Iuriſdictio in Apoſtolos: ergo abeunte Chriſto in cœlum, continuatus eſt idem gubernandi mos in Petro reſpectu inferiorum Paſtorum, qui Apoſtolis ſucceſſerunt. Dixi *qui Apoſtolis ſucceſſerunt*: quoniam Apoſtoli ipſi cùm fuerint à Chriſto inſtituti, ab ipſo tãquam à ſupremo capite debuerunt Apoſtolatus dignitatem accipere.

Cyprianus.

272. Secvnda ratio. Semper Deus conſueuit in vno quoque genere conſtituere vnum ſupremũ, à quo reliqua omnia in eo genere penderent: ſic in Paradiſo conſtituit vnũ Supremum Angelum, à quo cæteri de ſupernaturalibus rebus illuminarentur; in cœlis vnum ſupremum mobile, à quo reliqui inferiores cœli mouerentur; vnum Aſtrum, à quo reliqua omnia colluſtrarentur: ergo etiam in Eccleſiaſtico Regimine credendum eſt, conſtituiſſe vnum Supremum caput, à quo reliqui omnes inferiores Paſtores in ſua Paſtorali dignitate penderent.

273. Tertia ratio ducitur ex forma verborum, qua vti ſolet Pontifex, cùm Epiſcopum creat: eſt autẽ talis: *Conferimus tibi curã talis Eccleſiæ: vel prouidemus, aut præficimus te in Patrem & Paſtorem, atque Epiſcopum talis Eccleſiæ, committentes tibi adminiſtrationem in Spiritualibus & temporalibus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Niſi enim per hęc verba Pontifex aliquam poteſtatem iuriſdictionis Epiſcopo conferret, verificari non poſſent, vt per ſe patet.

274. Vltimò illuſtre huius veritatis exemplum habemus in ſacris oraculis Exod. 18 & n. 11. quibus in locis dati ſunt Moyſi ſeptuaginta viri ex Senioribus, & Sapientioribus Iſraëlitici populi, qui magis timerent Deum, & prudentiores eſſent in iudicando, vt eum iuuarent in onere ferendo totius gubernationis ac regiminis. Quibus Deus, vt ſcriptura ipſa teſtatur communicauit Spiritum, auferens illum de ſpiritu Moyſi, & tradens ſeptuaginta viris ab ipſo Moyſe electis. Procul dubio hoc facto ſignificare nobis voluit Spiritus Sanctus, poteſtatem, quam prædicti ſeptuaginta ſeniores in iudicandis definiendiſq́ue cauſis acceperunt, immediatè accepiſſe ab ipſo Moyſe, à quo & immediatè electi ſunt. At potiori ratione credendum eſt, hunc modum ſeruare Deum nunc in Eccleſia cum ſuo Vicario, vt Epiſcopi, qui ad ipſum iuuandum in ferendo onere Eccleſiaſtici Regiminis, ei adiunguntur, poteſtatem regendi immediatè accipiant ap ipſo Vicario Chriſti, tanquam à Supremo Principe & Monarcha totius Chriſtianæ Reipublicæ.

Exod. 18. num. 1.

275. Ad primum, argumentum oppoſitæ ſententiæ Reſp. citatum locum Actorum intelligi de poſitione mediata: cùm enim poteſtas, quam habet Pontifex ponendi ac pręficiẽdi Epicopos diuerſis Eccleſijs, ſit à Deo, non vt authore naturæ & cauſa vniuerſali, quo pacto eſt poteſtas ſecularis, ſed vt authore ſupernaturali & cauſa particulari, ijdem Epiſcopi poſiti ac præfecti à Pontifice, dicuntur poſiti & pręfecti à Deo: quemadmodum

Reſp. ad 1.

Vrbium

Vrbium præfecti poſiti ad gubernandum à Prorege, qui immediatam poteſtatem habet à Rege, poſiti dicuntur ab ipſo Rege.

Bannez. Bellarmin. 276. Ad ſecundum, negat Turrecremata apud Bannez, & Bellarminum locis citatis Minorem: eo quòd putet, Apoſtolos poteſtatem Iuriſdictionis immediatè accepiſſe à Petro, quemadmodum & Epiſcopos à Succeſſoribus Petri. Sed contrà quoniam, vt probatum eſt, Chriſtus ipſe elegit Apoſtolos, eiſque poteſtatem dedit prædicandi, & ius dicendi, vt Paulus de ſe ipſo apertè teſtatur ad Galat. & ad Coloſſenſes 1. *Ego* inquit *Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei.* Nec eſt vlla neceſſitas hęc loca explicandi de voluntate Dei mediata: nam ſicut immediatè vocatus eſt à Deo vocatione illa mirabili, ita immediatè ab eodem poteſtatem accepit Euangelium prædicandi, & ius dicendi. Id ipſum confirmat modus, quo in locum Iudę Matthiam Apoſtoli elegerunt, nō propria electione ab ipſis facta, ſed electione facta à Deo mediante ſorte. Diſtinguenda eſt igitur Maior: Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis in dignitate Epiſcopali quoad ſubſtātiam ipſam Epiſcopalis poteſtatis, concedo; quoad modum illam accipiendi, nego. Alioqui ſicut Apoſtoli illam habuerunt in vniuerſum mundum ita etiam illam haberent Epiſcopi. Nec eſt eadem ratio de Succeſſoribus Petri, quia Petrus Paſtoralem dignitatem paſcendi oues Chriſti habuit vt annexam proprio muneri, & tanquam ordinarius Paſtor: proinde qui illi in munere ſuccedunt, accipiunt illam immediatè à Deo, cùm à nullo eam immediatè accipere poſſint; cùm eam Chriſtus non conceſſerit, niſi ſingulari perſonę Petri, & de facto illa non maneat niſi apud ipsūmet authorem Chriſtum Dominum. At reliqui Apoſtoli poteſtatem Iuriſdictionis à Chriſto acceperunt, non tanquam Ordinarij Paſtores, ſed vt extraordinarij, à Chriſto conſtituti. Quocirca neceſſe non fuit, illam eodem modo & iure ad ſucceſſorem tranſmitti, quo ipſi à Chriſto acceperunt. Quin potiùs ex facto ipſo Chriſti colligitur, illam in Epiſcopos tranſmitti mediante Vicario Chriſti. Nam ſicut Apoſtoli illam acceperunt à Chriſto per ſe & immediatè tunc Eccleſiam regente: ita nunc Epiſcopi immediatè à ſummo Pontifice Chriſti Vicario, & in regenda Eccleſia eius vices gerente: alioqui non idem nunc ſeruaretur modus, qui ſeruatus fuit tunc, vt ab vno Supremo totius Eccleſię capite omnis Eccleſiaſtica poteſtas immediatè communicaretur: nam ſicut nunc vice Chriſti in Eccleſia eſt ſummus Pontifex, ita ab ipſo debet omnis Eccleſiaſtica Iuriſdictionis poteſtas in inferiores Prælatos communicari.

277. Ad tertium, negatur ſequela: quia cùm ordo Epiſcopalis ſit inſtitutus à Chriſto Domino, vt pręcitata authoritas Pauli probat, & Tridentinum Seſſ. 23. Can. 6. expreſſè

Trident. definit; cumque ea, quæ ſunt à Chriſto inſtituta, tollere non poſſit Pontifex, cùm ipſe poteſtatem tantùm Miniſterialem à Chriſto, accipiat, non poterit omnes Epiſcopos ab Eccleſia tollere, alioqui poſſet ipſum Epiſcopalem Ordinem ab Eccleſia auferre. Sicut igitur poteſt Pontifex hos, vel illos à Sacerdotio, quod etiam à Chriſto inſtitutū eſt, excludere, non tamen poteſt omnes: quia licet de iure Diuino non ſit, vt Eccleſia his, vel illis, aut tot, vel tot conſtet Epiſcopis, Sacerdotibuſuè, eſt tamen de iure Diuino, vt aliqui ſint Epiſcopi & Sacerdotes ad animarum directionem. Atque hinc patet ad Sequelæ probationem: quoniam etſi à voluntate Pontificis pendeat, vt hic, vel ille Epiſcopalem Iuriſdictionem accipiat, non tamen à Pontificis voluntate pendet, vt ſimpliciter in Eccleſia Dei ordo Epiſcopalis ſit.

278. Quartum argumētum tantùm probat de poteſtate Ordinis Epiſcopalis, quem vltro concedimus conferri immediatè à Deo, adeoq; auferri à Pontifice nō poſſe, non autē de poteſtate Iuriſdictionis in foro exteriori Eccleſiæ, de qua tantū inter Doctores cōtrouerſia eſt, an immediatè cōferatur à Pontifice.

279. Ad quintum, negatur ſequela: quia cùm talis poteſtas conferatur à Pontifice Epiſcopis propter bonum & vtilitatem Eccleſiæ, cumque ad bonum & vtilitatem Eccleſiæ conducat, vt adhuc defuncto Pontifice, illa perſeueret in Eccleſia, ſequitur, vt defuncto Pontifice, illa non ceſſet in Epiſcopis.

280. Ad ſextum, negatur conſequentia: quia potuit Ordo Epiſcopalis eſſe de iure Diuino, vt nimirum ſemper in Eccleſia ſint Epiſcopi, & tamen vt collatio Epiſcopalis dignitatis immediatè ſit à Pontifice. Nam ad hoc ſufficit, vt Pontifex Iure Diuino teneatur Epiſcopos creare, eiſq; Iuriſdictionis poteſtatē Epiſcopali muneri competentē concedere.

281. Ad ſeptimum, neganda eſt conſequentia. Ratio diſcriminis eſt duplex; tum quia aliunde nobis conſtat, Iuriſdictionem in interiori foro conſcientię Sacerdotes immediatè accipere à Deo in ipſa Ordinis ſuſceptione: quia in primitiua Eccleſia omnes Sacerdotes indiſcriminatim fidelium confeſſiones excipiebant: tum quia hæc eſt magis neceſſaria, cùm immediatè dirigatur ad interiorem animi ſalutem. Quocirca expediens fuit, vt immediatè à Deo vnà cum Sacerdotali charactere cōferretur, dependenter tamē quoad exercitiū ab Eccleſia, à qua & ſuſpēdi, & moderari poſſit, vt magis expediēs, & Eccleſiaſtico Regimini cōgruētius viſum fuerit.

282. Ad 8. negatur Sequela: etenim vt Epiſcopi Iuriſdictionis poteſtatem à Pontifice accipiant, ſufficit, vt ex ipſius conceſſione illam accipiant. Poteſt igitur Pontifex concedere, vt Eccleſia ſibi Epiſcopū eligat, qua electione poſita, ipſe Pontifex Iuriſdictionis Poteſtatem confert, vti de facto hanc poteſtatem concedit multis Capitulis, & Eccleſijs Germaniæ. Habet autem ſe Eccleſia in tali electione Epiſcopi tantùm vt deſignans perſonam, ipſe verò Pontifex vt conferens authoritatem: ſicut eadem Eccleſia in electione Pontificis ſe habet tantùm vt perſonā deſignans, Deus autem vt authoritatē conferens.

Digitized by Google

DISPVTATIO VII.

De authoritate Pontificis ad controuerſias fidei definiendas.

HActenus demonſtrauimus, præter Scripturas, & traditiones, concedendam eſſe in Eccleſia Regulam aliquam animatam, quæ in definiendis rebus ad fidem ſpectantibus infallibilem habeat authoritatem, eamq́ue eſſe Romanum Pontificem Canonicè electum. Ad pleniorem autem doctrinã vlteriùs indagandum ſupereſt, quo pacto hanc infallibilem authoritatem habeat Romanus Pontifex, an ſolus, an ſimul cum Concilio generali, aut Cœtu ſuorum Conſiliariorum, & in quibus rebus illam habeat.

SECTIO I.

An ſummus Pontifex infallibilem Authoritatem in definiendis rebus fidei habeat per ſe ſolus, an cum Concilio & Cœtu ſuorum Conſiliariorũ?

1. LOquimur hic de Pontifice nõ vt priuata perſona eſt, quo pacto ſuprà docuimus, non repugnare, illum eſſe hæreticum, & hæreſim docere, ſicut cæteros priuatos Doctores, ſed de Pontifice vt vniuerſali Eccleſiæ Paſtore ex Cathedra docente, & obligante fideles ad credenda ea, quæ ipſe docet & definit. Et quamuis contra hæreticos certum ſit apud Catholicos, Summum Pontificem vt vniuerſalem Eccleſiæ Paſtorem in definiendis rebus fidei errare nõ poſſe, adhuc tamen inter eos controuerſum eſt, an hanc authoritatem Pontifex habeat per ſe ſolus, an cum Concilio, vel Cœtu ſuorum Conſiliariorum.

2. PRIMA Sententia affirmat, Pontificem etiam vt vniuerſalem Eccleſiæ Paſtorem, ſi abſque generali Concilio aliquid definiat, poſſe errare, ſecùs ſi cum generali Concilio rem definiat. Hanc docuerunt aliqui Doctores Pariſienſes apud Bellarminum lib.4. de Romano Pontifice cap.2. quos ſecuti ſunt Alphonſus de Caſtro lib. 5. aduerſus hæreſes cap. 2. & Adrianus VI. in quæſtione de Confirmatione, qui tamen nolunt per hoc docere, Concilium generale eſſe ſupra Pontificem, vt expreſsè teſtatur Caſtro. *Nam ſiue*, inquit, *Papa ſit Superior reliquo Chriſtianorum Concilio, ſiue inferior, hoc alijs, & in alium locum diſputandum relinquimus: Hoc vnum conſtanter aſſeuero, eas fidei definitiones, quæ à Pleno & integro Concilio, & rectè, vt decet cõgregato data ſũt, hoc eſt, quibus Papa & reliqui in Cõcilio cõgregati ſubſcripſere, maioris eſſe roboris & momenti, quàm illas, quas ſolus Pontifex definiuit. Nam hoc tale concilium, quòd Papa authoritate & conſenſu rectè congregatum eſt, non poſſe in fide errare, ab omnibus veris Chriſtianis firmiſſimè huc vſq́ue creditum eſt: at Papam ſolum abſque congregatione Concilij poſſe in ijs, quæ ad fidem ſpectant, errare, multi non contemnendæ authoritatis Theologi aſſeruerunt: imò aliquos Pontifices ſummos in fide erraſſe, compertum eſt.* Hęc Caſtro. Nam etſi hęc Sententia rectè ſequatur ex opinione eorum, qui docent, Concilium eſſe ſupra Papam, neceſſum tamen non eſt, vt qui hanc Sententiam docet, pariter illam affirmet: quia poteſt Concilium generale hæc Sententia requirere, non tanquam ſubiectum, in quo formaliter reſideat definiendi poteſtas, ſed tanquam præuiam conditionem, ſine qua Spiritus Sanctus definitioni Pontificis non aſſiſtit.

3. Probatur igitur hæc Sententia triplici fundamento. [P]rimum aſſignatur à Caſtro: nam alioqui fruſtra, inquit, eſſent Concilia generalia, ſi ſolus Pontifex abſque illo controuerſias fidei definire poſſet. At ſemper iudicata eſt in Eccleſia Dei neceſſaria congregatio Conciliorum, ad hæreſes damnandas, & dogmata fidei ſtabilienda. Secundum eſt, quia Spiritus Sanctus ſuo Vicario non aſſiſtit in rebus fidei definiendis, niſi more humano, vt nimirum ipſe teneatur, antequam controuerſias fidei definiat, congregare Doctores, eoſq́ue conſulere de veritate rei definiendæ: qua diligentia non adhibita, Spiritus Sanctus ipſius definitioni non aſſiſtit. Hanc autem veritatis diſcuſſionem fieri debere per Concilium generale, in quo præcipui Eccleſiæ Doctores conueniunt, conſtans Eccleſiæ praxis hactenus declarauit. Tertium fundamentum ducitur ab exemplo eorum Romanorum Pontificum, qui in ſuis definitionibus erraſſe videntur, eò

Digitized by Google

quòd illas ſine Concilio generali ſanxerunt. Et vt è multis paucos referam.

4. Primò. erraſſe dicitur Zepherinus, Montani hæreſim approbando, vt colligi- *Tertullia.* tur ex Tertulliano, contra Praxeam paulò *Rhenanus.* *Bellarmin.* poſt initium, & in margine notat Rhenanus, qui ſic ſcribit: *Epiſcopus Romanus Montanizat.*

5. Secundò. erraſſe dicitur Liberius, qui, vt apud Bellarminum lib. 4. de Romano Pontifice cap. 9. teſtantur Athanaſius & *Hieronym.* Hieronymus, exilij tœdio pertœſus Arianę hęreſi ſubſcripſit.

6. Tertiò. Felix II. quem Arianum appellat Hieronymus in Catalogo Eccleſiaſticorum Scriptorum, in Acacio: *Acacius*, inquit, *in tantum ſub conſtantio Imperatore profecit, claruit, vt in liberij locum Roma felicem Arianum Epiſcopum conſtitueret.*

7. Quartò. Leo I. Epiſt. 79. ad Nicetam excuſat à culpa eas mulieres, quæ putantes ſuos maritos in captiuitate detentos nunquam redituros, alijs nupſerunt; quin etiamſi earum viri redierint, poſſe eas cum ſecundo manere, ſi primus noluerit illam ampliùs habere. Vtrumque autem, vt patet, eſt contra Matrimonij inſolubilitatem.

8. Quintò. Gelaſius, in libro, quem contra Euthicem ſcripſit, aſſeruit in venerabili Euchariſtiæ Sacramento vna cum corpore Chriſti manere verum Panem.

9. Sextò. Anaſtaſius, vt Gratianus refert Canone *Anaſtaſius* Diſt. 19. communicauit cum Photino Diacono Theſſalonicenſi, qui communicauerat Acacio hæretico, quem & occultè reuocare voluit: propter quod crimen dicitur à Deo percuſſus, vt idem Gratianus teſtatur.

10. Septimò. erraſſe dicitur Vigilius, qui *Bellarmin.* teſte Liberato apud Bellarminum lib. 4. de Romano Pontifice cap. 10. Epiſtolam ſcripſit ad Theodoram Auguſtam, & alios hæreticos, in quo Monothelitarum hæreſim confirmat damnatque eos, qui duas in Chriſto voluntates confitentur.

11. Octauò. Honorius I. qui, vt fusè probat Melchior Canus lib. 6. de locis Theo- *Canus.* logicis cap. vlt. ad XI. argumentum, tanquam Monothelita damnatus fuit in multis Concilijs generalibus, præſertim in Sexta Synodo generali, & à multis Romanis Pontificibus.

12. Nonò. Gregorius III. conceſſit, vt Gratianus refert 32. q. 7. cap. *quod propoſuiſti*, vt poſſit vir aliam Vxorem ducere, ſi propter aliquam infirmitatem, nequeat coniugale debitum ſoluere. Quod etiam conceſſiſſe putatur Gregorius I. Anglis recens ad fidem conuerſis.

Gratianus 13. Decimò. Nicolaus I. qui, vt refertur de conſecratione diſt. 4. Canone *à quodam Iudeo*, definiuit, Baptiſmum collatum in nomine Chriſti eſſe validum, & nullo modo iterandum: Contrà verò Pelagius & Zacharias eadem diſtinctione capite *multi*, &, capite *in Synodo* oppoſitum definiuerunt, non eſſe nimirum validum Baptiſmum eumque iterandum, ſi collatus non fuerit in nomine omnium trium Diuinarum perſonarum: idque affirmat Zacharias, ſancitum fuiſſe in Synodo Anglicana: *in Synodo*, inquit, *Anglorum decretum firmiſſimè præceptum, & diligenter demonſtratum eſſe dignoſcitur, quòd quicunque ſine inuocatione Trinitatis merſus fuiſſet, Sacramentum regenerationis non haberet: quod omnino verum eſt.* Neque explicari poteſt de Inuocatione Diuinarum perſonarum implicita, quatenus tota Sanctiſſima Trinitas implicitè continetur in ipſo nomine Chriſti: nam Pontifex expreſsè ibi definit, ſingulas perſonas explicitè eſſe nominandas, vt patet Canonem legenti.

14. Vndecimò. Stephanus VI. & Sergius III. irritauerunt, vt Platina narrat, omnia acta Formoſi prædeceſſoris: contrà ve- *Platina.* rò Iannes IX. irritauit acta Stephani VI. & Sergij III. & approbauit acta Formoſi. Cùm autem hi Pontifices fuerint contrarij non potuerunt omnes verum dicere: ergo neceſſario alteruter falſum dixit.

15. Duodecimò. errauit Alexander III. qui, vt refertur capite *cùm eſſes* de teſtamentis, definiuit, alienum eſſe à lege Diuina, à Sanctorum Patrum inſtitutis, & à Generali Eccleſiæ conſuetudine, reſcindere teſtamenta, quæ non fuerint ſeptem, vel quinque teſtium ſubſcriptione firmata, ſed ſufficere, ſi duorum, vel trium hominum teſtimonio coram ſuo Presbytero firmata fuerint: cùm tamen contrarium conſtet vniuerſâ Chriſtiani Orbis praxi. Idem Pontifex capite *licet de Sponſo duorum*, decernit, Matrimonium per verba de præſenti contractum, & nondum conſummatum, non poſſe per aliud Matrimonium, etiam copula conſummatum dirimi, *quamuis aliter*, inquit, *à quibuſdam prædeceſſoribus noſtris ſit aliquando iudicatum.* Vel igitur in hoc errauit Alexander, vel ipſius prædeceſſor, qui contrarium definiuit, cùm non poſſit vtrumque eſſe verum.

16. Decimò tertiò. errauit Celeſtinus *Alphonſ. de Caſtro.* III. qui teſte Alphonſo de Caſtro l. 1. aduerſus hęreſes c. 4. docuit diſſolui Matrimonium altero coniuge in hæreſim prolabente, cùm tamen contrarium ſub anathemate definitum ſit in Concilio Tridentino Seſſ. 24. *Conc. Trid.* Can. 5. *Si quis*, inquit, *dixerit, propter hereſim, diſſolui poſſe Matrimonij vinculum, anathema ſit.*

17. Decimò quartò. errauit Innocentius III. qui capite *per venerabilem*, qui filij ſint legitimi, docuit, legalia, quę in antiquo teſtamento ſeruabantur, ſeruanda eſſe etiam in nouo, contra id, quod cum Concilio Apoſtolorum definiuit Petrus.

18. Decimò quintò. vel errauit Nicolaus IV. vel Ioannes XXII. quorum alter capite *exijs* de verborum ſignificatione in ſexto, definiuit, Chriſtum verbo & exemplo docuiſſe perfectam paupertatem, quæ

conſi-

Digitized by Google

conſiſtit in abdicatione omnium rerum, nullo ſibi dominio relicto, neque in particulari, neque in communi: Alter verò, in Extrauagantibus. *Ad Conditorem Canonum*, & *cùm inter nonnullos*, & *quia quorundam*, declarat, talem paupertatem eſſe impoſſibilem in rebus vſu conſumptibilibus; nec non hæreticum eſſe aſſerere, Chriſtum talem paupertatem verbo & exemplo docuiſſe.

19. Decimo ſexto. errauit idem Ioannes XXII. qui docuit, animas non viſuras Deum ante Reſurrectionem, vel, vt Caluinus teſtatur de fide cap. 8. n. 133. animas eſſe mortales, vnaque cum corporibus interire vſque ad diem Reſurrectionis, *Cui*, inquit, Caluinus, *tanta inſania nemo Cardinalium ſe oppoſuit, ſed Schola Pariſiẽſis Regem Galliæ impulit, vt ad Palinodiam hominem cogeret*, cuius tamen oppoſitum, definitum eſt in Concilio Florentino in decreto Eugenij IV. his verbis: *illorumque animæ, qui poſt Baptiſma ſuſceptum, nullam omninò peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus vel eiſdem exutæ corporibus, prout ſuperius dictum eſt, ſunt purgatæ, in Cœlum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum Trinum & Vnum, ſicuti eſt.*

Caluinus.
Concilium Florent.

20. Atque hos è multis, quos non tantùm hæretici, qui aſſerunt, etiam cum Concilio generali poſſe Papam errare, ſed etiam aliqui Catholici, qui ſaltem putant, extra Concilium generale Papam non ſolùm vt priuatam perſonam, ſed etiam vt vniuerſalem Paſtorem errare poſſe in medium afferre libuit.

21. SECVNDA igitur ſententia eſt Pontificem etiam extra Concilium generale aliquid circa fidem ex Cathedra definientem, & vt vniuerſalem Paſtorem totam Eccleſiam docentem, errare non poſſe. Eſt communis & conſtans Theologorum ſententia, paucis quibuſdam ſuprà citatis exceptis: quam cum S. Thoma 2. 2. q. 1. art. 10. expreſsè tradunt Recentiores interpretes, Bannez in Commentarijs breuioribus dub. 2. Concl. 3. Valentia Diſp. 1. q. 1. punct. 7. §. 39. & 40. Malderus dubit. 5. Turrianus Diſp. 16. dub. 1. Suarez Diſp. 5. Sect. 8. Caietanus opuſc. de authoritate Pontificis & Concilij cap. 9. præſertim §. *ad rationem*: vbi: *iam dictum eſt*, inquit; *quòd non plus poteſt Papa & Eccleſia, quàm Papa ſolus*: Canus lib. 6. de locis Theologicis cap. 7. & 8. Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 2. Syluius lib. 4. de controuerſ. quæſt. 2. articulo 8. & alij permulti.

S. Thomas. Bannez. Valentia. Malderus. Turrianus. Suarez. Caietanus. Canus. Bellarmin. Syluius.

22. Quæ ſententia omnino vera eſt, ſequiturque ex ijs quæ hactenus de Romano Pontifice docuimus. Probatur igitur 1. Summus Pontifex eam habet in definiendis rebus fidei authoritatem, quam habuit Petrus ipſe I. Pontifex à Chriſto inſtitutus. Atqui Petrus infallibilem authoritatem in rebus fidei definiendis non habuit dependenter à Concilio generali: ergo nec eam habet ſummus Pontifex Petri ſucceſſor. Maior conſtat ex diſputatis, nam Petrus infallibilem authoritatem definiendi res fidei nõ habuit vt priuata perſona, ſed vt publicus Paſtor, & vniuerſalis Eccleſię Rector: quippe qui illam à Chriſto accepit in bonum & vtilitatem Eccleſiæ, adeoque vt continuandam in ſuis Succeſſoribus. Minor conſtat ex omnibus ijs promiſſionibus, quas Chriſtus fecit Petro vt futuro Eccleſiæ Rectori: quę omnes factę ſunt ſoli ſingulari perſonę Petri, nulla mentione facta de Eccleſia. Quales ſunt illę Matth. 16. *Tibi dabo claues regni Cœlorum: Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis: Et quodcũq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis* Lucę 22. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Ioan. 21. *Paſce oues meas.* Cùm igitur poteſtatem confirmandi fratres in fide, ligandi & ſoluendi, oueſque paſcendi Chriſtus in Petro nõ limitet per dependentiam ab Eccleſia, ſed illam conferat abſolutam ab omni dependentia, falsò aduerſarij eam limitant per dependentiam à Concilio generali. Confirmatur, quia hoc fuit priuilegium conceſſum Petro in fauorem omnium ſuorum ſucceſſorum: priuilegium autem ſemper pręſumitur in fauorem priuilegiati, iuxta 16. Regulam Iuris. *Decet conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum.*

Matth. 16. Luca 22. Ioan. 21.

23. DICES. Hinc ſequeretur, nec debere Pontificem in definiendis rebus fidei vllos adhibere conſultores: cùm, in hac ſententia definiendi poteſtatem habeat independentem à quocunque Concilio & cœtu Doctorum. Reſp. negando conſequentiam: nam aliunde conſtat, debere Pontificem, antequam res ad fidem ſpectantes definiat adhibere Doctores, qui res examinent & diſcutiant, nempe ex modo, quo Chriſtus ſuam aſſiſtentiam promiſit Pontifici, videlicet more humano. Contrà verò ex nullo capite colligi poteſt, Pontificem ad definiendas res fidei debere Concilium generale conuocare: & aliunde ex verbis Chriſti conſtat huiuſmodi poteſtatem collatam eſſe Petro, eiuſque ſucceſſoribus abſque tali dependentia: igitur temerè ac ſine vllo fundamento, contra naturam priuilegij illa limitatur ad dependentiam Concilij generalis.

24. Secundò probatur. Vel hanc dependentiam definiendi res fidei ſimul cum Concilio generali Pontifex habet, quia poteſtas ipſa definiendi reſidet in Concilio generali; vel quia ſaltem illa requiritur vt conditio, ſine qua Spiritus Sanctus non aſſiſteret Pontifici definienti. Primum dici non poteſt, vt ex hactenus diſputatis conſtat, quibus probatum eſt, hanc poteſtatem collatam eſſe ſingulari perſonæ Petri magiſque ex diſputandis conſtabit. Secundum & fruſtra, & temerè aſſeritur. Nam hoc ideo aſſeritur, vt Pontifex in ſuis definitionibus procedat more humano, præuia Doctorum conſultatione: ad hoc autem neceſſarium non eſt Concilium generale, ſed ſat eſt Cœtus

Digitized by Google

Doctorum, qui ſint periti rei, quæ definienda eſt. Igitur fruſtra requiritur Concilium generale: & cùm nullum aliud ſit fundamentum, ex quo talis dependentia à Concilio Generali colligi poſſit, temerè aſſeritur.

25. Probatur 3. Pontifici, etiam extra generale Concilium definienti, tenetur tota Eccleſia parere: ergo Pontifex etiam extra generale Concilium controuerſias fidei definiens, errare non poteſt. Antecedens concedunt aduerſarij; & conſtat manifeſta ratione: nam Eccleſia tenetur parere ſuo capiti, de cuius legitima electione non dubitatur: alioqui totum Eccleſiaſticum regimen corrueret, quod in debita ſubordinatione omnium fidelium erga vnum Supremum caput fundatur. Conſequentia euidenter deducitur ex antecedente: nam ſi Eccleſia tenetur Pontifici etiam extra Concilium generale res fidei proponenti obedire, ſi poſſet Pontifex extra Concilium Generale rem fidei proponens errare, tota Eccleſia poſſet errare: repugnat autem totam Eccleſiam in fide errare: igitur repugnat, Pontificem etiam extra Concilium rem de fide definientem errare. Conſequentia euidenter ſequitur ex præmiſſis. Sequela Maioris clara eſt: nam ſi vniuerſa Eccleſia tenetur ſequi definitionem Pontificis, quando illam ex Cathedra omnibus proponit, ſi ea poſſet eſſe falſa, tota Eccleſia falli poſſet. Minor fundatur in illa aperta promiſſione Chriſti. *Et Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*: nec non in authoritate Pauli 1. ad Timotheum 3. *Eccleſia eſt columna & fundamentum veritatis*; & in euidenti ratiocinatione: nam ſi poſſet in rebus fidei tota Eccleſia errare, aut neceſſaria non eſſet vera fides ad ſalutem, contra Paulum ad Hebræos 11. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*: aut tota Eccleſia poſſet damnari, cùm nemo, niſi in vera fide ſaluari poſſit.

Matt. 16. 1. Tim. 3.

Hebr. 11.

26. Quartò. Si poſſet Pontifex extra Concilium generale definiens errare, multa dogmata fidei de facto in dubium reuocarentur, cùm multa dogmata fidei non ſint in Concilijs generalibus definita: nam aliqua definita ſunt in Concilijs Prouincialibus, vel nationalibus à Pontifice confirmatis, vt quòd Chriſtus non ſit Filius Dei adoptiuus, ſolum definitum legitur, contra Felicem & Elipandum in Concilio Francofordienſi, quod tantùm nationale fuit. Error Pelagij damnatus fuit in tribus Concilijs Prouincialibus, Palæſtino, Mileuitano & Arauſicano: Quòd baptiſmus ab hæreticis collatus iuxta Materiam & formam à Chriſto præſcriptam, ſit validus, fuit à Stephano Papa extra Generale Concilium declaratum. Nec obſtat, quòd poſtea hæc veritas in duobus Concilijs Generalibus Florentino, in inſtructione Armenorum, & Tridentino ſeſſione 7. Can. 4. fuerit definita: quoniam ex tunc, quando fuit à Stephano I. definita, cœpit, apud Catholicos haberi de fide.

Conc. Frãc. Paleſt in. Mileuitan Arauſican.

27. Quintò. Eandem veritatem confirmant omnia ea Concilia, Pontifices, & Patres, qui Apoſtolicam ſedem non diſtinguunt ab Apoſtolico Præſide, ſed pro eodem accipiunt ſedem Apoſtolicam, & Apoſtolicum Præſidem: quòd in ſententia aduerſariorum verum eſſe non poteſt, nam in ſententia eorum Apoſtolicus Præſes, nempe qui infallibilem habet in definiendo authoritatem, non eſt tantùm qui in Cathedra Petri ſedet, ſed etiam Concilium generale, ſine quo qui in Cathedra Petri ſedet, non habet hanc Apoſtolicam authoritatem.

28. Sextò. Si Pontifex non haberet infallibilem authoritatem definiendi res fidei, niſi in Concilio, & cum Concilio generali, teneretur ad eas definiendas ſequi maiorem partem ſuffragantium: conſequens eſt falſum, vt ſequenti diſputatione oſtendam; ergo & Antecedens. Sequela probatur, nam ideò Concilium Generale requiritur, ad hoc vt Pontifex non temerè definiat, non conſulta priùs Eccleſia in Concilio Generali congregata: atqui ex hac eadem ratione ſequitur, illum debere ad plura ſuffragantium vota controuerſias fidei definire: cùm non minùs temerè definiat, qui maiori parte ſuffragiorum relicta, minorem ſequitur, quàm qui abſque Concilio Generali eaſdem cauſas definit. Confirmatur, quia fieri poteſt, vt minor illa pars ſuffragiorum, quam Pontifex in Concilio generali ſequitur, ſit tanta, quanta foret, ſi extra Concilium generale, conſultis priuatis Doctoribus Pontifex definiret: atqui in tali caſu per aduerſarios Pontifex temerè definiret; ergo etiam in caſu quo in Generali Concilio, minorem partem ſuffragiorum ſequens, cauſam definiret.

29. Septimò. Non eſt verò ſimile, Chriſtum ſub ea conditione authoritatem definiendi controuerſias fidei ſuo Vicario dediſſe, quam ſæpè in actu ponere, moraliter eſt impoſſibile. Atqui ſæpe impoſſibile moraliter eſt, vt Pontifex Generale Concilium cogat ad veritatem fidei definiendam: igitur vero ſimile non eſt, ſub hac conditione collatam eſſe à Chriſto infallibilem authoritatem definiendi controuerſias fidei Pontifici. Maior conſtat, nam ſupponitur, hanc authoritatem collatam eſſe à Chriſto Pontifici in ordine ad exercendum ſuum actum, quoties publico bono Eccleſiæ, in cuius emolumentum illa datur, expediret. Minor probatur: nam ſæpe moraliter eſt impoſſibile, Generale Concilium cogere, ſicut eſſet in magna aliqua perſecutione, ob quam non poſſent præcipui Eccleſiæ Prælati ſimul conuenire, vti accidit in primis trecentis annis, in quibus poſt Apoſtolo-

rum Concilium nullum fuit Concilium Generale: nam Primum poſt Concilium Apoſtolorum fuit Nicænum I. celebratum anno 327. vt eruditè oſtendit Bellarminus libro primo, de Concilijs capite quinto, ex alia verò parte ſæpe vrget neceſſitas vel ſtatim enatam hæreſim damnandi, ne longius ſerpat: vel dubiam veritatem ad ſalutem neceſſariam declarandi. Cùm igitur Chriſtus nullo tempore ſuam Eccleſiam deſtitutam relinquat medijs ad ſalutem neceſſarijs, dicendum eſt adhuc tali tempore eſſe in Eccleſia ſufficientem poteſtatem hæreſim damnandi, dubiamque veritatem declarandi. Quæ poteſtas cùm eſſe non poſſit in Pontifice ſimul cum Concilio Generali congregato, erit in Pontifice extra Concilium: proinde etiam extra Concilium generale habebit Pontifex poteſtatem infallibiliter definiendi controuerſias ad fidem ſpectantes. Confirmatur, nam etiam extra Concilium legitimus Pontifex eſt verus Chriſti Vicarius, & Petri ſucceſſor: ſed hanc authoritatem infallibiliter definiendi controuerſias fidei habet Pontifex vt Chriſti Vicarius, & Petri ſucceſſor.

Bellarmin.

30. Ex dictis infertur non eſſe neceſſarium, vt hanc infallibilem authoritatem in rebus fidei Pontifex exerceat, adhibere cœtum Cardinalium, vt nonnulli contendunt, ſed poſſe quoſcunque Doctores in ea re, quæ definienda eſt peritos conſulere. Sed quid ſi nullo Doctore conſulto, controuerſiam ipſe ſolus definiat? Reſpondent aliqui Doctores apud Canum lib. 5. de locis Theologicis cap. 5. quæſt. 3. in tali caſu Pontificem errare poſſe: quia huiuſmodi conditiò eſt neceſſariò requiſita, vt Spiritus Sanctus aſſiſtat Pontifici controuerſiam fidei definienti. Sed meliùs & veriùs cum eodem Cano Reſpondetur, Spiritum Sanctum nunquam permiſſurum, vt Pontifex ad controuerſias fidei decidendas accedat inconſultis Doctoribus, nam qui promiſit finem, promiſit etiam media ad finem conſequendum neceſſaria: atqui Chriſtus promiſit Petro eiuſque ſucceſſoribus, vt contra ipſius ſententiam nunquam portæ inferi eſſent præualituræ; cumque ad veram ſententiam fidei ferendam neceſſaria ſit præuia Doctorum conſultatiò, & veritatis diſcuſſio, nunquam Chriſtus permiſſurus eſt, vt Pontifex ad ſententiam in cauſa fidei ferendam accedat abſque præuia Doctorum conſultatione: alioqui ſemper Eccleſia dubia eſſe poſſet, an in controuerſijs hactenus à ſede Apoſtolica definitis adhibita ſit talis conditio.

31. Vltimò reſtat examinandum, in quo gradu fidei aſſertio noſtra ſit reponenda. Malderus putat oppoſitam Sententiam eſſe tantùm improbabilem. Suarez noſtram cenſet de fide, & conſequenter oppoſitam hæreticam: In idem inclinant Bannez & Valentia, qui putant illam eſſe definitam tum à Leone X. in Bulla, in qua damnantur errores Lutheri, inter quos damnatur hic: *Si Papa cum magna parte Eccleſiæ ſic vel ſic ſentiret, nec etiam erraret; adhuc non eſt peccatum, aut hæreſis, contrarium ſentire, præſertim in re non neceſſaria ad ſalutem, donec fuerit per Concilium vniuerſale alterum reprobatum, alterum approbatum*: tum à Sixto IV. in quodam Concilio Complutenſi 52. Doctorum, Præſide Alphonſo Carillo Archiepiſcopo Toletano Anno 1479. contra Petrum Oxomenſem, qui inter alios errores, Septimus, quem docebat, erat: *Eccleſia Vrbis Romanæ errare poteſt.*

Malderus. Suarez. Bannez. Valentia.

32. Verùm non rectè, me Iudice, his authoritatibus contra aduerſarios noſtra ſententia probatur eſſe de fide. Nam probatur teſtimonio Pontificis definientis extra Concilium Generale, de quo teſtimonio nobis eſt cum aduerſarijs controuerſia, an ſit ſufficiens ad faciendam rem de fide. Vnde aſſignare illis hoc teſtimonium pro ratione, eſt aperta principij petitio, cùm de hoc ipſo inter nos & ipſos verſetur controuerſia. Vt igitur contra ipſos hæc veritas de fide probetur, probanda eſſet ex aliqua definitione Concilij Generalis, cuius ſolum teſtimonium ipſi admittunt, vt ſufficiens ad rem de fide faciendam.

33. Aliter igitur probandum eſt, noſtram ſententiam ad fidem pertinere, ex principijs vniuerſalibus à nobis ſuprà iactis, hoc pacto. Quotieſcunque in aliqua propoſitione expreſsè reuelata continetur alia implicitè, non ſolùm expreſsè reuelata, ſed etiam implicitè contenta pertinet ad eandem fidem, non quidem vt deducta, ſed vt explicata. Atqui in hac propoſitione expreſsè reuelata, Petrus etiam extra Concilium Generale definiens res fidei habet infallibilem authoritatem à Chriſto, virtute continetur hæc, Quiuis legitimus Petri ſucceſſor etiam extra Concilium Generale res fidei definiens, habet infallibilem authoritatem: ergo etiam hæc, non vt educta, ſed vt explicata pertinebit ad eandem fidem, ad quam pertinet Maior expreſsè reuelata. Maior propoſitio expreſsè habetur in Sacris Oraculis, in quibus omnes promiſſiones à Chriſto factæ Petro vt Rectori & Paſtori vniuerſalis Eccleſiæ, factæ ſunt ſingulari & indiuiduæ perſonæ ipſius. Minor euidenter deducitur ex fine, propter quem talem authoritatem Chriſtus contulit Petro, vt eam nimirum perpetuaret in Eccleſia, in cuius emolumentum illam Petro contulit.

34. Ex dictis infertur, non modò Pontificem errare non poſſe in veritatibus fidei definiendis, ſed neque in contrarijs erroribus damnandis, & in propoſitionibus qualificandis, vt quòd vna propoſitio ſit hæretica, alia erronea, temeraria alia,

alia

Digitized by Google

alia hæreſim ſapiens, alia malè ſonans, ſcandaloſa, & piarum aurium offenſiua. Ratio verò omnium eſt: quoniam eiuſdem authoritatis eſt, verum definire, & falſum reprobare, cùm nequeat vnum cognoſci, ſine alio, & conſequenter definiri vnum abſque alterius reprobatione. Præterea ſicut ad Pontificis authoritatem ſpectat, non modò veritatem definire, ſed certos gradus eiuſdem veritatis declarare, vt quòd propoſitio ſit de fide, tuta in conſcientia, conformis Diuinis oraculis, & Sanctis Patribus, fauens moribus, pia, probabilior &c. vti Clemens V. in Concilio Viennenſi definiuit tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum & Doctorum Theologiæ conſonam & concordem opinionem aſſerentē, tam in paruulis, quam adultis, cum Baptiſmo conferri informantem gratiam & virtutes: ita ad eandem Pontificis authoritatem ſpectat oppoſitos errores declarare.

Clemens V.

Soluuntur argumenta aduerſariorum?

35. AD primùm fundamentum oppoſitę ſententiæ, neganda eſt ſequela: nā licet Concilia Generalia nō ſint ad res fidei definiendas ſimpliciter neceſſaria, vt patet in primis trecentis annis, in quibus ſine vllo conuentu generali multę veritates ad fidem pertinentes fuerunt à ſummis Pontificibus declaratæ, multæque contrariæ hæreſes damnatæ: ſunt tamen valde vtilia, & aliquando etiam neceſſaria, vt cùm tempore ſchiſmatis electores non conueniunt in eligendo Pontifice: nam tunc Concilij Generalis eſt, huiuſmodi controuerſiam decidere, cùm nullus alius ſuperſit humanus modus. Extra quem caſum etſi illa neceſſaria non ſint, ſunt tamen apprimè vtilia, tum ad Eccleſiæ vnitatem, mutua præſentium animorum communicatione cōſeruandam, vti factum eſt in Concilio Florentino, in quo Eccleſia Latina cum Græca per mutuam præſentiam animorum communicationem in multis fidei veritatibus conuenit, in quibus antea per abſentiam conuenire non potuit: tum ad veritates ipſas meliùs diſcutiendas examinandaſque: tùm ad maiorem credibilitatis euidentiam in rebus ipſis definiendis cauſandam. Vt enim Pontifex rem definiat fide diuina credendam, habere debet euidentiam credibilitatis, quòd illa ſit à Deo reuelata, non enim ipſe definiendo nouam reuelationē facit, ſed factas declarat, declarataſque fide Diuina credendas fidelibus proponit: maiorem autem credibilitatis euidentiam facit Concilium Generale, quam quęuis priuata Doctorum congregatio: licet hęc maior credibilitatis euidētia, nec ſit ſimpliciter neceſſaria, & aliunde ex alijs motiuis & rationibus ſuppleri poſſit. Tum demum, quia quæ in Concilio Generali definiuntur faciliùs efficaciuſque ab vniuerſa Eccleſia acceptantur cùm in ijs acceptandis vniuerſa Eccleſia in Concilio Generali congregata conſentiat.

36. Ad ſecundum, vt Spiritus Sanctus more humano aſſiſtat Pontifici, controuerſias fidei ex Cathedra definienti, ſufficit, ſi antequā illas definiat, Doctores & peritos conſulat, etiamſi illos in publicum cœtum non aduocet.

37. Ad tertium ductum ex varijs erroribus Romanorum Pontificum Reſp. 1. vniuerſaliter nullum ex citatis in rebus fidei erraſſe vt Pontificem, hoc eſt vt docentem Eccleſiam ex Cathedra: cuius ſignum eſt, quia nullus affertur, qui ſuum errorem, in quem vt priuata perſona lapſus fuit, Eccleſiæ ſequendum proponit, ad eumque fide Diuina credendum illam aſtringit & obligat.

38. Reſp. 2. ſingillatim ad ſingulos Pontifices memoratos. Nam de Zepherino res eſt ſuſpecta, an Montani errorem etiam vt priuata perſona approbauerit, qui ſolùm de hoc errore à Tertulliano notetur, qui maximè hoc errore laborauit. Quòd autem de hoc etiam notetur à Rhenano Tertulliani Commentatore, mirum non eſt: quia in hoc ſecutus eſt authoris, quem commentatur, ſententiam. Vnde non plus roboris habet authoritas commentantis, quàm authoris.

39. De Liberio videtur ex Athanaſio, Hilario, & Hieronymo res certa, quòd tædio exilij Arianorum hæreſi ſubſcripſerit. Verùm hoc non eſt hereſim ex Cathedra docere, ſed vt priuatam perſonam ad euitandam exilij pœnam, in hęreſim extrinſeco ſaltem ſigno conſentire, vti etiam fecit Marcellinus, qui metū mortis falſis Dijs thus obtulit.

40. Felix, vt eruditè Bellarminus oſtendit lib. 4. de Romano Pontifice cap. 9. nunquam Arianus fuit, licet cum Arianis communicauerit medio illo tempore, quo adhuc in exilio viuente Liberio, & in hæreſim nondum lapſo, verus Pontifex non erat. Vbi autē verus Pontifex eſſe cœpit, non ſolùm à communione Arianorum abſtinuit, ſed & Conſtantium Imperatorem tanquam hæreticum damnauit, vt conſtat ex ipſius ſepulchro inuento in Baſilica Sanctorum, Coſmæ & Damiani 28. Iulij Anno 1582. ſub Gregorio XIII. cum hac inſcriptione: *Hic iacet corpus Sancti Felicis Papæ & Martyris, qui Conſtantium hæreticum damnauit.* Quam hiſtoriam referūt Bellarminus & Baronius Anno Chriſti 357. n. 18. in Compendio Spondani.

Bellarmin.

Bellarmin. Baronius.

41. Quoad Leonem pertinet, falſo aduerſarij ipſius mentem interpretantur. Tria enim in citata Epiſtola docet: primum, potuiſſe ſine culpa eam mulierem alteri nubere, quę exiſtimabat priorem maritum mortuum eſſe: quod veriſſimum eſt. Secundum, redeunte primo marito, teneri coniugem poſteriore relicto, priori adhęrere: quod etiam verum eſt. Tertium, *ſi viri* (ſunt verba Pontificis) *poſt longam captiuitatem reuerſi, ita in dilectione ſuarum Coniugum perſeuerant, vt eas cupiant in ſuum redire conſortium, omittendum eſt & inculpabile iudicandum, quod neceſſi-*

neceſſitas intulit, & reſtituendum, quod fides poſcit. Cæterum dum ait, *ſi cupiant eos in ſuum redire conſortium*, non ita accipiendum eſt, vt in poteſtate ipſorum ſit, vel ad eas redire vel alias ducere: ſed ſolùm in poteſtate ipſorum ponit, vt poſſint toro ab eis ſeparari: cùm alioqui ibidem doceat, hoc Sacramentum ex Dei inſtitutione eſſe inſolubile, quòd probat ex verbis Chriſti Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.*

Matth. 19.

Bellarmin.

42. De Gelaſio optimè Bellarminus citato loco cap. 10. probat, librum illum, qui dicitur eſſe Gelaſij, non eſſe ipſius, ſed vel Genandij, qui librum eiuſdem tituli ſcripſit ad Gelaſium Papam; vel Gelaſij Cæſarienſis Epiſcopi, de quo Hieronymus in Catalogo Eccleſiaſticorum Scriptorum hęc ſcribit: *Gelaſius Cæſareæ Palaſtinæ, poſt Euzoiũ Epiſcopus accuratè, limatique ſermonis fertur quædam ſcribere, ſed cœlare.*

Hyeronym.

43. Anaſtaſium optimè defendit Bellarminus libro citato cap. 10. Sed eſto ille cum Photino hæretico communicauerit: num propterea ille vt Pontifex ex Cathedra docens errauit? quippe qui potuit cum hæreticis communicationem habere tantùm vt perſona priuata: imò potuit etiam vt perſona priuata cum hæreticis communicans, eorum hæreſim non approbare.

44 Quoad Vigilium attinet fatetur quidem Bellarminus, & cum eo recentiores alij, illum erraſſe, ſcribendo Epiſtolam ad Theodoram Auguſtam, in qua Monothelitarum hæreſim confirmabat, vt ex Liberato conſtat, ſed hoc nil officit authoritati Apoſtolicę, tunc quia illam non ſcripſit vt Pōtifex obligando fideles ad illam amplectendā: tum quia hanc Epiſtolam ſcripſit, quando non erat verus Pontifex, ſed Antipapa. Fuit enim opera Bellizarij, mandante Theodora, à ſede expulſus Sylucrius verus Pontifex, & in exilium miſſus, eiuſque loco intruſus Vigilius, qui ad gratificandum Imperatrici hæreticę, fauore cuius fuerat in ſedem intruſus, eam Epiſtolam ſcripſit: cùm tamen poſtquam, defuncto Sylucrio, cœpit vt legitimus Paſtor ex Petri cathedra docere, nullus fuit in eo notatus error: quin, vt in eius vita Platina narrat, opera Theodorę Romæ captus, & Conſtantinopolim ductus, vt promiſſum de reſtituendo Anthemio hæretico in Patriarchatũ, à quo fuerat à ſuis prædeceſſoribus depoſitus, adimpleret, tantùm abeſt, vt in tam nefariam petitionem conſentiret, vt ipſam Imperatricem cum omnibus alijs hæreticis excommunicauerit. In cuius confirmationem accedit luculentum teſtimonium Beati Gregorij lib. 2. epiſt. 36. *Recordandæ* inquit *memoriæ Vigilius Papa in vrbe Regia conſtitutus contra Theodoram tunc Auguſtam, vel Acephalos, damnationis promulgauit ſententiam.*

Gregorius.

45. De Honorio I. multa in eius defenſionem ſcribit Bellarminus cap. 11. Sed quidquid ſit, an reuera ipſe in errorem Monothelitarum conſenſerit, certè in eum non conſenſit vt Pontifex, illum ex Cathedra docens, & ad eum Eccleſiam obligans, ſed vt priuatus homo. Quanquam, vt ibidem Bellarminus aduertit, ipſe reipſa non negauit duas operationes in Chriſto, ſed ſolùm nomina duarum operationum, ne vocabulorum nouitas ſcandalum pareret fidelibus, vt ipſemet apud eundem Bellarminum teſtatur his verbis: *Ne aut duarum operationum vocabulo offenſi Neſtorianos ſectantes nos vaſana ſapere arbitrentur, aut certè ſi rurſum vnam operationem fatendam eſſe cenſuerimus, ſtultam Eutychianiſtarum attonitis auribus dementiam fateri putemur.*

Bellarmin.

46. De Gregorio III. negandum eſt, illum conceſſiſſe, propter quamcunque infirmitatem, Vxorem dimitti poſſe, ſed, vt Gloſſa ibidem interpretatur, propter infirmitatem, quæ Coniugem reddit naturaliter impotentem ad Coniugale debitum reddendum, cuiuſmodi ſunt arctæ, quarum Matrimonium iure naturæ eſt irritum, cùm ſit impedimentum oppoſitum naturæ Matrimonij. Falſum etiam eſt, id Anglis conceſſiſſe Beatum Gregorium: Sed quod ille conceſſit fuit, vt in quarto gradu contrahentes, non deberent ad fidem conuerſi ſeparari, vt habetur 24. q. 3. Canone *quadam lex.* Cum quibus Pontifex diſpenſare potuit, cùm hoc impedimentum ſit tantum iuris poſitiui Eccleſiaſtici: quod ante Innocentiũ III. ſe extendebat vſque ad ſeptimum gradum conſanguinitatis & affinitatis, ab ipſo autem in Concilio Lateranenſi contractum fuit ad quartum duntaxat gradum, vt refertur capite *Non debet* de Conſanguinitate & affinitate.

47. Quod attinet ad Nicolaum, Reſpondet Canus lib. 6. de locis Theologicis cap. vlt. ad ſeptimum, & Bellarminus lib. 4 de Romano Pontifice, adhuc non eſſe in Eccleſia definitum, an Baptiſmus etiam nunc in nomine ſolius Chriſti collatus ſit inualidus: proinde neque Nicolaus, qui ſecutus ſententiam Ambroſij putauit, baptiſmum collatum in ſolo nomine Chriſti eſſe validum, neque Pelagius, & Zacharias, qui amplexi ſententiam communiorem & certiorem, dixerunt, Baptiſmum collatum in nomine vnius Diuinæ perſonæ, non eſſe validum, idque non authoritate Pontificia, ſed tantùm vt priuati Doctores aſſeruerunt. Quæ reſponſio confirmari poteſt authoritate multorum Theologorum, qui ſententiam Nicolai & Ambroſij ſequuntur vt probabilem: nec audent contrarię ſententię ſectatores Nicolai & Ambroſij opinionem cenſura aliqua notare: ſed ſolùm dicunt, ſententiam Pelagij & Zachariæ eſſe communiorem & certiorem: ita Valentia Tom. 4. Diſp. 4. q. 1. de Baptiſmo pu. 3. §. *in hac re*, & §. *ad ſecundum*, & Suarez 3. p. Tom. 3. Diſp. 21. Sect. 3. §. *tertio ſequitur*, in fine, vbi tantùm ait, hanc communem ſententiam eſſe ita certam, vt contraria nullo modo ſit probabilis.

Canus. Bellarmin.

Valentia. Suarez.

48. Verùm huic Reſponſioni ſtrenuè ſe oppo-

Vaſquez. opponit Vaſquez 3. p. tom. 2. diſp. 143. c. 3. & 4. putatque hanc communem ſententiam definitam fuiſſe à Pelagio & Zacharia, non obſtante Nicolai reſponſo in contrarium: nec poſſe oppoſitam opinionem abſque temeritatis & erroris nota defendi. Vt autem Nicolaum, qui vtroque Pontifice poſterior fuit, ab errore excuſet, docet cum Cano præ- Canus. notato loco, & alijs, illum non Pontificia authoritate hoc definiuiſſe, ſed vt priuatum Doctorem ſuam opinionē declaraſſe. Quod inde colligunt, quia non fuit Pontifex de hac re interrogatus, ſed tantùm de Miniſtro, an ſcilicet Baptiſmus à quodam Iudæo collatus eſſet validus. Cui interrogationi obiter, & vt priuatus Doctor ſuam ſententiam addidit de Baptiſmi forma, de qua non fuerat requiſitus. *Hæc poſterior reſponſio probabilior eſt:* vtraque tamen rectè ſaluat, nullum Pontificem erraſſe vt Pontificem.

Bellarm. 49. Ad Stephanum & Sergium, qui acta Formoſi prædeceſſoris irritarunt; reſpondeo cum Bellarmino citato cap. 12. eos erraſſe non in quæſtione Iuris, ſed facti, de quo dubium non eſt, quin poſſit Pontifex errare. Etenim quæſtio erat, an Formoſus fuiſſet legitimus Pontifex, quem Stephanus, & Sergius ex odio contra ipſum, exiſtimantes, non fuiſſe legitimum Pontificem, omnia eius acta annullârunt: quæ poſtea Ioannes IX. approbauit declarauitque illum fuiſſe verum Pontificem, actaque Stephani irritauit.

50. Alexander III. cùm definiuit, alienum eſſe à lege Diuina, à Sanctorum Patrum inſtitutis, & à generali Eccleſiæ conſuetudine reſcindere teſtamenta, quæ non fuerint ſeptem, vel quinque teſtium ſubſcriptione firmata, locutus tantùm eſt de teſtamentis, quæ fiunt cauſa Religionis, & propter res pias, vt bene notat ibi Gloſſa, & Pontifex ipſe expreſsè declarat capite ſequenti. Potuit autem Pontifex in fauorem Religionis & pietatis ſtatuere, vt in eiuſmodi teſtamentis non ſeruentur, conditiones ex communi conſenſu hominum ſeruari ſolitæ in alijs teſtamentis. Atque hoc ipſum viſum fuit Pontifici alienum à lege Diuina & Sanctorum Patrum inſtitutis, velle eaſdem conditiones ſeruare in teſtamentis conditis cauſa pietatis & Religionis, quæ ſeruantur in cæteris. Ad aliud, cùm Pontifex dixit, *quamuis aliter à prædeceſſoribus noſtris ſit aliquando indicatum:* Non eſt intelligendus de iudicio authentico & definitiuo ex Cathedra prolato, ſed priuato, quod prædeceſſores habere potuerunt abſque præiudicio Pontificiæ authoritatis.

51. Ad Celeſtinum Reſpondeo, eum nihil de fide certum ea de re ſtatuiſſe, ſed tantùm vt priuatum Doctorem ſuam ſententiam declaraſſe: quod ſæpe facere ſolent Pontifices, præſertim, cùm de ea quæſtione vel non directè interrogantur, vel ſi directè interrogantur, nolunt Apoſtolicum decretum condere ab vniuerſali Eccleſia ſequendum, ſed ſolùm hic & nunc ſuam in re propoſita explicare ſententiam.

52. Ad Innocentium III. Reſpondeo mentem ipſius non fuiſſe, vt quæ ſeruanda erant in lege Moſaica, ſeruanda quoque eſſent literaliter in lege Euangelica, ſed ſolùm figuratè. Vnde cùm dicit, *quod ibi*, nempe in Deuteronomio, *decernitur*, *in nouo teſtamento debet obſeruari*, intelligit proportionaliter, vt ipſemet declarat. Nam ſicut in antiqua lege Deus determinauerat locum, vbi omnia de rebus ad Religionem ſpectantibus dubia reſoluerentur: ita in noua locum determinauit; vnde debeat omnium controuerſiarum circa Religionem certa & infallibilis reſolutio expectari, quæ eſt ſedes Romana à Chriſto per Petrum electa. Legatur textus.

53. Ad Nicolaum IV. & Ioannem XXII. Reſpondeo duo eſſe præcipua, quæ inter eos controuertuntur. Alterum eſt, an poſſit è rebus vſu conſumptibilibus ſeparari vſus à Dominio: Alterum, an Chriſtus habuerit purum vſum rerum, quibus vtebatur, omni dominio à ſe abdicato. Quoad primum affirmat Nicolaus in dicta Extrauagante *Exiit*; idque occaſione Fratrum Sancti Franciſci de obſeruantia, qui profitentur merum vſum habere earum rerum, quas ex Eleemoſynis acquirunt, manente dominio liberè de ijs diſponendi apud ſedem Apoſtolicam. Negat verò Ioannes, eo quòd in rebus vſu conſumptibilibus diſtingui nequeat vſus à Dominio, nam his rebus vti, eſt ipſum dominium in eas exercere: cùm ille dicatur Dominus rei, qui illam deſtruere poteſt: qui autem rem vſu conſumit, illam deſtruit, proinde in eam dominium exercet. Quoad ſecundum docet Nicolaus, aliquando Chriſtum talem paupertatem verbo & exemplo docuiſſe. Definit verò Ioannes, hæreticum eſſe, aſſerere, Chriſtum nullum habuiſſe dominium. Prior quæſtio ad fidem non pertinet, cùm non ſit de aliqua veritate, vel in Scripturis reuelata, vel per traditionem accepta, neque de re ad ſalutem neceſſaria: nam ſiue vſus ſeparari poſſit à dominio in rebus vſu conſumptibilibus, ſiue non, nil referebat ad ſalutem Fratrum Sancti Franciſci, quos Pontifex tantùm volebat, vt ita Eleemoſynis vterentur, vt penes Apoſtolicam ſedem maneret authoritas illas, antequam vſu conſumerentur ab eis repetendi. Proinde neuter Pontifex in ea definienda procedit authoritate Pontificia, ſed tantùm vt Doctor priuatus. Poſterior pertinet quidem ad fidem, ſed in ea definienda vnus Pontifex non contradicit alteri: nam Nicolaus non definit vniuerſaliter, nunquam Chriſtum habuiſſe dominium rerum, è quibus vſum capiebat, quin expreſsè docet, illud aliquando ad condeſcendendum noſtræ infirmitati retinuiſſe. Nam poſtquam dixerat, Chriſtum talem paupertatem, omni dominio abdicato, verbo & exemplo docuiſſe, ſubdit: *nec his quiſquam putet obſiſtere, quod interdum dicitur Chriſtus loculos habuiſſe: nam ſic Ieſus Chriſtus, cuius perfecta ſunt opera, in ſuis actibus viam perfectionis* exercuit,

exercuit, quod interdum infirmorum imperfectionibus condeſcendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas ſemitas non damnaret, ſic infirmorum perſonam Chriſtus ſuſcepit in loculis &c. Contrà verò Ioannes in Extrauagante *Cùm inter nonnullos*, non definit, Chriſtum nunquam talem paupertatem verbo aut exemplo docuiſſe, ſed ſolùm tanquam hæreticum declarat, Chriſtum ejuſque Apoſtolos non habuiſſe aliqua ſaltem in communi. Fieri autem potuit, vt Chriſtus habuerit aliqua, vel in communi, vel in particulari, & nihilominus ad commendationem perfectæ paupertatis interdum omne dominium earum rerum, quas licitè habere poterat, à ſe abdicauerit, iuxta illud Matth. 8. & Lucæ 9. *Vulpes foueas habent, & volucres Cœli nidos. Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.*

Matth. 8. Luc. 9.

54. Ad vltimum de eodem Ioanne XXII. negari non poteſt, quin fuerit in hoc errore, vt in quadam Bulla relata ab Alphonſo de Caſtro, verbo *Beatitudo* Hæreſi 6. teſtatur Benedictus XII. qui ei immediatè ſucceſſit. Verùm cùm ſe ad definitionem huius controuerſiæ, quam examinandam dederat Cardinalibus, alijſque Prælatis ac Theologis, ſe pararet, morte præuentus eſt, vt idem Benedictus XII. qui fuerat vnus è Cardinalibus, qui eandem controuerſiam viuente Ioanne cum alijs examinauerat refert: qui poſtea illi in Pontificatum ſuccedens, definiuit, animas hinc diſcedentes, ſi nihil purgandum habeant, ſtatim in cœlum volaturas. Ibique diuina eſſentia fruituras, ſicut è contrà, animas damnatorum ſtatim in infernum deſcenſuras ibique cruciandas. quam veritatem definiuit etiam in Concilio Generali Florentino Eugenius IV. eandemque procul dubio definiturus fuiſſet Ioannes XXII. ſi poſt controuerſiæ diſcuſſionem ad authenticam deciſionem acceſſiſſet: nec permiſiſſet Deus hunc ſuum errorem ex Cathedra vniuerſæ Eccleſiæ credendum proponere. Cæterùm quòd addit Caluinus, illum docuiſſe, animas vnà cum corporibus interire vſque ad diem iudicij, id de ſuo addit, cùm nemo illi hunc errorem imponat. Fuit tamen hæc antiqua hæreſis in Arabia orta, cuius cùm nullus certus apud Euſebium, qui illam refert, aſſignetur author, Auguſtinus libro de Hæreſibus hæreſi 83. ait, eos Arabicos appellari poſſe. Cętera etiam, quę Caluinus addit, falſa ſunt, vt rectè oſtendit Bellarminus cap. 14.

Alphonſus de Caſtro. Caluinus. Auguſt. Bellarm.

SECTIO II.

An Pontifex errare poſſit in decretis morum?

55. DVplex eſt decretum morum, alterum dependens ex facto & rebus geſtis, vt quòd hic ſit dignus Epiſcopatu, quòd ille iuſtè ſit excommunicatus, quòd hæc Eccleſia legitimè ſua iura poſſideat &c. Alterum dependens ex iure ſpectante ad omnes fideles & vniuerſam Eccleſiam, vt quòd ſint baptizandi paruuli, quòd ſub vna tantùm ſpecie communicare debeant laici, quòd vſura non ſit exercenda &c. Conueniunt omnes, Pontificem errare poſſe quoad primum, in ordine ad quod non habet Spiritus ſancti aſſiſtentiam, reſpectu cuius procedit vt merus Iudex & Princeps Eccleſiaſticus, ſolo teſtimonio humano ductus: quod non obſcurè docuit Innocentius III. in capite *à nobis eſt ſæpe quæſitum* de ſententia excommunicationis, vbi *Iudicium*, inquit, *Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur; Iudicium autem Eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpe contingit, & falli. Propter quod contingit interdum, vt qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus: & qui liber eſt apud Deum, Eccleſiaſtica ſit ſententia innodatus.* Sola igitur controuerſia eſt de decretis morum ſpectantium ad vniuerſam Eccleſiam, & ad ſalutem neceſſariorum. Qua in re,

Innocent. III.

56. Dicendum eſt, non poſſe Pontificem in condendis legibus aut præcipientibus, aut prohibentibus rem toti Eccleſiæ ad ſalutem neceſſariam errare. In hac aſſertione omnes Catholici conueniunt; Canus lib. 5. de locis Theologicis cap. 5. q. poſtrema, Conclu. 1. Bannez ſecunda ſecundæ q. 1. art. 10. in breuioribus commentarijs dub. 6. Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 5. Valentia de obiecto fidei diſp. 1. q. 1. punct. 7. §. 40. Malderus dubit. 6. Suarez diſp. 5. ſect. 8. Turrianus diſp. 16. dub. 2. Syluius lib. 4. de controuerſ. q. 2. ar. 13. & recentiores omnes.

Canus. Bannez. Bellarm. Valentia. Malderus. Suarez. Turrianus. Syluius.

57. Probatur hæc veritas 1. Ex illa promiſſione Chriſti facta Eccleſiæ in perſona Apoſtolorum Ioannis 16. *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Nam quamuis hunc locum Auguſtinus, & Beda explicent de omni veritate à Spiritu ſancto docenda in futura vita, tamen Euthymius, Chryſoſtomus, & Theophylactus apud Maldonatum in hunc locum intelligunt de omni veritate neceſſaria ad ſalutem in hac vita. Docentur autem à Spiritu ſancto fideles omnem veritatem ad ſalutem neceſſariam in hac vita per Chriſti Vicarium, cui ex præcepto Dei tenentur in ijs, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, obedire.

Ioan. 16. Auguſt. Beda. Euthymius. Chryſoſt. Theophylactus.

58. Secundò definitur hæc veritas à Martino V. in Concilio generali Conſtantienſi in Bulla, quæ incipit, *Inter cunctas Paſtoralis curæ*, quæ habetur poſt vltimam ſeſſ. Concilij, vbi poſt damnatos errores Wicleffi, & Ioannis Huſſ, præcipit, omnes de hæreſi ſuſpectos interrogari, inter alios articulos, *vtrum credant, quod illud, quòd ſacrum Concilium Conſtantienſe, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, approbauit & approbat in fauorem fidei & ſalutem animarum, quod hoc eſt ab vniuerſis Chriſti fidelibus approbandum & tenendum: & quod condemnauit & condemnat eſſe fidei & bonis moribus contrarium, hoc ab eiſdem eſſe tenen-*

Concilium Conſtantienſe.

dum

Digitized by Google

dum pro condemnato, credendum & aſſerendum. Et infrà: *item, vtrum credant, quod conſuetudo communicandi perſonas Laicales ſub ſpecie panis tantùm ab Eccleſia vniuerſali obſeruata, & per ſacrum Concilium Conſtantiæ approbata ſit ſeruanda, ſic quod non liceat eam reprobare, aut ſine Eccleſiæ authoritate pro libito immutare. Et quod dicentes pertinaciter oppoſitum præmiſſorum, tanquam hæretici, vel ſapientes hæreſim, ſint arcendi & puniendi.* Quæ conſuetudo, vt patet, ad mores tantùm ſpectat.

59. Tertiò probatur ratione, Altera ab abſurdo; Altera à priori. Ab abſurdo eſt. Si poſſet ſummus Pontifex in legibus ferendis de rebus ad ſalutem neceſſarijs errare, poſſet tota Eccleſia in negotio ſalutis errare: nequit autem tota Eccleſia in negotio ſalutis errare: ergo nequit ſummus Pontifex in legibus ferendis de rebus ad ſalutem neceſſarijs errare. Minor clara eſt, alioqui non verificaretur illa promiſſio Chriſti, *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Nam ſiue errare poſſet falſitate doctrinæ, ſiue malitia & iniquitate morum, verè contra eam præualere poſſent inferorum portæ. Sequela probatur, nam ex præcepto Chriſti tenetur tota Eccleſia obedire ſummo Pontifici præcipienti, vel prohibenti ad ſalutem neceſſaria. Igitur ſi poſſet ſummus Pontifex in huiuſmodi præceptis errare, tota Eccleſia errare poſſet. Confirmatur. Si poſſet ſummus Pontifex in præcipiendis rebus ad ſalutem neceſſarijs errare, poſſet etiam errare in rebus ad fidem ſpectantibus: nam eadem Scriptura ſacra docet, vitia eſſe turpia, & vitanda; virtutes contrà honeſtas, & amplectendas: ſi autem ſummus Pontifex aut vitium aliquod præciperet, aut virtutem prohiberet, contra ipſam diuinam Scripturam doceret, vitium eſſe honeſtum & amplectendum; virtutem contrà eſſe turpem & vitandam, cùm non poſſit vitium præcipere, niſi ſub ratione boni & honeſti; nec virtutem prohibere, niſi ſub ratione mali & turpis.

60. Altera ratio à priori eſt. Quiuis ſapiens Princeps eam omnem poteſtatem ſuo Vicario confert, quæ neceſſaria eſt ad finem conſequendum, propter quem illum conſtituit. Atqui ſine infallibili authoritate præcipiendi res ad ſalutem neceſſarias nequit ſummus Pontifex vt Chriſti Vicarius conſequi finem, propter quem eſt à Chriſto conſtitutus: ergo. Maior eſt euidens, nam qui efficaciter intendit finem, intendit ſimul media ad finem conſequendum neceſſaria. Minor probatur: nam finis, propter quem ſummus Pontifex inſtituitur Vicarius Chriſti, eſt animarum directio ad ſalutem æternam: ſi autem poſſet ſummus Pontifex in præcipiendis rebus ad ſalutem neceſſarijs errare, non poſſet animas ſibi commiſſas ad ſalutem æternam dirigere.

61. Ex his infertur, non poſſe Pontificem aliquid contra ius diuinum, aut naturale præcipere, vel prohibere, vel quod ſit contra Euangelium, aut Chriſti, vel Apoſtolorum doctrinam. Vnde certum eſt, non erraſſe Eccleſiam in prohibenda Laicis communione ſub vtraque ſpecie: quia cùm communio ſit de iure diuino, vt in ſeptimo tomo oſtendemus, ſi poſſet in hoc Eccleſia errare, errare poſſet in ipſo iure diuino, prohibendo communionem ſub vtraqua ſpecie, quam Chriſtus ipſe præcepiſſet.

62. *Obÿcies.* Ex eo quòd Pontifex erraret in præcipiendo, aut prohibendo aliquid contra ius naturale, non ſequeretur totam Eccleſiam errare, quoniam non teneretur in eo caſu Eccleſia Pontifici obedire, cùm non teneamur obedire ſuperiori præcipienti expreſsè malum: ſed hoc ipſo quòd præciperet, vel prohiberet aliquid contra ius naturale, præciperet expreſsè malum: ergo. Confirmatur. Non tenemur obedire ſuperiori præcipienti contra legem & voluntatem ſupremi capitis: ergo non tenemur obedire Pontifici præcipienti contra legem & voluntatem Dei ſupremi Principis ac capitis, qui lege naturali in vnoquoque inſita nobis prohibet omne malum.

63. Reſpondeo negando ſequelam, & ad probationem Reſpondeo 1. fieri poſſe, vt non ſemper quod præcipitur, vel prohibetur, ſit manifeſtè contra ius naturæ: in quo caſu teneretur Eccleſia ſequi præceptum ſui capitis, quoniam in dubijs tenemur ſequi ſententiam ſuperioris. Reſpondeo 2. hoc ipſum dici poſſe de Pontificis authoritate in definiendis rebus fidei. Nam dicere quis poſſet, ex eo quòd erraret Pontifex in doctrina manifeſta fidei, non propterea erraret Eccleſia, quia non teneretur in tali caſu ſequi definitionem Pontificis, ſacræ Scripturæ manifeſtè contrariam. Adde, quòd multa abſurda ſequerentur, ſi Eccleſia non eſſet certa de authoritate infallibili ſui capitis: nam ſæpe deberet examinare definitiones Pontificis, vtrum conformes eſſent Scripturæ ſacræ, & Apoſtolicis traditionibus; quod non ſolùm eſt contra præceptum Chriſti Matth. 23. *Omnia quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite:* ſed etiam contra debitam ſubordinationem & reuerentiam ſubditorum erga ſuum ſuperiorem. Debuit igitur Eccleſia eſſe certa de infallibili authoritate ſui capitis, quam certitudinem habere non poteſt, niſi diuina fide reddatur certa, quòd in præſcribendis rebus ad ſalutem neceſſarijs errare non poſſit: alioqui ſemper eſſet dubia & perplexa, an in rebus ad ſalutem ſpectantibus eſſet ſecura, ſequendo regulam ſui capitis. *Matth. 23.*

64. Inſtabis. Etiamſi erraret caput, præcipiendo vel prohibendo, quòd non deberet, adhuc non errarent membra, exequendo præcepta ſui capitis: quia in tali caſu fideles excuſarentur ab errore, quin obediendo ſuo capiti, digni eſſent merito apud Deum, non minùs quàm ſi vera præcepta exequerentur.

65. Reſpondeo idem dici poſſe de rebus ad fidem ſpectantibus, nam etiamſi Pontifex proponeret fide diuina credendum, quod non eſſet verum, & à Deo reuelatum, adhuc non errarent, ſaltem practicè membra, credendo illud fide diuina putata: cùm tamen nullus Catholicus hoc admittat in rebus ad fidem ſpectantibus. Ratio igitur à priori eſt: quia cùm ſummus Pontifex ſit à Chriſto in Eccleſia conſtitutus, vt in dirigendis hominibus ad ſalutem æternam vices ſuas peragat, ad Chriſti prouidentiam pertinuit, conferre Pontifici tanquam ſuo Vicario omnem poteſtatem, quæ neceſſaria eſſet ad tale munus obeundum. Cùm igitur non ſolùm ſit neceſſaria infallibilis authoritas in definiendis rebus fidei, ſed etiam infallibilis poteſtas in ferendis legibus ad ſalutem neceſſarijs, vtramque cum Pontificatu illi tradit. Dicere autem, quòd poſſet Chriſtus permittere, vt eius Vicarius erraret in præcipiendis rebus ad ſalutem neceſſarijs, & nihilominus talem errorem non imputatum iri fidelibus, qui bona fide ſuo capiti obedirent, eſt, Chriſtum tacitè arguere inſufficientis prouidentiæ erga ſuam Eccleſiam: quia cùm officium ſupremi Paſtoris animarum iure ſuo poſtulet vtramque authoritatem, argueretur Chriſtus inſufficientis prouidentiæ, ſi vtramque cum vicariatu ſummo Pontifici non conferret: Sicut argueretur inſufficientis prouidentiæ Archiepiſcopus, vel quiuis alius Eccleſiaſticus, aut ſecularis Princeps, qui neceſſariam poteſtatem ad officium obeundum ſuo Vicario non conferret.

66. Confirmatur: nam Chriſti voluntas non eſt, vt homines ſalutem conſequantur medijs iniquis & falſis, inculpabiliter putatis vt honeſtis & veris; ſed medijs natura ſua honeſtis & veris: igitur Chriſtus reipſa vtramque poteſtatem ſuo Vicario tradit, & vt ſine errore definiat, & vt ſine errore præcipiat. Conſequentia conſtat, quoniam in Chriſto voluntas dandi media, commenſurari debet voluntati dandi finem: atqui voluntas negandi poteſtatem ferendi leges abſque errore in ordine ad ſalutem æternam non commenſuratur voluntati dandi finem, quæ eſt, vt homines ad ſalutem dirigantur medijs reipſa honeſtis & veris. Antecedens probatur, nam eam voluntatem cenſendum eſt habere Chriſtum de ſalute hominum, quàm rectus ordo requirit, cùm omnis voluntas Chriſti rectiſſima ſit: rectus autem ordo requirit, vt non medijs putatiuè tantùm, ſed reipſa veris & honeſtis homines ad æternam ſalutem perueniant.

67. At inquies, interdum Deus etiam per talia media putatiuè tantùm honeſta hominum ſalutem intendit. Reſpondeo intendere ſolùm per accidens & conſequenter, poſito tali inuincibili errore; non autem per ſe & antecedenter. Nam ex ſe & antecedenter Deus ſalutem hominum intendit medijs reipſa veris & honeſtis, cùm oppoſita voluntas indigna ſit Deo, qui antecedenter & ex ſe omne fictum odit, tanquam contrarium infinitæ ſuæ veracitati.

68. Atque hanc primam aſſertionem non dubito eſſe de fide certam, quam præter alios affirmant Canus, Bannez, Suarez, & Valentia ſuprà citati: quamuis Canus non ita certò aſſerat, qui tantùm loqui videtur de legibus, vel conſuetudinibus à Chriſto, vel Apoſtolis acceptis, non autem ab Eccleſia ſtatutis. *Canus. Bannez. Suarez. Valentia.*

69. Maior difficultas eſt, an poſſit Pontifex errare in definiendo vel declarando, an aliquis contractus ſit iuſtus, vel iniuſtus; licitus, vel illicitus. Affirmat Sotus lib. 6. de iuſtitia q. 1. art. vlt. *Sotus.* Cuius fundamentum eſt, quoniam ad Pontificem ſolùm ſpectat definire ac declarare ea, quę in Scriptura ſacra cõtinentur, vel ex ea colligi poſſunt. Cæterùm, an hic, vel ille contractus ſit iuſtus vel iniuſtus, neque in Scriptura ſacra continetur, neque ex ea colligi poteſt, ſed ex mera natura ipſius contractus, & ex Philoſophia morali. Pro eadem ſententia citatur Caietanus *Caietanus.* tom. 2. opuſc. tract. 6. Sed immeritò: nam licet ibi doceat, contractum montis pietatis, qui practicari cœpit ducentis abhinc annis in Italia, eſſe iniuſtum & vſurariũ, quem tamen Leo X. *Leo X.* ſacro Generali Lateranenſi approbante Concilio, declarauit, illum eſſe iuſtum & licitum: id tamen Caietanus non dixit, quia putauit, illum non poſſe à Pontifice Põtificia authoritate definiri: ſed quia illum, inquit, definiuit practicandum iuxta Capitula præſcripta, cum hac clauſula adiecta, *Modo ſacris canonibus ea contraria non ſint.* Quam clauſulã cap. vlt. illius tractatus teſtatur ſe legiſſe in quadam Bulla deſumpta ex Originali, quæ ſeruabatur Mantuæ. Quæ clauſula cùm non ſit poſita in Bulla, non cenſetur per eam Capitula, quibus ſeruari debet talis contractus, approbata, non defectu authoritatis Pontificiæ, ſed defectu intentionis Pontificis, qui ea Capitula approbare intendebat, quatenus contraria non eſſent ſacris canonibus. Immeritò igitur pro hac ſententia refertur Caietanus: pro ea tamen citari poteſt Canus lib. & cap. præcitato conclu. 3, vbi docet, poſſe Pontificem in iudicio circa perſonas priuatas, & Eccleſias particulares errare, præcipiendo, vel prohibendo aliquid, quod rationi, & Euangelio contrarium eſt, & adhibet exemplum de illo, qui occultè vna vxore habita, alteram publicè ducit: in quo caſu præcipit Eccleſia, vt priore relicta, poſteriorem accipiat.

70. Negant verò communiter alij, poſſe Pontificem in huiuſmodi contractibus, vel pręceptis declarandis errare: Docent Molina *Molina.* tract. 2. de contractibus diſput. 325. vbi ex profeſſo examinat prædictum contractum Montis pietatis, definitque illum eſſe iuſtum & licitum, eo vel maximè, quòd ille ſit à ſede Apoſtolica licitus iuſtusque declaratus: Bannez, Valentia, Suarez, Turrianus, Malderus ſuprà citati. *Bannez. Valentia. Turrianus. Malderus.*

71. Quæ ſententia apud me ita vera eſt, vt oppoſita nullo pacto ſit probabilis: Primò,

Digitized by Google

Leo X. quia de facto Leo X. authenticè declarauit, prædictum contractum Montis pietatis eſſe iuſtum & licitum, eumque etiam à ſuis prædeceſſoribus Paulo II. Sixto IV. Innocentio VIII. Alexandro VI. & Iulio II. fuiſſe approbatum, vt conſtat ex eius Bulla, quæ fuit in publico Concilio lecta & approbata ab omnibus, præterquam ab Archiepiſcopo Tranenſi, qui ſolus illi contradixit, vt in eadem Bulla narratur. Habetur autem hæc Bulla in eodem Concilio ſeſſ. 10. Cæterùm quę in explicationem huius Bullæ à Caietano & Soto afferuntur, peculiari impugnatione non egent.

72. Secundò. Quoniam id ſpectat ad authoritatem Pontificis, qui cùm ſit ſummus Paſtor, habere debuit infallibilem poteſtatem ſalubriter paſcendi oues Chriſti: valde autem diminuta foret eius poteſtas, ſi non ſe extenderet ad huiuſmodi leges declarandas. Nec refert, quòd earum declaratio proximè pendeat ex natura talium legum, & ex Philoſophia morali, non ex Scriptura ſacra: nam eas Pontifex non definit, quatenus veritates Philoſophicæ ſunt, ſed quatenus ſunt præcepta morum ad ſalutem neceſſaria, ad quæ definienda habere debet infallibilem aſſiſtentiam Spiritus ſancti, ne definiat & declaret, quod contrarium eſt ſaluti hominum. *Clemens V.* Confirmatur, nam etiam Clemens V. in Concilio Viennenſi declarauit, animam rationalem eſſe veram corporis formam: quæ veritas proximè ex Philoſophia pendet, quia tamen dirigitur ad doctrinam fidei, potuit, & de facto fuit à Pontifice authenticè definita, adeo vt hæreticus ſit cenſendus, qui contrarium docet. Atque ex his ſolutum manet fundamentum Soti.

73. Ad exemplum à Cano adductum, vel negandum eſt, poſſe Pontificem in tali caſu, ſi conſtet de legitimo Matrimonio cum priori vxore, cogere virum, vt relicta priori, poſteriorem accipiat: vel certè, declarat tunc Pontifex prius Matrimonium, præſertim vbi Concilium Tridentinum receptum eſt, non fuiſſe validum, defectu publicitatis in contractu Matrimoniali requiſitæ. Quanquam poſſet in hoc Pontifex errare, cùm pendeat ex facto, an nimirum prius Matrimonium fuerit validum. Licet ſemper in huiuſmodi caſibus ſtandum ſit iudicio Pontificis.

74. Ad complementum præſentis controuerſiæ ſupereſt, an poſſit Pontifex errare in legibus vel præceptis ſpectantibus ad hanc, vel illam Eccleſiam in particulari: quæ non tantùm pendent ex rebus geſtis, quo pacto, vt dictum eſt, poteſt Pontifex ignorantia facti errare; ſed quæ pendent vel ex iure naturæ, vel ex lege Euangelica.

Canus. 75. Affirmat Canus, affertque exemplum ſuprà citatum, & à nobis ſolutum. *Bannez.* Oppoſitum verò docet Bannez loco præcitato: & ſanè longè probabiliùs: ita vt contrarium apud me nullo pacto ſit probabile. Ratio eſt, quia ſiue Pontifex leges ferat vniuerſæ Eccleſiæ, ſiue vni particulari, ſemper illas fert vt Paſtor Eccleſiæ à Chriſto conſtitutus ad paſcendas ipſius oues. Alioqui ſi poſſet in legibus particularium Eccleſiarum, quę non pendent ex mero facto, ſed vel ex iure naturali, vel ex lege Euangelica errare, errare etiam poſſet in legibus totius Eccleſiæ, quia tota Eccleſia conſtat ex particularibus Eccleſijs.

76. Confirmatur: quoniam, vt docet ibidem Bannez, & alij permulti, quando Pontifex in huiuſmodi legibus æternam ſalutem concernentibus interrogatus ab vna particulari Eccleſia authenticè reſpondet, eius reſponſum datum cenſetur pro tota Eccleſia, cùm in rebus ad ſalutem neceſſarijs omnes Eccleſiæ conueniant. Vnde ius canonicum, quod eſt regula pro vniuerſa Eccleſia, eſt, collectum ex varijs reſponſis à ſummis Pontificibus particularibus Eccleſijs datis. Ratio eſt, quia licet ad huiuſmodi ſanctiones & decreta condenda Pontifices ſæpe occaſionem ſumant ex loco, vel Eccleſia aliqua particulari, Sanctio tamen & decretum, quando eſt de re ad ſalutem neceſſaria, dirigitur ex intentione Pontificis tãquam vniuerſalis Paſtoris ad totam Eccleſiam: vnde illa procedunt ex tacita voluntate Pontificis obligantis ad ea ſeruanda omnes fideles: niſi aliunde conſtet Pontificem in ea ſententia ferenda non ſe gerere vt vniuerſalem Eccleſiæ Paſtorem, ſed vt priuatum Doctorem, iuxta ea, quæ ſuprà dicta ſunt.

SECTIO III.

An ſummus Pontifex errare poſſit in Religionibus approbandis vel reprobandis?

77. Conſiſtit Religio eſſentialiter in illis tribus votis caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ, quibus Religioſi ſponte Deo conſecrantur, & quantum in ipſis eſt, perpetuò ſe Deo deuouent. Quæ non eſt, vt Caluinus c. 4. de votis autumat, recens inuentum, *Caluinus.* ſed ab ipſis Apoſtolis ducit originem: quorum exemplo & approbatione fideles ſuis poſſeſſionibus diuenditis vitam agebant communem, vt habetur Act. c. 4. & 5. & inter alios *Act. 4. & 5.* expreſsè teſtatur Caſſianus collatione 18. c. 5. *Caſſianus.* *Itaque cænobitarum*, inquit, *diſciplina à tempore prædicationis Apoſtolicæ ſumpſit exordium.* Quę ſucceſſu temporis magnos in Eccleſia Dei progreſſus fecit tam in oriente, quam in occidente. Cæterùm nullus ordo ante Religionem beatorum Dominici, & Franciſci approbatus legitur à ſede Apoſtolica, ſed ſat erat, ſi ab ipſis fundatoribus inſtitueretur. Circa annum verò 1170. referente Bellarmino lib. 2. *Bellarm.* de Monachis c. 4. occaſione cuiuſdam Religionis dictæ *Pauperum de Lugduno*, quę quoniam multas habebat admixtas ſuperſtitiones & hæreſes, damnata ac reprobata fuit

Lucius III. à Lucio III. inde factum eſt, vt nulla deinceps Religio inſtitueretur abſque approbatione & conſenſu Romani Pontificis. Qua *Innoc. III.* de re latum eſt decretum ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi Generali, & refertur capite finali de Religioſis, vbi: *ne nimia,* inquit, *Religionis diuerſitas grauem in Eccleſiam Dei confuſionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero nouam Religionem inueniat, ſed quicunque ad Religionem conuerti voluerit, vnam de approbatis aſſumat.* Quod *Gregor. X.* decretum iterum confirmatum eſt à Gregorio X. in Concilio Generali Lugdunenſi, vt habetur capite vnico de Religioſis domibus in ſexto. His præmiſſis, controuerſia noſtra eſt, an poſſit Pontifex in approbatione, vel reprobatione Religionis errare, approbando, vel reprobando, quæ approbanda, vel reprobanda non eſſet.

Canus. 78. Affirmat Canus lib. 5. de locis Theologicis cap. 5. circa finem. Probat 1. Quoniam Religionem approbare, vel reprobare, non tantùm eſt ſcientiæ, ſed etiam prudentiæ, in qua Pontifex errare poteſt. Secundò. De facto videmus multas Religiones ab vno Pontifice approbatas, quæ deinde tanquam *Cœleſtinus V.* noxiæ reprobatæ ſunt ab alio, vt Cœleſtinus V. confirmauit Religionem Fraticellorum: quam confirmationem poſtea inualidam de*Ioannes XXII.* clarauit Ioannes XXII. Et Paulus III. appro*Paulus III.* bauit ordinem, quem in Italia inſtituit Frater Baptiſta Cremonenſis, qui poſtea publico edicto reprobatus fuit à Venetis, & authoris doctrina Romæ damnata.

79. Negant verò reliqui recentiores Theologi, qui non dubitant hoc inter fidei dogma*Bannez. Valentia.* ta reponere: ita Bannez 2. 2. q. 1. art. 10. in breuioribus commentarijs dub. vlt. Valentia *Turrianus. Suarez. Syluius.* diſp. 1. q. 1. punct. 7. §. 40. Turrianus diſp. 16. dub. 4. Suarez diſp. 5. ſect. vlt. Syluius lib. 4. de controuerſ. qu. 2. art. 16. & alij, qui meritò Cani opinionem reprehendunt, eamque minimè tutam cenſent. Pro cuius ſententię, *quæ omnino vera eſt & ſequenda,* notandum: cùm dicitur Pontifex in approbatione, vel reprobatione Religionis errare non poſſe, non intelligitur, quòd non poſſit errare in approbando, vel reprobando plures, aut pauciores, quam approbandæ, vel reprobandæ eſſent; vel in aliqua alia circumſtantia accidentali: ſed ſolùm quòd non poſſit errare in ipſo ſubſtantiali Religionis inſtituto, approbando in eo aliquid, quod ſit contra Chriſtianam perfectionem, aut Chriſti conſilia: ſimiliter reprobando tanquam noxium Chriſtianæ perfectioni, & Chriſti conſilijs, quod eſt iuxta Euangelicam legem & perfectionem.

80. Quæ ſententia ſic declarata de fide eſt, non minùs quàm de fide eſt, non poſſe Pontificem errare in condendis legibus vniuerſalibus ad ſalutem neceſſarijs: cùm non minùs neceſſaria ſit in ſummo Eccleſiæ Paſtore infallibilis authoritas dirigendi animas fidelium, per vera & congrua conſilia ad Chriſtianam perfectionem, quàm per vera & congrua præcepta ad ſalutem: igitur ſi errare non poteſt in veris congruiſque præceptis proponendis, neque errare poterit in veris congruiſque conſilijs approbandis.

71. Confirmatur 1. Nam Pontifex approbando vnam Religionem, eo ipſo illam ſua authoritate proponit toti Eccleſiæ tanquam veram viam ad Chriſtianam perfectionem. Quapropter ſi in ea proponenda poſſet ipſe errare, tota Eccleſia errare poſſet, ſequendo vt viam ad perfectionem, quæ vera via non eſſet.

82. Confirmatur 2. Si poſſet Pontifex in ipſo ſubſtantiali inſtituto Religionis errare, approbando tanquam medium ad Chriſtianam perfectionem, quod reipſa non eſſet; vel refellendo tanquam impedimentũ ad Euangelicam perfectionem, quod reipſa impedimentum non eſſet, poſſet errare in ipſa Euangelica doctrina, cùm omnia media, quæ ad Chriſtianam perfectionem conducunt, ducantur ex doctrina Euangelica.

83. Ex dictis ſequitur, ad fidem pertinere, quod Gregorius XIII. in Bulla *Quanto fru-* *Greg. XIII.* *ctuoſius,* edita anno 1582. Calendis Februarij declarauit, *eſſe verè & propriè Religioſos, eos, qui in ipſa Societate admiſſi biennio probationis peracto, tria vota ſimplicia emittunt, non minùs quàm ſi in Profeſſorum numerum adſcripti eſſent,* Quam doctrinam ſequuntur multi docti Theologi. Et ratio eſt, quoniam hoc ſpectat ad ſubſtantiam noſtræ Religionis: ſpectat enim ad peculiarem quendam gradum noſtrę Religionis conſtantem ex Scholaſticis approbatis, qui in noſtra Religione ſubſtantialis eſt. Quare ſicut non potuit Pontifex in reliquis gradibus eiuſdem Religionis approbandis errare, ita neque in hoc, cùm ex omnibus gradibus conſtet ſubſtantialis perfectio noſtræ Religionis.

84. Ad primum Cani, negandum eſt, poſ- *Reſpondetur ad arg. 1.* ſe Pontificem errare in prudentia, quę neceſſaria eſt in confirmatione, vel reprobatione Religionis quoad ſubſtantiale inſtitutum. Sicut errare non poteſt in prudentia, quæ neceſſaria eſt in præceptione, vel prohibitione legis neceſſariæ ad ſalutem.

85. Ad ſecundum nego, vllum vnquam *Ad 2.* Pontificem Religionem approbaſſe quoad ſubſtantiale inſtitutum, quæ poſtea reprobata fuerit ab alio: ſed tantùm quæ ab vno Pontifice pro vno tempore iudicata fuit in Eccleſia vtilis, pro alio iudicata fuit inutilis & ſuperflua. Sicut accidit in ipſis legibus & ſtatutis vniuerſalibus, quæ pro vno tempore iudicantur neceſſaria & vtilia, pro alio ſuperflua & inutilia: proinde ſæpe videmus, leges ab vno conditas, ab alio abrogari tanquam non neceſſarias.

86. Cæterùm exempla, quę afferuntur, non ſunt ad rem. Nam damnatio prædictarum Religionum non fuit, quòd à Pontifice approbatæ fuerunt, quę approbandæ non erant: ſed vel quia Religioſi in ea conuiuentes defecerunt à regula à Pontifice approbata: vel quia earum authores cum ipſa regula, à Pontifice approbata, alia admiſcuerunt à vera

& ſana

Digitized by Google

& ſana doctrina aliena. Neque enim Pontifex, Religionem confirmando, hoc ipſo confirmat authorem, reliquoſque Religionis ſuperiores, vt in nouis legibus condendis errare non poſſint: ſed ſolùm Pontifex confirmat regulam, quæ ſibi ab inſtitutore confirmanda traditur. Atque in ea tantùm approbanda, vel reprobanda quoad inſtituti ſubſtantiam, non autem quoad circumſtantias errare non poteſt Pontifex.

SECTIO IV.

An poßit Pontifex errare in Canonizatione & beatificatione ſanctorum?

Bellarm. 87. CAnonizationem definit Bellarminus lib. 1. de beatitudine ſanctorum c. 7. Publicum Eccleſię teſtimonium de vera ſanctitate & gloria alicuius hominis iam defuncti: & ſimul iudicium ac ſententiam, qua decernuntur illi honores, qui debentur ijs, qui cum Deo feliciter regnant. Diſcriminatur autem Canonizatio à beatificatione, quod Canonizatio eſt per modum definitionis & vltimę ſententiæ à Pontifice latæ de ſanctitate & gloria Canonizati toti Eccleſiæ propoſiti. Beatificatio verò eſt Indulgentia ſeu conceſſio Pontificis facta alicui Prouinciæ, vel Religioni, vt poſſit aliquis defunctus Beatus appellari, eique cultus aliquis exhiberi: quæ beatificatio ſolet eſſe via ad Canonizationem. Colligitur hoc diſcrimen ex forma ipſa, qua Pontifices vtuntur in Bullis Canonizationis, & beatificationis. Nam in Bullis Canonizationis vtuntur verbis, *Definimus, decernimus, mandamus*, vt apparet in Bulla S. Franciſci de Paula, quæ à Surio refertur in eius vita, & in Bulla Sanctæ Tereſię edita à Gregorio XV. *Gregor. XV.* *Tereſiam*, inquit, *Virginem de Abula, de cuius vita ſanctitate, fidei ſinceritate, & miraculorum excellentia plenè conſtabat, & conſtat, ac ſanctam eſſe definimus, ac Sanctarum Virginum Catalogo adſcribendam decreuimus, prout præſentium tenore definimus, decernimus, & adſcribimus, illamque vniuerſos Chriſti fideles tanquam veram ſanctam honorare, & venerari mandauimus, & mandamus, ſtatuentes, vt ab vniuerſali Eccleſia in eius honorem Eccleſia, & altaria, in quibus ſacrificia Deo offerantur, ædificari, & conſecrari, & ſingulis annis die 5. Octobris, quo ad cœleſtem gloriam tranſlata eſt, eius officium vt de Sancta Virgine ad præſcriptum Romani Breuiarij celebrari poſſit.*

88. In Bulla verò Beatificationis vti ſolent verbis, *Concedimus, indulgemus* &c. vt conſtat ex Bulla Beatificationis B. Franciſci Borgię Societatis Ieſu edita ab Vrbano VIII. *Vrbanus VIII.* *Nos*, inquit, *ſupplicationibus inclinati de Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum conſilio, vt Dei ſeruus Franciſcus Borgia Beatus nuncupari, deque eo ab omnibus dicta Societatis Ieſu Religioſis vbique exiſtentibus, nec non in ditionibus familia illorum de Borgia ab omnibus Sacerdotibus, tam ſecularibus, quàm Regularibus Calendis Octobris, ipſo nempe die ſui obitus, Miſſa celebrari ac officium de communi Confeſſorum non Pontificum recitari iuxta Rubricas Miſſalis, & Breuiarij Romani reſpectiuè, liberè, & licitè valeant, Apoſtolica authoritate tenore præſentium perpetuo concedimus, & indulgemus.*

89. His præmiſſis, quęritur, an poſſit Pontifex in Canonizatione, & Beatificatione errare. Supponit autem quęſtio, ad ſummum Pontificem pertinere, ſanctos in Eccleſia Canonizare, & Beatificare. Nam licet antiquitus Epiſcopi ſoliti fuerint in ſuis dumtaxat Prouincijs & Diœceſibus Sanctos Canonizare, vt colligitur ex Cypriano lib. 3. Epiſt. 6. *Cyprianus.* in qua monet adnotari eos, qui propter fidem moriebātur, vt eorum memoria ſingulis annis celebrari poſſit: nullus tamen Epiſcopus aliquem ſanctū Canonizauit pro tota Eccleſia, imò neque nunc poſſunt pro ſuis dumtaxat Diœceſibus: quippe cūob multos abuſus, qui in huiuſmodi priuatis Canonizationibus accidere ſolebant, ſeuerè prohibitum eſt ab Alexandro III. & Innocentio III. in capite *Audiuimus*, & capite *Cùm ex eo* de reliquijs & veneratione, Sanctorum, ne vllus *Alexander III. Innoc. III.* impoſterum audeat abſque Romani Pontificis authoritate & conſenſu aliquē pro Sancto colere. Etenim ad eum ſpectat Sanctos Canonizare, cui incumbit cura Paſtoralis totius Eccleſiæ; cùm Canonizatio Sanctorum ſit præcipuus actus ſupremi Eccleſiæ Paſtoris. Atqui ad ſolum Romanum Pontificem incumbit cura ſupremi totius Eccleſię Paſtoris: igitur ad ſolum Romanum Pontificem ſpectabit Sanctos Canonizare.

90. Porrò qui primus ſolemni Ritu ac forma Sanctos Canonizauit, teſte Bellarmino *Bellarm.* lib. 1. de Sanctorùm beatitudine capite 8. fuit Leo III. qui iuxta Baroniū Anno Chriſti *Leo III. Baronius.* 804. Caroli Magni Imperatoris precibus ſolemni pompa rituque, poſt examinatam vitam, & miracula patrata, poſtque actas preces, & ieiunia celebrata, de conſenſu Cardinalium inter ſacra Miſſæ ſolemnia in Sanctorum Confeſſorum numerum retulit Beatum Suibertum Nonis Septembris: quem modum Canonizandi ſecuti ſunt poſteriores Pontifices. Cæterùm reliqui Sancti, qui Leonem III. præceſſerunt, cenſentur tacito Eccleſiæ conſenſu Canonizati, hoc ipſo, quòd ab vniuerſali Eccleſia illi honorantur & venerantur vt Sancti.

91. PRIMA igitur ſententia affirmat, poſſe Pontificem quoad Canonizationem errare, & multò magis quoad Beatificationem. Eſt Caietani tom. 1. Opuſc. tract. 15. de Indulgentijs ad Iulium Mediceū cap. 8. ad vltimū: *Caietanus.* Melchioris Cani, lib. 5. cap. 5. q. 5. Probat Canus 1. authoritate Sancti Thomæ, qui *Canus. S. Thomas.* quodlib. 9. art. vlt. non abſolutè dixit, Pontificem in Canonizatione Sanctorum errare non poſſe, ſed addidit, *piè credendum eſt, quod*

nec in his iudicium Eccleſia errare poſſit. Idem docuit cum eadem limitatione Sanctus Antoninus 3. p. titul. 12. cap. 8. Probat ſecundò ratione: quoniam Pontifex in Canonizatione Sanctorum vtitur teſtimonio humano, quod de ſe eſt fallibile. Tertiò. Qui negaret Canonizatum eſſe in cœlis, non eſſet hæreticus; ergo Canonizatum regnare cum Chriſto in cœlis, non eſt fide diuina certum.

S. Antoninus.

92. Secunda ſententia docet, Pontificem neque in Canonizatione, neque in Beatificatione errare poſſe: id tamen Diuina fide certum non eſſe. Ita Bannez 2. 2. in breuioribus Commentarijs dub. 7. concluſ. 2. Malderus dubit. 6. propoſit. 4. Suarez diſp. 5. ſect. vlt. num. 8. & alij recentiores. Pro cuius explicatione,

Bannez. Malderus. Suarez.

93. Dico 1. De fide eſt, Pontificem errare non poſſe in Canonizatione Sanctorum. Eſt Valentiæ de obiecto fidei diſp. 1. quęſt. 1. punct. 7. §. 40. Turriani ſecunda ſecundæ diſp. 17. dub. 6. qui tanquam probabile cenſet, hoc eſſe de fide. Duplex huius veritatis aſſigno fundamentum. Alterum eſt: De fide eſt, Pontificem errare non poſſe in Decretis morum obligantibus vniuerſam Eccleſiam; Decretum autem Canonizationis, eſt Decretum de moribus, & obligat vniuerſam Eccleſiam ad Canonizatum colendum venerandumve vt Sanctum: ergo de fide eſt, in tali Decreto condendo Pontificem errare non poſſe. Maior conſtat ex ſect. 2. Minor probatur, nam per Decretum Canonizationis Pontifex proponit Canonizatum celebrandũ ab omnibus fidelibus, eoſq́; obligat ad recognoſcendum illum tãquam Beatum in Cœlo regnantem, vt ex præcitata forma Canonizationis apparet. Confirmatur. Si poſſet in tali Decreto Pontifex errare, poſſet tota Eccleſia errare: nam tota Eccleſia tenetur obedire Põtifici in huiuſmodi Decreto ſeruando: igitur ſi poſſet in hoc Pontifex errare, tota Eccleſia errare poſſet. Hoc autem eſt contra illam promiſſionem à Chriſto Eccleſiæ factam Ioannis 16. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Valentia. Turrianus. Ioan. 16.

94. Dices. Pontifex ſolùm habet infallibilem authoritatem in Decretis morum de rebus ad ſalutem neceſſarijs: agnoſcere autem hunc, vel illum vt Sanctum, non eſt ad ſalutem neceſſarium: igitur in eo declarando Pontifex non habet infallibilem authoritatem. Reſpondeo, eſto hunc vel illum, vt Sanctum colere non ſit medium ſimpliciter ad ſalutem neceſſarium, eſſe tamen valdè vtile: nam Sancti non ſolùm proponuntur fidelibus vt colendi, ſed etiam vt imitandi: quod eſt medium efficaciſſimum ad fideliũ animos excitandos ad omne genus virtutum, vt quiuis Sanctorum vitas & exempla accuratè perluſtrans in ſeipſo experitur. Credendum autem eſt, Pontificem, non ſolùm infallibilem authoritatem habere in decernendis medijs ad ſalutem neceſſarijs, ſed etiam valde vtilibus, & opportunis, quale eſt Sanctorum Canonizatorum veneratio imitatioque: eſſet enim valde indecens, & contra Eccleſiæ puritatem, ſi Pontifex proponere poſſet à tota Eccleſia colendum & imitandum hominem æternùm damnatum.

95. Alterum fundamentum eſt. Quotieſcunque aliqua propoſitio reuelata vniuerſalis explicatur per aliquam particularem contingentem moraliter certam, ſub vniuerſali propoſitione contentam, talis propoſitio particularis contingens, vt explicata eſt de fide: ſed iſta propoſitio vniuerſalis reuelata, *quicunque ex hac vita decedit in gratia, ſaluatur*, poteſt explicari per hanc particularem contingentem moraliter certam ſub vniuerſali contentam, *Hic homo deceſſit ex hac vita in gratia:* ergo hæc particularis contingens, *Hic homo eſt ſaluus, & in cœlis cum Chriſto regnat, vt explicata erit de fide.* Maior conſtat ex ſuprà diſputatis. Et ratio eſt, quia quando vniuerſalis reuelatur propter particularem contingentem, de qua maior certitudo haberi non poteſt, quàm moralis, tunc moralis certitudo erit ſufficiens conditio, vt ea poſita, particularis contingens ſit de fide: vti ſuprà oſtendimus, ex eo quòd illa propoſitio vniuerſalis, *Quicunque in Cathedram Petri eſt Canonicè aſſumptus, eſt legitimus Petri ſucceſſor*, eſt reuelata propter iſtam particularem contingentem, *Hic, vel ille homo eſt in Cathedram Petri Canonicè aſſumptus*, de qua, quia nequit maior certitudo haberi, quã moralis, ea ſufficit ad credendum hanc particularem, nempe *Hic homo eſt legitimè Petri ſucceſſor*, eſſe de fide: alioqui fruſtra reuelata eſſet maior illa propoſitio, ſi nunquam poſſet per particulares contingentes moraliter certas explicari, cùm illa ſit reuelata, propter has particulares cõtingẽtes. Atqui illa propoſitio vniuerſalis, *Quicunque moritur in gratia, ſaluatur*, reuelata eſt, vt Eccleſia ſit certa ſaltẽ de aliquibus viris inſignibus, quòd in cœlis cum Chriſto regnant, vt eos venerari, inuocare, & imitari poſſit. Minor hæc probatur, nam publica fama, teſtimonium iuratum multorum de ſanctitate alicuius defuncti, miracula, præſertim poſt mortem ſecuta reddunt moraliter certam hanc particularem contingentem: *Hic homo deceſſit ex hac vita in gratia.* Nam licet gratia, cùm ſit donum internum, non poſſit per publicum teſtimonium Eccleſiæ immediatè innoteſcere, poteſt tamen illa innoteſcere per opera externa bona, quæ ſunt fructus & ſigna interioris gratiæ, iuxta illud: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Atqui Eccleſia in Canonizandis Sanctis vtitur publica fama, & teſtimonio iurato multorum, nec nõ teſtimonio miraculorũ, pręſertim poſt mortem ſecutorum: ergo Eccleſia fit moraliter certa de ſanctitate Canonizandi, proinde poteſt illum fide Diuina credendum proponere fidelibus. *Matth. 7.*

96. Dices. Eodem modo poſſet quis eſſe fide certus, quòd ſit in gratia, quia poſſet tot ſigna credibilitatis de ſuo actu contritionis

habere,

Digitized by Google

habere, vt eſſet moraliter certus de illo. Reſpondeo negando ſequelam: tum quia Deus non reuelauit illam propoſitionem vniuerſalem, *Omnis contritus eſt in gratia*, vt hic, vel ille contritus fieret certus de ſtatu gratiæ, cùm potiùs contrarium ſit expreſsè reuelatum Eccleſiaſtes 9. *Neſcit homo, vtrum amore, an odio dignus ſit:* ſed ſolùm vt excitetur ad contritionis actus eliciendos: contrà verò illa propoſitio vniuerſalis, *Quicunque in gratia Dei moritur, ſaluus eſt*, reuelata eſt, vt ſit certa Eccleſiæ, ſaltem de aliquibus inſignibus viris, vt eos venerari, inuocare, & imitari poſſit. Tum quia ſigna, quibus Eccleſia vtitur in Canonizatione Sanctorum, ſunt publica, plura, & certiora, quæ moralem dubitandi potentiam tollunt: ſigna autem, quæ vnuſquiſque de ſua contritione habet, ſunt priuata, pauciora, & incerta: Deus autem ſpeciali prouidentia aſſiſtere tenetur, ne falſum ſubſit huiuſmodi ſignis publicis, quibus aliqua veritas credenda proponitur toti Eccleſiæ, ne tota Eccleſia erret: non tenetur autem aſſiſtere priuatis ſignis, quæ hic vel ille homo de ſua contritione habet, quia ex falſitate eorum non ſequitur vniuerſalis error in tota Eccleſia. *Eccleſ. 9.*

97. Ex dictis ſequitur, optimum fundamentum habere Pontificem in definiendo & declarando aliquo Sancto: nam pro fundamento habet ipſum teſtimonium Diuinum, quo in ſacris Scipturis reuelatum eſt, omnes in gratia Dei morientes fore æternùm beatos, & cum Chriſto perpetuò regnaturos.

Concl. 2. 98. Dico 2. Non eſt de fide, Pontificem errare non poſſe in Beatificatione, prout Beatificatio condiſtinguitur à Canonizatione: eſt tamen ita certum, vt oppoſitum ſit ad minimum, temerarium, ſcandaloſum, & errori proximum. Prior pars facilè probatur. Etenim ſi eſſet de fide, Beatificatum eſſe in cœlis, in eo Canonizando Pontifex non vlteriùs procederet, maiorem diligentiam, nouumque examen inſtituendo de Sanctitate Canonizandi: quia quod eſt de fide certum, non eget vlteriori certitudine. Atqui Pontifex poſt Beatificationem, ſi ad Canonizationem procedat, non eſt contentus priori examine & diligentia pro Beatificatione facta, ſed inſtituit nouum examen, nouamque diligentiam, idque non ad externam dumtaxat ſolemnitatem & pompam, ſed ad maiorem certitudinem de ſanctitate Canonizandi habendam, vt praxis & ſtylus Curiæ docet.

99. Poſterior pars conſtat, quia cùm Beatificatio ſit potiſſimum medium ad Canonizationem, eſt enim via ad illam, vt Pontifices in Bullis Beatificationis declarant, temerarium eſſet, & errori proximum, negare beatificatum eſſe in cœlis. Nam licet illum Pontifex non definiat, eum tamen colendum proponit alicui Prouinciæ, vel Religioni, quouſque ad eius Canonizationem veniatur.

100. *Obijcies*. Omnes honores & cultus, qui exhibentur Canonizatis, exhiberi poſſunt Beatificatis, ergo eadem certitudine certum eſt, Beatificatum eſſe in cœlis, ac Canonizatum. Reſpondeo 1. negando conſequentiam: nam Canonizatis exhibentur vt debiti, & à Pontifice Apoſtolica authoritate definiti: Beatificatis verò ſolùm vt permiſſi. Reſpondeo 2. negando antecedens: nam Canonizatis in eorum cultum & honorem erigi poſſunt templa, ab omnibus ſacrum offerri, & officium recitari: Beatificatis verò nec templa erigi poſſunt, nec ab omnibus ſacrum offerri, & officium recitari, niſi dumtaxat ab ijs, quibus in Bulla expreſsè conceditur. Solùm enim Beatificatis erigi poſſunt altaria, & quidem ab ijs tantùm, quibus conceditur poſſe ſacrum offerri, non autem ab alijs, quibus non permittitur ſacrum offerri. Præterea ſacrum & officium de Canonizato poteſt cum octaua celebrari, non autem de Beatificato, niſi de expreſſa licentia Pontificis. Idem dicendum de ſacro votiuo: cùm non poſſint alij honores & cultus Beatificatis exhiberi, quàm qui in Bulla ipſa Beatificationis exprimuntur. Nam hoc ipſo, quòd tales honores & cultus reſtringuntur ad certam Religionem, certumque locum, cenſentur etiam reſtringi ad certum genus honoris & cultus, nempe ad illud, quod in Bulla exprimitur. Licet autem Beatificatis altaria erigi ab ijs, quibus conceditur in ipſorum honorem ſacrum offerri, quia hic honor eſt intrinſecè connexus cum ipſo cultu ſacrificij, cùm nequeat, niſi in altari ſacrificium offerri. Eadem eſt ratio de imagine cum radijs pingenda, vel ſculpenda etiam publicè.

101. Ad primum argumentum primæ ſententiæ ductum ex authoritate S. Thomæ, concedimus illum non expreſsè dixiſſe, hoc eſſe fide certum, ſed tantùm pium, quod ſufficit, vt ſaltem probabiliter putauerit eſſe de fide certum: quod nos hic tantùm aſſerimus. Non enim ita noſtram ſententiam cenſemus de fide, vt oppoſitam omnino improbabilem exiſtimemus, cùm non ſit hoc expreſsè definitum, ſed tantùm ex reuelatis deductum, Quod genus veritatis multi negant eſſe de fide, ſed concluſionis dumtaxat Theologicæ, vt ſuprà vidimus. *Reſp. ad 1.*

102. Ad ſecundum, concedo, Pontificem in Canonizatione ſanctorum vti teſtimonio humano, non vt motiuo credendi, ſed vt conditione explicante teſtimonium diuinum in ſacris Scripturis vniuerſaliter reuelatum de omnibus, qui in gratia Dei moriuntur. Adde, huiuſmodi teſtimonium eſſe publicum, cui ex ſpeciali prouidentia Deus aſſiſtere tenetur, ne, ſi illud falſum ſit, tota Eccleſia errare poſſit. Confirmatur, nam etiam in hac, vel illa Scriptura canonica proponenda, in hac, vel illa traditione Apoſtolica declaranda, vtitur Pontifex vt conditione explicante, publico teſtimonio humano Eccleſiæ. *Ad 2.*

103. Ad

103. Ad tertium Reſpondeo, ideo negantem Canonizatum eſſe in cœlis cum Chriſto regnantem, non eſſe hæreticum, quia noſtra ſententia non eſt expreſsè de fide, ſed tantùm probabiliter: adeoque propter probabilitatem oppoſitæ ſententiæ, qui negaret, noſtram ſententiam eſſe fide certam, non eſſet hæreticus.

DISPVTATIO VIII.

De authoritate Concilij.

HActenvs de authoritate Pontificis, qui eſt Regula animata Eccleſiæ in controuerſijs fidei decidendis: quoniam verò etiã Concilium cum Pontifice concurrit ad eaſdem controuerſias fidei dirimendas, examinandum erit, quanta, qualis, & quæ ſit eius authoritas in cauſis fidei definiendis. Sed antequam hanc quæſtionem decidamus, aliqua ſunt de natura Conciliorum præmittenda.

SECTIO I.

Quid, quotuplex, & an neceſſarium ſit Concilium ad controuerſias fidei definiendas?

Concilium quid. 1. DEfiniri poteſt Concilium, Congregatio Primorum Eccleſiaſticorum ſub vno certo capite ad controuerſias fidei definiendas, legeſque vniuerſales ad totius Eccleſiæ mores ſpectantes condendas. Vt enim ſe habent Comitia in Regno, vbi Proceres Regni conueniunt propter ſubortas lites componendas, legeſq; vniuerſales pro Regni conſeruatione ferendas; ita ſe habent Cõcilia in Eccleſia, in quibus primores Eccleſiæ conueniunt ad controuerſias fidei in Eccleſia exortas terminandas, legeſque vniuerſales pro morum reformatione ſanciendas. Sunt autem Eccleſiaſtica Concilia non tantùm de iure Naturali, ſed etiam Diuino, vt rectè contra Pighium notauit Canus lib. 5. de locis Theologicis: *Canus.* cùm non tantùm ius naturæ dictet, in grauioribus cauſis conuocandos eſſe viros authoritate & doctrina in Eccleſia pollentes, ſed etiam ius Diuinum hoc ipſum inſinuet Matth. 18. *Matth. 18.* *Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Dicitur autem Concilium eſſe Congregatio Primorum: quia, vt infrà conſtabit, ad Concilium vocari non debent, niſi principales Eccleſiæ Prælati, qui tantùm ius habent dicendi in Concilijs. Dicitur ſub vno certo Capite: quia non eſt Concilium, ſed Conciliabulum, quod non eſt congregatum ſub vno certo capite & Paſtore Eccleſiæ. Demum dicitur ad controuerſias fidei definiendas, legeſque vniuerſales condendas; quibus inſinuatur cauſa finalis, propter quam ſolent Concilia in Eccleſia cogi.

2. Porrò Concilia alia ſunt generalia, ſiue Oecumenica, hoc eſt Orbis terrarum: *Concilium quotuplex.* Alia Nationalia vnius Regni vel Regionis: Alia Prouincialia vnius Prouinciæ: Alia demum Diœceſana vnius tantùm Diœceſis. Ex Generalibus, quę hactenus in Eccleſia numerantur 31. aliqua ſunt legitima, & quoad omnia approbata, quæ octodecim recenſentur, vt ex ijs, quæ diſp. 6. ſect. 3. diximus, cuius conſtare poterit: Aliqua vt omninò illegitima, & quoad omnia reprobata, quæ Conciliabula dicuntur, & octo à Bellarmino recenſentur: Aliqua partim approbata, partim reprobata, quæ quatuor ſunt, Sardicenſe, Lyrmienſe, Conſtantienſe, Baſileenſe: Alia nec reprobata, nec approbata, quod vnum tantùm profertur Concilium Piſanum coactum Anno 1409. ad tollendum Schiſma inter Gregorium XII. & Benedictum XIII.

3. Supereſt præcipua difficultas, an Concilium ſit neceſſarium ad res fidei certo definiendas. Qui putant, vel Concilium eſſe ſupra Pontificem, vel Pontificem non poſſe quidquam ad fidem pertinens abſque authoritate Concilij infallibiliter definire, omnino putant, Concilium eſſe neceſſarium ad controuerſias fidei certò definiendas. Sed quoniam de prima quęſtione ex profeſſo diſputandum eſt ſect. vlt. de ſecunda verò diſputatum eſt diſp. pręcedente ſect. 1. ideò breuiter,

4. Dicendum eſt, nullum Concilium eſſe ſimpliciter neceſſarium ad cauſas fidei definiendas. Fundamentum eſt, quoniam etſi debeat Pontifex, antequam ad controuerſias fidei definiendas accedat, conſulere viros doctos & peritos in controuerſia definienda; non tenetur tamen eos in vnum ſimul cogere, ſed poteſt priuatim ijs rem examinandam tradere, & poſtea viſis, perpenſiſque eorum iudicijs ac ſententijs, rem totam ipſe definire. Talis enim diligentia ſufficiens eſt, vt ea præmiſſa, Spiritus ſanctus ſuam in re definienda non neget Pontifici aſſiſtentiam.

5. Confir-

Digitized by Google

5. Confirmatur, quia dari poſſet caſus, in quo Pontifex non poſſet viros doctos ſimul congregare, eoſque ſic congregatos conſulere: & ex alia parte vrgere poſſet neceſſitas declarandi aliquid de fide: in tali enim caſu deberet eſſe in Eccleſia medium, quo poſſet Pontifex vrgenti neceſſitati occurrere; cumque in eo caſu non poſſet per Concilium Doctorum congregatum vrgenti neceſſitati occurrere, poterit, & debebit per priuatam conſultationem ſingulorum. Hinc à fortiori ſequitur, nullum Concilium nec Generale, nec Prouinciale eſſe ſimpliciter neceſſarium ad fidei controuerſias decidendas. Dixi *ad fidei controuerſias decidendas:* nam ad rectam Eccleſiæ gubernationem negari non poteſt, quin aliquod Concilium neceſſarium ſit.

Matth 16.

6. Dices. Ex præcitatis verbis Chriſti: *Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum:* manifeſtè colligitur, aliquod Concilium eſſe neceſſarium, vt Chriſtus ſuam in rebus fidei definiendis aſſiſtentiam præſtet. Reſp. 1. citata verba promittere quidem Chriſti aſſiſtentiam, ijs, qui Chriſti nomine congregantur, haud tamen eandem aſſiſtentiam negare ijs, qui non ſunt ſimul loco congregati. Reſp. 2. verè tales dici poſſe in Chriſti nomine congregatos: nam licet non ſint ſimul congregati loco & corpore, ſunt tamen ſimul congregati animo & Spiritu authoritate Pontificis, qui vt Chriſti Vicarius eos conſulendo, dicitur congregare, ad eandem veritatem examinandam.

SECTIO II.

Cuius ſit Concilium congregare, eiq́; præſidere?

7. Videtur hæc quæſtio ex diſp. 6. ſect. 3. ſoluta, vbi longa ſerie omnium Conciliorũ Generalium, quæ hactenus in Eccleſia Dei habentur vt legitimè congregata, oſtendimus contra hæreticos, ſemper in ijs præſediſſe Romanum Pontificem, vel eius legatos: proinde eiuſdem etiam Romani Pontificis fuiſſe, talia Concilia congregare: verùm ad multa dubia ſoluenda, quorum ſolutionis opportunitas ibi non fuit, eſt hæc quæſtio hoc loco neceſſaria.

Error hæreticorum.

8. Affirmant hæretici, ſolius Imperatoris eſſe Concilium Generale congregare; præſidere verò eſſe vel Imperatoris, vel alicuius ab ipſo Imperatore, vel Concilio ſubſtituti: reliqua verò Concilia non Generalia congregare, eiſque præſidere, vel eſſe Patriarchæ aut Primatis, ſi ſint Notionalia; vel Metropolitę, ſi Prouincialia; vel Epiſcopi, ſi Diœceſana ſint. Ita Caluinus de fide cap. 8. n. 113. *Quantum ad Synodos,* inquit, *conuocandas, hoc erat Metropolitæ cuiuſque officium, vt Prouincialem Synodum ſtatis temporibus cogeret. Vniuerſale autem Concilium indicere, ſolus Imperator poterat.* Idem repetit num. 205. vbi etiam mentionem facit de reliquis Synodis particularibus, quas conuocare, eiſque præſidere, pertinere ait ad Epiſcopum, ſi ſint Diœceſana; vel ad Patriarcham, ſi ſint Prouincialia, vel Nationalia. Hæc autem nulla alia ratione probat, niſi quia nullum Concilium Generale ex quatuor illis primis, Nicæno, Conſtantinopolitano, Epheſino, Chalcedonenſi in Eccleſia Dei congregatis, alterius iuſſu & authoritate, quàm Imperatoris & congregatum, & rectum legitur.

Caluinus.

Sententia Catholica.

9. At verò Catholici affirmant, Concilium Generale indicere, eiq́ue præſidere, eſſe ſolius Romani Pontificis, vel per ſe, vel per alium à ſe ſubſtitutum: licet reliqua non generalia & cogi, & regi poſſint ab immediatis ſuis Capitibus, quę tamen poteſtatem dependenter habent à ſummo Pontifice, licet ordinario iure annexam ſuo Paſtorali officio. Quoad hanc poſteriorem partem nobiſcum vt vidimus, conueniunt hæretici. Prior verò manet ſuprà probata, vbi oſtendimus, nullum hactenus fuiſſe generale Concilium in Eccleſia Dei vt legitimum iudicatum, quod authoritate Romani Pontificis & congregatum, & rectum non fuerit vel per ipſum Pontificem, vel per ſuos legatos. Eamque ex Apoſtolorum traditione confirmant duo ſummi Pontifices, Marcellus I. in ſua Decretali ad Epiſcopos Antiochiæ, quę habet in 1. tomo Concil. p. 1. pagina 186. his verbis: *Simulque ijdem,* nempe Apoſtoli, *inſpirante Domino, conſtituerunt, vt nulla Synodus fieret, præter eiuſdem Sanctæ Romanæ ſedis authoritatem, nec vllus Epiſcopus, niſi in legitima Synodo ſuo tempore Apoſtolica authoritate conuocata* &c. & Iulius I. in Epiſtola ad Orientales Epiſcopos, quæ habetur in eodem 1. tom. Concil. p. 1. pagina 384. *Dudum,* inquit, *à Sanctis Apoſtolis, ſucceſſoribuſque eorum in præfatis antiquis decretum fuerat ſtatutis, quæ hactenus Sancta & Vniuerſalis Apoſtolica tenet Eccleſia, non oportere præter ſententiam Romani Pontificis Concilia celebrari* &c. Quod decretum docet vnanimiter admiſſum & confirmatum fuiſſe à Generali Synodo Nicæna.

Marcell. I.

Iulius I.

10. Quæ veritas probatur hac ratione, Eius eſt Generalem Synodum conuocare, eiq́ue prę̨ſidere, qui authoritatem in ſpiritualibus habet ſupra totam Eccleſiam. Atqui ſolus Pontifex Romanus in ſpiritualibus authoritatem habet ſupra totam Eccleſiam: ergo ſolius Pontificis Romani eſt, Generalem Synodum conuocare, eiq́ue præſidere. Maior eſt nota, quia Concilium congregare, eiq́ue prę̨ſidere, eſt actus Iuriſdictionis ſpiritualis, cùm omnium Conciliorum Eccleſiaſticorum conuocatio ſit propter finem aliquem ſpiritualem ordinatum ad ſalutem ſpiritualem animarum: igitur eius erit, illud congregare, eiq́ue præſidere, qui talem poteſtatem habet ſupra totam Eccleſiam. Minor probatur, tum quia nullus hactenus præter Pontificem Romanum, hinc ſpiritualem Iuriſdictionem ſupra totam

Eccleſiam ſibi vſurpauit: tum quia ei tantùm hęc ſpiritualis iuriſdictio ſupra totam Eccleſiam competit, qui in Regimine vniuerſalis Eccleſiæ ſuccedit Petro: atqui vt ſuprà probatum eſt, ſolus Pontifex Romanus in Regimine vniuerſalis Eccleſiæ ſuccedit Petro: igitur ſoli Romano Pontifici competit hæc ſpiritualis iuriſdictio in totam Eccleſiam.

11. Confirmatur 1. omnes Principes ſeculares ſunt oues Chriſti paſcendæ doctrina Petri: ad Paſtorem autem, non ad oues ſpectat, gregem congregare: igitur ad Petrum, & ſucceſſores eius, non ad Principes ſeculares pertinet, Concilia Congregare. Maior conſtat ex illis verbis Chriſti Ioannis vltimò: *Paſce oues meas*, à quibus non excluſit Principes ſeculares, ſed illos maximè incluſit, cùm illi maximè egeant doctrina fidei. *Ioan. vlt.*

12. Confirmatur 2. Nam ideò per aduerſarios conuocare Concilium Nationale, eique præſidere, pertinet ad Patriarcham ſeu Primatem, Prouinciale ad Metropolitam; Diœceſanum ad Epiſcopum, & non ad Regem, Principem, aut Ducem, quia illi, non hi habent ſpiritualem iuriſdictionem in Eccleſias ſibi commiſſas: ergo ad ſummum Pontificem, & non ad Imperatorem ſpectabit, conuocare Concilium vniuerſale, quia ille, non hic, habet ſpiritualem iuriſdictionem in totam Eccleſiam. Quòd autem Imperatores ſpiritualem iuriſdictionem in Eccleſiam non habeant, ipſimet Imperatores fatentur, vt citata diſp. ſect. 1. vidimus.

Reſpondetur ad fund. Caluini.

13. Ad rationem autem Caluini deſumptam ex facto ipſo, quòd ſemper Concilia Generalia conuocata ſint ab Imperatoribus, & non à Romanis Pontificibus, primò falſum eſt, nam pręter Concilia Generalia, quæ ope & auxilio Imperatorum celebrata ſunt in Oriente, multa alia celebrata ſunt in Occidente ſola authoritate Romani Pontificis. Secundò. Illa eadem Generalia Concilia, quæ congregata ſunt ope & auxilio Imperatorum, nonniſi ex conſenſu Romani Pontificis congregata ſunt, vt citato loco oſtendimus.

14. Cur autem Romani Pontifices ad cogenda Concilia Generalia in Oriente ſemper vſi ſint ope & auxilio Imperatorum, quatuor huius rei cauſas aſſignat Bellarminus lib. 1. de Concilijs & Eccleſia cap. 13. Primò, quia adhuc tunc vigebat illa lex Imperialis, quæ habetur lib. 1. ff. de Collegijs illicitis, & lege *conuenticula* C. de Epiſcopis & Presbyteris, ne ſine conſenſu & authoritate Imperatoris vllus fieret hominum conuentus. Secundò, quia cùm Patres Concilij congregari deberent in aliqua Ciuitate ſubiecta Imperatori, debebat accedere conſenſus ipſius Imp. vt in ea congregari poſſent. Tertiò, quia tunc Concilia Generalia fiebant publicis ſumptibus; proinde opus erat authoritate Imperatoris pro huiuſmodi ſumptibus faciendis à locis & Ciuitatibus ſibi ſubiectis. Quartò, quia tunc licet Pontifex Romanus eſſet in ſpiritualibus ſuperior Imperatorum, in temporalibus tamen erat illis ſubiectus, eo quòd tunc Pontifex Romanus non erat Princeps temporalis, vti nunc eſt, & ideò ad Concilia conuocanda pro auxilio petendo agnoſcebat illos vt ſuperiores. *Bellarm.*

15. *Obijcies*. Poteſt interdum legitimè conuocari Concilium generale abſque authoritate Romani Pontificis: ergo authoritas Romani Pontificis non eſt ſimpliciter neceſſaria ad legitimitatem Concilij generalis. Antecedens probatur tum in caſu, quo Pontifex tanquam hæreticus deponendus eſſet: tum ſi neceſſarium pro Eccleſiæ reformatione cenſeretur Concilium generale, & nihilominus nollet Pontifex illud propria authoritate congregare: etenim in vtroque caſu poſſet Cõcilium generale legitimè cogi abſque authoritate Romani Põtificis. Omitto alios caſus, vel quando dubius eſt Pontifex ad certum eligendum; vel quando defunctus eſt: nam tunc iure naturæ ac Diuino Eccleſia poteſtatem habet congregandi Concilium generale ad caput ſibi eligendum.

16. Reſpondeo diſtinguendo Antecedens: poteſt abſque authoritate Romani Põtificis conuocari legitimum Concilium generale habens poteſtatem definiendi infallibiliter controuerſias fidei, & leges vniuerſales ferendi obligantes totam Eccleſiam de rebus ad ſalutem neceſſarijs, nego; habens tantùm poteſtatem eligendi ſibi caput, vel iudicandi, an talis Pontifex, qui nollet Concilium generale Eccleſię neceſſarium cogere, ſuſpectus eſſet de hęreſi, ac proinde deponendus, & alius loco ipſius eligendus, concedo.

SECTIO III.

Qui, & quot vocandi ſint ad Concilium generale ius ſuffragij habentes?

17. DIxi, *ius ſuffragij habentes:* nam multi ſolent ad Concilium generale vocari, qui in cauſis fidei aut morum decidendis ius ſuffragij nõ habent, vt ſunt Doctores, qui ſolùm aduocantur ad cauſas examinandas; Principes ſeculares ad defendendum & patrocinandum; & alij ad miniſtrandum tum in temporalibus, tum in ſpiritualibus.

18. Hæretici noſtri temporis pertinaciter contendunt, ad Concilium generale aduocandos eſſe homines ex omni genere, modò docti & eruditi ſint, qui valeant de rebus fidei ſententiam ferre. Ita Lutherus, Magdeburgenſes, & Proteſtãtes apud Bellarminum lib. 1. de Cõcilijs cap. 15. Probant, quoniam & Apoſtoli ad Concilium Ieroſolymis coactũ vocarunt omnes: ſiquidem Act. 15. dicuntur ad illud conueniſſe Apoſtoli & ſeniores. *Error hæreticorum.* *Lutherus Magdebur. Proteſtãt.* *Actor. 15.*

Et Nicolaus

Nicolaus I. Et Nicolaus I. in Epiſtola ad Michaëlem Imperatorem, quæ refertur Canone *Vbi nam* diſt. 96. id apertè docet: *Vbi nam*, inquit, *legiſtis Imperatores Anteceſſores veſtros Synodalibus Conuentibus interfuiſſe? niſi fortè in quibusdam, vbi de fide tractatum eſt, quæ vniuerſalis eſt, quæ omnium communis: quæ non ſolum ad Clericos, verùm etiam ad Laicos, & ad omnes omnino pertinet Chriſtianos.* Vbi etiam cauſam aſſignat, cur aduocandi ſint omnes, quia nimirum in Concilio Generali agitur de fide, quæ ad omnes ſpectat Chriſtianos, quod eſt potiſſimum fundamentum Hæreticorum. Confirmant, quia Concilium Generale repræſentat vniuerſam Eccleſiam: ergo in eo conuenire debet ex omni genere hominum.

Sententia Catholica. 19. Negant vero Catholici, ad Concilium Generale aduocandos eſſe omnes, ſed Primores dumtaxat Eccleſiæ Prælatos, cuiuſmodi ſunt Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchę, Primates omnes, nec non Cardinales, etiamſi Epiſcopi non ſint; Abbates verò & Generales Religionum non niſi ex priuilegio & conceſſione Pontificum: Laicos autem nullo modo, niſi fortè vel ad diſputandum, ſi docti ſint; vel ad patrocinandum, vt Principes ſeculares; vel ad miniſtrandum.

20. Quòd non ſint aduocandi omnes tanquam ius ſuffragij habentes, primò cōſtat ex continua praxi & conſuetudine Eccleſiæ: nunquam enim ad Concilia Generalia vocati ſunt, vt ſuffragium ferrent Laici, quantumuis docti & eruditi. Vnde in nullo Concilio leguntur Laici ſubſcripſiſſe: quòd ſi aliqui Imperatores ſubſcripſerant, id non fecerunt ſuffragium ferentes, ſed ſolùm conſentientes ijs, quæ in Concilio definita fuerant. Non enim ſubſcribebant. *Ego N. definiens*, ſed: *Ego N. conſentiens ſubſcribo.* Confirmatur, nam in veteri lege ius ſuffragij in definiendis cauſis ad Religionem ſpectantibus, non habebant niſi ſoli Sacerdotes, vt conſtat Deut. 17. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter cauſam & cauſam, ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis.* *Deut. 17.*

21. Id ipſum probatur euidenti ratione. Etenim ij tātùm cum iure ſuffragij ad Concilium vocandi ſunt, qui ſpiritualem Iuriſdictionem habent. Atqui Laici nullam de iure ſpiritualem Iuriſdictionem habent: igitur cum iure ſuffragij ad Concilium vocandi non ſunt. Minor patet, nam omnis ſpiritualis iuriſdictio fundatur in aliquo ordine Eccleſiaſtico: Laici autem ſunt extra omnem ordinem Eccleſiaſticum. Maior probatur, quoniam, vt infrà conſtabit, Concilium procedit in cauſis definiendis more definitiuo ac deciſiuo, qui ſpiritualem iuriſdictionem ſupponit in definiente ac decidente.

22. Quòd autem vocandi ſint Primores Eccleſiæ Prælati, cuiuſmodi ſunt Epiſcopi, & Reliqui Epiſcopis ſuperiores, primò id confirmat perpetuus Eccleſiæ vſus. Nunquam enim iudicatum eſt Concilium Generale, niſi, vbi Primores totius Eccleſiæ Prelati conuenerint. Vnde ſępe à Patribus Concilij Chalcedonenſis conclamatum fuit: *mitte foras ſuperfluos: Concilium Epiſcoporum eſt.* Secundò probatur ratione, nam omnes Epiſcopi ex proprio officio habent plenam iuriſdictionem ſpiritalem paſcendi oues Chriſti in Eccleſia Dei: igitur omnes Epiſcopi habent ius ſuffragij in Concilio. Antecedens conſtat ex illis verbis Pauli Act. 20. *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus poſuit vos Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* *Act. 20.* Vnde ſicut ordo ipſe Epiſcopalis inſtitutus eſt à Chriſto, ita ex inſtitutione eiuſdem, cum dependentia tamen à ſummo Pontifice, vt diſp. 6. ſect. vlt. probatum eſt, eſt illi annexa iuriſdictio animarum paſcendi oues Chriſti in Eccleſia. Conſequentia verò probatur, nam ad eos pertinet, iudicare ac definire, quæ ſint vera animarum paſcua, quorum eſt animas paſcere. Omnium autem Epiſcoporum eſt, animas fideles paſcere doctrina fidei & morum: omnes igitur Epiſcopi in Concilio Generali ius habent definiendi, quæ ſint vera paſcua animarum, quod eſt habere ius ſuffragij.

23. Confirmatur. Omnes ij ius ſuffragij in Concilio habent, quibus conceſſæ ſunt claues ligandi & ſoluendi. Atqui omnibus Epiſcopis conceſſæ ſunt claues ligandi & ſoluendi: igitur omnes Epiſcopi ius habent ſuffragij in Concilio. Maior elucet, nam ſuffragium in cauſis fidei definiendis eſt maximus actus clauium, quo vel ligantur animæ fidelium ad doctrinam fidei ſequendam, vel ſoluuntur ab oppoſito errore profitendo. Minor probatur, nam omnes Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis, quibus dictum eſt Matth. 18. *Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo. & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælo.* *Matth. 18.* Dubitatur de Epiſcopis Annularibus, an ius ſuffragij in Concilio habeant. Negant Canus lib. 5. de locis Theologicis cap. 2. qui ait, eos ſine cauſa interdum fuiſſe in Synodum admiſſos: & Bannez 2. 2. quæſt. 1. art. 10. in breuioribus Commentarijs dub. 3. Cęterùm Suarez diſp. 11. ſect. 1. ait, eos poſſe quidem in Concilium vocari, non tamen eſſe neceſſarium. *Canus. Bannez. Suarez.* Vnde videtur cenſere, eos per ſe ius ſuffragij non habere, alioqui non poſſent iuſtè à Concilio excludi, poſſe tamen illis tale ius conferri. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia tales Epiſcopi carent iuriſdictione.

Malderus. Turrianus. 24. Affirmant Malderus 2. 2. tract. de Concilijs diſp. 1. dub. 4. Turrianus diſp. 18. dub. 2. *Quæ ſententia probabilior eſt.* Ratio eſt, quoniam hi ſunt verè Epiſcopi, quorum officio per ſe annexa eſt poteſtas ius dicendi in publicis comitijs Eccleſiaſticis: & ſolùm defectu materię ſuam iuriſdictionem in ſubditos exercere non poſſunt.

25. De Cardinalibus, qui Epiſcopi non ſunt, maior eſt difficultas, an

gaudeant iure in Concilio Generali ſuffragium ferendi. Negans Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 15. Turrianus ſupra citatus, qui ſolùm aiunt, hoc ius illis competere ex conſuetudine & priuilegio, non ex officio, non ſecus ac Abbatibus, & Religionum Generalibus.

Bellarmin. *Turrianus.*

Suarez.

26. Affirmat verò Suarez loco prænotato. *Quæ ſententia magis arridet*: probatique poteſt 1. quoniam ex quo cœpit dignitas & vſus Cardinalium in Eccleſia, ſemper fuerunt ad Concilia Generalia vocati, vt conſtat ex eorum ſubſcriptionibus in varijs Concilijs: Abbates verò, & Generales ordinum ad Concilia vocari cœperunt ſub Eugenio IV. ad Concilium Florentinum. Secundò, quia licet Cardinales non habeant Iuriſdictionem in certas perſonas ſibi aſſignatas, ſunt tamen ex officio & munere, quo funguntur, Principes Eccleſiæ, vniuerſali bono prouidentes, ad id conſtituti vel à Deo, vt cenſet Turrecremata, vel ab ipſa Eccleſia, vt Sotus, & Victoria putant apud Suarez loco præcitato. Igitur ad eos maximè ſpectat ius dicendi in publicis atque Eccleſiaſticis Comitijs, ad vniuerſale totius Eccleſiæ bonum congregatis.

Eugenius IV. *Conc. Florent.*

Sotus *Victoria.*

27. Quòd autem neque Abbatibus, etiamſi exempti ſint, & Epiſcopalem quaſi Iuriſdictionem habeant, neque Generalibus ordinum hoc ius ex officio competat, conſtat, tum quia non ſemper ſunt ad Concilia admiſſi: alioqui, ſi per ſe ad ea ius haberent, excludi non potuiſſent. Quòd autem non ſemper fuerint admiſſi, colligitur ex Concilio Chalcedonenſi, ad quod cùm loco Dioſcori aliqui Monachi admiſſi fuiſſent, clamarunt Patres, *foras mitte ſuperfluos: Concilium Epiſcoporum eſt*. Qua voce non ſolùm excluſerunt Laicos, & Religioſos, ſed etiam Abbates & Archimandritas: tum quia, vt conſtat ex literis Theodoſij Imperatoris ad Dioſcorum, quæ habentur in Concilio Chalcedonenſi actione 1. ex priuilegio admiſſus eſt ad Concilium Epheſinum Barſuma Presbyter Archimandrita. Quòd autem ex priuilegio, & non iure ille ad Concilium admiſſus fuerit, patet: tum quia Imperator rogat Dioſcorum Epiſcopum Alexandrinum, vt illum dignetur inter reliquos Patres & Epiſcopos in ſanctam Synodum ſuſcipere: ſi autem ius ad Synodum habuiſſet, non opus fuiſſet Imperatoris precibus, ſicut idem Imperator non rogauit pro Epiſcopis, vt in Synodum ſuſciperentur: tum quia excluſis alijs Archimandritis, qui tunc erant in oriente, ſolum iſtum elegit, quos tamen excludere non potuiſſet, ſi ius ad Concilium habuiſſent.

Conc. Chalcedon.

28. Dices, Etiam Abbates & Generales Ordinum habent ſpiritualem Iuriſdictionem in ſuos ſubditos: ergo ius habent dicendi ſententiã in Comitijs Eccleſiaſticis. Reſp. negando conſequentiam: etenim non quæuis ſpiritualis Iuriſdictio ſufficit ad dicendum ius in Comitijs Eccleſiaſticis, ſed neceſſaria eſt publica & primaria, cuiuſmodi non eſt Iuriſdictio Abbatum & Generalium Religionum.

29. Ex his à fortiori conſtat, nullum ius ad Concilium habere Laicos: quin cenſet Suarez loco prænotato, nec eos capaces eſſe talis Iuris: Vnde nec poteſt Pontifex illis ius ſuffragij in Concilio conferre. Quod conſtar à poſteriori, quia nunquam Laici, quantumuis doctiſſimi, Concilio ſubſcripſerunt, niſi interdum Imperatores, non vt definientes ac ſuffragium ferentes, ſed tantùm vt conſentientes vt ſuprà dictum eſt.

Suarez.

30. Ad 1. argumentum Hæreticorum Reſp. 1. per ſeniores intelligi poſſe Epiſcopos ab Apoſtolis creatos. Secundò etiamſi intelligamus reliquos Epiſcopis inferiores, eos tamen non fuiſſe admiſſos ad ſuffragium ferendum, ſed vel ad Conſilium dandum, vel ad conſenſum præbendum ijs, quæ ab Apoſtolis definita fuiſſent. Idque non obſcurè colligitur ex textu, vbi poſtquam *magna conquiſitio* facta eſſet, qui in eo Concilio inducuntur ſententiam dicentes, ſunt Petrus, Iacobus, Paulus, & Barnabas, reliqua multitudine primùm tacente, poſtea conſentiente ijs, quæ ab Apoſtolis definita fuere.

Reſpõſio 1.

31. Ad 2. Reſp. id Nicolaum dixiſſe, non quod putaſſet, ad Concilium vocandos eſſe Laicos ad ſuffragium ferendum, ſed ſolùm ad conſentiendum, & amplectendum ea, quæ in Concilio definita eſſent. Atque hoc tantùm probat cauſa ibidem à Pontifice aſſignata. Ad confirmationem, ad hoc vt Concilium Generale totam Eccleſiam repræſentet, neceſſe non eſt, vt in ſe totam Eccleſiam includat, ſed ſufficit, ſi tantùm Primores Eccleſiæ Rectores ac Paſtores: ſicut comitia Regni repræſentant totum Regnum, & Generalia Capitula Religionum, totam Religionem per Primores duntaxat Regni, & Religionum.

Ad 2.

SECTIO IV.

Quot ſuffragium habentes vocandi ſint & ſufficiant ad Concilium Generale?

32. Ratio dubitandi eſt, quoniam ex vna parte nullus, qui in Concilio ſuffragium habet, excludendus eſt: ex alia parte difficile eſt, & moraliter impoſſibile, vt omnes ſuffragium habentes ad Concilium admittantur. Vnde fit, vt nullum Concilium hactenus in Eccleſia celebratum mereri poſſit nomen Concilij Generalis. Confirmatur, quia Concilium Generale debet actu repræſentare vniuerſam Eccleſiam: non debet autem illam repræſentare per con-

Digitized by Google

gregationem omnis generis hominum; ergo ſaltem per congregationem omnium eorum, qui ius ſuffragij habent in publico conſeſſu.

Concl. 1.

33. Dico 1. Ad Concilium Generale neceſſaria eſt vocatio Generalis omnium, qui ius ſuffragij habent: tametſi neceſſum non ſit, vt talis vocatio ad ſingulos perueniat, modò ad eos moraliter peruenire poſſit. Prima pars probatur, quia nullus poteſt à Cõcilio Generali excludi, qui ius habet ſuffragij: igitur omnes ius ſuffragij habentes vocandi ſunt: ergo vocatio debet eſſe ad õnes. Poſterior conſequentia clara eſt. Prior euidenter deducitur ex antecedente, quia ſi nullus ius ſuffragij habens à Concilio excludi poteſt, nec poſſint ad Concilium venire omnes, niſi Generalis vocatio fiat ad omnes, neceſſariò ſequitur, vocationem debere eſſe Generalem ad omnes, quamuis non ſit neceſſe, vt fiat ad ſingulos in particulari. Antecedens probatur nam excludere à Concilio aliquem, qui ius habet ſuffragij, eſt contra formam Concilij Generalis, quod eſt Cœtus & cõgregatio omnium ius ad illud habẽtiũ. Confirmatur, nam excludere aliquẽ à Concilio, qui in illud ius habet, eſt pœna, quę ſine certa & explorata cauſa infligi non poteſt.

34. Secunda pars patet: Quoniam vt lex ſit vniuerſalis, & obliget omnes, neceſſe non eſt, vt intimetur ſingulis, ſed ſufficit, ſi in communi promulgetur omnibus, nullo excepto: ergo vt vocatio ſit Generalis, & obliget omnes, & ſingulos ius ſuffragij habentes, ſufficit, vt fiat omnibus in cõmuni, nullo in particulari excluſo: nam ipſa vocatio in communi facta clamat ad ſingulos.

35. Tertia pars oſtenditur: quoniam, vt vocatio ſit Generalis, ſufficit, vt moraliter peruenire poſſit ad notitiam ſingulorum, eſto de facto illa non perueniat ad notitiam aliquorum, nam hoc eſt per accidens, & præter intentionem vocantis, qui huiuſmodi fortuitos & accidentarios caſus vitare non tenetur, cùm nec moraliter poſſit, modò ex ſe adhibeat ſufficientia media, vt ad ſingulos peruenire poſſit.

36. Ex dictis infertur, nullum Epiſcopum, vndecunque veniat modò excommunicatus, vel Hæreticus non ſit, neque vllum alium, qui ex officio ius ſuffragij habet excludi poſſe: quoniam vocatio Generalis, qualis requiritur ad Concilium vniuerſale, nullum excludit.

Difficultas 1.

37. Difficultas eſt de ijs, qui tantùm ex conſuetudine & priuilegio ius ſuffragij in Concilio habent, cuiuſmodi ſunt Abbates & Generales ordinum, qui ab Eugenio IV. ad Concilium Florentinum vocari cœperunt, an hi vi tantùm promulgationis Generalis vocationis, etiamſi nulla eorum fiat ſpecilialis mentio, ad Concilium venire poſſint.

38. Negantem partem poſſet quis hoc argumento apparenter tueri. Hoc ius non competit eis ex officio, ſed tantùm ex conceſſione Pontificis: ergo hoc ipſo quòd Pontifex expreſsè illos ad Concilium non vocat, non cenſentur eſſe vocati, ac proinde venire non poſſunt. Affirmans tamen pars longè probabilior eſt, tum quia, cùm ſit priuilegium, hoc ipſo quòd Pontifex expreſsè non reuocat, præſumitur conſeruatum velle, cùm iuxta 16. Regulam iuris in 6. *deceat conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum*: tum quia, vt Iuriſtæ docent, ad præſcribendum conſuetudine ea, quæ rarò fiunt, ſufficiunt duo actus. Atqui ad minimum ter ſunt Abbates & Generales ordinum ad Concilium Generale vocati: primò ad Concilium Florentinum, ſecundò ad Lateranenſe ſub Leone X. tertiò ad Tridentinum, vt ex ipſorum ſubſcriptionibus conſtat. Ergo conſuetudine præſcripſerunt: ac proinde niſi expreſsè hęc cõſuetudo à Pontifice abrogetur, vi ſolius Generalis vocationis ad Concilium venire poſſunt.

Conc. Flor. Lateranen. Tridenc.

Difficultas 2.

39. Sed adhuc grauior ſupereſt difficultas, an ſit illegitimum cenſendum illud Cõcilium, quod vel ad ſuffragium admittit, qui ſuffragio caret: vel à ſuffragio excludit, qui iure ſuffragij gaudet. Ratio dubitandi pro negatiua parte eſſe poteſt: quia, cum vltima ſententia & deciſio eorum, quæ in Concilio Generali peraguntur, non pendeat à pluralitate ſuffragiorum, ſed à definitione Pontificis, qui poteſt etiam contra plura ſuffragia rem definire, cùm ſolus ipſe independenter à Concilio in definiendis controuerſijs fidei Spiritus ſancti aſſiſtentiam habeat; parum refert quòd vel ad Concilium admittatur qui ius ſuffragij non habet, vel excludatur, qui iure ſuffragij gaudet.

40. Ratio verò dubitandi pro parte affirmante eſt: quoniam etſi vltima ſententia & infallibilis deciſio controuerſiæ in materia fidei pendeat à definitione ſolius Pontificis, ad eam tamen præmitti debet Canonica forma Concilij. Nam licet non teneatur Pontifex Concilium Generale conuocare ad controuerſias fidei decidendas, poſito tamen, quòd illud conuocat, tenetur ſeruare Canonicam formam ipſius. Sicut licet ad eligendum Pontificem non requirantur hæ, vel illæ leges aut conditiones, ijs tamen iure humano præſcriptis, debet Pontifex iuxta eas eligi, alioqui inualida erit eius electio. Confirmatur. In eo Concilio non præeſt Chriſtus, quod non eſt congregatum nomine Chriſti: illud autem Concilium non eſt congregatum nomine Chriſti, in quo non ſeruantur leges Canonici Concilij: ergo in eo non præeſt Chriſtus, proinde non poterunt ipſius acta eſſe valida, quæ non habent authoritatem à Chriſto.

41. In hac difficultate tria quæri poſſunt: Primum, an ſimpliciter tale Concilium dicendum ſit illegitimum: Secundum, an, non obſtante huiuſmodi defectu, poſſit à Pon-

Digitized by Google

à Pontifice legitimari: Tertium, an, ſi in tali Concilio à Pontifice non legitimato controuerſiæ fidei definirentur, Spiritus ſanctus aſſiſteret Pontifici definienti.

42. Quoad 1. negari non poteſt huiuſmodi Concilium fore illegitimum, cùm in eo non ſeruaretur forma Concilijs Generalibus præſcripta. Atque hoc probat ratio dubitandi adducta pro parte affirmante.

43. Quoad 2. omnino exiſtimo, tale Concilium legitimari poſſe à Pontifice. Ratio eſt, quia, cùm hæc ſint iuris Eccleſiaſtici poſitiui, pendent à poteſtate Pontificis, vt ea variari ac mutari poſſint. Vnde etiamſi ad Concilium vel admiſſus ſit, qui ius ſuffragij non habet, poteſt cum illo, modo incapax non ſit, diſpenſare, vt ſuffragium ferat, ſicut diſpenſatum eſt cum Abbatibus & Generalibus Ordinum, qui antea nullum ius ſuffragij in Concilio habebant: vel excluſus, qui ius ſuffragij habebat: nam ſicut poteſt illum ea dignitate priuare, ex qua ius ſuffragij conſurgit; ita ea dignitate non obſtante, iure ſuffragij illam priuare. Et licet peccaret fortaſſe Pontifex, abſque cauſa iure ſuffragij illum priuando, non propterea Concilium foret illegitimum, quia legitimitas, vel illegitimitas ipſius non pendet à bono, vel malo opere Pontificis, ſed à lege, quam ipſemet Pontifex pro legitimo, vel illegitimo Concilio ſtatuit.

44. Quoad 3. non obſtante illegitimitate Concilij, vel quia Pontifex illud non legitimauit, vel quia ius ſuffragij conceſſit incapaci, adhuc Spiritus ſanctus aſſiſteret Pontifici confirmanti ea, quæ in tali Concilio definita eſſent. Probatur 1. nam de facto Pontifices aliquando approbarunt aliqua in Concilijs illegitimis definita, vt fecit Nicolaus V. qui approbauit quædam in Concilio Baſileenſi definita, adhuc dum illud eſſet illegitimum Concilium declaratum. Secundò id ipſum confirmat ratio dubitandi pro parte negante: quam ſic amplius explico. Definitio Pontificis in cauſa fidei & morum vniuerſalium Eccleſiæ non pendet à definitione Concilij quoad ſuam validitatem & infallibilitatem, ſed ſolum quoad directionem & controuerſiæ diſcuſſionem, quam Chriſtus requirit in ſuo Vicario, vt illi in definitione Catholicæ veritatis aſſiſtat: hæc autem fieri poſſunt in Concilio, etiam illegitimo, vt per ſe patet. Igitur illegitimitas Concilij non obeſt infallibili definitioni Pontificis.

Nicolaus V.

45. Dices. Concilio illegitimo non aſſiſtit Spiritus ſanctus: ergo definita in Concilio illegitimo non poſſunt infallibiliter approbari à Pontifice. Reſpondeo negando Conſequentiam: nam eſto Spiritus ſanctus non aſſiſtat Concilio illegitimo, vt definiat, quæ vera ſunt: aſſiſtit tamen Pontifici, vt non definiat, niſi quæ vera ſunt. Sicut nec Spiritus ſanctus peculiari aſſiſtentia aſſiſtit Conſiliarijs Pontificis, cùm poſſint illi falſum conſulere: aſſiſtit tamen peculiari aſſiſtentia Pontifici, vt non niſi vera decernat, etiam contra ſententiam ſuorum Conſiliariorum. Ratio eſt, quia infallibilis aſſiſtentia in cauſa fidei non eſt promiſſa vel Concilio, vel Conſiliarijs Pontificis, ſed ipſi Pontifici. Licet igitur vel Concilium erret, vel Conſiliarij, non ſeruando Canonicam formam Concilij, aut aliter iudicando, ac re ipſa eſt, non errabit Pontifex, cui ſpecialiter à Chriſto promiſſa eſt infallibilis aſſiſtentia Spiritus ſancti. Atqui promiſſa eſt, inquies Pontifici aſſiſtentia Spiritus ſancti, præuia Canonica forma Concilij, qua non ſeruata, Spiritus ſanctus non præbebit ſuam aſſiſtentiam. Sed contrà, quoniam, vt probatum eſt, hæc conditio neceſſaria non eſt, alioqui nullus Pontifex auſus fuiſſet approbare aliquid quod in Cõcilijs illegitimis definitum fuit.

46. Ex his patet ad rationem dubitandi pro parte affirmante. Etenim licet teneatur Pontifex ſeruare Canonicam formam Concilij Generalis, ea tamen non ſeruata, negamus, Spiritum ſanctum illi non aſtiturum in cauſa fidei: quoniam aſſiſtentia Spiritus ſancti non pendet à Concilio, niſi quoad diſcuſſionem veritatis, quæ definienda eſt, quæ diſcuſſio fieri poteſt etiam ab illegitimo Concilio. Confirmatur, quia non tenetur Pontifex ad rem fidei definiendam Concilium Generale præmittere, ſed ſolùm conſulere Doctores & peritos in doctrina definienda: ergo ſolùm de neceſſitate Concilium Generale requiritur, vt in eo Controuerſiæ fidei diſcutiantur, ſiue via inquiſitionis, vt faciunt Doctores diſputando, ſiue via Iudicij, vt faciunt ius ſuffragij habentes, ſententiam ferendo. Nec eſt eadem ratio de conditionibus ad validam electionem Pontificis requiſitis: quoniam poteſtas electorum in deſignanda perſona Pontificis eſt limitata per leges à Pontificibus latas, cùm tota hæc poteſtas validè deſignandi perſonam Pontificis pendeat ex iure poſitiuo Eccleſiaſtico. At Pontifex in definiendis controuerſijs fidei non habet ſuam authoritatem limitatam ad certas leges humanas, ſed tantùm in communi, vt more humano aliquam præmittat de re definienda diſcuſſionem.

47. Ad confirmationem: eſto Chriſtus non aſſiſtat Concilio, ipſius nomine non congregato, aſſiſtit tamen ſuo Vicario, ipſius nomine ex Cathedra definienti, ac totam Eccleſiam docenti. At non definit, inquies nomine Chriſti, qui præuio illegitimo Concilio definit. Reſp. negando aſſumptum: nam

eſto

eſto peccet Pontifex definiẽdo cõtrouerſias fidei, præuio illegitimo Concilio, adhuc tamen definit nomine Chriſti, qui propter vniuerſale bonum Eccleſiæ noluit in rebus fidei ſpecialem ſuam aſſiſtentiam impediri, propter peccatum Pontificis, modò ſufficiens aliqua diſcuſſio rei definiendæ præceſſerit.

Concl. 2. 48. DICO 2. Ad Concilium generale non requiritur, vt omnes omnino, qui ius ſuffragij in eo habent, neque etiam vt maior pars eorum, ſed ſat erit, ſi vel præcipui ex toto orbe Chriſtiano ſimul conueniant, vel loco ipſorum alij ſubſtituantur, expreſſo, vel tacito præſumptóue illorum conſenſu, qui abſunt.

49. PRIMA pars aſſertionis patet: alioqui nullum hactenus fuiſſet Conciliũ generale. Et ratio id euidenter demonſtrat: nam quando impoſſibile moraliter eſt, vt omnes, qui in publicum cœtum ius ſuffragij habent, ſimul conuenire non poſſunt, non debet propter huiuſmodi moralem impoſſibilitatem, publicum bonum, quod ex talibus conuentibus ſperatur, impediri. Confirmatur, nam alioqui fruſtra tales generales conuentus inſtituti eſſent, ſi nunquã moraliter in actum redigi poſſent.

50. SECVNDA pars ſequitur ex prima: nam eadem experientia, & ratio, quæ probat, non eſſe neceſſarium, vt omnes qui ius ſuffragij habent, ſimul in Concilio conueniant; probat etiam neque neceſſarium eſſe, vt maior pars eorum ſimul conueniat, cùm multa fuerint Concilia generalia, in quibus minor pars eorum, qui ius ſuffragij habebant, ſimul conuenerit: quin aliqua fuerunt Concilia nationalia, quę quoad numerum ſuffragantium ſuperarunt aliquod Concilium generale, vt conſtat de Concilio generali Conſtantinopolitano, quod eſt ſecundum generale inter approbata, in quo non fuerunt niſi centum quinquaginta Epiſcopi, vt apparet tum ex ipſo Concilio, tum ex Concilio Chalcedonenſi Actione 16. immediatè ante ſubſcriptiones Epiſcoporum, vbi mentio fit 150. Epiſcoporum, qui in eo Concilio fuerunt. Contrà verò in quodam Concilio Nationali tempore Auguſtini in Africa coacto fuerunt, authore Proſpero in Chronico 410. Epiſcopi. *Proſper.*

51. TERTIA pars probatur: quia cùm ex vna parte Concilium generale debeat quoad vniuerſalitatem repræſentare totam Eccleſiam, & ex alia parte ſit moraliter impoſſibile, totam Eccleſiam ſimul conuenire, debent ſaltem in eo conuenire præcipui ex toto orbe Chriſtiano, qui & ſui, & aliorum vices ſuppleant. Sic enim ſaltem repręſentatiuè tale Concilium erit vniuerſa Eccleſia. Hoc autem dupliciter fieri poteſt; Vno modo, vt qui de facto ad Concilium veniunt, non ſolùm veniant nomine proprio, ſed etiam aliorum, qui vices ſuas venientibus committunt, vti fieri ſolet in Comitijs ſecularibus: Secundo modo, vt ex tacito ac præſumpto conſenſu abſentium vicem ſuppleant qui actu in Concilio congregati ſunt. Quę tamen declaratio per ſe & primariò ſpectat ad ſummum Pontificem tanquam ad ſupremum caput, præſertim quando ipſe perſonaliter in Concilio præſidet; Secundariò verò ad Synodum ipſam, quæ perpenſis cauſis & circumſtantijs, declarare poteſt, eam eſſe Generalem, ac legitimè in Spiritu ſancto congregatam.

52. Cæterùm Epiſcopi vocati ad Concilium generale, Canonicè non impediti tenentur ex iuramento, quod in ſua conſecratione Pontifici præſtant, ad illud ire, vt apparet ex capite *Ego* de iureiurando, vbi inter alia, quę Epiſcopus ſub iuramento promittit, vnum eſt, vt *Vocatus*, inquit, *ad Synodum veniam, niſi præpeditus fuero Canonica præpeditione.* Quæ autẽ ſit hæc Canonica præpeditio, declaratur cap. *Si Epiſcopus* diſtinctione 18. vbi aſſignatur grauis corporis infirmitas, & Regis præceptio.

53. DICO 3. Ad Concilium generale eſt per ſe neceſſaria ſummi Pontificis præſidentia, vel per ſe vel per ſuos legatos. *Concl. 3.* Aſſertio hæc indubitata eſt inter Catholicos, quæ definita dicitur in Concilio Nicæno I. eamque docent multi Pontifices, præſertim Marcellus Epiſtola Decretali I. ad Epiſcopos Antiochiæ. *Concil. Nicænum. Marcellus Papa.* Et conſtat 1. à poſteriori, quoniam nullum hactenus Concilium habitum eſt vt generale, in quo vel ipſe Pontifex, vel eius legati non pręſederint, vt patet ex ijs, quæ docuimus diſp. 6. ſect. 2. Secundò à priori, nam Concilium generale, debet repræſentare vniuerſam Eccleſiam; ergo maximè ſupremum caput Eccleſiæ, ſaltem per ipſius legatos. Antecedens eſt certum, nam ideo dicitur generale, quia repręſentat vniuerſam Eccleſiam. Conſequentia probatur, nam dignitas & authoritas Eccleſiæ potiſſimum reſidet in capite, reſpectu cuius reliqui omnes fideles etiam Epiſcopi ſunt membra, & oues, vt conſtat ex Ioannis vlt. vbi etiam reſpectu Apoſtolorum dictum eſt Petro: *Paſce oues meas.* *Ioan. vlt.* Vnde in primo Concilio Generali Ieroſolymis celebrato, Petrus ipſe præſedit tanquam caput omnium, etiam Apoſtolorum.

54. Ex dictis patet ad rationem dubitandi. Ad Confirmationem autem Reſpondendum eſt, debere quidem Concilium Generale actu repræſentare omnes, non tamen materialiter, ſed ſufficit ſi formaliter & authoritatiuè, ſi nimirum omnes, qui ius ſuffragij in eo habent, actu ſint præſentes, vel per ſe, vel per alios expreſsè, aut tacitè & præſumptiuè, iuxta delarationem ſecundę aſſertionis.

55. Vltimò dubitatur, an qui ius ſuffragij habet, ſubſtituere poſſit loco ſui aliquem, qui aliàs ius ſuffragij in Concilo non haberet

haberet. Reſp. affirmatiuè, modò ſubſtitutus nõ ſit incapax, qualis eſſet Laicus. Colligitur hæc noſtra Reſponſio ex Bellarm. lib. 1. de Concil. cap. 19. vbi refutans quandam obiectionem Caluini, qui dicebat, in Concilio Nicæno præſediſſe Athanaſium, qui tunc erat Diaconus, ita ſcribit: *Diaconum ſedere, nedum præſidere in Synodo Epiſcoporum, niſi locum teneat Epiſcopi ſui, eſt omnino inauditum.* Et conſtat ex multis Concilijs, ad quæ loco Epiſcoporum, miſſi ſunt ſimplices Presbyteri, vt ad Concilium I. Nicænum miſſi ſunt loco Epiſcoporum ex Italia duo Presbyteri. Ratio eſt, quoniam hanc poteſtatem habent Epiſcopi ordinariam ex officio, & cùm ſit Iuriſdictionis, & non ordinis poſſunt illam alijs non Epiſcopis delegare.

Bellarmin.

56. Quòd autem non debeat eſſe incapax, patet tum ex vſu & praxi Eccleſię, in nullo enim Concilio legitur Laicus in voto ferendo ſubijſſe vicem Epiſcopi: tum ratione, nam debet in eo, qui ſupplet ſuffragium alterius, ſupponi habilitas in eo ferendo: cùm igitur ad dandum ſuffragium in cauſa fidei ſupponatur notitia rerum Diuinarum, quæ perſe in Laico non eſt, non poterit Laicus eſſe capax tale ſuffragium dandi. Quòd autem interdum reperiantur Laici docti & eruditi rerum Diuinarum eſt valde per accidens, & non debet per conſequentiam trahi.

SECTIO V.

An Concilium in ſuis decretis condendis procedat inquiſitiuè, an deciſiuè?

Error hæreticorum.

57. HÆRETICI noſtri temporis, vt omnem vim decretorum, quæ in Concilijs generalibus ſanciuntur, tollant, ab eorumque obligatione ſe ſubtrahant, aiunt, Concilia in ſuis decretis condendis non procedere via definitiua, ad ea Chriſtianos obligãdo, ſed via inquiſitiua more Doctorum, examinando & inquirendo tantùm. Vnde inferunt, licitum eſſe vnicuique illa vlterius examinare, & pro libito reijcere, non ſecus ac vnicuique licitum eſt, examinare Doctorum ſententias, eaſque ſequi, vel refutare, prout placuerit. Idque non ſolùm ſentiunt de Concilijs nondum à Pontifice confirmatis, ſed etiam poſt eorum à Pontifice Confirmationem. Quorum illud eſt vnicum fundamentum, quòd præter verbum Diuinum ſcriptum, nullam agnoſcant Regulam fidei. Vnde hoc ſolum putant in Concilijs habere ſuffragium deciſiuum.

Catholica ſententia.

58. Catholicorum verò ſententia eſt, Concilia generalia in ſuis decretis condendis procedere via iudiciali & definitiua, obligando ad ea ſeruanda omnes fideles. Et quidem de Concilio à Pontifice confirmato, res eſt de fide: nam Concilium à Pontifice confirmatum facit rem certam de fide, proinde obligat omnes fideles ad eam ſequendam. Et ratio eſt, quia in omnium Catholicorum ſententia Pontifex cum Concilio generali habet infallibilem authoritatem definiendi controuerſias fidei. Nam ſi tempus eſt, quo Pontifex hanc authoritatem exerceat, eſt hoc, quando eſt cum tota Eccleſia in Concilio generali congregata. Quoniam tunc non ſolùm ratione capitis, ſed etiam ratione Eccleſiæ cum capite congregatæ tenetur Deus vi ſuæ promiſſionis, ne ſcilicet portæ inferi aduerſus Eccleſiam in Concilio generali cum ſuo capite legitimè congregatam præualeant.

59. Controuerſia verò eſt, an non tantum ſummus Pontifex in controuerſijs fidei, & rebus ad ſalutem neceſſarijs in Concilio generali procedat definitiuè, decidendo alterutram partem controuerſiæ, ſed etiam reliqui, qui in Concilio ius habent ſuffragij. Ratio dubitandi eſt, tum quia cæteri non habent ſuffragium vltimò deciſiuum, ſed ſolus Pontifex: nam ad ipſum tantùm ſpectat, dicimere vltimate ſententiam, cuius definitioni omnes ſuffragantes ſtare debent. Tum quia ſolus ipſe habet ſuffragium infallibile à Spiritu ſancto directum, reliquorum verò ſuffragia à veritate deuiare poſſunt, & de facto aliquando deuiant: ſicut quando ante definitionem Pontificis præcedũt oppoſitæ ſententiæ ſuffragantium: cùm enim nequeant oppoſitæ ſententię eſſe ſimul veræ neceſſe eſt, vt alterutra ſit falſa, donec accedat ſententia capitis cum infallibili aſſiſtentia Spiritus ſancti determinantis partem veram. Tum quia ſi reliqui à Pontifice procedunt via definitiua, teneretur Pontifex in definiendis controuerſijs fidei ſequi maiorem partem ſuffragiorum.

60. His tamen non obſtantibus, communis ſententia Theologorum docet, omnes, qui in Concilio ius ſuffragij habent in controuerſijs fidei, & legibus vniuerſalibus totius Eccleſiæ, procedere via definitiua, decidendo, quod ſtatuunt, cum poteſtate obligandi fideles ad ea, quæ definiunt, ſeruanda. Ita Canus lib. 5. de locis *Canus* Theologicis cap. 5. quæſt. 2. Bannez 2. 2. *Bannez* quęſt. 1. art. 10. in breuioribus commenta- *Malderus* rijs dub. 3. *§. nota tertiò*, Malderus tractatu *Turrianus* de Concilijs diſp. 1. dub. 4. Turrianus diſp. *Bellarmin.* 18. dub. 2. Bellarminus lib. 1. de Con- *Suarez.* cil. cap. 18. Suarez de fide diſp. 11. ſect. 1. Syl- *Sylvius.* uius lib. 5. de Controuerſ. quæſt. 1. art. 11. & communiter alij. Colligitur hæc ſententia primò ex modo, quo in huiuſmodi controuerſijs Prælati ſe ſubſcribunt, nempe, *Ego N. definiens ſubſcripſi.* Vnde in primo Concilio Apoſtolorum Iacobus Apoſtolus, qui erat vnus ex ijs, qui in eo Concilio ius ſuffragij habebat, ita Petri ſententię ſubſcribit:

Digitized by Google

ſcribit: *Ego iudico non inquietari eos, qui ex gentibus conuertuntur ad Deum.* Secundò. Omnes qui in Concilio ius ſuffragij habent, illud habent cum poteſtate Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, vel ordinaria, vel delegata, ac proinde cum poteſtate definiendi & obligandi fideles ad ea, quæ ipſi definiunt.

61. Cæterùm notandum eſt diſcrimen inter poteſtatem Pontificis, & reliquorum Prælatorum. Nam reliqui poteſtatem habent fallibilem, & non vltimatam, ſed ſubordinatam vltimæ definitioni Pontificis. Pontifex autem poteſtatem habet definiendi res fidei infallibiliter & vltimatè: quippe qui in definiendo infallibilem aſſiſtentiam habet à Spiritu ſancto, vt in ſententia ferenda errare non poſſit. Cæteri autem huiuſmodi infallibilem authoritatem in ſententia ferenda non habent, cùm hæc, vt ex diſputatis conſtat, non fuerit à Chriſto promiſſa, niſi ſingulari perſonæ Petri, eiuſque ſucceſſoribus. Quo fit, vt à ſententia ſummi Pontificis authenticè lata non liceat appellare, cùm ſupra ſententiam Pontificis non ſit alia ſuperior & infallibilior ſententia, liceat autem appellare à ſententia Concilij nondum à Pontifice confirmati, quia ſupra ſententiam Concilij adhuc reſtat ſuperior & infallibilior ſententia Pontificis: ſicut non licet appellare à ſententia Principis, licet autem appellare à ſententia Prætoris.

62. Ex his patet ad rationes dubitandi. Ad primam, concedo ſolùm ſummum Pontificem in Concilio habere ſuffragium vltimò deciſiuum: nego tamen, reliquos non habere ſuffragium ſimpliciter deciſiuum, eſto illud habeant ſubordinatum ſuffragio Pontificis: non enim talis ſubordinatio tollit ſuffragium ſimpliciter deciſiuum, vt patet in Prætore, qui habet ſententiam deciſiuam, licet ſubordinatam ſententiæ Principis. Concedo etiam, ſolùm ſummum Pontificem habere ſuffragium infallibile, quia illud habet vt dirigibile à Spiritu ſancto: nego tamen reliquos Prælatos non habere ſuffragium.

63. Ad tertiam, nego, Pontificem ſimpliciter teneri controuerſias fidei definire ad plura vota ſuffragantium, ſed ad maiorem euidentiam credibilitatis. Cùm enim Concilium, ſicut & quæuis alia humana conſultatio, quam Pontifex adhibet ante definitionem fidei, adhoc prærequiratur, vt Pontifici fiat euidenter credibile, quæ pars controuerſiæ ſit vera, & à Deo reuelata, eam ſuffragiorum partem Pontifex ſequi debet, quæ maiorem euidentiam credibilitatis habet, quòd res definienda ſit à Deo dicta. Ex his ſequitur, quòd nunquam Deus permiſſurus ſit, vt Maiorem credibilitatis euidentiam habeat pars falſa, quàm vera.

64. Atque hæc de forma procedendi in ſententia ferenda in Concilio generali. De forma autem, ordine, & modo procedendi in ſeſſ. ac reliquis Cœremonijs, ritibuſque in generali Concilio ſeruandis, habetur ſufficiens inſtructio in fine Concilij Conſtantienſis.

SECTIO VI.

An authoritas Concilij, generalis legitimè congregati, nondum tamen à Pontifice confirmati in cauſa fidei ſit infallibilis?

65. Dixi, *legitimè congregati:* nam de Concilio non legitimè congregato, nulla eſt difficultas, quin in cauſa fidei errare poſſit, & de facto multa huiuſmodi Concilia errarunt: cùm talia Concilia non ſint in Spiritu ſancto congregata, quibus Concilijs tãtùm Chriſtus ſuam promiſit aſſiſtentiam, iuxta illud Matth. 18. *Vbi ſunt duo vel tres cõgregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* *Matth. 18.*

66. Dixi, *non dum à Pontifice confirmati:* nam Concilium generale à Pontifice confirmatum in fide errare non poſſe eſt extra omnium Catholicorum controuerſiam, etiam eorum, qui putant, Concilium eſſe ſupra Papam: nam tale Concilium perfectè repræſentat Eccleſiam, tam ratione capitis, quàm ratione corporis, aduerſus quam, pollicente Chriſto, portæ inferi præualere non poſſunt. Sola igitur controuerſia eſt de Concilio generali legitimè congregato authoritate Romani Pontificis, non dum tamen confirmato. De qua.

67. Prima ſententia affirmat. Sequitur ex ſententia eorum, qui docent, Concilium eſſe ſupra Papam. Fundamentum eſt, quia Concilium generale legitimè congregatum repræſentat vniuerſam Eccleſiam. Atqui vniuerſa Eccleſia in materia fidei errare non poteſt; ergo nec Concilium Generale legitimè congregatum. Minor patet ex præcitata promiſſione Chriſti, *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Maior probatur, nam in Concilio Generali legitimè congregato adſunt omnes Eccleſiæ Paſtores cum legitima poteſtate, & Spirituali Iuriſdictione.

68. Confirmatur 1. Tale Concilium eſt in Spiritu ſancto congregatum: ergo habet Spiritus ſancti aſſiſtentiam, quæ illud in controuerſijs fidei definiendis errare non permittit. Antecedens ſupponitur, quia illud ſupponitur coactum authoritate Romani Pontificis, præſidentibus ipſius legatis. Conſequentia probatur ex præcitato loco Matth. 18. *Vbi ſunt duo vel tres congregati* *Matth. 18.*

Digitized by Google

gati in nomine meo &c. Sed Concilium legitimè congregatum authoritate Pontificis, eſt congregatum in nomine Chriſti: igitur in medio eius præſidet Chriſtus ſua infallibili aſſiſtentia.

69. Confirmatur 2. Nam huiuſmodi Concilia dicunt anathema omnibus, qui contrarium ſentiunt, etiam ante vllam confirmationem Romani Pontificis: ergo ante vllam confirmationem Romani Pontificis habent infallibilem authoritatem definiendi res fidei, & ad eas credendas ſub anathemate obligandi fideles.

Caietanus. Canus. Bellarmin. Valentia. Malderus. Bannez. Turrianus. Syluius.

70. SECVNDA ſententia negat: quam expreſsè docent Caietanus in Opuſc. de authoritate Papæ & Concilij cap. 11. & 12. & in Apologia p. 2. cap. 21. Canus lib. 5. de locis Theologicis cap. 5. quæſt. 1. Bellarminus lib. 2. de Concilijs cap. 11. Valentia de obiecto fidei diſp. 1. quæſt. 1. pun. 7. ſub titulo de Concilijs §. 44. Malderus ibidem tract. de Concilijs diſp. 3. dub. 1. Syluius lib. 5. de controuers. quæſt. 2. art. 3. Bannez verò 2. 2. quæſt. 1. art. 10. in prioribus commentarijs dub. 4. conclu. 1. & 2. & Turrianus diſp. 18. dub. 4. diſtingunt de Concilio Generali, vel quoad omnes Patres, quos includit, vel quoad maiorem partem illorum: negant, ſumptum quoad omnes Patres errare poſſe, poſſe tamen quoad maiorem partem: & conſequenter concludunt, poſſe Concilium Generale ſimpliciter errare, quoniam, vt ſit & dicatur Concilium Generale, ſufficit, ſi maior pars Concilij rem definiat: non enim eſt neceſſe, ad hoc vt definitio dicatur eſſe Concilij generalis, vt illi omnes in Concilio congregati ſubſcribant. Pro huius controuerſiæ deciſione,

Concl. 1. 71. DICO 1. Concilium generale ſumptum quoad maiorem partem, etiamſi legitimè congregatum ſit, præſidentibus in eo Pontificis legatis, ſiue ijs repugnantibus, ſiue conſentientibus, in definiendi controuerſijs fidei errare poteſt ante Pōtificis confirmationem, & conſequenter ipſius authoritas ante Romani Pontificis confirmationem non eſt infallibilis. Aſſertio conſtat primò, tum ex Concilio Generali Epheſino II. *(Concilium Epheſ. II.)* quod legitimè congregatum, in eoque præſidentibus Pontificis legatis, errauit, ſubſcribendo errori Dioſcori, repugnantibus legatis, vt apparet in 24. 25. & 26. Epiſtolis ſancti Leonis Papæ *(Leo Papa.)* ad Theodoſium, & Pulchriam Auguſtos datis. At inquies, errauit hoc Concilium, quia ſuam de fide ſententiam non liberè protulit, ſed metu à Dioſcoro incuſſo, vt idem Pontifex in præcitatis literis fatetur. Sed contrà, quoniam, vt rectè Canus *(Canus.)*, ſicut errauit metu minatum, ita errare potuit concupiſcentia boni: proinde nunquam certi eſſe poſſumus de veritate fidei ante Romani Pontificis confirmationem. Tum ex Concilio Baſileenſi *(Concil. Baſil.)*, quod conſentiente Iuliano Cardinale Apoſtolicæ ſedis legato, errauit definiens, Concilium Generale eſſe ſupra Pontificem, vt conſtat ex decreto facto in ſeſſ. 2. huius Concilij.

72. Secundò probatur ratione. ſententia Concilij in controuerſijs fide non eſt vltima: ergo non eſt infallibilis certitudinis & authoritatis. Conſequentia patet, quia non datur ſententia certior, quàm ſit ſententia de fide, cùm hæc nitatur teſtimonio Diuino, quo nullum dari poteſt certius, vnde nunquam licitum eſt à ſententia de fide certa appellare. Antecedens probat praxis & conſuetudo omnium Conciliorum Generalium, quæ hactenus legitimè congregata ſunt, quæ ſemper iudicarunt, nullum robur ſua decreta & ſanctiones habituras, niſi Romani Pontificis confirmatio accederet. Ita Concilium Nicænum I. *(Conc. Nic. I.)* in Epiſtola Synodali ad Sylueſtrum Papam: *Quidquid*, inquit, *conſtituimus in Concilio Niceno, precamur veſtri oris conſortio confirmetur.* Et ſuprà: *Quæ explanata ſunt ad veſtra*, ſiue vt in margine legitur, *veræ ſedis argumentum accurrimus roborari, vt noſtra regula fixos habere poſſit gradus.* Concilium Chalcedonenſe *(Concilium Chalced.)* in Epiſtola Synodica miſſa ad Leonem Papam, quæ habetur poſt initium tertiæ partis eiuſdem Concilij: *Rogamus*, inquit, *& tuis decretis noſtrum honora iudicium.* Et in fine ita concludit: *ad comprobationem noſtræ Synceritatis, & ad eorum, quæ à nobis geſta ſunt, firmitatem & conſonantiam* &c. Idem ſeruarunt reliqua Concilia Generalia, vt patet de vltimo Concilio Tridentino *(Conc. Trid.)* ſpeciali Bulla à Pio IV. confirmato. Quod ſi alicuius Generalis Concilij confirmatio non legitur, id non eſt, quòd ſententia Concilij ſit vltima, & infallibilis authoritatis, ſed quia huiuſmodi Concilia conſenſerunt inſtructioni Pontificis, quā per ſuos legatos ad ea miſit: ſæpè enim Pontifices ſuos legatos ad Conciliū mittunt cū inſtructione de doctrina fidei, quam debet Concilium ſequi: & tunc hoc ipſo, quòd Concilium in ſuis Decretis Pontificis ſententiam ſequitur, eius decreta cenſentur authoritate Pontificis firmata.

73. Ratio à priori huius veritatis ſequitur ex ſuprà diſputatis, in quibus oſtendimus, authoritatem fidei controuerſias, cum infallibili certitudine definiendi, non fuiſſe à Chriſto collatam toti Eccleſiæ, ſed ipſius duntaxat capiti, licet in vtilitatem Eccleſię: quippe quæ ſoli Petro in ſuis ſucceſſoribus continuanda collata fuit: igitur niſi accedat ſententia legitimi Petri ſucceſſoris, nondum Decreta Concilij cenſentur habere fidei certitudinem.

74. DICES. Hanc fidei certitudinem habere poſſunt ab ipſis ſedis Apoſtolicæ legatis, quibus Pontifex omnem ſuam communicat authoritatem, ſicut & Epiſcopus ſimplici Sacerdoti, cùm illum vice ſui ad Concilium mittit. Sed contrà, quoniam authoritas definiendi res fidei cum omnimoda certitudine, non eſt alteri communicabilis,

cùm

Digitized by Google

cùm ſit addicta propriæ perſonæ Pontificis, tanquam Vicario Chriſti, & Petri ſucceſſori. Colligitur ex verbis Chriſti, qui ſoli perſonæ Petri illam commiſit; voluit enim, vt addicta eſſet ſoli officio vniuerſalis Paſtoris Eccleſiæ. Nec eſt eadem ratio de Epiſcopis, qui Iuriſdictionem in ſuffragio ferendo non habent propriæ perſonæ addictam, cùm id ex nullo capite colligatur. Quò fit, vt eodem modo Concilium Generale errare poſſit, ſiue Pontificis legatos habeat, ſiue non habeat: quia Pontificis legati Concilio Generali non addunt maiorem authoritatem, quàm addant Epiſcopi non legati: niſi legati veniant cum inſtructione Pontificis. Nam tunc non qua legati, ſed qua iuxtà Pontificis ſententiam agunt, habent infallibilem authoritatem. Contra quam inſtructionem agere poſſunt non modò Concilium, ſed etiam legati ipſi, vti egerunt in Concilio Conſtantinopolitano ſub Nicolao I. vt conſtat ex Epiſtola 5. ipſius ad Michaelem Imperatorem, quæ habetur in 3. tom. Concil. p. 1. ſect. 2. pug. 421. Et tunc ſententia Concilij, vtpote contra inſtructionem Pontificis, erit falſa.

Conc. Conſtantin. Nicolaus I.

Concl. 2.

75. Dico 2. Concilium Generale quoad omnes omnino Patres, etiam ante Pontificis confirmationem, in materia fidei errare non poteſt. Fundamentum eſt, quia teſtimonium totius Concilij generalis, eſt teſtimonium totius Eccleſiæ: implicat autem moraliter teſtimonium totius Eccleſiæ eſſe falſum, in materia fidei: ergo implicat moraliter, totum Concilium quoad omnes omnino Patres in cauſa fidei errare. Maior patet, nam Concilium Generale repræſentat totam Eccleſiam quantùm ad teſtimonium humanum, quod tanquam præuia conditio præcedere debet definitionem Pontificis. Minor probatur, quia cùm hoc teſtimonium præcedere debeat vt præuia conditio definitionem Pontificis, cumque Pontifex humano modo debeat ad ſententiam ferendam ſe determinare, implicat moraliter, vt illud ſit falſum.

76. Confirmatur. Qui promiſit finem, promiſit conſequenter media ad finem neceſſaria: ſed Chriſtus promiſit, vt nunquam in controuerſijs fidei decidendis ſuus Vicarius eſſet erraturus; cumque adhoc ex voluntate eiuſdem Chriſti neceſſaria ſit præuia Doctorum conſultatio, fieri nequit, vt omnes omnino Doctores in Generali Concilio congregati in cauſa fidei errent: alioqui vel Pontifex non teneretur ad ſuam ſententiam ferendam Doctorum conſultationem præmittere, vel errare poſſet, determinando ſe ex præuio iudicio omnium Eccleſię Doctorum. Dicere autem, quòd in tali caſu Deus peculiari motione inclinaret mentem Pontificis ad definiendum contrarium eius, quod omnes omnino Patres in Concilio Generali decreuerunt, eſt recurrere ad miracula abſque neceſſitate: cùm & abſque huiuſmodi miraculo, & congruentiùs ad modum agendi humanum ſit, vt nunquam Deus permutat, vt omnes omnino Patres in Concilio generali errent in cauſa fidei.

77. Reſtat difficultas, & quidem grauis, qua certitudine certum ſit, non poſſe in cauſa fidei omnes omnino Patres in Concilio Generali congregatos errare. Authores pro hac ſententia citati videntur ſentire, hoc tantùm eſſe certum certitudine morali, non autem fidei Diuinæ.

78. Mihi verò dicendum eſt, non eſſe quidem certum certitudine fidei Diuinę explicitè, & per ſe ac primariò atteſtatę; eſſe tamen fidei Diuinæ implicitè, & in alio reuelatæ. Primum conſtat, quia nullum habemus explicitum teſtimonium, quo Chriſtus hanc promiſſionem fecerit Concilio Generali: nam illa promiſſio Matth. 18. *Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ego ſum in medio eorum*: communiter explicatur de Concilio includente caput, ac proinde infallibilem Chriſti aſſiſtentiam habere ratione capitis.

Matth. 18.

79. Secundum verò probatur: nam quotieſcunque in aliqua propoſitione explicitè reuelata includitur alia, quæ ex ea per moralem euidentiam deducitur, talis etiam propoſitio, non vt deducta vi diſcurſus, ſed vt explicata erit de fide: atqui in hac propoſitione in perſona Petri explicitè reuelata: *Romanus Pontifex in controuerſijs fidei definiendis errare non poteſt*: implicitè includitur hæc alia: *teſtimonium totius Eccleſiæ in cauſa fidei non poteſt eſſe falſum*: quę veritas per moralem euidentiam deducitur ex prima expreſsè in perſona Petri reuelata: igitur etiam hæc erit de fide. Minor quoad priorem partem probatur, nam Deus vult, vt Pontifex, controuerſias fidei definiat præuia conſultatione, & humano iudicio Eccleſię, tanquam conditione requiſita: ergo vult, vt Pontificis definitionem præcedat humanum iudicium Eccleſiæ vt conditio requiſita: igitur permittere non poteſt, vt humanum iudicium totius Eccleſię ſit falſum: alioqui, cùm ex tali iudicio tanquam ex pręuia conditione debeat Pontifex ſe determinare ad ſententiam ferendam, ſi tale iudicium poſſet eſſe falſum, poſſet Pontifex ad falſam ſententiam ſe determinare. Poſterior autem pars ſequitur ex priori: nam ſi certum eſt, non poſſe Pontificem in ſententia ferenda circa controuerſias fidei errare, nec non certum etiam eſt, debere Pontificem in controuerſijs fidei Eccleſię iudicium præmittere, ex quo tanquam ex præuia conditione ad ſententiam ferendam ſe determinet, euidens moraliter eſt, non poſſe tale iudicium eſſe falſum.

80. Ad 1. primę ſententiæ neganda eſt maior: nam tota Eccleſia includit caput, in quo reſidet infallibilis authoritas definiendi res fidei. Minor autem concedenda eſt, ſi intelligatur de tota Eccleſia quoad omnes omnino Paſtores ac Doctores; neganda, ſi tantùm

Reſpond. ad argum. primæ ſentent.

tantùm intelligatur quoad maiorem partem iuxta prædeclarata in prima & ſecunda noſtra aſſertione. Cæterùm concedendum eſt, in Concilio Generali adeſſe omnes Paſtores cum legitima poteſtate & iuriſdictione, negandum tamen eſt, huiuſmodi poteſtatem, quæ eſt in reliquis Paſtoribus à Pontifice, eſſe infallibilem, niſi, vt explicatum eſt in omnibus omnino ſimul, non quidem perſe, ſed ratione promiſſionis factæ capiti.

81. Ad priorem confirmationem, diſtinguendum eſt: Concilium in Spiritu ſancto legitimè congregatum habet infallibilem Spiritus ſancti aſſiſtentiam ratione ſui, vt præciſum capite, nego; ratione capitis, concedo: nam capiti tantùm explicitè conceſſa eſt poteſtas confirmandi fratres in fide, & paſcendi oues Chriſti. Concilium autem Generale eatenus errare non poteſt, quatenus præmittendum eſt vt præuia conditio ad definitionem Pontificis: adhoc autem ſufficit, vt errare non poſſit quoad omnes omnino Paſtores & Doctores, quia tunc nulla remanerent humanitus præuia ſigna euidentię credibilitatis, quibus Pontifex humano modo duci poſſet ad veritatem definiendam.

82. Ad poſteriorem confirmationem Reſp. Concilia Generalia dicere anathema contrarium ſentientibus, poſito quod ſua decreta ſint à Pontifice approbanda. Cuius euidens ſignum eſt, quòd non ſolùm Concilia generalia, ſed etiam Prouincialia anathema dicunt contrarium ſentientibus.

Infertur 1. 83. Ex dictis infertur 1. neque tempore ſedis vacantis, aut depoſitionis Pontificis, vel Schiſmatis, Concilium Generale habere poteſtatem decidendi cum infallibili certitudine controuerſias fidei, vel authoritatem condendi leges vniuerſales totam Eccleſiam obligantes. Ratio eſt, quia in nullo caſu ex ſcriptura aliqua, vel traditione conſtat, Concilium Generale huiuſmodi poteſtatem à Deo accepiſſe, ſed potiùs conſtat oppoſitum ex continua praxi Eccleſiæ. Nam nulla decreta, quæ in huiuſmodi caſibus à Concilio Generali ſanciuntur, vim aliquam habere cenſentur, niſi confirmata à Pontifice legitimè electo, vt conſtat ex ijs, quæ Concilium Conſtantienſe ante electionem Martini V. decreuit, quorum ea tantùm vim habent, quæ peculiari Bulla confirmata fuerunt ab ipſo Pontifice.

Infertur 2. 84. Infertur 2. non ſolùm decreta Concilij Generalis, ſed etiam Prouincialis in materia fidei, ſi à Pontifice confirmentur, rem facere de fide certam. Ratio, quia poteſtas collata Petro, eiuſque ſucceſſoribus in definiendis controueſijs fidei, non fuit limitata ad Concilium Generale, ſed ad modum duntaxat humanum, vt illæ non definirentur ante præuiam Doctorum conſultationem, quam neceſſe non eſt fieri in Concilio Generali, ſed fieri poſſe vel per Concilium Prouinciale, vel per priuatum Doctorum Cœtum, vt cõſtat ex multis veritatibus, quæ in ſolis Concilijs Prouincialibus definitæ ſunt, cuiuſmodi ſunt quæ contra Pelagium, & Semipelagianos ſancita ſunt in Cõcilijs Palæſtino, Mileuitano, Arauſicano, & contra Petrum Oxomenſem in Concilio Complutenſi.

85. Infertur 3. diſcrimen inter Iuridicam definitionem Pontificis, & ſcripturam ſacram. Nam licet vtraque ſit fide Diuina amplectenda, ſcriptura tamen non ſolùm eſt fide Diuina amplectenda quoad principalem ſententiam, quam continet: ſed etiam quoad ſingula verba: definitio autem Pontificis tantùm quoad principalem ſententiam, quam Pontifex definire ac proponere intendit. Multa enim ſunt in decretis Pontificum obiter tantùm dicta, vel ad confirmandam tantùm principalem ſententiam, vel de quibus Pontifex ſpecialiter interrogatus non fuit, vel ad maiorem explicationem Principalis ſententiæ, quæ de fide non ſunt, ſed probabiliter tantùm à Pontifice adducta. Contrà verò omnia & ſingula verba à Canonico ſcriptore dicta, accipienda ſunt, vt è Spiritu ſancto inſpirata & dictata. Ratio huius diſcriminis oritur ex diuerſo modo, quo Spiritus ſanctus aſſiſtit Pontifici, & Canonico ſcriptori. Pontifici enim aſſiſtit, tanquam ſupremo Doctori Eccleſię, veritatem ſignis & rationibus humanis examinanti ac diſcutienti, vt in ea definienda non erret: ſcriptori verò Canonico, tanquam immediato inſtrumẽto ſuæmet dictionis, quam per illum tanquam per calamum reuelat Eccleſiæ, iuxta illud Pſal. 44. *lingua mea calamus ſcribæ*. Quo fit vt Canonici ſcriptoris verba non tam putanda ſint ipſius, quàm Spiritus ſancti: cùm ipſe tantùm ſit calamus excipiens & exarans verba, Spiritus verò Sanctus vt dictans & inſpirans per internam motionem veritates: nam non niſi *Spiritu ſancto inſpirante locuti ſunt ſancti Dei homines*, vt teſtatur Petrus Epiſt. 2. cap. 1. & Paulus 2. ad Timotheum 3. nam ſiue ſacri ſcriptores nouas ſcripſerint reuelationes, vt Prophetæ, ſiue eas, quæ antea factę fuerant, enarrarint, vt fecerunt Euãgeliſtę, quę ſcripſerunt ea, quæ vel ipſi præſentes viderunt, vt Matthæus & Ioannes, vel quæ ab alijs audierunt, vt Marcus & Lucas, ſemper ita in ſcribendo Euangelicas veritates à Spiritu ſancto dirigebantur, vt in nullo errarent.

Infertur 3. Pſal. 44. 2 Petr. 1. 2. Tim. 3.

86. Eſt & aliud diſcrimen inter Concilia, & ſcripturas ſacras: quòd Concilia non tradunt nouas reuelationes & veritates, ſed tantùm quæ factæ ſunt declarant per deductionem ex ijs, quæ apertè & expreſsè reuelatæ ſunt in ſacris ſcripturis: cùm tamen ſacræ ſcripturæ nouas ſæpè reuelationes & veritates nobis tradant.

Digitized by Google

SECTIO VII.

An authoritas Concilij Generalis ſit ſupra authoritatem Papæ?

87. NEGATIVA pars ex dictis apertè colligitur, ad plenam tamen huius controuerſiæ diſcuſſionem neceſſaria fuit hæc quæſtio. Pro qua notandum, cùm quæritur, an Concilium ſit ſupra Papam, non accipi Concilium, vt includit Papam, ſed vt condiſtinguitur à Papa: neque intelligi de Concilio illegitimè congregato; nam cùm hoc nullam habeat authoritatem, fruſtraneè diſputaretur, an ipſius authoritas eſſet ſupra authoritatem Papæ: ſed capi Concilium vt condiſtinctum quidem à Papa, legitimè tamen congregatum, ſiue includat, ſiue non includat Pontificis legatos. Quanquam hęc quæſtio inuoluit hanc aliam, an poſſit Concilium Generale legitimè cogi abſque authoritate Papæ: nam ſi authoritas Concilij eſt ſupra authoritatem Papæ, poterit legitimè congregari abſque conſenſu & authoritate Papæ. His adnotatis,

Prima ſententia Bellarminus. 88. PRIMA ſententia eſt affirmatiua nunnullorum apud Bellarminum libro 2. de Concil. authoritate capite 14. qui tamen non in eo fundantur, quòd vt Hæretici contendunt, Papa nullo modo eſt caput vniuerſę Eccleſię, ſed tantùm Romani Epiſcopatus; ſed in eo, quòd licet ſit caput vniuerſæ Eccleſiæ ſingillatim ac ſparſim ſumptæ, non tamen vt congregatę ac ſimul vnitæ. Sicut Generalis Religionis eſt ſuperior & caput totius ſuæ Religionis ſingillatim ac ſparſim ſumptæ, quia eſt caput & ſuperior omnium locorum & Prouinciarum ſui Ordinis, non autem totius Religionis in vnum collectæ: ſic enim eſt inferior ſua Religione. Conſimili modo prædicti authores ratiocinantur de Pontifice, quod licet ſit caput & ſuperior ſingularum Eccleſiarum, non tamen omnium in vnum ſimul collectarum.

89. Adhuc tamen in huius ſententiæ explicatione diſcrepant authores: nam aliqui totam hanc poteſtatem infallibiliter definiendi controuerſias fidei, legeſque vniuerſales condendi, ſubiectiuè & formaliter tantùm ponunt in Concilio Generali, in Pontifice autem ſolùm inſtrumentaliter & executiuè. Alij autem, vt *Gerſon.* Gerſon apud Caietanum de authoritate Papæ & Concilij cap. 10. formaliter quidem & ſubiectiuè illam ponunt in Pontifice, quem Monarcham fatentur; finaliter tamen, applicatiuè, ſuppletiuè, ac regulatiuè in Concilio Generali. *Finaliter*, quia conceditur hæc poteſtas Papæ propter Eccleſiam, quam Concilium Generale repræſentat. *Applicatiuè*: quia eandem poteſtatem applicare poteſt huic, vel illi perſonæ. *Suppletiuè*, quia ſupplendo defectum Pontificis, facit quidquid poteſt Pontifex ipſe, controuerſias fidei cum infallibili certitudine decidendo. *Regulatiuè*, quia illam poteſt in Pontifice ipſo dirigere, moderari, ac tollere, ſi opus fuerit. Omnes tamen conueniunt, dubio, vel defuncto Pontifice, hanc poteſtatem plenariè eſſe in Concilio. Vnde colligunt, authoritatem Concilij generalis quoad ſex, eſſe maiorem authoritate Papæ: Primò, quoad amplitudinem & extẽſionem: Secundò, quoad infallibilem directionem: Tertiò, quoad morum reformationem, tam in membris, quàm in capite. Quartò, quoad poteſtatem coactiuam, cui Pontifex ipſe ſubijcitur: Quintò, quoad difficilium cauſarum fidei vltimatam definitionem: Sextò, quia eſt copioſior, quippe cùm complectatur ſaltem virtualiter omnem poteſtatem, & omne politicum regimen, Papale Imperiale, Regale Ariſtocraticum, & Democraticum.

90. Probant hanc ſententiam primò, quoniam hac definiuit Concilium Conſtantienſe, quod Concilium poſtea confirmatum fuit à Martino V. eandem ſententiam ſecutum eſt Concilium Baſileenſe: verba Concilij Conſtantienſis in quarta ſeſſione, & in ſecunda Baſileenſis relata, ſunt hæc: *Et primò delarat, quòd ipſa Synodus in Spiritu ſancto legitimè congregata, Generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem imediatè à Chriſto habet, cui quilibet cuiuſcunq́ ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem Generalem Eccleſia Dei in capite, & in membris.* *Conc. Conſtantienſe. Conc. Baſileenſis.*

91. Secundò probat ex illis verbis Matt. 18. *Quæcunq́ alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunq́ ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Quibus verbis Chriſti ſupremam poteſtatẽ ligandi, ac ſoluendi concedit Eccleſiæ. Quòd autem hæc verba dicta ſint Eccleſiæ, conſtat, tum quia immediatè ante dixerat: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*: & pòſt ſtatim ſubdit præcitata verba: tum quia poſt hæc verba, poteſtatem Eccleſiæ conceſſam magis explicans, addit: *Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcunq́ petierint, fiet illis à Patre meo.* Et aſſignans cauſam vniuerſalem, ſubiungit: *Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* *Matth. 18.*

92. Tertiò confirmant ex primo Concilio Generali ab Apoſtolis Ieroſolymis celebrato Act. 15. à quo non nomine Petri, ſed totius Eccleſiæ mittuntur decreta Concilij Antiochiam: *Apoſtoli*, inquit, *& ſeniores fratres* &c. Præterea non Petrus, ſed totum *Act. 15.*

Concilium

Concilium dixit: *viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*. Et Act. 8. miſerũt Petrum & Ioannem tanquam Eccleſiæ ſubditos in Samariam.

Act. 8.

Act. 11.

Et Act. 11. compulſus eſt Petrus ab Eccleſia rationem reddere de ingreſſu ad Cornelium Centurionem.

93. Quartò probant ratione. Poteſt Papa hac poteſtate abuti in deſtructionem Eccleſiæ: ergo ſupra Papam debet eſſe aliqua regula indefectibilis à ſapientiſſimo Legiſlatore Chriſto conceſſa, ſecundùm quam poſſint qui huiuſmodi poteſtate abutuntur, corrigi, ac dirigi: hæc autem alia eſſe non poteſt, quam Generale Concilium, vniuerſam Eccleſiam repræſentans: ergo in Concilio Generali eſt poteſtas Papalis tanquam in regulante ac moderante. Confirmant. Medium virtutis, authore Philoſopho, debet eſſe illud, quod ſapiens iudicauerit. Sed ſummus Pontifex Papalem poteſtatem habet, prout ſapiens judicauerit: ergo cùm nõ in ipſo, ſed in vniuerſali Eccleſia ſit ſapientia indefectibilis, in ipſa, non in Pontifice erit tale medium iudiciale.

Ariſtotel.

Secunda ſententia.

94. Secunda ſententia negat, in vlla re Concilium eſſe ſupra Papam. Eſt communis Theologorum, cuius oppoſitam ſententiam multi erroneam appellant. Egregiè hanc noſtram ſententiam propugnant Caietanus citato loco à cap. 7. & Bellarminus lib. 2. de authoritate Concilij à cap. 15. Quæ ſententia non modò eſt vera, ſed ad fidem proximè accedit, propter definitionem duorum Conciliorum Generalium. Altera definitio eſt Concilij Florentini in ipſo Decreto Pontificis: *definimus*, inquit, *ſanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti vicarium, totiuſq́ Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere: & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe*. In qua definitione notanda ſunt illa verba, *totius Eccleſiæ caput*: & *vniuerſalem Eccleſiam*: per quæ verba comprehenditur Eccleſia, etiam ſimul in vnum collecta: nam etiam Eccleſiæ ſimul collectæ Pontifex, vt Chriſti Vicarius, & Petri ſucceſſor, eſt caput, & authoritatem habet illam doctrina fidei paſcendi, gubernandi, ac regendi.

Caietanus

Bellarmin.

Conc. Florent.

Conc. Later

95. Altera definitio eſt Concilij Generalis Lateranenſis vltimi ſub Leone X. ſeſſ. 11. qui poſtquam declarauit, decreta Concilij Baſileenſis nullius fuiſſe roboris, ſubdit: *Cùm etiam ſolum Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, tanquam authoritatem ſuper omnia Concilia habentem, Conciliorum indicandorum, transferendorum, ac diſſoluendorum plenum ius & poteſtatem habere, nedum ex ſacræ Scripturæ teſtimonio, dictis Sanctorum Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum etiam prædeceſſorum noſtrorum, ſacrorumq́ Canonum decretis, ſed propria etiam eorundem Conciliorum Confeſſione manifeſtè conſtet*. Inter alia verò Concilia, affert Synodum Alexandrinam, in qua ſcriptum fuiſſe dicitur, Nicænum Concilium ſtatuiſſe, non debere abſque Romani Pontificis authoritate Concilia celebrari.

Synodus Alexandr.

Conc. Nicænum.

96. Eandem veritatem docuerunt Concilium Sinueſſanum 300. Epiſcoporum, congregatum ad iudicandam cauſam Marcellini Papæ, qui omnes vna voce reſponderunt, vt in fine Concilij legitur: *Prima ſedes non iudicatur à quoquam*: Concilium Romanum ſub Sylueſtro Canone vlt. vt habetur in ſumma Conciliorum: *nemo iudicabit primam ſedem, quoniam omnes ſedes à prima ſede iuſtitiam deſiderant temperari*: Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. & refertur capite *licet* de electione & electi poteſtate: *in Romana*, inquit, *Eccleſia ſpeciale aliquid conſtituitur, quia non poterit ad ſuperiorem recurſus haberi*. Quæ authoritas apertè ſupponit, Romanam ſedem non habere in terris ſuperiorem. Eidem veritati ſubſcribunt Patres, qui legi poſſunt apud recentiores Controuerſiſtas.

Conc. Rom.

Conc. Later.

97. Eadem probatur ex promiſſionibus à Chriſto Petro, factis, quæ omnes non ad Eccleſiam, ſed ad ſingularem perſonam Petri, eiuſque ſucceſſores diriguntur, vt non ſemel ſuprà oſtendimus. Quam etiam confirmat continua Eccleſiæ praxis, qua conſtat, ſemper decreta Concilij Generalis, vt vim & robur habeant, confirmari à Romano Pontifice, vt præcedente ſect. probatum eſt.

98. Vltimò demonſtratur hæc veritas rationibus. Prima ſit. Eccleſiaſticum Regimen eſt Monarchicum: igitur eius poteſtas debet reſidere in vno ſupremo capite, non in Concilio: ergo in Romano Pontifice. Antecedens probatum eſt ſuprà, tum quia hoc Regimen eſt omnium perfectiſſimum, paucioribuſque ſubiectum incommodis: tum quia tale Regimen exercuit Chriſtus ipſe, cùm primùm ſuam Eccleſiam fundauit, illudque exercendum reliquit Apoſtolis. Prior conſequentia conſtat ex natura Monarchici Regiminis. Minor probatur, quia Concilium non eſt vnum caput, ſed multitudo: vnde ſi in eo reſideret Eccleſiaſtica poteſtas, illa non eſſet Monarchica, ſed Ariſtocratica, quę eſt imperium optimatum. Poſterior conſequentia probatur, quia cùm debeat hæc poteſtas reſidere in vna ſingulari perſona; cumque hæc alia eſſe non poſſit, quàm Romanus Pontifex, vt ex ſuprà diſputatis conſtat, in illo tanquam in ſupremo capite totius Eccleſiæ hæc Monarchica poteſtas reſidebit.

Probatur

99. Secunda ratio. Vel hæc poteſtas reſidet in Concilio tantùm, vel in Concilio & Romano Pontifice ſimul. Non in

Probatur

Concilio tantùm, tum quia, vt ſuprà vidimus, ſæpe Concilia etiam legitimè congregata in cauſa fidei errarunt: tum quia ſi in ſolo Concilio hæc poteſtas reſideret, multa dogmata fidei à Pontifice extra Concilium generale definita verterentur in dubium: tum quia falſæ redderentur omnes promiſſiones Chriſti in perſona Petri eius ſucceſſoribus factæ, cùm illæ non Eccleſiæ, ſed ſingulari perſonę Petri eiuſq́, ſucceſſoribus factæ ſint. Non in Concilio & Pontifice ſimul: nam vel ita eſſet hæc poteſtas in vtroque ſimul, vt alterutrum poſſet per ſe ſeorſim ab altero rem certò definire: vel nonniſi cum altero. Non primo modo, tum quia aliàs quidquid Concilium generale ſeorſim à Pontifice Romano in causa fidei definiuiſſet, tenendum eſſet vt dogma fidei, cuius oppoſitum ſuprà demonſtratum eſt, eo quòd multa Concilia generalia, etiam legitimè congregata in cauſa fidei errarunt: tum quia eſt contra bonum Regimen, eſſe duas ſupremas poteſtates inuicem non ſubordinatas in eadem republica: nam quæ faceret vna, deſtruere poſſet alia. Vnde multa ſchiſmata & diſſidia ex hac duplici poteſtate naſcerentur. Adde, quòd neutra poteſtas eſſet ſuprema: dum quod tentaret vna, maneret ſubiectum alteri. Non ſecundo modo, ob rationes ſuprà aſſignatas, aliàs nunquam poſſet Pontifex extra Concilium generale aliquid in fide controuerſum definire.

Probatur 3. 100. TERTIA ratio. Si Pontifex Romanus eſt Paſtor & Rector vniuerſalis ſingularum Eccleſiarum; ergo etiam omnium ſimul collectarum. Conſequentia probatur, nam etiam reſpectu totius Eccleſiæ in vnum collectæ eſt Paſtor & Rector, cùm per collectionem in vnum non deſinant particulares Eccleſiæ eſſe oues Chriſti, ac proinde ſubiectæ Pontifici tanquam vniuerſali Paſtori à Chriſto conſtituto. Confirmatur: nam etiam reſpectu Eccleſiæ ſimul congregatæ dictum eſt Petro: *Paſce oues meas: confirma fratres tuos: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam:* nam etiam vniuerſa Eccleſia in vnum coacta, eſt Eccleſia Chriſti paſcenda doctrina fidei, ædificata ſupra firmam Petram Petri.

Probatur 4. 101. QVARTA ratio: etiam reſpectu totius Eccleſię in vnum collectæ ſummus Pontifex eſt Vicarius Chriſti, nec per talem Eccleſiarum collectionem amittit poteſtatem à Chriſto acceptam, quin tunc maximè eam habere debet, cùm tunc maximè exercenda ſit, quippe quam Pontifex accipit ad paſcendam & inſtruendam vniuerſam Eccleſiam. Confirmatur. Eo modo Chriſtus per ſuum Vicarium Eccleſiam gubernat, quo ipſemet gubernaret ſi viſibiliter eam gubernaret. Atqui ſi viſibiliter Chriſtus ſuam Eccleſiam gubernaret, ſolus ipſe independenter ab Eccleſia vſum ſuæ poteſtatis exerceret: ergo etiam ipſius Vicarius. Minor patet: quia non alio modo Chriſtus, ſi viſibiliter Eccleſiam gubernaret, eam nunc gubernaret, quàm gubernauit, cùm primùm illam inſtituit: ſed cùm primum illam inſtituit, ſolus ipſe independenter ab Eccleſia ſuam gubernandi poteſtatem exercebat. Maior probatur: quia cùm Vicarius faciat vnum cum principali, tanquam inſtrumentum cum ſua cauſa principali, non alius modus operandi tribuendus eſt inſtrumento agenti in virtute cauſæ principalis, quàm ageret ipſa cauſa principalis, præſertim quando inſtrumentum eſt morale.

102. DICES. Etiam nos Concilio generali concedimus infallibilem authoritatem in cauſa fidei: nam per nos Concilium generale, ſaltem quoad omnes omnino Patres in eo congregatos, in cauſa fidei errare non poteſt. Reſpondeo hanc authoritatem Concilio generali quoad omnes omnino Patres nos concedere tantùm conſequenter, propter infallibilem authoritatem conceſſam Pontifici. Quia cùm Pontifex in definiendis controuerſijs fidei præmittere debeat Doctorum conſultationem, ex quorum ſententia & teſtimonio formare debet practicum iudicium de veritate definienda, nunquam Deus permiſſurus eſt, vt omnes omnino Doctores in Concilio generali congregati falſum definiant, cùm Concilij definitio in controuerſijs fidei ſit medium ad ipſam definitionem Pontificis: & quia qui dat finem, dat etiam media ad finem neceſſaria, conſequenter deducimus, quòd idem Deus, qui dat Pontifici infallibilem authoritatem in controuerſijs fidei, exercendam præuia Doctorum conſultatione, dat etiam, vt nunquam totum Concilium generale contrarium definiat.

103. Inſtabis: ergo ſaltem in eo caſu, quo totum Concilium generale quoad omnes omnino Patres idem decernerent, non eſſet neceſſaria Pontificis authoritas & confirmatio. Reſpondeo negando conſequentiam: quia cùm definitio Concilij ſit ordinata ad definitionem Pontificis, nunquam erit, ſaltem quoad nos de fide certa, niſi accedat Pontificis cōfirmatio, à qua pendet definitio Concilij, vt ea credatur de fide. Sicut nunquam erit de fide, quòd practicum iudicium, quo quis iudicat, obiectum fidei eſſe euidenter credibile, atque credendum, ſit verum, niſi accedat ipſe fidei diuinę aſſenſus, quo præcedens iudicium de credibilitate obiecti confirmatur fuiſſe verum.

104. Ad argumenta oppoſitæ ſententiæ, negandum eſt, vllo ex aſſignatis modis eſſe in Concilio generali infallibilem poteſtatem definiendi controuerſias fidei, vel vllam authoritatem habere in reformatione aut ipſius perſonę Pontificis, aut totius Eccleſiæ, niſi accedat ipſe conſenſus Pontificis. Nec eſt eadem ratio de Generali reſpectu ſuæ Religionis: quia Generalis ſuam poteſtatem habet à Religione, proinde hæc eſt illo ſuperior: Pontifex autem ſuam poteſtatem non habet ab Eccleſia, vt probatum eſt, ſed à Chriſto: proinde, præter Chriſtum, nullum alium agnoſcit in terris ſuperiorem. Quo fit, vt nec ipſe

ipſe ſponte poſſit ſe ſubijcere coactiuæ poteſtati Concilij: quia non poteſt ſuam poteſtatem, quam ſupra Concilium à Chriſto accepit, in ipſum Concilium transferre, ſine qua poteſtate non poſſet Concilium iuridicè & authoritatiuè in Pontificem agere. Solùm igitur Concilium poteſtatem habet eligendi ſibi Paſtorem, vel declarandi illum hęreticum, ſi fortè in hæreſim incidat.

105. Ad primum argumentum ductum ex Concilio Conſtantienſi & Baſileenſi Reſpondeo, quoad hoc Concilia hæc confirmata non fuiſſe, vt conſtat ex Bulla Leonis X. (*Leo X.*) lata in Concilio generali Lateranenſi, in qua declaratur vtrumque Concilium quoad hoc erraſſe, ipſumque Concilium Baſileenſe appellatur Conciliabulum.

106. Ad ſecundum Reſpondeo, per illa verba promiſſam fuiſſe omnibus Apoſtolis, eiuſque in Sacerdotio ſucceſſoribus poteſtatem abſoluendi, & retinendi peccata in ſacramento pœnitentiæ, vt cum multis Patribus docet S. Thomas (*S. Thomas.*) in hunc locum. Quam poteſtatem hic promiſſam, reipſa poſtea Chriſtus contulit Ioannis 20. (*Ioan. 20.*) illis verbis: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Cæterùm pro *Eccleſia* citato loco non intelligitur Concilium generale, ſed quiuis ſuperior: alioqui quoties quis fraternam correptionem non acceptaret, deberet Concilio generali renuntiari. Alia autem verba: *Vbi fuerint duo* &c. intelliguntur de quibuſcunque fidelibus, qui ad gratiam à Deo impetrandam ſimul conſentiunt, ita ferè Patres à S. Thoma (*S. Thomas.*) in ſua catena citati: & eſto intelligantur de Eccleſia in Concilio generali congregata, ab ea tamen non excluditur caput.

107. Ad tertium concedo, decreta in Concilio Apoſtolorum condita miſſa fuiſſe ad fideles, nomine totius Concilij, capite tamen, qui erat Petrus, non excluſo, à quo robur & vim accepere. Sicut & decreta Tridentini aliorumque Conciliorum generalium proponuntur fidelibus, nomine Concilij caput includentis, à quo tantùm infallibilem habent authoritatem. Eodem modo intelligenda ſunt verba illa: *viſum eſt Spiritui ſancto & nobis.* Negandum verò eſt, aut Petrum miſſum fuiſſe ab Eccleſia tanquam ſubditum, aut tanquam inferiorem ab ea coactum fuiſſe narrare, quæ de rebus fidei cum Cornelio egerat.

108. Ad quartum negandum eſt, poſſe Pontificem hac poteſtate abuti in deſtructionem Eccleſiæ, quantum ad ea, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem: nam nec cauſas fidei definire aliter, ac definiendæ ſunt, nec alia præcepta vt ad ſalutem neceſſaria declarare poteſt, quàm quæ neceſſaria ſunt. Cùm enim hæc poteſtas quoad præcepta fidei, & ad ſalutem neceſſaria, dirigatur à Spiritu ſancto, qui peculiari motione in his rebus Pontifici aſſiſtit vt Chriſti Vicario, ne erret, non poterit ea abuti: eſto ea abuti poſſit in ijs, quæ ad ſalutem neceſſaria non ſunt. Ad quem tamen abuſum corrigendum Concilium nullam habet poteſtatem, ſed eius iudicium ſeruatur Deo, quem tantùm Pontifex ſuperiorem agnoſcit. Ad confirmationem, negatur conſequentia: nam licet indefectibilis regula in cauſis fidei decidendis non ſit in Pōtifice vt priuato homine, eſt tamē in eo vt Chriſti Vicario, cui ex peculiari promiſſione aſſiſtit, ne in ijs deficiat.

DISPVTATIO IX.

In quod vltimò Chriſtiana fides reſoluatur?

(*1. Sentent. Durandus.*) 1. PRIMA ſententia Durandi in 3. diſt. 24. q. 1. & diſt. 25. q. 3. opinantis, fidem reſolui per diſcurſum in aliquod primò creditum fide acquiſita, quòd ſit ratio credendi cætera, hoc autem eſt Eccleſia à Spiritu ſancto recta. Cuius fundamentum eſt, quia omnis notitia obſcura reſolui debet in aliquam euidentem, ex quo certitudinem ſumat: ſed notitia fidei eſt obſcura: ergo reſolui debet in aliquam euidentem: hęc autem alia eſſe non poteſt, quàm notitia Eccleſiæ à Spiritu ſancto rectæ; atqui hęc aliunde haberi non poteſt, quàm ex humano teſtimonio, ergo. In eandem inclinat Scotus (*Scotus. Gabriel.*) in 3. diſt. 24. §. *de primo*, Gabriel diſtin. 23. q. 2. art. 2. concluſ. 1.

2. SECVNDA ſententia Marſilij in 3. quæſt. 14. art. 1. p. 3. concluſ. 1. Gabrielis diſt. 44. art. 2. concluſ. 1. affirmantium, fidem reſolui per diſcurſum in aliquod principium lumine naturę notum, cui intellectus immediatè, eoque mediante cæteris reuelatis aſſentitur. (*2. Sentent. Marſilius. Gabriel.*) Tria autē principia aſſignat Marſilius, in quibus naturaliter notis nituntur omnes aſſenſus fidei. Primum, quòd Deus ſit: Secundum, quòd ſit verax: Tertium, quòd omne à Deo reuelatum ſit verum; nā omnis aſſenſus fidei ſupponit Deum eſſe, veracem eſſe, & quidquid ab ipſo dicitur, verum eſſe: ſed hęc cognoſcuntur lumine naturæ. Fundamentum eſt idem ac præcedentis ſententiæ: quoniam omnis obſcura cognitio fundari debet in aliqua euidente, teſte Philoſopho (*Ariſtoteles.*) 1. Poſter. Text. 1. Confirmatur. In

quauis

Digitized by Google

quauis ſcientia dantur aliqua principia, ex quibus deducūtur concluſiones: ergo etiam in fide dari debent aliqua principia, ex quibus deducantur articuli.

3. Sentent. Medina.

3. Tertia ſententia Medinæ de recta in Deum fide lib. 1. cap. 11. reſoluentis fidem per diſcurſum in aliquod primò creditum fide Diuina, in quo tanquam in principio contineantur omnes articuli, quodque ſimul ſit ratio credendi illos: hoc autem eſt Eccleſia à Spiritu ſancto recta. Differt autem hic author à Durando, nam hic vult, Eccleſiam eſſe creditam fide diuina; Durandus verò fide humana. Fundamentum huius eſt: quoniam fidem reſolui, nihil aliud eſt, quam vltimam ipſius rationem ſciſcitanti aſſignare: atqui ſciſcitanti, cur hoc, aut illud credimus, nequimus aliam rationem, à qua fides Chriſtiana robur ſuæ certitudinis deſumit, aſſignare, quàm, quia Eccleſia, quæ à Spiritu ſancto regitur, hoc proponit: igitur in hanc vltimò fides noſtra reſoluitur.

4. Sentent. Vaſquez.

4. Quarta ſententia Gabrielis Vaſquez prima parte diſput. 5. cap. 3. aſſerentis, fidem reſolui per diſcurſum in teſtimonium diuinum immediatè creditum fide infuſa. Ratio eius eſt, quia non poſſumus aſſentiri obiecto materiali, niſi propter formale: hoc autem eſt ipſum teſtimonium diuinum, credimus enim Deum eſſe trinum & vnum, quia ipſe dixit. Ex hoc autem tanquam ex principio deducimus, omne reuelatum eſſe verum.

5. Sentent. Bannez.

5. Quinta Bannez ſecunda ſecundæ quæſt. 1. art. 1. dubio 4. Fidem reſoluentis in internam Spiritus ſancti illuminationem, tanquam in rationem formalem credendi? Probat: quia fides noſtra eſt eadem cum fide Apoſtolorum & Prophetarum: ſed illa reſoluebatur in Chriſtum, vel Spiritum ſanctum intus mouentem & illuminantem, ergo & noſtra.

6. Sentent. Capreolus. Caietanus.

6. Sexta Capreoli in 3. diſtinct. 24. artic. 3. ad tertium, Caietani ſecunda ſecundæ quæſt. 1. artic. 1. ad quartum dubium aſſerentium, fidem reſolui in reuelationem diuinam, ſiue in primam veritatem vt formaliter reuelantem. Fundamentum, quia in hac ratione ſit vltimus ſtatus, in eaque ſiſtit intellectus credentis, tanquam in obiecto per ſe ac formaliter credibili.

7. Pro explicatione præſentis controuerſiæ, cuius perfecta notitia ad fidei Chriſtianæ naturam cognoſcendam apprimè conducit, nota, idem eſſe quærere, in quod res vltimò reſoluitur, ac quærere prima principia & cauſas, à quibus illa dependet. Cæterùm etſi quatuor ſint cauſæ, in quas fides Chriſtiana, vti res cæteræ creatæ, reſoluatur, præcipua tamen controuerſia eſt, de formali obiectiua, à qua robur ſuæ certitudinis fides deſumit, in ea enim immediatè nititur, ac proximè fundatur.

1. Concl.

8. Dico 1. Fides infuſa non reſoluitur per diſcurſum in aliquod primò creditum, aut ſcitum tanquam in rationem formalem credendi. Eſt S. Thomæ ſecunda ſecundæ quæſt. 2. artic. 2. ad primum Capreoli in 3. diſtinct. 24. art. 3. ad tertium. Pro qua, *S. Thomas. Capreolus.*

9. Nota ex S. Doctore 1. parte quæſt. 14. artic. 7. ad diſcurſum duo requiri, & duplex ſaltem obiectum, alioqui non poſſet vnum cognoſci ex alio; & duplicem notitiam, aliàs non diceretur vnum cognoſci ex alio priùs cognito. Si igitur fides reſolueretur per diſcurſum in aliquod primò creditum, aut ſcitum, deberet in ea elicienda duplex interuenire aſſenſus, alter, quo aſſentiremus principio propter ſe; alter, quo aſſentiremus concluſioni propter principium. At falſum eſt, in fide Chriſtiana elicienda interuenire hunc duplicem aſſenſum: igitur falſum eſt, fidem reſolui per diſcurſum in aliquod primò creditum, aut ſcitum. Minor probatur: nam alioqui fides infuſa non eſſet ſummè certa, non enim poſterior aſſenſus eſſet tam certus, ſicut prior, cùm ſemper aſſenſus concluſionis ſit debilior aſſenſu præmiſſarum, vt conſtat ex illo vulgato Ariſtotelis axiomate: *propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* *Ariſtoteles.* Et ratio à priori eſt: quia aſſenſus concluſionis non eſt propter ipſam certitudinem concluſionis immediatè, ſed mediante ipſius connexione cum principio, à quo dum recedit concluſio, ipſo receſſu ſit debilior; cùm omne agens fortiùs agat in propinquum, quàm in remotum: igitur principium cùm propinquiùs agat in intellectum, quia agit ſeipſo immediatè, fortiùs agit, quàm concluſio, quæ ad ſui aſſenſum intellectum mouet media forma Syllogiſtica, ſiue connexione ſui cum præmiſſis.

10. Confirmatur. Vel principium, ex quo per diſcurſum deducitur aſſenſus fidei, ſupponitur ſcitum notitia naturali, vt dicebat Marſilius; vel creditum fide humana, vt Durandus; vel diuina, vt Medina. Si primo, vel ſecundo modo, fides infuſa non excederet certitudinem ſcientiæ naturalis, aut fidei humanæ, cùm nequeat principium maiorem certitudinem communicare concluſioni, quàm habet in ſe. Si fide diuina, cùm nequeat principium tantam certitudinem communicare concluſioni per diſcurſum ex eo deductæ, quantam habet in ſe, maior eſſet certitudò principij, quàm concluſionis: ac proinde non omnes aſſenſus fidei Chriſtianæ eſſent æqualiter certi ex parte obiecti crediti, nam certius eſſet principium, quàm concluſio ex eo deducta.

11. Reſpondent aliqui, hoc tantùm verificari de concluſione deducta per vires naturales, non autem de concluſione deducta per habitum ſupernaturalem, qui ſupplere poteſt defectum certitudinis principij remotè in concluſionem influentis, quem defectum ſupplere non poſſunt vires naturales ob limitatam virtutem. Sed contrà: nam habitus

tus ſupernaturalis ſolùm certificare poteſt intellectum efficienter ex parte principij producentis: at præter hoc danda eſt certitudo formalis ex parte obiecti credendi, quæ, quia maior eſt in principio, quàm in concluſione, cùm in concluſione ſit per dependentiam à principio, media illatione naturali, in principio verò propter ſe abſque vlla dependentia ab alio, fortiùs mouet intellectum ad aſſenſum ſui principium per ſe creditum, quam concluſio ex ipſo deducta.

S. Thomas obijcitur. 12. *Obijcies* 1. Authoritatem S. Doctoris ſecunda ſecundæ q. 1. art. 1. & de veritate q. 14. art. 8. ad 16. comparantis teſtimonium Dei cum medio demonſtratiuo: ſed medium pertinet ad demonſtrationem per diſcurſum; ergo & teſtimonium Dei ad fidem. Reſpondeo, comparationem intelligendam eſſe quantum ad rationem formalem; nam ſicut medium eſt ratio formalis in demonſtratione, ita teſtimonium Dei in fide: non autem quoad modum concurrendi.

13. *Obijcies* 2. Fides humana reſoluitur per diſcurſum in authoritatem dicentis; ergo etiam diuina. Reſpondeo negando antecedens: nam etiam fides humana elici poteſt per ſimplicem adhæſionem rei dictæ propter teſtificationem dicentis: quia quamuis hæc ſupponat euidentem notitiam humanæ teſtificationis; poteſt tamen per eam tanquam per rationem formalem adhærere rei teſtificatę tanquam obiecto materiali ſimplici aſſenſu. Sicut aliqua fides Prophetarum adhærebat obiecto reuelato, propter reuelationem euidenter cognitam, tanquam rationem formalem vnico ac ſimplici aſſenſu.

14. *Obijcies* 3. Ideo Angeli non diſcurrunt circa res naturales, quia illas cognoſcunt per proprias ſpecies: atqui nos non cognoſcimus res fidei per proprias ſpecies: ergo circa eas diſcurrimus. Reſpondeo negatur conſequentia: nam etſi ratio, cur Angeli non diſcurrant circa ea, quorum proprias habent ſpecies, ſufficiens ſit, non tamen eſt adæquata: cùm negatio diſcurſus poſſit etiam prouenire ex ſimplici apprehenſione obiecti quomodocunque cogniti.

15. *Obijcies* 4. In obiecto fidei priùs aſſentimur ratione formali, quàm materiali, nam materiali aſſentimur propter formalem, ergo per diſcurſum. Reſpondeo nego, nos priùs aſſentiri ratione formali, deinde materiali, ſed vnico aſſenſu vtrique ſimul, licet materiali propter formalem, non quòd obiectum formale priùs cognitum ſit ratio aſſentiendi materiali poſteriùs cognito, ſed vtrumque ſimul per modum vnius obiecti credibilis, alterum vt ratio credendi, alterum vt ratio credita terminat eundem indiuiſibilem aſſenſum fidei: ſicut Angeli vnico actu cognoſcunt effectum per cauſam, non diſcurrendo ex cauſa ad effectum, ſed ſimul intuendo effectum in cauſa, & cauſam cum *Capreolus.* ordine ad effectum. Legatur Capreolus in 3. diſt. 24. art. 3.

16. *Obijcies* 5. Intellectus ex credibilitate obiecti, quam colligit ex ſignis, ſub quibus illud proponitur, diſcurrit ad practicum iudicium credendi; & ex hoc ad aſſenſum ipſum ſpeculatiuum fidei: ergo fides reſoluitur in diſcurſum. Reſpondeo negando conſequentiam. Etenim ad diſcurſum requiritur, vt poſterior aſſenſus pendeat à priori in genere cauſæ formalis obiectiuæ: quia prior debet eſſe ratio mouens intellectum ad poſteriorem aſſenſum: at nullum iudicium antecedens aſſenſum fidei eſt ratio formalis obiectiuè mouens intellectum ad illum eliciendum, ſed eſt tantùm ratio inducens voluntatem ad imperandum intellectui, vt aſſentiat obiecto reuelato ex ſolo teſtimonio primæ veritatis, cui tantùm nititur fides infuſa. Ac proinde licet prærequirat aſſenſum de credibilitate obiecti, nec non practicum iudicium de tali obiecto credendo: ea tamen non requirit vt rationes, quibus nitatur, ſed vt præuias dumtaxat conditiones.

17. *Obijcies* 6. In omni aſſenſu fidei implicitè ſaltem interuenit hic diſcurſus: *Quidquid Deus dicit, eſt verum: hoc Deus dicit: ergo hoc eſt verum:* igitur in omni aſſenſu fidei admiſcetur aliquis diſcurſus. Antecedens probatur: quia ſi interrogetur fidelis, cur credat Myſteria fidei: reſpondebit: quia Deus, qui verax eſt, hoc dixit. Reſpondeo diſtinguendo antecedens de diſcurſu, vel formali, vel virtuali: de formali, nego; de virtuali, concedo. Porrò virtualis diſcurſus eſt ſimplex actus ſe ſolo præſtans, quod præſtaret formalis diſcurſus per duplicem actum. Sicut dicitur vnus actus Angeli virtute præſtare, quidquid præſtare poſſunt plures actus hominis. Vnde concedendum eſt conſequens de diſcurſu virtuali, negandum de formali. Ad probationem antecedentis, cùm fidelis interrogatur, reſpondere per actum explicitum, quem implicitè tantùm elicuit cum ipſo aſſenſu fidei: dum enim firmo aſſenſu credo vt verum, quod prima veritas dixit, virtute credo, primam veritatem eſſe veracem.

18. Dico 2. Fides infuſa non reſoluitur per diſcurſum in aliquod euidenter notum, tanquam in conditionem neceſſariò requiſitam. Probatur, quia rudes, & pueri, credunt fide infuſa myſteria reuelata ſine huiuſmodi diſcurſu. Experiuntur enim ſe credere, abſque eo quòd naturaliter cognoſcant, Deum eſſe veracem, falſumque teſtari non poſſe, per ſolam propoſitionem obiecti credendi, ſufficientibus ſignis factam. *2. Concl.*

19. *Obijcies.* Scientia naturalis ſubalternata reſoluit ſuas concluſiones in principia, quæ ſupponit euidenter nota in ſcientia ſubalternante: ergo fides ſuum aſſenſum reſoluit in obiectum formale, quod ſupponit euidenter notum in ſcientia naturali. Reſpondeo concedo, fidem ſupponere ſuum obiectum euidenter notum, non tamen in ſcientia naturali, ſed ſupernaturali beatorum, cui fides ſubalternatur: nulla enim ſcientia perfectior ſubalternatur imperfectiori, ſed potiùs imperfectior

perfe-

Digitized by Google

perfectiori: nequit igitur fides, quæ perfectior eſt, ſub alternari ſcientiæ naturali, quæ imperfectior eſt.

3. *Concl.* 20. Dico 3. Ne per ſimplicem quidem adhæſionem poteſt fides infuſa reſolui in aliquod principium euidenter notum, vel humana fide creditum, tanquam in rationem formalem credendi. Fundamentum eſt idem ac præcedentis aſſertionis, quia alioqui fides infuſa non excederet certitudinem ſcientiæ naturalis, aut fidei humanæ. Vel enim niteretur in ſolo principio euidenter noto, aut humana fide credito; & ſic non poſſet habere maiorem certitudinem, quam habeat principium ipſum, cui niteretur: vel vnà cum illo niteretur etiam in principio fide diuina credito, vt ſi credas Deum eſſe incarnatum, quia ipſe teſtatur, quem naturaliter cognoſcis non poſſe mentiri. Et tunc, quia aſſenſus fidei quoad certitudinem æquè pendet ab vtroque principio, non poteſt ſortiri certitudinem principij crediti fide ſupernaturali: quoniam aſſenſus, ſiue fiat diſcurſu, ſiue ſimplici dumtaxat adhæſione, ſemper quoad certitudinem ſequitur debiliorem partem principij. Cuius ratio eſt, quia quando aſſenſus pendet à duplici principio inæqualiter certo, veritas concluſionis deficere poteſt, alterutro tantùm principio falſo exiſtente: vt in allato exemplo veritas huius propoſitionis: *Deus eſt incarnatus:* non ſolùm pendet ex teſtimonio ipſius, ſed etiam ex veracitate eiuſdem: nam etiamſi ipſe teſtatus ſit, ſe eſſe incarnatum, ſi tamen verax non eſt, falſa eſſet propoſitio: *Deus eſt incarnatus:* aut ſi verax ſit, teſtatus tamen non eſt, ſe incarnatum eſſe, adhuc falſa foret prædicta propoſitio: *Deus eſt incarnatus:* ergo ſi fides tanquam rationi formali non ſolùm niteretur principio ſupernaturaliter credito, ſed etiam naturaliter ſcito, non poſſet habere certitudinem principij ſupernaturaliter crediti. Conſequentia conſtat: quia, cùm veritas & certitudo ipſius pendeat ex veritate & certitudine vtriuſque principij, licet poſſimus eſſe certi de veritate illius, quatenus pendet ex principio ſupernaturaliter certo, non tamen poſſemus eadem certitudine certi eſſe, quatenus pendet ex principio naturaliter ſcito, quo tantùm falſo exiſtente, falſa foret tota propoſitio.

4. *Concl.* 21. Dico 4. Fides infuſa non reſoluitur in internam Spiritus ſancti illuminationem, tanquam in cauſam formalem, licet in eam reſoluatur tanquam in cauſam excitantem & præmouentem. Prior pars probatur, quia illuminatio Spiritus ſancti ſe tenet ex parte principij moraliter mouentis & excitantis ad fidem acceptandam, non autem ex parte rationis formalis aſſentiendi.

22. Poſterior pars conſtat, quoniam fides infuſa eſt actus ſupernaturalis: omnis autem actus ſupernaturalis in ratione cauſæ præmouentis & excitantis vltimò reſoluitur in internam Spiritus ſancti illuminationem, qua mediante ſupernaturaliter nobis applicatur obiectum, circa quod eliciendus eſt actus ſupernaturalis.

23. His ſententijs refutatis, antequam noſtram explicemus, diligenter notandus eſt duplex proceſſus in fide; Alter per iudicium credibilitatis ad ſigna & motiua euidenter demonſtrantia credibilitatem obiecti; Alter per aſſenſum fidei ad rationes ipſas formales credendi. Prior requiritur ex parte voluntatis, vt prudenter inducatur ad credendum: priùs enim quàm homo credat, oportet, vt velit credere: inducitur autem ad credendum per iudicium euidens de credibilitate obiecti: quia cùm obiectum fidei ſit obſcurum, non poteſt per ſeipſum inducere voluntatem, quæ vt velit prudenter credere, neceſſariò poſtulat ſufficientem propoſitionem obiecti. Poſterior proceſſus exigitur ex parte intellectus ad formaliter credendum. Hoc duplici proceſſu adnotato,

24. Dico 5. Iudicium de credibilitate 5. *Concl.* obiecti vltimò reſoluitur in motiua & rationes humanas, ſub quibus proponitur & applicatur obiectum fidei. Fundamentum eſt: quia hoc iudicium debet eſſe moraliter euidens; debet enim prudenter inducere voluntatem ad fidem acceptandam. Igitur reſolui debet in motiua moraliter euidentia: hæc autem ſunt rationes ipſæ, ſub quibus obiectum fidei proponitur credendum. Nec obſtat, quòd illud nitatur motiuis humanis, quia ad fidem infuſam non concurrit, niſi vt mera conditio applicans.

25. *Obijcies* 1. Certitudo fidei diuinæ remotè ſaltem pendet ex certitudine iudicij de credibilitate obiecti credendi: ergo ſi illud reſoluitur in motiua humana, poteſt eſſe fallibile, & conſequenter fides, quæ ab illo pendet. Reſpondeo negando, iudicium, in quod reſoluitur fides diuina, eſſe fallibile: quia reſoluitur in ea ſigna & rationes, quæ faciunt moralem ſaltem euidentiam, in qua ex peculiari prouidentia tenetur Deus falſum non permittere: alioqui non ſufficienter prouidiſſet homini, qui naturaliter conſentit ijs, quæ ſibi proponuntur, vt euidenter credibilia.

26. *Obijcies* 2. Teſtimonium diuinum euidenter cognitum lumine Prophetico, eſt ratio formalis ad aſſenſum fidei: ergo non poteſt eſſe ratio applicans obiectum credendum, cùm ratio applicans diſtinguatur ab obiecto, quod applicat. Reſpondeo, idem teſtimonium diuinum euidenter cognitum ſub diuerſo reſpectu eſſe motiuum iudicij de credibilitate obiecti, & rationem formalem aſſenſus fidei. Nam per reſpectum ad Deum vt formaliter proponentem & loquentem ad creaturam, eſt motiuum iudicij de credibilitate obiecti; per reſpectum verò ad eundem vt formaliter teſtificantem obiectum credendum, eſt ratio formalis aſſenſus fidei. In priori iudicio nulla eſt obſcuritas, quoniam adæquatum obiectum illius eſt teſtimonium diuinum vt euidenter applicans

obiectum credendum: in poſteriori verò eſt obſcuritas obiecti materialis, quod medio teſtimonio diuino tanquam ratione ſub qua terminat actum credentis. Vnde de lege ordinaria & connaturali, iudicium, quo Propheta priùs ſaltem ratione iudicat obiectum propoſitum vt euidenter credibile, realiter diſtinguitur ab aſſenſu, quo idem obiectum credit vt verum: cùm illud ſit euidens, & terminetur ad reuelationem Dei ſub ratione proponentis: hoc partim euidens ratione obiecti formalis, partim obſcurum ratione obiecti materialis, & terminetur ad reuelationem Dei ſub ratione teſtificantis.

27. Eadem doctrina applicanda eſt Pontifici teſtificanti nouam veritatem, quæ per teſtificationem tanquam per rationem formalem ſub qua fit proximè credibilis; per quam teſtificationem formaliter Pontifex non credit, nec iudicat veritatem teſtatam vt credibilem, ſed per alios actus reflexos, nempe per duplicem aſſenſum fidei diuinæ; alterum, quo credit ſibi vt infallibiliter proponenti per aliam reuelationem factam in Scripturis; Alterum, quo credit ſibi teſtificanti nouam veritatem per ipſammet teſtificationem, tanquam per rationem formalem ſub qua. Quem duplicem aſſenſum fidei præcedit in eodem Pontifice iudicium de credibilitate ipſius vt infallibilis inſtrumenti Dei, & legitimi ſucceſſoris Petri, quod reſoluitur in motiua & rationes humanas.

6. Concl. 28. Dico 6. Aſſenſus fidei Chriſtianæ reſoluitur in authoritatem Scripturæ teſtificantis verbum Dei, in traditionem, & Eccleſiam id ipſum infallibiliter proponentem & declarantem: mutuo verò vna reſoluitur in aliam in diuerſo genere cauſę; omnes tandem in authoritatem increatam Dei dicentis atque atteſtantis, tanquam in vltimam rationem formalem credendi, per ſimplicem dumtaxat adhæſionem obiecti materialis propter formale.

29. Prima pars patet: nam his tribus regulis nititur Chriſtiana fides, Scriptura diuina vt teſtificante verbum Dei; traditione id ipſum ore ac memoria hominum deferente ac proponente; Eccleſia vt regula animata hoc ipſum Dei verbum, ſiue ſcripto, ſiue ore traditum, infallibiliter proponente atque interpretante: igitur in eas omnes tanquam in ſua motiua & rationes formales reſolui debet.

30. Secunda pars aſſertionis conſtat: nam quoad nos Scriptura, & traditio reſoluitur in Eccleſiam: ideo enim credimus hanc Scripturam, & traditionem, quia Eccleſia illas approbat, iuxta illud Auguſtini, *non crederem Euangelio, niſi Eccleſia approbaret.* *D. Auguſt.* Quoad ſe verò authoritas Eccleſiæ in authoritatem traditionis, & Scripturæ reſoluitur: cùm immediatiùs traditio, & Scriptura contineat verbum Dei vel ſcriptum, vel traditum, quia continet illud ſeipſo, nullo alio teſtimonio diſtincto credendum: Eccleſia verò non eſt ipſum verbum Dei, ſed animatum inſtrumentum explicans ac proponens nobis verbum Dei: quod inſtrumentum tenemur diuina fide credere vt infallibile in proponendo, non ipſius, ſed Dei teſtimonio in Scripturis ſacris reuelato. Sunt autem iſtę reſolutiones diuerſi generis: nam prior procedit à cauſa ad effectum, quia procedit ab authoritate Scripturæ, & traditionis, quę eſt formalis cauſa, cur Eccleſia ſit infallibilis regula in proponendo; poſterior verò ab effectu ad cauſam, quia procedit ab authoritate Eccleſiæ, quæ eſt effectus, ad authoritatem Scripturæ, & traditionis, quæ ſunt cauſa, cur credamus Eccleſiam eſſe infallibilem in proponendo.

31. Tertia pars probatur: nam omnes iſtæ cauſæ formales eò tendunt, vt ſufficienter nobis applicent ipſam increatam authoritatem Dei, propter quam ſolam credimus Myſteria reuelata: ergo in eam tandem reſoluuntur reliquæ omnes authoritates & motiua, tanquam in vltimam rationem formalem credendi. Nam authoritas Eccleſiæ, ſiue vt credita, ſiue vt conditio credendi, vltimò reſoluitur in authoritatem Dei, qua formaliter credimus, ipſam falli non poſſe: eſt autem res credita, quatenus ex teſtimonio Dei credimus, ipſam falli non poſſe: eſt conditio credendi, quatenus eodem teſtimonio Dei credita, eſt ratio applicans infallibiliter rem credendam. Traditio verò & Scriptura immediatiùs reſoluuntur in authoritatem Dei, cùm ſint ipſamet authoritas diuina tradita, vel ſcripta. Hæc autem in aliam rationem formalem vlteriorem reſolui non poteſt, cùm ſit ſeipſa immediatè credibilis: quod autem eſt ſeipſo eſſentialiter tale, non poteſt reſolui in aliud, à quo fiat extrinſecè tale, cùm per eſſentiam habeat, quòd poſſet per extrinſecam formam recipere. Hinc eſt, vt nequeant prima principia in alia reſolui, quia cùm ſint per ſe cognoſcibilia, non poſſunt ab alio in eodem genere fieri cognoſcibilia.

32. Quarta pars oſtenditur: nam tota ratio aſſentiendi in fide Diuina, eſt authoritas Dei dicentis ac reuelantis: ſi autem hic aſſenſus fieret per diſcurſum, non tota ratio aſſentiendi eſſet authoritas Dei dicentis & reuelantis, ſed connexio, quam ipſa authoritas Dei ratione infinitæ ſapientiæ & bonitatis habet cum reipſa atteſtata.

33. *Obijcies.* Eccleſia non eſt formalis ratio credendi Myſteria reuelata: igitur in eam reſolui non poteſt fides Chriſtiana, tanquam in rationem formalem. Conſequentia conſtat, quia nihil poteſt reſolui in aliud ſecundum genus cauſę, à quo res ipſa non pendet. Antecedens probatur, quia Eccleſia non proponit res fidei credendas teſtimonio ſuo, ſed Dei: ergo non eſt ratio formalis credendi, ſed tantùm applicandi. Confirmatur. Ideo fides non reſoluitur in motiua credibilitatis, quia illa non ſunt ratio aſſentiendi, ſed applicandi tantùm. Eſt igitur

Digitized by Google

Eccleſia motiuum, in quod vltimò reſoluitur iudicium credibilitatis, potiùs quam ratio, in quam reſoluatur fides diuina.

34. Reſpondeo verum eſſe conſequens de ratione formali credendi, falſum de ratione infallibiliter proponendi. Ad probationem antecedentis, concedo, Eccleſiam proponere res fidei immediatè credendas teſtimonio Dei, tanquam ratione formali credendi: nego tamen, ſimul eas non proponere credendas authoritate ſua credita teſtimonio Dei, tanquam infallibili in ratione proponentis. Vnde, cùm aſſentimur obiecto à Pontifice propoſito, non ſolùm credimus illud, quia Deus dixit; ſed implicitè etiam, quia Pontifex illud, proponit non quidem tanquam ratione formali immediatè credendi, ſed tanquam conditione infallibiliter proponendi.

35. Ad confirmationem, ideò in motiua credibilitatis non reſoluitur fides Chriſtiana, quia illa ſunt humana, humanaque ratione cognita, in quibus repugnat fidem infuſam fundari: non repugnat autem, illam fundari in Eccleſia tanquam in ratione proponendi: quia Eccleſia, vt proponens non eſt credita, aut cognita ratione humana, ſed fide diuina. Atque hæc ipſa eſt ratio, cur in eam non reſoluatur iudicium credibilitatis, quod pręcedit aſſenſum fidei: quia cùm hoc debeat eſſe euidens, non poteſt fundari in motiuo obſcuro, quod eſt Eccleſia vt infallibiliter proponens: nam hæc tantùm creditur obſcuro teſtimonio diuino.

36. Inſtabis. Eadem Eccleſia proponit ſeipſam fide Diuina per motiua & rationes humanas, quę euidenter oſtendunt ipſius credibilitatem: ergo poteſt in eam reſolui iudicium credibilitatis, in quam & nos ſuprà docuimus, reſolui iudicium credibilitatis, de rebus fidei ab Eccleſia propoſitis. Reſpondeo Eccleſiam conſiderari dupliciter, vno modo ſecundùm authoritatem humanam, ſecundùm quam, quia includit multos viros doctos & Sanctos, quorum teſtimonium cenſetur moraliter infallibile, reddere poteſt rem, quam proponit credendam, euidenter credibilem: alio modo ſecundùm authoritatem diuinam, ſecundùm quam non reddit rem, quã proponit, euidenter credibilem, ſed certò credendam fide Diuina: quia non proponit illam per motiua humana euidenter credibilem, ſed per teſtimonium diuinum obſcurè credendum. Eadem igitur Eccleſia ſecundũ priorem authoritatem, per motiua & rationes humanas proponit ſeipſam, & reliquas res fidei euidenter credibiles fide Diuina: quo pacto non eſt ratio infallibiliter proponendi infallibilitate diuina. Atque in hoc ſenſu ſuprà docuimus, in eam reſolui iudicium credibilitatis. Quam duplicem certitudinem habent reliquæ duæ regulæ infallibiles, Scriptura, & traditio: nam etiam hæ per ſigna & rationes humanas proponunt ſeipſas euidenter credibiles.

Eccleſia conſideratur reſpondetur.

37. Sed hic iterum redit moleſta difficultas de circulo, quæ non ſoluitur per diuerſum genus cauſæ: nam etiam ſecundùm diuerſum genus cauſæ repugnat, vt ratio formalis credendi pendeat etiam vt à conditione ab ipſa re credita: quia vt ad credendum moueat, prærequirit omnes ſuas cõditiones ante aſſenſum fidei: non igitur poteſt, rem ipſam creditam, quæ ſubſequitur aſſenſum, requirere vt conditionem, vt moueat ad aſſenſum ipſum: ſicut non poteſt cauſa efficiens ad producendum prærequirere ſuum effectum: ſed Scriptura eſt ratio credendi Pontificem: ergo non poteſt requirere teſtimonium Pontificis, vt moueat ad credendum ſeipſam, alioqui prærequireret teſtimonium Pontificis ad credendum ipſum Pontificem, cùm Pontifex ſit vnum ex credendis in Scriptura diuina.

38. Reſpondeo has regulas ſumi poſſe dupliciter; Vno modo in ratione cauſæ formalis immediatè mouentis ad aſſenſum fidei, quo pacto Scriptura, & traditio non pendent à teſtimonio Pontificis; non enim credimus Scripturam, & traditionem, vel quæ ipſę credenda proponunt, propter teſtimonium Pontificis, tanquam propter rationem formalem credendi: ſed credimus illas propter teſtimonium ipſarummet, cùm enim illæ ſint ipſiſſimum teſtimonium Dei, ſcripto, aut voce expreſſum, non poſſunt in aliam rationem formalem reſolui, cùm ratio formalis non ſit in vlteriorem rationem formalem reſolubilis. Contrà verò Pontifex pendet à teſtimonio Scripturæ, & traditionis, tanquam à ratione formali credendi: nam ideo credimus Pontificem, quia Scriptura & traditio teſtantur: vnde in ratione cauſæ formalis Pontifex reſoluitur in Scripturam & traditionem, non autem contrà.

Primus modus ſumendi regulas fidei.

39. Dices. Saltem traditio reſoluitur in Scripturam, & Scriptura in traditionem, & vtraque in authoritatem diuinam, & ſic tandem datur inter eas circulus. Sed negandum eſt, traditionem reſolui in Scripturam tanquam in vlteriorem rationem formalem, vel è conuerſo; ſed vnamquamque in ſeipſam, tanquam in vltimam rationem credendi. Quælibet enim continet in ſe teſtimonium Dei, propter quod eſt per ſe credibilis: rectè tamen poteſt vna in aliam reſolui tanquam in rationem applicantem, vt infrà conſtabit. Negandum etiam eſt, Scripturam & traditionem reſolui in authoritatem Dei, tanquam in vlteriorem rationem formalem, cùm Scriptura & traditio ſit ipſa authoritas Dei, ſcripto, aut voce manifeſtata. Dicuntur autem Scriptura & traditio reſolui in authoritatem Dei, non tanquam in rationem credendi diſtinctam, ſed tanquam in rationem ſuperiorem in inferioribus incluſam: ſicut dicuntur accidens & ſubſtantia reſolui in ens, tanquam in aliquod ſuperius eſſentialiter incluſum in inferioribus: vnde dici poteſt reſolutio diuerſorum modorum in ſuum modificatum.

40. Alio modo ſumi poſſunt in ratione conditionis applicantis ipſammet autho-

Secundus modus.

ritatem Dei, vt rationem formalem credendi, per ea ſigna credibilitatis, quæ vnaquæque habet ſeorſim ab alijs regulis. Et in hoc ſenſu poſſunt ſeſe mutuò iuuare in eodem genere applicationis, ſecundùm diuerſa motiua credibilitatis, non ſecus ac plures cauſæ efficientes poſſunt ſeſe inuicem iuuare, ſecundùm diuerſas virtutes ad cauſandum aliquem effectum, quem ſingulæ ſeorſim non poſſent. Hoc pacto Scriptura iuuatur à traditione, & à regula animata ad applicandam nobis ſufficienter ipſam authoritatem Dei ſcriptam, qua formaliter credamus, ipſam eſſe Verbum Dei: Rurſus traditio à Scriptura, & à regula animata ad applicandam eandem authoritatem Dei traditam, qua formaliter credamus, illam eſſe à Deo. Tandem regula animata iuuatur à Scriptura & traditione ad applicandum teſtimonium Diuinum, quo formaliter credamus, ipſam eſſe infallibilis authoritatis in definiendis ac proponendis rebus fidei. In hoc enim mutuo genere conditionis applicantis nulla apparet implicantia, & meliùs ſaluatur mutua connexio, quæ inter has regulas reperitur. Quod claritatis cauſa explicari poteſt hoc exemplo. Conſtituat Deus duos Prophetas vnumquemque cum ijs ſignis credibilitatis, quæ ex ſe non ſufficerent ad probandum ipſum eſſe Prophetam Dei, ſufficerent autem ſimul cum ſignis alterius ſuo teſtimonio perhibentis illum eſſe verum Prophetam: vnuſquiſque indigebit ſignis & teſtimonio alterius ad probandum ſe eſſe Prophetam Dei, ſeſeque mutuo iuuabunt ſecundùm diuerſa motiua credibilitatis ad ſeipſum ſufficienter proponendum fide Diuina credendum. Eadem ratione fieri poteſt, vt ſigna credibilitatis, quæ vnaquæque regula ſeorſim ſumpta in ſe habet ad ſufficienter applicandam Diuinam authoritatem, qua fiat proximè credibilis, nō ſint ſatis: ſint autem ſatis coniuncta cum ſignis alterius regulæ.

41. Solùm hic obſtare videtur ratio in principio facta: nam teſtimonium Pontificis, quod eſt ratio de fide applicans nobis Scripturam & traditionem, ſupponit iam Scripturam & traditionem ſufficienter applicatas, alioqui non poſſent illæ eſſe ratio credendi Pontificem fide Diuina: non igitur poteſt eſſe conditio applicans nobis teſtimonium Scripturæ & traditionis ad credendum ipſummet Pontificem fide Diuina, cùm non poſſit effectus eſſe conditio, vt à ſua cauſa producatur.

Duplex in Pontifice conditio.

42. Verùm hæc ratio facilè ſoluitur: nam duplex in Pontifice conditio applicans obiectum fidei diſtinguitur; altera per ſigna humana, quę proponit ipſum Pōtificem vt euidenter credibilem; altera per fidem Diuinam, quæ certò, ſed obſcurè proponit obiectum credendum. Prior præcedit aſſenſum, quo credimus Pontificem ex teſtimonio Diuino, eſtque partialis conditio, qua ſufficienter nobis applicatur ipſum teſtimoniū Scripturæ, quo tanquam ratione formali credimus Pontificem. Poſterior ſubſequitur aſſenſum, quo Pontificem credimus: atque hæc non poteſt eſſe conditio nobis applicans teſtimoniū Scripturæ, quo formaliter credimus Pōtificem: poteſt tamen eſſe conditio ad applicandum teſtimonium eiuſdem Scripturæ ad reliqua Myſteria fidei credenda.

Reſp. ad fund. Dur.

43. Ex dictis patet ad argumenta aliarum ſentētiarum. Vnde ad fundamentū Durandi negāda eſt maior, videlicet omnem notitiam obſcuram reſoluendam eſſe in aliquam euidentem, tanquam in rationem formalem, bene tamen tanquam in conditionem applicantem, quo pacto fides reſoluitur in iudicium euidens credibilitatis.

Reſp. ad 1. ſent. fund.

44. Eodem modo reſpondendum eſt ad fundamentum ſecundæ ſententię. Ad authoritatem autem Ariſtotelis dico, illum intelligendum eſſe de cognitione diſcurſiua in ratione ſcibilis, non autem in ratione credibilis, qualis eſt cognitio fidei. Ratio diſcriminis, quia cùm cognitio in ratione ſcibilis procedat per cauſas rei, reſolui tandem debet in aliquod, quod ſit principiū & ratio eſsēdi cęteris, ac proinde per ſe cognoſcibile. Cognitio verò in ratione credibilis, quia nititur ſolo extrinſeco teſtimonio dicentis, reſolui non debet in aliquod per ſe cognoſcibile, ſed per ſe credibile. Nam ſicut ſe habet principium cognoſcibile in ſcientijs, ita principium credibile in fide: & quemadmodum primùm cognoſcibile nō reſoluitur in aliud cognoſcibile, ita nec primùm credibile in aliud credibile: hoc autem eſt authoritas Diuina, in quā cætera reſoluuntur tanquam in vltimam rationem formalem. Atque in hoc ſenſu concedendū ęſt, quòd ſicut in ſciētia dantur prima principia, ad quæ per diſcurſum reſoluuntur Concluſiones: ita in fide prima credibilia, ad quæ per ſimplicem aſſenſum reſoluuntur veritates reuelatæ. Porrò in authoritate Diuina implicitè includuntur illa tria principia à Marſilio aſſignata, nēpe quòd Deus ſit, quòd verax ſit, & quòd omne ab ipſo reuelatum ſit verū: nā hoc ipſo, quòd credimus Deo dicēti, virtute credimus, ipſum eſſe, veracem eſſe, & omne quod reuelat, verū eſſe, quæ omnia implicitè includuntur in quouis aſſenſu fidei.

45. Dices. Credimus, ipſum verum dicere, quia verax eſt: ſed credimus eſſe veracem, quia ipſe dixit, ſe eſſe veracem: ergo labimur in circulum. Confirmatur: nam nemo eſt tam minùs fide dignus, quàm qui dicit, ſe eſſe fide dignum. Reſpondeo: concedo, nos credere Deo, quia verax eſt, & ipſum credere veracem eſſe, quia ipſe dixit: nego tamen inde nos in circulum labi, aut Deum non eſſe fide dignum, quia ipſe dicit, ſibi eſſe credendum: nam tantæ authoritatis eſt Deus, vt cuiuis vel ex ipſis terminis notum ſit, Deo dicenti ſummam pręſtandam eſſe fidem. Vnde ſtatim ac nobis per ſigna credibilitatis conſtat, aliquid Deum dicere, etiamſi ipſe ſignatè non dicat, ſibi eſſe tanquam veraci credendum, ſumma fides præſtanda erit. Notandum tamen eſt, nos non credere Deo, quia

naturaliter

naturaliter cognoſcimus ipſum eſſe veracem, ac mentiri non poſſe; ſic enim fides infuſa reſolueretur in aliquod naturaliter notum, tanquam in rationem formalem aſſentiendi; ſed quia ipſe dicit, ſe eſſe veracem: quamuis Deum eſſe veracem, cognitum lumine naturæ, ſit nobis conditio euidenter applicans, vt ei dicenti ſe eſſe veracem credendum ſit ſumma certitudine.

Reſp. ad 3. ſent. fund. 46. Fundamentum Medinæ, quatenus ſupponit fidem reſolui per diſcurſum, falſum eſt: quatenus verò illam reſoluit in Eccleſiam, diſtinguendum eſt: nam vel reſoluit in illam tanquam in rationem formalem credendi, & negandum eſt; vel tanquam in rationem proponendi, & concedendum eſt.

47. Ad fundamentum Vaſquez conſtat ex dictis, nos fide infuſa aſſentiri obiecto materiali propter formale, non per modum plurium, inferendo vnum ex alio; ſed per modum vnius propoſitionis conſtantis ex parte materiali & formali per ſimplicem adhæſionem ad partem materialẽ propter formalem. Reſp. ad 4. ſent. fund.

48. Fundamentum Bannez primò falſum ſupponit: nam fides, quam habuerunt Apoſtoli & Prophetæ cum euidentia in atteſtante, fuit diuerſæ rationis à noſtra, quia fuit cum euidentia rationis formalis. Secundò tantùm probat, fidem noſtram vltimò reſolui in Spiritum ſanctum intus illuminantem & excitantem, tanquam in cauſam efficientem, & præmouentem. Reſp. ad 5. ſent. fund.

DISPVTATIO X.

De interiori actu Fidei Chriſtianæ.

SECTIO PRIMA.

Quis ſit actus Fidei, & an rectè diſtinguatur in credere Deo, credere Deum, & credere in Deum?

1. Part quæſt. D. Auguſt. 1. ACTVM fidei definit Auguſtinus de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 2. eſſe ipſum credere cum aſſenſione cogitare, ſumpto cogitare pro actu intellectus deliberantis. Cùm enim fides ſit de obiecto obſcuro, prærequirit actum voluntatis inducentis intellectum ad credendum: rurſus hæc actum intellectus inquirentis, & iudicantis, obiectum eſſe credibile, & credendum: proinde credere, eſt cum quadam mentis deliberatione propoſito obiecto aſſentiri. Vnde diſtinguitur ab aſſenſu ſcientifico, & Theologico, qui in obiectum fertur abſque deliberatione voluntatis; nec non à dubitatione, ſuſpicione, & opinione, quæ
Definitio Fidei. ſunt abſque firma intellectus adhæſione. Cæterùm hæc potiùs eſt deſcriptio per extrinſeca quàm exacta definitio per intrinſeca. Poſſet autem hoc modo definiri: *Aſſenſus certus & obſcurus in prima veritate reuelante immediatè fundatus.* Eſt enim fides, teſte Paulo 1.
1. Ad Cor. 13. ad Corinth. 13. viſio ænigmatica: & ad He-
Ad Heb. 11. bræos 11. *argumentum non apparentium*: ergo eſt actus intellectus, qui quoad certitudinem conuenit cum ſcientia, diſcrepat in obſcuritate; Per vltima verba diſtinguitur ab aſſenſu Theologico, qui certus eſt, & obſcurus, non tamen immediatè in prima veritate reuelante fundatus, ſed mediante diſcurſu, & naturali connexione concluſionis cum præmiſſis. Dupliciter enim poteſt authoritas diuina ad aſſenſum concurrere, vno modo vt adæquata & præciſa ratio aſſentiendi, quo pacto ſpecificat aſſenſum fidei: alio modo vt inadæquata, qua ratione ſpecificat aſſenſum Theologicum, vel fidem humanam, aut naturalem, iuxta qualitatem rationis, cum qua coniuncta mouet.

2. Aliam definitionem fidei tradit Apoſtolus ad Hebræos 11. *Fides*, inquit, *eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non* Heb. 11.
apparentium. Quam ſic explicat S. Thomas S. Thomas.
2. 2. q. 4. art. 1. Quoniam fides eſt actus intellectus imperatus à volũtate, duplex reſpicit obiectum, & voluntatis imperantis, & intellectus elicientis. Prout reſpicit obiectum voluntatis, dicitur *ſubſtantia rerum ſperandarum*: quia finis & obiectũ debent ſibi correſpondere: obiectum autem fidei eſt prima veritas non viſa: igitur finis eiuſdem erit eadem prima veritas nõ viſa, quòd pertinet ad ſpem, cuius eſt ſperare, quę non videt. Dicitur autẽ *ſubſtantia rerum ſperandarum*, hoc eſt fundamentũ, ſiue inchoatio ſperandæ beatitudinis: quoniam beatitudo in futura vita poſſidenda inchoatur in pręſenti per aſſenſum fidei, quo primæ veritati, cuius clara viſione beandi ſumus, nunc obſcurè adhæremus. Prout verò reſpicit obiectum intellectus, quatenus obiectum fidei eſt, dicitur *argumentum non apparentium*, hoc eſt aſſenſus rei non apparentis, ſumitur enim pro effectu argumenti, qui eſt firmus aſſenſus veritati rei non apparentis: argumento enim inducitur intellectus ad aſſentiendum alicui veritati.

Digitized by Google

2. Pars quæſt.

3. Quoad ſecundam verò propoſitæ quæſtionis partem, an actus fidei rectè diuidatur per credere Deo, credere Deum, & credere in Deum, reſpondetur affirmatiuè. Cuius ratio eſt, quoniam actus ſumitur ſecundùm ordinem potentiæ, vel habitus ad ſuum obiectum: omnis autem actus fidei triplicem habet reſpectum ad Deum: Primum, tanquam ad rationem formalem, in qua nititur: Secundum tanquam ad rationem materialem, quam credit: Tertium, tanquam ad finem ſupernaturalem, in quem ex imperio voluntatis, intellectum ad credendum determinantis, dirigitur: & ſic vno, eodemque actu credimus Deo, vt authori reuelanti: credimus Deum, vt rem creditam eo ipſo actu, quo credimus Deo dicenti, in quo implicitè includitur aſſenſus Diuinæ exiſtentiæ: & credimus propter Deum, ad quem tanquam ad finem ſupernaturalem omnis actus ſupernaturalis ſuapte natura dirigitur: non enim hic ſignificatur perfecta directio, per quam actus Fidei in Deum à voluntate dirigitur, ſed ſola exercita directio ſupernaturalis honeſtatis, quæ in omni voluntate ſupernaturali reperitur, vt colligitur ex illo Ioannis 12. *Multi ex Phariſæis crediderunt in eum, ſed non audebant eum confiteri, quia dilexerunt magis gloriam hominum, quam Dei:* quorum fides fuit propter Deum, vt denotat particula *In*, non tamen per perfectam directionem, alioqui non ſuam, ſed Dei gloriam dilexiſſent.

Ioan. 12.

SECTIO II.

An aſſēſus fidei Chriſtianæ ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiã?

4. SVpponendum eſt ex Concilio Arauſicano II. can. 5. & Tridentino ſeſſ. 6. can. 3. ad aſſenſum Fidei Chriſtianæ, præter externam propoſitionem obiecti credendi, opus eſſe interno adiutorio gratiæ indebiro naturæ, quo homo iuuetur ad credendum vt oportet, ex teſtimonio Dei, contra Pelagianos & Semipelagianos, qui, præter beneficium externæ prædicationis, nullum agnoſcebant internum auxilium gratiæ, quo homo iuuetur ad actum Fidei Chriſtianæ eliciendum. Quam doctrinam tanquam certam ſupponunt Patres, præſertim Auguſtinus lib. 1. Retractationum cap. 23. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 3. de bono perſeuerantiæ cap. 20. & 21. vbi etiam oppoſitam ſententiam à ſe aliquando aſſertam, vt manifeſtum errorem retractat. Quam veritatem colligit Arauſicanum ex verbis Pauli ad Philippenſes 1. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis* &c. & ad Epheſeos 2. *Gratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt.* Ratio verò eſt, quia credere myſteria reuelata, vt oportet ad ſalutem, eſt diſpoſitio ad iuſtificationem, vt Tridentinum docet ſeſſ. 6. can. 3. ergo non fit ſine gratia intus mouente: alioqui iuſtificatio initium ſumeret ex nobis; proinde non eſſet gratuita, ſed debita, contra Paulum ad Romanos 11.

Concilium Arauſic. II. Concilium Trident.

Error Pelagian. V. Semipelagianorum.

Auguſt.

Philip. 1.

Epheſ. 2.

Tridentin.

Ad Rom. 11

5. Sola ſupereſt inter Catholicos concertatio, an hoc adiutorium gratiæ ſit neceſſarium ad ipſam phyſicam entitatem actus, an ad modum aliquem entitati ſuperadditum, quo fiat æternæ ſaluti proportionatus.

1. Sentent. Explicatio aliquorum

6. PRIMA ſententia affirmat, requiri tantùm ad modum actus. In quo autem conſiſtat iſte modus ſupernaturalitatis, diſcrepant Doctores. Alij illum ponunt in extrinſeca habitudine ad agens ſupernaturaliter producens, vt Scotus q. 1. Prologi §. *ad quæſtionem igitur*: & in 4. diſt. 10. q. 8. §. *contra rationem etiam iſtius reſponſionis: Naturale*, inquit, *& ſupernaturale non diſtinguunt naturam alicuius à ſe, ſed tantùm in comparatione ad agens: ideo enim dicitur aliquid ſupernaturale, quia à ſupernaturali agente: naturale verò, quia à naturali agente.* Hæc in 4. Explicans autem in Prologo, quid ſit, agens naturaliter, aut ſupernaturaliter agere: *Naturalitas*, inquit, *eſt, quando receptiuum comparatur ad tale agens, quod natum eſt naturaliter imprimere talem formam in tali paſſo: Supernaturalitas autem, quando comparatur ad tale agens, quod non eſt naturaliter impreſſiuum illius formæ in illo paſſo.* Et infrà: *Aliter etiam*, inquit, *poſſet dici ſupernaturale, quia eſt ab agente ſupplente vicem obiecti ſupernaturalis*. Vnde infert, Deum reuelantem, ſe eſſe Trinum & Vnum, eſſe agens ſupernaturale, quia ſupplet in nobis vicem obiecti ſupernaturalis, cuiuſmodi eſt Deus in ſe cognoſcibilis vt Trinus & Vnus, cuius notitiã ſupplet in nobis Deus per reuelationem. Ex quo non rectè aliqui inter quos Vaſquez 1. 2. diſp. 187. num. 12. ex doctrina Scoti vniuerſaliter colligunt, nullam dari formam ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, ſed ſolùm quoad extrinſecam habitudinem ad agens: nam & hic expreſſè admittit obiectum beatificum ſupernaturale: & in 4. diſt. 49. q. 11. §. *dico ſecundo*, viſionẽ beatam quoad entitatem ſupernaturalem: & in 1. diſt. 17. q. 3. §. *dico igitur*, habitus infuſos ſupernaturales.

Scotus.

Vaſquez.

Aliorum explicatio.

7. Alij hunc modum ſupernaturalis tam in actu fidei, quàm in reliquis virtutum infuſarum, collocant in ratione meriti. Ita Capreolus in 1. diſt. 17. q. 1. ad argumenta Aureoli: Caietanus 1. 2. q. 109. art. 4. & 2. 2. q. 171. art. 2. ad tertium. Quem modum ſortiuntur ex habitibus præinfuſis, qui non ad hoc dãtur, vt ſint actiua principia actuum, cùm hi quoad totam ſuam entitatem produci poſſint à potentijs, ſed vt ſint forma moraliter eos dignificans, & acceptabiles reddens in ordine ad vitam ęternam. Diſtinguit enim in poſteriori loco Caietanus duplex genus actuum, alterum ſupernaturale in genere entis ſeu naturæ, vt eſt viſio beata; atque hi nullo pacto elici poſſunt à potentia creata, niſi vt eleuata: Alterum ſupernaturale

Capreol. Caietan.

turale in genere moris ſeu meriti, vt ſunt actus Fidei, Spei, & dilectionis Dei, quos homo viribus naturę elicere poteſt, quantum ad ſpecificam entitatem ipſorum, non autem quantum ad moralem conditionem meriti, vt nimirum ſint condigni vita æterna, hanc enim conditionem ſortiuntur ex infuſis habitibus.

Aliorum explicatio Durand. Paludan. Capreol.

8. Alij hunc modum ſupernaturalitatis conſtituunt in ipſo intrinſeco actu Fidei infuſæ, vt Durandus in 2. diſt. 28. quęſt. 1. n. 7. Paludanus in 3. diſt. 23. quæſt. 3. ad finem, idem Capreolus in 3. diſt. 24. art. 3. ad argumenta Aureoli; aiuntque illum conſiſtere in maiori intenſione, facilitate, & firmitate actus, quem ex ipſo habitu infuſo effectiuè accipit.

Aliorum explicatio.

9. Alij demum hunc ſupernaturalitatis modum explicant per actionem diuerſæ rationis ab ea, qua producitur actus Fidei acquiſitæ: ratione cuius diuerſæ actionis vnus denominatur ſupernaturalis quoad modum, alter naturalis ſimpliciter.

S. Thomas.

10. Potiſſimum fundamentum huius ſententiæ eſt authoritas S. Thomæ, qui ſecunda ſecundæ quæſt. 171. art. 2. ad 3. docet, donum gratiæ habitualis non dari ad ſubſtantiam actus Fidei & dilectionis Dei, ſed tantùm ad modum. Ratio verò eſſe poteſt, quoniã tam hęreticus circa Myſteria, in quibus nõ errat, quàm puer non baptizatus inter fideles enutritus, elicit aliquem actum fidei propter authoritatem Dei conſimilem illi, quem circa eadem Myſteria eliciunt Catholici: atqui in illis non eſt actus Fidei ſupernaturalis quoad ſubſtantiam: ergo aſſenſus fidei non eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, ſed ſolùm quoad modum.

. Sentent.

11. SECVNDA ſententia docet, actum Fidei infuſæ eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, proinde auxilium gratiæ, quod ad actum Fidei Chriſtianæ requirunt Concilia, non ſolùm requiri ad modum, ſed ad entitatem actus. Expreſsè illam ex antiquis Scholaſticis docuit Richardus in 3. diſt. 23. art. 7. quæſt. 2. ex recentioribus verò Sotus lib. 2. de natura & gratia cap. 8. qui tamen ſibi aduerſari videtur lib. 1. cap. 22. Coroll. 2. vbi affirmat, nullum eſſe actum in iuſto, cuius ſimilis quoad ſubſtantiam eſſe non poſſit in peccatore. Sed explicandus eſt de ſimilitudine quoad rationem communem & genericam, non autem ſpecificam & differentialem. Medina prima ſecundæ quæſt. 62. artic. 2. Bannez ſecunda ſecundæ quæſt. 6. art. 1. Molina in Concordia diſp. 36. Vaſquez prima ſecundæ diſp. 187. cap. 2. Suarez lib. 2. de gratia diuina cap. 3. & alibi: Albertinus principio 3. Philoſophico, Coroll. 1. Turrianus ſecunda ſecundæ diſp. 46. dub. 3. Coninck de actibus ſupernaturalibus diſp. 4. dub. 3. Syluius ſecunda ſecundæ quæſt. 6. art. 1. & reliqui ferè recentiores: cum quibus.

Richardus. Sotus. Medina. Bannez. Molina. Vaſquez. Suarez. Albertin. Turrian. Coninck. Syluius.

Conclu-ſio.

12. Dicendum eſt, aſſenſum Fidei Chriſtianæ, prout eſt diſpoſitio ad iuſtificationem, eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, & in genere naturæ, & non tantùm quoad modum, & in genere moris. Probatur 1. Ad actum Fidei Chriſtianæ datur habitus infuſus per ſe: ergo eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. Antecedens admittunt aduerſarij; nec poteſt poſt Trident. negari, quippe quod ſeſſ. 6. cap. 7. docet iuſtificationem peccatoris fieri *per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum.* Explicans autem, quæ ſint hęc dona, ait eſſe *Fidem, Spem, & Charitatem*, quę ſimul *cum ipſa remiſſione peccatorum accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur.* Vnde hac Concilij authoritate ſuffulti pręcedenti Tomo docuimus, ad fidem ſpectare, dari huiuſmodi habitus per ſe infuſos, non tantùm in paruulis, cùm baptizantur, quod certius eſt, & plerique concedunt, cùm in eis hæc dona ſaluari non poſſint per actus, ſed etiam in adultis, cùm iuſtificantur.

Probatur 1. Concilium Trident.

13. Conſequentia verò, in qua tantùm verſatur præſentis difficultatis cardo, probatur: quia nulla alia probabilior ac certior aſſignari poteſt cauſa, cur huiuſmodi habitus in nobis infundantur, quàm vt ſint actiua principia actuum, & conſequenter vt actiuè influant vnà cum anima in ipſam ſubſtantiam actus. Non poſſunt autem actiuè influere in ipſam ſubſtantiam actus, quin actus actiuè procedens ex tali habitu ſit quoad ſubſtantiam ſupernaturalis. Minor hæc facilè probatur: quia quando cauſa ſupernaturalis, vti, aduerſarijs etiam fatentibus, ſunt habitus per ſe infuſi, actiuè influit in actum, non poteſt influere, niſi influxu ſupernaturali: alioqui ſi influeret influxu naturali, & contra ſuam naturam ageret, quippe qui agere poſtulat, ſicuti eſt, agit enim vt cauſa naturalis ſecundùm omnem virtutem, quam habet; & fruſtra infunderetur, cùm propter influxum naturalem non ſit neceſſaria cauſa ſupernaturalis, ſed ſufficiat naturalis.

14. Quòd autem nulla alia certior probabiliorque cauſa aſſignari poſſit, probatur: nam ſi qua alia eſſet, eſſet vna ex aſſignatis in prima ſententia: atqui ex illis nulla eſt. Non prima Scoti: nam illa non eſt cauſa, cur detur in nobis habitus ſupernaturalis fidei, ſed cur poſſit interdum actus eſſe ſupernaturalis per extrinſecam dumtaxat habitudinem ad agens ſupernaturaliter producens: quod licet vltrò concedamus Scoto, vt cùm Deus infundit aliquam cognitionem naturalem Viatori, quam Viator ipſe per naturales vires habiturus non eſſet, adhuc tamen manet difficultas, cur Viatori infundatur habitus ſupernaturalis fidei? quæ alia eſſe non poteſt, quàm vt ſit conprincipium cum ipſo intellectu Viatoris ad eliciendum ſupernaturalem aſſenſum fidei. Quin hoc ipſum probat poſterior ratio ab Scoto aſſignata. Nam ſi Deus per habitum ſupernaturalem fidei ſupplet vicem obiecti ſupernaturalis, quod de ſe natum eſſet cauſare in nobis notitiam intuitiuam ſupernaturalem, rectè ſequitur, aſſenſum fidei eſſe

Scotus.

ſuperna

ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, tum quia hic aſſenſus eſt aliqua participatio illius notitiæ ſupernaturalis, ſaltem quoad certitudinem & infallibilitatem, quam obiectum ipſum beatificum ſupernaturale natum eſſet in nobis cauſare; tum quia cùm hæc notitia fidei ſuppleatur per principium ſupernaturale, vti, in ſententia etiam Scoti, eſt habitus fidei infuſus, ſignum eſt, quòd in ſe ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam.

Capreolus. Caietanus

15. Non ſecunda Capreoli & Caietani, vt nimirum actus fidei ſit tantùm ſupernaturalis in eſſe moris: tum quia hæc ratio non eſt vniuerſalis: nam primus aſſenſus fidei, quem ante habitum ipſum fidei elicit Catechumenus, eſt de congruo meritorius, cùm tamen hic nullum ſupponat habitum infuſum. Scio ad hoc Caietanum reſponſurum, huiuſmodi actum fieri meritorium ab habitu fidei, qui ſtatim ad actum Catechumeni à Deo infunditur, antequam infundatur gratia ipſa iuſtificans. Sed adhuc negare non poterit Caietanus, quin prius prioritate naturæ & cauſalitatis actus fidei in Catechumeno ſit meritorius, quàm ipſe habitus infundatur ſiquidem propter talem actum Deus infundit habitum. Niſi recurrat ad illam doctrinam, vt priùs natura infundatur habitus, quàm ab eo eliciatur actus, propter quem infunditur ipſe habitus. Quæ doctrina inintelligibilis eſt, eamque fusè confutauimus præcedente Tomo. Tum quia forma, quæ dignificat actus noſtros, non ſunt habitus, qui ſolùm ordinantur ad operandum, non ad ſanctificandum ſubiectum; ſed gratia ſanctificans, quæ ſola tanquam Filiatio adoptiua Dei reddit omnia opera noſtra bona accepta & grata Deo, & digna Patris hæreditate. Vnde præciſo quouis habitu, & ſola gratia ſanctificante poſita, omnia opera noſtra bona, ex ſolo ſpeciali auxilio Dei facta, eſſent condigna vita æterna: nam hæc tantùm eſt, quæ perſonam ſanctificat; eaque mediante omnia bona opera ipſius. Sicut ſola vnio hypoſtatica ſanctificat naturam humanam Chriſti, eaque mediante omnia bona opera ipſius. Tum quia, vt forma moraliter dignificet opera, non eget ſpeciali auxilio Dei diſtincto ab ipſo, quo ipſamet forma producta eſt, cùm illa dignificet in genere cauſæ formalis, per vnionem ſui cum ſubiecto. Quemadmodum vt vnio hypoſtatica dignificet omnia opera humanitatis Chriſti, non eget ſpeciali auxilio diſtincto ab eo, quo ipſamet vnio producta eſt. Atqui habitus infuſus fidei, eget ſpeciali auxilio & adiutorio Dei in ordine ad aſſenſum fidei: ergo reſpectu illius non eſt forma moraliter dignificans, ſed principium phyſicè influens. Minor colligitur ex Tridentino ſeſſ. 6. can. 3. vbi definit, ad credendum, quemadmodum & ad ſperandum, diligendum, & pœnitendum, vti oportet ad ſalutem conſequendam, requiri præuenientem Spiritus ſancti inſpirationem atque adiutorium. Igitur præter habitum infuſum fidei, requiritur ex Tridentino ſpeciale auxilium & adiutorium Dei: ſi autem habitus eſſet tantùm forma moraliter dignificans opera noſtra bona, nullum requireretur adiutorium condiſtinctum ab ipſo habitu, ſed ſufficeret, ſi actus elicitus à potentia naturali cum generali dumtaxat concurſu Dei, dignificaretur ab ipſo habitu fidei.

Concilium Trident.

16. Reſponderi poſſet; hoc ſpeciale auxilium à Concilio requiri ante infuſionem habitus, vt ſuppleat vicem ipſius habitus, non autem poſt infuſionem habitus. Sed contrà, nam hoc ſpeciale auxilium ad credendum, ſperandum, & diligendum, vt oportet ad ſalutem, non ſolùm Concilium requirit ante, ſed etiam poſt infuſionem habitus, vt apertè colligitur ex cap. 16. vbi ad omnia opera bona, quæ iuſti in ſtatu iuſtitiæ, & habituum infuſorum faciunt, ait, Chriſtum influere ſpeciali auxilio antecedenti, comitanti, & ſubſequenti, tanquam caput in membra, & vitem in palmites.

Durandus. Paludanus. Capreolus.

17. Non tertia ratio Durandi, Paludani, & Capreoli, qui hanc ſupernaturalitatem quemadmodum cõſtituunt in maiori intentione, facilitate, & firmitate actus: tum quia aſſenſus ſupernaturalis eſt ad ſalutem neceſſarius, vt Concilia definiunt: nulla autem certa intenſio, aut facilitas, ſicut nec certa duratio eſt ad ſalutem neceſſaria: nam etiamſi actus ſit remiſſiſſimus, & magna cũ difficultate elicitus, & in ſolo inſtanti durans, modò elicitus ſit propter teſtimonium Dei, ſufficiens eſt ad ſalutem. Tum quia maior iſta intentio & facilitas actus haberi poſſet ex cauſis naturalibus, vt ex maiori potentiæ conatu, vel ex meliori obiecti propoſitione, vel ex habitu per frequentatos actus acquiſito: conſequenter poſſet homo proprijs viribus ſalutem inchoare. Tum quia vel maior iſta intenſio & facilitas ab habitu fidei producta, eſt eiuſdem rationis cum reliqua entitate actus, à ſola potentia elicita, vel diuerſæ. Si eiuſdem; fruſtra igitur ad illam ponitur cauſa in entitate ſupernaturalis, cuiuſmodi eſt habitus infuſus fidei, cùm poſſit haberi à cauſa naturali. Si diuerſæ; vel ea producitur à ſolo habitu infuſo, & ſic actus, quà ſupernaturalis, & vt oportet ad ſalutem, non erit meritorius reſpectu creaturæ, quia nullus actus poteſt eſſe creaturæ meritorius, niſi liberè ab ea eliciatur: nullus autem actus poteſt liberè à creatura elici, niſi actiuè ab ea procedat, cùm nequeat ſaluari libertas, niſi in actiuitate, vt ex præcedente Tomo ſuppono. Vel ſimul comproducitur ab intellectu credentis: & ſi ille vnà cum habitu producere poteſt aliquem gradum ſupernaturalem actus, cur vnà etiam cum habitu non poterit totum actum producere? Tum demum quoniam firmitas, quæ eſt in aſſenſu fidei infuſæ, eſt ex motiuo formali, hoc ipſo enim, quod nititur ſola authoritate diuina, habet vt quoad firmitatem & certitudinem ſuperet omnem aſſenſum, etiam euidentem ſcientiæ naturalis: ergo ſi aliunde intellectus creatus abſque habitu infuſo poteſt obiecto reuelato

præſtare

Digitized by Google

præſtare aſſenſum propter ſolam authoritatem Dei, habebit abſque habitu vel auxilio ſupernaturali omnem firmitatem & certitudinem, quæ ad credendum vt oportet requiritur.

18. Non demum quarta ratio aliorum, modum hunc ſupernaturalitatis ponentium in diuerſa actione ab ea, qua producitur aſſenſus fidei acquiſitæ. Nam vel actio hæc, quâ poſtulat produci fides infuſa, eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, vel quoad modum. Secundum dici non poteſt: quia cùm actio ſit modus, quo producitur terminus, non apparet, quo alio modo ipſa ſupernaturalis fieri poſſit, niſi vel per aliam actionem, quod implicat; cùm nec vna actio alia actione fieri queat, & de ea iterum ſimilis recurreret difficultas, an eſſet ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, an tantùm quoad modum: vel quia producta eſſet præter exigentiam cauſarum ſecundarum, ſicut dicitur ſupernaturalis productio oculi cœci nati: & talis actio non poſſet eſſe diuerſæ rationis ſpecificæ ab ea, quâ producitur fides acquiſita: ſicut non eſt diuerſæ rationis actio, quâ miraculosè producitur oculus, ab ea, quâ idem oculus producitur à natura. Si verò dicatur primum: fieri non poteſt, vt actio ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, & terminus, qui per eam producitur, ſit quoad ſubſtantiam naturalis, & tantùm ſupernaturalis quoad modum: quia cùm actio ſit formalis communicatio eſſe termino, debet illum in ſe ipſa continere, vt via & tendentia ad ipſum: ergo ſi illi communicat eſſe naturale, debet tale eſſe in ſe ipſa continere: implicat autem, vt eadem actio ſit ſimul naturalis & ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, cùm hæ differentiæ eſſentialiter ſeſe excludant ab eodem ſubiecto: igitur implicat, vt per actionem ſupernaturalem quoad ſubſtantiam producatur terminus naturalis quoad ſubſtantiam, & tantùm ſupernaturalis quoad modum. Confirmatur. Tota exigentia actionis eſt propter terminum: ergo ſi actio eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, etiam terminus erit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, cùm talem ſupernaturalitatem non exigat actio propter ſe, ſed propter teminum.

Probatur 2 concluſio. 19. Secundò probatur eadem veritas ex incommodis, quæ ex alijs ſententijs apertè ſequuntur. Etenim ſi actus fidei Chriſtianæ eſſet ſupernaturalis ex eo præcisè, quòd produceretur à Deo, illum non exigentibus cauſis naturalibus, ſequeretur, hanc ſupernaturalitatem conſiſtere in ſola externa reuelatione, non autem in interna motione Spiritus ſancti, quæ eſt hæreſis Pelagij, *Pelagius.* qui externam gratiam reuelationis non negabat, ſed ſolam internam gratiam diuinæ illuſtrationis. Sequela probatur, nam licet nulla cauſa naturalis exigat reuelationem eorum, quæ Deus cognoſcit, cùm nulla cauſa naturalis exigat notitiam ſecretorum Dei, ne quidem eorum, quæ naturali diſcurſu cognoſci poſſunt, cuiuſmodi ſunt, Deum eſſe, omnipotentem, atque immenſum eſſe &c. facta tamen ſemel reuelatione, nonnunquam cauſæ naturales exigunt, vt Deus tanquam cauſa prima cum creatura concurrat ad aliquem aſſenſum eorum, quæ ſunt reuelata: ergo ſi aſſenſus fidei ſolius naturæ viribus elicitus, eſſet ad ſalutem ſufficiens, aliquando talis aſſenſus eſſet naturæ debitus: Minor probatur, nam ſæpè myſteria fidei tanta euidentia credibilitatis proponuntur gentili, vt circa ea naturaliter exigat aliquem aſſenſum elicere: igitur ſi aliunde Chriſtiana fides non exigit, vt per ſpeciale auxilium à Deo fiat, in tali caſu talis aſſenſus eſſet ſufficiens ad ſalutem, cùm tamen in tali caſu fidei aſſenſus à cauſis naturalibus exigeretur. Præterea, ſi actus fidei eſſet ſufficiens ad ſalutem ex eo tantùm, quòd extrinſecè dignificaretur ab habitu infuſo, ſequeretur, initium ſalutis eſſe ab homine, quod eſt ſemipelagianum. Sequela probatur, nam in ea ſententia homo proprijs viribus poneret aſſenſum fidei, & Deus infunderet habitum quo illum dignificaret: ergo homo inciperet, & Deus perficeret. Idem ſequitur, ſi habitus ſolùm requiritur ad intenſionem, vel facilitatem actus: nam homo ex ſe poneret ſubſtantiam actus, & Deus ſolum augmentum, vel facilitatem. Primum eſt contra Concilium Arauſicanum II. Can. 5. vbi definit, ſicut augmentum, ita & initium fidei eſſe gratiæ donum & à Deo per Spiritus ſancti inſpirationem. Secundum eſt contra Concilium Mileuitanum II. Can. 5 & Tridentinum ſeſſ. 6. Can. 2. quæ contra Pelagium docent, gratiam non dari tantùm ad faciliùs, ſed ad ſimpliciter poſſe.

20. Tertiò probatur à paritate aliorum habituum infuſorum, qui dantur vt comprincipia potentiarum ad actus comproducendos. *Probatur 3. concluſ.* Et quamuis hoc ipſum aduerſarij negent de cæteris habitibus ſupernaturalibus, qui in hac vita viatoribus infunduntur; nam propter eandem rationem putant illos infundi, vel tantùm ad actus dignificandos, vel ad eos maiori cum intenſione, & facilitate producendos, id tamen negare non poſſunt de habitu luminis gloriæ, quod beatis infunditur ad viſionem beatificam eliciendam.

21. Quartò probatur à priori. Omnis connaturalis diſpoſitio debet eſſe eiuſdem ordinis cum forma, ad quam diſponit: atqui Chriſtiana fides eſt connaturalis diſpoſitio ad iuſtificationem: ergo debet eſſe eiuſdem ordinis cum illa. Sed hęc eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, vt cum communi ſententia ſuppono: ergo. Maior conſtat inductione in omni diſpoſitione naturali reſpectu formę, ad quam diſponit. Cuius ratio eſt, quia diſpoſitio connaturalis eſt ſimul proprietas formæ, cuius eſt diſpoſitio. Minor aſſumpta colligitur ex Tridentino ſeſſ. 6. Can. 3. cap. 6. & 7.

Digitized by Google

22. Atque ex his omnibus efficaciter, vt reor, probatum manet, habitum ſupernaturalem fidei non ob aliam cauſam nobis infundi, quàm vt vnà cum intellectu ſit actiuum conprincipium aſſenſus fidei Chriſtianæ, ac proinde hunc eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, cùm non poſſit cauſa ſupernaturalis, vt cauſa ſupernaturalis influere, niſi influxu ſupernaturali.

Reſp. ad 1. ſentent. argum. 23. Ad argumenta 1. ſententiæ Reſpondeo ſanctum Doctorem, alioſque graues authores, cùm dicunt, actum fidei, reliquarumque virtutum infuſarum, eſſe naturalem quoad ſubſtantiam, ſupernaturalem verò quoad modum, explicandos eſſe de modo qualificatiuo in quid, & eſſentialiter, quo modo dicitur differentia qualificare genus, contrahendo illud ad determinatam ſpeciem entis: ita dicitur modus ex tali motiuo deſumptus qualificare, actum in genere, contrahendo illum ad determinatam ſpeciem, qui & propter genericam conuenientiam cum actu naturali, dicitur quoad ſubſtantiam naturalis; & propter diuerſitatem proprij modi ſpecifici, ſupernaturalis quoad modum.

S. Thomas. 24. Inſtabis: citato loco quæſt. 171. art. 2. ad 3. S. Thomas diſtinguit actus ſupernaturales quoad ſubſtantiam, *vt ſunt*, inquit, *miracula facere, cognoſcere occulta & incerta diuinæ ſapientiæ*, ab actibus ſupernaturalibus quoad modum, vt *diligere Deum, eumque in ſpeculo creaturarum cognoſcere*. Atqui ſecundùm noſtram explicationem omnes actus ſupernaturales dicerentur naturales quoad ſubſtantiam, quia omnes habent genericam conuenientiam cum actibus naturalibus. Reſpondeo S. Thomam appellare actus ſupernaturales quoad ſubſtantiam, qui neque in ratione generica materialis obiecti conueniunt cum naturalibus, cuiuſmodi ſunt, præter aſſignatos, omnes ij, quorum materialia obiecta ſunt extra ſphæram potentiæ naturalis, vt viſio beatifica, quæ ſub nullo motiuo attingi poteſt ab intellectu creato, abſque peculiari eleuatione: cùm tamen ſub motiuo naturali poſſit homo viribus proprijs credere, ſperare, & diligere Deum. Legantur, quæ illic habet *Syluius.* Syluius.

25. Ad rationem, negandum eſt, hæreticos circa Myſteria, in quibus non errant, elicere actum fidei eiuſdem ſpeciei, quem eliciunt Catholici. Ratio eſt, quia cùm ipſi non habeant animum credendi reliquos articulos fidei, qui eodem modo proponuntur euidenter credibiles authoritate Diuina, apponunt poſitiuum impedimentum, quo minùs ſpeciali motione Spiritus S. eleuentur ad credenda fide infuſa ea ipſa, in quibus non errant. Sicut non eſt capax, vt ſpeciali auxilio Dei præmoueatur ad contritionem huius peccati mortalis, qui non habet animum pœnitendi de reliquis. Quo fit, vt ſi qui ſint inter hæreticos, qui laborant ignorantiâ inuincibili de reliquis articulis fidei, vel quia nunquam ſunt illis propoſiti, vel quia inuincibiliter putant ſe ad eos credendos non teneri, poſſe eos, & de facto ſæpe à Deo ſpeciali auxilio moueri ad verum actum fidei infuſæ eliciendum.

26. Ex his apparet longè diuerſam rationem eſſe de hæretico, & de puero non baptizato inter fideles enutrito: nam licet hic careat habitu infuſo fidei, quia tamen nullum apponit impedimentum, quo minùs ſpeciali auxilio à Deo præmoueatur ad credenda vera fide infuſa ea Myſteria, quæ ſibi ſufficienter proponuntur, ſæpe de facto ſpeciali auxilio ad eam præmouetur: qua præmotione bene vtens dignus fit, vt ad alia & alia auxilia vſque ad ipſam iuſtificantem gratiam præmoueatur, cum qua omnes habitus infuſos accipit, præter fidei & ſpei, qui vt ex 3. tomo ſuppono, infunduntur ante gratiam iuſtificantem, cùm primùm homo elicit verum actum fidei, & ſpei infuſæ. *S. Thom.*

SECTIO III.

An poſſit homo viribus naturæ abſque ſpeciali auxilio Dei intus mouente aſſentiri ſupernaturalibus Myſterijs fidei?

27. NON quærimus hic, an poſſit homo viribus naturę, abſq; ſpeciali auxilio Dei, aſſentiri ſupernaturalibus Myſterijs fidei, propter authoritatem Dei, tãquam propter motiuum formale, de hoc enim, ſectione ſequenti: ſed tantùm, an poſſit ſimpliciter his aſſentiri, ex quocunque tandem motiuo aſſentiatur. Neque etiã quærimus, an huiuſmodi aſſenſus ſit ſufficiens ad ſalutem. Neq; tandem hic ſermo eſt de gratia extrinſecæ reuelationis, quæ ad huiuſmodi aſſenſum neceſſariò preſupponitur, & à nemine negatur: ſed de gratia intus mouente, de qua tantùm eſt controuerſia, quamque ſolam Pelagius negabat, etiam ad aſſenſum ad ſalutem ſufficientem.

28. PRIMA ſententia negat, poſſe hominem abſque ſpeciali auxilio, ſaltē ordinis naturalis, certò aſſentiri Myſterijs reuelatis. Eſt Vaſquez 1. 2. diſp. 186. n. 20. vbi docet, fidem acquiſitam conceptam ex teſtimonijs humanis, quæ per modum conditionis præcedere debet fidem infuſam, eſſe ex ſpeciali auxilio Dei ordinis naturalis per Chriſtum: eaque euidenter ſequitur ex doctrina ipſius, quam fusè tradit diſp. 190 per totam, nempe omnem congruam cogitationem inclinantem voluntatem ad aliquod bonum honeſtum, etiam naturale quoad ſubſtantiam, eſſe ſpecialem gratiam ordinis naturalis per Chriſtum. Atqui aſſenſus in Myſteria fidei ſupponit congruam cogitatio- *1. Sentent.* *Vaſquez.*

nem

nem inclinantem voluntatem ad pium affectum eadem Myſteria credendi fide acquiſita: nec non ipſe aſſenſus fidei acquiſitæ diſponit voluntatem ad pium affectum ea ipſa credendi fide infuſa. Maiorem probat Vaſquez: nam creatura rationalis de ſe eſt indifferens, nec de ſe potiùs poſtulat, vt præueniatur congrua, quàm non congruà cogitatione ad bonum: ergo quòd potiùs hic & nunc præueniatur congrua cogitatione, vt propoſitis Myſterijs fidei, ex teſtimonio & ratione humana aſſentiatur, eſt ſpecialis gratia per Chriſtum naturę indebita.

29. Confirmat. Quidquid eſt ſupra donum creationis & conſeruationis, eſt indebitum naturæ, ac proinde gratia per Chriſtum, qui nobis promeruit quidquid eſt naturæ indebitum. Omnis autem congrua cogitatio ad bonum etiam naturale quoad ſubſtantiam inclinans, eſt donum ſuperadditum dono creationis & conſeruationis: cùm hoc æquè benè ſaluari poſſit cum oppoſita cogitatione non congrua, nam ex vi creationis & conſeruationis creatura rationalis non magis poſtulat vnum, quàm alterum.

30. Quæ ſententia vlteriùs confirmari poteſt tum ex principijs vniuerſalibus Scripturæ ſacræ Ioannis 15. *Sine me nihil poteſtis facere* 1. ad Corinthios 12. *Nemo poteſt dicere dominus Ieſus, niſi in Spiritu S.* & 2. ad Corinth. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Actorum. 16. Vbi dicitur Dominus aperuiſſe cor cuiuſdam mulieris nomine Lydię, vt *intenderet his, quæ dicebantur à Paulo.* Ergo non modò aſſenſus in Myſteria fidei, ſed deſiderium ipſum audiendi & attendendi ad Myſteria fidei, eſt à Deo. Tum ſpeciali authoritate Concilij Arauſicani II. quòd Can. 22. expreſsè docet, nihil de ſuo habere hominem, niſi mendacium & peccatum: ſi quam autem veritatem habet, ab illo fonte habere, quam debemus in hac Eremo ſitire.

Ioan. 15. *1. Cor. 12.* *2. Cor. 3.* *Actor. 16.* *Concil. Arauſic.*

31. SECVNDA ſententia affirmat, poſſe hominem viribus naturæ, abſque ſpeciali auxilio per Chriſtum, ſolo concurſu generali primæ cauſę, omnibus parato, aſſentiri Myſterijs reuelatis propter teſtimonia & rationes humanas. Hanc communiter docent recentiores Bannez 2. 2. quæſt. 6. art. 1. Molina in concordia diſp. 7. Bellarminus lib. 6. de gratia & libero arbitrio cap. 3. Suarez lib. 2. de neceſſitate gratię cap. 10. Azor tom. 1. Moralium Inſtit. lib. 3. cap. 24. q. 2. Coninck de actibus ſupernaturalibus diſp. 14. dub. 2. & alij. Eaque manifeſtè ſequitur ex opinione eorum, qui docent, habitum infuſum fidei ſolùm nobis dari ad modum, non autem ad ſubſtantiam actus. Eandem ſententiam apertè ſupponit S. Thomas ſecunda ſecundæ q. 5. art. 3. dum ait, hæreticum de Myſterijs, in quibus non errat, habere opinionem.

2. Sententia reijcienda. *Bannez* *Molina* *Bellarm.* *Suarez* *Azor* *Coninck.* *S. Thom.*

32. Hæc ſententia probabilior eſt, & ſequenda, quam non obſcurè indicant Concilia, dum ſpeciale auxilium per Chriſtum non requirunt ad credendum vtcunque; ſed vt oportet ad ſalutem. Supponunt igitur, præter aſſenſum in Myſteria fidei, vti oportet ad ſalutem, dari alium, qui non ſit vt ad ſalutem oportet. Talis igitur poterit ſolius naturæ viribus ab intellectu viatoris elici. Conſequentia probatur, quoniam ad hunc non requiritur ſpeciale auxilium per Chriſtum, alioqui etiam hic eſſet ſicut oportet ad ſalutem: omnis quippe actus, ad quem requiritur ſpeciale auxilium per Chriſtum, eſt ſicut oportet ad ſalutem, cùm omne auxilium, quod per Chriſtum nobis datur, detur in ordine ad ſalutem.

33. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quoniam in omne id proprijs viribus humanus intellectus ferri poteſt, quod ipſius naturalem capacitatem, & modum operandi non excedit: aſſentiri autem Myſterijs reuelatis aſſenſu aliquo naturali fidei acquiſitæ, neque naturalem capacitatem, neque modum operandi ipſius excedit: ergo poterit viribus proprijs abſque ſpeciali auxilio per Chriſtũ ijs aſſentiri. Maior clara eſt: cùm omnis potentia poſſit in omne obiectum, intra propriam ſphæram contentum. Minor probatur, nam maximè naturale eſt homini, aſſentiri ijs, quæ à perſona fide digna proponuntur. Ergo maximè quæ proponuntur vt dicta à Deo. Atqui poteſt aliquod Myſterium fidei per tales rationes & ſigna humana proponi, vt euidens ſit, euidentia ſaltem morali, illud eſſe à Deo reuelatum: igitur poterit tali Myſterio intellectus humanus naturali aſſenſu fidei acquiſitæ, abſque ſpeciali auxilio Dei, cum ſolo generali concurſu aſſentiri. Confirmatur, nam euidens eſt naturaliter, Deum nec fallere, nec falli poſſe: ergò ſi euidens quoque eſt, aliquid eſſe à Deo reuelatum, poterit intellectus humanus naturaliter illi aſſentiri. *Prob. 1.*

34. Secundò probatur à poſteriori; nam hæretici aſſenſu merè naturali aſſentiuntur ijs fidei Myſterijs, in quibus non errant: igitur poteſt intellectus humanus, abſque ſpeciali auxilio, cum ſolo concurſu generali naturaliter aſſentiri Myſterijs fidei, ſi congruè proponantur. Antecedens probatur, nam hæretici non præmouentur ſpeciali auxilio per Chriſtum ad credenda ea Myſteria, in quibus non errant, vt præcedente ſect. oſtendimus. Idem argumentum fieri poſſet de Iudæis, qui naturali aſſenſu, abſque ſpeciali auxilio per Chriſtum, quem negant, aſſentiuntur Myſterijs antiquæ legis, in quibus non errant. *Prob. 2.*

35. Confirmatur, quoniam ad aſſentiendum naturali aſſenſu alicui Myſterio reuelato, nihil aliud requiritur, quàm vt voluntas perſuaſa efficacia & euidentia rationum ac ſignorum, quibus illud proponitur vt reuelatum à Deo, imperet in-

tellectui, vt illi aſſentiatur vt vero. Atqui tot ſigna & rationes eſſe poſſunt, vt voluntas omnino perſuadeatur, illud eſſe re-reuelatum à Deo: ergo poterit tunc imperare intellectui, vt illi tanquam vero, & à Deo reuelato, non tamen propter ipſam reuelationem, vt ſequenti ſect. oſtendam, aſſentiatur.

Reſp. ad fundam. 1. ſent. 36. Ad fundamentum Vaſquez, neganda eſt Maior: falſum quippe eſt, omnem congruam cogitationem inclinantem voluntatem ad bonum honeſtum naturale eſſe ſpecialem gratiam per Chriſtum, vt fusè probo in 3. tomo diſp. 26. de neceſſitate gratiæ ſect. 4. Neque creatura rationalis de ſe eſt ita indifferens ad bonum & malum, vt ex ſe nunquam naturalite. poſtulet operari bonum: quin ideò eſt indifferens ad bonum & malum, quia interdum naturaliter poſtulat operari bonum, alioqui non eſſet indifferens ad bonum & malum, ſed determinata ad operandum malum, quod eſt contra dignitatem creaturæ rationalis, & diuinam prouidentiam, quam de illa habet. Quare negandum eſt, poſſe donum creationis & conſeruationis ſemper in creatura rationali ſaluari, abſque congrua aliqua cogitatione ab bonum honeſtum ordinis naturalis. Legantur, quæ cit: loco doceo.

37. Ad Minorem verò, negandum eſt, aſſenſum purè naturalem de ſe poſitiuè inclinare, aut voluntatem inuitare, vel quomodocunque diſponere ad pium affectum eadem Myſteria credendi fide infuſâ. Nam adhuc tali aſſenſu naturali poſito, tam voluntas, quàm intellectus eget ſpeciali auxilio ſupernaturali indebito ad credendum fide Diuinâ. Quod auxilium Deus non confert intuitu aſſenſus naturalis, ſed merè gratis & liberaliter. Vnde non poteſt talis aſſenſus dici, ne remota quidem diſpoſitio ad fidem infuſam, ſed remotio duntaxat impedimenti, niſi quando talis aſſenſus elicitur ex ſpeciali auxilio Dei ordinis naturalis, quia tunc ex ordinatione diuina eſt moralis, & remota diſpoſitio ad iuſtificationem.

38. Citata autem teſtimonia Scripturæ & Conciliorum intelligenda ſunt de fide & operibus, quæ ad æternam ſalutem aliquo modo conducunt, vt ipſamet Concilia apertè declarant, dum fidem requirunt, vt oportet ad ſalutem. Eodem modo intelligendus eſt citatus canon Concilij Arauſicani, vt homo de ſe non habeat, niſi mendacium, prout mendacium opponitur veritati ad æternam ſalutem conducenti. *Arauſic.*

SECTIO IV.

An poßit homo fide acquiſita naturali aſſentiri reuelatis ex eodem motiuo formali, ex quo ijſdem aſſentitur fide infuſa ſupernaturali?

39. PRIMA ſententia affirmat; quam fusè probat Ægidius Coninck de actibus ſupernaturalibus diſp. 5. dub. 3. & diſp. 14. dub. 2. eamque extendit ad actus ſpei, dilectionis, cæterarumque virtutum. *1. Sentent. Coninck.* Pro qua inter alios citat Molinam in concordia, qui tamen diſput. 7. circa finem, aſſenſum naturalem circa Myſteria fidei appellat opinatiuum, & fidem humanam: *Molina.* *Neque nos, inquit, alium aſſenſum intendimus hoc loco probare, poſſe elici viribus liberi arbitrij, & concurſu generali Dei circa ea, quæ ad fidem pertinent, quàm opinionem fidemve humanam.* Porò fides humana non poteſt pro motiuo formali habere authoritatem Diuinam, eſto eam habere poſſit pro obiecto materiali. In quo ſenſu intelligendus eſt idem author, dum paulò poſt docet, vtrumque aſſenſum verſari circa idem obiectum, nempe materiale. Hæc tamen ſententia tribui poteſt ijs authoribus, qui docent actum fidei infuſæ ſolùm quoad modum diſcriminari ab actu fidei acquiſitæ.

40. Probatur hæc ſententia primò experientia, qua conſtat tam hæreticos, quàm Iudæos Myſteria fidei, in quibus non errant, credere propter ſolam authoritatem Dei, cùm tamen eorum actus ſint merè naturales. ſolo concurſu Dei eliciti: ergo ex eodem motiuo formali aſſentiri poſſumus aſſenſu naturali, & ſupernaturali. *Prob. 1.* Minor patet, quoniam cùm hæretici, & Iudæi non habeant animum credendi reliqua Myſteria fidei, non ſunt capaces, vt à Deo ſpeciali auxilio pręmoueantur ad credenda fide infuſâ ea ipſa Myſteria in quibus non errant. Maior probatur, nam hoc & intendit hæreticus, vt propoſita Myſteria, in quibus non errat, credat propter authoritatem Dei; & hoc ipſum in ſe ipſo experitur.

41. Confirmatur. Poteſt intellectus niti reuelatione diuinâ vt obiecto formali putatiuè tãtùm verâ: ergo etiam niti poteſt reuelatione diuinâ re ipſa vera. Antecedens probatur, quia poteſt fidelis inuincibiliter putare rem aliquam falſam eſſe à Deo reuelatam, eamq; propter authoritatem Dei prudenter putatam credere vt verã. Conſequentia verò probatur, quia qui credit rem prudenter putatã à Deo reuelatam, propter authoritatem Dei, credit actu naturali, cùm nequeat fides infuſa ad falſum concurrere.

Prob. 2. 42. Secundò. Interdum nulla eſt inter actum naturalem & ſupernaturalem ex parte motiui formalis aſſignabilis diuerſitas: ergo ſaltem aliquando poſſunt actus naturalis & ſupernaturalis verſari circa idem motiuum formale: quòd ſi poſſunt ſemel, poterunt ſemper. Antecedens probatur in amore amicitiæ erga Deum, qui ſiue ametur amore naturali, ſiue ſupernaturali, ſemper motiuum amoris eſt idem, ipſa ſcilicet increata bonitas, propter ſe ipſam amabilis: ergo hoc ipſum dici poteſt de motiuo formali fidei naturalis & ſupernaturalis.

Prob. 3. 43. Tertiò probatur à priori: ſpecifica perfectio actuum non ſemper deſumitur ex obiecto formali diſtincto, ſed ex principio productiuo diuerſo: ergo poſſunt actus naturalis & ſupernaturalis producti à diuerſis principiis verſari circa idem obiectum formale. Conſequentia conſtat. Antecedens probatur, nam & cognitio animæ ſeparatæ, qua ſe ipſam intuetur, & cognitio Angeli, qua eandem animam intuitiuè cognoſcit, ſpecie differunt, & non ex obiecto formali, cùm nihil ſit in obiecto vnius, quod non ſit in obiecto alterius; ſed ex principijs productiuis diuerſis: & ſcientia naturalis, atque infuſa circa idem motiuum formale ſpecie diſcriminantur ex ſolo principio productiuo diuerſo: ergo pariter poterunt aſſenſus naturalis & ſupernaturalis verſari circa eandem authoritatem diuinam, tanquam circa motiuum formale, ex diuerſis principijs productiuis, naturali & ſupernaturali.

44. Confirmatur. Actus quoad intrinſecum ſuum eſſe magis pendet à principio productiuo, quam ab obiecto; nam ab hoc ſolùm accipit extrinſecum ordinem & habitudinem, ab illo verò intrinſecum eſſe: ergo quoad ſuam ſpecificationem magis pendet à principio productiuo, quàm ab obiecto. Ergo etiamſi obiectum ſit idem, ſi tamen principia ſint diuerſa, & in actus influant, quantum poſſunt, actus erunt diuerſi.

2 Sentent. Bannez Canus Medina Curiel Azor Suarez Alenſis. 45. Secunda ſententia negat; quæ communior eſt inter recentiores, eamque expreſsè docent Bannez 2. 2. quæſt. 6. art. 1. & quæſt. 24. art. 2. pro qua etiam citat Magiſtrum Canum, qui oppoſitam ſententiam cenſet periculoſam: Medina 1. 2. quæſt. 62. art. 2. Curiel. 1. 2. quæſt. 109. art. 1. & 3. Azor tom. 1. moralium inſtit. lib. 3. cap. 24. quæſt. 2. Suarez lib. 2. de neceſſitate gratiæ cap. 11. eamque ex antiquis Scholaſticis non obſcurè tradiderunt Alenſis 3. p. quæſt. 78. memb. 2. vbi fidem acquiſitam & infuſam diſtinguit ex obiecto formali, quòd illa nitatur ratione & teſtimonio humano, hæc authoritate diuina propter ſe credita, *quæ eſt*, inquit, *ſupra naturam*: & 2. p. q. 31. memb. 3. vbi diſtinguit dilectionem Dei naturalem, & ſupernaturalem penes obiecta formalia, quòd illa diligat Deum vt authorem naturę, hæc vt authorem beatitudinis ſupernaturalis: Bonauentura in 3. diſt. 23. art. 2. quæſt. 2. ad 2. vbi pari modo fidem acquiſitam & infuſam diſcriminat ex obiecto formali, quòd illa teſtimonio humano, hæc authoritati diuinæ innitatur: additque huic neminem aſſentiri, *niſi per diuinam illuminationem*: Richard. in 3. diſt. 23. art. 7. qu. 2. in qua docet, non poſſe intellectum aſſentiri *veritati ſupernaturali* (intellige reuelatæ) *innitendo primæ veritati, niſi per motorem ſupernaturalẽ ſupernaturaliter mouentẽ*: & in 2. diſt. 3. art. 7. qu. 1. ad 1. ex diuerſo etiam obiecto formali diſcriminat actum dilectionis Dei naturalis & ſupernaturalis, quòd ille in Deum tendat vt vniuerſale bonum naturæ, hic vt ſummum bonum beatificans ſupernaturali beatitudine. Eadem ſententia procul dubio eſt S. Thomæ 2. 2. quæſt. 5. art. 3. in corpore, vbi ex eo probat, non manere in hæretico habitum fidei infuſæ, quia in eo non manet formale obiectum fidei infuſæ, quæ eſt prima veritas, vt in ſacris Scripturis manifeſtata: maneret autẽ in eo formale obiectũ fidei infuſæ, ſi poſſet actu naturali, myſteria, in quibus non errat, credere propter primã veritatẽ, vt in ſacris ſcripturis manifeſtatam. Id ipſum confirmat, quod ibidem docet, ſpeciem habitus pendere ex ratione formali obiecti, qua ſublata, tollitur ſpecies habitus: nam ſi ſpecies habitus pendet ex ratione formali obiecti, multò magis ſpecies actus pendebit ex ratione formali eiuſdem. Demum ad primum ait, hominem ad credendum articulos fidei, propter primam veritatem, indigere ope habitus infuſi: ergo ad credendum articulos fidei, propter primam veritatem, neceſſarius eſt habitus infuſus, vel auxilium ſupernaturale æquiualens. (Richardus. S. Thom.)

Sequenda. Prob. 1. 46. Hæc ſententia tanquam communior ac principijs fidei conformior ſequenda nobis eſt. Difficultas non parua eſt in aſſignanda ratione, quę & hanc efficaciter probet, & contrariam improbet. Variæ à varijs aſſignantur rationes: Mihi duæ tantùm ſunt ad hanc ſententiam confirmandam efficaces; vna ducta ex Concilijs, quæ docent, ad credendum, vt oportet ad ſalutem, neceſſarium eſſe ſpeciale auxilium per Chriſtum. Dum autem explicant, quid ſit, credere vt ad ſalutem oportet, non alio modo hoc declarant, quàm per credere in Deum, ita Arauſicanum II. Canon. 5. & 25. Vnde damnat eos, qui dicunt, fidem, qua in Deum credimus, eſſe naturalem: idque confirmat teſtimonio Apoſtoli ad Philippenſes 1. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis* &c. Vnde iuxta Concilium idem eſt, credere vt ad ſalutem oportet, & credere in Deum, hoc eſt propter teſtimonium Dei. Repugnat igitur Myſteria fidei credere propter teſtimonium Dei, & illa actu naturali credere. Quod etiam confirmatur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 6. vbi deſcribens fidem, quæ ad iuſtificationem diſponit, ait, illam eſſe, qua *liberè mouemur in Deum, credentes vera eſſe, quæ diuinitus reuelata & promiſſa ſunt*: igitur hoc ipſo, quòd fides tendit in (Concilium Arauſic. Philipp. 1. Conc. Trid.)

ritatem Dei, vt rationem formalem credendi, per ea ſigna credibilitatis, quæ vnaquæque habet ſeorſim ab alijs regulis. Et in hoc ſenſu poſſunt ſeſe mutuò iuuare in eodem genere applicationis, ſecundùm diuerſa motiua credibilitatis, non ſecus ac plures cauſæ efficientes poſſunt ſeſe inuicem iuuare, ſecundùm diuerſas virtutes ad cauſandum aliquem effectum, quem ſingulæ ſeorſim non poſſent. Hoc pacto Scriptura iuuatur à traditione, & à regula animata ad applicandam nobis ſufficienter ipſam authoritatem Dei ſcriptam, qua formaliter credamus, ipſam eſſe Verbum Dei: Rurſus traditio à Scriptura, & à regula animata ad applicandam eandem authoritatem Dei traditam, qua formaliter credamus, illam eſſe à Deo. Tandem regula animata iuuatur à Scriptura & traditione ad applicandum teſtimonium Diuinum, quo formaliter credamus, ipſam eſſe infallibilis authoritatis in definiendis ac proponendis rebus fidei. In hoc enim mutuo genere conditionis applicantis nulla apparet implicantia, & meliùs ſaluatur mutua connexio, quæ inter has regulas reperitur. Quod claritatis cauſa explicari poteſt hoc exemplo. Conſtituat Deus duos Prophetas vnumquemque cum ijs ſignis credibilitatis, quæ ex ſe non ſufficerent ad probandum ipſum eſſe Prophetam Dei, ſufficerent autem ſimul cum ſignis alterius ſuo teſtimonio perhibentis illum eſſe verum Prophetam: vnuſquiſque indigebit ſignis & teſtimonio alterius ad probandum ſe eſſe Prophetam Dei, ſeſeque mutuo iuuabunt ſecundùm diuerſa motiua credibilitatis ad ſeipſum ſufficienter proponendum fide Diuina credendum. Eadem ratione fieri poteſt, vt ſigna credibilitatis, quæ vnaquæque regula ſeorſim ſumpta in ſe habet ad ſufficienter applicandam Diuinam authoritatem, qua fiat proximè credibilis, nō ſint ſatis: ſint autem ſatis coniuncta cum ſignis alterius regulæ.

41. Solùm hic obſtare videtur ratio in principio facta: nam teſtimonium Pontificis, quod eſt ratio de fide applicans nobis Scripturam & traditionem, ſupponit iam Scripturam & traditionem ſufficienter applicatas, alioqui non poſſent illæ eſſe ratio credendi Pontificem fide Diuina: non igitur poteſt eſſe conditio applicans nobis teſtimonium Scripturæ & traditionis ad credendum ipſummet Pontificem fide Diuina, cùm non poſſit effectus eſſe conditio, vt à ſua cauſa producatur.

Duplex in Pontifice conditio.

42. Verùm hæc ratio facilè ſoluitur: nam duplex in Pontifice conditio applicans obiectum fidei diſtinguitur; altera per ſigna humana, quę proponit ipſum Pōtificem vt euidenter credibilem; altera per fidem Diuinam, quæ certò, ſed obſcurè proponit obiectum credendum. Prior præcedit aſſenſum, quo credimus Pontificem ex teſtimonio Diuino, eſtque partialis conditio, qua ſufficienter nobis applicatur ipſum teſtimoniū Scripturæ, quo tanquam ratione formali credimus Pontificem. Poſterior ſubſequitur aſſenſum, quo Pontificem credimus: atque hæc non poteſt eſſe conditio nobis applicans teſtimoniū Scripturæ, quo formaliter credimus Pōtificem: poteſt tamen eſſe conditio ad applicandum teſtimonium eiuſdem Scripturæ ad reliqua Myſteria fidei credenda.

Reſp. ad fund. Dur.

43. Ex dictis patet ad argumenta aliarum ſentētiarum. Vnde ad fundamentū Durandi negāda eſt maior, videlicet omnem notitiam obſcuram reſoluendam eſſe in aliquam euidentem, tanquam in rationem formalem, bene tamen tanquam in conditionem applicantem, quo pacto fides reſoluitur in iudicium euidens credibilitatis.

Reſp. ad 1. ſent. fund.

44. Eodem modo reſpondendum eſt ad fundamentum ſecundæ ſententię. Ad authoritatem autem Ariſtotelis dico, illum intelligendum eſſe de cognitione diſcurſiua in ratione ſcibilis, non autem in ratione credibilis, qualis eſt cognitio fidei. Ratio diſcriminis, quia cùm cognitio in ratione ſcibilis procedat per cauſas rei, reſolui tandem debet in aliquod, quod ſit principiū & ratio eſſēdi cęteris, ac proinde per ſe cognoſcibile. Cognitio verò in ratione credibilis, quia nititur ſolo extrinſeco teſtimonio dicentis, reſolui non debet in aliquod per ſe cognoſcibile, ſed per ſe credibile. Nam ſicut ſe habet principium cognoſcibile in ſcientijs, ita principium credibile in fide: & quemadmodum primùm cognoſcibile nō reſoluitur in aliud cognoſcibile, ita nec primùm credibile in aliud credibile: hoc autem eſt authoritas Diuina, in quā cætera reſoluuntur tanquam in vltimam rationem formalem. Atque in hoc ſenſu concedendū eſt, quòd ſicut in ſciētia dantur prima principia, ad quæ per diſcurſum reſoluuntur Concluſiones: ita in fide prima credibilia, ad quæ per ſimplicem aſſenſum reſoluuntur veritates reuelatæ. Porrò in authoritate Diuina implicitè includuntur illa tria principia à Marſilio aſſignata, nēpe quòd Deus ſit, quòd verax ſit, & quòd omne ab ipſo reuelatum ſit verū: nā hoc ipſo, quòd credimus Deo dicēti, virtute credimus, ipſum eſſe, veracem eſſe, & omne quod reuelat, verū eſſe, quæ omnia implicitè includuntur in quouis aſſenſu fidei.

45. Dices. Credimus, ipſum verum dicere, quia verax eſt: ſed credimus eſſe veracem, quia ipſe dixit, ſe eſſe veracem: ergo labimur in circulum. Confirmatur: nam nemo eſt tam minùs fide dignus, quàm qui dicit, ſe eſſe fide dignum. Reſpondeo: concedo, nos credere Deo, quia verax eſt, & ipſum credere veracem eſſe, quia ipſe dixit: nego tamen inde nos in circulum labi, aut Deum non eſſe fide dignum, quia ipſe dicit, ſibi eſſe credendum: nam tantæ authoritatis eſt Deus, vt cuiuis vel ex ipſis terminis notum ſit, Deo dicenti ſummam pręſtandam eſſe fidem. Vnde ſtatim ac nobis per ſigna credibilitatis conſtat, aliquid Deum dicere, etiamſi ipſe ſignatè non dicat, ſibi eſſe tanquam veraci credendum, ſumma fides præſtanda erit. Notandum tamen eſt, nos non credere Deo, quia

naturaliter

naturaliter cognoſcimus ipſum eſſe veracem, ac mentiri non poſſe; ſic enim fides infuſa reſolueretur in aliquod naturaliter notum, tanquam in rationem formalem aſſentiendi; ſed quia ipſe dicit, ſe eſſe veracem: quamuis Deum eſſe veracem, cognitum lumine naturæ, ſit nobis conditio euidenter applicans, vt ei dicenti ſe eſſe veracem credendum ſit ſumma certitudine.

Reſp. ad 3. ſent. fund. 46. Fundamentum Medinæ, quatenus ſupponit fidem reſolui per diſcurſum, falſum eſt: quatenus verò illam reſoluit in Eccleſiam, diſtinguendum eſt: nam vel reſoluit in illam tanquam in rationem formalem credendi, & negandum eſt; vel tanquam in rationem proponendi, & concedendum eſt.

47. Ad fundamentum Vaſquez conſtat ex dictis, nos fide infuſa aſſentiri obiecto materiali propter formale, non per modum plurium, inferendo vnum ex alio; ſed per modum vnius propoſitionis conſtantis ex parte materiali & formali per ſimplicem adhæſionem ad partem materialẽ propter formalem. *Reſp. ad 4. ſent. fund.*

48. Fundamentum Bannez primò falſum ſupponit: nam fides, quam habuerunt Apoſtoli & Prophetæ cum euidentia in atteſtante, fuit diuerſæ rationis à noſtra, quia fuit cum euidentia rationis formalis. Secundò tantùm probat, fidem noſtram vltimò reſolui in Spiritum ſanctum intus illuminantem & excitantem, tanquam in cauſam efficientem, & præmouentem, *Reſp. ad 5. ſent. fund.*

DISPVTATIO X.

De interiori actu Fidei Chriſtianæ.

SECTIO PRIMA.

Quis ſit actus Fidei, & an rectè diſtinguatur in credere Deo, credere Deum, & credere in Deum?

1. Pars quæſt. D. Auguſt. 1. Actum fidei definit Auguſtinus de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 2. eſſe ipſum credere cum aſſenſione cogitare, ſumpto cogitare pro actu intellectus deliberantis. Cùm enim fides ſit de obiecto obſcuro, prærequirit actum voluntatis inducentis intellectum ad credendum: rurſus hæc actum intellectus inquirentis, & iudicantis, obiectum eſſe credibile, & credendum: proinde credere, eſt cum quadam mentis deliberatione propoſito obiecto aſſentiri. Vnde diſtinguitur ab aſſenſu ſcientifico, & Theologico, qui in obiectum fertur abſque deliberatione voluntatis; nec non à dubitatione, ſuſpicione, & opinione, quæ ſunt abſque firma intellectus adhæſione. *Definitio Fidei.* Cæterùm hæc potiùs eſt deſcriptio per extrinſeca quàm exacta definitio per intrinſeca. Poſſet autem hoc modo definiri: *Aſſenſus certus & obſcurus in prima veritate reuelante immediatè fundatus.* Eſt enim fides, teſte Paulo 1. ad Corinth. 13. viſio ænigmatica: & ad Hebræos 11. *argumentum non apparentium*: ergo eſt actus intellectus, qui quoad certitudinem conuenit cum ſcientia, diſcrepat in obſcuritate; *1. Ad Cor. 13. Ad Heb. 11.* Per vltima verba diſtinguitur ab aſſenſu Theologico, qui certus eſt, & obſcurus, non tamen immediatè in prima veritate reuelante fundatus, ſed mediante diſcurſu, & naturali connexione concluſionis cum præmiſſis. Dupliciter enim poteſt authoritas diuina ad aſſenſum concurrere, vno modo vt adæquata & præciſa ratio aſſentiendi, quo pacto ſpecificat aſſenſum fidei: alio modo vt inadæquata, qua ratione ſpecificat aſſenſum Theologicum, vel fidem humanam, aut naturalem, iuxta qualitatem rationis, cum qua coniuncta mouet.

2. Aliam definitionem fidei tradit Apoſtolus ad Hebræos 11. *Fides*, inquit, *eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium.* *Heb. 11.* Quam ſic explicat S. Thomas 2. 2. q. 4. art. 1. *S. Thomas.* Quoniam fides eſt actus intellectus imperatus à volũtate, duplex reſpicit obiectum, & voluntatis imperantis, & intellectus elicientis. Prout reſpicit obiectum voluntatis, dicitur *ſubſtantia rerum ſperandarum:* quia finis & obiectũ debent ſibi correſpondere: obiectum autem fidei eſt prima veritas non viſa: igitur finis eiuſdem erit eadem prima veritas nõ viſa, quòd pertinet ad ſpem, cuius eſt ſperare, quę non videt. Dicitur autẽ *ſubſtantia rerum ſperandarum*, hoc eſt fundamentũ, ſiue inchoatio ſperandæ beatitudinis: quoniam beatitudo in futura vita poſſidenda inchoatur in pręſenti per aſſenſum fidei, quo primæ veritati, cuius clara viſione beandi ſumus, nunc obſcurè adhæremus. Prout verò reſpicit obiectum intellectus, quatenus obiectum fidei eſt, dicitur *argumentum non apparentium*, hoc eſt aſſenſus rei non apparentis, ſumitur enim pro effectu argumenti, qui eſt firmus aſſenſus veritati rei non apparentis: argumento enim inducitur intellectus ad aſſentiendum alicui veritati.

3. Quoad

2. Pars quæſt. 3. Quoad ſecundam verò propoſitæ quæſtionis partem, an actus fidei rectè diuidatur per credere Deo, credere Deum, & credere in Deum, reſpondetur affirmatiuè. Cuius ratio eſt, quoniam actus ſumitur ſecundùm ordinem potentiæ, vel habitus ad ſuum obiectum: omnis autem actus fidei triplicem habet reſpectum ad Deum: Primum, tanquam ad rationem formalem, in qua nititur: Secundum tanquam ad rationem materialem, quam credit: Tertium, tanquam ad finem ſupernaturalem, in quem ex imperio voluntatis, intellectum ad credendum determinantis, dirigitur: & ſic vno, eodemque actu credimus Deo, vt authori reuelanti: credimus Deum, vt rem creditam eo ipſo actu, quo credimus Deo dicenti, in quo implicitè includitur aſſenſus Diuinæ exiſtentiæ: & credimus propter Deum, ad quem tanquam ad finem ſupernaturalem omnis actus ſupernaturalis ſuapte natura dirigitur: non enim hic ſignificatur perfecta directio, per quam actus Fidei in Deum à voluntate dirigitur, ſed ſola exercita directio ſupernaturalis honeſtatis, quæ in omni voluntate ſupernaturali reperitur, vt colligitur ex illo Ioannis 12. *Multi ex Phariſæis crediderunt in eum, ſed non audebant eum confiteri, quia dilexerunt magis gloriam hominum, quam Dei:* quorum fides fuit propter Deum, vt denotat particula *In*, non tamen per perfectam directionem, alioqui non ſuam, ſed Dei gloriam dilexiſſent. *Ioan. 12.*

SECTIO II.

An aſſenſus fidei Chriſtianæ ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiã?

4. Supponendum eſt ex Concilio Arauſicano II. can. 5. & Tridentino ſeſſ. 6. can. 3. ad aſſenſum Fidei Chriſtianæ, præter externam propoſitionem obiecti credendi, opus eſſe interno adiutorio gratiæ indebito naturæ, quo homo iuuetur ad credendum vt oportet, ex teſtimonio Dei, contra Pelagianos & Semipelagianos, qui, præter beneficium externæ prædicationis, nullum agnoſcebant internum auxilium gratiæ, quo homo iuuetur ad actum Fidei Chriſtianæ eliciendum. Quam doctrinam tanquam certam ſupponunt Patres, præſertim Auguſtinus lib. 1. Retractationum cap. 23. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 3. de bono perſeuerantiæ cap. 20. & 21. vbi etiam oppoſitam ſententiam à ſe aliquando aſſertam, vt manifeſtum errorem retractat. Quam veritatem colligit Arauſicanum ex verbis Pauli ad Philippenſes 1. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis* &c. & ad Epheſeos 2. *Gratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt.* Ratio verò eſt, quia credere myſteria reuelata, vt oportet ad ſalutem, eſt diſpoſitio ad iuſtificationem, vt Tridentinum docet ſeſſ. 6. can. 3. ergo non fit ſine gratia intus mouente: alioqui iuſtificatio initium ſumeret ex nobis; proinde non eſſet gratuita, ſed debita, contra Paulum ad Romanos 11.

Concilium Arauſic. II. Concilium Trident. — *Error Pelagian. & Semipelagianorum.* — *Auguſt.* — *Philip. 1.* — *Epheſ. 2.* — *Tridentin.* — *Ad Rom. 11*

5. Sola ſupereſt inter Catholicos concertatio, an hoc adiutorium gratiæ ſit neceſſarium ad ipſam phyſicam entitatem actus, an ad modum aliquem entitati ſuperadditum, quo fiat æternæ ſaluti proportionatus.

1. Sentent. Explicatio aliquorum 6. Prima ſententia affirmat, requiri tantùm ad modum actus. In quo autem conſiſtat iſte modus ſupernaturalitatis, diſcrepant Doctores. Alij illum ponunt in extrinſeca habitudine ad agens ſupernaturaliter producens, vt Scotus q. 1. Prologi §. *ad quæſtionem igitur*: & in 4. diſt. 10. q. 8. §. *contra rationem etiam iſtius reſponſionis: Naturale*, inquit, *& ſupernaturale non diſtinguunt naturam alicuius à ſe, ſed tantùm in comparatione ad agens: ideo enim dicitur aliquid ſupernaturale, quia à ſupernaturali agente: naturale verò, quia à naturali agente.* Hæc in 4. Explicans autem in Prologo, quid ſit, agens naturaliter, aut ſupernaturaliter agere: *Naturalitas*, inquit, *eſt, quando receptiuum comparatur ad tale agens, quod natum eſt naturaliter imprimere talem formam in tali paſſo. Supernaturalitas autem, quando comparatur ad tale agens, quod non eſt naturaliter impreſſiuum illius formæ in illo paſſo.* Et infrà: *Aliter etiam*, inquit, *poſſet dici ſupernaturale, quia eſt ab agente ſupplente vicem obiecti ſupernaturalis.* Vnde infert, Deum reuelantem, ſe eſſe Trinum & Vnum, eſſe agens ſupernaturale, quia ſupplet in nobis vicem obiecti ſupernaturalis, cuiuſmodi eſt Deus in ſe cognoſcibilis vt Trinus & Vnus, cuius notitiã ſupplet in nobis Deus per reuelationem. Ex quo non rectè aliqui inter quos Vaſquez 1. 2. diſp. 187. num. 12. ex doctrina Scoti vniuerſaliter colligunt, nullam dari formam ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, ſed ſolùm quoad extrinſecam habitudinem ad agens: nam & hic expreſsè admittit obiectum beatificum ſupernaturale: & in 4. diſt. 49. q. 11. §. *dico ſecundo*, viſionẽ beatam quoad entitatem ſupernaturalem: & in 1. diſt. 17. q. 3. §. *dico igitur*, habitus infuſos ſupernaturales. *Scotus.* *Vaſquez.*

Aliorum explicatio. 7. Alij hunc modum ſupernaturalis tam in actu fidei, quàm in reliquis virtutum infuſarum, collocant in ratione meriti. Ita Capreolus in 1. diſt. 17. q. 1. ad argumenta Aureoli: Caietanus 1. 2. q. 109. art. 4. & 2. 2. q. 171. art. 2. ad tertium. Quem modum ſortiuntur ex habitibus præinfuſis, qui non ad hoc dãtur, vt ſint actiua principia actuum, cùm hi quoad totam ſuam entitatem produci poſſint à potentijs, ſed vt ſint forma moraliter eos dignificans, & acceptabiles reddens in ordine ad vitam æternam. Diſtinguit enim in poſteriori loco Caietanus duplex genus actuum, alterum ſupernaturale in genere entis ſeu naturæ, vt eſt viſio beata; atque hi nullo pacto elici poſſunt à potentia creata, niſi vt eleuata: Alterum ſupernaturale *Capreol. Caietan.*

turale in genere moris ſeu meriti, vt ſunt actus Fidei, Spei, & dilectionis Dei, quos homo viribus naturę elicere poteſt, quantum ad ſpecificam entitatem ipſorum, non autem quantum ad moralem conditionem meriti, vt nimirum ſint condigni vita æterna, hanc enim conditionem ſortiuntur ex infuſis habitibus.

Aliorum explicatio *Durand.* *Paludan.* *Capreol.* 8. Alij hunc modum ſupernaturalitatis conſtituunt in ipſo intrinſeco actu Fidei infuſæ, vt Durandus in 2. diſt. 28. quęſt. 1. n. 7. Paludanus in 3. diſt. 23. quæſt. 3. ad finem, idem Capreolus in 3. diſt. 24. art. 3. ad argumenta Aureoli; aiuntque illum conſiſtere in maiori intenſione, facilitate, & firmitate actus, quem ex ipſo habitu infuſo effectiuè accipit.

Aliorum explicatio. 9. Alij demum hunc ſupernaturalitatis modum explicant per actionem diuerſæ rationis ab ea, qua producitur actus Fidei acquiſitæ: ratione cuius diuerſæ actionis vnus denominatur ſupernaturalis quoad modum, alter naturalis ſimpliciter.

S. Thomas. 10. Potiſſimum fundamentum huius ſententiæ eſt authoritas S. Thomæ, qui ſecunda ſecundæ quæſt. 171. art. 2. ad 3. docet, donum gratiæ habitualis non dari ad ſubſtantiam actus Fidei & dilectionis Dei, ſed tantùm ad modum. Ratio verò eſſe poteſt, quoniã tam hęreticus circa Myſteria, in quibus nõ errat, quàm puer non baptizatus inter fideles enutritus, elicit aliquem actum fidei propter authoritatem Dei conſimilem illi, quem circa eadem Myſteria eliciunt Catholici: atqui in illis non eſt actus Fidei ſupernaturalis quoad ſubſtantiam: ergo aſſenſus fidei non eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, ſed ſolùm quoad modum.

2. Sentent. 11. Secvnda ſententia docet, actum Fidei infuſæ eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, proinde auxilium gratiæ, quod ad actum Fidei Chriſtianæ requirunt Concilia, non ſolùm requiri ad modum, ſed ad entitatem actus. Expreſsè illam ex antiquis *Richardus.* Scholaſticis docuit Richardus in 3. diſt. 23. *Sotus.* art. 7. quæſt. 2. ex recentioribus verò Sotus lib. 2. de natura & gratia cap. 8. qui tamen ſibi aduerſari videtur lib. 1. cap. 22. Coroll. 2. vbi affirmat, nullum eſſe actum in iuſto, cuius ſimilis quoad ſubſtantiam eſſe non poſſit in peccatore. Sed explicandus eſt de ſimilitudine quoad rationem communem & genericam, non autem ſpecificam & differen- *Medina.* tialem. Medina prima ſecundæ quæſt. 62. *Bannez.* artic. 2. Bannez ſecunda ſecundæ quæſt. 6. *Molina.* art. 1. Molina in Concordia diſp. 36. Vaſ- *Vaſquez.* *Suarez.* quez prima ſecundæ diſp. 187. cap. 2. Suarez *Albertin.* lib. 2. de gratia diuina cap. 3. & alibi: Albertinus principio 3. Philoſophico, Coroll. 1. *Turrian.* Turrianus ſecunda ſecundæ diſp. 46. dub. 3. *Coninck.* Coninck de actibus ſupernaturalibus diſp. 4. *Syluius.* dub. 3. Syluius ſecunda ſecundæ quæſt. 6. art. 1. & reliqui ferè recentiores: cum quibus.

1. Concluſio. 12. Dicendum eſt, aſſenſum Fidei Chriſtianæ, prout eſt diſpoſitio ad iuſtificationem, eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, & in genere naturæ, & non tantùm quoad modum, & in genere moris. Proba- *Probatur 1.* tur 1. Ad actum Fidei Chriſtianæ datur habitus infuſus per ſe: ergo eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. Antecedens admittunt aduerſarij; nec poteſt poſt Trident. negari, *Concilium Trident.* quippe quod ſeſſ. 6. cap. 7. docet iuſtificationem peccatoris fieri *per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum.* Explicans autem, quæ ſint hęc dona, ait eſſe *Fidem, Spem, & Charitatem*, quę ſimul *cum ipſa remiſſione peccatorum accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur.* Vnde hac Concilij authoritate ſuffulti precedenti Tomo docuimus, ad fidem ſpectare, dari huiuſmodi habitus per ſe infuſos, non tantùm in paruulis, cùm baptizantur, quod certius eſt, & plerique concedunt, cùm in eis hæc dona ſaluari non poſſint per actus, ſed etiam in adultis, cùm iuſtificantur.

13. Conſequentia verò, in qua tantùm verſatur præſentis difficultatis cardo, probatur: quia nulla alia probabilior ac certior aſſignari poteſt cauſa, cur huiuſmodi habitus in nobis infundantur, quàm vt ſint actiua principia actuum, & conſequenter vt actiuè influant vnà cum anima in ipſam ſubſtantiam actus. Non poſſunt autem actiuè influere in ipſam ſubſtantiam actus, quin actus actiuè procedens ex tali habitu ſit quoad ſubſtantiam ſupernaturalis. Minor hæc facilè probatur: quia quando cauſa ſupernaturalis, vti, aduerſarijs etiam fatentibus, ſunt habitus per ſe infuſi, actiuè influit in actum, non poteſt influere, niſi influxu ſupernaturali: alioqui ſi influeret influxu naturali, & contra ſuam naturam ageret, quippe qui agere poſtulat, ſicuti eſt, agit enim vt cauſa naturalis ſecundùm omnem virtutem, quam habet; & fruſtra infunderetur, cùm propter influxum naturalem non ſit neceſſaria cauſa ſupernaturalis, ſed ſufficiat naturalis.

14. Quòd autem nulla alia certior probabiliorque cauſa aſſignari poſſit, probatur: nam ſi qua alia eſſet, eſſet vna ex aſſignatis in prima ſententia: atqui ex illis nulla eſt. Non prima Scoti: nam illa non eſt cauſa, cur detur *Scotus.* in nobis habitus ſupernaturalis fidei, ſed cur poſſit interdum actus eſſe ſupernaturalis per extrinſecam dumtaxat habitudinem ad agens ſupernaturaliter producens: quod licet vltrò concedamus Scoto, vt cùm Deus infundit aliquam cognitionem naturalem Viatori, quam Viator ipſe per naturales vires habiturus non eſſet, adhuc tamen manet difficultas, cur Viatori infundatur habitus ſupernaturalis fidei? quæ alia eſſe non poteſt, quàm vt ſit conprincipium cum ipſo intellectu Viatoris ad eliciendum ſupernaturalem aſſenſum fidei. Quin hoc ipſum probat poſterior ratio ab Scoto aſſignata. Nam ſi Deus per habitum ſupernaturalem fidei ſupplet vicem obiecti ſupernaturalis, quod de ſe natum eſſet cauſare in nobis notitiam intuitiuam ſupernaturalem, rectè ſequitur, aſſenſum fidei eſſe

ſuperna

Digitized by Google

ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, tum quia hic aſſenſus eſt aliqua participatio illius notitiæ ſupernaturalis, ſaltem quoad certitudinem & infallibilitatem, quam obiectum ipſum beatificum ſupernaturale natum eſſet in nobis cauſare; tum quia cùm hæc notitia fidei ſuppleatur per principium ſupernaturale, vti, in ſententia etiam Scoti, eſt habitus fidei infuſus, ſignum eſt, quòd in ſe ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam.

Capreolus. Caietanus 15. Non ſecunda Capreoli & Caietani, vt nimirum actus fidei ſit tantùm ſupernaturalis in eſſe moris: tum quia hæc ratio non eſt vniuerſalis: nam primus aſſenſus fidei, quem ante habitum ipſum fidei elicit Catechumenus, eſt de congruo meritorius, cùm tamen hic nullum ſupponat habitum infuſum. Scio ad hoc Caietanum reſponſurum, huiuſmodi actum fieri meritorium ab habitu fidei, qui ſtatim ad actum Catechumeni à Deo infunditur, antequam infundatur gratia ipſa iuſtificans. Sed adhuc negare non poterit Caietanus, quin prius prioritate naturæ & cauſalitatis actus fidei in Catechumeno ſit meritorius, quàm ipſe habitus infundatur ſiquidem propter talem actum Deus infundit habitum. Niſi recurrat ad illam doctrinam, vt priùs natura infundatur habitus, quàm ab eo eliciatur actus, propter quem infunditur ipſe habitus. Quæ doctrina inintelligibilis eſt, eamque fusè confutauimus præcedente Tomo. Tum quia forma, quæ dignificat actus noſtros, non ſunt habitus, qui ſolùm ordinantur ad operandum, non ad ſanctificandum ſubiectum; ſed gratia ſanctificans, quæ ſola tanquam Filiatio adoptiua Dei reddit omnia opera noſtra bona accepta & grata Deo, & digna Patris hæreditate. Vnde præciſo quouis habitu, & ſola gratia ſanctificante poſita, omnia opera noſtra bona, ex ſolo ſpeciali auxilio Dei facta, eſſent condigna vita æterna: nam hæc tantùm eſt, quæ perſonam ſanctificat; eaque mediante omnia bona opera ipſius. Sicut ſola vnio hypoſtatica ſanctificat naturam humanam Chriſti, eaque mediante omnia bona opera ipſius. Tum quia, vt forma moraliter dignificet opera, non eget ſpeciali auxilio Dei diſtincto ab ipſo, quo ipſamet forma producta eſt, cùm illa dignificet in genere cauſæ formalis, per vnionem ſui cum ſubiecto. Quemadmodum vt vnio hypoſtatica dignificet omnia opera humanitatis Chriſti, non eget ſpeciali auxilio diſtincto ab eo, quo ipſamet vnio producta eſt. Atqui habitus infuſus fidei, eget ſpeciali auxilio & adiutorio Dei in ordine ad aſſenſum fidei: ergo reſpectu illius non eſt forma moraliter dignificans, ſed principium phyſicè influens. Minor colligitur ex Tridentino ſeſſ. 6. can. 3. *Concilium Trident.* vbi definit, ad credendum, quemadmodum & ad ſperandum, diligendum, & pœnitendum, vti oportet ad ſalutem conſequendam, requiri præuenientem Spiritus ſancti inſpirationem atque adiutorium. Igitur præter habitum infuſum fidei, requiritur ex Tridentino ſpeciale auxilium & adiutorium Dei: ſi autem habitus eſſet tantùm forma moraliter dignificans opera noſtra bona, nullum requireretur adiutorium condiſtinctum ab ipſo habitu, ſed ſufficeret, ſi actus elicitus à potentia naturali cum generali dumtaxat concurſu Dei, dignificaretur ab ipſo habitu fidei.

16. Reſponderi poſſet; hoc ſpeciale auxilium à Concilio requiri ante infuſionem habitus, vt ſuppleat vicem ipſius habitus, non autem poſt infuſionem habitus. Sed contrà, nam hoc ſpeciale auxilium ad credendum, ſperandum, & diligendum, vt oportet ad ſalutem, non ſolùm Concilium requirit ante, ſed etiam poſt infuſionem habitus, vt apertè colligitur ex cap. 16. vbi ad omnia opera bona, quæ iuſti in ſtatu iuſtitiæ, & habituum infuſorum faciunt, ait, Chriſtum influere ſpeciali auxilio antecedenti, comitanti, & ſubſequenti, tanquam caput in membra, & vitem in palmites.

17. Non tertia ratio Durandi, Paludani, *Durandus. Paludanus. Capreolus.* & Capreoli, qui hanc ſupernaturalitatem quemadmodum cõſtituunt in maiori intentione, facilitate, & firmitate actus: tum quia aſſenſus ſupernaturalis eſt ad ſalutem neceſſarius, vt Concilia definiunt: nulla autem certa intenſio, aut facilitas, ſicut nec certa duratio eſt ad ſalutem neceſſaria: nam etiamſi actus ſit remiſſiſſimus, & magna cũ difficultate elicitus, & in ſolo inſtanti durans, modò elicitus ſit propter teſtimonium Dei, ſufficiens eſt ad ſalutem. Tum quia maior iſta intentio & facilitas actus haberi poſſet ex cauſis naturalibus, vt ex maiori potentiæ conatu, vel ex meliori obiecti propoſitione, vel ex habitu per frequentatos actus acquiſito: conſequenter poſſet homo proprijs viribus ſalutem inchoare. Tum quia vel maior iſta intenſio & facilitas ab habitu fidei producta, eſt eiuſdem rationis cum reliqua entitate actus, à ſola potentia elicita, vel diuerſæ. Si eiuſdem; fruſtra igitur ad illam ponitur cauſa in entitate ſupernaturalis, cuiuſmodi eſt habitus infuſus fidei, cùm poſſit haberi à cauſa naturali. Si diuerſæ; vel ea producitur à ſolo habitu infuſo, & ſic actus, quà ſupernaturalis, & vt oportet ad ſalutem, non erit meritorius reſpectu creaturæ, quia nullus actus poteſt eſſe creaturæ meritorius, niſi liberè ab ea eliciatur: nullus autem actus poteſt liberè à creatura elici, niſi actiuè ab ea procedat, cùm nequeat ſaluari libertas, niſi in actiuitate, vt ex præcedente Tomo ſuppono. Vel ſimul comproducitur ab intellectu credentis: & ſi ille vnà cum habitu producere poteſt aliquem gradum ſupernaturalem actus, cur vnà etiam cum habitu non poterit totum actum producere? Tum demum quoniam firmitas, quæ eſt in aſſenſu fidei infuſæ, eſt ex motiuo formali, hoc ipſo enim, quod nititur ſola authoritate diuina, habet vt quoad firmitatem & certitudinem ſuperet omnem aſſenſum, etiam euidentem ſcientiæ naturalis: ergo ſi aliunde intellectus creatus abſque habitu infuſo poteſt obiecto reuelato

præſtare

Digitized by Google

præſtare aſſenſum propter ſolam authoritatem Dei, habebit abſque habitu vel auxilio ſupernaturali omnem firmitatem & certitudinem, quæ ad credendum vt oportet requiritur.

18. Non demum quarta ratio aliorum, modum hunc ſupernaturalitatis ponentium in diuerſa actione ab ea, qua producitur aſſenſus fidei acquiſitæ. Nam vel actio hæc, quâ poſtulat produci fides infuſa, eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, vel quoad modum. Secundum dici non poteſt: quia cùm actio ſit modus, quo producitur terminus, non apparet, quo alio modo ipſa ſupernaturalis fieri poſſit, niſi vel per aliam actionem, quod implicat; cùm nec vna actio alia actione fieri queat, & de ea iterum ſimilis recurreret difficultas, an eſſet ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, an tantùm quoad modum: vel quia producta eſſet præter exigentiam cauſarum ſecundarum, ſicut dicitur ſupernaturalis productio oculi cæci nati: & talis actio non poſſet eſſe diuerſæ rationis ſpecificæ ab ea, quâ producitur fides acquiſita: ſicut non eſt diuerſæ rationis actio, quâ miraculosè producitur oculus, ab ea, quâ idem oculus producitur à natura. Si verò dicatur primum: fieri non poteſt, vt actio ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, & terminus, qui per eam producitur, ſit quoad ſubſtantiam naturalis, & tantùm ſupernaturalis quoad modum: quia cùm actio ſit formalis communicatio eſſe termino, debet illum in ſe ipſa continere, vt via & tendentia ad ipſum: ergo ſi illi communicat eſſe naturale, debet tale eſſe in ſe ipſa continere: implicat autem, vt eadem actio ſit ſimul naturalis & ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, cùm hæ differentiæ eſſentialiter ſeſe excludant ab eodem ſubiecto: igitur implicat, vt per actionem ſupernaturalem quoad ſubſtantiam producatur terminus naturalis quoad ſubſtantiam, & tantùm ſupernaturalis quoad modum. Confirmatur. Tota exigentia actionis eſt propter terminum: ergo ſi actio eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, etiam terminus erit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, cùm talem ſupernaturalitatem non exigat actio propter ſe, ſed propter teminum.

Probatur 2. concluſio. 19. Secundò probatur eadem veritas ex incommodis, quæ ex alijs ſententijs apertè ſequuntur. Etenim ſi actus fidei Chriſtianæ eſſet ſupernaturalis ex eo præcisè, quòd produceretur à Deo, illum non exigentibus cauſis naturalibus, ſequeretur, hanc ſupernaturalitatem conſiſtere in ſola externa reuelatione, non autem in interna motione *Pelagius.* Spiritus ſancti, quæ eſt hæreſis Pelagij, qui externam gratiam reuelationis non negabat, ſed ſolam internam gratiam diuinæ illuſtrationis. Sequela probatur, nam licet nulla cauſa naturalis exigat reuelationem eorum, quæ Deus cognoſcit, cùm nulla cauſa naturalis exigat notitiam ſecretorum Dei, ne quidem eorum, quæ naturali diſcurſu cognoſci poſſunt, cuiuſmodi ſunt, Deum eſſe, omnipotentem, atque immenſum eſſe &c. facta tamen ſemel reuelatione, nonnunquam cauſæ naturales exigunt, vt Deus tanquam cauſa prima cum creatura concurrat ad aliquem aſſenſum eorum, quæ ſunt reuelata: ergo ſi aſſenſus fidei ſolius naturæ viribus elicitus, eſſet ad ſalutem ſufficiens, aliquando talis aſſenſus eſſet naturæ debitus: Minor probatur, nam ſæpè myſteria fidei tanta euidentia credibilitatis proponuntur gentili, vt circa ea naturaliter exigat aliquem aſſenſum elicere: igitur ſi aliunde Chriſtiana fides non exigit, vt per ſpeciale auxilium à Deo fiat, in tali caſu talis aſſenſus eſſet ſufficiens ad ſalutem, cùm tamen in tali caſu fidei aſſenſus à cauſis naturalibus exigeretur. Præterea, ſi actus fidei eſſet ſufficiens ad ſalutem ex eo tantùm, quòd extrinſecè dignificaretur ab habitu infuſo, ſequeretur, initium ſalutis eſſe ab homine, quod eſt ſemipelagianum. Sequela probatur, nam in ea ſententia homo proprijs viribus poneret aſſenſum fidei, & Deus infunderet habitum quo illum dignificaret: ergo homo inciperet, & Deus perficeret. Idem ſequitur, ſi habitus ſolùm requiritur ad intenſionem, vel facilitatem actus: nam homo ex ſe poneret ſubſtantiam actus, & Deus ſolum augmentum, vel facilitatem. Primum eſt contra Concilium Arauſicanum II. Can. 5. vbi definit, ſicut augmentum, ita & initium fidei eſſe gratiæ donum & à Deo per Spiritus ſancti inſpirationem. Secundum eſt contra Concilium Mileuitanum II. Can. 5 & Tridentinum ſeſſ. 6. Can. 2. quæ contra Pelagium docent, gratiam non dari tantùm ad faciliùs, ſed ad ſimpliciter poſſe.

20. Tertiò probatur à paritate aliorum habituum infuſorum, qui dantur vt comprincipia potentiarum ad actus comproducendos. *Probatur 3. concluſ.* Et quamuis hoc ipſum aduerſarij negent de cæteris habitibus ſupernaturalibus, qui in hac vita viatoribus infunduntur; nam propter eandem rationem putant illos infundi, vel tantùm ad actus dignificandos, vel ad eos maiori cum intenſione, & facilitate producendos, id tamen negare non poſſunt de habitu luminis gloriꝫ, quod beatis infunditur ad viſionem beatificam eliciendam.

21. Quartò probatur à priori. Omnis connaturalis diſpoſitio debet eſſe eiuſdem ordinis cum forma, ad quam diſponit: atqui Chriſtiana fides eſt connaturalis diſpoſitio ad iuſtificationem: ergo debet eſſe eiuſdem ordinis cum illa. Sed hęc eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, vt cum communi ſententia ſuppono: ergo. Maior conſtat inductione in omni diſpoſitione naturali reſpectu formę, ad quam diſponit. Cuius ratio eſt, quia diſpoſitio connaturalis eſt ſimul proprietas formæ, cuius eſt diſpoſitio. Minor aſſumpta colligitur ex Tridentino ſeſſ. 6. Can. 3. cap. 6. & 7.

22. Atque ex his omnibus efficaciter, vt reor, probatum manet, habitum ſupernaturalem fidei non ob aliam cauſam nobis infundi, quàm vt vnà cum intellectu ſit actiuum conprincipium aſſenſus fidei Chriſtianæ, ac proinde hunc eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, cùm non poſſit cauſa ſupernaturalis, vt cauſa ſupernaturalis influere, niſi influxu ſupernaturali.

Reſp. ad 1. ſentent. argum. 23. Ad argumenta 1. ſententiæ Reſpondeo ſanctum Doctorem, alioſque graues authores, cùm dicunt, actum fidei, reliquarumque virtutum infuſarum, eſſe naturalem quoad ſubſtantiam, ſupernaturalem verò quoad modum, explicandos eſſe de modo qualificatiuo in quid, & eſſentialiter, quo modo dicitur differentia qualificare genus, contrahendo illud ad determinatam ſpeciem entis: ita dicitur modus ex tali motiuo deſumptus qualificare, actum in genere, contrahendo illum ad determinatam ſpeciem, qui & propter genericam conuenientiam cum actu naturali, dicitur quoad ſubſtantiam naturalis; & propter diuerſitatem proprij modi ſpecifici, ſupernaturalis quoad modum.

24. Inſtabis: citatò loco quæſt. 171. *S.Thomas.* art. 2. ad 3. S. Thomas diſtinguit actus ſupernaturales quoad ſubſtantiam, *vt ſunt*, inquit, *miracula facere, cognoſcere occulta & incerta diuinæ ſapientiæ*, ab actibus ſupernaturalibus quoad modum, vt *diligere Deum, eumque in ſpeculo creaturarum cognoſcere.* Atqui ſecundùm noſtram explicationem omnes actus ſupernaturales dicerentur naturales quoad ſubſtantiam, quia omnes habent genericam conuenientiam cum actibus naturalibus. Reſpondeo S. Thomam appellare actus ſupernaturales quoad ſubſtantiam, qui neque in ratione generica materialis obiecti conueniunt cum naturalibus, cuiuſmodi ſunt, præter aſſignatos, omnes ij, quorum materialia obiecta ſunt extra ſphæram potentiæ naturalis, vt viſio beatifica, quæ ſub nullo motiuo attingi poteſt ab intellectu creato, abſque peculiari eleuatione: cùm tamen ſub motiuo naturali poſſit homo viribus proprijs credere, ſperare, & diligere Deum. Legantur, quæ illic habet *Sylvius.* Syluius.

25. Ad rationem, negandum eſt, hæreticos circa Myſteria, in quibus non errant, elicere actum fidei eiuſdem ſpeciei, quem eliciunt Catholici. Ratio eſt, quia cùm ipſi non habeant animum credendi reliquos articulos fidei, qui eodem modo proponuntur euidenter credibiles authoritate Diuina, apponunt poſitiuum impedimentum, quo minùs ſpeciali motione Spiritus S. eleuentur ad credenda fide infuſa ea ipſa, in quibus non errant. Sicut non eſt capax, vt ſpeciali auxilio Dei præmoueatur ad contritionem huius peccati mortalis, qui non habet animum pœnitendi de reliquis. Quo fit, vt ſi qui ſint inter hæreticos, qui laborant ignorantià inuincibili de reliquis articulis fidei, vel quia nunquam ſunt illis propoſiti, vel quia inuincibiliter putant ſe ad eos credendos non teneri, poſſe eos, & de facto ſæpe à Deo ſpeciali auxilio moueri ad verum actum fidei infuſæ eliciendum.

26. Ex his apparet longè diuerſam rationem eſſe de hæretico, & de puero non baptizato inter fideles enutrito: nam licet hic careat habitu infuſo fidei, quia tamen nullum apponit impedimentum, quo minùs ſpeciali auxilio à Deo præmoueatur ad credenda vera fide infuſa ea Myſteria, quæ ſibi ſufficienter proponuntur, ſæpe de facto ſpeciali auxilio ad eam præmouetur: qua præmotione bene vtens dignus fit, vt ad alia & alia auxilia vſque ad ipſam iuſtificantem gratiam præmoueatur, cum qua omnes habitus infuſos accipit, præter fidei & ſpei, qui vt ex 3. tomo ſuppono, infunduntur ante gratiam iuſtificantem, cùm primùm homo elicit verum actum fidei, & ſpei infuſæ. *S.Thomas.*

SECTIO III.

An poſſit homo viribus naturæ abſque ſpeciali auxilio Dei intus mouente aſſentiri ſupernaturalibus Myſterijs fidei?

27. Non quærimus hic, an poſſit homo viribus naturę, abſq; ſpeciali auxilio Dei, aſſentiri ſupernaturalibus Myſterijs fidei, propter authoritatem Dei, tãquam propter motiuum formale, de hoc enim, ſectione ſequenti: ſed tantùm, an poſſit ſimpliciter his aſſentiri, ex quocunque tandem motiuo aſſentiatur. Neque etiã quærimus, an huiuſmodi aſſenſus ſit ſufficiens ad ſalutem. Neq; tandem hic ſermo eſt de gratia extrinſecæ reuelationis, quæ ad huiuſmodi aſſenſum neceſſariò pręſupponitur, & à nemine negatur: ſed de gratia intus mouente, de qua tantùm eſt controuerſia, quamque ſolam Pelagius negabat, etiam ad aſſenſum ad ſalutem ſufficientem.

28. Prima ſententia negat, poſſe hominem abſque ſpeciali auxilio, ſaltẽ ordinis naturalis, certò aſſentiri Myſterijs reuelatis. *1. Sentent.* Eſt Vaſquez 1. 2. diſp. 186. n. 20. vbi docet, *Vaſquez.* fidem acquiſitam conceptam ex teſtimonijs humanis, quæ per modum conditionis præcedere debet fidem infuſam, eſſe ex ſpeciali auxilio Dei ordinis naturalis per Chriſtum: eaque euidenter ſequitur ex doctrina ipſius, quam fusè tradit diſp. 190 per totam, nempe omnem congruam cogitationem inclinantem voluntatem ad aliquod bonum honeſtum, etiam naturale quoad ſubſtantiam, eſſe ſpecialem gratiam ordinis naturalis per Chriſtum. Atqui aſſenſus in Myſteria fidei ſupponit congruam cogitationem

nem

nem inclinantem voluntatem ad pium affectum eadem Myſteria credendi fide acquiſita: nec non ipſe aſſenſus fidei acquiſitæ diſponit voluntatem ad pium affectum ea ipſa credendi fide infuſa. Maiorem probat Vaſquez: nam creatura rationalis de ſe eſt indifferens, nec de ſe potiùs poſtulat, vt præueniatur congrua, quàm non congruà cogitatione ad bonum: ergo quòd potiùs hic & nunc præueniatur congrua cogitatione, vt propoſitis Myſterijs fidei, ex teſtimonio & ratione humana aſſentiatur, eſt ſpecialis gratia per Chriſtum naturę indebita.

29. Confirmat. Quidquid eſt ſupra donum creationis & conſeruationis, eſt indebitum naturæ, ac proinde gratia per Chriſtum, qui nobis promeruit quidquid eſt naturæ indebitum. Omnis autem congrua cogitatio ad bonum etiam naturale quoad ſubſtantiam inclinans, eſt donum ſuperadditum dono creationis & conſeruationis: cùm hoc æquè benè ſaluari poſſit cum oppoſita cogitatione non congrua, nam ex vi creationis & conſeruationis creatura rationalis non magis poſtulat vnum, quàm alterum.

30. Quæ ſententia vlteriùs confirmari poteſt tum ex principijs vniuerſalibus Scripturæ ſacræ Ioannis 15. *Sine me nihil poteſtis facere.* 1. ad Corinthios 12. *Nemo poteſt dicere dominus Ieſus, niſi in Spiritu S.* & 2. ad Corinth. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Actorum. 16. Vbi dicitur Dominus aperuiſſe cor cuiuſdam mulieris nomine Lydię, vt *intenderet his, quæ dicebantur à Paulo.* Ergo non modò aſſenſus in Myſteria fidei, ſed deſiderium ipſum audiendi & attendendi ad Myſteria fidei, eſt à Deo. Tum ſpeciali authoritate Concilij Arauſicani II. quòd Can. 22. expreſsè docet, nihil de ſuo habere hominem, niſi mendacium & peccatum: ſi quam autem veritatem habet, ab illo fonte habere, quam debemus in hac Eremo ſitire.

Ioan. 15. 1. Cor. 12. 2. Cor. 3. Actor. 16. Concil. Arauſic.

31. SECVNDA ſententia affirmat, poſſe hominem viribus naturæ, abſque ſpeciali auxilio per Chriſtum, ſolo concurſu generali primæ cauſę, omnibus parato, aſſentiri Myſterijs reuelatis propter teſtimonia & rationes humanas. Hanc communiter docent recentiores Bannez 2. 2. quæſt. 6. art. 1. Molina in concordia diſp. 7. Bellarminus lib. 6. de gratia & libero arbitrio cap. 3. Suarez lib. 2. de neceſſitate gratię cap. 10. Azor tom. 1. Moralium Inſtit. lib. 3. cap. 24. q. 2. Coninck de actibus ſupernaturalibus diſp. 14. dub. 2. & alij. Eaque manifeſtè ſequitur ex opinione eorum, qui docent, habitum infuſum fidei ſolùm nobis dari ad modum, non autem ad ſubſtantiam actus. Eandem ſententiam apertè ſupponit S. Thomas ſecunda ſecundæ q. 5. art. 3. dum ait, hæreticum de Myſterijs, in quibus non errat, habere opinionem.

2. Sententia reijcienda. Bannez. Molina. Bellarm. Suarez. Azor. Coninck. S. Thom.

32. Hæc ſententia probabilior eſt, & ſequenda, quam non obſcurè indicant Concilia, dum ſpeciale auxilium per Chriſtum non requirunt ad credendum vtcunque; ſed vt oportet ad ſalutem. Supponunt igitur, præter aſſenſum in Myſteria fidei, vti oportet ad ſalutem, dari alium, qui non ſit vt ad ſalutem oportet. Talis igitur poterit ſolius naturæ viribus ab intellectu viatoris elici. Conſequentia probatur, quoniam ad hunc non requiritur ſpeciale auxilium per Chriſtum, alioqui etiam hic eſſet ſicut oportet ad ſalutem: omnis quippe actus, ad quem requiritur ſpeciale auxilium per Chriſtum, eſt ſicut oportet ad ſalutem, cùm omne auxilium, quod per Chriſtum nobis datur, detur in ordine ad ſalutem.

33. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quoniam in omne id proprijs viribus humanus intellectus ferri poteſt, quod ipſius naturalem capacitatem, & modum operandi non excedit: aſſentiri autem Myſterijs reuelatis aſſenſu aliquo naturali fidei acquiſitæ, neque naturalem capacitatem, neque modum operandi ipſius excedit: ergo poterit viribus proprijs abſque ſpeciali auxilio per Chriſtú ijs aſſentiri. Maior clara eſt: cùm omnis potentia poſſit in omne obiectum, intra propriam ſphæram contentum. Minor probatur, nam maximè naturale eſt homini, aſſentiri ijs, quæ à perſona fide digna proponuntur. Ergo maximè quæ proponuntur vt dicta à Deo. Atqui poteſt aliquod Myſterium fidei per tales rationes & ſigna humana proponi, vt euidens ſit, euidentia ſaltem morali, illud eſſe à Deo reuelatum: igitur poterit tali Myſterio intellectus humanus naturali aſſenſu fidei acquiſitæ, abſque ſpeciali auxilio Dei, cum ſolo generali concurſu aſſentiri. Confirmatur, nam euidens eſt naturaliter, Deum nec fallere, nec falli poſſe: ergò ſi euidens quoque eſt, aliquid eſſe à Deo reuelatum, poterit intellectus humanus naturaliter illi aſſentiri. *Prob. 1.*

34. Secundò probatur à poſteriori; nam hæretici aſſenſu merè naturali aſſentiuntur ijs fidei Myſterijs, in quibus non errant: igitur poteſt intellectus humanus, abſque ſpeciali auxilio, cum ſolo concurſu generali naturaliter aſſentiri Myſterijs fidei, ſi congruè proponantur. Antecedens probatur, nam hæretici non præmouentur ſpeciali auxilio per Chriſtum ad credenda ea Myſteria, in quibus non errant, vt præcedente ſect. oſtendimus. Idem argumentum fieri poſſet de Iudæis, qui naturali aſſenſu, abſque ſpeciali auxilio per Chriſtum, quem negant, aſſentiuntur Myſterijs antiquæ legis, in quibus non errant. *Prob. 2.*

35. Confirmatur, quoniam ad aſſentiendum naturali aſſenſu alicui Myſterio reuelato, nihil aliud requiritur, quàm vt voluntas perſuaſa efficacia & euidentia rationum ac ſignorum, quibus illud proponitur vt reuelatum à Deo, imperet intellectui,

tellectui, vt illi aſſentiatur vt vero. Atqui tot ſigna & rationes eſſe poſſunt, vt voluntas omnino perſuadeatur, illud eſſe reuelatum à Deo: ergo poterit tunc imperare intellectui, vt illi tanquam vero, & à Deo reuelato, non tamen propter ipſam reuelationem, vt ſequenti ſect. oſtendam, aſſentiatur.

Reſp. ad fundam. 1. ſent. 36. Ad fundamentum Vaſquez, neganda eſt Maior: falſum quippe eſt, omnem congruam cogitationem inclinantem voluntatem ad bonum honeſtum naturale eſſe ſpecialem gratiam per Chriſtum, vt fusè probo in 3. tomo diſp. 26. de neceſſitate gratiæ ſect. 4. Neque creatura rationalis de ſe eſt ita indifferens ad bonum & malum, vt ex ſe nunquam naturaliter poſtulet operari bonum: quin ideò eſt indifferens ad bonum & malum, quia interdum naturaliter poſtulat operari bonum, alioqui non eſſet indifferens ad bonum & malum, ſed determinata ad operandum malum, quod eſt contra dignitatem creaturæ rationalis, & diuinam prouidentiam, quam de illa habet. Quare negandum eſt, poſſe donum creationis & conſeruationis ſemper in creatura rationali ſaluari, abſque congrua aliqua cogitatione ab bonum honeſtum ordinis naturalis. Legantur, quæ cit. loco doceo.

37. Ad Minorem verò, negandum eſt, aſſenſum purè naturalem de ſe poſitiuè inclinare, aut voluntatem inuitare, vel quomodocunque diſponere ad pium affectum eadem Myſteria credendi fide infusâ. Nam adhuc tali aſſenſu naturali poſito, tam voluntas, quàm intellectus eget ſpeciali auxilio ſupernaturali indebito ad credendum fide Diuinâ. Quod auxilium Deus non confert intuitu aſſenſus naturalis, ſed merè gratis & liberaliter. Vnde non poteſt talis aſſenſus dici, ne remota quidem diſpoſitio ad fidem infuſam, ſed remotio duntaxat impedimenti, niſi quando talis aſſenſus elicitur ex ſpeciali auxilio Dei ordinis naturalis, quia tunc ex ordinatione diuina eſt moralis, & remota diſpoſitio ad iuſtificationem.

38. Citata autem teſtimonia Scripturæ & Conciliorum intelligenda ſunt de fide & operibus, quæ ad æternam ſalutem aliquo modo conducunt, vt ipſamet Concilia apertè declarant, dum fidem requirunt, vt oportet ad ſalutem. Eodem modo intelligendus eſt citatus canon Concilij Arauſicani, vt homo de ſe non habeat, niſi mendacium, prout mendacium opponitur veritati ad æternam ſalutem conducenti. *Arauſic.*

SECTIO IV.

An poſſit homo fide acquiſita naturali aſſentiri reuelatis ex eodem motiuo formali, ex quo iiſdem aſſentitur fide infuſa ſupernaturali?

39. PRIMA ſententia affirmat, quam fusè probat Ægidius Coninck de actibus ſupernaturalibus diſp. 5. dub. 3. & diſp. 14. dub. 2. eamque extendit ad actus ſpei, dilectionis, cæterarumque virtutum. Pro qua inter alios citat Molinam in concordia, qui tamen diſput. 7. circa finem, aſſenſum naturalem circa Myſteria fidei appellat opinatiuum, & fidem humanam: *Neque nos*, inquit, *alium aſſenſum intendimus hoc loco probare, poſſe elici viribus liberi arbitrij, & concurſu generali Dei circa ea, quæ ad fidem pertinent, quàm opinionem fidemve humanam.* Portò fides humana non poteſt pro motiuo formali habere authoritatem Diuinam, eſto eam habere poſſit pro obiecto materiali. In quo ſenſu intelligendus eſt idem author, dum paulò poſt docet, vtrumque aſſenſum verſari circa idem obiectum, nempe materiale. Hæc tamen ſententia tribui poteſt ijs authoribus, qui docent actum fidei infuſæ ſolùm quoad modum diſcriminari ab actu fidei acquiſitæ. *1. Sentent. Coninck.* *Molina.*

40. Probatur hæc ſententia primò experientia, qua conſtat tam hæreticos, quàm Iudæos Myſteria fidei, in quibus non errant, credere propter ſolam authoritatem Dei, cùm tamen eorum actus ſint merè naturales. ſolo concurſu Dei eliciti: ergo ex eodem motiuo formali aſſentiri poſſumus aſſenſu naturali, & ſupernaturali. Minor patet, quoniam cùm hæretici, & Iudæi non habeant animum credendi reliqua Myſteria fidei, non ſunt capaces, vt à Deo ſpeciali auxilio prẹmoueantur ad credenda fide infusâ ea ipſa Myſteria in quibus non errant. Maior probatur, nam hoc & intendit hæreticus, vt propoſita Myſteria, in quibus non errat, credat propter authoritatem Dei; & hoc ipſum in ſe ipſo experitur. *Prob. 1.*

41. Confirmatur. Poteſt intellectus niti reuelatione diuinâ vt obiecto formali putatiuè tãtùm verâ: ergo etiam niti poteſt reuelatione diuinâ re ipſa vera. Antecedens probatur, quia poteſt fidelis inuincibiliter putare rem aliquam falſam eſſe à Deo reuelatam, eamq; propter authoritatem Dei prudenter putatam credere vt verá. Conſequentia verò probatur, quia qui credit rem prudenter putatã à Deo reuelatam, propter authoritatem Dei, credit actu naturali, cùm nequeat fides infuſa ad falſum concurrere.

42. Secundò.

Prob. 2. 42. Secundò. Interdum nulla eſt inter actum naturalem & ſupernaturalem ex parte motiui formalis aſſignabilis diuerſitas: ergo ſaltem aliquando poſſunt actus naturalis & ſupernaturalis verſari circa idem motiuum formale: quòd ſi poſſunt ſemel, poterunt ſemper. Antecedens probatur in amore amicitiæ erga Deum, qui ſiue ametur amore naturali, ſiue ſupernaturali, ſemper motiuum amoris eſt idem, ipſa ſcilicet increata bonitas, propter ſe ipſam amabilis: ergo hoc ipſum dici poteſt de motiuo formali fidei naturalis & ſupernaturalis.

Prob. 3. 43. Tertiò probatur à priori: ſpecifica perfectio actuum non ſemper deſumitur ex obiecto formali diſtincto, ſed ex principio productiuo diuerſo: ergo poſſunt actus naturalis & ſupernaturalis producti à diuerſis principijs verſari circa idem obiectum formale. Conſequentia conſtat. Antecedens probatur, nam & cognitio animæ ſeparatæ, qua ſe ipſam intuetur, & cognitio Angeli, qua eandem animam intuitiuè cognoſcit, ſpecie differunt, & non ex obiecto formali, cùm nihil ſit in obiecto vnius, quod non ſit in obiecto alterius; ſed ex principijs productiuis diuerſis: & ſcientia naturalis, atque infuſa circa idem motiuum formale ſpecie diſcriminantur ex ſolo principio productiuo diuerſo: ergo pariter poterunt aſſenſus naturalis & ſupernaturalis verſari circa eandem authoritatem diuinam, tanquam circa motiuum formale, ex diuerſis principijs productiuis, naturali & ſupernaturali.

44. Confirmatur. Actus quoad intrinſecum ſuum eſſe magis pendet à principio productiuo, quam ab obiecto; nam ab hoc ſolùm accipit extrinſecum ordinem & habitudinem, ab illo verò intrinſecum eſſe: ergo quoad ſuam ſpecificationem magis pendet à principiò productiuo, quàm ab obiecto. Ergo etiamſi obiectum ſit idem, ſi tamen principia ſint diuerſa, & in actus influant, quantum poſſunt, actus erunt diuerſi.

2 Sentent. Bannez Canus Medina Curiel Azor Suarez Alenſis. 45. Secunda ſententia negat; quæ communior eſt inter recentiores, eamque expreſsè docent Bannez 2. 2. quæſt. 6. art. 2. & quæſt. 24. art. 2. pro qua etiam citat Magiſtrum Canum, qui oppoſitam ſententiam cenſet periculoſam: Medina 1. 2. quæſt. 62. art. 2. Curiel. 1. 2. quæſt. 109. art. 1. & 3. Azor tom. 1. moralium inſtit. lib. 3. cap. 24. quæſt. 2. Suarez lib. 2. de neceſſitate gratiæ cap. 11. eamque ex antiquis Scholaſticis non obſcurè tradiderunt Alenſis 3. p. quæſt. 78. memb. 2. vbi fidem acquiſitam & infuſam diſtinguit ex obiecto formali, quòd illa nitatur ratione & teſtimonio humano, hæc authoritate diuina propter ſe credita, *quæ eſt*, inquit, *ſupra naturam*: & 2. p. q. 31. memb. 3. vbi diſtinguit dilectionem Dei naturalem, & ſupernaturalem penes obiecta formalia, quòd illa diligat Deum vt authorem naturę, hæc vt authorem beatitudinis ſupernaturalis: Bonauent. Bonauentura in 3. diſt. 23. art. 2. quæſt. 2. ad 2. vbi pari modo fidem acquiſitam & infuſam diſcriminat ex obiecto formali quòd illa teſtimonio humano, hæc authoritati diuinæ innitatur: additque huic neminem aſſentiri, *niſi per diuinam illuminationem*: Richard. in 3. diſt. 23. art. 7. qu. 2. in qua docet, non poſſe intellectum aſſentiri *veritati ſupernaturali* (intellige reuelatæ) *innitendo primæ veritati, niſi per motorem ſupernaturalē ſupernaturaliter mouentē*: & in 2. diſt. 3. art. 7. qu. 1. ad 1. ex diuerſo etiam obiecto formali diſcriminat actum dilectionis Dei naturalis & ſupernaturalis, quòd ille in Deum tendat vt vniuerſale bonum naturæ, hic vt ſummum bonum beatificans ſupernaturali beatitudine. Eadem ſententia procul dubio eſt S. Thomæ 2. 2. quæſt. 5. art. 3. in corpore, vbi ex eo probat, non manere in hæretico habitum fidei infuſæ, quia in eo non manet formale obiectum fidei infuſæ, quæ eſt prima veritas, vt in ſacris Scripturis manifeſtata: maneret autē in eo formale obiectū fidei infuſæ, ſi poſſet actu naturali, myſteria, in quibus non errat, credere propter primā veritatē, vt in ſacris ſcripturis manifeſtatam. Id ipſum confirmat, quod ibidem docet, ſpeciem habitus pendere ex ratione formali obiecti, qua ſublata, tollitur ſpecies habitus: nam ſi ſpecies habitus pendet ex ratione formali obiecti, multò magis ſpecies actus pendebit ex ratione formali eiuſdem. Demum ad primum ait, hominem ad credendum articulos fidei, propter primam veritatem, indigere ope habitus infuſi: ergo ad credendum articulos fidei, propter primam veritatem, neceſſarius eſt habitus infuſus, vel auxilium ſupernaturale æquiualens.

Richardus. S.Thom.

Sequenda. Prob. 1. 46. Hæc ſententia tanquam communior ac principijs fidei conformior ſequenda nobis eſt. Difficultas non parua eſt in aſſignanda ratione, quę & hanc efficaciter probet, & contrariam improbet. Variæ à varijs aſſignantur rationes: Mihi duæ tantùm ſunt ad hanc ſententiam confirmandam efficaces; vna ducta ex Concilijs, quæ docent, ad credendum, vt oportet ad ſalutem, neceſſarium eſſe ſpeciale auxilium per Chriſtum. Dum autem explicant, quid ſit, credere vt ad ſalutem oportet, non alio modo hoc declarant, quàm per credere in Deum, ita Arauſicanum II. Canon. 5. & 25. Vnde damnat eos, qui dicunt, fidem, qua in Deum credimus, eſſe naturalem: idque confirmat teſtimonio Apoſtoli ad Philippenſes 1. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis* &c. Vnde iuxta Concilium idem eſt, credere vt ad ſalutem oportet, & credere in Deum, hoc eſt propter teſtimonium Dei. Repugnat igitur Myſteria fidei credere propter teſtimonium Dei, & illa actu naturali credere. Quod etiam confirmatur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 6. vbi deſcribens fidem, quæ ad iuſtificationem diſponit, ait, illam eſſe, qua *liberè mouemur in Deum, credentes vera eſſe, quæ diuinitus reuelata & promiſſa ſunt*: igitur hoc ipſo, quòd fides tendit in

Concilium Arauſic. Philipp. 1. Conc. Trid.

Digitized by Google

reuelata propter teſtimonium Dei, eſt fides ſupernaturalis, nam hæc tantùm ex doctrina Conciliorum eſt ſufficiens ad iuſtificationem.

Prob. 2. 47. Altera ratio ducitur ex ipſo obiecto formali fidei Theologicæ, quod eſt ipſa authoritas Dei propter ſe, obſcurè nobis applicata: nequit autem intellectus aſſenſu naturali, abſq; ſpeciali auxilio per Chriſtum, tendere in Myſteria reuelata, propter ſolam authoritatem Dei obſcurè ſibi applicatam: igitur nequit actu naturali, abſque ſpeciali auxilio per Chriſtum, Myſteria fidei credere, propter idem motiuũ formale, propter quod credit fides infuſa. Maior patet. Minor, in qua tãtùm eſt difficultas, probatur, nam obiectum formale fidei à Concilijs, Patribus, & Scholaſticis dicitur excedere vires naturæ. Verùm vnde habeat, vt authoritas diuina immediatè propter ſe credita, excedat vires naturæ, vt ad illam ſit opus ſpeciali auxilio per Chriſtum, hoc opus, hic labor.

48. Ego hanc ſupernaturalitatem deſumendam puto per comparationem ad modum operãdi intellectus creati, qui cùm natura ſua cognoſcitiuus ſit, aſſenſum naturaliter non præſtat propter ea, quæ ſibi obſcura, ſed potiùs propter ea, quę ſibi clara & manifeſta ſunt: nequit igitur Myſterijs fidei naturaliter aſſenſum prębere, propter authoritatẽ Dei vt obſcurè ſibi applicatã, ſed potiùs propter teſtimonia & rationes humanas eãdem authoritatẽ manifeſtè applicãtes. Cùm enim ad Myſteria fidei credẽda neceſſaria ſit propoſitio, quæ illa reddat euidenter credibilia, quòd ſint à Deo reuelata, intellectus naturaliter potiùs aſſentietur illis propter rationes humanas, quæ illa reddunt euidenter credibilia, quã propter ipſam reuelationẽ Dei obſcurã. Duo enim ſunt in obiecto fidei, & reuelatio ipſa Dei, quæ proponitur credẽda, tanquam motiuum formale, & rationes, quæ proponunt ipſam reuelationem tanquã à Deo factã. Fides infuſa aſſentitur Myſterio reuelato propter ipſam reuelationẽ, quatenus à Deo eſt, non autem propter rationes humanas proponentes, quę ſolùm ad actum fidei infuſę concurrunt vt præuiæ conditiones obiectum applicantes. Intellectus igitur naturaliter ſuum aſſenſum non præbet Myſterio ſibi propoſito, propter reuelationem Dei obſcuram, ſed propter rationes & teſtimonia humana, quibus eadem reuelatio ſibi proponitur: cùm naturalis modus operandi intellectus ſit, ex notis & manifeſtis aſſenſum præbere ignotis & obſcuris. Vt igitur poſſit intellectus, contra ſuum naturalẽ modum operandi, Myſterijs fidei aſſentiri propter ſolam authoritatem Dei obſcurã, tanquam propter rationẽ formalẽ aſſentiendi, eget ſpeciali auxilio Dei ipſum eleuante ad aſſentiendum contra naturalẽ modum operandi ipſius. Igitur nequit actu naturali ſolo concurſu generali elicito Myſteria fidei credere eodem motiuo, quo ea ipſa credit actu ſupernaturali.

49. Dices. Licet intellectus ex ſe naturaliter non aſſentiatur niſi propter ſibi nota & manifeſta, poterit tamen aſſentiri propter obſcura ex imperio voluntatis, determinantis ipſum ad aſſentiendum obiecto, reuelato propter ipſam reuelationẽ obſcurã & non propter rationes humanas moraliter euidentes. Reſp. Negando aut poſſe voluntatem, abſque ſpeciali auxilio ad vitam, imperare intellectui, vt cõtra ſuum naturalem modum aſſentiatur obiecto propter motiuũ obſcurum, relicto euidenti & manifeſto; aut intellectum ſequi imperium voluntatis contra ſuum naturalem modũ, niſi ſpeciali auxilio Dei adiutũ, cùm voluntas non præbeat, ſed ſupponat proportionatas vires in intellectu ad obiectum attingendum.

50. Sed vlteriùs dubitari poteſt, an intellectus ad huiuſmodi modum operandi ſit tantùm moraliter, an etiam Phyſicè impotens. Si tantùm moraliter: ergo non eſt neceſſarius habitus ſupernaturalis infuſus, nã hic eſt neceſſarius ad phyſicè complendam potentiam, quia datur ad producendam ſubſtantiam actus: quidquid autem eſt neceſſarium ad ſubſtantiam actus, phyſicè requiritur ad actum. Si verò ſit phyſice impotens: contrà eſt, quoniam tunc tantùm potentia eſt phyſicè impotens ad operandum circa aliquod obiectum, quando in tali obiecto eſt aliqua ratio ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, quæ debeat à potẽtia attingi: nulla autẽ ratio ſupernaturalis quoad ſubſtantiam eſt in obiecto formali fidei, quæ debeat ab intellectu viatoris attingi: igitur non eſt phyſicè impotẽs. Pro cuius dubij ſolutione, Dubium.

51. Dicendum eſt, intellectum viatoris ex ſe eſſe phyſicè, & non tantùm moraliter impotentem ad præbendum aſſenſum obiecto reuelato propter ſolam authoritatẽ Dei ſibi obſcurè applicatam, tanquam propter motiuum formale. Probatur 1. quoniam, vt rectè probat prior ratio, ſi moraliter tantùm intellectus eſſet impotens ad huiuſmodi aſſenſum præbendũ, non eſſet neceſſarius habitus infuſus ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, ſed ſufficeret naturalis quoad ſubſtantiã, cum auxilio indebito ordinis naturalis. Reſolut.

52. Secundò probatur à priori, quoniam nullum auxiliũ ordinis naturalis euehit potentiam extra ſuum modum operandi naturalem, ſed perficit illam intra eundem ordinem, vel efficiendo, vt illa hic & nunc operetur iuxta ſuum modum connaturalẽ operãdi, quę aliàs operatura nõ eſſet, vel vt prõptiùs, & faciliùs, intenſiuſuè intra eundem ſuum naturalem ordinem operetur. Ergo vt intellectus contra ſuum naturalem modum operandi aſſentiatur Myſterijs reuelatis, propter ipſum teſtimonium Dei obſcurum, & non propter ſigna & rationes humanas moraliter euidentes, eget auxilio ſupernaturali quoad ſubſtantiam, ipſum eleuãte ſupra ſuum modum naturalem operandi.

53. Ex quo patet ad poſteriorem rationem: nam eſto hoc auxilium ſupernaturale quoad

quoad ſubſtantiam in aſſenſu fidei Theologicæ elicito propter authoritatem Dei obſcurè cognitam, non requiratur propter aliquam rationem obiectiuam ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, requiritur tamen propter modum operandi excedentem naturalem modum operandi intellectus, cùm nullum auxilium ordinis naturalis ſit ſufficiens, hunc modum naturalem operandi intellectus immutare.

Ad ar- n. 1 ſect. 1. 54. Ad argumenta primæ ſententiæ. Ad 1. neganda eſt Maior: decipitur enim hæreticus, putans ſe Myſteria fidei credere propter authoritatem Dei, cùm reuera illa non credat, niſi propter teſtimonia & rationes humanas, vti credit ſuas hæreſes, cùm tamen etiam illas putet, ſe credere propter authoritatem Dei. Nec ſufficit ad credendum re ipſa propter authoritatem Dei, velle credere propter authoritatem Dei, alioqui etiam ſufficeret ad credendum fidē vt oportet ad ſalutem, nam hoc etiam intendit hæreticus: ſed neceſſarium etiam eſt, vt tollat impedimentum, quod diuinæ motioni, quæ ad credendum propter authoritatem Dei neceſſaria eſt, apponit. Porrò in eo decipitur hæreticus, putans ſe credere propter authoritatem Dei, quia credit propter illam materialiter ſumptam: credit enim propter authoritatem Dei, creditam propter rationes & teſtimonia humana, non autem immediatè propter ipſam. Vnde authoritas Dei reſpectu aſſenſus hæretici non eſt obiectum formale aſſentiendi, ſed ſolùm materiale: formale tantùm eſt ratio & authoritas humana, propter quam ad credendum immediatè mouetur.

2. 55. Ad 2. eſto, quando nulla eſt aſſignabilis ex partè motiui formalis diuerſitas, neque in ſe neque relatæ ad modum operandi potentiæ, poſſint circa idem obiectum ex eodem motiuo formali elici actus naturalis & ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, nego tamen eos elici poſſe circa motiuum formale fidei Theologicæ: nam eſto hoc non ſit diuerſum in ſe, eſt ſaltem diuerſum per comparationem ad modum operandi naturalem intellectus, vt ſuprà probatum eſt. Cæterùm noſtra ratio, cur nequeant circa idem motiuum formale fidei Theologicæ verſari actus naturalis & ſupernaturalis, non fundatur in eo, quòd circa idem motiuum formale non poſſint verſari actus naturalis & ſupernaturalis: ſed in eo, quòd tale motiuum excedat, ſaltem quoad modum operandi, naturales vires intellectus. Quòd ſi neq; quoad modũ operãdi naturales vires ipſius excederet, poſſet circa illud naturali, & ſupernaturali actu ferri, vti probat exemplum de ſcientia naturali & infuſa circa idem obiectum formale. In probatione autem antecedentis falſum aſſumitur, non poſſe nimirum in obiecto dilectionis Dei naturalis & ſupernaturalis aſſignari diuerſitatem motiui formalis. Nam motiuum formale dilectionis naturalis, eſt bonitas Dei, quatenus eſt principium bonorum naturalium; ſupernaturalis verò, eadem bonitas, quatenus eſt principium bonorum ſupernaturalium. Quanquam negandum non eſt, etiam circa bonitatem Dei, quatenus eſt principium bonorum naturalium, verſari poſſe non ſolùm actum dilectionis naturalis, ſed etiam ſupernaturalis. In quo caſu dilectio naturalis & ſupernaturalis diſcriminarentur tum ex diuerſo principio naturali & ſupernaturali, tum ex diuerſo modo tendendi: nam dilectio ſupernaturalis tenderet purè propter ſolam bonitatem Dei; naturalis verò, quia originem duceret ex dilectione propria, iuxta illud Philoſophi, ***amabilia ad alterum veniunt ex amabilibus ad ſe***, ſemper tenderet in bonitatem Dei cum aliquo reſpectu ad proprium bonum. *Ariſtotelis.*

Ad 3. 56. Ad 3. concedendum eſt, ſpecificam perfectionem actuum non tantùm deſumi ex motiuo formali, ſed etiam ex diuerſo principio productiuo, vt argumentum, & exempla allata probãt: negandum tamen eſt, poſſe circa idem motiuum formalo verſari actum naturalem & ſupernaturalem, quando motiuum formale excedit vel quoad ſubſtantiam, vel quoad modum attingibilitatis naturalem capacitatem potentiæ.

57. Ad Confirmationem, diſtinguendum eſt Antecedens: actus quoad intrinſecam ſuam entitatem magis pendet à principio productiuo, quàm ab obiecto, concedo, quoad intrinſecam ſuam ſpecificationem, nego: ſi quidem ab obiecto accipit determinatum ordinem & habitudinem intrinſecam, per quam conſtituitur in certa ſpecie actus. Vnde negandum eſt, ordinem ſeu habitudinem ad obiectum eſſe extrinſecam actui, cùm ſit ipſius formale conſtitutiuum. Cæterùm non repugnat, duos actus conuenire in eadem intrinſeca habitudine ad obiectum formale, & conſequenter in eadem ſpecifica conſtitutione, & ſimul etiam diſcrepare in ipſa entitate materiali: ac proinde vnum eſſe in entitate naturalem, alterum verò ſupernaturalem: adeoque ex hoc capite non repugnare, circa idem obiectum formale fidei poſſe eſſe aſſenſum naturalem & ſupernaturalem, ſi aliunde non repugnaret. Repugnantia autem eſt, quia non poteſt potentia naturalis proprijs viribus verſari circa obiectum, ſaltem quoad modum attingibilitatis excedens naturalem modum operandi potentiæ.

Digitized by Google

SECTIO V.

An aſſenſus fidei pendeat ex Imperio voluntatis?

58. AD videndum, in quo ſenſu præſens quæſtio à Doctoribus diſputetur, explicandum eſt, quo pacto intellectus in operando à voluntate pendeat. Porrò intellectus in operando à voluntate pendet ſolùm quoad applicationem virtutis ad eliciendum, vel non eliciendum, vel oppoſitum actum eliciendum, non autem quoad propoſitionem obiecti, in hoc enim potiùs voluntas pendet ab intellectu; intellectus namq; eſt, obiectum voluntati proponere; voluntatis verò, intellectum applicare ad exercitium actus, vel ad vnum eundemque eliciendum, vel non eliciendum, quæ dicitur applicatio quoad exercitium; vel ad oppoſitos exercendos, quę dicitur applicatio quoad ſpecificationem. Præſens igitur controuerſia eſt, an intellectus in aſſenſu fidei præbendo pendeat ex imperio voluntatis applicantis illum non ſolùm ad credendum, vel non credendum, ſed etiam ad credendum, vel diſcredendum.

1. Sentent. Marſil. 59. PRIMA ſententia negat. Quam expreſsè docet Marſilius in 3. quæſt. 14. art. 1. dub. 3. in fine, vbi ſic concludit: *Nec oportet, quòd quandocunq; intellectus aſſentit articulis, quòd hoc faciat, quia voluntas dictauit hoc eſſe bonum. Quemadmodum enim lumine naturali aſſentitur principijs practicis agibilium: ita lumine fidei aſſentitur principijs ſupernaturalibus, quamuis non præcedat ſuper hoc ſæpè electio voluntatis.* Hæc Marſilius. Eandem ſententiā ſecuti ſunt nōnulli recen-

Turrianus. tiores apud Turrianum diſp. 19. dub. 1. Fundamentum eſt, quia vel obiectum fidei eſt ſufficienter propoſitum, & ſic per ſe ipſum mouet intellectum ad aſſenſum ſui abſque imperio voluntatis, cùm quodlibet obiectum ſufficienter applicatum de ſe aptum ſit mouere potentiam, quam reſpicit. Vel non eſt ſufficienter propoſitum, & ſic neque ex imperio voluntatis intellectum mouere poterit, cùm nequeat imperium ſupplere defectum obiecti, quod ex parte potentiæ prærequiritur vt cauſa formalis obiectiua.

2. Sentent. Scotus. 60. SECVNDA ſententia eſt Scoti in 3. diſt. 25. quæſt. 2. opinantis, imperium voluntatis ſolùm requiri ad aſſenſum fidei acquiſitæ, qui de lege ordinaria in nobis præcedit aſſenſum infuſæ; eo autem poſito, non requiri nouum imperium voluntatis, vt intellectus eliciat aſſenſum infuſum, ſed ſufficere, vt volūtas poſitiuè nō contrà moueat. Ratio ipſius eſt, quia poſito vero ſupernaturali præſente intellectui, poteſt voluntas naturaliter mouere illum ad intelligendum tale verum, dummodo in intellectu ſit habitus inclinans illū ad verū ſupernaturale intelligendum. Atqui de facto in intellectu fidelis eſt habitus infuſus inclinans illum ad intelligendum obiectum ſupernaturale fidei: ergo poteſt voluntas naturaliter mouere intellectum ad aſſentiendum vero ſupernaturali reuelato: idem igitur imperium naturale, quod ſufficit ad mouendum intellectum ad aſſentiendum obiecto reuelato fide acquiſita, ſufficit ad mouendum eundem ad aſſentiendū eidē obiecto reuelato fide infuſa.

61. TERTIA ſententia eſt S. Tho. 2. 2. q. 1. art. 4. & q. 2. a. 9. & q. 4. a. 2. Caietani 1. 2. q. 65. a. 4. Richardi in 3. diſt. 23. art. 6 q. 1. & communis Scholaſticorum in 3. diſt. 23. & 24. affirmantium aſſenſum fidei pendere ex imperio volūtatis, non ſolùm quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem actus. 3. Sentent. D.Thom. Caiet. Richard.

62. Pro qua nota, præſentem controuerſiam fieri poſſe, vel de potentia ordinata, vel de abſoluta; de aſſenſu obſcuro, vel euidenter in atteſtante; de imperio voluntatis poſitiuo, vel tantùm negatiuo. Quoad hæc omnia breuiter præſens controuerſia definienda eſt.

63. DICO 1. De potentia ordinata aſſenſus obſcurus fidei infuſæ pēdet ex actuali imperio voluntatis: colligitur ex Concilio Arauſicano II. Canon. 5. vbi definitur, ſicut augmentum, ita & initium fidei, ipſum credulitatis affectum eſſe donum gratiæ. Et ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 6. in quo docet, peccatores ad iuſtitiam diſponi, dum fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum, credentes vera eſſe, quę reuelata ſunt: ergo ſupponunt aſſenſum fidei eſſe liberum: eſt autem liber imperio voluntatis, cùm nequeat eſſe liber ex ipſa potentia intellectiua, quæ neceſſaria eſt. Neque hæc Concilia intelligi poſſunt ſolùm de libertate quoad exercitium: nam expreſsè Arauſicanum docet, per hanc voluntatem hominem corrigi ab infidelitate ad fidem, hoc eſt ex diſſenſu infidelitatis ad aſſenſum fidelitatis, quæ non ſolùm eſt determinatio quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem. 1. Conclus. Concilium Arauſic. Trident.

64. Ratio verò eſt, quia obiectum obſcurè propoſitū non eſt ſufficiens ad determinandum intellectum de ſe indifferentem, quia cùm occultet veritatē, non poteſt ad ſe illum trahere, qui tantùm ex ſe natus eſt trahi à veritate viſa. Neque poteſt ſe ipſum determinare, cùm non ſit formaliter liber: ergo eget extrinſeco imperio volūtatis determinantis illum ad credendum, quod non videt. Confirmatur, quia datur præceptū non ſolùm de credendo, ſed etiam de non diſcredendo rebus fidei: præcepta autem formaliter implentur actu volūtatis: ergo nō ſolū quoad exercitium, ſed etiā quoad ſpecificationē requiritur poſitiua motio voluntatis.

65. DICO 2. Ad aſſenſum fidei infuſæ non ſufficit imperium, quod requiritur ad actum fidei acquiſitæ. Probatur 5. quo- 2. Conclus.

niam aſſenſus fidei infuſæ requirit imperiũ, vt infrà oſtendam, in eſſentia ſupernaturale, cuiuſmodi non eſt imperium requiſitum ad actum fidei acquiſitæ, quòd quia mouet ad aſſenſum ex motiuo naturalem, eſt naturale. Eâdem ratione non ſufficit voluntas, qua quis ad credendum accedit, quod ſibi probabilius viſum fuerit: quia cùm hęc voluntas ſit indifferens ex parte obiecti, quia non magis determinatur ad credendum obiectum proponendum ex authoritate diuina, quàm humana, non poterit eſſe in eſſentia, & ex motiuo ſupernaturalis.

66. Probatur 2. Per affectum credendi fide acquiſitâ homo eſt tantùm determinatus ad aſſentiendum myſterijs reuelatis ex teſtimonio humano euidenter applicato, non autem ex teſtimonio diuino obſcurè cognito: igitur imperium ſufficiens ad aſſenſum fidei acquiſitæ, non ſufficit ad aſſenſum fidei infuſæ. Antecedens patet. Conſequẽtia probatur, quia longè maior difficultas eſt, velle aſſentiri myſterijs reuelatis propter ſolam reuelationem obſcuram, quàm propter teſtimonia & rationes humanas euidenter cognitas: igitur imperium, quod ſufficit ad vnum aſſenſum, non ſufficit ad alium.

67. *Obijcies*, dum intellectus habet aſſenſum fidei acquiſitæ de obiecto reuelato, non poteſt de eodem ſimul habere diſſenſum: ergo per aſſenſum fidei acquiſitæ intellectus determinatur ſaltem quoad ſpecificationem ad aſſenſum fidei infuſæ. Reſp. determinari negatiuè, non poſitiuè, quia licet ſtante fide acquiſitâ de obiecto reuelato nequeat intellectus elicere diſſenſum circa idem obiectũ, quod eſt determinari negatiuè ad aſſenſum fidei infuſæ; non tamen per illam poſitiuè determinatur ad aſſenſum fidei infuſæ, ad quem neceſſaria eſt noua motio voluntatis imperantis ex diſtincto motiuo ſupernaturali.

3. *Concluſ.* 68. Dico 3. Adhuc poſita euidentia atteſtantis obiecti reuelati, neceſſarium eſt imperium voluntatis ad determinandum intellectum ad ipſum exercitium actus. Fundamentum, quia cùm euidentia in atteſtante ſit extrinſeca obiecto atteſtato, non habens intrinſecam connexionem cum illo, vel tanquam cauſa cum effectu, vel tanquam effectus cum cauſa, non cogit intellectũ quoad exercitium actus: ergo ad illud requirit imperium voluntatis. Conſequentia conſtat, quia in eo, in quo intellectus non cogitur ab obiecto, manet indeterminatus: ergo eget imperio voluntatis, vt determinetur. Atque hoc modo aliqui Prophetæ cum euidentia in atteſtante Myſterij reuelati habuerunt fidem liberam quoad exercitium, tametſi non fuerint liberi quoad ſpecificationem, quia ſtante euidentiâ atteſtãtis, non poterant diſſentire obiecto reuelato.

69. *Obijcies.* Stante euidentia præmiſſarum, non poteſt intellectus ſuſpendere aſſenſum concluſionis: ergo ſtante euidentiâ veracitatis Dei, & reuelantis eiuſdem non poteſt intellectus ſuſpẽdere aſſenſum in obiectum reuelatum. Antecedens conſtat, quia concluſio continetur in præmiſſis tanquã in cauſa cognoſcendi; vnde ſicut non poteſt intellectus cognitâ euidẽter cauſâ ſuſpendere notitiam effectus, qui implicitè inuoluitur in ipſa notitia cauſę, ita euidẽter cognita veracitate Dei, & reuelatione eiuſdem ſuſpendere aſſenſum obiecti reuelati, quod neceſſariò includitur in ipſa euidentia atteſtãtis. Conſequentia verò probatur, quia veracitas Dei, & reuelatio eiuſdẽ ſunt præmiſſæ aſſenſus obiecti reuelati, vt patet in hoc Syllogiſmo, *Quod Deus dicit eſt verum, hoc Deus dicit: ergo eſt verum.*

70. Reſp. Antecedens eſſe verum, quando præmiſſæ ſunt cauſa, vel effectus cõcluſionis in eſſendo, quia tunc concluſio intrinſecè continetur in illis ſecundùm ſuum determinatum eſſe; quare per eandem notitiam præmiſſarum intellectus determinatur ad notitiam concluſionis in illis implicitè contentæ; falſum, quando præmiſſæ nõ ſunt cauſa, vel effectus concluſionis in eſſendo, ſed ſolùm medium extrinſecum, quales ſunt veracitas, & reuelatio Dei, reſpectu obiecti reuelati, quæ nullam habent intrinſecã connexionem cum obiecto ipſo ſecundùm ſe, ſed tantùm extrinſecam, ex eo quòd nõ poteſt id, quod prima veritas teſtatur, non eſſe verum; intellectus autem non cogitur ad aſſentiendum, niſi vel ab obiecto viſo in ſe, vel ab eo quod continetur in ipſo obiecto viſo. Cæterùm in adducto Syllogiſmo intellectus ex vi præmiſſarum ſolùm cogitur ad aſſentiendum concluſioni, quoad ſpecificationem.

71. Dico 4. Non ſufficit imperium negatiuum voluntatis, vt intellectus poſitiuè aſſentiatur Myſterijs fidei. Eſt contra aliquos Scotiſtas, putantes eſſe Scoti ſententiam, ſed falsò, vt Scotum diligenter legenti patebit. Fundamentũ aſſertionis eſt: quia nullo poſitiuo imperio voluntatis poſito, manet intellectus indifferẽs & indeterminatus ad aſſentiendum, vel non aſſentiendum: ergo neceſſariò eget poſitiuo imperio volũtatis, vt poſitiuè determinetur ad credendum potiùs, quàm non credẽdum. Antecedens probatur, quia cùm nequeat determinari ab obiecto, vt pote obſcuro, neq; à ſe ipſo, cùm ipſe liber non ſit; nec ſufficiat ſolum negatiuũ imperiũ, cùm hoc relinquat intellectum indifferentem, ſicut antea, neceſſarium erit poſitiuus actus voluntatis ad illum poſitiuè determinandum. 4. *Concluſ.*

72. Dico 5. Non repugnat de potentia abſoluta intellectũ elicere aſſenſum fidei circa obiectum obſcurum, ſine imperio voluntatis, ſupplente Deo virtutẽ & efficaciam talis imperij. Eſt Turriani diſp. 29. dub. 4 Fundamentũ eſt, quia imperium non requiritur ex parte obiecti quoad determinationẽ in genere cauſæ formalis, ſed efficiẽtis; requiritur enim, vt anima eo determinata, per intellectum eliciat aſſenſum fidei: eſt enim voluntatis 5 *Concluſ.* *Turrian.*

tatis

gratiæ & Spiritus S. inſpirationem. Dum autem definit, voluntatem credendi eſſe per inſpirationem Dei, ſimul definit, actum ipſum credendi eſſe non poſſe, niſi ex imperio voluntatis, quæ fit per inſpirationem Dei: atqui hæc naturalis, aut praua eſſe non poteſt, quoniam ad naturale, & multo minùs ad prauum motiuum ſpeciali auxilio gratiæ non egemus.

83. Confirmatur. Si poſſet de lege ordinata fides infuſa elici ex naturali, aut prauo affectu voluntatis, poſſet affectus credendi Myſteria reuelata, eſſe ex nobis, & conſequenter fides ipſa, quæ ſalutis initium eſt, inchoari ex nobis. Nam ſi naturalis, aut prauus affectus voluntatis ad credendum ſufficeret, poſſet quis viribus proprijs velle credere vt oportet ad ſalutem, ac proinde ex ſe ſalutem inchoare, quod eſt contra citatum Concilium definiens, non ſolùm fidem; ſed ipſum credulitatis affectum eſſe à Deo, contra Semipelagianos, qui contendebant, initium ſalutis aliquo modo inchoari à nobis per bonum aliquem affectum viribus naturæ elicitum, intuitu cuius Deus fidem infunderet. Idem docuit Auguſtinus lib. de Prædeſtinatione ſanctorum cap. 2. qu. 9. & 20. vbi initium fidei, & fidem inchoatam docet eſſe donum Dei: vocat autem initium fidei, & fidem inchoatam, voluntatem ipſam credendi. Et S. Thomas 2.2. quæſt. 2. art. 9 docet, *ipſum credere eſſe actum intellectus aſſentientis veritati Diuinæ ex imperio voluntatis à Deo mota per gratiam*: idem repetit quæſt. 6. art. 1. ad 3.

Error Semipelag.

S. Auguſt. S. Thom.

84. Reſpondent aliqui 1. Concilium intelligi de affectu, quo quis, ſaltem de congruo ſibi fidem meretur, non autem de affectu, quo tanquam conditione, poſito, Deus ex ſe gratis fidem infundit. Sed contrà, nam hoc ipſum aduerſus Semipelagianos damnat Concilium, qui contendebant, fidem nobis volentibus, & deſiderantibus, ex miſericordia, non ex merito conferri, vt conſtat ex Canon. 6.

85. Reſpondent alij 2. poſſe prauum illum affectum credendi dici ex dono gratiæ, quatenus eo tollitur contrarius affectus non credendi, qui erat poſitiuum impedimentum ad actum fidei. Sed contrà, nam hoc modo vincere peccatum per aliud peccatū eſſet donum gratiæ, quod nemo dicet. Quamuis igitur talis remotio impedimenti referri poſſit ad gratiam externæ protectionis, tamen ad gratiam internæ inſpirationis, ad quam affectum credendi Concilium refert, reduci non poteſt; omnis quippe diuina inſpiratio ad bonum poſitiuè impellit.

86. Tertiò apparentiùs dici poſſet, Concilium tantùm loqui de ijs, qui primò ex infidelitate ad fidem conuertuntur, non autem de ijs, qui fidem ſemel ſuſceperunt: quia cùm hi fidei habitum in ſe habeant à propria volūtate in operando dependentem, ob quemcunque finem eo vti poſſunt: quo habitu, quia carent primi, non ex quocunque affectu credere poſſunt, ſed ex honeſto & ſupernaturali, quia in illis Deus eſt particularis cauſa fidei, qui cùm non poſſit eſſe particularis cauſa mali, non poteſt creaturam præmouere ad actum fidei ex praua voluntate creaturæ imperatum, alioqui præmoueret ad actum malum ex circumſtantiâ finis actus imperantis. Sed contrà, quia licet Concilium cit. Canon. expreſsè tantùm loquatur de ijs, qui ab infidelitate ad fidem primò conuertuntur, ſequenti tamen Canone vniuerſaliter loquitur de omnibus, quatenus ad omnes actus virtutum docet prærequiri voluntatem gratuitam. Neque aſſignatum diſcrimen verum eſt: nam etiam Deus eſt cauſa particularis actus fidei, per ſupernaturalem motionem in ijs, qui poſt ſuſceptum habitum fidei ſupernaturalibus Myſterijs aſſenſum præbent.

87. Quartò dici poſſet, naturale, aut prauum imperium voluntatis eſſe quidem ſufficiens, non tamen efficax ad actum fidei, quia poteſt Deus eo determinatus, per modum cauſæ vniuerſalis ſupernaturalis concurrere ad actum fidei non tamen neceſſariò, vti concurrit in reliquis actibus naturalibus. Sed contrà, nam quidquid ſit, an tale imperium ſit ſufficiens, vt Deus eo determinatus de potentia abſoluta ad actum fidei excitare poſſit, de quo infrà; ſpectatâ tamen lege ordinata, de qua nunc loquimur, allata reſponſio difficultatem non ſoluit. Nam vel Deus decreuit cum tali imperio voluntatis creatæ ad actum fidei concurrere, & ſic ſemper illud eſt efficax, quia quod ſemel Deus decreuit, poſitâ conditione ex parte noſtra, infallibiliter fit: vel non concurrere; & quia non concurrente & præmouente Deo, creatura ex ſe actum fidei elicere non poteſt, ſemper erit inſufficiens, etiamſi de potentia abſoluta ſufficiens eſſe poſſit.

88. His igitur interpretationibus Cōcilij vt falſis & minùs congruentibus doctrinæ Concilij confutatis, probanda eſt vlteriùs aſſertio ratione, in qua aſſignanda variant Doctores.

89. Bannez 2. 2. quæſtione 4. articulo 5. dub. 2. has aſſignat rationes. Primò. Fides ſuapte naturâ ſibi vendicat ſtatum virtutis: nulla autem virtus poteſt ad malum concurrere; eſt enim virtus bona qualitas mentis, qua nullus malè vtitur: ergo nemo poteſt fide malè vti. Secundò. Ad actum fidei infuſæ peculiari auxilio concurrit Deus: Deus autem peculiari auxilio ad peccatum concurrere non poteſt: cùm igitur credere ex prauo fine peccatum ſit, non poterit ad id ſpeciali auxilio concurrere Deus. Tertiò. Nemo poteſt prudentiâ infuſâ, vel acquiſitâ malè vti: ergo nec fide infuſa, cùm vtraque ſit virtus intellectualis. Quartò. Nemo poteſt malè *Probatio Bannez.*

vti

peculiari modo participatur ipſum operari diuinum: vnde qua ratione operatio debet proportionari eſſe, cuius eſt operatio, eadem ratione fides proportionari debet ſanctitati, cuius eſt operatio. Conſequentia probatur, & primò, quòd non poſſit ex prauo motiuo elicitus ad Sanctitatem diſponere, quoniam Sanctitas opponitur peccato, vel eſſentialiter, vt mortali, iuxta probabiliorem ſententiam vt ego puto; vel connaturaliter, vt veniali: igitur non poteſt actus fidei ex circumſtantia malus eſſe connaturalis diſpoſitio ad Sanctitatem, cùm nulla forma poſſit naturaliter diſponere ad eſſe cui opponitur. Quòd autem neque poſſit ex naturali motiuo elicitus ad eandem diſponere, ſic oſtenditur. Fides, vt ex cit. Tridentino conſtat, eſt diſpoſitio libera ad iuſtitiam, ergo vt libera formaliter debet illi proportionari: eſt autem libera formaliter ex imperio voluntatis: atqui imperium voluntatis ex motiuo duntaxat naturalis honeſtatis non eſt proportionata diſpoſitio ad ſanctitatem ſupernaturalem: ergo.

99. Confirmatur. Ex eo quòd contritio eſt diſpoſitio ad gratiam, non eſt ſufficiens ex naturali duntaxat motiuo elicita, ergo nec fides. Nec obſtat, quòd illa ſit diſpoſitio proxima, hæc remota: quia diſpoſitio, vt diſpoſitio, habere debet proportionem & conformitatem ordinis cum forma, ad quam diſponit, ſiue ſit proxima, ſiue remota: nam etiam remota intrinſecè reſpicit formam, cuius eſt remota diſpoſitio.

100. *Obijcies* 1. contra hanc noſtram rationem. Sufficit vt diſpoſitio ſit proportionata formæ in ſuo genere: ſed fides ſolùm diſponit ad Sanctitatem in genere cognitionis, cui extrinſeca eſt bonitas, vel malitia, vt patet in fide humana & experimentali, quæ eſt proportionata diſpoſitio ad ſcientiam, ſiue bona ſiue mala ſit.

101. Reſp. negando, fidem infuſam diſponere ad Sanctitatem in ratione puræ duntaxat cognitionis, vt ad ſcientiam diſponit fides humana, & experimẽtalis; ſed cognitionis virtuoſæ. Ratio eſt, quia fides infuſa ad Sanctitatem diſponit meritoriè. Quare licet illi in ratione puræ cognitionis ſit extrinſeca bonitas, vel malitia, non eſt tamen illi extrinſeca in ratione meriti, & virtuoſæ cognitionis.

102. *Obijcie*. 2. Vt fides infuſa ſit proportionata diſpoſitio ad Sanctitatem, ſufficit vt imperetur ex motiuo naturalis honeſtatis, ex quo deſumit bonitatem; nam ſupernaturalitatem deſumit ex proprio obiecto ſupernaturali. Confirmatur. Sicut poteſt actus virtutis naturalis imperatus à ſupernaturali diſponere ad gratiam, vt actus temperantiæ imperatus à pœnitentia; ita è conuerſo actus virtutis ſupernaturalis imperatus à virtute naturali.

103. Reſp. negando Antecedens. Ad cuius probationem nego, bonitatem ex quocunque fine ſufficere ad diſpoſitionem proportionatam gratiæ, ſed requiri bonitatem ex fine ſupernaturali.

104. Ad Confirmationem Reſp. 1. quando actus ipſe imperans eſt libera diſpoſitio ad imperatum, vti eſt voluntas credendi ad ipſum credere, quod datur intuitu bonę voluntatis, requiritur, vt actus ipſe imperans ſit proportionatus imperato: non eſt autem proportionatus, ſi ex alio motiuo imperet illum, quia actus imperans non ſumit ſpeciem ex imperato, niſi illum imperet ex proprio motiuo ipſius.

105. Secundò, diſtinguendus eſt duplex actus imperatus; Alter, qui diſtinctam habet libertatem ab ipſo actu imperante: Alter, qui nullam ex ſe libertatem, habet, niſi quam extrinſecè participat ab imperante. Exemplum primi ſit, timor Gehennæ imperat contritionem: contritio imperata à timore Gehennali ſuam habet libertatem diſtinctam ab ipſo actu timoris imperántis, quia elicitur medio actu libero voluntatis diſtinctæ. Exemplum ſecundi: imperat pœnitentia intellectui, vt cogitet de peccatis: cogitatio peccatorum non habet aliam libertatem, niſi quam extrinſecè participat ab ipſo actu imperante pœnitentię: Ratio, quia non elicitur medio actu libero voluntatis, ſed neceſſariò intellectus. Ad hoc autem dignoſcendum regula vniuerſalis ſit, quotieſcunque imperium cadit ſupra actum ab ipſamet voluntate eliciendum, vterque actus imperans, & imperatus ſuam habet libertatem diſtinctam, quia vterque elicitur ab ipſa voluntate libera: quotieſcunque verò imperium cadit ſupra actum à diſtincta potentia eliciendum, actus imperatus non habet propriam libertatem diſtinctam ab actu imperante, quia non elicitur à potentia libera, à qua habere poſſit diſtinctam libertatem ab imperante.

106. Dices 1. poſito imperio voluntatis voluntas neceſſariò elicit actum imperatum: ergo neque actus imperatus eliciendus ab ipſamet voluntate habet libertatem diſtinctam ab imperante. Reſp. nego illum elicere neceſſariò abſolutè, ſed ex ſuppoſitione ſui imperij, quod liberè tollere poteſt, cùm tamen cæteri actus imperati non ſolùm ex ſuppoſitione, ſed abſolutè eliciuntur neceſſariò à ſuis potentijs, cùm in eadem poteſtate nõ ſit, liberum imperium voluntatis retractare.

107. Ex hac doctrina ſequitur, actum imperatum neceſſariò elicitum à potẽtia neceſſaria nullam habere bonitatem moralem ex ſe, ſed totam participare ab actu imperante: actum verò imperatum liberè elicitum à potentia libera, pręter bonitatem moralem, quã extrinſecè participat ab imperante, habere propriam bonitatem moralem intrinſecam ab obiecto, & potentia, à qua elicitur.

108. Ex quo vlteriùs ſequitur, actum imperatum liberum non vitiari ex fine & obiecto imperantis, quoad intrinſecam ſuam bonitatem, niſi ipſemet talem finem intendat; vitiari autem actum imperatum neceſſarium. Vt ſi quis ex motiuo ambitionis imperet ſibi

actum contritionis, vt Deum propitium habeat in conſequenda dignitate: contritio ex tali motiuo imperata, niſi ipſamet tale motiuum intendat, non vitiabitur quoad intrinſecam ſuam bonitatem. Contrà verò vitiabitur actus ſtudij, ſi ex eodem motiuo imperetur. Ratio diſcriminis, quia prior actus habet ſuam intrinſecam bonitatem, quemadmodum & libertatem diſtinctam ab actu imperante: poſterior verò, quia nullam habet moralem bonitatem, niſi quam participat ab imperante, illo vitiato, tota bonitas actus imperati vitiatur.

109. Ex quo inferuntur hæc duo. Primum, non vitiari proximam voluntatem credendi quoad intrinſecam ſuam bonitatem ex alia voluntate reflexa praua: vt ſi quis inducatur ad volendum credere propter honeſtum motiuum ſupernaturale ex inordinato affectu rerum temporalium: Secundum, vitiari actum fidei quoad moralem bonitatem ex prauo imperio voluntatis: quia hic nullam habet moralem bonitatem, niſi quam participat ab imperante.

110. Ad Confirmationem, negatur Conſequentia. Ratio diſcriminis: quoniam omnis actus virtutis naturalis, eo ipſo quòd imperetur à ſupernaturali, extrinſecè participat eius bonitatem ſupernaturalem, ratione cuius ad gratiam diſponere poteſt. Actus verò virtutis ſupernaturalis, ſi ex ſe non habet bonitatem ſupernaturalem moralem, ſed tantùm tranſcendentalem, cuiuſmodi eſt actus fidei, niſi illam participet à virtute imperante non poterit eſſe idonea diſpoſitio ad gratiam: nam idonea diſpoſitio ad gratiam debet eſſe in genere virtutis & bonitatis moralis ſupernaturalis.

111. Dices 2. cur actus imperans ſuam bonitatem communicat imperato, non autem contrà actus imperatus ſuam bonitatem communicat imperanti. Reſp. rationem eſſe, quia imperans eſt forma moralis imperati, mediante qua communicat illi ſuam bonitatem: imperatus verò nō eſt forma moralis, ſed obiectum actus imperantis, obiectum autem non eſt aptum communicare ſuam bonitatem actui, niſi ab illo intendatur.

112. Ex dictis conſtat, cur poſſit homo malè vti gratijs gratis datis: poteſt enim quis malè vti prophetia, poteſtate Sacerdotali, & alijs ad malum finem; non autem fide, quia fides ordinatur ad ſāctitatē vt diſpoſitio, virtutes autem gratis datæ ſolùm vt cauſa efficiens: poteſt autem quis malè vti principio efficiente Sanctitatis, quia extrinſecum eſt Sanctitati, non autem diſpoſitione, quę eſt illi intrinſeca, & ob quam moueri debet Deus ad conferendam ſanctitatem. Cùm igitur fides ordinetur ad producendum actum per modum moralis diſpoſitionis immanentis in eodem ſubiecto, in quo recipienda eſt ſanctitas, nequit elici ex naturali, aut prauo motiuo. Virtutes autem gratis datę, quia nō ordinantur ad diſponendum ſubiectum, in quo ſunt, ſed in quo producunt, nō moraliter ipſe ſubiectum diſponendo, ſed phyſicè & efficienter, quia nō mouetur moraliter Deus ad ſanctificandum ſubiectum, in quo illæ gratiam producunt ex merito producentis, ſed ex pacto & promiſſione ſua, non repugnat, vt ijs malè vti poſſimus. Quòd ſi Deus mouetur ad gratiam alteri dandam ex praua actione Sacramentali miniſtri, vt ex praua collatione Baptiſmi mouetur ad dandam gratiam baptizato, non mouetur ex tali actione, quatenus malè exercetur à miniſtro, ſed quatenus rectè propter rectum finem inſtituta eſt à Chriſto, tanquam inſtrumentum ſuæ paſſionis, vt fusè in ſeptimo Tomo de Sacramentis in cōmuni.

113. Ex dictis etiam conſtat, fidem eſſe virtualiter practicā, quatenus moraliter diſponit ad ſanctitatem, & ad reliquas virtutes ſupernaturales infuſas.

114. *Obijcies* 3. Quià fides infuſa eſt diſpoſitio ad iuſtificationem, nequit vitiari ex prauo fine; ergo neque acquiſita ad infuſam requiſita, nam etiam hęc remotè ſaltem ad iuſtificationem diſponit. Reſp. concedo totum, ſi fides acquiſita debet ſaltem ex decreto Dei infuſam præcedere, de qua difficultate infrà. Quoniā tunc ex illa iuſtificationis exordium aliquo modo inchoatur. Cū igitur nulla diſpoſitio, ne quidem remota, ad iuſtificationem poſſit eſſe praua, aut ſolius naturæ viribus elicita, cùm nequeat Deus ex naturali, & multò minùs ex praua actione moueri ad hominem iuſtificandum, neceſſariò debet eſſe honeſta, & ex auxilio gratiæ, ſaltem ordinis naturalis, indebito elicita.

115. Dices: ergo pius affectus credendi Myſteria fidei, elicitus propter honeſtum finem naturalem, ex ſpeciali auxilio indebito ordinis naturalis erit ſufficiens diſpoſitio vnà cum aſſenſu ſupernaturali fidei ad iuſtificationē. Reſp. eſt ſufficiens diſpoſitio per extrinſecam duntaxat voluntatem Dei, concedo; per intrinſecum ordinem ad formam, ad quam ſuapte natura diſponit, nego. Cæterùm fides infuſa non eſt diſpoſitio ad ſanctitatem per extrinſecam duntaxat voluntatem Dei, ſed per intrinſecum ordinem, quem habet ad gratiam ſanctificantē, ex eo quòd ſit actus productus ex habitu ſupernaturali intrinſecam connexionem habente cum forma ipſa iuſtificāte: qualem enim connexionem habet habitus cum forma, talem etiam habet actus, talis habitus cum eadem forma.

116. *Obijcies* 4. Auguſtinum lib. de Cathechizandis rudibus ca. 17. affirmantem eſſe *Auguſtin.* aliquos, qui ptopterea volunt eſſe Chriſtiani, vt aut promereantur homines, à quibus temporalia commoda expectant; aut quia offendere nolunt, quos timent: igitur poteſt quis Chriſtiana fide credere ex prauo motiuo. Reſp. Auguſtinum explicandum eſſe, aut de fide exteriori, aut de actu interiori tantùm concomitanti & reflexo, qui nullam malitiam refundit in actum directum. Legatur caput 5. vbi de interiori fide docet, nullum Chriſtianū fieri, niſi aliquo timore Dei perculſum. *Rariſſimè quippe*, inquit, *accidit, imò*

verò

Digitized by Google

verò nunquam, vt quiſquam veniat volens fieri Chriſtianus, qui non ſit aliquo Dei timore perculſus. In quo teſtimonio notandum, per ſubſequentia verba, *imò verò nunquam*, Auguſtinum correxiſſe, quod dixerat *rariſſimè*. Cæterùm ſi quando accidat, vt aliquis humano affectu ad fidem accedat, docet ibidem, huiuſmodi non tam velle fieri Chriſtianum, quã fingere: *quia fides*, inquit, *non res eſt ſaluandi corporis, ſed credentis animi.* Et de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 2. non modò fidem perfectam, ſed etiam inchoatam, ait eſſe donum Dei.

Thomas. 117. *Obijcies* 5. S. Doctorem, 1. 2. q. 56. art. 1. docentem, virtutes intellectuales ſolùm tribuere facultatem operandi, non autem bonum vſum, quem ſolùm tribuũt virtutes morales & q. 65. art. 4. fidem poſſe eſſe ſine prudentia infuſa: ergo nõ ſemper habet bonum vſum, qui eſſentialiter pendet à prudentia, & 2. 2. q. 47. art. 13. ad 2. fidem non importare ordinem ad appetitum rectum, ad quem ordinem dicit prudentia infuſa: quo fit, vt fides poſſit eſſe in peccatore, non autem prudentia infuſa.

118. Reſp. in primo loco apertè loqui de virtutibus intellectualibus, quæ nullum dicunt ordinem ad voluntatem, cuiuſmodi ſunt ſcientiæ & artes; non autem de ijs, quæ peculiarem ordinem dicunt ad voluntatem, cuiuſmodi ſunt fides, & prudẽtia, quæ propterea dicuntur virtutes morales, quia pendent à voluntate effectiuè, & terminatiuè. In ſecundo ideò dixit, fidem infuſam eſſe poſſe ſine prudentia, quia ad ipſius actũ, cùm ſit formaliter ſpeculatiuus, non requiritur prudentia. In tertio ſolùm affirmat, fidem nõ importare conformitatem ad appetitum rectorum operum, quam conformitatem importat prudentia infuſa, quæ propterea in peccatore eſſe non poteſt, quia prudentia eſt præceptiua bonorum operum, cùm ſit virtus formaliter practica; non autem fides, quæ eſt formaliter ſpeculatiua, & ſolũ practica, quatenus pendet à voluntate captiuante intellectum in obſequium fidei.

119. Dico 2. Affectus voluntatis, à quo pendet aſſenſus fidei infuſę, eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. Fundamentum, quia ſemper illum pręcedit cognitio ſupernaturalis quoad ſubſtantiam applicans illi obiectum credendum ex motiuo ſupernaturali: ergo & ipſa eſt in eſſentia ſupernaturalis. Antecedens conſtabit infrà. Conſequentia probatur, quia ſicut actus intellectus ex motiuo ſupernaturali, eſt quoad ſubſtantiam ſupernaturalis, ita & affectus voluntatis ex motiuo ſupernaturali, erit quoad ſubſtantiam ſupernaturalis, vterq; enim ſpecificatur ex motiuo formali.

120. Dico 3. De potentia abſoluta non repugnat, actum fidei infuſę fieri ex prauo affectu volũtatis. Probatur, quia poſſet Deus ad illam non requirere liberam cooperationem ſubiecti, neque illum ordinare vt moralem diſpoſitionem ad ſanctitatem: ergo non repugnat fieri ex prauo affectu voluntatis. Antecedens conſtat, quia poſſet Deus non moueri ad actum fidei ex honeſto affectu credentis, aut ex eo ad reliqua dona infundenda, ſed ex ſe, poſito imperio voluntatis vt pura conditione. Conſequentia verò probatur, quia nulla eſt eſſentialis connexio inter bonum affectum voluntatis, & actum fidei infuſæ, neque in applicatione obiecti credendi, quia intellectus non pendet à voluntate quoad applicationem ſui obiecti, ſicut ipſa ab intellectu, ſed tantùm quoad exercitiũ actus, ad quod ſufficit quodcunque imperium voluntatis; neque in ordine ad Deum infundentem talem actum, ad quem ſolùm concurreret per modum cauſæ vniuerſalis determinatus à creatura; neque eſt aliud caput ex quo repugnat talem actum produci.

121. Ex dictis patet reſponſio ad rationem Caietani, quia licet fidei ex ſe non repugnet elici ex prauo motiuo, repugnat tamen illi, vt moralis diſpoſitio eſt ad ſanctitatem: eodem modo reſpondetur ad rationem Scoti; nam quamuis poſſit voluntas ex ſe mouere intellectum ad obiectum ſupernaturale, non tamen poteſt mouere illum ad actionem ſtudioſam proportionatam Sanctitati.

SECTIO VII.

An in voluntate ſit ſpecialis habitus infuſus ad imperandos actus fidei, & quis ille ſit?

122. PRIMA Sent. Scoti in 3. diſt. 25. q. 2. negantis. Fundamentũ eius eſt, quoniam adhoc vt potentia motiua moueat inſtrumentum artificiale ad ſcindendum, non requiritur diſpoſitio in ipſa potentia motiua, ſed ſufficit ſola acuties in inſtrumento: ergo adhoc vt voluntas moueat intellectum ad credendum, non requiritur peculiaris virtus in voluntate ſed ſufficit habitus fidei in intellectu. Scotus.

123. SECVNDA Sent. Sancti Thomæ 2. 2. q. 4. art. 2. Richard. in 3. diſt. 23. art. 6. q. 1. & communis Theologorũ *affirmatiua, & ſequenda.* Fundamentum aſſignat S. Doctor. 2. 2. q. 17. art. 1. vbicunque circa aliquam materiam eſt aliquis actus honeſtus, oportet vt ille reſpondeat alicui virtuti, præſertim quando actus excedit facultatem potentię naturalis: Atqui voluntas credendi Deo reuelanti honeſta eſt, & excedit facultatem potentiæ naturalis: ergo ad illam neceſſaria eſt peculiaris virtus infuſa, non minùs quàm ad ipſum actum fidei, vel alterius virtutis ſupernaturalis. Maior probatur, quia quando actus excedit facultatem potentiæ, nequit fieri à ſola potentia naturali: ergo requirit virtutem ſuperadditam intrinſecam, vt fiat proportionatum & connaturale pricipium talis actus. Minor patet, quia tale imperium voluntatis eſt in eſſentia ſupernaturale, reſpicit enim

Digitized by Google

aſſenſum ipſum fidei eliciendum ſub motiuo ſupernaturali.

124. Ad fundamentum Scoti, negatur Antecedens: nam ad ſcindendum artificioſè, præter acutiem in inſtrumento, requiritur ars in potentia, quæ dirigat inſtrumentum ad effectum iuxta regulam artis: ergo ad credendum vt oportet ad ſalutem, præter habitum fidei in intellectu, requiritur virtus moralis in voluntate, quæ moueat intellectum ad actum iuxta regulam virtutis.

125. Grauior controuerſia ſupereſt, quęnam ſit hæc virtus, quæ in voluntate ponitur ad imperandos actus fidei. Pro qua Doctores in diuerſas abiere ſententias. Quas omnes examinare oportet, vt quæ ex omnibus probabilior ſit, clariùs appareat.

Bonauent. 126. Bonauentura in 3. diſt. 23. art. 1. q. 2. putat eſſe habitum ipſum fidei, qui prout eſt moralis virtus & principium meriti, eſt in voluntate rectificans illam ad mouendum intellectum: prout verò eſt habitus facilitans potentiam ad credendum, eſt in intellectu. Nec repugnat eadem virtus in duplici potentia: ſicut eadem ſanitas in multis membris; eadem honeſtas in duplici actu interno & externo.

Caietanus 127. Caietanus 2. 2. q. 4. art. 2. docet, ad imperandum actum fidei infuſæ ſimpliciter, non requiri ſpecialem habitum in voluntate, quippe qui putat, poſſe actum fidei ſupernaturalis elici ex naturali imperio voluntatis; ad imperandum verò ſtudioſè, requiri peculiarem habitum charitatis: fortè, quia charitas eſt forma virtutum.

Medina. 128. Medina lib. 4. de recta in Deum fide cap. 2. cenſet hanc eſſe virtutem obedientiæ, qua captiuatur intellectus in obſequium fidei, diuerſæ tamen rationis ab ea, qua obtemperamus Deo præcipienti, quia per hanc ſubijcimur Deo teſtificanti. Fundamentum eſt, quia ſubijcere intellectum ad credendum diuinæ authoritati propter ſe, habet peculiarem honeſtatem ex motiuo, & difficultatem diuerſam à reliquis virtutibus: ergo ponenda eſt diſtincta à cæteris, quæ dici poteſt obedientia fidei, iuxta illud Apoſtoli ad Roman. *Rom. 1.* 1. *ad obediendum fidei.*

129. Alij opinantur eſſe virtutem Religionis, quia per talem actum creatura voluntariè ſubijcitur Deo teſtificanti: quę ſubiectio eſt quidam cultus Dei pertinens ad virtutem Religionis.

130. Alij arbitrantur eſſe virtutem vrbanitatis: quia ſicut credere homini, quando res prudenter proponitur, eſt virtus vrbanitatis, ita & Deo.

Vaſquez. 131. Vaſquez 3. p. q. 7. in commentario articuli tertij exiſtimat, nullum eſſe peculiarem habitum piæ affectionis ex parte voluntatis ad credendum: nullam tamen reddit rationem, ſed tantùm promittit ſe id oſtenſurum in 2. 2. *Turrianus.* Turrianus verò fidus ipſius diſcipulus, & in Theologico munere ſucceſſor diſp. 37. dub. 5. docet, illum aliquando ſenſiſſe, hunc habitum non eſſe niſi rectam diſpoſitionem omnium virtutum acquiſitarum, quibus aufertur impedimentum, quo retrahi poſſet homo à credendo res fidei. Fundamentum eſt, quia ſicut voluntas naturalis ad imperandum actum fidei humanæ non eget peculiari habitu: ita nec voluntas ſupernaturalis ad imperandum actum fidei infuſæ. Conſequentia conſtat, quia nulla ponenda eſt virtus moralis infuſa, quę non reſpondeat alicui virtuti naturali acquiſitæ, cùm virtus infuſa & acquiſita ſolo motiuo & obiecto formali diſcriminentur.

132. Molina in ſua concordia q. 14. d. 8. *Molina.* Valentia 2. 2. diſp. 1. q. 1. punct. 4. §. *ſitne fi-* *Valentia.* *des euidens.* Turrianus loco præcit. & alij pu- *Turrianus.* tant, hunc habitum pertinere ad virtutem ſtudioſitatis, cuius eſt dirigere appetitum circa ea, quę cognoſcenda ſunt.

133. Pro explicatione, Notandum eſt, præſentem controuerſiam non eſſe, an actus fidei imperari poſſit à diuerſis virtutibus, hoc enim fieri poſſe nemo dubitat; ſed an in actu fidei ſit ſpecialis honeſtas, quæ ſpecificare poſſit peculiarem virtutem à cæteris diſtinctam. Sicut cùm quæritur, an ſatisfacere Deo pro peccatis commiſſis, ſit actus pœnitentię, non quæritur, an actus pœnitentię ſecundùm diuerſa motiua imperari poſſit à diuerſis virtutibus, ſed an talis ſatisfactio fundare poſſit motiuum diſtinctę virtutis à cæteris, quæ dicitur pœnitentia. Et ratio dubitandi in allatis opinionibus tacta huc reducitur, quoniam nulla poteſt aſſignari peculiaris honeſtas in actu fidei imperando, quæ ad aliquam ex aſſignatis reduci non poſſit. His adnotatis,

134. Dico 1. Virtus, qua voluntas imperat actum fidei, non eſt habitus ipſe fidei. Fundamentum eſt, quia obiectum huius eſt authoritas diuina reuelans: illius verò eſt actus ipſe creatus fidei, ſeu honeſtas ipſius. Vnde illa eſt virtus Theologica, quia reſpicit immediatè Deum ſub ratione primę veracitatis: hæc moralis, quia reſpicit immediatè aliquid creatum. Præterea illa reſpicit obiectum ſub ratione veri; hæc ſub ratione boni. Tandem repugnat ſaltem naturaliter, accidens abſolutum, qualis eſt habitus fidei, eſſe in duplici ſubiecto. Neque poteſt habitus efficienter iuuare potentiam, niſi ſit in eadem potentia, quia non eſt naturaliter operatiuus, niſi per actum immanentem ad exigentiam potentiæ, cui infunditur. Nec eſt eadem ratio de ſanitate, quæ pluribus ineſt ſubiectis: nam hęc non eſt vna ſimplex qualitas, ſed compoſita ex multis.

135. *Obijcies.* Poteſt idem habitus, exempli cauſa charitatis, elicere actum directum amoris erga Deũ, & reflexum eiuſdem per modum actus imperantis: ergo poteſt idem habitus fidei elicere aſſenſum directum circa Myſteria reuelata, & reflexum eiuſdem per modum imperij. Conſequentia conſtat à paritate. Antecedens probo: quo-

niam

Digitized by Google

niam ad eandem virtutem pertinet actus directus circa obiectum, & reflexus circa actum eiuſdem obiecti. Sicut ad eandem potentiam pertinet directè tendere in obiectum, & reflexè in actum: vtrumque enim comprehenditur ſub adæquato obiecto ſpecificatiuo habitus: omnis quippe habitus ſpecificatur ab obiecto, mediante actu *vt quo*. Confirmatur. Si non poſſet idem habitus directè tendere in obiectum, & reflexè in actum, admittendus eſſet infinitus numerus habituum ſupernaturalium, propter infinitos actus reflexos, quos poſſet voluntas elicere.

136. Reſp. Antecedens eſſe verū, quando actus directus & reflexus eliciendi ſunt ab eadem potentia, ſecus quando à diuerſis, vt accidit in caſu propoſito, in quo actus directus fidei eliciendus eſt ab intellectu, actus verò reflexus imperans à voluntate. Ratio, quia quando eliciendi ſunt ab eadem potentia, maiorem habent connexionem & vnitatem in obiecto formali, & modo tendendi, quia vterque tendit propter eandem honeſtatem obiecti exercitam, vel ſignatam; immediatam, vel mediatam. Quando verò eliciendi ſunt à diuerſis potentijs, vnuſquiſque tendit ſub diuerſo motiuo formali, & ratione tendendi accōmodata potentiæ, à qua elicitur, velut actus intellectus ſub motiuo veritatis, & per modum aſſenſus; actus voluntatis ſub motiuo honeſtatis, & per modum vitalis impulſus. Quæ rationes cùm ſint per ſe ſufficientes ad diuerſificandas diuerſas potentias, nequeunt concurrere ad ſpecificandum vnum ſpecie habitum. Præterea nequit habitus naturaliter vel operari extra potentiam, cui inhæret; vel pluribus potentijs inhærere. Cæterùm obſerua, actum reflexum non eſſe eiuſdem ſpeciei cum directo, reduci tamen ad ſpeciem illius tanquam imperfectum ad perfectum, ſicut motum ad naturam termini: patet, tum quia actus directus charitatis immediatè & exercitè reſpicit Deum, reflexus verò actum ipſum charitatis creatum, licet *vt quo*: tum maximè, nam alioqui, qui ſolum vellet conteri, etiamſi non contereretur, iuſtificaretur ante contritionem: nam poſſet quis efficaciter velle conteri poſt vnum quadrantem, ad hoc vt excogitatis motiuis contritionis certiùs & ſecuriùs contereretur: in quo caſu, ſi actus reflexus eſſet eiuſdem ſpeciei cum actu directo, talis homo iuſtificaretur per ſolam voluntatem efficacem, qua conteri vellet.

137. Dico 2. Hæc virtus non eſt charitas. Fundamentum, quia poteſt peccator ante dilectionem Dei habere actum fidei propter motiuum primæ veritatis. Antecedens apertè docet Tridentinum Seſſ. 6. cap. 6. vbi affirmat, peccatorem per fidem diſponi ad dilectionem Dei. Ratio à priori eſt quia ad eliciendum actum fidei ex motiuo primæ veritatis ſufficit voluntas ex honeſtate talis actus, tanquam ex motiuo formali: hic autem non eſt actus charitatis, vt per ſe conſtat, alioqui hoc actu peccator iuſtificaretur. Cæterùm charitas dicitur forma virtutum in ratione perfecti meriti, ſine qua nulla virtus eſt condignè meritoria. Atque in hoc ſenſu intelligendus eſt Sanctus Thomas, ſi quando affirmat, actum fidei pendere à charitate, nempe in ratione meriti condigni & perfecti.

Trident.

138. Dico 3. Neque eſt ſpecialis obedientia, ſiue obtemperandi Deo vt præcipienti, ſiue vt teſtificanti. Probatur 1. authoritate Angelici Doctoris 2. 2. q. 4. art. 7. vbi cùm ſibi obieciſſet, fidem non eſſe primam inter virtutes, eo quod ſupponat obedientiam, à qua mouetur ad aſſentiendum Myſterijs reuelatis: Reſpondet, ſupponere obedientiam generalem, quæ cum omni virtute coniuncta eſt, non autem ſpecialem, quia hæc non præcedit, ſed ſubſequitur fidem. Igitur in Sententia Sancti Doctoris virtus, quæ mouet intellectum ad credenda obiecta reuelata propter authoritatem Diuinam, non eſt obedientia ſpecialis, ſed alia, cum qua, ſicut cum quauis alia virtute coniuncta eſt obedientia generalis. De qua obedientia intelligendus eſt citata quęſtione articulo ſecundo, ad ſecundum, & tertia parte qu. 7. articulo 3. ad ſecundum, & citatum teſtimonium Pauli ad Romanos 1. *D.Thom.*

139. Secundò eadem aſſertio probatur ratione. Obiectum obedientiæ ſpecialis, teſte S.Thom. 2. 2. q. 104. art. 2 eſt præceptum tacitum, vel expreſſum ſuperioris: poteſt autem quis moueri ad credenda Myſteria reuelata non ex præcepto Dei, ſed ex ſola honeſtate, quam in aſſenſu ipſo fidei diuinę agnoſcit. Quòd autem non ſit alia ſpecialis obedientia reſpiciens Deum vt formaliter teſtificantem, conſtat tum authoritate Scholaſticorum, quorum nullus hactenus aliam ſpecialem obedientiam, quam ex motiuo ſuperioris, agnouit: tum quia omnis virtus moralis infuſa reſpondet acquiſitæ, circa idem obiectum materiale, in quo conueniunt: ſed virtus moralis acquiſita, ex qua voluntas mouet intellectum ad credendum ex authoritate humana, non eſt obedientia ſpecialis: ergo neque virtus moralis infuſa, ex qua voluntas mouet intellectum ad credendum ex authoritate Diuina.

140. Dico 4. Neque hæc virtus eſt Religio. Fundamentum, quia obiectum Religionis eſt cultus debitus Deo vt primo principio creationis & gubernationis, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 81. qui autem mouetur ad credendum, non neceſſariò mouetur ad exhibendum cultum, debitum Deo, ſed moueri poteſt, ex ſola honeſtate actus fidei. *S.Thomas.*

141. Dico 5. Neque hæc virtus eſt vrbanitas. Probatur, quoniam hæc, authore Philoſopho 4. Ethicorū cap. 8. attendit ſolam moderationem in ludo. Neque verum eſt, nos ex hac virtute vrbanitatis moueri ad credendum teſtimonio humano, ſed ex virtute reſpiciente honeſtatem, quæ eſt in ipſo actu fidei humanæ. *Ariſtoteles.*

Digitized by Google

141. Dico 6. Neque eſt ſola diſpoſitio virtutum acquiſitarum, quibus tollitur impedimentum, quo homo à credendis Myſterijs fidei retrahi poſſet. Fundamentum, quia adhuc ſublato omni impedimento per virtutes acquiſitas, voluntas non eſt ex ſe ſufficiens elicere imperium ſupernaturale circa aſſenſum fidei infuſæ: ergo præter virtutes acquiſitas, quibus tollitur impedimentum, eget virtute infuſa, qua fiat potens ad huiuſmodi imperium eliciendum.

S. Thomas. 143. Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ nego, voluntatem naturalem ex frequentatione actuum fidei humanæ ſibi non acquirere peculiarem habitum, quo faciliùs inclinetur ad conſimiles actus: tametſi primos actus non eliciat ex habitu, cùm ex ſe ſit ſimpliciter potens ad omnem actum naturalem, ante vllum habitum acquiſitum: ad actum verò ſupernaturalem, quia eſt ſimpliciter impotens, eget habitu, aut aliquo æquiualente etiam ad primos actus.

S. Thomas. 144. *Obijcies* ex doctrina Sancti Doctoris 1.2.q.65.art.2. communiter recepta, virtutes morales infuſę connexionem habent cum charitate, cum qua ſimul infunduntur & amittuntur: atqui poteſt peccator imperare ſibi actum fidei propter ſupernaturalem honeſtatem talis actus: ergo tale imperium non requirit ſpecialem virtutem infuſam. Reſp. aliud eſſe, hoc imperium non neceſſariò requirere virtutem infuſam inhęrentem: aliud, non eſſe actum virtutis infuſæ. Primum eſt verum; ſecundum falſum: nam etiam ante infuſum habitum charitatis poteſt eſſe actus charitatis. Quamuis igitur in peccatore non ſit virtus infuſa, poteſt tamen in eo eſſe actus talis virtutis, ſupplente Deo cauſalitatem illius.

145. Dico 7. Neque virtus hæc eſt ſtudioſitas. Fundamentũ eſt, quia hæc, teſte S. Th. 2.2.q.166.& 167. per ſe & directè verſatur circa appetitum ſciẽdi, efficitq; ne homo vel ob nimium laborem negligat, quæ ſcienda ſunt; vel ob nimium deſiderium inquirat, quæ inquirenda non ſunt. Sed poteſt homo peccare contra ſtudioſitatem, negligendo in particulari, quæ ſint res fidei, non peccando contra aliam virtutem, illis diſſentiendo: igitur hęc virtus diſtincta eſt à ſtudioſitate: Licet hanc virtutem ſtudioſitatis includat fides, vt hæc moralis virtus eſt, quatenus præſtat, ne homo negligat, quæ ad fidem pertinent, aut curioſiùs, vel plura inueſtiget, quàm quæ fides ipſa docet; neve facilè inducatur ad credendum, quidquid leui fuerit ratione propoſitum: præter hanc autem neceſſaria eſt alia virtus, quæ voluntatem immediatè moueat ad ipſum aſſenſum fidei, ab oppoſitoque diſſenſu remoueat.

146. Dico 8. Hæc virtus, quę intellectum mouet ad aſſenſum fidei, & ab oppoſito diſſenſu remouet, eſt virtus ſpecialis à cæteris diſtincta, quæ dici poteſt virtus credulitatis, ſeu fidelitatis. Hanc aſſertionem docet Ægidius Coninck de actibus ſupernaturalibus Diſp.13.dub.6.concl.5.& 6. Coninck.

147. Quòd ſit diſtincta virtus ab alijs conſtat ex diſtincto motiuo, ex quo mouetur; mouetur enim ex ſpeciali honeſtate, quæ reperitur in aſſenſu ſupernaturali fidei, quæ honeſtas vti diſtincta eſt, à cæteris honeſtatibus, ita diſtinctum conſtituit motiuum virtutis.

148. Quòd autem dici nuncuparique debeat virtus credulitatis ſeu fidelitatis, colligitur tum ex Concilio Arauſicano II. Can.5. vbi illam appellat affectum credulitatis: tum ex Auguſtino de prædeſtinatione Sanctorum cap.2.& alibi, qui voluntatem credendi vocat fidem inchoatam: tum ex S. Thoma q.14. de veritate art.2. in corpore & ad 10. vbi: *inchoatio*, inquit, *fidei eſt in affectione, in quantum voluntas determinat intellectum ad aſſentiendum his quæ ſunt fidei: ſed illa voluntas nec eſt actus charitatis, nec ſpei, ſed quidam appetitus boni repromiſſi.* Hæc Sanctus Thomas. Tum ratione, nam ſunt quædam virtutes, quarum honeſtas primariò conſummatur in in actu externo, & ex eo ſecundariò deriuatur in internum, vt conſtat de modeſtia, cuius honeſtas primariò perficitur in actibus exterioribus, ex quibus ſecundariò deriuatur in interiores. Eadem ratione philoſophandum eſt de vitijs oppoſitis, quorum turpitudo primariò reperitur in actibus externis, ſecundariò in internis. Talis eſt fides, cuius honeſtas primariò perficitur in actu intellectus, ex quo deriuatur in actum voluntatis: nam ideo voluntas credendi bona eſt, quia ipſum credere bonum eſt. Et è conuerſo, malitia diſſenſus primariò eſt in actu intellectus, ſecundariò in actu voluntatis: nam ideo voluntas diſſentiendi mala eſt, quia ipſum diſſentire malum eſt. Quò fit, vt eadem ſit bonitas moralis in aſſenſu fidei, & imperio voluntatis: ſicut eadem malitia eſt in diſſenſu, & imperio eiuſdem.

Concil. Arauſican. Auguſtin. D. Thomas.

149. Pro quo nota, actum fidei conſiderari dupliciter; vno modo in eſſe naturæ per ordinem ad ſuum obiectum formale; alio modo in eſſe moris per ordinem ad voluntatem: primo modo conſideratus, eſt virtus intellectualis Theologica, ſpecificata à prima veritate teſtificante, vt à motiuo formali, perficiens intellectum in genere cognoſcitiui. Secundo modo, eſt obiectum ſpecialis virtutis credulitatis, quam ſpecificat ſecundùm peculiarem honeſtatem, quam habet ad rectum appetitum, media regula ſupernaturali rationis, & ſimul eſt effectus illius componens vnum in eſſe virtutis moralis cum illa, per dependentiam libertatis ab illa. Sicut ſcientia conſiderata in eſſe naturæ ſpecificata ab obiecto ſcientifico, eſt virtus intellectualis perficiens intellectum in eſſe cognoſcitiui: conſiderata verò in eſſe moris eſt obiectum peculiaris virtutis ſtudioſitatis, quam ſpecificat ſecundùm ſpecialem honeſtatem, quam habet ad rectum appetitum media regula naturalis rationis, & ſimul effectus illius, componens cum ea

vnum

Digitized by Google

vnum actum humanum in eſſe virtutis moralis per dependentiam libertatis ab illa. Fides igitur in eſſe virtutis moralis eſſentialiter includit habitum credulitatis ex parte voluntatis.

150. Eadem doctrina applicāda eſt in fide humana: niſi quòd hęc vt ſe tenet ex parte intellectus, non eſt virtus, cùm poſſit eſſe falſa, quòd virtuti repugnat, cuius natura eſt, vt bonum faciat habentem: eſt autem virtus, vt ſe tenet ex parte voluntatis imperantis intellectui, cui, & quando oporteat ad aſſentiendum obiecto humana authoritate propoſito.

SECTIO VIII.

Qualem notitiam prærequirat voluntas ſupernaturalis credendi?

151. CVm non poſſit voluntas intellectum mouere ad credendum, niſi ex præuia cognitione obiecti credibilis; controuerſia non modica eſt, qualis debeat eſſe iſta cognitio, ex qua voluntas mouetur ad imperandum aſſenſum fidei.

152. PRIMA ſententia docet, eſſe naturalem, eam ſcilicet, qua quis ex ſignis humanis iudicat res fidei eſſe euidenter credibiles, & prudenter credendas authoritate Diuina; videtur Gabrielis in 3. diſt. 24. quæſt. 1. Fundamentum, quia per eam ſufficienter applicatur voluntatis ſupernaturalis aſſenſus fidei, eiuſq; honeſtas: ergo ex eà ſufficienter moueri poterit ad illum ſtudioſè imperandum. *Gabriel.*

153. SECVNDA Sententia affirmat cum prima, hoc practicum iudicium ex ſignis humanis formatum ſufficere, illud tamen ſupernaturale eſſe quoad modum, quia mouet intellectum ſpeculatiuum ad credenda Myſteria fidei ſub motiuo ſupernaturali, quod excedit perfectionem iudicij purè naturalis, quod tantùm regulatur ex motiuis humanis. Quòd tale iudicium ſufficiat, conſtat ratione præcedentis ſententiæ. Quòd ſit ſupernaturale quoad modum, probatur ex Concilijs & Patribus affirmantibus, ad huiuſmodi iudicium requiri gratiam Dei intus mouentis.

154. TERTIA Sententia cæteris probabilior docet, requiri notitiam ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, nec ſufficere ſupernaturalem quoad modum. Quam tamen aliqui explicant per modum ſimplicis apprehenſionis repręſentantis ſupernaturalem honeſtatem, quę eſt in credendo Deo teſtificanti: alij per modum practici iudicij dictantis, actum fidei eſſe eliciendum propter ſupernaturalem honeſtatem ſui. Pro explicatione.

155. Nota, ante voluntatem credendi duplicem notitiam conſiderari poſſe; Alteram immediatè habitam ex ſignis & motiuis humanis, ſub quibus obiectum fidei proponitur; facta enim prædicatione obiecti credendi ab aliquo miniſtro Eccleſiæ, audiens ex ſignis & motiuis, ſub quibus illud proponitur, naturaliter format hoc iudicium ſpeculatiuum, credibile eſt hoc obiectum eſſe à Deo reuelatum: ex quo infert hoc aliud practicum: ergo prudenter credendum eſt fide Diuina: Alteram immediatè à Deo infuſam per internam illuminationem, poſito priori iudicio tanquam conditione, ſine qua de lege ordinaria Deus non infunderet hanc ſupernaturalem notitiam, quippe qui in euehenda natura ad dona ſupernaturalia accommodat ſe modo ordinario operandi naturæ, non quòd ea conferat intuitu naturæ, aut alicuius operationis naturalis, ſed quia illam ſupponit vt fundamentum, ex quo Deus captat occaſionem hominem intus illuminandi, & excitandi. Porrò hæc notitia eſt quædam practica ſuaſio obiecti propoſiti credendi authoritate Diuina propter honeſtatem in credendo Deo teſtanti; differt autem à prima, quia illa immediatè fundatur in ſignis & rationibus humanis, euidenter demonſtrantibus credibilitatem obiecti; hæc in ſola authoritate Diuina, obſcurè tantùm credita per lumen ſupernaturale fidei. Controuerſum igitur eſt, An prior tantùm notitia ſufficiat ad voluntatem ſupernaturalem credendi? Secundum. An ſufficiat ſimplex apprehenſio honeſtatis fidei, vel ſit neceſſarium iudicium? Tertium. An illa ſit ſupernaturalis quoad modum, hæc quoad ſubſtantiam? Quartum, à quo vtraque eliciatur tanquam à connaturali principio.

156. DICO 1. neceſſaria eſt cognitio aliqua ſupernaturalis ad voluntatem credendi fide infuſa. Colligitur ex Trident. Seſſ. 6. cap. 5. & 6. vbi exordium iuſtificationis in adultis docet eſſe ſumendum ex gratia vocationis per Chriſtum ante liberam voluntatem credendi, *qua excitati liberè mouentur in Deum, credentes vera eſſe, quæ diuinitus reuelata ſunt*: ſed vocatio eſt actus intellectus, vt ſæpè teſtatur Auguſtinus: ergo ex Trident. voluntatem credendi præcedit cognitio diuinitus imperata; Idem deducit Auguſtinus de prædeſtinatione Sanctorum cap. 2 ex 1. ad Corinthios 3. *Non ſumus idonei cogitare aliquid ex nobis, quis*, inquit, *non videat prius eſſe cogitare quàm credere? nullus quippe credit aliquid, niſi prius cogitauerit eſſe credendum*; & lib. 1. ad Simplicianum q. 2. *Non volūtas bona vocationem, ſed vocatio bona voluntatem præcedit.* Ratione probatur, nam ſi ſola cogitatio naturalis ad voluntatem credendi ſufficeret, initium iuſtificationis ſumeretur ex nobis, quia omne opus morale initium ſumit ex aliqua cogitatione, ex qua inchoatur, vnde doctè Tridentinum ad eam retulit initium noſtræ iuſtificationis. *Conc. Trid.* *Auguſt in.* *Auguſtin.*

157. DICO 2. Ad ſupernaturalem voluntatem

tatem credendi non ſufficit prior cognitio in humanis motiuis fundata. Eſt Sancti Doctoris 2. 2. q. 2. art. 9. ad 3. vbi præcipuum motiuum, quo inducimur ad credendum, ait, eſſe interiorem inſtinctum Dei inuitantis, & q. 1 art. 4 ad 3. vbi hanc cognitionem refert ad ipſum habitum fidei: Caietani ibidem. Ferrarienſis 3. contra Gentes c. 40. §. *reſpondetur*, Molinæ in Cõcordia q. 14. diſp. 9.

158. Hanc aſſertionem 1. deduco ex eodem Concilio, & Patribus, qui ſemper ad fidem requirunt gratiam interioris excitationis, quæ tamen non ſemper eſſet neceſſaria, ſi prior cognitio fundata in motiuis naturalibus ſufficeret, quia illa ſaltem aliquando eſſe poſſet abſque vllo auxilio indebito ex ſolis viribus naturæ, poſita tantùm gratia externæ prædicationis, vltra quam Concilia & Patres contra Pelagium requirunt internam inſpirationem.

159. Secundò probatur ratione, nam illa non proponit obiectum voluntati, niſi ſub motiuo naturalis honeſtatis: ſed non poteſt voluntas moueri, niſi ex motiuo ab intellectu propoſito: ergo non poteſt voluntas ſupernaturalis ſufficienter moueri ex cognitione naturali. Conſequentia conſtat, quia voluntas in eſſentia ſupernaturalis poſtulat motiuum ſupernaturale. Minor patet ex natura voluntatis, quæ non poteſt ad incognitum ferri. Maior probatur, quia cognitio naturalis non ſe extendit niſi ad ea, ad quæ ſe extendit lumen naturale: ſed lumen naturale non ſe extendit, niſi ad honeſtatem naturalem, nempe ad conformitatem obiecti cum recto appetitu naturali.

160. Dices, poteſt cognitio naturalis repræſentare obiectum ſupernaturale: ergo poteſt cognitio naturalis eſſe proxima regula voluntatis ſupernaturalis. Antecedens probatur, quia poteſt cognitio naturalis ex motiuo humano repræſentare obiectum ſupernaturale, vt patet in practico iudicio credibilitatis obiecti fidei, quod ex ſignis & motiuis humanis dictat, eſſe credendum fide ſupernaturali; poteſt autem voluntas moueri tanquam ex motiuo formali ex obiecto ipſo materiali cognitionis: ergo poteſt ſupernaturaliter moueri ex cognitione naturali. Minor probatur, nam id quod eſt obiectum formale voluntatis, ſemper eſt obiectũ materiale cognitionis; cũ non poſſint diuerſæ potentiæ ex eodem motiuo formali regulari, quia motiuũ eſt formale diſtinctiuum potentiarum; vnde ſemper honeſtas, quæ eſt motiuum formale voluntatis, eſt materiale obiectum cognitionis, quæ tantùm regulatur ex motiuo formali veritatis.

161. Reſp. negando Antecedens de obiecto ſupernaturali ſufficiente ad fundandum affectum ſupernaturalem. Ratio eſt, quia vt voluntas moueatur ex obiecto ſupernaturali, debet ei proponi vt conforme ad regulam honeſtatis ſupernaturalis; hoc autem fieri nequit cognitione naturali, quia hæc non ſe extendit, niſi ad conformitatem cum regula naturali. Vnde licet honeſtas, ſub qua obiectum proponitur voluntati, ſit materiale obiectum intellectus, qui ſolùm mouetur ex motiuo formali veritatis, adhuc tamen ipſa proponi poteſt per cõformitatem ad duplicem regulam, naturalem, & ſupernaturalem. Ad exemplum autem de iudicio practico, nego tale iudicium ſufficere ſine noua excitatione ſupernaturali, qua idem obiectum iudicetur exercitè credibile, ac prudenter credendum ex teſtimonio Dei propter ſe, quo formaliter mouetur intellectus ſpeculatiuus ad eliciendum aſſenſum fidei ſupernaturalis, qui non minùs quàm voluntas requirit ſuum motiuum ſufficienter applicatum; applicatur autẽ per Diuinã excitationem, qua per modũ cuiuſdam indeliberati iudicij exercitè iudicatur tale obiectum credibile, & credendum authoritate Diuina propter ſe.

162. Dico 3. Ad voluntatem credendi neceſſaria eſt poſterior cognitio, quæ ſupernaturalis eſt quoad ſubſtantiam, & practicè iudicatiua, & non tantùm apprehenſiua obiecti credendi. Quòd ſit neceſſaria, patet ex præcedenti concluſione. Quòd ſit in eſſentia ſupernaturalis, conſtat, tum quia eſt proxima regula affectus ſupernaturalis; tum ex modo tendẽdi ad obiectum per modum iudicij credibilitatis obiecti credendi propter teſtimoniũ Dei immediatè, abſque vllâ depẽdentia à ſignis & rationibus humanis tanquã à ratione motiua. Quòd ſit cognitio iudicatiua probatur, quia licet ad actum neceſſarium & indeliberatum voluntatis ſufficiat ſimplex apprehenſio obiecti conuenientis, aut diſconuenientis proprio ſuppoſito, ad liberum tamen & deliberatum, cuiuſmodi eſt quo voluntas imperat intellectui, vt propoſito obiecto fidei aſſentiatur, requiritur practicum iudicium: quoniam ad actum liberum ac deliberatum requiritur, vt vtraque pars contradictionis, & contrarietatis proponatur, nec non vt vna præ alia eligenda iudicetur.

163. *Obijcies* 1. Fides ex S. Thoma 2. 2. q. 4. art. 7. eſt prima perfectio ſupernaturalis, quæ infunditur nobis: ergo ante illam nulla præcedit cognitio ſupernaturalis. Secundò. Naturale eſt homini, iudicare vt credibilia, quæ à fide digno proponũtur: talia ſunt Myſteria noſtræ fidei: ergo ſine alia motione iudicari poſſunt credibilia. Tertiò. Hoc iudiciũ ſupernaturale eſt obſcurum, cùm non fundetur in ſignis euidentibus credibilitatis: ergo non poteſt neceſſitare intellectum: ergo ſupponit imperium voluntatis, quo eliciatur, ante quod neceſſarium eſt aliud iudicium, & ſic in infinitum. Quartò. Hoc iudicium non videtur differre ab ipſo aſſenſu fidei; eſt enim obſcurum, & immediatè fundatum in authoritate Dei propter ſe: ſed hoc iudicium præcedit voluntatem credendi: ergo fides eſt ante voluntatem credendi. Quintò. Non repugnat voluntatem naturalem mouere intellectum ad actum ſupernaturalem: ergo nec intellectum naturalem voluntatem ad effectum ſupernaturalem. D. Thom.

164. Reſp.

Digitized by Google

propter ſe: ſed hoc iudicium præcedit voluntatem credendi: ergo fides eſt ante voluntatem credendi. Quintò. Non repugnat voluntatem naturalem mouere intellectum ad actum ſupernaturalem: ergo nec intellectum naturalem voluntatem ad effectum ſupernaturalem.

164. Reſp. ad 1. concedendo conſequens de cognitione ad fidem non pertinente; negando de cognitione ad fidem ſpectante, qualis eſt ea, qua cognoſcitur credibilitas obiecti reuelati; eſt enim illa morale principium fidei, non minùs neceſſarium, quàm phyſicum principium eiuſdem.

165. Ad 2. concedenda eſt Maior de iudicio credibilitatis per motiua humana; neganda de iudicio credibilitatis per motiua Diuina; nam ſicut excedit naturalem capacitatem intellectus, certiſſimè iudicare aliquid credibile ex teſtimonio primę veritatis, quod ipſe immediatè non cognoſcit; ita nequit tale iudicium eſſe nobis connaturale.

166. Ad 3. concedo tale iudicium eſſe obſcurum, ac proinde ex ſua natura intellectum non neceſſitare; nego tamen ad illud prærequiri voluntatis imperium; cùm enim illud ſpectet ad gratiam præuenientem, operatur Deus ipſum neceſſariò in nobis ſine nobis.

167. Ad 4. nego Antecedens: nam practicum iudicium de credibilitate obiecti, credendi ab intellectu propter Teſtimonium Dei, habet pro motiuo formali honeſtatem aſſenſus fidei. Vnde teſtimonium Dei, propter quod propoſitum obiectum iudicatur credibile, & ab intellectu credendum, eſt tantùm materiale, non formale obiectum practici iudicij ſupernaturalis. Aſſenſus verò fidei habet pro motiuo formali ipſum teſtimonium Dei propter ſe.

168. Ad 5. Nego Conſequentiam. Ratio verò eſt, quia voluntas eſſentialiter pendet ab intellectu in applicatione obiecti formalis, ſine quo nequit operari: intellectus verò non pendet à voluntate in applicatione ſui obiecti formalis, ſed ſolùm pendet ab illa quoad exercitium actus.

169 Ex dictis infero primò ſeriem ipſam actuum, qui ad aſſenſum fidei infuſæ neceſſarij ſunt. Primus eſt, externa propoſitio obiecti credendi, eſt enim fides ex
Rom. 10. auditu, ad Romanos 10. Secundus, eſt libera applicatio potentiarum ad percipienda ea, quæ credenda proponuntur. Tertius, eſt ipſa apprehenſio Myſterij cum omnibus ſignis & motiuis, cum quibus illud proponitur. Quartus, euidens iudicium ſpeculatiuum de credibilitate obiecti propoſiti. Quintus, practicum iudicium de eodem obiecto credendo fide Diuina, vt per ſigna proponitur. Sextus, præmotio Dei excitantis intellectum ad iudicium ſupernaturale formandum de credibilitate eiuſdem, propter teſtimonium Dei, obſcurè, ſed certiſſimè cognitum, & ſimul ad practicum iudicium concipiendum de tali obiecto ob ſolum teſtimonium Diuinum, & ſupernaturalem honeſtatem, quæ in tali actu credendi relucet. Septimus, liberum imperium voluntatis, quo eâ honeſtate permota imperat intellectui, vt propoſito myſterio aſſentiat ob ſolam authoritatem Dei. Octauus, ipſe tandem ſpeculatiuus aſſenſus fidei ob ſolum teſtimonium primæ veritatis elicitus: in quo vltimò perficitur & completur ſupernaturalis actus fidei. Vnde primum remotè tantùm, poſterius proximè concurrit ad voluntatem credendi.

170. Infero 2. Hos actus connaturali tantùm lege neceſſarios eſſe. Cæterùm de potentia abſoluta non implicat, Deum propoſita externa, vel interna apprehenſione obiecti credendi, intellectum viatoris ſtatim excitare ad ſupernaturale iudicium de credibilitate obiecti apprehenſi, abſque vllo præuio iudicio naturali de credibilitate eiuſdem, ex ſignis & motiuis humanis, ac proinde poſſet homo aſſenſum fidei ſupernaturalis elicere, abſque vllo præuio aſſenſu fidei humanę, tametſi nonnulli id fieri poſſe negant. Moueor, quia nulla eſt eſſentialis connexio inter tale iudicium naturale, & aſſenſum fidei infuſę: ſolùm enim illud requiritur vt præuia conditio connaturaliter tantùm prærequiſita. Cęterùm poſſet Deus non concurrendo cum intellectu ad iudicium naturale, immediatè excitare ad ſupernaturale, ex quo tantùm eſſentialiter pendet liber aſſenſus fidei. Confirmatur, quia quando voluntas imperat actum fidei, non eſt neceſſe, vt exiſtat actu iudicium naturale; eſt autem neceſſe, vt actu exiſtat iudicium ſupernaturale, quia non poteſt voluntas operari, niſi circa obiectum actu cognitùm: ergo cum hoc tantùm habet neceſſariam connexionem, non cum illo.

171. Vlteriùs quæri poteſt, an ſine vllo iudicio etiam ſupernaturali de credibilitate obiecti poſſet Deus immediatè mouere ad ipſum ſpeculatiuum aſſenſum fidei. Et ſanè implicat ſine tali iudicio mouere ad illum vt liberè eliciendum, quia implicat ſine tali iudicio voluntatem mouere intellectum ad credendum. Cęterùm non repugnat abſque vllo iudicio de credibilitate obiecti, mouere intellectum ad aſſenſum neceſſariò eliciendum, non tamen ſine aliqua apprehenſione obiecti credendi. Ratio prioris eſt, quia tale iudicium ſolùm requiritur, vt voluntas imperet aſſenſum fidei; ſed ſuprà probatum eſt, imperium voluntatis non eſſe eſſentialiter neceſſarium ad aſſenſum fidei: ergo. Maior conſtat, quia aſſenſus ſpeculatiuus nullam habet connexionem cum præuio iudicio de credibilitate obiecti, niſi medio imperio libero voluntatis determinantis intellectum ad exercitium actus. Ratio poſterioris eſt, quia aſſenſus fidei eſt formale iudicium de veritate obiecti propter teſtimonium Dei: ſed iudicium eſſētialiter pendet ex apprehenſione terminorum, non ſecus ac voluntas ex propoſitione obiecti.

172. Infero 3. Multos ex his actibus naturales in eſſentia, ſpeciali modo

fieri

Digitized by Google

fieri à Deo propter iuſtificationem noſtram, ac proinde dici ſupernaturales quoad modum; ſiue quia Deus ordinat illos ad ſalutem noſtram vt præuias conditiones de lege ordinaria requiſitas; ſiue peculiari modo excitando prædicatores Euangelicos ad promulgandam fidem Chriſti; ſiue cum auditoribus cooperando, vt quę per ſolas vires naturæ percipere non poſſent, roborato concurſu naturali de facto ac faciliùs percipiant, *Actor. 16.* Actorum 16. vbi de Lydia purpuraria dicitur, quòd Dominus illius cor aperuit, vt intenderet his quę dicebantur à Paulo; vnde tales actus dicuntur procedere ex auxilio gratiæ ordinis naturalis per Chriſtum, ad differentiam eorum, qui procedunt ex auxilio gratiæ ordinis ſupernaturalis, quales ſunt, ad quos Concilia neceſſariò requirunt internas motiones Spiritus Sancti.

173. Infero 4. Hanc ſeriem actuum quos hactenus docuimus ad fidem Diuinam eſſe neceſſarios, in fide putata variari; nam in ea poſt practicum iudicium naturale de credibilitate obiecti propoſiti non ſequitur Diuina motio ad ſupernaturale iudicium formandum de credibilitate eiuſdem, ob ſolum teſtimonium Dei obſcurè cognitum; ac proinde imperium voluntatis, ſequens tantùm iudicium practicum naturale, non erit ſupernaturale, & conſequenter nec aſſenſus ſpeculatiuus fidei; neuter enim actus habet motiuum ſupernaturale ſufficienter applicatum; applicatur enim per ſolam motionem Dei, quę in obiecto putato non eſt.

174. Dico 4. Hoc ſupernaturale iudicium de credibilitate obiecti credibilis ac credendi, propter authoritatem Diuinam, non elicitur ab habitu infuſo fidei, ſed ab alio, qui vel eſt prudentia infuſa, vel alius habitus ſupernaturalis ab habitu fidei diſtinctus. *Caietanus. Bannez.* Aſſertio hæc eſt contra Caietanum, & Bannez ſecunda ſecundæ, quæſt. 1. articulo quarto & quinto. Fundamentum noſtræ aſſertionis eſt, quia nullus actus elici poteſt ab habitu, qui non procedat ex motiuo formali ipſius: atqui hoc iudicium non procedit ex formali motiuo habitus fidei infuſę: ergo. Maior patet, quia nullus habitus ferri poteſt extra ſuum motiuum formale, à quo ſpecificatur & limitatur, & conſequenter nullus actus elici poteſt ab habitu, qui non procedat ex formali motiuo ipſius. Minor probatur, nam hoc iudicium elicitur ex motiuo honeſtatis, quæ in aſſenſu fidei elucet: ſolumque teſtimonium Diuinum ad hunc actum concurrit vt obiectum materiale, & finis, propter quem debet intellectus ipſum aſſenſum fidei ſupernaturalis elicere. Sicut ſuprà diſput. 3. ſectione 5. diximus de iudicio credibilitatis obiecti propter ſigna & rationes humanas, illud non elici ab habitu fidei, vel humanæ, vel Diuinę, ſed ab habitu ſcientifico, ab vtroque diſtincto.

175. *Obijcies*. Si hoc iudicium practicum de credibilitate obiecti eſt neceſſarium, vt voluntas imperet aſſenſum fidei infuſæ, ſequitur non eſſe in libera poteſtate humanæ voluntatis, hoc imperium, elicere vel non elicere, & conſequenter neque aſſenſum fidei eſſe liberum. Sequela probatur, quia hoc iudicium producitur à Deo, eoque producto, non poteſt voluntas humana illi difformari.

176. Reſpondeo negando ſequelam, eiuſque poſteriorem partem probationis. Falſum namque eſt, voluntatem non poſſe tali iudicio difformari, quippe cùm poſſit, eo relicto, imperare intellectui, vt rationes excogitet vel pro contrario diſſenſu eliciendo, vel pro ſuſpenſione aſſenſus. Pro cuius claritate duplex diſtinguendum eſt ſupernaturale iudicium de credibilitate obiecti; Vnum neceſſarium; Alterum liberum. Primum pertinet ad gratiam præuenientem atque excitantem, quam ſolus Deus operatur in nobis ſine nobis liberè cooperantibus. Secundùm liberè à nobis elicitur cum ſpeciali auxilio Dei, quod ſemper nobis præparatum eſt. Habito igitur primo, non neceſſariò formatur ſecundum, quia poteſt voluntas apponere impedimentum, ne ſecundum iudicium liberum formetur de credendo obiecto reuelato, ſed potiùs oppoſitum de eodem obiecto non credendo; ſiue hoc ſecundum iudicium ſit idem cum primo, quod accedente plena aduertentia rationis, ex neceſſario ſit liberum, ſiue diſtinctum à priori.

177. Ex dictis patet ad rationes primę & ſecundæ ſententiæ. Etenim non nego, iudicium de credibilitate obiecti ex ſignis & motiuis humanis poſſe eſſe ſupernaturale quoad modum, vt ſuprà explicatum eſt: nego tamen illud eſſe ſufficiens ad ſupernaturale imperium voluntatis, quale requiritur ad ſupernaturalem aſſenſum fidei infuſæ imperandum.

SECTIO IX.

An actus fidei ſit meritorius?

178. IN duplici ſenſu propoſita quæſtio diſputari poteſt: Primò, an actus fidei ab homine iuſto elicitus ſit de condigno meritorius accrementi gratiæ & glorię: Secundò, an elicitus à peccatore ſit ſaltem de congruo meritorius gratiæ iuſtificantis. In priori ſenſu facilior eſt reſolutio: quia cùm ſit opus ſupernaturale factum ex gratia Chriſti in Deo, nihil illi ex doctrina Concilij Tridentini ſeſſione ſexta, capite vltimo, & canon. 32. *Conc. Trid.*

deeſſe

Digitized by Google

deeſſe credendum eſt, quo minùs ſit meritorium augmenti gratię & gloriæ. Nec refert, quòd fides non ſit actus voluntatis, à qua ſola tanquam à potentia formaliter libera opus meritorium eſſe poteſt: quia licet non ſit à voluntate elicitiuè, eſt tamen à voluntate imperatiuè, cum cuius libero imperio componit vnum actum perfectè liberum & meritorium incrementi gratiæ & gloriæ.

179. Maiorem difficultatem propoſita quæſtio habet in poſteriori ſenſu, an etiam à peccatore elicitus ſit ſaltem de congruo meritorius primæ gratiæ iuſtificantis. Quæ controuerſia communis eſt reliquis actibus ſupernaturalibus iuſtificationem pręcedentibus, de qua nos fusè Tomo 3. diſp. vlt. de merito Sect. 5.

Capreolus. Sotus. Medina. Valentia.

180. PRIMA Sententia negat: Eſt Capreoli in 4. diſt. 14 q. 2. art. 3. ad argumenta Henrici in poſteriori reſponſione, nam in priori oppoſitum docet: Soti lib. 2. de natura & Gratia cap. 4. Medinæ 1. 2. q. 114. art. 5. Valentiæ 1. 2. diſp. 8. q. 6. punct. 4. ſub titulo, *gratiam non cadere in meritum*: vtramque controuerſiæ partem probabilem cenſet Petrus Sotus lect. 9. de Pœnitentia. *Petrus Sotus.*

Concil. Arauſican. Trident. Paleſtin.

181. Probatur hæc Sententia 1. authoritate Conciliorum Arauſicani II. Tridentini & Palęſtini, in quorum primo Canon. 18. hæc leguntur: *Debetur merces bonis operibus, ſi fiant; ſed gratia, quæ non debetur, precedit vt fiant.* Secundum declarans Seſſ. 6. cap. 8. quid ſit in ſententia Apoſtoli *gratis iuſtificari: gratis, inquit, iuſtificari, ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ iuſtificationem pracedunt, ſiue fides, ſiue opera ipſam iuſtificationis gratiam promerentur.* In Tertio contra Pelagium damnatur. *Quicunque dixerit, gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari.* Secundò probatur teſtimonio Auguſtini, *Auguſtin.* qui ſæpe contra Pelagium docet, nulla noſtra merita gratiam pręcedere, ſed omne meritum à gratia inchoari. Idem docent reliqui Patres, qui contra Pelagianos diſputantes, nullam meriti de congruo rationem agnouerunt, quam ſi agnouiſſent, nę illi vſi fuiſſent ad temperandum rigorem cenſurę, quam de eorũ ſentẽtia ferebant. Cùm igitur abſolutè contra illos definiant, nullam gratiam ſecundùm noſtra merita nobis dari, euidens ſignum eſt, nullum de congruo meritum eos agnouiſſe.

182. Tertiò probatur eadem Sententia ratione. Vbi nulla eſt ratio debiti & iuſtitiæ ex parte remunerãtis, nullum poteſt eſſe meritum: ſed diſpoſitio ad gratiam tempore vel naturâ præcedens ipſam gratiam, nullum ius habet in gratiam, & conſequenter nullũ eſt debitum ex parte Dei remunerãtis, cùm ante gratiam nulla ſit in opere dignitas, quia hęc deſumitur ex dignitate perſonæ operantis, iuxta illud Geneſeos 4. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*, id eſt, vt Sotus interpretatur, *Geneſ 4. Sotus.* ideo ad munera, quia priùs ad perſonam, quæ ſola gratia iuſtificante ſit digna.

183. SECVNDA Sententia affirmat, tam fidem, quàm reliquos actus ex ſpeciali auxilio Dei ante iuſtificationem à peccatore elicitos, eſſe de congruo meritorios gratiæ iuſtificantis, & remiſſionis peccatorum: eſt Sancti Thomæ in 2. diſt. 27. q. vnica art. 4. & 1. 2. q. 114. art. 3. *D.Thomas.* vbi, *Videtur*, inquit, *congruum, vt homini operanti ſecundùm ſuam virtutem Deus recompenſet ſecundùm excellentiam ſuæ virtutis:* Bonauenturæ in 4 Diſt. 15. *Bonauent.* art. 1. q. 5. vbi apertè docet, peccatorem ſuis bonis operibus ex auxilio gratię factis, de cõgruo ſibi iuſticaficationis gratiã promereri: Argentinæ in 2. diſt. 27. art. 3. concl. 2. Ferrarienſis 3. contra gentes cap. 149. in fine, qui contra Capreolum oſtendit, hanc eſſe mentem Angelici Doctoris in præcitato loco 1. 2. Vegæ in Tridentinum lib. 8. cap. 8. & q. 7. de iuſtificatione: Bellarmini lib. 1. de Iuſtificatione cap. 21. & lib. 5. cap. 21. Vaſquez 1. 2. diſp. 218. à cap. 2. Suarez lib. 12. de merito c. 37. Turriani in 2. 2. diſp. 30. dub. 2. Siluij 1. 2. q. 114. a. 5. concl. 4. *Argentin. Ferrarien. D.Thomas. Vega. Bellarmin. Vaſquez. Suarez. Turrianus. Syluius.* Eandem Sententiam à fortiori ſequuntur, qui docent, fidem acquiſitam, & actus honeſtos ſolius naturæ viribus elicitos eſſe de congruo meritorios gratiæ iuſtificantis.

184. Hæc Sententia, quam pręcitato Tomo 3. docuimus, longè probabilior eſt: eaque probatur 1. authoritate Auguſtini, qui Epiſt. 105. ad Sixtum paulò poſt principium ita ſcribit: *Auguſtin.* *Sed nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat. Neque enim nullum eſt meritum fidei. Qua fide ille dicebat*: Deus propitius eſto mihi peccatori, & deſcendit iuſtificatus, *merito fidelis humiliatus. Reſtat igitur, vt ipſam fidem, vnde omnis iuſtitia ſumit initium* &c. *non humano arbitrio, nec vllis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona, quæcunque ſunt merita, ſed gratuitum donum Dei eſſe fateamur.* Hæc Auguſtinus, qui non modò aliquod meritum in fide agnoſcit, ſed ex ea initium meriti in reliquis operibus deſumi affirmat. Quam doctrinam iterum tradidit libro de prędeſtinatione ſanctorum cap. 7. vbi explicans verba Apoſtoli ſic ait: *Ex fide autem dicit iuſtificari hominem, non ex operibus: quia ipſa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus iuſtè viuitur.*

185. Probatur ſecundò ratione. Etenim certum eſt, fidem, cæteraque opera bona ex Diuina ordinatione prærequiri, ſaltem vt moralem diſpoſitionem ad formam ipſam iuſtificantem, teſte Tridentino ſeſſ. 6. cap. 6. & 7. ergo prærequiruntur ſaltem vt meritum de congruo, vel impetratorium. *Conc Trid.* Conſequentia probatur, quia diſpoſitio, quæ ob ſui honeſtatem mouet voluntatem agentis ad aliquid retribuendum, aliàs non retributuri, habet rationem meriti ſaltem impetratorij, ſi quidem ex ea mouetur, & intuitu ipſius, iuxtaque menſuram ac perfectionem eiuſdem gratiam confert: ergo nihil illi deeſſe videtur ad rationem meriti impetratorij & de congruo. Non enim ad huiuſmodi meritum neceſſaria eſt vel æqualitas operis cum præmio, vel ſtrictum & vi

goroſum

gorosum debitum & obligatio retribuendi in præmiante; ſed proportio duntaxat, & congruitas inter opus, quod exhibetur, & præmium, quod retribuitur; & aliquod non iuſtitiæ, ſed gratitudinis debitum in retribuente.

186. Ad argumenta oppoſitæ ſententiæ. Ad primum teſtimonium Concilij Arauſicani. Reſpondeo, illud intelligi de gratia auxiliante, quæ antecedit omne opus meritorium, ſiue ſit de condigno, ſiue de congruo ſiue impetratorium.

Conc. Trid. 187. Secundum teſtimonium Tridentini nonnulli explicant de merito condigno, vt idem ſit *gratis iuſtificari*, quod ex nullis meritis condignis. Sed meliùs & conformiùs ad mentem Concilij illud explicat *Vaſquez.* Vaſquez de operibus factis ſolius naturæ viribus, vt idem ſit in Sententia Concilij *gratis iuſtificari*, atque ex nullis operibus naturæ. Vnde cùm Concilium addit, neque fidem, neque opera ipſam iuſtificationis gratiam promereri, intelligit de iuſtificatione accepta non pro ſola forma, qua formaliter iuſtificamur, ſed pro tota ſerie auxiliorum à primo vſque ad vltimum. In quo ſenſu gratiam iuſtificationis vſurpant Patres contra Pelagium diſputantes. Iuxta quam explicationem neque fides, neque opus vllum auxilio gratiæ factum, ipſam auxiliorum ſeriem promeretur, cùm in ipſa auxiliorum ſerie includatur omne auxilium gratiæ, ac proinde primum auxilium, quod ſub meritum non cadit, neque per opera præcedentia, cùm illa ſint tantùm opera naturæ; nec per opera ſubſequentia, cùm illa principium meriti habeant ab ipſo primo auxilio: principium autem meriti ſub meritum cadere non poteſt, vt ex alibi diſputatis ſuppono.

188. Tertium teſtimonium Concilij Palæſtini ſolùm loquitur de meritis procedentibus ex naturæ viribus, de quibus tantùm erat inter Patres & Pelagium controuerſia. *Conc. Palæſtin.* De his etiam meritis loquitur Auguſtinus, & *Auguſtin.* reliqui Patres, cùm docent nulla noſtra merita, nimirum ſolius naturæ viribus facta, gratiam præcedere. Cæterùm falſum eſt, hoc meritum de congruo & impetratorium non agnouiſſe Patres, vt probatum eſt manifeſtâ authoritate Auguſtini, probarique poſſet authoritate aliorum Patrum, quos breuitatis cauſa omitto.

189. Demum ratio adducta, vel ſolùm probat de merito condigno, quod præter gratiam auxiliantem, ex qua procedere debet, ſupponit etiam iuſtificantem, ex qua condignitatis valorem deſumit: vel certè non probat de operibus impetratorijs, ad quæ neque ſubiecti dignitas, neque certa Dei promiſſio requiritur.

DISPVTATIO XI.

De Compoſſibilitate fidei infuſæ cum euidentia eiuſdem obiecti.

SECTIO I.

An fidei actus ſtare poſſit cum habitu, nec non habitus cum actu, & habitu ſcientiæ eiuſdem obiecti?

Capreolus. Caiet. Medina. D. Thomas. 1. PRIMA Sententia negat: eſt Capreoli in 3. diſt. 26 art. 3. Caietani 1. 2. q. 67. art. 5. Medinæ ibidem art. 3. Colligunt ex Sancto Thoma, qui vbique docet fidem & ſcientiam de eodem obiecto ſimul pugnare in eodem ſubiecto: vnde præcitato loco 1. 2. ad 2. affirmat, fidem & ſcientiam beatam inter ſe opponi ſicut tenebras & lumẽ, quam oppoſitionẽ citati Authores extendunt etiam ad habitus.

2. SECVNDA Sententia affirmat: eſt communis inter Scholaſticos. Pro cuius explicatione, diſtinguenda eſt, duplex ſcientia, naturalis ſeu acquiſita, & ſupernaturalis ſeu infuſa: quæ duplex eſt, altera extra verbum altera in verbo, cum vtraque ſciẽtia actum & habitum fidei comparabimus.

3. DICO I. Tam actus, quàm habitus fidei infuſę ſtare poteſt ſimul in eodem ſubiecto cum habitu ſcientiæ naturalis acquiſitæ & è conuerſo. Probatur 1. ab abſurdo: nam alioqui fidelis doctus acquirens habitũ ſcientiæ de Deo, amitteret fidem de eodem, quæ cùm ſit eadem reſpectu omnium credibilium, amitteretur etiam in ordine ad reliquas veritates reuelatas: aut certè nullum poſſet talis elicere actum ſcientię, vel fidei de Deo.

4 Secundò probatur à priori: nam eſto actus ſcientiæ & fidei de eodem obiecto pugnent ſimul, quod tamen, vt infrà videbimus, falſum eſt: adhuc tamen non repugnant

ſimul earum habitus, vel habitus vnius cum actu alterius. Nam vel earum actus repugnant ſimul ob limitatam virtutem ſubiecti, quod non poteſt ſimul ad plura attendere; vel ob mutuam contradictionem, quam vnus actus infert de alio: neutro autem modo vel habitus, aut actus vnius opponitur habitui alterius: ergo. Maior conſtat, nam omnis repugnantia actuum aut eſt naturalis, fundata in defectu virtutis actiuæ naturaliter impotentis attendere ad plura ſimul; aut ſupernaturalis fundata in mutua contradictione, quã vnus actus infert de alio. Minor quoad priorem partem probatur: nam habitus non requirit attentionem ſubiecti, in quo recipitur, ſed ſuſtentationem dumtaxat in genere cauſæ materialis: quçuis autem potentia ſupponitur habere virtutem ſuſtentandi ſua accidentia: igitur nec habitus, nec actus vnius impedit habitum alterius. Probatur quoad poſteriorem partem: quoniam vnus habitus nõ tollit ſpecificatiuum alterius, à quo pendet in genere cauſæ formalis obiectiuæ: nam formale ſpecificatiuum habitus non eſt obiectum actu cognitum, ſed cognoſcibile; poſſunt autem plures habitus ſimul ſpecificari ab oppoſitis cognoſcibilibus, eſto nõ poſſint plures actus ſimul ſpecificari ab oppoſitis motiuis ſimul actu cognitis. Ratio eſt, quia hæc motiua non ſe excludunt formaliter, niſi ſimul actu cognita; poſſunt enim ſucceſſiuè cognita ſpecificare oppoſitos actus. Cuius ratio à priori eſt, quoniam oppoſita non ſeſe formaliter expellunt, niſi ſimul concurrant ad informandum idem ſubiectum: hæc autem motiua non ſimul concurrunt ad informandum eundem intellectum, niſi quando actu cognoſcuntur, quia tunc ſolùm fiunt intelligibiles formæ illius: igitur poſſunt plures habitus contrarij eſſe ſimul, etiamſi eorum actus ſimul eſſe nequeant.

5. Eadem ratio probat, neque habitum fidei pugnare cum actu ſcientiæ, neque habitum ſcientiæ cum actu Fidei. Nam ex eo quòd ſpecificatiuum habitus ſit obiectum cognoſcibile, cui non opponitur motiuum formale oppoſiti habitus actu cognitum, quia hæc non opponuntur, niſi actu ſimul cognita, nam tunc ſolùm concurrunt vt intelligibiles formæ informantes intellectum, poterit habitus Fidei eſſe cum actu ſcientiæ, & è conuerſo habitus ſcientiæ cum actu Fidei. Confirmatur: nam etſi motus ſurſum & deorſum ſimul pugnent in eodem ſubiecto, haud tamen ſimul pugnant leuitas & grauitas; vel actus vnius cum oppoſita virtute alterius: igitur quamuis ſimul pugnent actus Fidei & ſcientiæ, non tamen ſimul pugnant eorum habitus, vel actus vnius cum oppoſito habitu alterius.

6. Dices, hinc ſequeretur, eodem modo ſimul ſtare poſſe duos habitus oppoſitos, ac non oppoſitos, nam eodem modo eorum motiua non opponuntur, niſi in ordine ad ipſorum actus: quod tamẽ falſum eſt, alioqui nullum eſſet diſcrimen inter habitus oppoſitos, & non oppoſitos. Reſpondeo negando ſequelam: nam licet habitus geniti ex oppoſitis actibus non ſe excludant quoad entitatem, excludunt tamen ſe mutuò quoad vim mouendi, & facilitandi potentiam: habitus verò geniti ex cõſimilibus actibus quoad neutram rationem ſeſe excludunt, ſed potiùs ſe mutuò iuuant. Et quidem habitus genitos ex oppoſitis actibus non ſe excludere quoad entitatem ab eodem ſubiecto, in mea ſententia, qui puto habitus acquiſitos eſſe ipſas ſpecies ex preteritis actibus in memoria relictas, manifeſtè conſtat: ſi quidem ſpeciebus, teſte Sancto Thoma 1. p. quæſt. 89. art. 5. & 1. 2. q. 53. art. 1. nihil eſt contrarium, vt videre eſt in ſpeciebus viſibilibus albedinis & nigredinis exiſtentibus in eadem parte medij. Quòd verò illi ſe mutuò excludant quoad vim mouendi & facilitandi potentiam, probatur: nam acquiſita ſpecie ſcientiæ ex frequentatis actibus, oppoſita ſpecies erroris ceſſat mouere & facilitare potentiam ad actum erroris: tum quia in præſentia ſpeciei perfectioris ceſſat minùs perfecta potentiam excitare: tum quia acquiſita ſpecie obiecti veri, nequit ſpecies obiecti falſi ampliùs intellectum ad aſſenſum erroneum mouere.

D. Thomas.

7. Neque dicas, habitus infuſos corrumpi per oppoſitos actus peccaminoſos; ergo & acquiſitos: nam illi non corrumpuntur phyſicè, ſed moraliter & demeritoriè ab actibus peccaminoſis. Cæterùm phyſicè non repugnat, habitum infuſum ſimul eſſe poſſe cum actu oppoſito. Excipio habitum gratiæ ſanctificantis, ob peculiarem repugnantiam, quam habet cum quouis peccato mortali, ex eo quòd eſt amicitia, & adoptiua filiatio hominis ad Deum.

8. Dico 2. Habitus fidei non repugnat cum habitu, aut actu viſionis Dei, niſi ratione ſtatus. Prior pars probatur: tum quia ex Auguſtino lib. 12. ſuper Geneſim ad literam cap. 27. & 28. & Sancto Thoma 2. 2. q. 175. art. 3. Paulus, & Moyſes Deum viderunt in raptu, neuter tamen, vt idem Sanctus Doctor teſtatur, fidem amiſit: igitur habitus fidei, etiam in ſententia Sancti Doctoris non pugnat cum actu, & à fortiori nec cum habitu viſionis beatæ, nam habitus pugnat cum habitu in ordine ad actum: tum à priori: quia ſpecificatiuum habitus, vel actus viſionis Dei non deſtruit ſpecificatiuum habitus fidei: igitus habitus, vel actus viſionis Dei non deſtruit ſpecificatiuum habitus fidei: igitur habitus, vel actus viſionis Dei ſtare ſimul poſſunt cum habitu fidei. Conſequentia conſtat, quia tota repugnantia phyſica habituum, ſicut & actuum eſt penes motiua formalia. Antecedens probatur, quia motiuum formale habitus, vel actus viſionis Dei, eſt Deus ipſe clarè viſus, vel viſibilis: atqui hoc non opponitur Deo obſcurè cognoſcibili, quod eſt motiuum formale habitus fidei, cùm hæc motiua non opponantur, niſi actu ſimul cognita, nam tunc tantùm exercent formalem oppoſitionem, quam ad inuicem habent: ſicut

Auguſt.
D. Thomas.

formæ non opponuntur, niſi in ordine ad ſubiectum, quod actu informant, & cui actu vniuntur. Eadem ratio probat, actum fidei ſimul eſſe poſſe cum habitu luminis gloriæ.

9. Poſterior pars, quòd ſaltem hæc in beatis opponantur ratione ſtatus, conſtat, quia tam habitus, quàm actus viſionis Dei conſtituunt hominem in ſtatu perfectæ beatitudinis, cui præternaturale eſt cognoſcere res obſcurè, & ænigmaticè. Ex his à fortiori colligitur, tam actum, quàm habitum ſimul ſtare poſſe cum habitu ſcientiæ infuſæ extra Verbum; & è contrà tam actum, quàm habitum ſcientiæ infuſæ ſtare poſſe cum habitu fidei.

10. Authoritas autem Sancti Doctoris ad ſummum intelligenda eſt de actibus fidei & ſcientiæ reſpectu eiuſdem obiecti. De qua ſententia quid nobis ſentiendum ſit, conſtabit ex ſequenti ſect.

SECTIO II.

An actus fidei ſimul eſſe poſſit cum actu ſcientiæ tam naturalis, quàm ſupernaturalis & beatæ?

11. QVadruplex diſtinguitur cognitio euidens; Intuitiua in verbo, quæ ab Auguſtino cognitio matutina dicitur; Intuitiua in proprio genere ſiue in ſe, quæ ab eodem Veſpertina nuncupatur; Abſtractiua per cauſam, vel effectum; & in Deo atteſtante. Cæterùm hic non quærimus, an idem actus poſſit eſſe euidens Dei atteſtantis, & obſcurus rei atteſtatæ, de hoc enim ſuprà diſp. 2. ſect. 5. Sed an actus obſcurus fidei poſſit eſſe coniunctus in eodem intellectu cum alio actu euidente in atteſtante. Similiter non quærimus, quanquam aliquid de hoc etiam dicturi ſumus, an idem actus poſſit eſſe ſcientiæ & fidei ſimul; ſed an actus fidei poſſit eſſe cum actu ſcientię in eodem intellectu.

Auguſt.

12. PRIMA ſententia affirmat actum fidei pugnare cum quouis actu ſcientiæ tam intuitiuæ, quàm abſtractiuæ, tam naturalis & acquiſitæ, quàm ſupernaturalis & infuſæ: Eſt Richardi in 3. diſp. 24. art. 1. q. 5. Scoti q. vnica §. *ad quæſtionem igitur:* Gabrielis q. vnica art. 2. concl. 4. Molinæ 1. p. q. 1. art. 2. diſp. 4. Bannez ſecunda ſecundæ q. 1. art. 5. Franciſci Syluij, Turriani diſp. 8. dub. 6. Aragonij & aliorum ibidem. Et cenſetur ſententia Sancti Thomæ loco citato, vbi ait, eſſe impoſſibile, vt idem ab eodem ſit ſcitum & creditum ſimul. Quorum fundamentum eſt, quia implicat, idem obiectum ſimul eſſe euidens & ineuidens, clarum & obſcurum eidem intellectui.

Richardus. Scotus. Gabriel. Molina. Bannez. Franciſc. Syluius. ver. Turrianus. Aragonius.

13. SECVNDA ſententia docet, actum fidei ſolùm opponi ſcientiæ perfectę & intuitiuæ, non autem abſtractiuæ & in atteſtante: eſt Bonauenturæ in 3. diſt. 24. art. 2. quæſt. 3. Vaſquez 1. parte diſput. 135. cap. 3. in fine, & 3. parte diſput. 53. cap. 1. Fundamentum huius ſententię eſt, quia teſtimonium extrinſecum, cui fides nititur, poteſt mouere intellectum in præſentia ſcientiæ abſtractiuæ, & in atteſtante, non autem in præſentia ſcientiæ intuitiuæ: quæ quoniam repræſentat rem perfectiſſimo modo, reddit motiuum fidei ineptum ad mouendum intellectum in genere cauſæ formalis obiectiuæ ad aſſenſum præſtandnm: implicat autem, vt intellectus aſſentiri poſſit ſine motiuo formali: quod quia concurrere debet in genere cauſæ formalis, à Deo ſuppleri non poteſt.

Bonauent. Vaſquez.

14. TERTIA ſententia aſſerit, actum fidei ſtare non poſſe cum ſcientia abſtractiua, poſſe tamen ſtare cum ſcientia beata in verbo: Eſt Durandi in 3. diſtinct. 31. q. 4. num. 11. & deinceps. Fundamentum ipſius eſt, quia actus fidei & ſcientię ſunt ſub eodem genere proximo cognitionis, ſub quo opponuntur ſicut obſcurum & clarum; fides autem & viſio beata non ſunt ſub eodem genere proximo cognitionis, quia viſio totaliter poſtulat fieri à cauſa ſupernaturali efficienter, & obiectiuè concurrente; non autem fides, ſicut albedo & nigredo, quia ſunt ſub eodem genere proximo coloris, opponuntur ad inuicem, non autem albedo & dulcedo. Præterea docet, poſſe vnum, & eundem actum elici ex medio demonſtratiuo, & authoritate Dei, qui ſimul habeat certitudinem fidei, & euidentiam ſcientiæ; non poſſe tamen elici vnum & eundem actum ex præſentia diuinę eſſentiæ, & authoritate Dei, qui ſimul habeat perfectionem viſionis beatæ & fidei: quia viſio beata, cùm ſit actus totaliter ſupernaturalis, conſurgit ex ſola cauſa ſupernaturali, proinde ſolùm poſtulat fieri à diuina eſſentia effectiuè, & obiectiuè influente. Non ſic autem fides, quę, quia non eſt actus totaliter ſupernaturalis, conſurgere etiam poteſt ex cauſa naturali.

Durandus.

15. QVARTA ſententia abſolutè affirmat, poſſe fidem & ſcientiam eiuſdem obiecti ſtare ſimul in eodem intellectu: Eſt Alenſis 3. p. q. 68. memb. 7. art. 3. Altiſiodorenſis lib. 3. tract. 3. cap. 1. q. 4. in fine: Argentinæ quęſt. 3 Prologi artic. 2. Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 19. ſect. 2. in fine, & tom. de Fide, Spe, & charitate diſp. 3. ſect. 9. Valentiæ in ſecundam ſecundæ diſp. 1. de obiecto fidei q. 1. punct. 4. §. *poſſit ne fides eſſe de obiecto aliunde euidenter cognito:* Coninck de actibus ſupernaturalibus diſp. 11. dub. 1. conc. 2. & aliorum. Pro cuius explicatione,

Alenſis. Altiſiodor. Argentin. Suarez. Valentia. Coninck.

16. DICO 1. Non repugnat cum actu fidei quicunque actus ſcientię ſiue abſtractiuę, ſiue intuitiuæ, ſiue naturalis, & acquiſitæ, ſiue ſupernaturalis & infuſę extra viſionem beatam de eodem obiecto in eodem intellectu.

Digitized by Google

ctu. Fundamentum eſt, quia nulla aſſignari poteſt repugnantia. Nam omnis repugnantia aut eſt, quia nequit intellectus plures actus ſimul elicere: aut quia actus ſcientię reddit intellectum euidentem, fidei verò ineuidentem: aut quia motiuum formale vnius deſtruit motiuum formale alterius, quo deſtructo, deſtruitur & actus, qui in ſuo eſſe & conſeruari pendet à proprio motiuo formali actu cognito: aut demum quia motiuum obſcurum fidei non eſt idoneum mouere intellectum in præſentia alterius motiui euidentis eiuſdem obiecti. Nulla enim alia hactenus repugnantia aſſignata eſt ab authoribus contrariæ ſententiæ. Atqui nulla ex aſſignatis ſufficiens eſt: ergo non eſt hoc abſolutè negandum.

17. Non prima; nam hæc tantùm probat repugnantiam naturalem: hic autem loquimur de potentia abſoluta, an iuxta ſuam omnipotentiam Deus efficere poſſit, vt idem intellectus ſimul eliciat actum fidei & ſcientiæ, roborando & confortando limitatam virtutem ipſius, vt ſupra naturalem capacitatem valeat eiuſmodi actus in ſe producere & recipere.

18. Non ſecunda: quia actus fidei ſolùm reddit intellectum ineuidentem, quantùm eſt ex ſe, quia quantùm eſt ex ſe, non ponit euidentiam, ſed ineuidentiam obiecti. Inde tamen non ſequitur, vt debeat neceſſariò ab eodem intellectu tollere euidentiam alterius actus de eodem obiecto: quia cùm iſti actus ſint formæ intelligibiles poſitiuæ, quarum vnaquæque nititur ſuo medio poſitiuo diuerſo, quorum vnum, vt infrà conſtabit, non excludit eſſentialiter alterum, poterunt diuinitus eſſe ſimul in eodem intellectu, non minùs quàm diuinitus ſimul eſſe poſſunt albedo & nigredo. Quia licet albedo eſſentialiter neget nigredinem in ſe, vt in ſubiecto immediato, non tamen negat illam in alio ſubiecto mediato. Ita licet fides eſſentialiter neget euidentiam obiecti in ſeipſa, tanquam in ſubiecto immediato, non tamen eſſentialiter negat illam in intellectu tanquam in ſubiecto mediato.

19. Confirmatur 1. Euidentia & ineuidentia, quam dicunt actus ſcientiæ & fidei, non ſe excludunt eſſentialiter, niſi penes ſubiectum immediatum & proximum: atqui intellectus non eſt ſubiectum immediatum & proximum actus ſcientiæ & fidei, ſed tantùm mediatum & remotum, proximum autem & immediatum ſunt ipſi actus ſcientiæ & fidei. Maior probatur, nam penes illud tantùm ſubiectum ſeſe eſſentialiter excludunt, quod eſſentialiter conſtituunt, cùm non poſſint duæ formę contrariæ idem ſubiectum eſſentialiter conſtituere: atqui euidentia & ineuidentia eſſentialiter tantùm conſtituunt actum ſcientiæ & fidei, non autem intellectum ipſum: ergo ſolùm penes ipſos actus ſcientiæ & fidei ſeſe eſſentialiter excludunt.

20. Confirmatur 2. Non repugnant ſimul actus neceſſarius & liber de eodem obiecto: ergo nec euidens & ineuidens. Antecedens conſtat in amore Dei conſequente viſionem beatam, & amore eiuſdem conſequente ſcientiam abſtractiuam: ille enim eſt neceſſarius, hic liber, vt conſtat in Chriſto Domino, in quo amor beatificus Dei conſequens viſionem beatam eſt neceſſarius: amor verò eiuſdem conſequens ſcientiam infuſam, vel naturalem acquiſitam eſt liber, vtpote per quem Chriſtus promeritus eſt. Conſequentia verò probatur, quia non minùs repugnare videntur in eadem voluntate de eodem obiecto ſimul actus neceſſarius & liber, quàm in eodem intellectu de eodem obiecto actus euidens & obſcurus: nam neceſſarius eſt, qui non poteſt non eſſe; liber qui poteſt non eſſe: ergo ſi hi ſimul ſtare poſſunt, poterunt & illi. Confirmatur 3. Ex hac ſententia ſequeretur, non potuiſſe Angelos Viatores iuſtificari per fidem Dei exiſtentis, & remunerantis, vti iuſtificantur homines, iuxta illud ad Hebręos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quòd remunerator ſit.* Sequela probatur, nam Angeli naturaliter cognoſcunt Deum in ſeipſis, tanquam in proprio effectu: à qua cognitione ceſſare non poſſunt; vt cum S. Thoma ſuppono ex 2. Tomo de Angelis diſp. 14. ſect. 1. Præterea in effectibus ſupernaturalibus in ſeipſis productis euidenter cognoſcunt Deum vt authorem gratiæ, & iuſtificatorem ipſorum. Igitur ſi fides, & ſcientia eiuſdem obiecti ſimul eſſe nequeunt, nequibant Angeli habentes ſcientiam abſtractiuam euidentem de Deo, habere ſimul fidem de eodem. *Heb. 11.*

21. Nec tertia repugnantia aſſignata vera eſt: nam motiuum formale fidei non eſt obſcuritas formalis obiecti materialis, ſed fundamentalis, ipſum nimirum teſtimonium Dei, quatenus extrinſecum eſt obiecto atteſtato, vt conſtat ex diſp. 2. de obiecto formali ſect. 4. atqui hoc non tollitur per actum ſcientiæ, cùm per actum ſcientię non tollatur, quin teſtimonium Dei adhuc maneat extrinſecum obiecto atteſtato: quamuis per actum ſcientię tollatur ſola obſcuritas actualis, quæ eſt ſola conditio.

22. Nec vera eſt quarta repugnantia: nam ſicut in doctrina Sancti Thomę prima ſecundæ quæſt. 67. art. 3. medium probabile aptum eſt mouere intellectum in præſentia medij euidentis: & in communiori ſententia Theologorum in Patria medium creatum eſt aptum mouere intellectum in præſentia medij increati: eadem quippe obiecta creata cognoſcuntur à beatis vi diuinæ eſſentię, tanquam motiui formalis increati, & ſimul vi medij creati: ergo à fortiori teſtimonium Dei erit aptum mouere intellectum in præſentia cuiuſcunque medij creati euidentis. Et ratio à priori eſt, quia quotieſcunque medium affert nouam cognoſcibilitatem obiecti, eſt aptum mouere intellectum ad diſtinctam notitiam ipſius: tale eſt teſtimonium *S. Thomas.*

Digitized by Google

Dei in præſentia cuiuſcunque medij creati, tum quia ob ſummam ſuam certitudinem aptum eſt mouere intellectum ſupra omnem certitudinem cuiuſcunque ſcientiæ naturalis, an etiam ſupernaturalis & infuſæ, conſtabit infrà: tum quia nouum motiuum formale neceſſariò ſecum affert nouam cognoſcibilitatem, vt infrà oſtendam, ratione cuius nouę cognoſcibilitatis intellectum mouere poteſt ad diſtinctum actum.

23. Confirmatur. Non minùs repugnare videtur, vt quis ſimul habeat Deum obiectiuè pręſentem per viſionem beatam, & obiectiuè abſentem per cognitionem abſtractiuam; quàm eundem clarum per ſcientiam, & obſcurum per fidem: atqui illud de facto conceditur beatis: ergo & hoc ſaltem diuinitùs negari non debet. Maior probatur, tum quia non minùs opponi videntur pręſens, & non præſens; quàm clarum, & non clarum: tum quia non ſolùm opponuntur, clarum, & obſcurum; ſed clarius, & obſcurius: ſed idem Deus per ſcientiam beatam clariùs, per abſtractiuam obſcuriùs videtur: ergo ſi hæ oppoſitiones non repugnant per diuerſos actus, nec repugnabunt illæ.

24. Ex his formatur hæc ratio à priori. Motiuum fidei, & ſcientiæ non ſe excludunt ab eodem intellectu circa idem obiectum, ſed potiùs mutuò ſeſe iuuant, quatenus ambo conueniunt in eadem veritate probanda; & aliunde vnumquodque motiuum peculiarem cognoſcibilitatem affert diuerſam à cognoſcibilitate alterius: ergo non eſt, cur eorum actus ſimul eſſe nequeant; vel quòd formale motiuum vnius nequeat intellectum mouere in præſentia formalis motiui alterius, cùm ex præſentia formalis motiui vnius alterum non amittat ſuam propriam cognoſcibilitatem, ratione cuius aptum eſt intellectum mouere ad diſtinctum actum.

25. Ex dictis infertur, non modò fidem eſſe poſſe cum euidenti notitia intellectus, ſed etiam cum exprimentali ſenſus. Poteſt enim quis habere fidem de obiecto viſo, tacto, guſtato, vel alterius cuiuſque ſenſus propria notitia percepto.

26. *Obijcies* 1. Sacra oracula, & Patres, qui fidem opponunt viſioni, eamque obſcuram, ænigmaticam, & argumentum non apparentium appellant. Præterea ſuper illa verba Ioannis 20. *Quia vidiſti me Thoma credidiſti,* mouentes quæſtionem, quo pacto Thomas idem videre & credere ſimul potuerit: non reſpondent, idem vidiſſe ſenſu, & credidiſſe intellectu; ſed vidiſſe vnum nempe hominem, & credidiſſe alium, nempe Deum, quia nimirum exiſtimant impoſſibile, idem poſſe eſſe obiectum viſionis & fidei ſimul. *Ioan.* 20.

27. Reſpondeo, appellare fidem obſcuram. ænigmaticam, argumentum non apparentium ratione ſui motiui formalis, quo nititur, ratione cuius eſſentialiter eſt ineuidens, & obſcura, non tamen eſt illi eſſentiale, vt neque concomitanter ratione alterius actus admittere poſſit claritatem eiuſdem obiecti: nec ideo Patres docent, Thomam aliud vidiſſe, aliud credidiſſe, quia ſimpliciter putant, viſionem & fidem ſimul eſſe non poſſe, ſed quia natura fidei cum viſione eiuſdem obiecti naturaliter non cohæret, quod etiam colligunt ex verbis Thomæ, qui hominem vidit, & Deum confeſſus eſt.

20. *Obijcies* 2. Actus fidei eſt liber: ergo non poteſt eſſe ſimul cum actu ſcientiæ. Antecedens conſtat, alioquin non eſſet meritorius, nec diſtingueretur ab actu ſcientiæ, qui ab imperio voluntatis non pendet. Conſequentia probatur, quia nequit intellectus liberè aſſentiri obiecto aliunde ſibi euidenter noto, cui cogitur aſſentiri ex euidentia ipſa obiecti. Reſpondeo nego conſequentiam, tum quia eſto ſcienti euidens ſit obiectum ſecundùm ſe, poteſt tamen eidem non eſſe euidens vt reuelatum, ac proinde poteſt ad illud credendum liberè moueri, quia ad credendum formaliter mouetur ex teſtimonio reuelantis, quod dum ſibi euidens non eſt, eo non cogitur ad aſſentiendum aſſenſu fidei, licet cogatur ad aſſentiendum aſſenſu ſenſus. Sicut poteſt intellectus habens euidentiam de obiecto ratione medij demonſtratiui, liberè eidem aſſentiri vi alterius medij probabilis. Ratio verò eſt, quia medium extrinſecum, cuiuſmodi eſt teſtimonium dicentis, non variatur intrinſecè per coniunctionem cum medio intrinſeco: igitur ſi illud vi ſua non cogit intellectum ad aſſenſum, neque eundem coget coniunctum cum medio intrinſeco: ergo licet cogatur ad aſſentiendum illi vi medij intrinſeci, non tamen cogitur ad aſſentiendum illi vi medij extrinſeci: ac proinde adhuc cum ſcientia habere poterit liberum aſſenſum fidei. Nec repugnat, eandem potentiam ſimul neceſſariò & liberè ferri in idem obiectum, quia libertas, vel neceſſitas potentię radicaliter pendet ex contingentia, vel neceſſitate medij, quo obiectum proponitur: qualiter enim obiectum proponitur, contingenter, vel neceſſariò, taliter ad illud fertur potentia ipſa, liberè, aut neceſſariò.

29. *Obijcies* 3. Euidentia & ineuidentia opponuntur contradictoriè: ergo nequeunt eſſe ſimul. Conſequentia patet. Antecedens probatur, quia vna ratio immediatè excludit aliam: ſcientia enim immediatè ab intellectu excludit ineuidentiam: & è contrà, fides immediatè excludit ab eodem euidentiam.

30. Reſpondeo, euidentiam & ineuidentiam opponi contradictoriè reſpectu ſubiecti proximi & immediati, qui ſunt actus ipſi ſcientiæ & fidei, non autem reſpectu ſubiecti remoti & mediati, qui eſt intellectus. Vt autem aliqua ſint contradictoria, debent eſſe in eodem ſubiecto proximo & immediato: cùm igitur euidentia, & ineuidentia tanquam in ſubiecto immediato & proximo non ſint in intellectu, ſed in actibus ſcientiæ, & fidei, non poterunt inuicem opponi contradictoriè: cùm reſpectu intellectus non ſe habeant vt forma, & negatio eiuſdem formæ,

ſed

ſed potiùs vt duæ formæ poſitiuę, quarum vna dicit euidentiam obiecti, altera ineuidentiam obiecti per diſtincta motiua formalia. Ad probationem antecedentis dico, ſcientiam immediatè, & contradictoriè tantùm excludere ineuidentiam, quæ deſumitur ex eodem motiuo, ex quo deſumitur ipſius euidentia, non ex diuerſo, & in diſtincto actu; ſicut fides excludit euidentiam, quæ deſumitur ex eodem motiuo, ex quo deſumitur ipſius ineuidentia, non autem ex diuerſo, & in actu diſtincto.

31. *Obijcies* 4. Repugnat aſſenſus verus, & falſus eiuſdem obiecti ſimul: ergo euidens & ineuidens. Reſpondeo, diſparitatem eſſe, quia aſſenſus dicitur verus, vel falſus per conformitatem, vel non conformitatem ad obiectum materiale ſecundùm ſe; repugnat autem, vt intellectus ſimul iudicet idem obiectum ita ſe habere, & non ita ſe habere à parte rei; iudicaret enim duo contradictoria ſimul: at verò aſſenſus dicitur euidens, & ineuidens ex obiecto formali, quod diuerſum eſt in actu ſcientiæ & fidei: eadem ratione non repugnat aſſenſus probabilis, & improbabilis eiuſdem rei ſimul, quia probabilitas & improbabilitas, deſumuntur ex obiecto formali.

32 *Obijcies* 5. Non poteſt ſcientia eſſe cum fide humana, ſiue opinione: ergo neque cum fide Diuina. Antecedens probatur, quia fides humana & opinio, dicunt aſſenſum formidoloſum, & incertum; ſcientia verò certum; non poteſt autem intellectus ſimul eſſe certus, & formidoloſus de eadem re: ergo.

33. Aliqui negant conſequentiam, eo quòd certitudo, & formido, quas dicunt ſcientia, & fides humana ſiue opinio ſumuntur ex obiecto materiali ſecundùm ſe; implicat autem, vt intellectus etiam per diuerſos actus iudicet obiectum aliter ſe habere non poſſe, & ſimul aliter ſe habere poſſe: at euidentia & ineuidentia ſumuntur ex obiectis formalibus.

34. Mihi potiùs negandum eſt antecedens; Ratio, quia opinio non dicit formidinem, niſi quatenus illi annexa eſt negatio ſcientiæ: cuius ſignum eſt, quia eodem modo intellectus formidaret carens actu ſcientiæ, ſiue haberet, ſiue non haberet aſſenſum probabilem: formido igitur formaliter conſequitur negationem ſcientię, quæ naturaliter tantùm connectitur cum aſſenſu opinatiuo, non autem aſſenſum ipſum opinionis, qui formaliter dicit aſſenſum poſitiuum ex medio probabili; vnde ſicut ſtare poſſunt medium probabile, & neceſſarium eiuſdem obiecti ſimul, ita aſſenſus opinatiuus, & ſcientificus.

35. Dices, aſſenſus opinionis differt formaliter ab aſſenſu ſcientiæ: ſed nonniſi per formidinem actualem, ſicut aſſenſus fidei per ineuidentiam actualem. Reſpondeo differre per aſſenſum probabilem naturaliter tantùm exigitiuum formidinis: nec eſt eadem ratio de ineuidentia in actu fidei, quæ quia deſumitur ex obiecto formali, poteſt eſſe formaliter in fide, etiam coniuncta cum actu ſcientiæ, quia etiam coniunctę cum actu ſcientiæ, formale obiectum ipſius remanet obſcurum, & extrinſecum obiecto materiali; formido autem deſumitur ex obiecto materiali, quod quia per actum ſcientiæ redditur certum, implicat, vt circa idem intellectus maneat incertus, & formidoloſus, atque in hoc ſenſu explicandus eſt Ariſtoteles 1. Poſter cap. 24. cùm docet, opinionem, & ſcientiam de eodem non poſſe eſſe ſimul, nempe opinionem cum actuali formidine, quæ pugnat cum certitudine oppoſitæ ſcientiæ, quia illa fertur ad obiectum, quatenus à parte rei aliter ſe habere poteſt; hæc contrà quatenus à parte rei aliter ſe habere non poteſt. *Ariſtoteles.*

36. *Obijcies* 6. Non poteſt quis ſimul diligere, & odiſſe Deum: ergo nec ſcire, & credere. Reſpondeo diſparem eſſe rationem, quoniam amor, & odium, quemadmodum aſſenſus, & diſſenſus; certitudo, & formido, poſtulant oppoſitas rationes in obiecto ipſo materiali; amor enim poſtulat in obiecto bonitatem, odium verò malitiam, & negationem bonitatis; aſſenſus eſſe, diſſenſus non eſſe; certitudo tale eſſe, quod non poſſit aliter ſe habere: formido tale eſſe, quod poſſit aliter ſe habere: quo fit, vt obiectum vnius deſtruat obiectum alterius. At ſcientia, & fides, vtraque conſpirant in eandem rationem materialem obiecti affirmandam, vel negandam per diuerſa motiua formalia, quorum vnum cauſat euidentiam; alterum ineuidentiam in actu: vnde nec obiectum materiale vnius deſtruit obiectum materiale alterius, cùm vtriuſque ſit eadem ratio affirmata, vel negata; nec obiectum formale vnius obiectum formale alterius, quia obiecta formalia opponuntur in ordine ad materiale.

37. Dices, poteſt amor & odium, aſſenſus & diſſenſus, certitudo & formido verſari circa idem obiectum materiale ſecundùm diuerſas rationes formales. Reſp. ſecundùm diuerſas rationes formales terminatiuas, concedo; motiuas tantùm, nego; poteſt quippe idem obiectum materiale ſecundùm diuerſas rationes formales terminatiuas terminare diuerſos actus amoris & odij, aſſenſus & diſſenſus ſimul; non autem ſecundùm diuerſas rationes formales tantùm motiuas, quia repugnat etiam per diuerſa motiua voluntatem amare ſimul, & odiſſe eandem rationem terminatiuam bonitatis, vel malitiæ; aut intellectum aſſentiri, & diſſentiri ſimul eidem rationi terminatiuæ obiecti: at non repugnat intellectum ſimul ſcire, & credere eandem rationem terminatiuam, quia fides & ſcientia poſſunt per diuerſa motiua conuenire in affirmanda, vel neganda eadem ratione terminatiua obiecti; amor verò & odium, aſſenſus & diſſenſus; certitudo & formido poſtulant oppoſitas rationes terminatiuas in obiecto, in quo ſe mutuo deſtruunt in ordine ad actus; quia vnus actus nequit eſſe ſine ſua ratione terminatiua obiecti, quam formaliter deſtruit oppoſita ratio terminatiua alterius actus.

Digitized by Google

38. DICO 2. Implicat ſimul cum aſſenſu obſcuro fidei notitia eiuſdem obiecti euidenter cogniti in atteſtante Deo. Fundamentum, quia implicat intellectum elicere aſſenſum fidei non concurrẽte motiuo formali fidei: atqui ſtante euidentia obiecti in atteſtante Deo, implicat motiuum formale fidei cõcurrere ad aſſenſum eiuſdem obiecti: igitur implicant aſſenſus obſcurus fidei & euidentia in atteſtante de eodem obiecto ſimul. Maior patet, quoniam implicat actum elici abſque ſuo motiuo formali. Eſt enim motiuum formale, ſpecificatiuum actus: implicat autem eſſe actum ſine ſua ſpecificatione, non minùs quàm implicet, rem eſſe abſque ſua eſſentia. Specificat autem motiuum formale actum, mouendo potentiam ad illum eliciendum in genere cauſæ formalis obiectiuæ. Minor primi Syllogiſmi, in qua tantùm eſt difficultas, probatur. Implicat motiuum, quod adæquatè mouet intellectum ad aſſenſum obiecti, eundem ſimul mouere ad diſtinctum aſſenſum eiuſdem obiecti: ſed reuelatio Diuina euidenter cognita in atteſtante Deo adæquatè mouet intellectum ad aſſenſum rei atteſtatæ: ergo implicat, eandem obſcurè cognitam intellectum mouere ad diſtinctum aſſenſum circa ídem obiectum. Maior probatur, quia motiuum formale intellectus eſſentialiter mouet vt medium ad obiectum cognoſcendum: ergo implicat, vt mediũ, quod nullam nouam affert cognoſcibilitatem de obiecto, intellectum moueat ad aſſenſum illius. Sicut implicat, vt medium, quod nullam affert nouam vtilitatem ad finem conſequendum, voluntatem moueat ad electionem ipſius. Et ratio ſumitur ex natura harum potentiarum, quæ quia eſſentialiter ordinatæ ſunt ad operandum circa obiectũ, vt formaliter determinatæ ab illis in ordine ad bonum ſuppoſiti, aſſecuto termino adæquatę motionis obiectorum, nequeunt ampliùs moueri ad illa, ſed ſolùm quieſcere in illis iam habitis & acquiſitis: ſicut lapis aſſecutò centro ſui motus, non ampliùs inclinat ad mouendum ſe ad illud, ſed ad quieſcendum in illo. Minor patet, nam reuelatio diuina euidenter cognita in Deo atteſtante, tanquam motiuum formale, mouet intellectum ad aſſenſum præbendum in rem ipſam atteſtatam. Conſequentia verò probatur, nam eadem reuelatio obſcurè propoſita extra euidentiam Dei atteſtantis, non affert nouam cognoſcibilitatem intellectui circa eandem rem euidenter cognitam in atteſtante: igitur nequit mouere intellectum ad nouum aſſenſum à priori diſtinctum. Antecedens probatur: nam reuelatio diuina obſcurè tantùm applicata, prętcr ipſam dictionem Dei, quæ euidenter cognita in atteſtante Deo adęquatè mouet intellectum ad aſſenſum rei atteſtatæ, nihil affert, niſi puram negationem euidentiæ ſui ipſius in atteſtante. Negatio autem, vt negatio, intellectum ad aſſentiendum non mouet: igitur nihil cognoſcibilitatis affert diuerſum ab eo, quod eadem vt euidenter cognita in atteſtante attulit. Maior conſtat: quoniam reuelatio diuina, vt obſcurè applicata ſupra dictionem Dei, non dicit niſi extrinſecam applicationem per teſtimonia & rationes humanas, quæ in fide diuina ſunt puræ conditiones applicantes, non rationes formales aſſentiendi. Minor probatur: quia nihil poteſt intellectum mouere ad aſſenſum prębendum, niſi aliquo modo ducat ad veritatem obiecti cognoſcendam. Negatio autem vt negatio nihil ducit ad veritatem obiecti cognoſcendam.

39. Confirmatur. Si vnus Angelus propter teſtimonium alterius Angeli euidenter cognitum àſſentiatur ſecreto cordis eiuſdem Angeli, non poſſet eidem ſecreto aſſentiri propter teſtimonium obſcurè cognitum eiuſdem Angeli: ergo pari ratione, ſi homo aſſentiatur alicui veritati propter teſtimonium Dei euidenter cognitum, non poterit eidem aſſentiri propter teſtimonium eiuſdem obſcurè applicatum.

40. *Obÿcies.* Si actus fidei repugnat cum euidentia eiuſdem obiecti in atteſtante, ſequitur, primum Angelum, & multos Prophetas non habuiſſe fidem de obiectis, quorum euidentiam habebant in atteſtante Deo. Reſpondeo primò negando ſequelam, quia neceſſe non fuit, vt tam primus Angelus, quàm Prophetæ habuerint Phyſicam euidentiam, ſed tantùm moralem in atteſtante, quæ moralis euidentia fidem non impedit. Secundò diſtinguendo conſequens: non habuerunt fidem eiuſdem rationis cum noſtra, quæ obſcura eſt & ex parte obiecti materialis, & ex parte obiecti formalis, concedo: non habuerunt fidem diuerſæ rationis, quæ tantùm obſcura eſſet ex parte obiecti materialis, nego. Quæ fides ſufficit ad iuſtificationem, cùm ſit libera, ſaltem quoad exercitium, vt ex ſuprà diſputatis conſtat.

41. DICO 3. Implicat cum aſſenſu obſcuro fidei ſimul notitia intuitiua obiecti viſi in Verbo, tanquam in prima veritate, non autem tanquam in cauſa. Explico: bifariam poteſt obiectum in Verbo videri, vno modo, vt in eo tanquam in cauſa contentum; alio modo, tanquam in prima veritate, clarè illud beato manifeſtante. Aio igitur cum notitia intuitiua in Verbo, tanquam in prima veritate ſimul eſſe non poſſe aſſenſum obſcurum fidei eiuſdem obiecti, poſſe autem eſſe cum notitia intuitiua eiuſdem in Verbo vt in cauſa contenti.

42. Prior pars aſſertionis euidenter ſequitur ex aſſertione præcedente: quia formale teſtimonium fidei nullam nouam cognoſcibilitatem affert de obiecto viſo in Verbo, vt in prima veritate clarè manifeſtante: nam videre obiectum in Verbo vt in prima veritate clarè manifeſtante, eſt videre illud tanquam in atteſtante; atteſtatur enim Deus beato per ipſam viſionem glorioſam, ſe ea Myſteria cognoſcere, quæ illi per viſionem manifeſtat. Eſt enim viſio beata clara quædam locutio, quâ Deus alloquitur beatos,

Digitized by Google

tos, manifeſtando illis per eam intima ſua ſecreta & arcana, iuxta illud Pſal. 88. *Locutus es in viſione ſanctis tuis*: idque expreſsè docet Suarez de Fide, Spe, & Charitate diſp. 8. ſect. 5. num. 10. Etenim ſicut Angelus alloquitur Angelum, manifeſtando illi ſecreta ſui cordis: ita Deus alloquitur beatum, manifeſtando illi intima ſua conſilia. Vnde beatus per eandem viſionem, quatenus eſt clara quædam atteſtatio, quâ Deus & ſeipſum, & reliqua obiecta, vt à ſe cognita, beato manifeſtat, exercitè aſſentitur eiſdem obiectis ſibi à Deo per talem viſionem clarè reuelatis. Nec refert, quòd talibus obiectis aſſentiatur etiam vt viſis in ſe: quia poteſt propter vtrumque eis aſſentiri, nimirum, & quia clarè repræſentantur in ſe, & quia manifeſtè atteſtantur à Deo; cùm vtrumque diſtinctam habeat cognoſcibilitatem; & vtrumque per ſe idoneum ſit mouere intellectum beati ad ſui aſſenſum. Cùm igitur teſtimonium obſcurum Dei, præter atteſtationem diuinam, quæ adæquatè mouet intellectum beati ad aſſenſum rei atteſtatæ, nihil afferat, niſi puram negationem euidentiæ, quæ idonea non eſt intellectum mouere ad nouum aſſenſum, nullam nouam affert cognoſcibilitatem, ratione cuius poſſit intellectum beati ad nouum aſſenſum fidei mouere.

Pſal. 88.

Suarez.

43. Poſterior pars aſſertionis probatur: quia poſſet Deus per ipſam viſionem beatificam manifeſtare beato aliquod obiectum, ſolùm vt effectum contentum in ſe vt in cauſa eſſendi, non autem vt atteſtatum à ſe, vt à prima veritate. Nam poſſet ita attemperare concurſum viſionis, vt illa ſolùm oſtenderet obiectum, vt contentum in ſe tanquam in cauſa eſſendi, non tanquam in prima veritate atteſtante: cùm enim hi reſpectus ſint formaliter diuerſi, non implicat, obiectum repræſentari ſub vno reſpectu, & non ſub alio. Tunc autem poſſet beatus, qui per claram viſionem aſſentitur in obiectum, tanquam in effectum diuinæ omnipotentiæ, eidem aſſentiri propter teſtimonium obſcurum Dei: & per conſequens ſimul habere cum euidenti notitia obiecti viſi in Verbo, tanquam in cauſa, obſcurum aſſenſum fidei eiuſdem obiecti obſcurè à Deo atteſtati.

44. Fundamentum eſt; quoniam in tali euentu obſcurum teſtimonium Dei nouam afferret cognoſcibilitatem beato: afferret enim extrinſecam atteſtationem Dei, quæ in primo aſſenſu non fuit cognita, vt ſupponitur, quia obiectum non fuit cognitum, niſi vt effectus contentus in Deo, vt in cauſa eſſendi, non vt in prima veritate atteſtante. Quotieſcunque autem obiectum nouam affert cognoſcibilitatem, aptum eſt, mouere intellectum ad nouum aſſenſum circa ſe. Igitur circa obiectum intuitiuè viſum in Verbo tãtùm vt effectum in cauſa, ſimul elici poterit aſſenſus fidei propter teſtimonium Dei obſcurè atteſtantis.

Explicatur S. Thomas.

45. Ex hac noſtra doctrina explicatur authoritas Sancti Thomæ, qui tam prima ſecundæ q. 67. art. 3. quàm ſecunda ſecundæ q. 5. art. 1. in corpore & ad primum, negat cum clara viſione Dei ſtare poſſe fidem: nam licet hanc concedat Angelis & primis Parentibus in ſtatu viæ, in quo euidentem notitiam abſtractiuam de Deo habuerunt; eam tamen negat ſtare poſſe cum viſione clara Dei. Intelligendus enim eſt de clara viſione Dei, prout Deus de facto beatis ſe manifeſtat, non ſolùm per claram cognitionem ſui, propter ſeipſum immediatè cognitum, ſed etiam per claram atteſtationem ſuimet, qua ſeipſum beatis oſtendit, vt à ſeipſo cognitum, & exercitè atteſtatum. Cæterùm poſſet Deus ſeipſum beatis non manifeſtare, vt à ſeipſo cognitum & atteſtatum, ſed tantùm vt in ſeipſo viſum: & tunc poſſet beatus aſſenſu fidei in eundem Deum ferri propter extrinſecum teſtimonium clarum, vel obſcurum Dei, iuxta paulò antè declarata.

46. Ex dictis infertur 1. dupliciter poſſe intellectum beati ferri in obiectum viſum in Verbo tantùm vt in cauſa, vno modo aſſenſu claro & euidenti in ipſo Deo atteſtante; alio aſſenſu obſcuro extra euidentiam Dei atteſtantis. Primo modo ferretur, ſi Deus ipſe clarè oſtenderet illud idem obiectum, quod viſione beatificâ manifeſtat beato, vt effectum contentum in ſua omnipotentia, à ſeipſo cognoſci, & vt à ſeipſo cognitum oſtenderet beato, vt illi aſſentiretur, non ſolùm propter intrinſecam connexionem, quam habet cum Deo tanquam cum cauſa eſſendi, ſed etiam propter extrinſecum teſtimonium cum eodem, tanquam cum prima veritate clarè atteſtante. Talis enim aſſenſus eſſet euidens in atteſtante, quia eſſet per euidentiam atteſtationis clarè ab ipſo Deo factæ, & non propter intrinſecam connexionem rei atteſtatæ cum ſua cauſa, ſed propter extrinſecam connexionem cum Deo atteſtante: cùm nec atteſtatio Dei euidenter cognita habeat intrinſecam, ſed extrinſecam dumtaxat connexionem cum veritate atteſtata. Ferretur ſecundo modo, ſi Deus non clarè, ſed obſcurè ſuam teſtificationem applicaret beato. Tunc enim beatus moraliter tantùm certus de diuinâ teſtificatione obſcurè ſibi applicata, obſcuro aſſenſu fidei aſſentiretur obiecto, propter extrinſecum teſtimonium Dei, non obſtante claro aſſenſu in idem, propter euidentem connexionem eiuſdem cum Deo, tanquam cum cauſa eſſendi.

47. Infertur 2. Poſſe homini habenti actualem fidem rei infundi claram viſionem eiuſdem in Verbo, vt in prima veritate clarè atteſtante; non poſſe autem intuenti rem in Verbo, vt in prima veritate clarè atteſtante, infundi aſſenſum fidei eiuſdem rei. Ratio diſcriminis, quia infuſa clara viſione rei in Verbo vt in atteſtante, poteſt beatus ſtatim ceſſare ab actu fidei, quę cùm tali viſione pugnat: infuſo autem aſſenſu fidei, non poteſt beatus ceſſare à clara viſione rei in Verbo, quia hæc non pendet à libera voluntate beati: cùm igitur ex alia parte implicet, ſimul eſſe

aſſenſum obſcurum fidei, & claram viſionem eiuſdem in verbo, tanquam in prima veritate atteſtante, implicabit habenti claram viſionem rei in verbo atteſtatæ infundi aſſenſum obſcurum fidei de eadem re.

48. *Obijcies* 1. Motiuum formale fidei eſt eſſentialiter diuerſum à motiuo formali claræ atteſtationis in verbo, vt conſtat ex ſpecifica diuerſitate actuum; diuerſus quippe ſpecie actus eſt, quo obiectum cognoſcitur in verbo clarè atteſtante, & quo idem cognoſcitur obſcuro teſtimonio eiuſdem: ergo habet rationem formalem mouendi diuerſam: nam ratio formalis conſtituitur per ipſam rationem mouendi: ergo ſi hæc in vtroque actu eſt diuerſa, motiuum ipſum formale in vtroque erit diuerſum.

49. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: motiuum formale fidei eſt eſſentialiter diuerſum quoad rationem poſitiuam, nego; quoad negatiuam euidentiæ & claritatis, quam eſſentialiter importat, concedo: quia verò negatio vt ſic formaliter non mouet, ideo quoad rationem mouendi non ſunt hæc motiua formaliter diuerſa. Cæterùm etſi quoad rationem poſitiuam mouendi non ſint formaliter diuerſa, adhuc ſufficientia ſunt ad ſpecificandos diuerſos actus, quatenus ſtant ſub diuerſis conditionibus, claritatis, & obſcuritatis. Nam idem teſtimonium, vt ſtat ſub euidentia primæ veritatis clarè atteſtantis, ſpecificat actum clari aſſenſus: vt ſtat ſub obſcuritate eiuſdem primæ veritatis obſcurè reuelantis, ſpecificat actum obſcurum fidei. Vnde licet quidquid poſitiuum ab obiecto formali habet fides, habeat euidens aſſenſus in atteſtante, tamen quia hic habet cum euidentia, illa cum negatione euidentiæ, vnus actus ſpecie differt ab alio, vt imperfectus à perfecto.

50. *Obijcies* 2. Motiuum efficienter concurrit ad aſſenſum: ergo poteſt ſupernaturaliter eleuari ad efficiendos plures aſſenſus eiuſdem obiecti in eodem intellectu ſimul. Conſequentia conſtat, quia non implicat, eandem cauſam plures producere numero effectus in eodem ſubiecto: ergo adhuc ſtante notitia intuitiua in verbo, vt in prima veritate clarè atteſtante, non repugnat intellectum circa idem obiectum diuerſum elicere aſſenſum ex motiuo eiuſdem primæ veritatis obſcurè teſtificantis.

51. Reſpondeo negando conſequentiam. Etenim motiuum non ſolùm concurrit efficienter, ſed etiam formaliter ad aſſenſum, quia concurrit vt forma intelligibilis obiectiuè determinans intellectum ad actum; & quia concurrit eſſentialiter vt medium ad cognoſcibilitatem obiecti, implicat, vt moueat ad nouum aſſenſum abſque noua ratione formali cognoſcibilitatis obiecti: quæ motio cùm ſit in genere cauſæ formalis, ſuppleri non poteſt.

52. *Obijcies* 3. Poteſt beatus vnà cum actu viſionis Dei clarè atteſtantis habere actum ſcientiæ infuſæ, vel acquiſitæ eiuſdem: item poteſt quis eandem concluſionem cognoſcere medio demonſtratiuo & probabili, vt docet S. Thomas loco ſuprà citato, imò & actus ſcientiæ per medium intrinſecum rei, & fidei per extrinſecum teſtimonium dicentis: ergo poterit cum actu viſionis Dei clarè atteſtantis habere actum fidei eiuſdem, vel alterius obiecti in Deo cogniti. S. Thom.

53. Reſpondeo diſparitatem eſſe, quia ſcientia infuſa, vel acquiſita affert nouam cognoſcibilitatem obiecti in Verbo cogniti, per medium in ratione cognoſcendi formaliter diuerſum, ſcilicet per cauſam, vel effectum creatum; idem eſt de concluſione cognita medio demonſtratiuo & probabili, aut extrinſeco teſtimonio dicentis, quando teſtimonium dicentis non eſt authoritas eiuſdem euidenter cognita, quia tunc medium demonſtratiuum ſcientiæ includit medium extrinſecum fidei, quod eſt veracitas ipſa loquentis ſeipſa cognita: nec repugnat idem ſimul cognoſci per diuerſa media; conſtat de obiecto cognito per effectum à poſteriori, & per cauſam à priori; ſicut nec finem acquiri per diuerſa media; at prima veritas vt obſcurè teſtificans, nullam affert nouam cognoſcibilitatem de obiecto in Verbo cognito vt in prima veritate, cùm non ſit diuerſum medium in ratione aſſentiendi. Neque dicas, eſſe diuerſum in ratione ſpecificandi: ergo & in ratione mouendi; quia, vt dictum eſt, poteſt medium eſſe diuerſum in ratione ſpecificandi, vt ſtat ſub hac, vel illa conditione; eadem enim quantitas, vt ſtat ſub abſtractione à materia ſignata, ſpecificat Phyſicam; vt ſtat ſub abſtractione à materia ſenſibili, Metaphyſicam: eadem igitur prima veritas, vt ſtat ſub teſtificatione obſcura, tanquam ſub ratione ſub qua ſpecificat fidem; vt ſtat ſub teſtificatione clara & exercita, tanquam ſub ratione ſub qua, viſionem beatam.

54. *Obijcies* 4. Poteſt beatus videns obiectum in prima veritate clarè teſtificante, illud idem credere vt reuelatum Eccleſiæ: ergo poteſt idem obiectum à ſe viſum in prima veritate clarè teſtificante, ſimul credere actu fidei.

55. Reſpondeo diſtinguendo conſequens: poteſt idem obiectum viſum in prima veritate clarè teſtificante, ſimul credere actu fidei per nouam cognoſcibilitatem, concedo; per eandem, nego. Quia igitur nouum teſtimonium Dei de eodem obiecto Eccleſiæ reuelato, nouam affert cognoſcibilitatem diuerſam ab ea, quam idem beatus de eodem obiecto habebat, vt ſibi euidenter in verbo atteſtato, poterit nouo aſſenſu fidei in illud ferri: at verò reſpectu obiecti ſibi à Deo vt in prima veritate manifeſtati, nouum teſtimonium obſcurum Dei non affert nouam cognoſcibilitatem de eodem obiecto, quam antea per claram atteſtationem in Verbo non habebat. Nam licet teſtimonium ſit diuerſum, non tamen eſt ad nouam cognoſcibilitatem obiecti, vel reſpectu

eius,

Digitized by Google

eius, cui fit reuelatio: per nouam autem reuelationem factam Eccleſiæ, etſi non afferatur noua cognoſcibilitas veritatis in ſe, cùm ſupponatur eadem veritas manifeſtata in verbo vt in prima veritate; affertur ſaltem noua cognoſcibilitas reſpectiua facta Eccleſiæ.

56. Inſtabis. Poteſt ſaltem beatus actu fidei ferri in ipſum teſtimonium obſcurum Dei, cùm hoc ſit diuerſum ab ipſa teſtificatione clara Dei. Reſp. tranſeat Antecedens: nam etſi poſſit beatus ipſum teſtimonium, tanquam nouam Dei reuelationem credere, non tamen poteſt propter illud nouo aſſenſu ferri in obiectum ipſum reuelatum: quia cùm hoc ſupponatur adæquatè cognitum per claram atteſtationem Dei, non poterit in illud nouo actu ferri, propter nouam duntaxat atteſtationem obſcuram, quia per hanc nihil noui in obiecto cognoſcitur, proinde non poterit intellectus eo moueri tanquam medio formaliter cognoſcendi, ſed ſolùm poterit illud cognoſcere vt obiectum propter ſe cognoſcibile.

57. Vrgebis. Ex his ſequeretur, non poſſe beatum creaturas, quas notitia matutina cognoſcit in Verbo, notitia veſpertina extra Verbũ cognoſcere: quia cũ illæ notitia matutina ſint perfectè cognitę in Verbo, vi omnipotentiæ diuinæ, nequeunt notitia veſpertina perfectiùs extra Verbum cognoſci, cùm nullum motiuum extra Verbum aliquam poſſit cognoſcibilitatem afferre, quam beatus vi omnipotentiæ diuinæ non habeat in Verbo.

58. Reſp. negando ſequelam. Etenim licet creaturæ cognitione matutina perfectiſſimè videantur in Verbo vt obiectũ materiale purè terminatiuum; adhuc tamen ipſæ non ſunt motiuum formale cognoſcendi ſeipſas, cùm motiuum formale ſit diuina eſſentia clarè cognita, quæ vt cauſa creaturarum intellectum beati mouet ad eaſdem cognoſcendas vt effectus & terminos diuinæ potentiæ. Extra Verbum autem motiuum formale eas cognoſcendi ſolet eſſe aliqua ratio creata. Quæ quamuis in Verbo cognoſcatur vt obiectum materiale, non tamen intellectum mouet vt ratio formalis aſſentiendi. Quamdiu autem motiuum formale non exercuit ſuam cauſalitatem mouendi obiectiuè intellectum ad aſſenſum præbendum, ſemper poterit illam exercere: proinde etiamſi motiuum cognoſcendi creaturas extra Verbum ſit cognitum vt obiectum materiale, & vt purus terminus cognitione matutina in Verbo, adhuc poterit aſſumi ab intellectu vt motiuum formale, & ratio aſſentiendi cognitione veſpertina, extra Verbum, cùm hanc cauſalitatem nõ exercuerit cognitum in Verbo. Authoritas verò diuina ad vtrumque actum, tam fidei, quàm euidentis atteſtationis in Verbo, cõcurrit vt motiuum formale. Implicat autem, vt motiuum formale ſemel adęquatè mouens intellectum ad aſſenſum, iterum eundem moueat ſub eadem ratione formali aſſentiendi. Cæterùm non repugnat, vt authoritas diuina materialiter tantùm cognita in Verbo, tanquam purus terminus, iterum intellectum moueat, tanquam ratio formalis aſſentiendi.

59. Sed adhuc ſupereſt difficultas: nam inde ſequeretur, non poſſe beatum notitia veſpertina extra Verbum cognoſcere creaturas ex vi omnipotentiæ diuinæ abſtractiuè cognitæ, cùm vi eiuſdem omnipotentiæ intuitiuè cognitæ, eaſdem creaturas beatus videat notitia matutina in Verbo. Nam ita ſe habet omnipotentia diuina clarè, & abſtractiuè cognita in ordine ad creaturas cognoſcendas in, vel extra Verbum: ſicut authoritas diuina clarè & obſcurè cognita ad aſſentiendum obiecto in, vel extra Verbum atteſtato.

60. Reſp. concedẽdo ſequelam: non in eo ſenſu, in quo illam concedere tenetur Vaſquez ſuprà impugnatus, quia nimirum medium abſtractiuum in præſentia medij intuitiui non eſt idoneum mouere intellectum ad nouum aſſenſum circa idem obiectum, alioqui hoc ipſum valeret, etiamſi medium abſtractiuum foret diuerſum ab intuitiuo: quod falſum: ſed quia in caſu poſito medium abſtractiuum in ratione mouendi non eſt diuerſum ab intuitiuo: cùm ratio mouendi reſpectu vtriuſque actus ſit poſitiua perfectio diuinæ potentiæ. Neque abſtractio addit, niſi ſolam negationem euidentiæ, quæ formaliter non mouet ad aſſenſum præſtandum. Cæterùm poſſunt creaturæ alijs medijs & motiuis extra Verbum à beatis cognoſci. *Vaſquez.*

61. At neque, inquies, poterit hoc modo intellectus idem obiectum cognoſcere medio ſcientifico & probabili, quando medium probabile eſt idem cum ſcientifico, ſola negatione euidentiæ ab illo diuerſum. Reſpondeo: concedo totum, quando ſcientificum & probabile non differunt, niſi per euidentiam, & negationem euidentiæ: ſecus quando ſciẽtificum & probabile ſunt media diuerſa quoad rationes poſitiuas aſſentiendi: quia nimirum vnum eſt per cauſam euidentem; & alterum per effectum probabilem: vel contrà, vnum per effectum euidentem, alterum per cauſam probabilem.

62. Dico 4. Poteſt idem actus elici ex motiuo ſcientię, & fidei ſimul: qui tamen non erit fidei formaliter, ſed ſcientiæ; diuerſæ tamen rationis ab ea, quæ foret ex puro motiuo ſcientiæ: eſt Durandi quæſtione præcit. Prologi: Molinæ 1. p. q. 1. art. 1. diſp. 1. Valentiæ de obiecto fidei diſp. 1. q. 1. punct. 4. ſub titulo, *poſſit ne fides eſſe de obiecto euidenter aliunde cognito*, verſu, *ac poteſt dupliciter*, & aliorum, contra Turrianum 2. 2. diſp. 12. dubio 1. pro qua citat alios. Sed noſtra aſſertio, *Durandus. Molina. Valentia. Turrianus.*

63. Probatur quoad primam partem, quoniam non repugnant duo motiua, ſcientiæ, & opinionis ſimul concurrere ad eundem actum: ergo nec duo motiua ſcientiæ, & fidei. Conſequentia elucet, quia magis repugnant medium ſcientiæ & opinionis, quàm ſcientiæ & fidei ſimul, quia medium opinionis dico formidinem ſaltem radicalem, quam excludit ſcientia: medium verò fidei

certitudinem, quæ potiùs ſcientiam confirmat. Ratio autem à priori eſt: quia quotieſcunque plura motiua conſpirant ad eandem obiecti veritatem cauſandam, poſſunt in eundem aſſenſum concurrere: cuiuſmodi ſunt motiua ſcientiæ & fidei. Minor patet. Maior probatur, quia motiua ſunt cauſæ aſſenſus veritatis obiecti: poſſunt autem plures cauſæ ad eundem effectum concurrere, quando ſingulæ habent aliquam vim cauſatiuam illius.

64. Probatur eadem aſſertio quoad ſecundam partem: nam fides eſſentialiter dicit ineuidentiam, quæ ab eo actu tollitur per medium demonſtratiuum. Quòd autem ſit actus ſcientiæ, clarũ eſt: quia eſt euidens: ſicut actus elicitus medio demonſtratiuo & probabili ſimul, non eſt opinionis, ſed ſcientiæ. Ratio eſt, quia ſpecies & denominatio actus deſumitur ex medio prædominante: quod in his actibus eſt ſcientificum, nam hoc perfectè aſſimilat ſibi actum ſecundum vltimum determinatiuum ſpecificum; impeditque ne alterum medium eundem actum ſibi aſſimilet ſecundùm rationem ſpecificam, ſed ſolùm ſecundùm rationem genericam compoſſibilem cum vltima ratione ſpecifica actus ſcientifici. Tollendo enim obſcuritatem ab obiecto, facit vt motiuum fidei non cauſet ineuidentiam, quæ contradicit ſcientiæ; ſed tantùm certitudinem, quæ cohæret cum ſcientia: ſicut motiuum opinionis cauſat ſolam rationem genericam aſſenſus, non formidinem, quæ repugnat ſcientiæ.

65. Probatur aſſertio quoad tertiam partem; quoniam hîc actus includit certitudinem fidei diuinæ, quę longè diuerſa eſt à certitudine ſcientiæ naturalis: igitur diuerſæ ſpeciei eſt ab actu ſcientiæ cauſato à ſolo medio demonſtratiuo.

66. *Obijcies.* Semper aſſenſus in concluſionem ſequitur qualitatem pręmiſſæ debilioris: ergo etiam aſſenſus in obiectum ſequitur qualitatem medij debilioris: ergo vbi ad eundem aſſenſum concurrunt duo motiua fidei, & ſcientiæ, ſiue ſcientiæ & opinionis, aſſenſus erit obſcurus & ineuidens, non clarus & euidens.

67. Reſpondeo negando Conſequẽtiam. Ratio diſcriminis eſt: quia ſicut connexio extremitatum in concluſione adæquatè pendet ex connexione earundem cum medio termino in præmiſſis, quarum alterutra deficiente, deficit concluſio: ita aſſenſus concluſionis adæquatè pendet ex connexione eiuſdem cum vtraque pręmiſſa: ac proinde de neceſſitate ſequitur debiliorem, ſaltem negatiuè, quia non ſequitur præmiſſam fortiorem. At veritas obiecti non pendet adæquatè ab vtroque motiuo, ſed ab vnoquoque in ſuo ordine: alterutro enim deficiente, non deficit veritas obiecti per connexionem ad alterum motiuum: ergo neque aſſenſus in ipſam veritatem obiecti adæquatè pendet ab vtroque motiuo: nam alterutro deficiente, adhuc perſeuerat veritas eiuſdem per connexionem cum altero: & conſequenter aſſenſus ſequitur medium fortius: quia vbi ſunt plura agentia, quorum vnumquodque agit iuxta ſuam naturam, ſemper fortius aſſimilat ſibi effectum.

68. Ad rationes primæ & ſecundæ ſententiæ conſtat ex dictis. Et quidem authoritas S. Doctoris, quantum ad fidem & claram *D. Thomas* atteſtationem in Verbo vt in prima veritate atteſtante, potiùs eſt pro nobis, vt ſuprà vidimus: quantùm verò ad reliquas ſcientias, explicandus eſt de potentia ordinata & naturali, non abſoluta & ſupernaturali, conſtat ex ſecunda ſecundæ quæſt. 5. art. 1. vbi docet naturalem cognitionem, quam Angeli de Deo habebant in via, non impediuiſſe ſupernaturalem fidem, quam de eodem habuerunt ante beatitudinem: quia, vt teſtatur in ſolutione primi argumenti, ſola contemplatio Patriæ, qua ſupernaturalis veritas per eſſentiam videtur, tollit neceſſitatem fidei.

69. Ad fundamentum tertiæ conſtat ex dictis, cur fides eſſe nequeat cum ſola viſione obiecti cogniti in atteſtante Deo, queat autem eſſe cum quauis alia ſcientia, ſiue abſtractiua, ſiue intuitiua in ſe, ſiue infuſa in Verbo vt in cauſa eſſendi: nam cum ſola viſione obiecti in atteſtante non manet noua ratio formalis cognoſcibilitatis in obiecto viſo, quę mouere valeat intellectum ad nouum aſſenſum fidei, quæ tamen manet cum quauis alia cognitione. Cæterùm Durandus in ſua *Durandus.* probatione multa aſſumit falſa, quæ examinare non eſt huius loci.

DISPV-

DISPVTATIO XII.

De certitudine aſſenſus Fidei comparato cum actu ſcientifico & Prophetico.

SECTIO PRIMA.

An aſſenſus Fidei ſit certior quouis actu ſcientifico?

Durandus.

1\. PRIMA ſententia negat; eſt Durandi in 3. diſt. 23. q. 7. Probat 1. Certitudo actus, vel habitus non ſumitur ex certitudine obiecti ſecundũ ſe, ſed ex modo, quo illud nobis applicatur: atqui authoritas diuina, quæ eſt formale obiectum Fidei, licet ſit certiſſima in ſe, nobis tamen applicatur credẽda teſtimonio humano, quia illam credimus ex teſtimonio Eccleſiæ: ergo non poteſt nobis eſſe certior quàm ſit ratio demonſtratiua, quę nobis applicatur mediâ euidentiâ. Maior patet tum in ſcientia beatorum, quæ certior eſt Fide Viatorum: non eſt autem certior ratione obiecti, cùm vtriuſque ſit eadem prima veritas; ſed ratione modi, quo applicatur intellectui: nam vna applicatur mediâ euidẽtiâ, alia media obſcuritate: tum à priori, quia tam habitus, quàm actus eſt perfectio potentiæ comparatiuè ad obiectum: ergo non poteſt eſſe certior habitus, vel actus, niſi per quem certiùs applicatur obiectũ potẽtiæ. Secundò. Illud eſt certius, quod plures habet modos certitudinis: ſcientia autem plures habet modos certitudinis: habet enim certitudinem euidentiæ, & adhæſionis, fides tantùm adhæſionis. Tertiò, id eſt certius, quod dubitationi eſt impermixtius: ſcientia nullam admittit dubitationem, fides admittit aliquam ſaltem indeliberatam. Quartò. Fides habet ſolam firmitatem adhæſionis: hæc autem ſtare poteſt cum falſitate, vt patet in hæreticis, & alijs, qui pertinaciter adhærent ſuis falſis opinionibus: ergo firmitas adhæſionis non eſt propriè certitudo. Quintò. adhuc firmitas adhęſionis maior eſt in ſcientia, quàm in fide: nam illi firmiùs adhæremus, à quo difficiliùs recedimus: difficiliùs autem recedimus à ſcientia, quàm à fide: ergo

S. Thomas. Caietanus. Capreolus.

2\. SECVNDA ſententia eſt S. Thomæ 2. 2. q. 4. art. 8. Caietani ibidem, Capreoli in 3. diſt. 25. art. 3. & reliquorum Scholaſticorum communis, affirmantium actum Fidei infuſæ eſſe certiorem quolibet actu ſcientifico. Pro cuius explicatione,

3\. Notandum, duplicem eſſe certitudinem, alteram tenentem ſe ex parte obiecti; diciturque neceſſitas ſeu immutabilitas obiecti. Quæ adhuc duplex eſt, vna ſimpliciter fundata in intrinſecis principijs obiecti, vt quòd Deus ſit: alia ſecundùm quid, & ex ſuppoſitione aliqua, vt poſito quòd Petrus currit, neceſſariò currit. Altera verò eſt ex parte ſubiecti, quam S. Thomas in 3. diſt. 26. quæſt. 2. art. 4. appellat firmitatem adhæſionis virtutis cognoſcitiuæ in ſuum cognoſcibile, quæ formaliter deſumitur ex medio, quo obiectum applicatur potentiæ cognoſcendum: idem quippe obiectum applicatum per medium demonſtratiuum cauſat certitudinem ſciẽtiæ, applicatum per medium probabile, cauſat certitudinem opinionis; applicatum per teſtimonium extrinſecum, gignit certitudinem fidei. Quæ certitudo in fide Diuina non ſolùm excludit dubietatem, ſed etiam importat poſitiuam perfectionem adhęſionis ad ſuum obiectum. His adnotatis, *S. Thomas.*

4\. DICO 1. Actus Fidei infuſæ eſt certior quauis ſcientia naturali, etiam intuitiua. Fundamentum, quia nulla ſcientia naturalis habet medium, & lumen ita certum & infallibile, ſicut Fides: nam ſcientiæ naturales pro motiuo & lumine habent aliquid infra primam veritatem: ergo omnis alia ſcientia naturalis eſt minùs certa, quàm Fides infuſa. Conſequentia conſtat, quoniam maior aut minor certitudo actus ſumitur ex certiori motiuo, & lumine infallibiliori, quo illud applicatur: ſed prima veritas quoad certitudinem excedit omne motiuum & rationem aſſentiendi naturalem. Prętereà nititur lumine ſupernaturali, quod de ſe infallibile eſt, cùm ſit quædam increati luminis participatio.

5\. DICO 2. Fides infuſa non modò eſt certior quoad ſe, ſeu ratione cauſæ & medij, quo nititur; ſed etiam quoad nos, ſeu ratione ſubiecti, in quo recipitur. Contra Caietanum, & Capreolum contrarium ſentientes quoad poſteriorem partem aſſertionis. Fundamentum eſt, quia repugnat, actum elici ab intellectu, & illum non actuare ſecundùm omnem gradum & perfectionem ſuæ certitudinis: *Caietanus. Capreolus.*

Digitized by Google

tudinis: ergo repugnat, actum Fidei infuſæ eſſe certiorem quouis actu ſcientiæ naturalis, & hanc ſuam certitudinem intellectui non conferre. Conſequentia patet. Antecedens probatur: tum quia omnis forma, dum informat, omnem perfectionem, quam habet, confert ſubiecto talis perfectionis capaci. Vnde implicat, eſſe in voluntate ſupernaturalem amorem Dei ſuper omnia, & non tribuere illi talem effectum: cùm nihil ſit effectus formalis, quàm forma ipſa vnita ſubiecto capaci. Tum quia eſt peculiaris ratio in actu vitali, qui quoniam eſſentialiter reſpicit potentiam, à qua elicitur, implicat elici aliquem actum, & non ſecundùm omnes gradus ſuæ perfectionis informare potentiam: alioqui ſecundùm illum gradum quo potentiam non informaret, non reſpiceret eſſentialiter illam; ac proinde non eſſet ſecundùm talem gradum vitalis: quod implicat, quia non poteſt idem actus eſſe vitalis ſecundùm vnum gradum, & non vitalis ſecundùm alium; ſecundùm vnum reſpicere eſſentialiter potentiam, ſecundùm alium non reſpicere eſſentialiter potentiam.

6. Confirmatur. Implicat produci modum, & non modificare adæquatè ſubiectum, in quo producitur: ergo implicat produci actum vitalem, & non adæquatè actuare potentiam, in qua producitur. Antecedens ſuppono ex natura modi, quæ in eo eſſentialiter conſiſtit, vt actu modificet ſubiectum, in quo recipitur, vt fusè in 2. Tomo de Angelis diſp. 2. ſect. 9. Conſequentia verò probatur, cùm non minùs actus vitalis, quàm modus eſſentialiter reſpiciat ſubiectum, in quo, & à quo producitur.

7. *Obijcies* 1. Saltem aſſenſus in ipſa prima principia eſt certior fide infuſa, cuiuſmodi eſt illud: *Quodlibet eſt, vel non eſt:* in quo Fides ipſa Diuina fundatur: quia non ſolùm tenemur credere, Chriſtum eſſe hominem: ſed eadem certitudine tenemur credere oppoſitum contradictorium eſſe falſum; idque ex vi huius principij: cùm vi huius principij non poſſit aliquid ſimul eſſe, & non eſſe.

8. Reſpondeo negando Antecedens. Et ad probationem dico, hoc principium, quatenus neceſſarium eſt ad aſſenſum fidei Diuinæ, credi eodem motiuo, quo creditur obiectum ipſum immediatè reuelatum. Eodem enim motiuo, quo credo Chriſtum eſſe hominem, nego Chriſtum non eſſe hominē. Nam quamuis hęc disiunctiua, *Chriſtus eſt homo, aut non eſt homo,* ſit euidens naturaliter, non eſt tamen certior hac determinata propoſitione, *Chriſtus eſt homo,* quia hęc nititur authoritate diuina, illa ratione naturali. Vnde negandum eſt, fidem infuſam fundari in dicto principio naturali lumine noto, quamuis illud pręſupponat vt conditionem applicantem, & explicantem, nam ratio ipſa naturalis explicat, quòd reuelatio Dei, quę affirmat vnum vt verum, ſimul oſtendit, oppoſitum contradictorium eſſe falſum.

9. *Obijcies* 2. Certitudo fidei eſt libera, ſcientiæ verò neceſſaria: Maior autem eſt certitudo neceſſaria, quàm libera. Maior conſtat, quia certitudo fidei pendet à libero imperio credentis, à quo non pendet, ſaltem quoad ſpecificationem, certitudo ſcientiæ; ſed à ſola euidentia obiecti. Minor probatur, quia certitudo libera non ita determinat intellectum ad vnum, quin illum indifferentem relinquat ad oppoſitum: certitudo verò neceſſaria ita determinat ad vnum, vt nullam indifferentiam relinquat ad oppoſitum: porrò certitudo eò eſt maior, quò magis potentiam determinat ad vnum.

10. Reſpondeo, Minorem eſſe veram de certitudine neceſſaria, & libera eiuſdem ordinis: nam cæteris paribus, certitudo neceſſaria eſt maior, quàm ſit certitudo libera: falſam verò de certitudine diuerſi ordinis, cuiuſmodi eſt certitudo ſcientię naturalis, & fidei diuinæ. Nam licet hæc pendeat ex libera voluntate credentis, à qua non pendet illa, ex motiuo tamen & lumine certiori, quo obiectum credendum applicatur, hæc excedit illam. Ad probationem Minoris, negandum eſt, certitudinem fidei diuinæ relinquere intellectum indifferentem ad oppoſitum: nam licet illa liberè ponatur, ſemel tamen poſita, magis determinat intellectum ad verum, quàm quæuis certitudo naturalis, quia determinat illum ex motiuo & lumine efficaciori. Vnde repugnat, ſtante certitudine fidei infuſæ intellectum vllam admittere dubitationem voluntariam: nam omnis voluntaria dubitatio magis pugnat cum fide diuina, quàm cum quauis ſcientia naturali. Quò fit, vt quamuis certitudo fidei non neceſſitet ſimpliciter intellectum, vti neceſſitat certitudo ſcientiæ, quæ ſine imperio voluntatis ex ſola euidentia obiecti determinat intellectum ad vnum, ex ſuppoſitione tamen liberi imperij magis determinat intellectū ad vnum, quàm certitudo cuiuſcunque ſcientię naturalis. Cęterùm quòd hæc ſit neceſſaria, illa libera, non arguit maiorem certitudinem, quæ formaliter deſumitur ex certiori motiuo, & lumine applicante infallibiliori; ſed ex euidentia, quæ eſt in ſcientia, & non in fide, quæ non facit certitudinem maiorem intenſiuè, ſed tantùm extenſiuè, & diuerſæ rationis. Legatur S. Thomas in 3. diſt. 23. quæſt. 2. art. 2. quæſtiuncula 3. & quęſt. 14. de veritate art. 1. ex quo hanc reſponſionem deduxi. *S. Thomas.*

11. Ad argumenta Durandi. Ad primum *Durandus.* concedo, certitudinem actus, vel habitus non deſumi ex certitudine obiecti ſecūdùm ſe, ſed ex motiuo & lumine, quo illud nobis applicatur: nego tamen, authoritatem Dei, prout eſt motiuum fidei diuinæ, nobis applicari vt formaliter credendam teſtimonio humano, ſed diuino, ipſa videlicet reuelatione Dei, prout eſt actio ipſius Dei, ſeipſa formaliter credibilis, per lumen ſupernaturale ſibi proportionatum. Neque teſtimonium humanum naturali lumine applicatum requiritur vt ratio formalis credendi, ſed vt pura conditio applicandi ipſummet motiuum for-

male

male credendi, quod per lumen certiſſimum Fidei mouet intellectum ad aſſenſum in obiectum reuelatum. Cæterùm ex dicendis conſtabit, an ſcientia beatorum ſit certior Fide infuſa.

12. Ad 2. Reſpondeo ex eo tantùm ſequi, certitudinem ſcientiæ naturalis eſſe maiorem extenſiuè, nõ autem intenſiuè: ſola enim certitudo adhæſionis Fidei infuſæ ſumpta èx motiuo primæ veritatis, eſt maior intenſiuè vtraque certitudine ſcientiæ naturalis, & euidentiæ, & adhæſionis ſimul. Cõſulatur idem S. Doctor in 3. loco paulò ante præcit. ad 2. *S. Thomas*

13. Ad 3. Reſpondet S. Thomas ſecunda ſecundæ q. 4. art. 8. ad 1. his verbis, *dicendum, quod illa dubitatio non eſt ex parte cauſæ fidei, ſed quoad nos, in quantum non plenè aſſequimur per intellectum ea, quæ ſunt fidei.* Quæ reſponſio ne videatur contradicere ſecundæ noſtræ aſſertioni, intelligenda non eſt, quòd fides non tribuat nobis totam certitudinem, quam ex ſua cauſa formali & motiuo habet; ſed quòd etiamſi illam nobis tribuat, poſſumus tamen cum illa aliquam admittere indeliberatam dubitationem, quam tamen admittere non poſſumus cũ certitudine ſcientiæ. Ratio eſt, quoniam etſi illa maior ſit, eſt tamen diuerſę rationis, quia eſt certitudo cum obſcuritate obiecti, quæ quia non eſt proportionata intellectui, qui naturaliter poſtulat certificari per euidentiam obiecti, poteſt ratione ſubiecti admittere aliquam dubitationem, quam non poteſt ſcientia, etiamſi ex ſe maior ſit, non ſolùm ſecundùm ſe, ſed etiam prout eſt in nobis, quia nimirum per fidem non plenè aſſequimur obiectum, quia non aſſequimur illud per terminos intrinſecos, ſed extrinſecos, propter quod inquit S. Thomas q. 14. de veritate ar. 1. intellectus credentis dicitur captiuari, quia tenetur terminis alienis, non proprijs, nec quantum ex ipſo eſt, plenè ſatisfactum eſt, quia nondum per viſionem peruenit ad ſuum intelligibile. Atque hinc eſt, vt quoniam eius motus nondum eſt perfectè terminatus, vlterius inquirere poſſit de ipſis credibilibus, & inquirendo, aliquem contrarium motum indeliberatè admittere. In forma igitur, concedo fidem admittere poſſe aliquam dubitationem indeliberatam, quam admittere nequit ſcientia, non defectu maioris certitudinis, ſed euidentiæ, & proportionis cum intellectu credentis. *S. Thomas.* *S. Thomas.*

14. Ad 4. neganda eſt Minor, non enim quæuis firmitas adhęſionis eſt propriè certitudo, vt doctè notat Capreolus ad primum, ſed quę eſt de obiecto vero, & motiuo ſtabili, ac firmo, qualis non eſt firmitas adhæſionis, quam habent hæretici, & alij in ſuis erroribus, quæ potiùs dicitur pertinacia. *Capreolus.*

15. Ad 5. negandum eſt Antecedens, & Maior ipſius probationis, nam poſſumus faciliùs recedere ab eo, cui firmiùs adhæremus, non defectu maioris certitudinis, ſed alterius conditionis ad naturam cognoſcentis requiſitæ, vt explicatum eſt.

16. Hactenus certitudinem Fidei diuinæ, comparauimus cum certitudine ſcientiæ naturalis: ſupereſt, vt illam comparemus cum certitudine ſcientiæ ſupernaturalis: quę duplex eſt, altera in Verbo, altera extra Verbum, quę infuſa dicitur.

17. Dico 3. Actus Fidei infuſę eſt æquè certus, atque actus ſcientię infuſę ſupernaturalis. Eſt contra Turrianum 2. 2. diſp. 42. dub. 2. opinantem, actum Fidei eſſe certiorem actu ſcientię infuſę, eo quòd ille nitatur authoritate diuina, hic obiecto ipſo creato. Verùm noſtra aſſertio probatur: quoniam ſcientia infuſa ſupernaturalis eſt à Deo vt à cauſa particulari, à quo non minùs implicat infundi falſum per actum ſcientiæ, quàm per actum Fidei. *Turrianus.*

18. Confirmatur, nam ad vtrumque actum concurrit authoritas Dei, licet ad actum fidei concurrat immediatè, vt motiuum formale, ad actum verò ſcientiæ infuſæ mediatè. Etenim hoc ipſo, quòd ad illam Deus concurrit vt cauſa particularis, interponit ſuam authoritatem, ne tali actui poſſit falſum ſubeſſe, quia ſi poſſet illi falſum ſubeſſe, poſſet talis falſitas tribui Deo vt cauſæ particulari: quod æquè implicat, atque implicat, Deum immediatè per ſuam authoritatem teſtari falſum. Nec refert, quod motiuũ ſcientiæ infuſæ ſit creatum, fidei verò increatum: quia illud mouet intellectum vt applicatum per lumen infallibile infuſum à Deo vt à cauſa particulari: quo pacto participat eandem certitudinem & infallibilitatẽ, atque authoritas ipſa diuina, quę ſaltem vt cauſa particularis efficienter concurrit ad actum ſcientię infuſę.

19. Dixi *ſupernaturalis*: nam de ſcientia infuſa naturali, quæ dicitur infuſa per accidens, eſt eadem ratio, ac de ſcientia acquiſita. Quoniam licet Deus neque vt cauſa particularis infundere poſſit habitum falſum ſcientię naturalis; ea tamen infuſa, ſolus intellectus cum lumine naturali innato eſt cauſa principalis ipſius actus: proinde nequit eſſe ita certus, ſicut eſt actus ſcientię ſupernaturalis, qui vt à cauſa principali pendet à Deo, medio lumine ſupernaturali infallibili. Quantò enim actus recedit à Deo, & lumine ſupernaturali, & accedit ad intellectum creatum, eiuſque natiuum lumen, tantò à certitudine & infallibilitate recedit.

20. Dico 4. Actus fidei infuſę eſt æquè certus, ac viſio ipſa beata. Eſt contra Caietanum ſecunda ſecundę q. 4. art. 8 in fine, affirmantem, viſionem beatam eſſe certiorem actu fidei, eo quòd per viſionem beatam immediatè applicatur nobis prima veritas, per fidem verò nonniſi media reuelatione creata. Quæ Caietani ſententia aliquando mihi arriſit, verùm poſtea re meliùs conſiderata, oppoſita probabilior videtur. Eaque colligitur ex Suarez de Fide, Spe, & Charitate diſp. 8. ſect. 5. in fine, vbi comparans fidem cum viſione beatifica, ſolùm docet, viſionem beatificam eſſe perfectiorem fide, quia illam ſuperat in euidentia. Vnde ſequitur, quantum ad certitudinem, eas eſſe æquales. Eam *Caietanus.* *Suarez.*

Turrianus. tamen expreſsè docet Turrianus loco præcitato. Moueor ad hoc aſſerendum: quoniam idem eſt motiuum formale vtriuſque, ipſa nempe prima veritas. Neque minùs certũ eſt lumen Fidei, quo illa nobis ad credendum; quàm lumen gloriæ, quo eadem ad intuendum, applicatur: vtrumque enim eſt participatio luminis increati, quod æquè implicat, vt vel fallat, vel fallatur.

21. Neque obſtat 1. Quòd per lumen Fidei applicetur obſcurè, per lumen verò gloriæ clarè: nam obſcuritas non minuit certitudinem, quæ adæquatè deſumitur ex cauſis, quæ æquè infallibiles ſunt in vtroque actu, ipſa ſcilicet prima veritas vt cauſa obiectiua formalis, & lumen ſupernaturale vt cauſa efficiens & applicans.

22. Nec obſtat 2. Quòd per lumen gloriæ prima veritas applicetur immediatè, per lumen autem Fidei mediante reuelatione creata: quia reuelatio non mouet ad aſſenſum Fidei, vt actio creata, ſed vt actio increata, & locutio propria Dei, immediatè nobis applicata per lumen ſupernaturale infallibile. Sic enim eandem habet certitudinem, quam habet ipſa prima veritas ſecundùm ſe: cùm æquè infallibilis ſit propria locutio Dei, qui per reuelationem nobis loquitur, atque ipſa prima veritas.

23. Nec obſtat 3. Quòd motiuum fidei nobis applicetur per teſtimonia & rationes humanas, quæ fallere poſſunt: nam hæc in fide diuina ſunt tantùm conditiones remotæ applicantes, non autem rationes formales mouentes. Et quamuis veritas fidei ſaltem ab illis pendeat vt à conditione, qua fallente, falli etiam poſſet fides ipſa; tamen lumen ipſum fidei æquè certos reddit fideles, non poſſe eas conditiones, quibus Myſteria noſtrę fidei ab Eccleſia credenda proponuntur, eſſe falſas, atque eoſdem certos reddit de ipſa Myſteriorum veritate. Addè, quòd hic loquimur de actu veræ Fidei, cuiuſmodi non eſſet, ſi conditiones applicantes eſſent falſę, nam tunc eſſet actus Fidei diuinę tantùm putatę. Lege

Syluius. Syluium 1. 2. q. 109. art. 4. ad 1.

SECTIO II.

An actus Fidei infuſæ ſit certior actu Prophetiæ, & quo pacto ab illo diſcriminetur?

24. VT ſciamus, an actus Fidei infuſæ ſit certior actu Prophetiæ, videndum priùs eſt, quo pacto actus Fidei differat ab actu Prophetiæ. Eſt autem Prophetia, vt eam

S. Doctor. definit S. Doctor 2. 2. q. 171. art. 1. cognitio eorum, quæ procul diſtant ab hominum notitia: cuiuſmodi ſunt futura contingentia, ſecreta cordium, cæteraque, quæ à naturali cognitione hominum ſunt remota. Quò fit, vt Prophetia non ſolùm eſſe queat de iis, quæ ſunt procul à naturali cognitione omnium hominum, cuiuſmodi ſunt futura contingentia, quorum notitia ſoli Deo eſt propria, vt teſtatur Iſaias 41. ſed etiam eorum, quorum Iſaia 41. notitia naturaliter ab aliquibus haberi poteſt, vt ſunt ſecreta cordium, præterita, ac loco diſſita. Nam licet hęc ſint obiecta naturalia reſpectu aliquorum, nempe eorum, quibus illa ſunt pręſentia, reſpectu tamen eorum quibus illa ſunt remota, poſſunt eſſe obiectũ Prophetiæ. Vt ſecreta cordium ſunt præſentia habentibus illa; & quæ in India fiunt, quęque ante mille annos facta ſunt, iis, qui vel in India degunt, vel qui ante mille annos extiterunt; ſunt tamen abſentia reſpectu aliorum, reſpectu quorum poſſunt eſſe Propheticæ cognitionis obiectum, ſi ſupernaturali lumine iis à Deo manifeſtentur.

25. Porrò in Prophetia duo ſunt, & obiectum, quòd manifeſtatur; & lumen, quo manifeſtatur. Obiectum eſt duplex, materiale, & formale: materiale eſt aliqua veritas, quæ Prophetæ manifeſtatur, formale eſt ipſe Deus vt talem veritatem atteſtans. Lumen Propheticum certificat intellectum Prophetæ de veritate reuelata. Manifeſtat autem Deus obiectum Prophetæ tripliciter, vel intelligibiliter, vt cùm Deus nouas infundit ſpecies intelligibiles in intellectu Prophetæ, vel priſtinas coordinat ad nouam veritatem exprimendam: vel imaginariè, infundendo in phantaſiam Prophetæ noua phantaſmata, aut antiqua coordinando ad nouam veritatem repræſentandam: vel ſenſibiliter, producendo ſenſibiles ſpecies ab ipſo Deo ordinatas ad aliquam veritatem ſignificandam, vt cùm Deus per flammam rubi manifeſtauit ſe Moyſi Exod. 3. per ollam ſuccenſam Exod. 3. reuelauit Ieremiæ 1. Ciuitatis incendium: per Ierem. 1. campum mortuorum oſſibus plenum, quæ ad verba Ezechielis 37. reuixerunt, ſignificauit Ezech. 37. Deus Spiritum, quem erat ipſe daturus populo ſuo: per Scripturam in pariete exaratam manifeſtauit Danieli 5. amiſſionem Regni & Daniel 5. mortem Regis Baltaſſar: per ſeptem boues pingues & ſeptem macilentos; perque ſeptem ſpicas plenas, & ſeptem tenues & vredine percuſſas reuelauit Ioſepho Geneſ. 41. ſeptem Geneſ. 41. annos fæcunditatis, & ſeptem ſterilitatis. Fiebant autem huiuſmodi ſenſibiles & imaginariæ apparitiones miniſterio Angelorum vt docet S. Thomas ſecunda ſecundæ Actor. 7. quæſt. 172. artic. 2. colligiturque ex 7. cap. Act. in quo dicitur Angelus apparuiſſe Moy- S. Thomas. ſi in Rubo.

26. Certificat autem lumen Propheticum Prophetæ intellectum quoad tria: Primò, quoad ſignificatum ſpeciei, quid nimirum ipſa ſenſibilis, vel imaginaria, aut intelligibilis ſpecies diuinitùs formata ſignificet. Cùm enim externa ſpecies aut Symbolum, vel non ſignificet ex ſe naturaliter, ſed tantùm ad placitum, & ex diuina ordinatione veritatem Propheticam, vt erant ſeptem illi boues pingues, & ſeptem macilenti: vel ſi naturaliter ſignificat, vt ſpecies intelligibilis propria effectus futuri contingentis,

Digitized by Google

gentis, vel cordis ſecreti, adhuc tamen vi ſolius ſpeciei non poteſt ſciri, an talis res ſignificata ſit tantùm poſſibilis, an prçterita, an præſens, vel futura, neceſſarium eſt lumen, quo intellectus Prophetæ certificetur de veritate ſignificata. Secundò, quoad reuelationem diuinam, quòd videlicet Deus ipſe ſit, qui loquitur Prophetæ. Tertiò, quoad iudicium, quo Propheta iudicat rem ita eſſe, ſicut ſibi à Deo reuelatur.

27. Ex his conſtat, Prophetiam non diſcriminari à fide, neque quoad obiectum formale ſaltem principale, quod eſt prima veritas; neque quoad obiectum materiale, niſi in modo proponendi, quia obiectum materiale fidei de lege ordinaria proponitur ab Eccleſia credendum, obiectum verò Prophetiæ ab ipſo Deo, Miniſterio Angelorum. Solũ igitur diſcrimen inter Fidem & Prophetiã eſt penes lumen, an hoc tãtùm accidentaliter, an etiam eſſentialiter differat à lumine Prophetico.

Suarez. Vaſquez. S. Thomas. 28. Suarez 3. p. tom. 1. diſp. 21. ſect. 1. & de fide diſp. 8. ſect. 5. & Vaſquez 3. p. in quçſtionem 7. S. Thomæ ar. 8. docere videntur, hoc diſcrimen inter lumen Fidei & Prophetiæ eſſe tantùm accidentale. Quam opinionem antea docuerat Abulenſis in caput 11. numerorum q. 64. qui ob eam cauſam Prophetiam Chriſto negauit, quia putauit, de ratione Prophetiæ eſſe obſcuritatem. (Abulenſis.)

Caietanus. Bannez. Hurtadus. 29. Caietanus ſecunda ſecundæ qu. 171. art. 5. Bannez q. 1. art. 1. dub. 4. Petrus Hurtadus de Incarnatione diſp. 51. & alij cenſent, huiuſmodi diſcrimen eſſe eſſentiale. *Quæ ſententia mihi probabilior eſt*, propter duo. Primò, quia in Chriſto Domino fuit lumen Propheticum, in quo tamen non fuit lumen Fidei. Secundò, quia lumen Fidei ſolũ inclinat intellectum ad aſſentiendum obiecto reuelato, propter teſtimonium Dei: lumen verò Propheticum, præter hoc certum reddit intellectum Prophetæ de ſignificato ſpeciei diuinitus impreſſæ, nec non de reuelatione ipſa, quòd ea ſit à Deo. Nam licet controuerſum ſit, an lumen Propheticum certificet intellectum Prophetæ euidentia Phyſica, an morali de reuelatione diuina, & ſignificatione ſpeciei: omnes tamen conuenire debent, ſaltem illud euidentia morali certificare intellectum Prophetæ, cùm debeat ſupplere euidentiam credibilitatis veritatis reuelatæ, quam credibilitatis euidentiam in obiecto fidei præſtant ipſa teſtimonia, & rationes humanæ. Porrò lumen, quod natura ſua non ſolùm intellectum inclinat ad aſſentiendum veritati reuelatæ, propter primam veritatem reuelantem, ſed etiam illum certificat tum de reuelatione Dei, tum de ſignificatione ſpeciei impreſſæ ſubſtantialiter differt, ſaltem vt excedens à lumine, quod tantùm intellectum inclinat ad aſſenſum in veritatem reuelatam.

30. Ex his colligũtur alia diſcrimina inter Fidem & Prophetiam. Primum, quòd fides dirigitur ad iuſtificationem propriã credentis, Prophetia verò ad vtilitatem aliorũ. Vnde fides vitiari non poteſt ex prauo motiuo, poteſt autem Prophetia: eo quòd illa debeat eſſe diſpoſitio ad iuſtificationem, vt probatum eſt diſp. 10. ſect. 6. non autem hæc.

31. Secundum diſcrimen eſt, quia lumen Fidei non ſolùm eſt actuale, ſed etiam habituale: Propheticum verò in homine puro eſt tantùm actuale: non quod lumen Propheticum habituale implicet, vt ſentire videtur Caietanus ſecunda ſecundæ quçſt. 171. ar. 2. alioqui neque in Chriſto potuiſſet eſſe habituale, ſed quia non expedit, niſi Chriſto Domino illud infundi per modum habitus: vt nimirum Prophetç agnoſcãt, ſe illud habere à Deo. Hinc eſt, quòd nõ ſit in poteſtate Prophetæ, ſemper occulta prçdicere, ſed quando illi Deus ea reuelat, vt apertè teſtatus eſt Eliſæus 4. Reg. 4. dum ad Giezi puerum ſuũ dixit: *Dominus cœlauit à me & nõ indicauit mihi.* (Caietanus. 4. Regum 4.)

32. Tertium diſcrimen eſt, quia actus fidei eſt liber, Prophetiæ verò, ſaltem quoad apprehenſionem veritatis ſignificatæ, & atteſtationis Dei loquentis, eſt neceſſarius. Licet quoad iudicium de veritate ipſa reuelata, ſi ea euidenter non reueletur, poſſit eſſe liber, ſaltem quoad exercitium.

33. Quartum diſcrimen, quod adnotauit S. Thomas ſecunda ſecundæ q. 173. ar. 4. eſt, quòd Deus mouet mentem Prophetæ non ſolùm ad apprehendendam veritatem, quam ei reuelat, eique aſſentiendum; ſed etiam ad eloquendam illam alijs, vel aliquid faciendũ: mentem autem credentis ſolùm mouet ad aſſentiendum veritati ſufficienter propoſitæ. Atque hæc quoad diſcrimina. (S. Thomas.)

34. Conueniunt autem Fides & Prophetia. Primò, quòd neutri ſubeſſe poteſt falſum: cùm enim vtraque nitatur authoritati diuinæ, cui implicat falſum atteſtari, neutri poterit ſubeſſe falſum.

35. Conueniunt 2. Quòd vtraque ſit actus intellectus, cuius naturalem virtutem excedit: nam tam Fides infuſa, quàm Prophetia ratione luminis diuini infallibiliter certificantis intellectum Prophetæ, eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, ac proinde excedens natiuam virtutem intellectus creati.

36. Conueniunt 3. Quòd vtraque ceſſat in Patria, iuxta illud Apoſtoli 1. Corinth. 13. *Prophetiæ euacuabuntur:* tum quia vtraque cognitio, ſaltem de lege ordinaria, & in puro homine aliquid habet obſcuritatis, quæ in Patria çeſſat. Tum maximè, quoniam, vt S. Thomas docet ſecunda ſecundæ q. 174. ar. 5. Prophetia eſt cognitio eorum, quç ſunt procul à ſtatu cognoſcentis: in Patria autem nulla veritas erit procul à ſtatu beati; videnti enim diuinam eſſentiam, nulla veritas eſt procul, ſed prçſens beato. Vnde idem S. Doctor ad tertium docet, in Chriſto fuiſſe Prophetiam, non quatenus erat comprehenſor, quia vt ſic nulla veritas erat illi procul; ſed vt erat Viator. (1. Cor. 13. S. Thomas.)

37. Conueniunt 4. Quòd per vtramque debet homo intelligere, quæ credit, vel vaticinatur; non enim dicitur Propheta, niſi

valde impropriè, qui non intelligit quæ vaticinatur. Vnde Caiphas illa verba, quę dixit Ioan. 11. Ioannis 11. *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo*, non dixit propriè vt Propheta. S. Thomas. Et licet, quod S. Thomas etiam aduertit 2. 2. q. 173. art. 4. non debeat Propheta cognoſcere omnia, ad quæ vaticinanda à Spiritu ſancto mouetur, debet tamen aliqua cognoſcere: alioqui, vt ibidem S. Doctor notat; tantò quis deficit à vera & perfecta Prophetia, quantò deficit à cognitione eorũ, quæ vaticinatur: qua de cauſa Prophetę olim videntes dicebantur. Montanus. Contra hoc ſenſit Montanus, qui docebat, Prophetas non intelligere, quæ loquebantur.

38. Ex his facilè intelligitur principalis quæſtionis deciſio, An actus fidei ſit certior actu Prophetico: Negans enim pars ſequitur ex dictis, quia cùm vterque actus nitatur pro motiuo formali prima veritate atteſtante, proficiſcaturque ex lumine infuſo ſupernaturali quoad ſubſtantiam, neuter erit certior altero, ſed vterque æquè certus. Nec obſtat, ſi cum Caietano, Bannez, & Hurtado Caietanus. Bannez. Hurtadus. pręcitatis locis, dicamus, lumen Propheticum non ſolùm euidentia morali, ſed etiam Phyſica certificare intellectum Prophetæ: nam talis euidentia non auget in actu Prophetiæ certitudinem ſupra certitudinem fidei, quia hęc deſumitur ex cauſis, quę æquè certæ ſunt in vtroque actu, vt conſtat de actu viſionis beatæ, quem ſupra docuimus non eſſe certiorem actu fidei, cum vterque actus nitatur cauſis æquè infallibilibus ac certis, cuiuſmodi ſunt prima veritas atteſtans, & lumen ſupernaturale infuſum.

DISPVTATIO XIII.

De neceſſitate Fidei ad ſalutem conſequendam.

SECTIO PRIMA.

An ad conſequendam ſalutem fuerit ſemper actus Fidei ſupernaturalis neceſſarius?

1. DVpliciter poteſt aliquid ad ſalutem eſſe neceſſarium, vno modo vt pręceptum, cuius tranſgreſſio impedit ſalutem; alio modo vt medium, quo immediatè attingitur ſalus ipſa, vel ſaltem ad ſalutem neceſſariò prærequiritur. hinc duplex oritur neceſſitas, pręcepti, & Medij; quorum hoc intereſt; quia quæ ſunt neceſſaria neceſſitate pręcepti, ſolùm remouent impedimẽta, non autem attingunt immediatè ſalutem, vel ad ſalutem reipſa requiruntur: quæ verò ſunt neceſſaria neceſſitate medij, attingunt immediatè ſalutem, vel ad ſalutem neceſſariò prærequiruntur: obſeruantia enim præceptorum non cauſat primam gratiam, quæ eſt animæ ſalus, ſed ad ſummum ſecundam, remouendo impedimenta, quibus impediri, vel amitti poterat; contritio verò cauſat immediatè primã gratiam, ad quã propterea dicitur neceſſaria neceſſitate medij, quia ſicut medium cauſat immediatè finem in executione, ita contritio primam gratiam: Eſt autem duplex medium ad ſalutem, ſiue ad primã gratiam neceſſariũ, alterum connaturale, vt contritio; alterum ex ordinatione diuina, vt in lege Euangelica Baptiſmus & Pœnitẽtia. Differunt autem, quoniam primum ſuppleri non poteſt per alium actum, ſeu votum ipſius: Secundum verò, quando in re ſuſcipi nequit, ſuppleri poteſt per ipſius votum. Vnde ante legem Euangelicam, & nũc apud eos, qui Baptiſmi vel Pœnitentiæ Sacramentum ſuſcipere non poſſunt, ſi reipſa contritionem non habeant, ſalutem non conſequuntur, etiamſi inuincibiliter ignorent, illam ad iuſtificationem extra Sacramentum eſſe neceſſarium.

2. Petes, quod diſcrimen eſt inter mediũ, quod voto ſuppleri poteſt, & pręceptũ. Reſp. diſcrimẽ eſſe, quia pręceptũ nunquam cauſat immediatè ſalutẽ, ne quidẽ in ipſo cõtritionis voto, quæ non vt propoſitũ eſt ſeruandi præceptũ, ſed vt dolor eſt de offenſa Dei ſummè dilecti, primam gratiam cauſat. Præterea etſi aliquod medium immediatè primam gratiam non cauſet, cuiuſmodi eſt fides, neceſſariò tamen pręrequiritur ad ſalutẽ; proinde nunquã poteſt per alium actum, ſeu votum ſuppleri.

3. Præſens igitur controuerſia non eſt, an actus Fidei ſupernaturalis ſit, fueritque ſemper ad ſalutẽ neceſſarius neceſſitate præcepti, nam de hoc infrà, ſed an ſit, fueritque neceſſarius neceſſitate medij in re, non quidem immediatè & proximè, ſed mediatè ſaltem & remotè ſalutem attingentis.

4. Prima ſententia Vegæ lib. 6. in Tridentinum cap. 20. & 21. negantis: putat Vega. enim, poſſe hominem à peccato iuſtificari ſola cognitione naturali euidenti, vel opinatiua de Deo; quin etiam ignorato inuincibiliter Deo, ſola cognitione legis naturæ, cum propoſito eam ſeruandi, & dolore de admiſſis

contrà

contra ipſam, quatenus vitioſa & rationi diſſentanea ſunt. Fundamentum eius eſt: quia facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat ſuam gratiam: igitur ſi quis inuincibiliter ignoret fidem ſupernaturalem, aut etiam Deũ ipſum, modò faciat quãtum in ſe eſt, dolendo de peccatis, & proponendo ſeruare totam legem naturæ, Deus ſuam gratiam nõ negabit. Confirmat 1. alioqui non poſſet hic pro quouis tempore huius vitæ ſalutem conſequi, in quo quidquid faciet, ſemper manebit extra ſalutem. Cõfirmat 2. quia ſequeretur, Deum requirere à nobis impoſſibilia ad ſalutem: requireret enim obſeruantiam præcepti tempore, quo propter ignorantiam inuincibilem eſſet impoſſibile ſeruatu. Confirmat 3. In reliquis pręceptis, etiam neceſſarijs neceſſitate medij, vt in Baptiſmo & Pœnitentia, quando reipſa ſeruari non poſſunt, ſufficit explicitum, vel implicitum votum ipſorum: ergo etiam in præcepto fidei.

Sotus. 5. Secunda ſententia Soti opinantis lib. 2. de natura & gratia cap. 11. potuiſſe hominem in lege naturæ, in qua nulla facta erat ſpecialis reuelatio eorum, quæ ad ſalutem ſpectant; niſi quæ ſingulis hominibus fiebat per lumen ipſum naturæ, ſola cognitione naturalis Dei Remuneratoris, cum ſupernaturali dumtaxat auxilio Dei affectum hominis mouentis, (in quo diſcrepat à Vega) à peccatis iuſtificari, & ſalutem conſequi. *S.Thomas.* Quam ſententiã docuiſſe ſibi videtur S.Thomas in illud Pauli, *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt.* Verùm hanc ſuam opinionem tanquam periculoſam poſtea retractauit in ſecunda editione, eodem cap. & in 4. diſt. 1. quæſt. 2. ar. 3. & in fine quarti ſententiarum, quibus in locis oppoſitum docet. Fundamentum huius opinionis eſt tum citatum teſtimonium Pauli: tum quia ad iuſtificationem ſufficit actus ſupernaturalis ſpeciali auxilio Dei à voluntate elicitus.

S.Thomas. 6. Tertia ſententia eſt S. Thomæ 1. p. q. 1. art. 1. prima ſecundæ quęſt. 113. art. 4. *Caietanus* & ſecunda ſecundæ quęſt. 2. art. 3. Caietani ijſdem locis, & communis tam recentiorum cum S. Thoma præcitato loco ſecunda ſecũdæ quàm veterum Scholaſticorum in 3. diſt. 23. & 24. affirmantium, aliquem actum ſupernaturalis fidei eſſe ad ſalutẽ neceſſarium. Pro cuius ſententiæ explicatione,

7. Notandum, nos hic non agere de iuſtificatione paruulorum, quæ fit per Baptiſmum, ſed de adultorum, quæ ſemper fit medijs ipſorum actibus, tam in Sacramentis, quàm extra Sacramenta: pręterea controuerſia eſſe poteſt vel de facto iuxta legem à Deo pręſcriptam, vel de poſſibili per potentiam Dei abſolutam. Quoad vtrumque ſenſum de pręſenti controuerſia diſputabimus.

8. Dico 1. De facto ſecundùm pręſentem ordinationem Dei ſemper aliquis actus ſupernaturalis fidei fuit neceſſarius neceſſitate medij in re ad iuſtificationem adultorũ. Probatur 1. ijs Scripturæ teſtimonijs, quibus noſtra iuſtificatio tribuitur fidei. Et ſanè omnia ferè opera iuſtificationis, quæ homines adiuti auxilio Chriſti faciunt, tribuuntur fidei. *Fides tua te ſaluum fecit*, Matth. 9. Marci 5. & 10. Lucæ 7. 8. 17. & 18. Roman. 3. *arbitramur iuſtificari hominem per fidem:* & cap. 4. *iuſtificati ergo ex fide.* Ad Galat. 2. & 3. *vt ex fide iuſtificemur.* Ad Epheſ. 2. *gratia eſtis ſaluati per fidem.* Ad Coloſſ. 2. *reſurrexiſtis per fidem.* Explicans autem Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 8. quo ſenſu dicamur per fidem iuſtificari: *Quia fides*, inquit, *eſt humana ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis.* Quare etſi ſola fides contra hæreticos huius temporis ad iuſtificationem non ſufficiat, eſt tamen ad eam neceſſaria: nam hoc probant adducta ſacræ Scripturæ oracula. *Matth. 9. Marci 5. & 10. Lucæ 7. 8. 17. & 18. Rom. 3. & 4. Ad Gal. 2. & 3. Ad Epheſ. 2. Ad Coloſſ. 2. Concilium Trident.*

9. Secundò probatur ijs teſtimonijs, quæ negant hominem iuſtificari poſſe ſine fide. Hebręorum 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo:* ſi ergo ſine fide impoſſibile eſt placere *Heb. 11.* Deo; ſequitur, nos non poſſe ſine fide ſalutem conſequi, cùm ſalui eſſe nequeamus, niſi Deo placeamus. Duo hic probanda ſunt, & Apoſtolum loqui de fide actuali, & nonniſi de ſupernaturali: nam explicare illum quiſpiam poſſet vel de habituali, vel de naturali. Primum conſtat tum exemplis, quæ Paulus adducit, omnia enim ſunt de fide actuali, qua maiores noſtri credentes ſalui facti ſunt: tum ex ratione ipſa, quam ſubdit: *Credere enim*, inquit, *oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit:* qui autem ad Deum accedit, actu tenetur in Deũ credere: quin acceſſus ipſe ad Deum, nonniſi credendo fit, iuxta illud Ioannis 6. *Omnis* *Ioan. 6.* *qui audiuit à Patre, & didicit,* (abſque dubio per interiorem fidem) *venit ad me*, ſcilicet credendo, vt optimè Tract. 26. in Ioannem Auguſtinus explicat: *Non enim*, inquit, *ad* *Auguſt.* *Chriſtum ambulando currimus, ſed credendo: nec motu corporis, ſed voluntate cordis accedimus.* Secundum probatur: tum quia ſine illa fidę ait eſſe impoſſibile placere Deo, quam initio capitis definiẽrat, *ſubſtantiam rerum ſperandarum, argumentum non apparentium:* hanc autem eſſe ſupernaturalem conſtat ex ipſo obiecto rerum ſperandarum, & ex obſcuritate credibilium: tum quia de illis omnibus docet, per eam fidem cœleſtem Patriam appetijſſe: ac de Moyſe ſpecialiter teſtatur, illum pluris æſtimaſſe impropeꝛium Chriſti, quàm theſaurum Ægyptiorum: atqui fides Chriſti ſupernaturalis eſt. Et Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7. *Sine fide*, inquit, *nulli vnquam contigit iuſtificatio:* & cap. 8. *Concilium Trident.* *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum eius conſortium peruenire:* vbi per voces negatiuas, & vniuerſales, non potuit fidei neceſſitatem, & quoad ſubiectum, & quoad tempus vniuerſaliùs explicare, vt meritò opinio Vegæ cenſeatur in fide periculoſa, & *Cenſura opinio Vegæ.* errori proxima.

10. Tertiò probatur aſſertio poſita: nã fides dicitur vita iuſti, ad Galat. 2. *In fide viuo:* *Ad Gal. 2.* ad

Ad Rom. 1. Ad Gal. 3. Ad Heb. 3. S. Thomas. ad Roman. 1. ad Galat. 3. & ad Hebræ. 3. *Iuſtus ex fide viuit*, quod etiam docuit S. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 12. art. 1. ad 2. atqui vita eſt ſimpliciter neceſſaria; ergo & fides.

11. Quartò probatur à priori. Creatura rationalis ordinata eſt ad Deum finem ſupernaturalem, proprijs actibus auxilio gratiæ factis conſequendum; ordinatur enim ad illum tanquam ad præmium ſuis meritis acquirendum: finis autem proprijs actibus acquirendus intendi & amari debet: non poteſt autem intendi & amari, niſi præcognoſcatur, præcognoſcitur autem actu fidei ſupernaturalis: igitur actus fidei ſupernaturalis neceſſarius eſt ad conſequendum finem ſupernaturalem, ad quem à Deo ordinati ſumus. Minor ſubſumpta probatur, quia Deus finis ſupernaturalis non eſt intra ſphæram obiecti naturalis: igitur præcognoſci non poteſt notitia naturali: ergo neceſſaria eſt notitia fidei ſupernaturalis.

12. Confirmatur, nam duplex tantùm modus eſt, quo iuſtificantur adulti: Primus, actu contritionis extra Sacramentum: Secundus, actu attritionis in Sacramento: vterque autem neceſſariò ſupponit actum fidei ſupernaturalis. Minor conſtat, quoniam tam contritio, quàm attritio ſupponit aliquam notitiam finis ſupernaturalis, vt colligitur ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 6. Et ratio eſt, quia in contritione includitur Deus finis ſupernaturalis vt vltimatus terminus doloris; in attritione ſaltem indirectè, quatenus per peccatum eo priuati ſumus; & in vtroque actus fidei, quo credimus, & ſperamus ab eo iuſtificari, vt apertè Tridentinum teſtatur ſeſſ. 14. cap. 4. Hæc autem omnia probant, actum fidei eſſe neceſſarium neceſſitate medij in re, & non tantùm præcepti, vel in voto: nam quæ neceſſaria ſunt tantùm neceſſitate præcepti, aut medij vel in re, vel in voto, non ſunt eiuſmodi, vt ſine illis impoſſibile ſit hominem iuſtificari: quia ſi contingat illa inuincibiliter ignorari, vel adimpleri non poſſe, poterit homo per votum implicitum, vel explicitum eorum iuſtificari: at ſi contingat, etiam inculpabiliter hominem ignorare actum cõtritionis, vel ea, quæ ad illam eſſentialiter prærequiruntur, impoſſibile eſt, illum iuſtificari, quoniam, vt Tridentinum docet præcitata ſeſſ. 14. cap. 4. contritio fuit quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum neceſſaria.

Concilium Trident.

Trident.

13. Dico 2. De potentia abſoluta, & vi alterius decreti diuini non repugnat, adultum iuſtificari abſque actu fidei ſupernaturalis. Probo afferendo duplicem modum, quo id fieri poſſet. Primò, ſi Deus infunderet homini euidentem notitiam gratiæ, & donorum ſupernaturalium, qua euidenter cognoſceret, Deum eſſe authorem illorum, & iuſtificatorem hominum. Ex qua cognitione moueri poſſet homo ad ſupernaturales actus ſpei, charitatis, & contritionis erga Deum, quibus ſupernaturaliter conſequeretur iuſtificationem. Secundò, ſi Deus contentus ſola contritione naturali & dolore de peccatis, quatenus rationi, & Deo fini naturali contraria ſunt, ſupernaturalem beatitudinem nobis conferret. In quo caſu ſine vllo actu ſupernaturali ſola notitia Dei finis naturalis moueri poſſemus ad deteſtandum peccatum, quatenus naturaliter cognoſceretur eſſe contra legem & voluntatem Dei, per lumen rationis nobis manifeſtatam.

14. *Obijcies* contra primum modum. Non poteſt homo mereri finem abſque notitia illius: ſed non poteſt homo finem ſupernaturalem cognoſcere abſque actu fidei ſupernaturalis: ergo non poteſt homo per alium actum, quàm fidei mereri finem ſupernaturalem. Maior probatur, quia meritum eſt actus liber eſſentialiter ſupponens notitiam obiecti merendi. Minor conſtat, quia finis ſupernaturalis eſt futura beatitudo, quæ extra ſcientiam beatam cognoſci non poteſt, niſi actu fidei ſupernaturalis.

15. Reſpondeo 1. Negando maiorem, eiuſque probationem, non enim ad meritum requiritur notitia præmij, ſicut neque ad demeritum notitia pœnæ, ſed ſufficit cognitio obiecti honeſti, aut turpis, ex quo deſumitur ratio meriti, vel demeriti in actu; Ratio quia dignitas ad præmium, & pœnam neceſſariò conſequitur ad actum virtutis, & vitij: ergo etiamſi illa non præcognoſcantur, & intendantur, poſſunt à Deo iuſtè retribui; vt conſtat in principe creato, qui iuſtè poteſt actus virtutum, & vitiorum ſuorum ſubditorum debito præmio, & pœna compenſare, etiamſi ij præmium aut pœnam ignorent. Secundò, negando minorem, non enim repugnat beatitudinem formalem, quæ eſt viſio ipſa creata beatorum euidenter cognoſci notitia extra Verbum, cùm non ſit neceſſe, etiam intuitiuè cognita viſione beata, intuitiuè cognoſcere illius obiectum, ſed ad ſummum abſtractiuè, ad quod non requiritur ſcientia beata.

16. *Obijcies* contra ſecundum modum. Non poteſt homo à peccato iuſtificari ſine proprio actu condignè retractatiuo; ſed contritio naturalis non eſt actus condignè retractatiuus peccati, quia non eſt retractatiuus illius, quatenus eſt contra Deum finem ſupernaturalem: ergo.

17. Reſpondeo conceſſa Maiore negatur Minor; etenim in eo caſu peccatum eſſet tantùm contra Deum finem naturalem: ac proinde contritio naturalis eſſet actus condignè retractatiuus illius. Conſequentia conſtat, quia ille actus dicitur condignè retractatiuus, qui peccatum retractat ſecundùm omnem malitiam, quam includit, ſed in eo caſu peccatum non includeret, niſi malitiam offenſæ Dei finis naturalis. Antecedens probatur, quia perſona non offenditur, niſi ſub ea ratione, & dignitate, qua cognoſcitur; ſed in eo caſu Deus non cognoſceretur, niſi vt finis naturalis: ergo non offenderetur niſi vt finis naturalis. Nunc autem contritio natura-

Digitized by Google

lis non eſt ſufficiens diſpoſitio ad iuſtificationem, quia non eſt condignè retractatiua offenſæ Dei finis ſupernaturalis.

18. Dices, ſequeretur in eo caſu ſimul fore peccatum, & gratiam, quia gratia cùm ſit conuerſio ad Deum finem ſupernaturalem, non tollitur, niſi per auerſionem à Deo fine ſupernaturali. Reſpondeo nego ſequelam, nam conuerſio ad finem ſupernaturalem ſupponit neceſſariò conuerſionem ad finem naturalem, qua, per peccatum in eo caſu directè ſublata, indirectè quoque tolleretur conuerſio ad finem ſupernaturalem.

19. Ad fundamentum primæ opinionis, concedendum eſt Vegæ, facienti quod in ſe eſt, non quidem ex ſola facultate naturæ, ſed etiam gratiæ excitantis atque intus mouentis, Deum non denegare gratiam iuſtificantem, non tamen ſine ſupernaturali notitia fidei, & eorum, quæ vi præſentis decreti neceſſaria ſunt ad iuſtificationem adulti. Vnde aperta contradictio eſt, aliquem facere quantum in ſe eſt, diuinis inſpirationibus obſequendo, & ad longum tempus fidem ad ſalutem neceſſariam inuincibiliter ignorare. Quoniam aut is facit quantum in ſe eſt, diuinæ gratiæ cooperando; & Deus illuminabit illum, vel per externam prædicationem, vel per internas excitationes, quantum ſat erit ad concipiendam fidem ſupernaturalis remuneratoris. Aut non facit quantum in ſe eſt cum auxilio gratiæ, quod Deus omnibus præſtat iuxta vniuſcuiuſque ſtatum & tunc Deus iuſtè poterit illi ob peccata perſonalia fidem negare, cuius ignoratio non imputabitur illi ad peccatum, ſed erit effectus tantùm peccati. Nec propter illam damnabitur, ſed propter præcedentia peccata, quæ fuerunt impedimenta, ne Deus illi fidem, & reliqua ad iuſtificationem requiſita infunderet.

20. Ad primam confirmationem, negatur aſſumptum: nam ſi hic faciet quod in ſe erit, tandem illuminabitur, & ſalutem conſequetur. Nec obſtat, quod in proxima ipſius poteſtate non ſit, fidem habere: quia ſat eſt, illam habere in poteſtate remota cooperando auxilio diuinæ gratiæ, quo iuxta occurrentes occaſiones ſubinde à Deo excitatur.

21. Ad ſecundam, negatur ſequela: neque enim Deus requirit obſeruantiam fidei tempore, quo illa inuincibiliter ignoratur, ita vt inobſeruantiam illius nobis imputet ad culpam: ſed negat nobis notitiam fidei ob præcedentia peccata. Semper tamen in poteſtate ſaltem remota peccatoris eſt, cooperando diuinæ gratię, ſe diſponere ad fidem diuinitus ſuſcipiendam: nam continuò Deus per alias excitationes magis homini accommodatas animum ſtimulat ad obſeruantiam legis naturalis, quam duce natura ipſa cognoſcimus.

22. Ad tertiam, negatur conſequentia: quoniam reliqua pręcepta non ſunt neceſſaria tanquam media in re; ſed vel in re, vel in voto: fides autem neceſſaria eſt vt medium in re. Quam differentiam primariò colligimus ex diuina ordinatione, vt citatæ authoritates apertè teſtantur; ſecundariò verò ex ſpeciali natura fidei, quæ, quoniam eſt notitia Dei finis ſupernaturalis, ſine cuius actuali dilectione non iuſtificatur adultus, requiritur in re: nec poteſt per notitiam naturalem ſuppleri, quia hæc non eſt ad ſupernaturalem dilectionem ſufficiens.

23. Ad fundamentum ſecundæ opinionis reſpondet Auguſtinus de Spiritu & litera cap. 27. quem ſequitur S. Thomas prima ſecundæ q. 109. art. 4. ad primum, Apoſtolum per ly, *naturaliter*, non excludere gratiam, alioqui poſſet quis ſola vi naturę totam legem naturalem adimplere: ſed tantùm voluiſſe ſignificare, poſita gratia, hominem contra naturam facere, ſi legem non ſeruet: opponendo *naturaliter*, non ei quod fit ex gratia, ſed ei quod fit contra naturam, nam vitium contra naturam eſt: proinde idem ſonat quod *connaturaliter*: quia poſita gratia, connaturaliter facimus, quæ gratia dictat. *S. Auguſt.* *S. Thomas.*

24. Ad rationem, negandum eſt, ad iuſtificationem adultorum ſufficere actum ſupernaturalem ex parte voluntatis tantùm: nam voluntas non poteſt in obiectum ferri, niſi ex motiuo, quod illi ab intellectu proponitur: intellectus autem non poteſt obiectum ex motiuo ſupernaturali ſine auxilio ſupernaturali voluntati proponere, vt ex ſuprà diſputatis conſtat.

SECTIO II.

An fides ad ſalutem neceſſaria debeat eſſe de obiecto materiali ſupernaturali?

25. Non diſputamus hic de obiecto formali, quod ſemper in fide ad iuſtificationem requiſita, eſt ſupernaturale, ipſa ſcilicet authoritas diuina infuſo lumine applicata, & propter ſe immediatè credita; ſed ſolùm de obiecto materiali credito. Quod duplex eſt, alterum cognoſcibile lumine naturali, vt Deum eſſe, Omnipotentem ac Sapientem eſſe; alterum lumine ſupernaturali, vt Deum eſſe Trinum perſonaliter, & Vnum eſſentialiter. Præſens igitur controuerſia eſt, an ad iuſtificationem requiratur fides obiecti materialis ſupernaturalis, an ſufficiat tantùm obiecti naturalis.

26. Vega ſuprà citatus, & alij cum eo putant, ſufficere fidem obiecti materialis naturalis. Probant ex illo Pauli ad Hebr. 11. *accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit:* hac enim fide probat Apoſtolus iuſtificatos eſſe antiquos Patres, & omnes, qui volunt ad Deum accedere. Atqui hæc eſt de obiecto naturali, eſt enim de Deo exiſtente, & remuneratore humanarum actionum, quę duo naturali lumine cognoſcuntur. Confirmant, quoniam omnis alia fides implicitè & virtute contine- *Vega.* *Heb. 11.*

S. Thomas. tur in iſta, vt docet S. Thomas ſecunda ſecundæ q. 1. art. 7. Et ratio eſt, quia qui teſtimonium Dei admittit circa vnam veritatem, admittit circa omnes.

27. Communis tamen ſententia eſt, ad iuſtificationem requiri fidem obiecti materialis ſupernaturalis: quam docet S. Thomas *S. Thomas.* ſecunda ſecundæ q. 2. art. 3. dum affirmat, ad ſalutem neceſſarium eſſe credere aliquid, quod ſit ſupra rationem naturalem. Quod autem loquatur de obiecto materiali, conſtat ex articulo ſequenti, in quo inueſtigat, an ad ſalutem non modò neceſſarium ſit credere, quæ ſupra rationem ſunt, ſed etiam quæ ratione cognoſci poſſunt: ratione autem naturali ſolùm cognoſci poſſunt obiecta materialia fidei, cùm obiectum formale, quæ eſt authoritas diuina teſtificans, naturali ratione cognoſci nequeat, quippe quę à ſola pendet voluntate Dei: quę nec poſt factam reuelationem abſque infuſo lumine, certò cognoſci poteſt: ergo cùm hic S. Thomas docet, neceſſarium eſſe ad ſalutem credere aliquid ſupra rationem, intelligit de obiecto materiali, de quo loquitur articulo ſequenti. Præterea prima ſecundæ q. 113. art. 4. ad tertium *S. Thomas.* affirmat, in iuſtificatione impij requiri actum fidei quantum ad hoc, quòd homo credat Deum eſſe iuſtificatorem hominum per Myſterium Chriſti: quod obiectum, vt patet, ſupernaturale eſt.

28. Probatur hæc ſententia 1. ex citato teſtimonio Apoſtoli, vbi non loquitur de exiſtentia Dei ratione naturali tantùm cognoſcibili, ſed in ordine ad remunerationem ſupernaturalem, vt ſuprà deduximus, & Patres ipſi interpretantur; colligiturque ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 6. vbi loquens de fide obiecti *Concilium Trident.* ſupernaturalis, in confirmationem huius doctrinæ citat hoc teſtimonium Pauli. Et ratio à priori eſt: quoniam fides, qua iuſtificamur, debet eſſe eius obiecti, quod nobis proponitur proprijs actibus cum auxilio gratiæ elicitis conſequendum: hoc autem non eſt Deus vt author naturæ, & remunerator bonorum naturalium, ſed vt author ſupernaturalis, & remunerator donorum æternorum. Minor clara eſt. Maior probatur, quia fides ad hoc infunditur, vt nobis deſeruiat ad proponendum obiectum, cuius Fide, Spe, & dilectione iuſtificandi ſumus: iuſtificamur autem Fide, Spe, & dilectione Dei finis ſupernaturalis, nam hic erit obiectum futuræ noſtrę beatitudinis; non autem naturalis.

29. Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ patet ex dictis, eo loco Paulum non loqui de Deo vt authore remunerationis naturalis, ſed ſupernaturalis. Ad confirmationem negatur antecedens: non enim poteſt notitia ſuperior, qualis eſt obiecti ſupernaturalis, implicitè & virtute contineri in notitia inferiori, cuiuſmodi eſt obiecti naturalis. Nec obſtat, quòd qui teſtimonium Dei recipit circa vnum obiectum, paratus ſit illud idem recipere circa reliqua, quia, vt probatum eſt, ad iuſtificationem non ſufficit fides obiecti ſupernaturalis quoad rationem credendi tantùm, ſed etiam quoad ipſam rationem creditam. Ad authoritatem S. Doctoris ex textu conſtat, illum *S. Doctor.* loqui de Deo credito vt authore bonorum ſupernaturalium, in quo docet implicitè contineri reliquos fidei articulos, ſicut concluſiones in ſuis principijs.

SECTIO III.

Quorum obiectorum explicita fides ſit neceſſaria ad iuſtificationem adultorum?

30. Fides explicita dicitur illa, quæ credit obiectum immediatè in ſeipſo, & non ex alio vel in alio cognitum, vt cùm quis credit Deum in ſeipſo, quamuis confuſè apprehenſum. Implicita verò eſt, quæ credit obiectum non in ſe, ſed in alio, quod explicitè creditur, contentum, vt qui credit Scripturam eſſe à Deo reuelatam, implicitè credit ſingula, quæ in ea explicitè credita, continentur. quò fit, vt omnis fides implicita neceſſariò ſupponat explicitam eius obiecti, quod immediatè creditur. Pręſens igitur controuerſia eſt, quænam obiecta ſint explicitè credenda, vt ſalutem conſequi poſſimus; obiecta autem, quæ in controuerſiam veniunt, hæc ſunt, Deum eſſe, Deum eſſe remuneratorem bonorum ſupernaturalium, Myſterium Trinitatis, & Incarnationis. Rurſus hęc neceſſitas conſiderari poteſt, vel in ſtatu naturæ, vel legis, vel Euangelij; agimus autem de neceſſitate medij, non pręcepti; & ſenſus quæſtionis eſt, an ſine explicita fide horum omnium, vel alicuius homo ſalutem conſequi poſſit.

31. Prima ſententia quorundam Thomiſtarum negantium, neceſſariam eſſe, ſaltem omnibus, fidem explicitam de Deo (nam quamuis hæc ad ſalutem non ſufficiat, cùm ſit de obiecto naturali, ad eam tamen neceſſariò requiritur) Probant ex S. Thoma, qui *S. Thomas.* putat, non poſſe in eodem ſimul eſſe ſcientiam & fidem de eodem obiecto, ſed multi ſcientiam habent de Deo: ergo non poſſunt ſimul de eodem fidem habere. Et ratio eſt, quia eatenus neceſſaria eſt fides explicita de Deo, quatenus ratione naturali ab omnibus ſciri nequit.

32. Secunda affirmat, fidem explicitam Mediatoris, & Myſterij Sanctiſſimæ Trinitatis, fuiſſe omni tempore ad ſalutem neceſſariam. Probatur ex illis verbis Petri in primo Concilio Apoſtolorum prolatis Act. 15. *per* *Act. 15.* *gratiam Domini Ieſu Chriſti credimus ſaluari, quemadmodum & illi:* (hoc eſt maiores noſtri) & ſanè de fide in Chriſtum, in qua includitur fides Trinitatis, expreſsè teſtatur Auguſtinus Epiſt. 157. ad Optatum Epiſco- *S. Auguſt.* pum his verbis: *Illa tamen ſit fides ſalua, qua credimus, nullum hominum, ſiue maioris, ſiue*

parvula

Digitized by Google

paruula quamlibet & recentis ætatis liberari à contagione mortis antiqua & obligatione peccati, quod prima natiuitate contraxit, niſi per vnum mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum. Cuius hominis eiuſdemque Dei ſaluberrima fide, etiam illi iuſti ſalui facti ſunt, qui priùs quàm veniret in carne, crediderunt in carne venturum. Eadem namque fides eſt, & noſtra, & illorum, quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum. Hæc Auguſtinus.

33. Tertia ſententia docet, neutram fidem explicitam, neque Chriſti, neque Trinitatis eſſe neceſſariam neceſſitate medij apud omnes, quin poſſit aliquis, ſola obſeruantia legis naturę, abſque explicita fidei Chriſti ſaluari. Ita Sotus in 4. diſt. 5. q. vnica art. 2. qui putat eſſe ſententiam S. Doctoris ſecunda ſecundæ q. 10. art. 4. ad tertium, vbi docet, per infidelitatem non corrumpi totaliter in infidelibus rationem naturalem, quin remaneat in eis aliqua veri cognitio, per quam facere poſſunt aliquod opus de genere bonorum. *Sotus. S. Thomas.*

34. Qvarta ſententia opinatur, fidem explicitam Chriſti eſſe nunc neceſſariam ad ingreſſum beatitudinis, non autem ad iuſtificationem; ita ſtatuente Deo propter dignitatem & honorem Chriſti, vt nullus adultus in eam gloriam intret ſine notitia mediatoris, merito cuius, illam aſſequitur. Vnde vi huius ordinationis non permittet Deus, vt aliqui per implicitam fidem Chriſti iuſtificatus ex hac vita decedat, abſque explicita fide eiuſdem: hoc enim ad eius prouidentiam ſpectat, ne ipſius decretum fruſtretur. Fundamentum huius ſententię eſt; quoniam omnes quotquot hactenus beatitudinem aſſecuti ſunt, ſiue ex nouo, ſiue ex veteri teſtamento, non ſunt ſine hac explicita fide Chriſti aſſecuti. Hanc docent Canus Relect. de ſacramentis, & Bannez ſecunda ſecundę q. 2. art. 8. dub. vlt. concl. 2. *Canus. Bannez.*

35. Dico 1. Explicita fides Dei ſupernaturalis remuneratoris fuit omni tempore ad ſalutem neceſſaria. Aſſertio conſtat ex teſtimonio Pauli Hebręorum 11. *accedentem ad Deum credere oportet, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Quod teſtimonium, cùm vniuerſale ſit, non ſolùm intelligitur quoad iuſtificationem præſentium, ſed etiam antiquorum Patrum. Ratio verò conſtat ex dictis: cùm ex vi præſentis ordinationis nullus adultus iuſtificetur abſque ſupernaturali dilectione Dei finis ſupernaturalis, quam neceſſariò præcedere debet ſupernaturalis aliqua notitia eiuſdem obiecti, quę ex vi præſentis decreti non eſt, niſi obſcura fidei. *Heb. 11.*

36. Dico 2. Non eſt neceſſaria explicita fides de exiſtentia Dei diſtincta à fide, qua eundem credimus vt iuſtificatorem & glorificatorem omnium. Fundamentum: quia in ipſa fide iuſtificatoris & glorificatoris inuoluitur determinatè aſſenſus de exiſtentia Dei; impoſſibile enim eſt credere Deum eſſe iuſtificatorem & glorificatorem, quin ipſum credas exiſtere; eſt enim exiſtentia prædicatum ſuperius neceſſariò & determinatè incluſum in quauis perfectione inferiori, ſicut eodem actu, quo creditur Chriſtum eſſe hominem, creditur eſſe ſubſtantiam viuentem, ſenſitiuam; nec requiritur diſtinctus aſſenſus ad hęc eadem prædicata credenda. Præterea in quouis actu fidei neceſſariò & determinatè includitur aſſenſus exiſtentię diuinæ in ipſomet actu, quo creditur Deo authori reuelanti. Iuxta hanc ſententiam explicatur prima ſententia Thomiſtarum.

37. Dico 3. Fides explicita Chriſti Mediatoris, & Sanctiſſimæ Trinitatis non fuit ante legem Euangelicam omnibus ad iuſtificationem neceſſaria. Eſt communior inter Theologos, quam docet S. Thomas ſecunda ſecundæ q. 2. art. 7. & 8. præcipuè ad tertium colligitur ex Paulo ad Epheſ. 3. & ad Coloſſ. 1. vbi affirmat Myſterium Incarnationis fuiſſe prioribus ſeculis abſconditum, quod ſaltem intelligitur quoad omnes; nam populo Iſraëlitico fuit notum. Fundamentum, quia medium neceſſarium ad ſalutem debet eſſe notum omnibus, aut ſaltem quod poſſit facilè innoteſcere omnibus, alioqui non benè prouiſum eſſet ſaluti hominum: ſed ante legem Euangelicam Myſterium Incarnationis, & Trinitatis non facilè poterat innoteſcere omnibus, cùm nullum eſſet præceptum illud diuulgandi apud omnes: ergo illud non erat medium ad ſalutem neceſſarium. *S. Thomas. Ad Epheſ. 3. Ad Coloſſ. 1.*

38. Dico 4. Probabile eſt, fidem explicitam Chriſti venturi fuiſſe medium neceſſarium in re ad conſequendam ſalutem populo Iſraëlitico, & ijs, quibus illud notificatum fuerat. Iuxta hanc aſſertionem intelligitur locus Act. 15. & Auguſtinus in præcitata Epiſtola ad Optatum. Eſt Sancti Thomę loco citato aſſentientis Myſterium Incarnationis omni tempore fuiſſe aliqualiter explicitè credendum: nec poteſt intelligi de neceſſitate præcepti, nam eodem modo docet, illud fuiſſe neceſſarium quantum ad ſubſtantiam Myſterij ante & poſt legem Euangelicam: ſed, vt mox conſtabit, illud nunc eſt neceſſarium neceſſitate medij in re: ergo & tunc ſaltem quantũ ad ſubſtantiam Myſterij ijs, quibus illud notificatum erat. Nec te moueat, quòd eodem articulo dicat, fidem explicitam mediatoris fuiſſe tantùm apud maiores populi Iſraëlitici, non autem apud minores, qui ſolùm ſub velamine ſacrificiorum implicitè credebant, quæ de Chriſto venturo diſpoſita erant, quia per hoc non excludit à minoribus fidem immediatam in Chriſtum venturum, ſed claram & diſtinctam; docet enim maiores explicitè cognouiſſe ſignificatum illorum ſacrificiorum, quod minores ſub velamine cognoſcebant credentes, ea diuinitùs diſpoſita eſſe de Chriſto venturo; quibus verbis apertè concedit minoribus fidem immediatam in Chriſtum venturum tanquam in terminum ſignificatum per illa ſacrificia, & ſolùm negat fidem claram & diſtinctam, *Act. 15. Auguſt. S. Thomas.*

Digitized by Google

ſtinctam, qualem habebant perfecti & ſapientes.

39. Fundamentum eſt, quia poſt legem Euangelicam, cuicunque fit ſufficiens propoſitio huius Myſterij, neceſſaria eſt fides explicita illius neceſſitate medij, & non tantùm præcepti, vt omnes admittunt: ergo etiam ante, cuicunque fiebat ſufficiens propoſitio eiuſdem Myſterij, neceſſaria erat fides explicita ipſius neceſſitate medij, & non tantùm præcepti. Conſequentia probatur, quia fides explicita Chriſti eſt nunc neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem ex ſola ordinatione Dei fundata in ipſa dignitate Chriſti: atqui idem fundamentum erat tunc: ergo eadem eſt fidei neceſſitas.

40. Dices. Hoc modo nullum eſſet diſcrimen inter neceſſitatem medij & præcepti, nam etiam præceptum ſufficienter propoſitum obligat ad ſui obſeruantiam tempore debito, ſine qua homo iuſtificari nequit. Reſpondeo præcipuum diſcrimen inter neceſſitatem medij & præcepti eſt, quia quod eſt neceſſarium vt medium, eſt peculiari ordinatione Dei inſtitutum vt cauſa, vel diſpoſitio ad primam gratiam: quod autem eſt neceſſarium vt præceptum, ſolùm deſeruit vt remouens impedimentum ad gratiam. Cuius ſignum eſt, quia ſi præceptum nequeat ob aliquam circumſtantiam ad adulto ſeruari, adhuc poterit etiam ſine voto illud ſeruandi iuſtificari: Contrà verò, ſi medium non ponatur in re, non ſequitur iuſtificatio, quia deeſt cauſa ex diuina inſtitutione neceſſaria ad illam. Quare propoſito obiecto fidei ad ſalutem neceſſario, etiamſi nō peccet adultus, ſi ſtatim illud non credat, non tamen iuſtificabitur, donec actu illud credat. Contrà verò, ſi proponatur illi aliquod præceptum, poterit vel ante præcepti obſeruantiam, cum ſolo, aut etiam ſine vllo expreſſo voto ipſius, ſi illud memoriæ non occurrat, vel ab eo ſeruari nequeat, iuſtificari.

41. Dico 5. In lege Euangelica fides explicita Incarnationis, & Sanctiſſimę Trinitatis eſt medium in re neceſſarium, non ſolùm ad beatitudinem, ſed etiam ad iuſtificationem omnium, qui per proprias & liberas voluntates iuſtificantur. Eſt S. Thomæ locis citatis (S. Thomas.) aſſerentis, poſt temporis gratiæ reuelatæ tam maiores, quàm minores teneri ad explicitam fidem eorum, quæ ad Myſteria Incarnationis, & Trinitatis ſpectant. Et clariùs in 3. diſt. 25. q. 2. art. 2. ad ſecundam quæſt. affirmat, poſt aduentum Chriſti omnes teneri ad explicitè credendum Incarnationis Myſterium: *& ſi aliquis*, inquit, *inſtructorem non habeat, Deus ei reuelaret, niſi ex ſua culpa remaneret.* Eſt etiam Bonauenturæ in 3. diſt. 25. (Bonauent.) art. 1. q. 3. Richardi art. 4. q. 1. Scoti q. 1. (Richardus. Scotus.) ad 13. vbi ait, eandem eſſe neceſſitatem fidei de Chriſto Recreatore, ac de Deo Creatore: atqui fides explicita Dei Creatoris eſt neceſſaria ſimpliciter ad ſalutem; ergo & Chriſti Recreatoris. Nec te moueat, quòd ibidem dicat, fidem explicitam Redemptoris non fuiſſe pro omni ſtatu neceſſariam: nam his verbis ſolùm negat neceſſitatem fidei explicitę ante legem Euangelicam, non autem poſt. Eſt Syluij 2. 2. q. 2. art. 8. concl. 7. (Syluius.)

42. Probatur aſſertio 1. ex illis Verbis Petri Act. 4. *Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* (Act. 4.) Vbi Verbum *oporteat* neceſſitatem importat. Ex quo loco ex multis Patribus, & Concilijs colligit noſter Ioannes Lorinus, fidem explicitam de Chriſto poſt promulgatum Euangelium eſſe cuilibet homini ad ſalutem neceſſariam: docetque id non obſcurè ſignificaſſe Chriſtum apparentem Paulo Act. 26. (Lorinus.) (Act. 26.) cùm ei dixit: *nunc ego mitto te ad gentes, aperire oculos eorum, vt conuertantur à tenebris ad lucem, & de poteſtate Satanæ ad Deum, vt accipiant remiſſionem peccatorum, & ſortem inter Sanctos, per fidem quæ eſt in me.*

43. Probatur 2. Ex Concilio Tridentino (Concilium Tridem.) ſeſſ. 6. cap. 6. vbi pro neceſſaria diſpoſitione ad iuſtificationem adulti, aſſignat fidem eorum, quę diuinitus reuelata & promiſſa ſunt: *Atque illud*, inquit, *inprimis à Deo iuſtificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* In quibus verbis notanda eſt particula *inprimis*, quæ neceſſitatem fidei redemptionis Chriſti denotat.

44. Tertiò. Ex Auguſtino lib. de natura (S. Auguſt.) & gratia cap. 1. 2. & 4. & de correptione & gratia cap. 7. expreſsè affirmante, ſine fide explicita Chriſti neminem iuſtificari, à qua non excuſat eos, qui abſque ipſorum culpa illam non audierunt: quos tamen iuſtè docet damnari: *quia ſine peccato*, inquit, *non ſunt, vel quod originaliter traxerunt, vel quod malis moribus addiderunt.* Et lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 7. ex facto Cornelij Act. 10. (Act. 10.) colligit, fidem explicitam Chriſti eſſe neceſſariam ad ſalutem: *Sed ſi poſſet*, inquit, *ſine fide Chriſti eſſe ſaluus, non ad eum ædificandum mitteretur Architectus Apoſtolus Petrus.* Et lib. 1. ad Simplicianum q. 2. ad initium objjciens ſibi illam difficultatem, quo modo poterant opera Cornelij eſſe accepta Deo, dictum eſt enim illi ab Angelo, antequam de fide Chriſti à Petro inſtrueretur, *orationes tuæ & Eleemoſinæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei.* Reſpondet diſtinguendo duplicem fidem; alteram, *quæ tanta eſt*, inquit, *quanta non ſufficit ad obtinendum Regnum Cœlorum:* qualem fuiſſe teſtatur fidem Cornelij, antequam à Petro inſtrueretur: alteram, *quæ tanta eſt, vt iam Corpori Chriſti & Sancto Dei templo deputentur.* Nec intelligi poteſt de fide implicita, aut de neceſſitate præcepti: ab hac enim neceſſitate excuſantur, qui inculpabiliter Chriſto non credunt. Fateor, Auguſtinum his locis eodem modo loqui de fide Chriſti iam nati reſpectu iuſtificationis noſtræ, ac de fide Chriſti naſcituri reſpectu iuſtificationis antiquorum. Verùm reſpectu illorum ratio ipſa nos cogit Auguſtinum explicare, vel de fide explicita reſpectu eorum, quibus facta erat reuelatio; vel de implicita reſpectu aliorum,

Digitized by Google

quibus facta non fuerat reuelatio. Quæ ratio non cogit eodem modo illum explicare de fide reſpectu noſtri, quibus hæc Myſteria ſufficienter promulgata ſunt: quippe qui in omnem terram exiuit ſonus Euangelicæ prædicationis. Quòd ſiqua gens eſt, ad quam ſonus hic non peruenit, non deerit Deo modus inſtruendi huiuſmodi homines de neceſſarijs ad ſalutem, ſi diuinæ gratiæ cooperari voluerint, & internis obſequi inſpirationibus, quibus Deus ſubinde pulſat corda omnium.

45. Ratio huius veritatis à priori deſumitur ex ordinatione diuina, fundamenta tum in natura beatitudinis, quæ conſiſtit in clara viſione Sanctiſſimæ Trinitatis: tum in ipſa dignitate Chriſti Redemptoris. Decebat enim, vt quoniam beandi eramus clara viſione glorioſiſſimæ Trinitatis, per eiuſdem fidem, & dilectionem iuſtificaremur. Et quia ad eandem reparamur per mortem & reſurrectionem Chriſti, decebat etiam, vt per fidem & dilectionem eiuſdem à peccatis mundaremur. Decebat autem, vt magis in lege Euangelica, quàm in ſcripta, vel naturæ, per fidem explicitam Trinitatis, & Incarnationis iuſtificaremur: tum quia hæc in lege Euangelica futura erat expreſſior: tum quia hæc ſupponit Myſterium Incarnationis peractum, ac facto ipſo promulgatum: tum quia etſi aliquis in veteri lege ſine explicita fide Chriſti iuſtificabatur, non tamen ſine illa beatitudinem conſequebatur, quippe qui de illa ſufficienter inſtruebatur à Patribus in Limbo: ſi autem poſſet nunc aliquis ſine explicita fide Chriſti, & Trinitatis iuſtificari, poſſet ſine fide explicita eorundem beari.

46. Confirmatur: nam in ſignum huius neceſſitatis voluit Chriſtus in Sacramēto Regenerationis, quod neceſſarium eſt neceſſitate ſalutis, pro eſſentiali forma apponere explicitum Myſterium Trinitatis; & licet poſſit Baptiſmus in voto ſuppleri, non tamen ſuppleri poteſt fides explicita Myſterij in eo expreſſi.

47. *Obijcies* 1. Ad iuſtificationem ſufficit dilectio Dei finis ſupernaturalis, ſed hæc haberi poteſt ſine explicita fide Chriſti, & Trinitatis. Secundò. Non repugnat aliquem cum ſolo auxilio interioris gratiæ ſeruare legem naturæ: ergo non repugnat aliquem ſine explicita fide Chriſti ſaluari. Antecedens conſtat. Conſequentia probatur, quia nemo damnari poteſt pœna ſenſus abſque peccato perſonali: ſed qui cum auxilio interioris gratiæ ſeruat legem naturæ, non committit peccatum perſonale: ergo.

48. Reſpondeo ad primum nego minorem ex vi præſentis decreti, ex vi cuius ſtatuit Deus nemini gratiam iuſtificationis conferre, niſi præcedat explicita fides Chriſti & Trinitatis.

49. Ad ſecundum conceſſo antecedente, nego conſequentiam, nam qui cum auxilio interioris gratiæ ſeruaret totam legem naturæ, ex fidelitate teneretur Deus illum inſtruere, vt S. Thomas docet in 3. diſt. 25. q. 2. art. 2. ad ſecundam quæſtionem, vel per internam illuminationem, vel per externam prædicationem: quo fit, vt qui ſine fide explicita Chriſti inuincibiliter ignorata damnatur, non damnetur ob defectum fidei, qui ei ob inuincibilem ignorantiam non imputatur; ſed ob alia peccata perſonalia commiſſa contra legem naturæ, quam ſi cum auxilio gratiæ, quæ nulli deeſt, ſeruaſſet, tandem à Deo de explicita fide Chriſti fuiſſet illuminatus. Non enim affirmamus, poſſe aliquem pœnitere, aut diligere Deum finem ſupernaturalem, & nihilominus ei gratiam iuſtificationis denegari ob defectum fidei explicitæ in Chriſtum; nam cùm promiſſum ſit peccatori, in quacunque hora ingemuerit, fore exaudiendum, non ſine temeritate diceretur ad contritionem non remitti peccatum, ſed potiùs aſſerimus, non conferri à Deo auxilia ad contritionem neceſſaria, niſi præcedat explicita fides Chriſti, quam Deus non denegat, qui voluerit ipſius gratiæ cooperari. *S. Thomas.*

50. Ex his Reſpondeo ad Sotum negando S. Thomam affirmare fidem implicitam Chriſti poſt ſufficientem promulgationem Euangelij ſufficere ad ſalutem. Cæterùm exiſtimo S. Thomam in ea fuiſſe ſententia, vt putaret Cornelium fuiſſe iuſtificatum antequam inſtrueretur à Petro, per fidem Chriſti explicitam quidem quoad ſubſtantiam Incarnationis, quia hæc ſatis erat nondum ſufficienter Euangelij veritate promulgata; non autem quoad tempus & reliquas circumſtantias, quę quia tunc obligare incipiebāt, miſſus eſt, vt de his inſtrueretur ad Petrum. Id autem colligo ex declaratione textus in 3. diſt. 25. quæ fuit etiam ſententia Magiſtri; cùm ergo ſecunda ſecundæ q. 10. art. 4. ad tertium & 3. p. q. 69. art. 4. ad ſecundum affirmat, Cornelium habuiſſe fidem implicitam Chriſti, intelligitur de fide implicita quoad circumſtantias, non quoad ſubſtantiam: quin etiamſi intelligeretur de fide implicita quoad ſubſtantiam Incarnationis, nihil contra nos, qui ſolùm volumus, fidem explicitam Chriſti cœpiſſe obligare populum gentilem, vt medium in re, poſt ſufficientem Euangelij promulgationem: tēmpore autem Cornelij nondum erat Euangelium populo gentili ſufficienter promulgatum, vt S. Thomas ſupponit locis præcitatis, præcipuè q. 10. art. 4. ad tertium. Auguſtinum verò in alia puto fuiſſe ſententia, nempe Cornelium non fuiſſe iuſtificatum ante inſtructionem Petri, ſed tantùm crediſſe fide implicita & imperfecta, non ſufficiente ad iuſtificationem, ſufficiente tamen ad aliquod meritum de congruo coram Deo: propter quod dictum eſt illi ab Angelo, *Orationes tuæ, & Eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei.*

Sotus. *S. Thomas.*

SECTIO IV.

An, & quæ ſint præcepta interioris fidei & quos, & quando obligent?

51. HActenus diſputatum eſt de fide, prout neceſſaria eſt neceſſitate medij ad ſalutem conſequendam: vlteriùs breuiter diſputandum eſt de eadem, prout ad eandem ſalutem neceſſaria eſt neceſſitate præcepti.

52. DICO 1. Interior actus fidei diuinæ eſt ſub præcepto. Eſt dogma fidei, traditurque ab Euangeliſta Ioanne in ſua prima Canonica cap. 3. *Et hoc eſt*, inquit, *mandatum eius, vt credamus in nomine filij eius Ieſu Chriſti*: & colligitur ex illo Matth. vlt. *qui non crediderit, condemnabitur*: quidquid autem neceſſarium eſt ad ſalutem, & pendet à libera voluntate noſtra, ſub præcepto ſeruandum eſt, cùm nihil poſſit eſſe magis ſub præcepto, quàm propria ſalus, & conſequenter ea, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt. Confirmatur, quia præcipimur diligere Deum vt finem ſupernaturalem: *diliges dominum Deum tuum* &c. Deuteronomij 6. Matth. 22. Marci 12. Lucæ 10. at Deum finem ſupernaturalem diligere non valemus ſine notitia fidei ſupernaturalis: ergo.

1. Ioannis 3. Matth. vlt. Deuter. 6. Matth. 22. Marci 12. Luca 10.

53. Ex dictis deducitur, hoc præceptum eſſe diuinum, non merè poſitiuum, ſed naturale, intra ipſum ordinem gratię. Primum patet, quia Eccleſia non habet poteſtatem in actus purè internos, qualis eſt interior actus fidei. Secundum probatur, nam poſito ſtatu gratiæ, & eleuationis creaturæ rationalis ad finem ſupernaturalem, connaturaliter debetur ei ſupernaturalis notitia per fidem de Deo authore ſupernaturali, deque rebus æternis: cùm nequeat creatura rationalis ſine huiuſmodi cognitione ſe in finem ſupernaturalem dirigere. Quod etiam conſtat à poſteriori, quia talis notitia per fidem fuit omni tempore neceſſaria, omnibuſque creaturis intellectricibus, etiam Angelicis, vt infrà conſtabit, neceſſaria.

54 *Obijcies* 1. Nemo poteſt iuſtè damnari, reſpuendo dona ſupra naturam ſibi ſponte oblata: nequit igitur homo iuſtè damnari, reſpuendo fidem, & reliqua dona, quæ ſunt ſupra ſuam naturam, ſibi à Deo ſponte oblata. Antecedens probatur: nam iniuſtum eſſet hoc præceptum: vel accipe hoc donum, quod tuam naturam excedit: aut damnaberis. Poteſt igitur homo manendo in ſuis naturalibus fidem ſponte ſibi oblatam reſpuere, nec per hoc damnari: ergo non tenetur ſub præcepto fidem diuinam acceptare.

55. Reſp. negando antecedens, quando id expediret bono communi. Vnde non ſolùm Deus conditor naturæ, præcipere poteſt ſub pœna mortis æternæ, vt per dona ſupernaturalia aſcendamus ſupra dignitatem noſtram, ſed etiam Princeps humanus, quando id expedire iudicaret bono communi.

56. *Obijcies* 2. Nullum præceptum obligat, niſi cognitum: ergo nequit præceptum fidei ſupernaturalis ad primum actum obligare. Conſequentia probatur, quia præceptum fidei eſt ſupernaturale: ergo nequit cognoſci, niſi notitia ſupernaturali, atque adeo fide diuina, quæ eſt prima notitia ſupernaturalis: igitur ante actum fidei ſupponitur fides. Confirmatur. Obligatio ſpectat ad virtutem obedientiæ: ſed obedientia teſt. S. Thoma ſecunda ſecundæ quęſt. 4. art. 7. ad tertium & q. 104. art. 3. ad ſecundum ſupponit fidem, *per quam nobis*, inquit, *diuinæ authoritatis ſublimitas innoteſcit, ex qua competit ei poteſtas præcipiendi*: ergo nequit fides ſub præceptum cadere. S.Thom.

57. Reſpondeo negando conſequentiam. Et ad probationem, nego præceptum fidei præcognoſci ipſa notitia ſupernaturali fidei, ſed alia à fide diſtincta: Præcognoſcitur enim notitia ſupernaturali præcedente imperium ſupernaturale fidei. Proinde negandum eſt, aſſenſum fidei eſſe primam notitiam ſupernaturalem, quam Deus infundit viatori: nam ante illam neceſſariò præcedit notitia ſupernaturalis obiecti credibilis authoritate diuina; nec non practicum iudicium de illo credendo propter eandem authoritatem diuinam vt ex diſp. 10. conſtat. Dicitur autem communiter fides eſſe primum donum ſupernaturale, quia cum fide intelligitur etiam ſupernaturale iudicium de obiecto credendo.

58. Ad confirmationem, diſtinguenda eſt duplex obligatio, vna generalis incluſa in omni virtute; altera ſpecialis propria virtutis obedientiæ. Prior includitur in ipſa virtute fidei, quæ dum obligat ad ſui obſeruantiam ex pręcepto Dei, obligat ex motiuo obedientię generalis materialiter incluſo in ipſo motiuo formali fidei. Poſterior ſupponit fidem, per quam nobis manifeſtatur, quòd Deus ſit ſuperior & legiſlator noſter. Legatur S. Thomas q. 4. præcitata. S.Thom.

59. *Obijcies* 3. Omnis notitia fidei per ſe ordinatur ad actus virtutum moralium: ergo per ſe & ratione ſui non obligat, ſed ratione aliarum virtutum, ad quarum actus exercendos neceſſaria eſt. Antecedens probatur, quia fides proponit nobis obiecta virtutum, circa quæ exercendi ſunt actus.

60. Reſpondeo negando, notitiam fidei ita ordinari ad actus aliarum virtutum, vt per ſe etiam non intendatur, ratione ſuæ proprię honeſtatis, ratione cuius datur nobis præceptum, iuxta illud Apoſtoli 2. ad Corint. 10. *In captiuitatem redigentes intellectum in obſequium Chriſti*. Etenim credere vt vera, quæ Deus reuelat, eſt per ſe honeſtum, independenter à quacunque alia honeſtate: proinde poteſt diſtincto pręcepto nobis iniungi. 2. Cor. 10.

61. DICO 2. Duplex eſt præceptum fidei; Alterum

Digitized by Google

Alterum negatiuum non diſcredendi; alterum affirmatiuum credendi rebus fidei ſufficienter propoſitis. Primum ſemper obligat; quia ſemper prohibitum eſt, tanquam per ſe malum, diſcredere rebus fidei. Sub eodem præcepto tenemur à nobis repellere omnem dubitationem contra fidem: cùm non ſolum de fide ſit, obiectum reuelatum non eſſe falſum, ſed nec dubium: proinde nunquam licet nobis de illo dubitare: vnde, ex Stephano Papa cap. 1. *Extra* de hæreticis habetur, quòd dubius in fide, ſit infidelis: quod intelligitur deliberatè.

Stephanus Papa.

62. Secundum præceptum affirmatiuum ſolùm obligat tempore debito. Eſt autem hoc per ſe duplex; alterum, cùm primò res fidei ſufficienter proponuntur: quo tempore obligat ratione ipſius fidei honeſtatis: alterum, quando currit præceptum, cuius obſeruantia prærequirit actum fidei, cuiuſmodi ſunt præcepta charitatis, contritionis, & attritionis: ſunt enim hi ſupernaturales actus voluntatis, qui neceſſariò ſupponunt ſupernaturalem notitiam obiecti, quæ iuxta legem à Deo præſcriptam haberi non poteſt, niſi per fidem. Hoc autem præceptum non tam obligat ratione ipſius fidei, quàm ratione earum virtutum, ad quarum actus exercendos neceſſaria eſt fides. Cæterùm poteſt præceptum fidei per accidens obligare, quando fides periclitatur, vel in propria perſona per vehementem tentationem contra illam, quæ vinci non poſſit, niſi per actum fidei; vel in alijs, ſiue fidelibus, qui à rebus fidei facilè ſe ſubtraherent; ſiue infidelibus, apud quos debita fidei æſtimatio deperderetur: tunc enim obligat exterior confeſſio fidei, etiam cum periculo vitæ, quia bonum ſpirituale proximi præferendum eſt bono proprio temporalis vitæ. Sed de externa confeſſione fidei diſp. ſequenti.

63. Dico 3. Pro omni ſtatu fuit aliquod præceptum fidei ſupernaturalis, obligans homines ad credendum: tum quia in omni ſtatu explicita fides Dei iuſtificatoris & Remuneratoris ſupernaturalis fuit neceſſarium medium ad ſalutem: quidquid autem neceſſarium eſt neceſſitate medij, & in noſtra reſidet poteſtate, eſt neceſſarium neceſſitate præcepti: tum quia in omni ſtatu fuerunt neceſſaria media ad inſtituendam aliquam rationem vitæ proportionatam fini, ad quem ſumus diuinitùs ordinati: cùm enim finis, ad quē ordinamur ſit ſupernaturalis, aſſequendus per propria merita tali fini commenſurata, aſſignanda erunt aliqua præcepta ſupernaturalia, ex quorum obſeruantia homines faciliùs poſſent talem finem conſequi: hæc autem præcepta neceſſariò ſupponunt notitiam fidei, qua credantur eſſe à Deo ſupernaturali gubernatore ac legiſlatore lata.

64. Dices. Ante legem ſcriptam nullum erat præceptum. Reſp. nullum fuiſſe præceptum ſcriptum, concedo; nullum traditum, nego. Exiſtimandum enim eſt, fuiſſe aliqua præcepta accommodata illi ſtatui, quæ ex peculiari reuelatione Dei alicui facta per traditionem communicabantur credenda poſteris; probabile autem eſt; hæc præter illa duo, Deum eſſe iuſtificatorem, & glorificatorem hominum, fuiſſe decem illa Decalogi præcepta, quæ tametſi lumine naturæ cognoſci potuerint, tamen ad maiorem facilitatem, & certitudinem fide credebantur. Addunt aliqui, & non improbabiliter, præceptum de immortalitate animarum, & libertate humani arbitrij, nec non de peccato originis in poſteros transfuſo.

65. Dico 4. In lege Euangelica vltra hæc explicitè etiam credenda ſunt, quæ continētur in Symbolo. Eſt recepta ſententia Doctorum, quæ colligitur ex Concilijs ſtrictè præcipientibus ea à Paſtoribus, tanquam ad ſalutem neceſſaria populo proponi, & explicari. Ratio, quia in lege Euangelica aliqua explicitè credenda ſunt ex mādato Chriſti, Matth. vlt. *Docete omnes gētes, & qui non crediderit, condēnabitur*: atqui non poteſt certior regula aſſignari, quā quæ Apoſtoli ipſi, qui fuerunt huius præcepti promulgatores, per certos articulos in Symbolum diſtinxerunt. Legatur Catechiſmus Romanus in explicatione Symboli. Cæterùm non exiſtimant communiter Theologi, fideles ſub mortali obligari Symbolum memoria tenere, neque illum ita diſtinctè cognoſcere, vt ſciant ſingulorum articulorum rationē reddere, tametſi ad hoc teneantur Paſtores, quibus, ex officio Paſtorali, plenior ſcientia neceſſaria eſt; neque ad ſingulas veritates in eo contentas, ſub eodem præcepto teneri; ſunt enim aliquę circunſtantię, quæ ex leuitate materiæ non videntur ad mortale obligare.

Matth. vlt.

Catechiſm. Roman.

DISPVTATIO XIV.

De actu exteriori fidei.

SECTIO PRIMA.

An exterior confeſſio fidei pertineat ad fidem, & à qua virtute eliciatur?

1. RATIO dubitandi pro priori quæſtionis parte eſt, quoniam exterior confeſſio fidei fieri poteſt vel virtute Religionis, ſi fiat in cultum & obſequium Dei; vel charitatis, aut miſericordiæ, ſi fiat in vtilitatem & ſalutem proximi: ergo per ſe non pertinet ad fidem.

2. Nihilominus dicendum, exteriorem confeſſionem fidei pertinere ad fidem, tanquã actum manifeſtatiuum & declaratiuum interioris actus fidei. Sicut exterior explicatio & profeſſio ſcientiæ pertinet ad interiorem actum ſcientiæ, tanquam manifeſtatiua & declaratiua illius: quemadmodũ & omnis locutio externa pertinet ad internã, vt declaratio ipſius, cum qua facit vnũ in ratione humanæ locutionis, iuxta illud 2. Co- 1. Corinth. 10. rinth. 10. *Credimus, propter quod & loquimur.* Ratio deſumitur ex S. Th. 2. 2. q. 3. a. 1. quo- S.Thomas. niam *actus exteriores illius virtutis ſunt actus, ad cuius finem ſecundùm ſuam ſpeciem referuntur: ſicut*, inquit, *ieiunare ſecundùm ſuam ſpeciem refertur ad finem abſtinentiæ, qui eſt compeſcere carnem.* Cùm igitur confeſſio eorum, quæ ſunt fidei, ſecundùm ſuam ſpeciem ordinetur tanquam ad finem ad ipſam fidem, pertinebit ad fidem.

3. Ad rationem dubitandi negatur conſequentia: ex eo enim, quòd exterior confeſſio fidei imperari poſſit ab alia virtute, quàm fidei, non ſequitur, quòd per ſe non pertineat ad virtutem fidei: ſicut ex eo, quòd ieiunium imperari poſſit ab alia virtute, quàm à temperantia, non ſequitur, quòd per ſe non ſpectet ad virtutem temperantiæ: nam per accidẽs eſt, quòd poſſit eſſe materia alterius virtutis: cum quo ſtat, vt per ſe ſit materia ſolius fidei. Cæterùm notandum, confeſſionem fidei etiam ab alia virtute, quàm à virtute fidei imperatam, pertinere ad interiorẽ actum fidei, tãquam explicatiuum & declaratiuum ipſius. Ad duas quippe virtutes externa fidei confeſſio comparari poteſt, ad virtutem fidei exiſtentem in intellectu, & ad virtutem Religionis, exempli cauſa, exiſtentem in voluntate. Comparata ad vritutem fidei, cuius eſt manifeſtatiua, per ſe pertinet ad illam, tanquam actus exterior conſtituens vnum actum humanum completum cum actu interiori: comparata verò ad virtutem Religionis, à qua imperatur, extrinſecè tantùm & per accidens pertinet ad illam.

4. Ratio dubitãdi pro poſteriori quæſtionis parte eſt: quoniã exterior confeſſio fidei, nec phyſicè, nec moraliter elicitur ab interno habitu fidei, ſed à potẽtia locutiua externa, explicatiua & ſignificatiua tantùm fidei interioris: Igitur ea dici non poteſt elici à fide interna. Antecedens conſtat, quoniam habitus fidei internæ nec influit in actũ fidei externæ, cùm nequeat habitus influere, niſi in actum potentiæ, in qua eſt: nec illi confert aliquam bonitatẽ moralem, cùm nullam habeat in ſe, ſed illã mutuetur à volũtate, cuius tantùm eſt moralem bonitatẽ communicare actibus reliquarũ potentiarũ. Conſequentia verò probatur: quoniã actum elici ab aliqua virtute, eſt ab illa phyſicè, vel ſaltem moraliter produci.

5. Dicendum tamen eſt, actum exteriorem fidei elici à virtute fidei: ita S. Th. 2. 2. q. 3. a. 1. S,Thom. ad 3. affirmans, fidem interiorẽ mediante dilectione cauſare omnes exteriores actus virtutũ, mediãtibus alijs virtutibus, imperãdo, non eliciendo: confeſſionẽ autem externam producere tanquã ſuum propriũ actũ, nulla alia virtute mediante. Quibus verbis diſcrimen aſſignat inter fidem relatã ad externos actus aliarum virtutum, & ad ipſam externã confeſſionem; & ſimul huius diſcriminis rationẽ indicat. Diſcrimẽ eſt, quoniã actus externos aliarum virtutũ fides non cauſat eliciendo, ſed imperando, mediantibus virtutibus, quarũ ſunt proprij actus, à quibus tãtùm eliciuntur: externam verò confeſſionẽ cauſat ipſamet interna virtus fidei, non imperando, ſed eliciendo. Ratio verò diſcriminis eſt: quoniã, vt actus virtutis dicatur elici, & non imperari ab aliqua virtute, neceſſe non eſt, vt ab ea phyſicè, vel moraliter producatur, ſed ſufficit, vt ſit propria materia ipſius, ad eius finẽ per ſe ordinata. Sicut oratio eſt actus intellectus, cùm tamen dicatur elici à virtute Religionis exiſtẽtis in voluntate. Cùm igitur externa confeſſio ſit propria materia fidei, ad eius finem per ſe ordinata, vt explicatiua & declaratiua ipſius, etiamſi phyſicè, ac moraliter eliciatur ab alia potentia, quia tamen non elicitur media alia vir-

tute

tute à fide diſtincta, dicitur elici, & non imperati à fide. Nam ij tantùm actus imperari dicũtur, qui eliciuntur media virtute diſtincta ab imperãte, non autẽ qui eliciuntur media tantùm potentia diuerſa. Cùm igitur inter externam confeſſionem, & habitũ fidei, non mediet diſtincta virtus, ſed tantùm diſtincta potentia, non dicitur ab illa imperari, ſed elici. Ratio huius à priori eſt, quia externæ potentiæ ſubordinantur interioribus potẽtijs, & virtutibus in ordine ad eos actus, qui per ſe referuntur ad fines interiorũ potentiarum & virtutũ. Vnde ſicut actus externus non cenſetur eſſe quid diuerſum in ratione moris ab actu interno, ad cuius finem per ſe refertur: ita nec potẽtia externa cenſetur diuerſa ab interna, cui per ſe ſubordinatur in ordine ad actus proprios tali potentiæ.

6. Ad rationẽ dubitandi, neganda eſt conſequẽtia. Etenim vt actus dicatur elici ab aliqua virtute, ſufficit, vt ſit illi ſubordinatus, connexionemq. cum ea habeat tanquã materia perſe ad eius finẽ ordinata. Cæterũ externa confeſſio fidei comparari poteſt vel cum habitu morali credulitatis exiſtentis in voluntate, qui præſupponitur ad actum internum fidei, tanquam principium morale, à quo non ſolùm externa confeſſio, ſed ipſe interior actus fidei accipit ſuam moralem bonitatem, cum hoc tamẽ diſcrimine, quòd hic immediatè, illa mediante ipſo interno actu fidei moralẽ bonitatẽ ſortitur: proinde exterior confeſſio fidei proprie dici poteſt à tali habitu credulitatis elici, cùm ab illo producatur ſecundũ eſſe morale. Vel comparari poteſt cum ipſo habitu ſpeculatiuo fidei: & ab hoc licet nullam accipiat perfectionem, neq; phyſicam, neq; moralem, quia tamẽ per ſe ordinatur ad finem illius, eiq; vt propria materia ſubordinatur, dicitur ab illo elici.

7. Dices. Ex his ſequitur, interiorẽ actum fidei elici, non imperari à virtute credulitatis exiſtẽtis in voluntate, quia ab illa accipit moralem bonitem: quemadmodũ quia oratio moralem bonitatẽ accipit à virtute Religionis, non dicitur ab illa imperari, ſed elici. Conſequens eſt contra ea, quæ de actu interiori fidei ſuprà diſputata ſunt.

8. Reſp. negando ſequelam. Etenim licet interior fides quoadmoralem bonitatẽ pendeat à virtute credulitatis, quoad propriam tamen perfectionem, quæ eſt veritas ſpeculatiua, quam habet per infallibilem conformitatem cum obiecto reuelato, non pendet à virtute credulitatis, ſed à proprio habitu fidei; proinde quoad hanc perfectionem dici non poteſt elici à virtute credulitatis, ſed à proprio habitu, qui mediat inter actum fidei, & virtutem credulitatis. Nec eſt eadem ratio de oratione, quia hæc, præter moralem bonitatem ordinatam ad cultum Dei, nullam habet perfectionem ſpectantem ad aliquam virtutem diſtinctam.

SECTIO II.

An, & quando externa confeſſio fidei ſit ad ſalutem neceſſaria?

9. Dvplex conſiderari poteſt externæ confeſſionis neceſſitas; altera negatiua non negandi fidem; Altera affirmatiua fidem ore profitendi. Prior neceſſitas, cùm fundetur in præcepto, ſemper obligat: nec licitum eſt pro quocunque malo vitando, vel bono conſequendo, fidem externo ſigno, etiamſi corde retineatur, vnquam negare. Contra quam veritatem ſenſerunt olim, referentibus Euſebio lib. 6. Hiſtoriæ cap. 28. *Euſebio* & Alphonſo de Caſtro lib. 10 aduerſus hæreſes verbo *Martirium*, Hæreſi 1. Elceſaitæ, *Alphonſus de Caſtro.* qui aſſerebant, licitum eſſe homini ad euitanda tormenta fidem verbis negare, modò illa corde retineatur. Quam hæreſim apertè damnauit Chriſtus illis verbis Matth. 10. *Matth. 10.* *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*: & confirmat Paulus 2. ad Tim. 2. *ſi negauerimus*, inquit, *eum, & ille negabit nos*: & euidenter probat tum *2. Ad Tim. 2.* factum Petri, & Macellini Pontificis, quorum vterque nonniſi externo ſigno & verbo fidem negauit: cùm tamen & illi tanquam grande peccatum, quod amaris lacrymis expiauit, Chriſtus obiecerit: *ter me negabis* Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. Ioannis 13. & *Matth. 26.* hic publica confeſſione coram Concilio *Marci 14.* Sinueſſano 300. Epiſcoporum ſuum peccatum *Luca 22.* publicè faſſus eſt: Tum communis ſen- *Ioan. 13.* ſus totius Eccleſiæ. Vnde idem Concilium, *Baronius.* tametſi, vt refert Baronius anno Chriſti 302. eiuſdem verò Marcellini Pontificis 7. & habetur in eius vita to. 1. Concil. p. 1. pag. 183. auſum non ſit in Marcellini peccatum ſententiam ferre, eo quòd prima ſedes à nemine iudicatur: ipſum tamẽ à peccato, quod proprio ore faſſus eſt, non excuſauit, ſed de illo à ſe ipſo, tanquam à proprio iudice, vtpote alium ſuperiorem iu terris non habente, pœnas ſumendas eſſe iudicauit his verbis: *Tu reus, tu iudex, noli à nobis iudicari: ex ore tuo iuſtificaberis: ex ore tuo condemnaberis.* Eandem doctrinam tradunt Patres: ſed vnus ſufficiat Anſelmus, qui explicans illa verba *Anſelmus.* ad Romanos 10. *corde creditur ad iuſtitiam*, *Rom. 10.* *ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, ſic ſcribit: *Parum eſt ergo in corde habere Chriſtum, & nolle confiteri, dum timetur opprobriũ. Qui enim ſalutem cupit habere, debet fidem ſuam ore proferre, quia ore confeſſio fit ad ſalutem. Aliòquin credulitas cordis non dat ſalutem, quamuis corde credatur ad iuſtitiam.*

10. Poſterior neceſſitas, quia fundatur in præcepto affirmatiuò, non ſemper obligat, ſed certo tempore, quod præcipuè hic inquirimus. Nam quod aliquando obligemur ad

externam confeſſionem fidei, dubitari inter Catholicos nec poteſt, nec debet: quod apertè inſinuat Chriſtus citato loco Matth. 10. [Matth. 10.] *Omnis qui confitebitur me corã hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo:* qui nõ tantũ verbis præcedente numero citatis declarat præceptum negatiuum de non neganda fide, ſed etiam hiſce verbis indicat affirmatiuum de fide confitenda. Idque apertiùs docet Lucæ 9. [Lucæ 9.] *qui me* inquit *erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet.* Nam quid eſt, Chriſtũ eiuſq; ſermones erubeſcere, quàm Chriſtum eiuſq; doctrinã nõ confiteri, coram quibus, & quando oportet? vnde Remigius in priorem locum Matthæi citatum ſic ait: *ne ergo aliqui putaret, ſe abſq; oris confeſſione poſſe ſaluari, non ſolũ ait:* qui me confeſſus fuerit: *ſed addit:* coram hominibus. *Et iterum addit:* qui autem negauerit me corã hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo. Quibus non modò ſignificat præceptum negatiuum de nõ negando Chriſto. ſed etiam affirmatiuum de eodem confitendo coram hominibus, quando oportet. Id ipſum confirmant citata Verba Apoſtoli ad Roman. 10. [Rom. 10.] *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem:* quia nimirum vtrumque ad ſalutem eſt neceſſarium, & corde Chriſto credere, & ore illum confiteri. Hoc poſito,

11. Difficultas ſupereſt, quando neceſſaria eſt oris cõfeſſio ad ſalutem. Varij varios aſſignant caſus, in quibus homo tenetur externo ſigno fidem profiteri. [S. Thomas.] S. Thomas 2.2. q.3. art.2. ad duos duntaxat reducit. Primò, quando ex omiſſione externæ confeſſionis fidei debitus honor ſubtraheretur Deo. Secundò, quãdo vtilitas proximo debita omitteretur. Fundamentum eſt, quia omnia præcepta ad Dei, & proximi charitatem tanquã ad finem diriguntur, iuxta illud dictũ Chriſti, Matth. 22. [Matth. 22.] *In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet & Prophetæ.*

12. Verùm huic ſententiæ duplex obſtat ratio. Prima, quoniam in ea non declaratur, quando ex omiſſione externæ confeſſionis fidei debitus honor Deo, & proximi vtilitas ſubtrahitur: quia cum non ſemper ſub præcepto teneamur, vel Deo honorem, vel proximo vtilitatem impendere, declarandum ſupereſt, quando hæc ipſa impendere ſub præcepto teneamur. Secunda, quoniam in hac ſententia non videtur aſſignari præceptum cõfitendi fidem fundatum in ipſa virtute fidei, ſed tantùm in virtute charitatis Dei & proximi: hic autem indagamus neceſſitatem profitendi fidem ortam ex ipſo præcepto fidei. His tamen non obſtantibus,

13. [S. Thomas.] Dicendum eſt, veram eſſe S. Thomæ ſententiam: quæ intelligenda eſt, quando ex omiſſione externæ confeſſionis fidei doctrina Chriſti periclitatur apud homines, vt vel eam, nõ æſtiment, nec tanquam veram, & à Deo reuelatam exiſtiment. Nam tunc ipſum præceptum fidei, quo tenemur illam vt veram, iuſtam, Sanctã, & ab ipſo Deo reuelatam tueri, nos obligat ad eam vt talem coram hominibus, apud quos illa de veritate, iuſtitia, Sanctitate, & reuelatione Dei periclitatur, etiam cũ manifeſto periculo mortis conſtanter confitendam. Eodem modo, quando ex noſtra confeſſione alij vel eſſent certò fidem amplexuri, vel in ea perſeueraturi, alias non amplexuri, nec perſeueraturi, ex præcepto affirmatiuo fidei tenemur, illã coram talibus hominibus profiteri, eamque ijs explicare, varijſq; argumentis & rationibus perſuadere. Etenim fides non ſolũ nos obligat ad eam amplectendam & conſeruãdam, ſed etiam ad alios inducendos, vt eam amplectantur, & in ſe ipſis conſeruent.

14. Ex his infertur 1. teneri Chriſtianũ de fide à Tyranno interrogatum, eam conſtanter confiteri: nec licitè poſſe eo tempore vel tacere niſi fortè taciturnitas potiùs vergeret in Tyranni contemptum, quàm in fidei præiudicium; vel ea verborum ambiguitate vti, qua moraliter cenſeretur fidem negare. Ratio, quia tunc maximè fidei veritas periclitatur. Nec refert, quòd Tyrannus Chriſtianum nõ iuridicè de fide interroget, ad hoc vt interrogatus vti poſſit verborum ambiguitate, vt putat Coninck diſp. 15. dub. 5. concl. 6. [Coninck.] Nam hoc præceptum confitendi fidem coram Tyranno non oritur ex debito veritatis, qua quis tenetur reſpondere iuxta mentem interrogantis, ſed ex debito tuendi Chriſti honorem & doctrinã, quæ ex omiſſione talis confeſſionis grauiter læderetur. Dixi, *qua moraliter cenſeretur fidem negare:* [Ioan. 18.] ſecus ſi moraliter non cenſeretur fidem negare, ſed potiùs Tyrannum arguere de vſurpata authoritate interrogandi de rebus, quæ ad ipſum non ſpectant. Velut ſi reſponderet: *quid tua intereſt? cur me de his rebus interrogas, de quibus authoritatem non habes?* vti fecit Chriſtus interrogatus ab Anna de doctrina, quam docuerat, Ioannis 18. *Quid me* inquit *interrogas? interroga eos, qui audierũt, quid locutus ſum ipſis.* Præterea non tenetur Chriſtianus ſeipſũ prodere, ſi interrogatio fiat in cõmuni hoc modo: *Si quis eſt Chriſtianus manifeſtet ſe,* vt rectè cum Tabiena notauit Suarez diſp. 14. ſect. 3. num. 6. [Tabiena. Suarez.]

15. Infertur 2. Hoc præceptum ſemper Chriſtianum obligare, ſiue à perſona publica, & publicè, ſiue à perſona priuata, & priuatim interrogetur, modò conſtet, interrogationem fieri in odium fidei; ſecus ſi fiat in odium vel perſonæ, quæ interrogatur, vel nationis, vel alterius rei ad fidem non pertinentis. Prior pars eſt contra Bannez 2.2. q.3 art.2 dub. 1. concl. 3. [Bannez. Sanchez. Valentia.] Sanchez de præceptis li. 2 ca. 4. n. 6. Valentiam diſp. 1 q. 3 punct. 2. dub. 3. & alios docentes, ſi quis non publica, ſed priuata authoritate interrogatur de ſua religione, non peccare mortaliter tacendo, quia ex tali taciturnitate non ſequeretur ſubtractio diuini honoris, vel aliqua vtilitas debita proximo. Nobiſcum tamen probabilius docent Suarez citata diſp. 14 ſect. 3 [Suarez.] Turrianus 2.2 diſp. 35. dub. 3 & alij: eo quod [Turrianus.]

ſemper

ſemper grauis iniuria irrogatur Deo, cum ipſius doctrina vel ab vno apprehendatur vt falſa & iniuſta, vel non reuelata à Deo ob ſilentium & taciturnitatem interrogati. Nec refert, quòd interrogans ſit perſona priuatæ authoritatis, quoniã vt ſuprà dictũ eſt, hoc præceptum non fundatur in poteſtate interrogantis, & debito interrogati, quod legitimam authoritatem requirit in interrogante, & ſubiectionem in reſpondente; ſed in debito conſeruandi honorem Dei, ne lædatur, ipſius doctrinam tacendo.

16. Poſterior illationis pars probatur: quia ſi interrogatio non fiat in odium fidei, taciturnitas non vergit in contemptũ ipſius fidei, ſed illius rei, in cuius odium interrogatio fit. Et quia ad huiuſmodi interrogationes non tenemur reſpondere, niſi legitimè interrogati, poſſemus abſq; peccato, vel tacere, vel ambigua reſponſione vti. Vnde qui taceret, ſe eſſe Chriſtianum, dum de hoc nomine non interrogaretur in odium fidei, ſed in odium nationis, vt ſi apud Turcas, quibus exoſa eſt Hiſpania, omnes Hiſpani appellarentur Chriſtiani, non peccaret quis tacendo, vel æquiuocatione vtẽdo. Pari ratione ſi fieret bellum inter Chriſtianos & Gentiles, vel hęreticos, non cauſa Religionis, ſed boni politici ad ciuilem ſtatum pertinentis, non teneretur miles Chriſtianus ab hoſte interrogatus externa confeſſione ſe prodere. Lege Sylnium 2. 2. q. 3. art. 2. *Sylnius.*

17. Infertur 3. Peccare contra hoc præceptum, qui vel vnũ articulũ fidei negaret, aut taceret de illo interrogatus, eſto reliquos omnes confiteretur. Conſtat exemplo Petri, qui ſolùm negauit ſe eſſe diſcipulũ Chriſti, & tamẽ dicitur contra hoc præceptũ negaſſe fidem. Ratio eſt, quia cùm omnes & ſinguli fidei articuli ſint à Deo reuelati, vel vnum tantùm negare, aut illũ non confiteri, quando oportet, eſt illum tanquã verum & iuſtũ negare, aut certè illum à Deo reuelatũ fuiſſe, quod grauem iniuriam infert Deo.

18. Infertur 4. Non peccare contra hoc præceptum, qui negat, vel non manifeſtat ſe ſecundùm aliquid, ſine quo poteſt eſſe Chriſtianus. Quare non peccat contra hoc præceptum Sacerdos, vel Religioſus, exempli cauſa S. Franciſci, qui interrogatus, negat ſe eſſe Sacerdotẽ, vel Religioſum S. Franciſci: quia poteſt quis eſſe perfectus Chriſtianus, eſto non ſit Sacerdos, vel Religioſus S. Frãciſci. Ratio huius eſt, quia ille tãtùm peccat, contra præceptum fidei, qui negat aliquid, quod eſt reuelatum à Deo, ac proinde quod tenẽtur omnes Chriſtiani profiteri. Non eſt autem reuelatũ à Deo, quòd debeant omnes Chriſtiani profiteri, quòd ego ſim Sacerdos, vel S. Franciſci Religioſus. Peccaret autem contra fidei præceptũ, ſi quis negaret, Sacerdotium eſſe inſtitutum à Chriſto, vel Religionẽ à Pontifice approbatam, non eſſe bonam: ſimiliter qui apud hæreticos, vel ſchiſmaticos negaret, ſe eſſe Papiſtam ſeu Papæ in ſpiritualibus ſubiectum: nam hoc eſt reuelatum à Deo, & tenẽtur omnes Chriſtiani credere, & profiteri, quando vrget præceptum externæ confeſſionis fidei.

19. Infertur 5. Teneri hoc præcepto, cùm primũ quis Chriſtianã fidem amplectitur, externo ſigno illam profiteri: nam ſi quãdo illa obligat, maximè hoc tẽpore. An autẽ teneatur puer baptizatus, cùm ad vſum rationis peruenit, peculiari ſigno externo illã profiteri; affirmat Suarez de fide, ſpe & Charitate diſp. 15. ſect. 5. n. 6. Sed diſtinguendũ puto: nam ſi intelligatur, quòd teneatur peculiari ſigno diſtincto ab omnibus iis, quibus Chriſtiani ſolent in virtute aliorũ præceptorum fidẽ profiteri, falſum eſt, cùm nullũ extet de tali peculiari ſigno diſtincto præceptum: & alioqui ſufficit, ſi illã profiteatur aliquo externo ſigno, quod exercere tenetur virtute alterius præcepti. Satisfacit huic præcepto ſeruando præceptum annuæ communionis, & pœnitentiæ, in quorum præceptorum obſeruantia virtualiter includitur externa confeſſio fidei. *Suarez.*

20. Infertur 6. Nos teneri externo actu fidẽ profiteri ad oſtendendũ illam veram eſſe, ſanctam & iuſtam, & à Deo reuelatam, quoties eam aliquis coram nobis irridet & blaſphemat, etiamſi nulla ſperetur in blaſphemãte correctio & emendatio. nã hoc poſtulat ſanctitas, & maieſtas fidei diuinæ, cuius irriſione & blaſphemia grauiter læditur honor Chriſti.

21. Infertur 7. Obligare hoc præceptum per accidens, quoties obligat aliqua virtus, cuius obſeruantia requirit actum iam internum, quàm externum fidei: cuiuſmodi ſunt omnia præcepta de ſacramentis ſuſcipiendis, quorum digna ſuſceptio neceſſariò requirit internum, & externum actum fidei.

22. Duo hic ſuperſunt dubia. Primum, an aliquando Martyrium cadat ſub præceptũ. Reſp. directè illud nunquã ſub pręceptum cadere. quia nunquã tenetur homo vltro ſe ipſum Martyrio exponere illudq; quærere: cadere tamen ſub præceptum indirectè, mediante præcepto externæ Confeſſionis fidei, quam interdum tenemur confiteri, etiam cum mortis tolerantia.

23. Secundum eſt, an licitè poſſit Chriſtianus à Tyranno captus fugere. ne adigatur fidem publicè confiteri, ac propter eam mortem ſubire. Reſpond. Poſſe, ſi fuga non ſit à Tyranno poſita, in ſignũ defectionis à fide. Primũ conſtat ex doctrina Chriſti Matth. 10. qui mittens diſcipulos ad Euangelizandum: *Cùm autem*, inquit, *perſequentur vos in Ciuitate iſta, fugite in aliam*. Quod exemplo confirmarũt Apoſtoli Petrus & Paulus: quorum ille, vt narrat Baronius anno 25. Petri, & 69. Chriſti, dum feralem ſẽtẽtiam mortis à Tyranno expectaret, à fidelibus perſuaſus fugit è carcere: qui poſtea cognito reſponſo Chriſti, qui ei in fuga apparens dixit: *venio iterum crucifigi*: quod dictum de ſua cruce intelligens ad Carcerẽ rediit. Hinc à Præpoſito Regis Aretæ Damaſci cape- *Matth. 10.* *Baronius.*

retur, *per feneſtram in ſporta dimiſſus eſt per murum*, vt ipſemet fatetur 2. ad Corint. 11. in fine, & narratur act. 9. quorum exemplum ſecuti ſunt alij, quando iudicabãt ſuã vitam vtilem eſſe proximo. Quæ fuga interdũ cadere poteſt ſub præceptũ charitatis, qua tenemur propter ſpiritualem proximi ſalutem nos ipſos in vita conſeruare, & ab imminenti morte eripere: multoque magi ad id tenemur propter ſpiritualem ſalutem noſtram, quando dubij eſſemus, propter noſtri animi imbecillitatem de victoria Tyranni. Si quis verò in tali euentu dubius eſſet, an magis expediret ſuę, vel proximi ſaluti, fugere, an cũ Tyranno certamẽ inire, ſtare deberet conſilio ſui ſuperioris, vel alterius prudentis viri: vel certè ſi nullum haberet, quem conſulere poſſet, deberet ſe Deo commẽdare, & quod magis ſibi videretur vel ad Dei gloriam & honorẽ, vel ad proximi ſalutẽ conducibile, eligere: vti aliqui Patres è noſtra Societate ſanctè ac Religiosè in Iaponia ſeruarũt, vbi tot annis atrociſſima viget contra Chriſtianos perſecutio.

24. Secundũ probatur, quia quando fuga ponitur à Tyrãno in ſignũ defectionis fidei, tunc fugere, moraliter eſſet fidem negare: vt communiter iudicatus eſt fidem negaſſe ille, qui è numero quadraginta Martyrum, qui ad ipſorum conſtantiam in fide probandam expoſiti fuerant frigori necandi, in tepidum balneum reſilijt. Eodem modo cenſeretur moraliter fidem negare, qui in Iaponia ad fidei veritatẽ experiendã, prope ignẽ vinculis ſolutus poſitus, ab igne fugeret. Pari modo ſi quiſpiam propter eandẽ fidẽ in carcere poſitus, vel fame interimendus, è carcere fugeret, aut cibum ſumeret. Cæterũ notandũ, vt talis fuga ſit moralis fidei defectio, debet fugienti certo conſtare de Tyranni præſcripto in odium fidei facto, ad illius veritatem probandã: alioqui fidelis vti poſſet iure ſuo.

25. Ad priorem rationem dubitandi initio poſitam patet ex dictis. Etenim tunc cenſetur ex negatione confeſſionis fidei debitus Deo honor ſubtrahi, quãdo ex tali negatione ipſius doctrina aut falſa & iniuſta cenſetur apud homines, vel ab ipſo Deo non atteſtata: quod accidit, quoties Chriſtianus ad tormenta vitanda illam non confitetur.

26. Ad poſteriorem verò, eſto externa confeſſio fidei finaliter ordinetur ad Dei & proximi charitatem, vti ordinantur actus reliquarum virtutum, proximè tamen illa ſpectat ad virtutem fidei, quam ex præcepto diuino tenemur coram hominibus, etiam cum diſpendio propriæ vitæ, tueri: cùm maius bonum ſit ipſius apud homines æſtimatio, quàm hominum vita.

SECTIO III.

Qua neceſſitate neceſſaria ſit externa fidei confeſſio?

27. Dvplex eſt neceſſitas, vt ex diſputatis tũ hic de interiori actu fidei, tum ex 7. tomo de Sacramentis in genere conſtat: altera medij: præcepti altera. Medij duplex eſt, altera rei, quæ per ſe ordinatur ad primam gratiam, quæ eſt neceſſarium medium ad ſalutis conſecutionem, conferẽdam, vt Baptiſmus, & pœnitentia ſacramentum. Altera rei, ſine qua in re ipſa poſita ſalus non habetur, ſiue ſit proxima, ſiue remota diſpoſitio ad gratiam. Neceſſitas præcepti eſt eius rei, ſine qua in re ipſa poſita poteſt haberi ſalus: nec vt præceptum eſt, ordinatur ad primam gratiam conferendam. Dixi, *vt præceptum eſt*: nam aliunde poterit primam gratiam conferre. Vt contritio, & dilectio Dei ſuper omnia, non quà præcepta ſunt, ſed quà tales actus ex diuina voluntate ordinati vt proximæ diſpoſitiones ad primam gratiam, quam cauſarent, etiamſi præcepta non eſſent. In hac igitur ſectione quęrimus, qua neceſſitate ſit externa confeſſio fidei. In qua re

28. Certum eſt, eam non eſſe neceſſariam vt medium per ſe ordinatũ ad primam gratiam conferendam, vti ordinãtur Baptiſmus & pœnitentia ſacramentalis, vel contritio & amor Dei ſuper omnia. Ratio eſt, quia externa confeſſio fidei per ſe tantùm ſpectata hominem à peccatis non iuſtificat, cùm non ſit illi talis promiſſio à Deo facta, vti facta eſt ſuprà dictis medijs. Cùm enim ſit tantùm manifeſtatio interioris fidei, ad conferendã primam gratiam non plus virtutis habet, quàm habeat ipſe interior actus fidei. Hic autem nec eſt proxima, ſed remota duntaxat diſpoſitio ad primam gratiam: nec etiam illam confert per modum ſacramenti ex opere operato meritorum Chriſti, ſicut illam conferunt Baptiſmus, & Pœnitentiæ ſacramentum. Dixi, *per ſe tantùm ſpectata*: quia coniuncta vel cum actu charitatis erga Deũ, vel cum Martyrio primam gratiam confert. Sola igitur difficultas ſupereſt, an ſit tantũ neceſſaria neceſſitate præcepti, an etiam medij ſaltem remoti, ad ſalutem, ſine qua ſalus ipſa non haberetur.

29. Alicui videri fortaſſe poterit, illam eſſe neceſſariam neceſſitate medij, & non tantùm præcepti. Nam vel homo adultus accedit ad Religionem Chriſtianam, ſine qua nemo ſaluari poteſt: & ſic tenetur externo ſigno illam amplecti ac profiteri: vel accedit paruulus per Baptiſmum & profeſſionem Parentum: & hic ſaltem tenetur, cùm primũ rationis vſum attigerit, aliquo exteriori actu

ſuam

ſua n interiorem fidei, quam in Baptiſmo accepit. profiteri.

30. Dicendum tamen eſt, externam profeſſionem fidei eſſe tantùm neceſſariam in præparatione animi, & in voto, non autem re ipſa; proinde non eſſe neceſſariam neceſſitate medij, ne quidem remoti, ſed tantùm præcepti. Fundamẽtũ eſt, quia poſſet aliquis per interiores tantũ actus corã Deo iuſtificatus ſtatim mori, nequam vllam externam profeſſionem fidei faceret. Atqui talis damnari non poſſet: igitur externa profeſſio fidei non eſt neceſſaria neceſſitate medij in re, ſed tantùm in voto, ſicut reliqua præcepta. Maior patet. Minor probatur, quia nullus damnari poteſt, niſi ob aliquod peccatum: hic autem nullum haberet peccatum, quia ſupponeretur per interiores actus coram Deo iuſtificatus.

31. Nec dici poteſt, peccatum in huiuſmodi homine eſſe, quia teneretur vnà cum actu interiori fidei ſtatim exercere aliquem actum exteriorem, fidei interioris manifeſtatiuum: tum quia ſuppono, tali homini repentina morte correpto defuiſſe tempus ad exteriorem actum fidei exercendum; ſed totum occupatum fuiſſe in eliciendis actibus interioribus, Fidei, Spei, & Charitatis, cum voto tantùm exercendi exteriorem actum fidei: proinde non potuiſſe illũ peccare peccato omiſſionis: quia nemo tenetur ſtatim atq; elicit actũ interiorẽ fidei, exercere actũ exteriorẽ, præſertim ſi non præuideat ſe ſtatim moriturũ. Tũ quia externa confeſſio fidei eſt tantũ neceſſaria ad manifeſtandã internã noſtrã fidẽ alijs: atqui ſuppono, talem hominẽ nõ habuiſſe, cui interiorẽ ſuã fidem manifeſtaret, quia nimirũ mortuus eſt, vbi nullus mortalis erat præſens. Ergo externa profeſſio fidei non eſt neceſſaria neceſſitate medij in re ipſa, ſed tantũ in voto, & animi præparatione. Nã quæ neceſſaria ſũt neceſſitate medij in re, ſine ipſis in re habitis, non poteſt haberi ſalus, quia nõ poſſunt ſuppleri per votũ: ſicut nemo poteſt ſine interiori fidei in re ſaluari. Neque illa poteſt per votũ ſuppleri: cùm omne votum & deſiderium ſalutis ſupponat fidem, quia ſupponit ſupernaturalem notitiam ipſius ſalutis æternæ, & Dei ſupernaturalis remuneratoris.

32. Dices. Hinc ſequeretur neq; fidem interiorem eſſe neceſſariam neceſſitate medij in re homine adulto: quia dari poteſt caſus, in quo quis in gratia exiſtens moriatur, antequam vllum actum interioris fidei eliciat. Vt ſi puer baptizatus perueniat ad vſum rationis: & quia non ſtatim tenetur elicere actum interiorem fidei, niſi intra aliquod tempus prudenti iudicio viri determinandum; cùm priùs debeat de rebus fidei inſtrui; poſſet intra tale tempus repentina morte occumbere. Atqui hic ſaluaretur abſq; vllo actu interiori fidei: igitur neque actus interioris fidei eſt neceſſarius neceſſitate medij in re in homine adulto.

33. Reſp. Negando ſequelam. Et ad propoſitum caſum dico 1. illum eſſe impoſſibilem, poſito quòd ex vna parte nolit Deus adultũ ſaluare abſque proprio actu fidei: & ex alia nõ poſſit vllũ iuſtè dãnare abſq; aliquo peccato. Vnde ad ipſius prouidentiam ſpectabit, talem caſum nunquam permittere: ſicut ad eandem Dei prouidentiam ſpectat, nunquam permittere, vt prædeſtinatus in peccato moriatur.

34. Dico 2. etiam ex vi præſentis decreti, huiuſmodi hominem fore ſaluandum abſq; fide actuali, cum ſola fide habituali in Baptiſmo ſuſcepta. Ratio eſt, quia nondum talis homo cenſeretur moraliter perueniſſe ad ætatem perfectè adultam, in qua teneretur interiorem actum fidei elicere: quia talis ætas ad obligandum neceſſaria non incipit phyſicè in primo inſtanti vſus rationis, ſed moraliter poſt aliquod tempus, quo homo ſit perfectè inſtructus Myſterijs Chriſtianæ Religionis. Proinde, cùm dicitur adultos abſque fide actuali ſaluari non poſſe, intelligitur de adulto poſt aliquod tempus, quo ſit perfectè inſtructus de rebus fidei, ante quod tempus cenſetur eſſe in ſtatu pueritiæ, atque adeo eiuſdem conditionis cum paruulis, qui nondum vſum rationis attigerunt: cùm reuera hic in ordine ad actualem fidem nondum cenſeatur habere ſufficientem ætatem: quia ad fidem deliberatè exercendam requiritur vſus rationis cum aliquo determinato tempore, in quo perfecta noſtræ Religionis inſtructio fieri debet.

35. Ad rationem in oppoſitum Reſp. illam tantũ probare, externam profeſſionem fidei eſſe tantùm neceſſariam neceſſitate præcepti, quo quis obligatur, vel cùm primùm Chriſtianam Religionem amplectitur, vel cùm ad perfectum rationis vſum peruenit. Ad quod tamen præceptum adimplendum non eſt neceſſarius, quod rectè notauit Suarez de fide diſputatione 14. ſectione 2. numero 7. peculiaris actus externus interioris fidei manifeſtatiuus, diſtinctus ab omnibus externis actibus, quibus adimplentur cætera præcepta: ſed poteſt eodem externo actu, quo ſeruatur præceptum, exempli cauſa, Religionis, quo externus cultus exhibetur Deo, ſimul ſatisfieri præcepto de externa profeſſione fidei. *Suarez.*

36. Reſtat videndum, cuiuſmodi ſit hoc præceptum externæ profeſſionis fidei. Conueniunt omnes, illud eſſe iuris diuini connaturalis ſtatui gratiæ. Etenim iuris diuini præceptum eſt, vt quiuis adultus habeat interiorem actum fidei erga præcipua Myſteria noſtræ Religionis, vt manifeſtè oſtendit authoritas Pauli ad Hebræos 11. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Sed connaturale eſt homini, interdum hunc interiorem actum fidei externo ſigno declarare, præſertim quando debitus Dei honor, vel proximi ſalus periclitatur: igitur præceptum externæ profeſſionis fidei eſt iuris diuini ſtatui gratiæ connaturalis. *Hebr. 11.*

37. Cæterùm præter præceptum diuinum,

eſt

Digitized by Google

eſt etiam poſitiuũ Eccleſiaſticum, quo obligantur ad hanc externam profeſſionem fidei faciendam ex Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 12. de reformatione. Primò, *Prouiſi de beneficijs quibuſcunq́ curam animarum habentibus à die adepta promiſſionis, ad minus intra duos menſes in manibus ipſius Epiſcopi, vel eo impedito, coram generali eius vicario, ſeu Officiali. Prouiſi autem de Canonicatibus & dignitatibus in Eccleſijs Cathedralibus non ſolùm coram Epiſcopo, ſeu eius officiali, ſed etiã in Capitulo. Alioqui prædicti omnes Prouiſi, vt ſupra fructus non faciant ſuos: nec illis poſſeſſio ſuffragetur.* *Concilium Tridentin.*

38. Secundò, *quicunq́ in Patriarchas primates, Archiepiſcopos, Epiſcopoſq́ promouendi ſunt, in prima Synodo Prouinciali, in qua ipſi interfuerint*, tenentur huiuſmodi fidei profeſſionem facere, *veramq́ obedientiam ſummo Romano Pontifici ſpondere*, vt habetur in Tridentino ſeſſ. 25. cap. 2. de reformatione. Quam obligationem Pius IV. in propria Bulla, quæ incipit *iniunctum nobis*, in qua etiã forma huius profeſſionis præſcribitur, extẽdit ad omnes Religionũ Prælatos. Quæ obſeruanda eſt, vbi vſu & conſuetudine recepta eſt. *Concilium Tridentin. Pius V.*

39. Vltimò Pius V. in quodam motu proprio, qui incipit, in *Sacra ſancta*, ad hanc fidei profeſſionem obligat omnes Doctores, Magiſtros, Regentes, & alios cuiuſcunque artis, ac facultatis Profeſſores, ſiue Clerici, ſiue Laici, ſiue Regulares ſint, qui in quibuſuis Vniuerſitatibus, aut publicis Gymnaſijs, vel alibi, qui Lectoris ordinariam, aut extraordinariam Cathedram conſequi voluerint, aut obtentam retinere, vel Theologiam, ius Canonicum, aut Ciuile, Medicinam, Philoſophiam, Grammaticam, vel alias liberales artes ſiue publicè, ſiue priuatim profiteri voluerint. Præterea excommunicat ipſo facto omnes, qui tales abſq; prædicta fidei profeſſione promouent. *Pius V.*

40. Quare notandũ, prædictas perſonas non ſolùm ſub mortali ad huiuſmodi profeſſionem obligari, ſed etiam obligari ſub præſcripta à Pontifice forma talem profeſſionem facere, vt manifeſtè colligitur ex citata Bulla Pij IV. verba Pontificis ſunt: *vt vna eiuſdem fidei profeſſio vniformiter ab omnibus exhibeatur, vnitaq́ & certa illius forma cunctis innoteſcat, noſtræ ſolicitudinis partes in hoc alicui minimè deſiderari, formam ipſam præſentibus annotatam, publicari, & vbiq́ gentium per eos, ad quos ex decretis ipſius Concilij, & alios prædictos ſpectat, recipi, & obſeruari, ac ſub pœnis per Concilium ipſum in contrauenientes latis, iuxta hanc, & non aliam formam profeſſionem prædictam ſolemniter fieri, authoritate Apoſtolica tenore præſentium diſtrictè præcipiendo mandamus, huiuſmodi ſub tenore, Ego* &c. Legatur Sanchez de præceptis Decalogi lib. 2. cap. 5. *Pius IV. Concilium Tridentin. Sanchez.*

SECTIO IV.

An licitum ſit Chriſtiano externo opere vel ſigno falſam Religionem ſimulare, & veram diſſimulare?

41. OPere, vel ſigno falſam Religionem ſimulat, qui veram Religionem colens, opus vel ſignum aſſumit, quod falſam Religionem præfert. Eſt enim *ſimulare*, vt S. Doctor definit 2. 2. q. 111. art. 1. per exteriora ſigna factorum, vel rerum ſignificare id, quod non eſt: ſeu per externa factorum, vel rerum ſigna aliud oſtendere, quàm ipſe apud ſe habeat. Vnde non ſimulat Iudæus, vel Gentilis, qui ſuam falſam Religionem profitens externo ſigno, vel opere illã oſtendit: quia non præfert aliud in opere, quàm ipſe habeat in animo. Diſſimulat autem veram Religionem, qui illam occultat ſilẽtio, amphibologia, opere, vel ſigno aliquo, quod ad falſam Religionẽ ſignificandã eſt ex hominũ placito inſtitutũ. Quo fit, vt eo ipſo, quo Chriſtianus falſam Religionem ſimulat, ſuam veram diſſimulet: Non è contrà, qui veram Religionem diſſimulat, ſemper falſam ſimulet. Nam poteſt quis ſilentio tantùm veram Religionem diſſimulare: & tunc falſam non ſimulat: quoniam *ſimulare*, vt idem S. Doctor præcitato loco ad 4. docet, eſt externo aliquo facto, vel ſigno aliquid ſignificare, quod non eſt: qui autem tacet, non ſignificat facto, vel ſigno quod non eſt, ſed tantùm prætermittit ſignificare quod eſt. Sicut non mentitur; qui tacet quod eſt, ſed qui verbo ſignificat, quod non eſt. His prædeclaratis, controuerſia eſt, an liceat Chriſtiano, falſam Religionem ſimulare, exercendo aliquod externum opus, vel vtendo aliquo externo ſigno ad falſam Religionem ſignificandam inſtituto. Non intelligitur autem præſens controuerſia, quando Chriſtianus tenetur ad externam fidei Confeſſionem faciendam: quia tunc ſicut non poteſt eam occultare tacendo: ita multò minùs poterit eam diſsimulare extrinſeco facto, vel ſigno falſam ſimulando: ſed intelligitur, quando ad externam confeſsionem fidei non tenemur. *S. Thomas.*

42. PRIMA ſententia affirmat, ſemper licitum eſſe Chriſtiano ad tormenta & mortem vitandam falſam Religionem ſimulare, etiam per externa, ſigna Idololatriæ, falſi cultus exhibitiua cuiuſmodi ſunt, thus offerre Idolo, ante falſos Deos genu flectere, iiſq; ſuperſtitioſum cultum exhibere, modò abſit ſcandalum, & intentio id ex animo faciendi. Ita Adrianus in 4. quæſt. 1. de Baptiſmo ad 5. Probat 1. exemplo Naaman, *Adrianus.*

qui

qui 4. Regum 5. Eliſæum conſulens, num adorãte Domino ſuo in templo Remmon, ſibi quoque in eodem loco adorare liceret, reſpondit ei Propheta: *vade in pace*: quaſi approbans id, quod ab ipſo petiuit.

Hieronym. 43. Secundò probatur authoritate Hieronymi, qui in magnis commentari s in Epiſtolam ad Galat. in caput 2. circa medium: *vtilem*, inquit, *ſimulationem & aſſumendam in tempore, Iehu Regis Iſraël nos doceat exemplum: qui cùm non potuiſſet interficere Sacerdotes Baal, finxit ſe velle Idolum colere.* In quo tamen facto laudatus eſt Iehu à Domino 4. Regum 10. his verbis: *quia ſtudiosè egiſti quod rectum erat, & placebat in oculis meis.* *Hieronym.* Idem Hieronymus id confirmat exemplo Apoſtolorum, qui ad lucrandas animas ſimulabant Moſaicam legem, circumcidendo Iudæos, quod poſt paſſionem Chriſti prohibitum erat.

44. Tertiò probatur ratione: quia vti ſimulatione, quando quis non tenetur fidem profiteri, & vrget grauis cauſa, nec timetur ſcandalum, licet: ſicut licet in alijs materijs, cùm quis non tenetur veritatem manifeſtare, eam Verbo, vel facto diſſimulare. *Valentia.* Hanc ſententiam non improbabilem putat Valentia diſp. 1. quæſt. 3. punct. 2. non ſolùm propter rationem, ſed etiam propter authoritatem Adriani, & Hieronymi: tametſi oppoſitam ipſe cenſeat & tutiorem, & longè probabiliorem.

45. SECVNDA ſententia extremè contraria negat, in vllo caſu, etiam ad mortem vitandam, vnquam licitum eſſe falſam Religionem ſimulare. *Caietanus. Toletus.* Eſt Caietani 2. 2. q. 3. a. 2. quem ſequitur Toletus in ſumma lib. 4. cap. 2. Quam Sententiam etſi ipſe duram appellet, quia tamen communem cenſet inter Doctores, non audet ab illa recedere: cùm in moralibus validum, inquit, argumẽtum ſit ab authoritate deſumptum: licet ipſe non probet, hanc ſententiam eſſe inter Doctores communem. Tertia igitur ſententia docet, licitum eſſe aliquando grauis ex cauſa, ſecluſo ſcandalo, non vrgente præcepto de externa fidei profeſſione, falſam Religionẽ ſimulare; modò talis ſimulatio non ſit falſæ Religionis proteſtatio, aut ſuperſtitioſi cultus exhibitiua, cuiuſmodi eſt thuris oblatio, vel genu flexio Idolo facta. Pro cuius controuerſiæ explicatione,

46. Diſtinguenda ſunt ſigna & actiones, quibus falſa Religio ſimulari poteſt. Primum genus eſt earum actionum & ſignorum, quæ ita ſunt lege vel conſuetudine ad falſam Religionem proteſtandam inſtituta, vt nullum alium habeant moralem vſum: & his nunquam licitum eſt vti ad veram Religionem occultandam, quacunque vrgente cauſa, etiam ad mortem vitandam. *Adrianus.* In hoc, vno excepto Adriano, omnes Doctores conueniunt. Fundamentum eſt, quoniam externo actu, vel ſigno falſam Religionem proteſtari, eſt intrinſecè malum: ſed qui falſam Religionem ſimulat actu, vel ſigno, ita ad eam proteſtandam inſtitutis, vt nullum alium moralem vſum habeant, falſam Religionem proteſtatur: ergo nunquam tali actione, vel ſigno vti licitum erit. Maior conſtat, quoniam externa proteſtatio falſæ Religionis poſitiuè includit negationem externæ proteſtationis veræ: quod cum ſit contra præceptum negatiuum de non neganda vera Religione, nunquam eſt licitum.

47. Confirmatur 1. Ideo nunquam licitum eſt, ſe Iudæum, vel Turcam verbis profiteri, quia talis proteſtatio poſitiuè includit negationem Chriſtianę Religionis. Sed non minùs Iudaicam, vel Turcicam ſectam profitetur, qui opere vel ſigno, quàm qui verbo ſe Iudæum, vel Turcam oſtentat.

Confirmatur 2. Nam eodem Præcepto, quo prohibemur, ne interno actu veræ Religioni diſſentiamus, prohibemur etiam, ne externo actu diſſentiamus, cùm actus externus, componat vnum cum interno.

48. Minor verò primi Syllogiſmi probatur: quia quando actus externus, vel ſignum nullum habet moralem vſum, præter falſæ Religionis proteſtationem, non poteſt quis eo vtendo ad veram Religionem occultandam, alium finem apud adſtantes prætendere, quàm ipſam falſæ Religionis proteſtationem. Sicut qui ad veram Religionem diſſimulandam vtitur verbis, quæ aliam ſignificationem non admittunt, quàm vel proteſtationem falſæ, vel negationem veræ Religionis, nunquam licitum eſt ijs vti. Nec ſufficit, vt Adrianus putabat, in *Adrianus.* corde veram Religionẽ retinere: alioqui licitum etiam eſſet, verbo illam negare, modò corde retineatur. Quod falſum eſſe apertè oſtendit exemplum Petri, & Marcellini Pontificis: quorum ille verbo tantùm, hic ſola externa actione veram fidem negauit.

49. Secundum genus eſt earum actionum & ſignorum, quæ Religionem non concernunt, ſed nationem duntaxat: cuiuſmodi ſunt ea, quæ inſtituta ſunt ad diſtinguendos homines vnius nationis ab hominibus alterius. Atque his, omnium Doctorum calculo, licitum eſt vti ad occultandam, tam Religionem, quàm nationem, ad quam primò ſignificandam ſunt inſtituta. Vnde licebit Chriſtiano apud Gentiles commoranti vti veſtibus, lingua, & modo politico agendi ipſorum, ne ab ijs dignoſci poſſit, cuius nationis ſit.

50. Tota ergo controuerſia ſupereſt de ijs ſignis, quæ lege, vel conſuetudine ſunt deſtinata ad falſam Religionem ſignificandam. Quæ adhuc duplicis ſunt generis: alia deſtinata ſunt ad diſtinguendos homines vnius ſectæ ad hominibus alterius, quæ dicuntur ſigna politica, eo quòd propter politicum bonũ inſtituta ſunt. Cuiuſmodi ſunt Galerus certi cuiuſda coloris ad diſtinguendos Iudæos Romæ habitantes à Chriſtianis; Pileus ex linea faſcia compoſitus ad diſtin-

guendos

guendos Turcas. Alia ſunt ſuperſtitioſa per ſe inſtituta ad falſam Religionẽ immediatè profitendam, falſumq; cultum, atq; honorẽ talis Religionis authori exhibẽdum: cuiuſmodi ſunt veſtes, quibus ſacrificuli vti ſolẽt, dum ſuis falſis dijs ſacrificant; & apud nos ſacræ veſtes, quibus noſtri Sacerdotes ad ſacrificandum vero Deo vtuntur.

51. Authores ſecundę ſententiæ negant, vnquam Chriſtiano licitũ eſſe ex quacunq; cauſa vti ſigno, ſiue Politico, ſiue non politico per ſe inſtituto ad falſam Religionem ſignificandum. Quorũ fundamẽtum eſt: quoniam tali ſigno vti, virtute eſt propriũ Religionem negare. Nam ſicut verbo ſe Turcã, vel Iudæum fateri, nunquam licitum eſt, eo quòd virtute eſt, Chriſtianam Religionem negare: ita nec licebit facto: cùm non minùs facto, quàm verbo prohibitum ſit, verã Religionem negare. Qui autem vtitur ſigno per ſe inſtituto ad falſam Religionem ſignificãdam, ſiue politicum, ſiue non politicum illud ſit, facto declarat, ſe falſam Religionem profiteri.

Bannez. Valentia. Turrianus. Suarez.

52. Alij verò concedunt, licitum eſſe aliquando, graui vrgente cauſa, vti ſigno politico diſtinctiuo falſæ Religionis à vera. Ita Bannez 2.2.q 3.a.2.dub 2. Valentia diſp.1.q. 1. punct. 2 Turrianus diſp. 35. dub. 4. Suarez de fide diſp.14. ſect 5 & alij. Ratio diſcriminis inter ſigna politica, & ſuperſtitioſa ea aſſignatur: quoniã qui ad occultandã veram Religionem vtitur ſigno prioris generis, eo vſu non declarat ſe falſam Religionem, ſed potiùs alienam nationem profiteri, ad quam ſignificandam primariò tale ſignum eſt impoſitũ. Contrà verò, qui vtitur ſigno poſterioris generis, eo ipſo declarat ſe falſam Religionem profiteri, ad quam exprimendam primariò tale ſignum eſt inſtitutum.

Azor. Sanchez. Coninck.

53. Alij tandẽ concedunt, graui cauſa vrgente, præciſoq; omni ſcandalo, licitum eſſe vtriuſq; generis ſigno vti. Hanc ſententiam docent Azor lib. 8. Moralium Inſtit. c.27.q. 4. in fine: Sanchez de præceptis lib. 2.c.4.n. 20. Coninck diſp.15 dub.3.concl 9 *Quæreſtiè explicata probabilis eſt.* Ratio fundamentalis eſt, quoniam inſtitutio humana non poteſt tollere naturalem vſum, quem res ex ſe habent. Non enim poteſt à veſtibus tollere naturalem aptitudinẽ, quam habent ad tegẽda corpora. Vnde hoc intereſt inter res & voces, quòd voces non habent niſi ſignificare, ad quod ſunt publica poteſtate impoſitę: nec eſt in poteſtate priuata huius, vel illius hominis, illas aſſumere ad ſignificandum aliud, quàm ad quod ſunt publica authoritate deſtinatæ. Nec præter hanc artificialem ſignificationem ex ſe habent aliquam naturalem aptitudinem, ratione cuius aſſumi poſſint ad aliud ſignificandum, quàm quod ex humana inſtitutione ſignificant. At verò res, etſi humana poteſtate deſtinari poſſit ad aliquid ſignificandum, nunquam tamen amittunt naturalem aptitudinem, quam ex ſe habent ad aliquem vſum effectumue cauſandum. Vt veſtes, etſi poſſint humana poteſtate aſſumi ad ſignificandam veram, vel falſam Religionem, Religioſum, vel ſuperſtitioſum cultum, vero, aut falſo Deo exhibendum; nunquam tamen amittunt naturalem aptitudinem, quam ſemper in ſe retinent, vt veſtes ſunt, ad contegenda humana corpora. Ad quem dumtaxat vſum repræſentandum ex intentione vtentis aſſumi poſſunt; & non ad alium, quem ex humana authoritate & inſtitutione ſortitæ ſunt.

54. Confirmatur 1. Licitum eſt Chriſtiano, non vrgente præcepto de externa confeſſione fidei, ad occultandam veram Religionem ambiguo ſermone vti, intendendo per eum aliam ſignificationem minùs communem, & ab inſtitutore intentam, permittendo, vt alij decipiantur, talem ſermonem intelligentes non iuxta ſecundariam & minùs communem, ſed iuxta primariam & magis communem ſignificationem: nam licitum eſt vnicuique iuxta ex cauſa, omiſſa primaria ſignificatione, vti tantùm ſecundaria, quam voces ex inſtitutione habent. Ergo iuſta etiam ex cauſa licitum erit, omiſſa morali ſignificatione, quam res ex humana impoſitione ſortitæ ſunt, vti illis iuxta naturalem, quam ex ſe habent, permittendo, vt alij decipiantur, intelligentes illas iuxta moralem ſignificationem magis obuiam & communem.

55. Confirmatur 2. Non minùs in iure prohibitum eſt, ne ſæculares vtantur habitu Religioſo; neuè Religioſi vtantur habitu ſæculari: & tamen vrgente neceſſitate, tam ſæcularis vti poteſt habitu Religioſo, quàm Religioſus habitu ſæculari, vt conſtat de Religioſis commorantibus inter hæreticos & Gentiles, qui, ne ab ijs agnoſcantur, vtuntur proprio habitu ipſorum: & ſæcularis, ne capiatur, licitè vti poteſt habitu Religioſo.

56. Confirmatur 3. contra authores 2. ſenten. quoniam non minùs ſigna politica ex humana authorite primariò deſtinata ſunt ad ſignificandam falſam Religionem, quàm ſigna ipſa ſuperſtitioſa: & tamen per eos licitum eſt, vrgente graui iuſtaque cauſa, illis vti, quoniam adhuc cum morali ſignificatione, quam ab extrinſeca authoritate habent, retinent propriam naturalem: ergo etiam licitum erit his vti, quia adhuc cum morali ſignificatione ab extrinſeco impoſitam, retinent naturalem propriam.

57. Diligenter tamen cauendum eſt, ne per huiuſmodi ſigna, ſiue politica, ſiue ſuperſtitioſa, ita per aliquas circumſtãtias determinentur ad ſignificandam falſam Religionem, falſumue cultum, vt nullus relinquatur naturali ſignificationi locus. Vt ſi Chriſtianus ſuperſtitioſis veſtibus ad falſũ cultum ſignificãdum deſtinatis, vteretur in templo, vel loco, aut tempore, quo ſolent ſacrificuli ijs vti ad falſum cultum Idolo exhibendum. Aut ſi Princeps eas præciperet omnibus ſuis ſubditis in proteſtationẽ falſę

Religionis:

Religionis: nã tunc eo ipſo, quo Chriſtianus illas aſſumeret, cẽſeretur Principis præceptum exequi, falſam Religionem per illas proteſtando: quod rectè cum Sanchez notauit Coninck diſp.15.dub.3.num.73.

Sanchez. Coninck.

58. Ex dictis deducitur 1. præciſo ſcandalo & fidei contemptu, poſſe Catholicum, ne ab hæreticis agnoſcatur, veſci carnibus diebus ab Eccleſia prohibitis: quia tale præceptum, cũ ſit Eccleſiaſticum, non obligat cũ periculo mortis: & aliàs talis comeſtio tali die facta ex ſe non eſt proteſtatiua falſæ Religionis, etiamſi id ab hæreticis intendatur, cũ poſſit ob alias iuſtas cauſas fieri. Igitur præciſo ſcandalo, & fidei contemptu, licitè poteſt Catholicus ad mortem vitandam tale præceptum omittere. Legatur Sanchez de præceptis li.2.ca.4. nu.24. & 25.

Sanchez.

59. Deducitur 2. Licitè poſſe exercitum Catholicum ad hoſtes decipiendos vti illorum vexillis, modò in ijs non ſint expreſſi eorũ falſi Dij, vel ſuperſtitioſus aliquis cultus: quia tunc eſſet manifeſta proteſtatio falſæ Religionis, cùm talia vexilla ad nihil deſeruiant, quàm ad huiuſmodi falſam Sectam, falſumuè cultum proteſtandũ. In quo maximè diſcriminantur à ſuperſtitioſis veſtibus, quę adhuc ad falſum cultum deſtinatæ retinent naturalem aptitudinem ad humana corpora contegenda: ratione cuius aptitudinis licitè aſſumi poſſunt, ſi ſcandalum abſit, & circumſtantiæ illas non determinent ad ſolum ſuperſtitioſum cultum ſignificandum.

60. Deducitur 3. Cur nunquam licitũ ſit, falſis Dijs adolere: quoniam talis actio ex circumſtantijs per ſe tantùm deſtinatur ad ſuperſtitioſum cultum Idolo exhibendum. At inquies, thus adurere, eſt actio indifferẽs, quæ poteſt aliam ſignificationẽ admittere. Reſp. dupliciter poſſe thuris ambuſtionem accipi; vno modo cum omnibus ijs circumſtantijs, quæ illam moraliter determinãt ad ſuperſtitioſum duntaxat cultum falſo Deo deferendum; vt ſi nimirum fiat loco, tempore, & modo, quo talis actio moraliter determinetur ad falſum cultum exhibendum: & ſic nunquam licitũ eſt: alio modo vt ſeparatam à circumſtantijs, ſi nimirum talis ambuſtio non fiat coram Idolo, neq; in cõtemptum fidei, vel cum ſcandalo aliorũ: quo pacto eſt actio indifferens, & ex intentione agẽtis deſtinari poteſt ad aliud ſignificãdũ.

61. Deducitur 4. Non teneri Chriſtianos apud Gentiles commorantes ſeruare legem à Gẽtili Principe latam, vt omnes fideles in ſuo regno exiſtẽtes vtantur certo ſigno vel habitu propriæ Religionis proteſtatiuo: eſt contra Caietanum 2.2.q.3.art.2. qui quamuis nobiſcum ſentiat, quando tale ſignum eſt tãtũ politicum ad ciuile bonum ordinatũ: negat tamen, quando illud eſt impoſitũ ad Religionem proteſtandam: quia tũc putat obligare præceptũ de externa Confeſſione fidei: quia talis lex à Principe lata æquiualet publicæ interrogationi, cui tenemur per externam cõfeſſionem fidei reſpondere. Sicut igitur, interrogante Principe, non licet veram Religionem tacendo diſſimulare: ita nec licebit, interrogãte Principe per publicum ſignum Religionis proteſtatiuum, eam omiſſione talis ſigni diſſimulare. Noſtrũ tamen corollarium communius eſt apud Doctores: illudq; inter alios tradũt Bannez 2.2. q.3.a.2.dub.2.concl.3. Suarez de fide diſp.14. ſect.5.n.10. Valentia, Sanchez, Coninck locis præcitatis: ſequiturq; à fortiori ex dictis. Nam plus eſt, falſam Religionem ſuperſtitioſo ſigno ſimulare, quàm veram omiſſione ſigni veræ fidei proteſtatiui diſſimulare: atqui non vrgente præcepto de externa confeſſione fidei, aliquando licet ſuperſtitioſo ſigno falſam Religionem ſimulare: ergo à fortiori, non vrgente præcepto de externa confeſſione fidei, aliquando licebit per omiſſionem ſigni veræ fidei proteſtatiui veram Religionem diſſimulare.

Bannez. Suarez. Valentia. Sanchez. Coninck.

62. Cæterùm falſum eſt, quod Caietanus aſſumit, talem legẽ ęquiualere publicę Principis interrogationi, ad quam ex pręcepto fidei tenemur publica confeſſione verę Religionis reſpõdere: tũ quia huiuſmodi lex nullum reuera interrogat, ſed ſolùm præſcribit certum ſignum, quo Chriſtiana Religio diſcerni poſſit: tum quia, eſto illa interrogaret, adhuc talis interrogatio, cùm non ſit ad certas perſonas directa, ſed tantùm in communi facta, neminem obligaret, vt ſe per tale ſignum proderet: quia ex tali diſſimulatione nullus vel debitus honor Deo, vel debita vtilitas proximo detrahitur. Confirmatur: nam vel talis lex eſſet iniuſta, adeoque à nemine ſeruanda: vel iuſta, & illa cum tanto periculo neminem obligaret.

Caietanus.

63. Vltimò examinandum ſupereſt, an aliquando liceat adire templa hæreticorũ tempore, quo ibi ſua officia obeunt. Et primò certum eſt, nunquam eſſe licitum cum ijs in Cæremonijs ad Religionem ſpectantibus communicare: nam hoc eſſet ipſorum errores approbare, eorumque ſectam externo ſigno proteſtari, quod ſemper prohibitum eſt, quia virtualiter eſt contra præceptum negatiuum de non neganda vera Religione: qui autem proteſtatur falſam, virtute negat veram. Dixi, *ad Religionem ſpectantibus*: nam licitũ eſt cum ijs communicare in Cæremonijs politicis Ciuile bonum concernentibus.

64. Secundò licitum eſt, ſecluſo ſcandalo, & periculo peruerſionis, vel propriæ perſonæ, vel alienæ, eorum templa adire, vel ad eorum errores notandos, vel famulatus cauſa. Quare excuſantur famuli & famulæ, qui ſuos Dominos, & Dominas hæreticas ad ipſorum templa comitantur, & cum ipſis, tempore officiorum manent, modò in hæreticis Cęremonijs cum ijs non communicent. Vel demum ad aliquod negotium Ciuile intra ipſum templum peragendum, vt ſi Princeps hæreticus iubeat ſimul cum hæreticis Catholicos templum ingredi, negotij ciuilis tractandi cauſa.

65. Sola

Digitized by Google

65. Sola igitur difficultas eſt, an liceat Catholicis hęreticorum templa adire, vt eorum Conciones audiant, & falſis Cæremonijs interſint, quando id hæreticus Princeps iubet.

Sanchez. 66. Affirmant aliqui apud Sanchez loco ſuprà citato, quando Princeps id jubet, vt ſibi obediatur; ſecus quando id facit animo vt Catholici cum hæreticis communicent in eorum doctrina & Cæremonijs.

Paulus V. 67. Verùm hanc controuerſiam decidit Paulus V. ſummus Pontifex, qui interrogatus à Catholicis in Anglia commorātibus, an liceret eis ſola intentione parendi Principis edicto (quod erat: *modeſtè etiam atque ſobriè, dum preces perſoluuntur, ſe gerere, & vſque ad finem dictarum precum, & Concionum ibi manere teneantur*) proprio motu definiuit, id nullo pacto licere. Ratio eſt, quia per huiuſmodi celebres conuentus, & hominum frequentiam hæretica Religio magis ac magis apud homines vigeret, & in æſtimatione haberetur: quod non licet, nam hoc eſſet cooperari ad hęreticam prauitatem promouendam.

68 Ad argumēta primæ ſententię. Ad primum ductum ab exemplo Naaman Reſp. id, quod Eliſæus conceſſit Naaman, fuiſſe, vt poſſet ſuum Dominum adorātem in templo Remmon ſuper ſuam manum innitentem ſuſtentare? quod licitum eſt. Vnde poſſet famula heram Idolum adorantem manibus ſuſtentare, nec non ante Idolum genu flexo ipſius veſtis fimbriam tenere. Vide Syluium 2. 2. qu. 3. art. 2. *Syluius.*

69. Hieronymo S. Th. 1. 2. q. 103. a. 4. ad 1. opponit Auguſtinum, qui contrariæ fuit ſententiæ, nimirū Apoſtolos non ſimulaſſe Moſaicam legem tanquam mortiferam, & ſub peccato tunc temporis prohibitam, vt Hieronymus volebat: ſed quia, cùm eo tempore, Euangelio nondum perfectè promulgato, permitteretur, licitè ea vti potuerunt. Ad exemplum Regis Iehu Reſp. illum laudari à Domino quoad ſubſtantiam tantùm facti, quia nimirum falſos Sacerdotes Baal interfecit; non autem quoad circumſtantiam, quòd illos interfecerit, ſimulando ſimul cum illis ſe Baal adoraturum. *S. Thomas. Hieronym. Auguſtin.*

69. Ad rationem conſtat ex dictis, cur tales actiones nunquam ſint licitę: quia ſcilicet ſunt contra præceptum negatiuum de non neganda vera fide, quam virtute negat qui externo ſigno falſam proteſtatur. Neque in reliquis materijs ſemper licet falſitatem ſimulare, vt conſtat, cùm quis legitimè interrogatur. Ex his patet, quid dicendum ſit ad ſecundam ſententiam.

DISPVTATIO XV.

De habitu Fidei infuſæ.

SECTIO I.

An, & qua certitudine certum ſit dari habitum fidei quoad ſubſtantiam ſupernaturalem, ab acquiſito diſtinctum, & quod ſit eius munus?

1. CONSPIRANT omnes Catholici Doctores, dari habitum fidei infuſæ ab acquiſito diſtinctum. Nā quamuis aliqui putent, illum non eſſe ſimpliciter neceſſariū ad aſſentiendum Myſterijs reuelatis, ſed ad ea credenda ſufficere habitū fidei acquiſitæ, qua naturaliter credimus vt vera, quæ à Deo atteſtantur: ob ſcripturæ tamen, & ſanctorū authoritates concedunt illum, ab acquiſito diſtinctū, nō ad ſimpliciter, ſed ad firmius, certius, ſinteñſiuſue credendum: ſicut inquit Scotus in 3. diſt. 23. qu. vnica §. *ad quæſtionē*, infunditur habitus charitatis, non vt voluntas beati Deum ſimpliciter diligat, quem etiā ſine habitu diligeret, ſed vt perfectius intēſiuſq; diligat. Præter Scotum, hoc docuerunt Durandus in 2. di. 28. q. 1. nu. 7. & Gabriel in 3. diſt. 23. q. 2 & idem Scotus in reportatis q. 1. *Scotus Durandus Gabriel.*

2. Controuerſia tamen inter Theologos eſt, qua certitudine certum ſit, dari in nobis huiuſmodi habitum infuſum fidei. Aliqui opinantur, id ex ſola authoritate Scholaſticorum conſtare: cū omnia, quæ de fide infuſa Diuina Oracula, & Concilia tradunt, ſaluari poſſint, vel per ſolos actus, vt in adultis; vel per externum Baptiſmum, & internum characterem, vt in paruulis ſacro fonte regeneratis.

3. Alij in ſolis paruulis baptizatis, & in ijs, qui ſola attritione virtute ſacramentorum iuſtificantur, id tantùm putant de fide, non autem in adultis, qui iuſtificantur proprijs actibus extra ſacramenta: eo quòd de his per ſolos actus ſaluari poſſunt, quæ Tridentina Synodus ſeſſ. 6. cap. 7. de iuſtificatione per inhęrentem iuſtitiam tradit. Ita Vaſquez 1. 2. diſp. 103. c. 3. & 6. qui non ſolùm id docet de habitu fidei, ſed de reliquis omnibus, qui cum ipſa iuſtificatione infunduntur. *Concil. Tridentinum. Vaſquez.*

4. Alij cenſent id tantùm pertinere ad certitudinem concluſionis Theologicæ Ita Sotus lib. 2. de natura & gratia cap. 19. & in *Sotus*

4. diſt

4. diſt. 1. q. 3. art. 1. & alij, quos citatos habes in noſtro 3. Tomo de vltimo fine hominis diſp. 29. Sect. 2. num. 27.

5. Alij demum, quos ibidem retulimus, id fide certum docent in omnibus, tam paruulis baptizatis, quàm adultis, qui extra, & in Sacramentis iuſtificantur. Quam Sententiam vt probabiliorem & Concilijs cõformiorem ibidem ſecuti ſumus. Pro cuius ac totius controuerſiæ ſolutione,

6. Dico 1. Concedendus eſt habitus infuſus fidei, ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, ab acquiſito ſpecie diuerſus. Prior pars probatur 1. ex Concilio Trident. Seſſ. 6. cap. 7. vbi docet, cum ipſa gratia iuſtificante infundi nobis fidem, ſpem, & charitatem. Quòd autem loquatur de fide infuſa habituali, conſtat: tum quia eodem modo ait, in ipſa iuſtificatione infundi nobis fidem, atque charitatem: ſed ex eodem Concilio charitas infunditur per modum habitus & qualitatis permanentis: ergo etiam fides. Minor probatur ex Canon. 11. in quo damnat, qui dixerit, nos iuſtificari *ſolâ peccatorum remiſſione, excluſa gratia & charitate.* Atqui gratia excluditur per modum habitus, ſicut eadem infunditur per modum habitus, vt apertè colligitur ex cap. 7. in quo Concilium docet, gratiam iuſtificantem vnicuique infundi iuxta propriam diſpoſitionem: eamque comparat primæ ſtolæ quam Adam ſua inobedientia ſibi & nobis perdidit, quamque iubemur candidam & immaculatam conſeruare, vt ſuo tempore ante tribunal Chriſti eam perferamus: ergo etiam charitas excluditur per modum habitus, & conſequenter etiam infunditur per modum habitus: nam excluſio formæ, proportionari debet productioni vel infuſioni eiuſdem. Cùm igitur eodem modo Concilium loquatur de infuſione charitatis, ac de infuſione fidei, cumque charitas infundatur vt habitus & qualitas permanens, ſiquidem infunditur, vti infunditur iuſtitia ipſa, quæ per Concilium infunditur vt habitus & qualitas permanens, manifeſtè ſequitur, quòd etiam fides infundatur vt habitus & qualitas permanens. Tum quia Canon. 28. docet, amiſſa gratia per peccatum, non amitti fidem, quæ ſolo peccato infidelitatis perditur, ſed eam in peccatore remanere vt veram fidem, quod de actu intelligi nequit. Tum demum, quoniam eam Sententiam Concilium Tridentinum hic definit, quam olim vt probabiliorem, & dictis Sanctorum ac Theologorum magis conſonam definiuit Clemens V. in Concilio generali Viennenſi: hæc autem fuit, quòd gratia & virtutes per modum habitus infundantur omnibus tam paruulis, quàm adultis baptizatis.

Conc. Trid.

Conc. Trid.

Clemens V.

7. Probatur 2. Datur in nobis actus fidei infuſæ, ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, vt ſuprà probatũ eſt: ergo dandus eſt habitus infuſus, etiã ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. Conſequentia probatur: vnicuique actui ſupernaturali quoad ſubſtantiam correſpondet ſuus habitus ſupernaturalis etiam quoad ſubſtantiam: ergo ſi datur actus fidei ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, dabitur etiam habitus ſupernaturalis etiam quoad ſubſtantiam. Antecedens patet in reliquis omnibus actibus ſupernaturalibus: nullus quippe in nobis aſſignari poteſt actus ſupernaturalis, qui fieri non poſſit ab aliquo habitu ſupernaturali ſibi proportionato. Conſequentia verò probatur, quia licet poſſit quiuis actus ſupernaturalis produci ab extrinſeca virtute Dei, connaturalius tamen, & Diuinæ prouidentiæ conformius eſt vt producatur ab intrinſeca virtute.

8. Poſterior aſſertionis pars, nempe habitum infuſum fidei ſpecie differre ab acquiſito, conſtat tum ex motiuo diuerſo, quo vterque habitus nititur: nam ille nititur teſtimonio diuino propter ſe credito; hic teſtimonio humano. Tum ex diuerſis affectibus, quorum ſunt productiui: ſi quidem ille eſt productiuus actus ſupernaturalis quoad ſubſtantiam; hic naturalis. Tum ex diuerſo modo concurrendi ad actus, quos producunt: nam ille ad actum concurrit inſtar potentiæ, dando ſimpliciter poſſe; hic tantùm facilitando potentiam, quam in ratione principij productiui ſupponit perfectè completam.

9. Ex his infertur, habitum fidei infuſæ eſſe vnum ſpecie in omnibus, cum eodẽ in omnibus nitatur motiuo formali. Nec obſtat obiectorum credibilium varietas: nam hæc non ſpecificant fidem, niſi vt ſtant ſub authoritate diuina, tanquam ſub ratione formali, quæ eſt eadem in omnibus.

10. Dico 2. Habitus fidei infuſæ non datur tantùm ad perfectiùs & intentiùs credenda Myſteria fidei, ſed ad credendum ſimpliciter vt oportet ad ſalutem. Fundamentum, quia datur ad credenda Myſteria reuelata ex motiuo ſupernaturali authoritatis diuinæ: quod motiuum eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, nec poteſt ab habitu acquiſito ſuppleri, qui in obiectum fidei tendit propter teſtimonium humanum, quod ad ſalutem non ſufficit. Confirmatur. Vt actus fidei ſit vt oportet ad ſalutem, requirit ſpeciale adiutorium Dei, & Spiritus Sancti Inſpirationem, vt Concilia ipſa docent: ergo requirit principium ſupernaturale: ergo non ſufficit habitus acquiſitus, qui eſt principium merè naturale.

11. Dico 3. De fide certum eſt, dari habitum infuſum fidei: eſt Gabrielis in 3. diſt. 23. q. 2. art. 2. Vegæ lib. 7. in Tridentinum cap. 24. Bellarmini lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 3. Valentiæ 1. 2. diſp. 4. q. 3. punc. 4. Suarez de fide, ſpe, & charitate diſp. 7. Sect. 1. num. 2. & lib. 6. de gratia cap. 8. & colligitur ex Scoto loco præcitato §. *ad quæſtionem*, vbi ait, *quod oportet ponere fidem infuſam propter authoritatem Scripturæ, & Sanctorum*: & paulo pòſt docet, eodem modo nos credere dari fidem infuſam, ac credimus Deum eſſe Trinum & Vnum: *ſicut*, inquit, *credo Deum eſſe Trinũ & Vnum: ita credo me habere fidem*

Gabriel.
Vega.
Bellarmin.
Valentia.
Suarez.
Scotus.

infuſam quâ hoc credo. Potiſſimum fundamẽtum huius aſſertionis eſt authoritas Concilij Tridẽtini ſuprà citata, quæ de ſola actuali fide explicari non poteſt: nam expreſsè in Canon. 3 diſtinguit actus credendi, ſperandi, diligendi, & pœnitendi à gratia iuſtificationis, quam ſuprà cap. 7. definierat, eſſe renouationem interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum. Explicans autem poſtea, quę ſint hæc dona, quæ vnà cum gratia infunduntur, ait eſſe fidem, ſpem, & charitatem. Nequeunt autem hic fides, ſpes, & charitas à Concilio ſumi pro actibus: nam hęc infundi ait cum ipſa iuſtificatione, quam & Canon. 3. & cap. 7. docet ſubſequi ad ipſos actus fidei, ſpei, & charitatis, tanquam formam ad ſuam diſpoſitionem. Accedit authoritas Catechiſmi Romani huiuſmodi virtutes explicantis, per habitus permanentes nobiſque inhęrentes: poſtquam enim de Sacramento Baptiſmi §. *ſed vt ad Baptiſmi effectus*, gratiam iuxta mentem Concilij Tridentini definierat, qualitatem diuinam in anima inhærentem, de virtutibus ſubdit: *huic autem* (nempe gratiæ) *additur nobiliſſimus omnium virtutum Comitatus, quæ in animam cum gratia diuinitùs infunduntur*.

Conc. Trid. — Catechiſm. Rom. — Conc. Trid.

12. Ex his infero, ante Concilium Tridentinum non fuiſſe fide certum, has virtutes à Deo infundi per modum qualitatis permanentis, ſed fuiſſe ante Concilium Viennenſe vnicuique liberum vtramq; partem æquè probabilem tueri: poſt Concilium autem Viennenſe noſtram Sententiam ſolùm vt probabiliorem, & conſequenter oppoſitam tanquam minùs probabilem, licitum fuiſſe defendere: poſt Tridentinum verò omnino videri noſtram Sententiam definitam: tametſi, quia hæc definitio non eſt expreſſa, ſed tantùm virtualis & implicita in Concilio, non eſſet vt hęreticus damnandus, qui oppoſitam doceret.

13. Ex dictis facilè refutantur aliorum Sententiæ. Refutatur 1. & quidẽ de paruulis baptizatis ſaluari nequit, quo pacto dicantur fideles, & per fidem placere Deo: nam etiã de illis verificari debet propoſitio Pauli ad Hebræ. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Cùm igitur hi nequant placere Deo fide actuali, cuius capaces non ſunt, placebũt fide habituali, quam vnà cùm gratia iuſtificante & reliquis virtutibus infuſis in Baptiſmo accipiunt. Nec dici poſſunt huiuſmodi paruuli fideles, aut per ſolum characterem, quia hic ſufficiens non eſt ad hanc denominationem dandam; alioqui adultus hæreticus retinens characterem Baptiſmalem, diceretur fidelis: aut per ſolum externum Symbolum: nam hoc niſi coniunctam habeat fidem in anima baptizati, nequit re ipſa, & coram Deo hominem fidelem conſtituere; aut per vtrumque ſimul, nam neque in hæretico vtrumque ſimul ſufficit ad illum fidelem denominandũ.

Hebr. 11.

14. Refutatur 2. Sententia ex citata authoritate Concilij Tridentini, quæ vniuerſaliter ſe extendit ad omnes tam paruulos, quàm adultos; tam in Sacramentis, quàm extrà iuſtificatos.

Conc. Trid.

15. Tertia verò ſi rectè explicetur, à noſtra non differt. Etenim bifariam ſumi poteſt Concluſio Theologica, vt ex diſp. 2 ſect. 6. conſtat: vno modo pro Concluſione formaliter deducta, vi naturalis illationis & connexionis cum præmiſſis, & vt ſic differt à Concluſione fidei: quia vt ſic præter teſtimonium diuinum includit naturalẽ illationem, propter quam ei intellectus immediatè aſſentitur, diciturque talis aſſenſus Theologicus, qui in hoc ab aſſenſu fidei diſcriminatur, quòd immediatè nititur diſcurſu & illatione naturali. Alio modo ſumitur Concluſio Theologica non vt formaliter deducta, ſed vt explicata per aliquem naturalem diſcurſum, ita vt diſcurſus non ſit ratio aſſentiendi Concluſioni, ſed ſola conditio præuia explicans Concluſionem, vt virtute contentam in aliquo principio expreſsè reuelato: vi cuius reuelationis non ſolùm creditur principium ipſum expreſsè reuelatum, ſed etiam Concluſio in ipſo principio virtualiter contenta, vt præcitato loco fusè explicatum eſt.

16. Dico 4. Munus habitus fidei infuſę, eſt inclinare intellectum ad omne verum reuelatum tam ſpeculatiuum, quàm practicum, propter authoritatem diuinam infallibiliter credendum. Hæc aſſertio explicat eſſentialem habitudinem, quam habitus fidei infuſæ habet. Quæ duplex eſt, altera ad potentiam, quam iuuat; altera ad obiectũ, ad quod credendum ordinatur. Prima pars aſſertionis probatur: quia cùm fides ſit virtus per ſe potentiam inclinans ad aſſentiendum reuelatis; cumque aſſentiri reuelatis ſit proprium intellectus, fides erit propria virtus intellectus, inclinando illum, tum formaliter, præbendo ei ſe ipſam vt formam: tum efficienter, coagendo cum illo ad aſſenſum circa reuelata eliciendum. Cùm enim intellectus creatus ſit incompletum principium ad aſſenſum ſupernaturalem eliciendum, indiget aliquo principio ſuperaddito, quo fiat intrinſecè potens ad talem aſſenſum eliciendum: hoc autem præſtat habitus infuſus fidei.

17. Hinc ſequitur, illum debere eſſe in potentia intellectiua: nam in ea potentia collocandus eſt habitus, quæ indiget iuuari in ratione potentiæ immanentis, cuius eſt agere vt principium coniunctum cum proprio actu: ergo cùm intellectus ſit potentia operatiua immanenter cõnaturaliter indiget compleri per habitũ immediatè ſibi inhęrentem.

18. Cæterùm hunc habitum aliqui requirunt, non tantùm vt intellectum effectiuè iuuet ad aſſenſum ſupernaturalem producendum, ſed tum ad illum recipiendum, tum vt vitale comprincipium ad obiectum ipſum percipiendum. Quorum fundamentum eſt: quoniam intellectus nõ ſolùm eſt incõpletus in ratione principij effectiui actus ſupernaturalis, ſed etiã in ratione ſubiecti receptiui, ac principij vitalis perceptiui: ergo non ſolùm eget habitu fidei, vt fiat potens effectiuè,

ſed

ſed etiam ſubiectiuè, ac perceptiuè.

19. Verùm quoad primum, ſi intelligatur, quòd habitus fidei requiratur vt eſſentialis diſpoſitio ad recipiendum ipſum aſſenſum ſupernaturalem fidei, falſum eſt, cùm hic recipi poſſit in ipſo intellectu immediatè non minùs ac recipitur habitus ipſe ſupernaturalis fidei. Si verò intelligatur, quòd requiratur vt diſpoſitio duntaxat connaturalis, verum eſt: nam informando intellectum, reddit illũ connaturaliter idoneum ad actum ſupernaturalem recipiendum. Quoad ſecundum, omnino falſum eſt, habitum fidei requiri, vt vitale comprincipium percipiendi obiectum: alioqui nec de potentia Dei abſoluta produci poſſet actus fidei, abſque habitu inhærente: ſicut nec de potentia Dei abſoluta produci poteſt actus vitalis, abſque principio vitali completo ſibi proportionato; cùm nequeat principiũ vitale, ſiue totale ſiue partiale, per extrinſecam formam ſuppleri. Quod quamuis cohærenter ad ſua principia concedant authores contrariæ Sententiæ, nobis tamen cum reliquis Doctoribus abſurdum videtur, vt fusè probo in 1. Tomo diſp. 9 ſect. 12.

20. Vnde ad fundamentum aduerſariorum, negandum eſt, intellectum eſſe incompletum in ratione principij vitalis, ſed ſolùm in ratione principij productiui actus ſupernaturalis; adeoque non indigere ſupernaturali comprincipio vitali, ſed ſolùm ſupernaturali comprincipio effectiuo. Et ratio eſt, quia in ratione vitæ intellectricis nihil illi deeſt. Quod patet à poſteriori: nam ipſe ſolus eſt, qui exercet actum vitæ intellectricis, percipiendo vitaliter obiectum: ſi autem non eſſet in ratione vitæ intellectricis completus, deberet non ipſe tantùm, ſed etiam habitus cum ipſo obiectum percipere: quod falſum eſt, nam habitus non percipit, ſed comproducit tantùm actum. Nam percipere, eſt ſolius vitæ, vel ſubſtantialis, vt eſt anima, vel accidentalis, vt ſunt potentiæ ab anima dimanantes: habitus autem infuſi, cùm non ſint potentiæ ab anima dimanantes, obiectum percipere nequeunt.

21. Probatur ſecunda pars aſſertionis: quoniam habitus fidei eſt qualitas indiuiſibilis extenſiuè, cuius quiuis gradus ſe extendit ad omne verum reuelatum: nam quiuis gradus ſpecificatur ab eadem authoritate diuina reuelante, tanquam à motiuo formali: adeoque quiuis gradus ipſius ſe extendit ad omne verum reuelatum. Nam ad omne id ſe extendit habitus, in quo reperitur motiuum formale ipſius, quod eſſentialiter reſpicit, & à quo ſpecificatur. Confirmatur: quoniam habitus fidei eſt inſtar potentiæ, cuius quilibet gradus ſe extendit ad omnia, ad quæ ſe extendit tota ipſa potentia, cùm ab eodem motiuo formali ſpecificetur vnus gradus potentiæ, ac tota ipſa potentia.

22. Tertia pars oſtenditur: nam habitus fidei non ſolùm aſſentitur vero ſpeculatiuo, vt *Deus eſt Vnus & Trinus*, ſed etiam practico, vt *Deus eſt ſummè diligendus*: vtrumque enim eſt obiectum reuelatum, ad quod fides infuſa ſe extendit ſub eodem motiuo formali primæ veritatis reuelantis. Quo fit, vt idem habitus fidei ſit ſpeculatiuus & practicus ſimul. Neque enim hæ duæ rationes repugnant ſimul in eodem ſubiecto, vt conſtat de viſione beata, quæ Deum in ſe ipſo ſpeculatiuè contemplatur, & ſimul practicè iudicat eſſe ſuper omnia diligendum.

23. Cæterùm difficultas eſt, an hæ duæ rationes contineantur in fide formaliter, an tantùm eminenter. Bannez 2.2. q.4. art.2. docet, eas contineri eminenter & formaliter, ſimul: Caietanus ibidem in explicatione tertij argumenti, tantùm eminenter. *Quæ Sententia probabilior eſt.* Ratio eſt, quoniam habitus fidei ſpecificatur ab authoritate diuina reuelante, quatenus nec ipſa falli, nec alios fallere poteſt. Hæc autem, vt conſtat nec dicit formaliter ſpeculatiuum, nec formaliter practicum, ſed eminenter vtrũq́, quatenus ad vtrũque ſe extendere poteſt. Nec eſt eadẽ ratio de viſione beata, in qua formaliter ſimul eſt ratio ſpeculatiui, & ratio practici: quoniam in ea actu ſimul eſt & ipſa contemplatio Dei, quę eſt ſpeculatiua & iudicium dictans Deum eſſe ſuper omnia diligendum, quod practicum eſt. In habitu autem fidei ratio ſpeculatiui & practici continetur tantùm potentialiter, & in ratione principij productiui, quatenus concurrere poteſt tam ad aſſenſum ſpeculatiuum, quàm ad aſſenſum practicum. Porrò quæ actu continentur in aliqua re, formaliter ſunt in illa: quæ verò in potentia tantùm continentur, & per modum principij productiui, non neceſſario formaliter continentur, ſed poſſunt eminenter tantùm contineri, tanquam in vna virtute æquiuocè productiua, ſicut continentur in ſole ſiccitas & calor.

Bannez. Caiet.

24. Vltima aſſertionis pars conſtat ex duplici ratione: Prima ex infallibilitate luminis: Secunda ex motiuo formali. Ex infallibilitate luminis conſtat: quia cùm habitus fidei ſit quædam participatio luminis diuini, nequit, niſi infallibiliter in obiectum tendere. Conſtat ex motiuo formali: quia cùm hoc ſit ipſa authoritas diuina per ſe ipſam atteſtans, cumq́ue implicet Deum falſum atteſtari, implicat habitum fidei inclinare poſſe intellectum ad falſum; & per conſequens infallibiliter inclinat ad verum.

25. Ex quo colligitur, habitum fidei infuſæ habere veram propriamq́ue rationem virtutis. Nam virtus eſt, qua malè vti non poſſumus, & ſubiectum bonum reddit. Habitu autem fidei infuſæ malè vti non poſſumus, cùm nequeat intellectum inclinare ad falſum: & ſubiectum bonum reddit, quia reddit illum eſſentialiter diſpoſitum ad verum ſemper attingendum, quod eſt proprium bonum intellectus. Ex his conſtat, cur Ariſtoteles inter virtutes intellectuales non numeret fidem humanam: quia hæc non inclinat infallibiliter ad verum: quemadmodum nec

Digitized by Google

inter virtutes numerat opinionem,quę poteſt ad falſum inclinare.

26. Dico 5. Munus habitus fidei iufuſę, non eſt obiectum reuelatum apprehendere, ſed illi aſſentiri vt vero ex teſtimonio diuino. Aſſertio probatur duplici fundamento: Primò, quia habitus fidei infuſæ eſt tantùm iudicatiuus de veritate obiecti reuelati, propter authoritatem Dei dicentis: ergo ſolùm ordinatur ad iudicium ferendum de obiecto reuelato. Secundò: quoniam apprehenſio, qua apprehenditur obiectum fidei, non eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam: ergo non eſt ab habitu infuſo fidei. Conſequentia conſtat, quia hic tantùm infunditur propter actum, qui elici non poteſt à natiua virtute intellectus: alioqui fruſtra infunderetur, ſi poſſet à natiua virtute ipſius elici. Antecedens probatur: nam hæc apprehenſio fit medijs ſpeciebus naturalibus; fit enim per ſpecies alienas hauſtas ex ſenſibus, & virtute intellectus agentis è phantaſmatibus erutas. Experientia namque conſtat, obiecta ſupernaturalia nos intelligere ad inſtar obiectorum naturalium. Confirmatur, quia nullum eſt fundamentum, aut neceſſitas aſſerendi, ad huiuſmodi obiecta apprehendenda Deum ſupernaturales ſpecies nobis infundere, cùm ſufficiant naturales. Non negauerim ſæpè Deum ſpeciali auxilio intra ordinem naturæ concurrere ad huiuſmodi ſpecies naturales in nobis meliùs coordinandas, vt per eas faciliùs, promptiuſque apprehendamus Myſteria fidei, vti facere ſolebat cum Prophetis.

SECTIO II.

In quo tanquam in ſubiecto remoto ſit habitus fidei infuſæ?

27. Constat ex præcedenti ſect. habitum fidei infuſæ, tanquam in ſubiecto proximo eſſe in intellectu, quem eleuare debet ad actum ſupra ſuas vires eliciendum. In hac diſputandum eſt de ſubiecto remoto: ſunt autem ſubiectum remotum fidei omnes creaturæ intellectuales ad ſupernaturalem beatitudinem ordinatæ. Quarum aliæ conſiderari poſſunt, prout ſunt, vel aliquando fuerunt in via; aliæ vt ſunt, vel aliquando erunt in termino aut beatitudinis, aut damnationis. De viatoribus triplex eſt difficultas: Prima eſt de primis hominibus in ſtatu innocentiæ poſitis: Secunda de Angelis in via exiſtentibus: Tertia de animabus purgantibus. De exiſtentibus in termino duplex eſt difficultas, de damnatis, & beatis. De ſingulis hic diſputabimus,

An primi Parentes habuerint fidem infuſam?

28. Negat Magiſter Sententiarum in 2. diſt. 23. & diſt. 24. In primo enim loco docet, primos homines in ſtatu Innocentiæ non habuiſſe ænigmaticam cognitionem, qualē nos habemus per fidem, ſed per quandam interiorem aſpirationem, qua Dei præſentiam contēplabantur. In ſecundo verò negat, illis infuſam fuiſſe gratiam, qua bonum perficere, & vitam æternam promereri poſſent; ſed auxilium duntaxat gratiæ, quo poſſent malo reſiſtere. Gratia autem, quâ bonum perficere, & vitam ęternam promereri poſſumus, eſt gratia habitualis, ſine qua nullum noſtrum opus eſt æternæ vitæ condignè meritoriū, vt ex 3. Tomo diſp. vlt. de merito ſuppono: negata autem gratia habituali, negantur conſequenter cum ea reliqui habitus ſupernaturales, qui ſimul cum ea tanquam proprietates cum natura infunduntur. Eandem ſententiam ſecutus eſt Hugo de Sancto victore apud S. Thomam 2. 2. q. 5. art. 1. ad. 1. Alenſis. 3. p. ſuæ ſummæ, q. 80. mem. 3. & Bonauentura in 2. diſt. 23. art. vlt. q. 3. Magiſter. Hugo. S. Thomas Alenſis. Bonauent.

29. Fundamentum Bonauenturæ, quod ſimul Magiſtri fundamentum eſt: quia non decebat in eo ſtatu, qui medius erat inter ſtatum noſtræ viæ, & Patriæ, eſſe cognitionem obſcuram & ænigmaticam fidei; ſed claram, non intuitiuam, vt in Patria; ſed abſtractiuam, qualem habuerunt Angeli de Deo in via. Confirmatur. Primi Parentes debuerunt habere euidentiam credibilitatis Myſteriorum noſtræ fidei: atqui illam non habuerunt per teſtimonia & rationes humanas, quia non fuerunt illis hæc propoſita ab aliquo proponente creato, vti proponuntur nobis, ſed immediatè à Deo: à Deo autem non potuerunt proponi per cognitionem obſcuram, nam de ea recurreret eadem difficultas; ergo per cognitionēm euidentem, ſaltem in atteſtante, qua illis euidēter conſtabat, talium Myſteriorum atteſtationem eſſe à Deo.

30. Fundamentum Alenſis eſt. Cognitio, quæ per fidem habetur, adueniente gloria, euacuatur: cognitio autem, quam de Deo primi Parentes in ſtatu innocentiæ habebant, euacuata non fuiſſet, adueniente gloria, ſed potiùs perfecta: non igitur in illis fuit cognitio obſcura fidei, & per conſequens nec habitus, nam hic datur propter cognitionem obſcuram. Alenſis.

31. Affirmat verò S. Thomas loco præcitato, & cum eo reliqui Scholaſtici. Quæ Sententia intelligi poteſt de fide ante, vel poſt commiſſum peccatum. In vtroque ſenſu videtur certa Sententia definita in Concilio Tridentino ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali, vbi hæc habet: *Si quis non confitetur primum hominum Adam, cùm mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus ſtatim Sanctitatem & iuſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe,* &c. *anathema ſit* & Seſſ. 6. cap. 7. docet eundem Adamum ſua inobedientia & ſibi, & nobis S. Thomas. Conc. Trid.

bis iuſtitiam perdidiſſe. Porrò iuſtitia, quam Adam ſibi & nobis perdidit, fuit ea ipſa, quę virtute meritorum Chriſti in Baptiſmo nobis reſtituitur, quę, vt idem Concilium prænotato cap.7. explicat, cum ipſa gratia iuſtificante includit fidem, ſpem, & charitatem. Igitur Adam cum gratia ſanctificante, in qua ante peccatum à Deo conſtitutus fuerat, ſimul accepit habitus infuſos fidei, ſpei, & charitatis. Eadem ratio & diſcurſus probat, eoſdem habitus vnà cum gratia iuſtificante illi reſtitutos fuiſſe per pœnitentiam, poſt retractatum peccatum: tum quia per veram pœnitentiam reſtituitur eadem gratia iuſtificãs, & habitus ſupernaturales cum ea naturaliter connexi: tum quia idem fuit iuſtificationis modus in Adamo, & in nobis: ſed ex Concilio in nobis iuſtificatio fit per infuſionẽ gratię Sanctificantis, & donorum fidei, ſpei, & charitatis, quę cum ipſa iuſtificatione infunduntur: ergo idem iuſtificationis modus poſt retractatum peccatum fuit in Adamo.

32. Eadem Sententia colligitur ex illis *Geneſ.1.* verbis Geneſ. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Fuit autem homo factus ad imaginem & ſimilitudinẽ Dei, tum per participationem donorum naturalium, & intellectricis naturæ, per quam exprimit naturam diuinam ſummè intelligentem, tum per participationem donorum ſupernaturalium Sanctitatis & Iuſtitiæ, reliquarumque infuſarum virtutum, quibus propiùs accedit ad naturam diuinam, cuius ſupernaturalem ſimilitudinem participando, fit eiuſdem naturæ conſors. Huic loco concordat ille ad Epheſ.4. *Ad Epheſ.4.* *Renouamini Spiritu mentis veſtra, & induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia & Sanctitate veritatis*: *Ad Coloſſ.3.* & ad Coloſſ.3. *Induentes nouum hominem, qui renouatur in agnitionem ſecundùm imaginem eius, qui creauit illum.* Nam licet per nouum hominem creatum ſecundùm imaginem Dei in iuſtitia & Sanctitate, nonnulli intelligant de Chriſto: multi tamen interpretantur de ipſo Adamo, qui creatus fuit Sanctus, & iuſtus coram Deo, vt in priorem locum notauit noſter *Corn. à lap.* Cornelius à Lapide.

33. Probatur hęc ſententia ratione 1. *Hæbr.11.* quoniam *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo* Hæbrę. 11. Sed primi homines tam in ſtatu innocentię, ante peccatum, quàm poſt per pœnitentiam condonatum peccatum placuerunt Deo: ergo habuerunt fidem. Minor patet: nam neque in ſtatu innocentiæ, neque poſt condonatum peccatum diſplicuerunt Deo, cùm nequeat homo diſplicere Deo, niſi propter peccatum: ergo placuerũt Deo, cùm in ordine ad Deum, qui ſemper eſt vltimò terminatus per modum actus ſecũdi ad creaturas, non detur medium. Nec dici poteſt, placuiſſe Deo naturaliter quoad dona naturalia tantùm: nam ea complacentia placuerunt Deo, quæ per poſitionem fidei ponitur, & per non poſitionem fidei non ponitur, vt pręcitatum teſtimonium indicat: hęc autem eſt ſupernaturalis quoad dona ſupernaturalia: quia naturalis, vti non pendet à fide, ita eſſe poteſt ſine fide.

34. Video adhoc reſponderi poſſe, ſat fuiſſe, vt Adamus habuerit fidem actualem. Sed contrà: tum quia hanc ipſam fidem à fortiori negant Aduerſarij, qui in illo ponunt cognitionem mediam inter obſcuram fidei, & claram Patriæ. Tum quia ſi habuit fidem actualem, conſequens etiam eſt, vt etiam habuerit fidem habitualem, vel infuſam ante actum, vt connaturaliùs illũ eliceret; vel poſt actũ in præmiũ ſaltem de congruo ipſius actus.

35. Probatur 2. quoniam tam in ſtatu innocentiæ ante peccatum, quàm poſt condonatum peccatum indigebant primi homines cognitione aliqua Supernaturali, quæ eos dirigeret ad conſequendum finem ſupernaturalem per media ſupernaturalia fini proportionata: hæc autem de lege ordinaria non potuit eſſe alia, quàm fidei: ergo in vtroque ſtatu habuerunt fidem. Maior elucet, quoniam in vtroque ſtatu erant à Deo ordinati ad conſequendam ſupernaturalem beatitudinem, per actus illi proportionatos: ergo in vtroque ſtatu debuerunt habere notitiam finis ſupernaturalis, ſine qua de facto nullus finem ſupernaturalem conſequitur. Minor probatur, nam hæc eſt magis proportionata pro ſtatu viæ, & ad meritum magis conducens: quò enim notitia obiecti, cuius fide debet creatura intellectualis iuſtificari, eſt obſcurior, eò meritum eſt maius: quia quò obiecti notitia eſt obſcurior, eò magis intellectum captiuamus in obſequium fidei, credendo obiectum reuelatum propter ſolam authoritatem Dei.

36. Ad fundamentum Bonauenturæ, negatur Antecedens: nulla enim apparet indecentia, ſed potiùs ſumma congruentia, tum propter maius meritum, tum propter vniformem modum iuſtificationis, vt etiam in ſtatu Innocentiæ homo iuſtificatus fuerit obſcura notitia Myſteriorum fidei, vti iuſtificatur in hoc ſtatu. Ad Confirmationem, negatur Minor ſubſumpta. Et enim potuit Deus Myſteria fidei primis hominibus proponere vt euidenter credibilia, non euidentia phyſica, ſed morali, eo modo, quo ſuprà diximus interdum propoſuiſſe Prophetis. Quam euidentiam habere potuerunt primi Parentes vel miniſterio Angelorum, vel immediatè ab ipſo Deo per internas mentis illuſtrationes, moraliter tantùm illos certificantes de atteſtatione diuina.

37. Quorum autem obiectorum explicitam fidem Protoparentes habuerint, variant inter ſe Doctores. Certum eſt, eos explicatam fidem habuiſſe Dei authoris & remuneratoris gloriæ & donorum ſupernaturalium: nam hæc, vt ex præclaro teſtimonio Pauli probauimus, omnibus viatoribus, omnique tempore neceſſaria fuit. Vnde non ſolùm illam habuerunt poſt, ſed etiam ante commiſſum peccatum. In quo igitur diſcrepant Doctores, eſt, an habuerint expreſſam fidem Myſterij Incarnationis.

inter virtutes numerat opinionem,quę poteſt ad falſum inclinare.

26. Dico 5. Munus habitus fidei infuſę, non eſt obiectum reuelatum apprehendere, ſed illi aſſentiri vt vero ex teſtimonio diuino. Aſſertio probatur duplici fundamento: Primò, quia habitus fidei infuſæ eſt tantùm iudicatiuus de veritate obiecti reuelati, propter authoritatem Dei dicentis: ergo ſolùm ordinatur ad iudicium ferendum de obiecto reuelato. Secundò: quoniam apprehenſio, qua apprehenditur obiectum fidei, non eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam: ergo non eſt ab habitu infuſo fidei. Conſequentia conſtat, quia hic tantùm infunditur propter actum, qui elici non poteſt à natiua virtute intellectus: alioqui fruſtra infunderetur, ſi poſſet à natiua virtute ipſius elici. Antecedens probatur: nam hæc apprehenſio fit medijs ſpeciebus naturalibus; fit enim per ſpecies alienas hauſtas ex ſenſibus, & virtute intellectus agentis è phantaſmatibus erutas. Experientia namque conſtat, obiecta ſupernaturalia nos intelligere ad inſtar obiectorum naturalium. Confirmatur, quia nullum eſt fundamentum, aut neceſſitas aſſerendi, ad huiuſmodi obiecta apprehendenda Deum ſupernaturales ſpecies nobis infundere, cùm ſufficiant naturales. Non negauerim ſæpè Deum ſpeciali auxilio intra ordinem naturæ concurrere ad huiuſmodi ſpecies naturales in nobis meliùs coordinandas, vt per eas faciliùs, promptiuſque apprehendamus Myſteria fidei, vti facere ſolebat cum Prophetis.

SECTIO II.

In quo tanquam in ſubiecto remoto ſit habitus fidei infuſæ?

27. Constat ex præcedenti ſect. habitum fidei infuſæ, tanquam in ſubiecto proximo eſſe in intellectu, quem eleuare debet ad actum ſupra ſuas vires eliciendum. In hac diſputandum eſt de ſubiecto remoto: ſunt autem ſubiectum remotum fidei omnes creaturæ intellectuales ad ſupernaturalem beatitudinem ordinatæ. Quarum aliæ conſiderari poſſunt, prout ſunt, vel aliquando fuerunt in via; aliæ vt ſunt, vel aliquando erunt in termino aut beatitudinis, aut damnationis. De viatoribus triplex eſt difficultas: Prima eſt de primis hominibus in ſtatu innocentiæ poſitis: Secunda de Angelis in via exiſtentibus: Tertia de animabus purgantibus. De exiſtentibus in termino duplex eſt difficultas, de damnatis, & beatis. De ſingulis hic diſputabimus.

An primi Parentes habuerunt fidem infuſam?

28. Negat Magiſter Sententiarum in 2. diſt. 23. & diſt. 24. In primo enim loco docet, primos homines in ſtatu Innocentiæ non habuiſſe ænigmaticam cognitionem, qualē nos habemus per fidem, ſed per quandam interiorem aſpirationem, qua Dei præſentiam contēplabantur. In ſecundo verò negat, illis infuſam fuiſſe gratiam, qua bonum perficere, & vitam æternam promereri poſſent; ſed auxilium duntaxat gratiæ, quo poſſent malo reſiſtere. Gratia autem, quâ bonum perficere, & vitam ęternam promereri poſſumus, eſt gratia habitualis, ſine qua nullum noſtrum opus eſt æternæ vitæ condignè meritoriū, vt ex 3. Tomo diſp. vlt. de merito ſuppono: negata autem gratia habituali, negantur conſequenter cum ea reliqui habitus ſupernaturales, qui ſimul cum ea tanquam proprietates cum natura infunduntur. Eandem ſententiam ſecutus eſt Hugo de Sancto victore apud S. Thomam 2. 2. q. 5. art. 1. ad. 1. Alenſis. 3. p. ſuæ ſummæ, q. 80. mem. 3. & Bonauentura in 2. diſt. 23. art. vlt. q. 3. *Magiſter.* *Hugo.* *S. Thomas.* *Alenſis.* *Bonauent.*

29. Fundamentum Bonauenturæ, quod ſimul Magiſtri fundamentum eſt: quia non decebat in eo ſtatu, qui medius erat inter ſtatum noſtræ viæ, & Patriæ, eſſe cognitionem obſcuram & ænigmaticam fidei; ſed claram, non intuitiuam, vt in Patria; ſed abſtractiuam, qualem habuerunt Angeli de Deo in via. Confirmatur. Primi Parentes debuerunt habere euidentiam credibilitatis Myſteriorum noſtræ fidei: atqui illam non habuerunt per teſtimonia & rationes humanas, quia non fuerunt illis hæc propoſita ab aliquo proponente creato, vti proponuntur nobis, ſed immediatè à Deo: à Deo autem non potuerunt proponi per cognitionem obſcuram, nam de ea recurreret eadem difficultas; ergo per cognitionē̄m euidentem, ſaltem in atteſtante, qua illis euidēter conſtabat, talium Myſteriorum atteſtationem eſſe à Deo.

30. Fundamentum Alenſis eſt. Cognitio, quæ per fidem habetur, adueniente gloria euacuatur: cognitio autem, quam de Deo primi Parentes in ſtatu innocentiæ habebant, euacuata non fuiſſet, adueniente gloria, ſed potiùs perfecta: non igitur in illis fuit cognitio obſcura fidei, & per conſequens nec habitus, nam hic datur propter cognitionem obſcuram. *Alenſis.*

31. Affirmat verò S. Thomas loco præcitato, & cum eo reliqui Scholaſtici. Quæ Sententia intelligi poteſt de fide ante, vel poſt commiſſum peccatum. In vtroquē ſenſu videtur certa Sententia definita in Concilio Tridentino ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali, vbi hæc habet: *Si quis non confitetur primum hominum Adam, cùm mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus ſtatim Sanctitatem & iuſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe,* &c. *anathema ſit* & Seſſ. 6. cap. 7. docet eundem Adamum ſua inobedientia & ſibi, & nobis *S. Thomas.* *Conc. Trid.*

bis iuſtitiam perdidiſſe. Porrò iuſtitia, quam Adam ſibi & nobis perdidit, fuit ea ipſa, quę virtute meritorum Chriſti in Baptiſmo nobis reſtituitur, quę, vt idem Concilium prænotato cap. 7. explicat, cum ipſa gratia iuſtificante includit fidem, ſpem, & charitatem. Igitur Adam cum gratia ſanctificante, in qua ante peccatum à Deo conſtitutus fuerat, ſimul accepit habitus infuſos fidei, ſpei, & charitatis. Eadem ratio & diſcurſus probat, eoſdem habitus vnà cum gratia iuſtificante illi reſtitutos fuiſſe per pœnitentiam, poſt retractatum peccatum: tum quia per veram pœnitentiam reſtituitur eadem gratia iuſtificās, & habitus ſupernaturales cum ea naturaliter connexi: tum quia idem fuit iuſtificationis modus in Adamo, & in nobis: ſed ex Concilio in nobis iuſtificatio fit per infuſioné gratię Sanctificantis, & donorum fidei, ſpei, & charitatis, quę cum ipſa iuſtificatione infunduntur: ergo idem iuſtificationis modus poſt retractatum peccatum fuit in Adamo.

Geneſ. 1. 32. Eadem Sententia colligitur ex illis verbis Geneſ. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Fuit autem homo factus ad imaginem & ſimilitudiné Dei, tum per participationem donorum naturalium, & intellectricis naturæ, per quam exprimit naturam diuinam ſummè intelligentem, tum per participationem donorum ſupernaturalium Sanctitatis & Iuſtitiæ, reliquarumque infuſarum virtutum, quibus propiùs accedit ad naturam diuinam, cuius ſupernaturalem ſimilitudinem participando, fit eiuſdem naturæ conſors. Huic loco concordat ille ad Epheſ. 4. *Renouamini Spiritu mentis veſtra, & induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia & Sanctitate veritatis*: & ad Coloſſ. 3. *Induentes nouum hominem, qui renouatur in agnitionem ſecundùm imaginem eius, qui creauit illum.* Nam licet per nouum hominem creatum ſecundùm imaginem Dei in iuſtitia & Sanctitate, nonnulli intelligant de Chriſto: multi tamen interpretantur de ipſo Adamo, qui creatus fuit Sanctus, & iuſtus coram Deo, vt in priorem locum notauit noſter Cornelius à Lapide.

Ad Epheſ. 4. *Ad Coloſſ. 3.* *Corn. à Lap.*

Hebr. 11. 33. Probatur hęc ſententia ratione 1. quoniam *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo* Hæbrę. 11. Sed primi homines tam in ſtatu innocentię, ante peccatum, quàm poſt per pœnitentiam condonatum peccatum placuerunt Deo: ergo habuerunt fidem. Minor patet: nam neque in ſtatu innocentiæ, neque poſt condonatum peccatum diſplicuerunt Deo, cùm nequeat homo diſplicere Deo, niſi propter peccatum: ergo placuerūt Deo, cùm in ordine ad Deum, qui ſemper eſt vltimò terminatus per modum actus ſecūdi ad creaturas, non detur medium. Nec dici poteſt, placuiſſe Deo naturaliter quoad dona naturalia tantùm: nam ea complacentia placuerunt Deo, quæ per poſitionem fidei ponitur, & per non poſitionem fidei non ponitur, vt pręcitatum teſtimonium indicat: hęc autem eſt ſupernaturalis quoad dona Supernaturalis: quia naturalis, vti non pendet à fide, ita eſſe poteſt ſine fide.

34. Video adhoc reſponderi poſſe, ſat fuiſſe, vt Adamus habuerit fidem actualem. Sed contrà: tum quia hanc ipſam fidem à fortiori negant Aduerſarij, qui in illo ponunt cognitionem mediam inter obſcuram fidei, & claram Patriæ. Tum quia ſi habuit fidem actualem, conſequens etiam eſt, vt etiam habuerit fidem habitualem, vel infuſam ante actum, vt connaturaliùs illū eliceret; vel poſt actū in præmiū ſaltem de congruo ipſius actus.

35. Probatur 2. quoniam tam in ſtatu innocentiæ ante peccatum, quàm poſt condonatum peccatum indigebant primi homines cognitione aliqua Supernaturali, quæ eos dirigeret ad conſequendum finem ſupernaturalem per media ſupernaturalia fini proportionata: hæc autem de lege ordinaria non potuit eſſe alia, quàm fidei: ergo in vtroque ſtatu habuerunt fidem. Maior elucet, quoniam in vtroque ſtatu erant à Deo ordinati ad conſequendam ſupernaturalem beatitudinem, per actus illi proportionatos: ergo in vtroque ſtatu debuerunt habere notitiam finis ſupernaturalis, ſine qua de facto nullus finem ſupernaturalem conſequitur. Minor probatur, nam hæc eſt magis proportionata pro ſtatu viæ, & ad meritum magis conducens: quò enim notitia obiecti, cuius fide debet creatura intellectualis iuſtificari, eſt obſcurior, eò meritum eſt maius: quia quò obiecti notitia eſt obſcurior, eò magis intellectum captiuamus in obſequium fidei, credendo obiectum reuelatum propter ſolam authoritatem Dei.

36. Ad fundamentum Bonauenturæ, negatur Antecedens: nulla enim apparet indecentia, ſed potiùs ſumma congruentia, tum propter maius meritum, tum propter vniformem modum iuſtificationis, vt etiam in ſtatu Innocentiæ homo iuſtificatus fuerit obſcura notitia Myſteriorum fidei, vti iuſtificatur in hoc ſtatu. Ad Confirmationem, negatur Minor ſubſumpta. Et enim potuit Deus Myſteria fidei primis hominibus proponere vt euidenter credibilia, non euidentia phyſica, ſed morali, eo modo, quo ſuprà diximus interdum propoſuiſſe Prophetis. Quam euidentiam habere potuerunt primi Parentes vel miniſterio Angelorum, vel immediatè ab ipſo Deo per internas mentis illuſtrationes, moraliter tantùm illos certificantes de atteſtatione diuina.

37. Quorum autem obiectorum explicitam fidem Protoparentes habuerint, variant inter ſe Doctores. Certum eſt, eos explicatam fidem habuiſſe Dei authoris & remuneratoris gloriæ & donorum ſupernaturalium: nam hæc, vt ex præcitato teſtimonio Pauli probauimus, omnibus viatoribus, omnique tempore neceſſaria fuit. Vnde non ſolùm illam habuerunt poſt, ſed etiam ante commiſſum peccatum. In quo igitur diſcrepant Doctores, eſt, an habuerint expreſſam fidem Myſterij Incarnationis.

38. Alij ſimpliciter negant: Alij ſimpliciter concedunt tam ante, quā poſt peccatum. Nonnulli explicitam fidem huius Myſterij ſolùm illis concedunt poſt peccatum, non autem ante: tum quia ſi habuiſſent antè explicitam fidem Chriſti Redemptoris, facti fuiſſet præſcij ſui caſus. Tum quia gratiam, quam ante peccatum habuerunt, non acceperunt ex meritis Chriſti: igitur non fuit illis neceſſaria fides Chriſti: fuit tamen illis neceſſaria fides Chriſti poſt peccatum, quoniam iuſtificationem à peccato acceperunt ex meritis Chriſti. Alij demum docent, primos homines habuiſſe explicitam fidem Chriſti, etiam ante peccatum, vt conſummatoris tantùm gloriæ, poſt verò peccatum, etiam vt Redemptoris.

39. Cæterum hæc controuerſia, vt claret, non eſt de fide habituali, quam omnes fateri debent, primos Parentes accepiſſe cum ipſa iuſtitia & Sanctitate habituali, quā ante peccatum à Deo infuſam accepit cum omnibus ijs donis ſupernaturalibus, quæ illam naturaliter comitantur: ſed tantùm de fide actuali. Et quidem in mea ſententia, qui puto omnem gratiam collatam fuiſſe Adamo propter merita Chriſti, conſequenter etiam doceo, illum habuiſſe explicitam fidē Chriſti, etiam ante peccatum, vt ſe illi gratum præberet agnoſcendo illum vt Authorem acceptæ Sanctitatis. Nec propterea inde ſequitur, illum fuiſſe pręſcium ſui caſus, quia potuit illi reuelari vnū, non reuelato altero. Tametſi ex hoc ſequatur, non habuiſſe ante peccatum explicitam fidē Chriſti, vt Redemptoris: quia hæc inuoluit peccatum, cuius cognitio magnam triſtitiam illi cauſaſſet, quæ aliena fuiſſet ab illo ſtatu, in quo ſumma tranquillitas & pax regnabat: ſed ſolùm habuiſſe fidem Chriſti, S. Thomas. vt Authoris & conſummatoris gloriæ, vt S. Tho. docet 2.2.q.2.a.7. poſt peccatum verò, etiam vt redēptoris. Atque ex his patet, quid dicendum ſit ad aliorū præcitatas ſententias.

An Angeli Viatores habuerint fidem infuſam?

40. SVPPONO ex 2. Tom. de Angelis diſp. 18. ſect. 2. nō fuiſſe Angelos ſtatim initio ſuę creationis, cū patrię beatitudine, cum qua naturaliter ſaltē repugnat fides, conditos; ſed fuiſſe per aliquam moram temporis extra beatitudinem, in via tantùm ad illam proprijs actibus promerendā, vel demerendam: cùm hic ſit connaturalior modus, quē Deus ſeruat etiā in hominibus, vt ſemper beatitudinis pręmium tempore ſubſequatur meritum. Hoc autem poſito, inſurgit difficultas, an in ſtatu viæ Angeli habuerint fidem ſupernaturalem infuſam, & quorum obiectorum.

Durandus. 41. Durandus in 3. diſt. 23. q. 9 num. 12. non irrationabile putat, Angelos nō habuiſſe fidem infuſam in ſtatu viæ, tametſi habuerint gratiam Sanctificantem cū reliquis habitibus infuſis, vt ibidem docet, & in 2. diſt. 4. q. 2. Ex quo infert, Angelos nō promeruiſſe beatitudinem credendo, ſed obediendo tantùm pręcepto diuino, vti Chriſtus dominus. Eiuſdem Sententiæ fuerunt Alenſis 3. p. q. 80. memb. 2. Alenſis. Bonauētura in 3. diſt. 23. art. 2. q. 3. Bonauent. quos ſuppreſſo nomine citat Durandus. Fundamentum Durandi eſt: quoniam ſi fuiſſet aliquid Angelo reuelatum, illud non potuiſſet credere aſſenſu obſcuro fidei, ſed euidenti ſcientię: ergo non potuiſſet in eo fides locum habere. Antecedens probat: nam ex vna parte euidens erat Angelo, quidquid Deus dicit, eſſe verū: ex alia parte euidens etiam illi fuiſſet, ſi quid Deus ſibi reuelaſſet, reuelationem illam fuiſſe à Deo: ergo non potuiſſet reuelatum credere aſſenſu fidei, ſed ſcientiæ. Minorem oſtendit: quoniam illam reuelationem non accepiſſet Angelus ab homine, qui nōdum creatus erat; neque ab alio Angelo, quoniā operatio vnius Angeli non latet alterum Angelum: ergo habuiſſet illam à Deo: proinde euidenter ſciuiſſet reuelationem illam ſibi fieri à Deo; & conſequenter non aſſenſu fidei, ſed ſcientiæ cognouiſſet obiectum reuelatum atteſtatum fuiſſe à Deo. Confirmatur, quia potuerunt Angeli ex gratia & donis ſupernaturalibus ſibi infuſis euidenter abſtractiuè cognoſcere Deum vt authorem talium donorum: ergo nō fuit illis neceſſaria cognitio obſcura fidei.

42. Richardus in 3. d. 23. a. 6. q. 3. negat fuiſ- Richardus. ſe fidem infuſam Angelis malis ante eorū lapſum; non autē Angelis bonis. Fundamentū ipſius eſt: quoniam fides non infunditur ſine gratia, quam mali Angeli nunquā habuerunt.

43. Sanctus Thomas 2. 2. q. 5. art. 2. & cū S. Thom. eo Thomiſtæ atque interpretes omnes affirmant, omnibus Angelis in ſtatu viæ infuſum fuiſſe habitum fidei. *Quæ Sententia vera eſt, & amplectenda. Licet de fide certa non ſit:* eo quòd definitio iuſtificationis à Tridentino Tridēt. ſeſſ. 6. cap. 7. aſſignata, Angelos non comprehēdit, ſed ſolos homines. Probat autem hanc Hebr. 11. ſententiam S. Thomas ex præcitato teſtimonio Pauli ad Hebræos 11. *Accedentē ad Deum oportet credere:* atqui omnes Angeli in prima ſui creatione fuerunt in ſtatu accedendi ad Deum; ergo habuerunt fidem. Confirmatur, nam eodem Apoſtolo teſte, *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo:* omnes autem Angeli initio ſui ortus placuerunt Deo; cùm omnes Angeli initio ſui ortus conſtituti ſint in gratia, vt in 2. Tomo præcitata Diſp. 18. ſect. 3. cum communi Sententia Doctorum & Patrū latè probo: igitur omnes Angeli initio ſuæ creationis cū ipſa gratia ſanctificante acceperunt fidem infuſam, & reliquos habitus ſupernaturales.

44. Probatur 2. Nam etiā Angeli, vt ibidē oſtendo, à Deo conditi ſunt, ea conditione vt proprijs actibus ſupernaturalem beatitudinē ſibi condignè promererētur: ad quam condignè promerendā de lege ordinaria neceſſaria fuit fides infuſa de Deo authore & remuneratore gloriæ & donorum ſupernaturaliū. Neque apparet ratio, cur ex hac communi lege exēpti fuerint Angeli; quin potiùs omnes rationes, quæ probāt, hanc eſſe neceſſariam hominibus, probant etiam illam neceſſariam fuiſſe Angelis. Et authoritates Patrum non minùs oſtendunt debuiſſe Angelos, quàm homines, per actus ſupernaturales

Digitized by Google

turales in fide diuina fundatos beatitudinem cóſequi. Atque hæc ratio immediatè quidem & directè probat de fide actuali, mediatè verò & indirectè etiam de habituali. Nam ſi neceſſaria fuit in Angelis fides actualis, congruum etiā fuit ad connaturalem modū operandi, vt in eis etiam eſſet fides habitualis.

45. Ad fundamentum Durandi negatur Antecedēs. Ad cuius probationem Reſp. hoc ad ſummum tantùm probare de primo Angelo, qui ſolus, vt ſuppono ex 2. tom. diſp. 20. ſect. 8. euidētiā habuit in atteſtante, non autē de reliquis, qui de Myſterijs fidei docti & inſtructi fuerunt à primo, qui propoſitus illis fuit à Deo tanquam caput & Superior, à quo de rebus ſupernaturalibus edoceri, eiq; parere deberent. Quare negandum eſt, quod Durandus aſſumit, non poſſe vnum Angelum ab alio de Myſterijs fidei inſtrui, eo quòd operatio vnius Angeli non lateat alterum Angelū: quia cùm iſtæ operationes ſint internæ, non poſſunt eſſe manifeſtæ alteri Angelo, niſi ipſe Angelus illas velit alteri manifeſtare. Et quia primus Angelus, qui Myſteria fidei ex præcepto Dei alijs credenda proponebat, nondum erat beatus, vt fallere & mentiri non poſſet, non erat Angelis, quibus talia Myſteria proponebantur, euidens, quòd illa eſſent à Deo, proinde non euidenter, ſed obſcurè illis aſſentiebantur.

46. De primo verò Angelo dici poteſt, vel quòd ille habuerit euidētiam tantùm moralem de atteſtatione diuina, quæ illius intellectum non neceſſitabat, neque quoad ſpecificationē, neque quoad exercitium: ac proinde potuit cum illa habere perfectum aſſenſum fidei. Vel etiamſi habuerit Phyſicam euidentiā, adhuc cum illa habere potuit obſcurum aſſenſum fidei circa obiectum propoſitum, liberum ſaltem quoad exercitium. Euidentia enim in atteſtante non tollit obſcuritatē obiecti atteſtati, qua manente, in libera poteſtate Angeli eſt, aſſenſum præbere, vel nō præbere: licet in libera poteſtate ipſius non ſit tali obiecto diſſentire. Atqui libertas quoad exercitiū ſufficit ad meritum per fidem inchoandum. An autem talis actus, & per conſequens habitus, à quo talis actus procedit, ſpecie differat ab actu & habitu fidei, conſtat ex ijs, quæ diximus diſp. 2. ſect. 5.

47. Ad Confirmat. Reſp. 1. negando, Angelū cognitione naturali cognoſcere potuiſſe dona ſupernaturalia ſibi à Deo infuſa, vt ſuppono ex 2. tomo de Angelis diſp. 13. Reſp. 2. eſto illa cognouerit, adhuc nego, talem cognitionē fuiſſe ſufficientem ad fundandum meritum, ad quod de facto ex lege Diuina requiritur notitia Dei, non ſolùm quatenus author eſt bonorum ſupernaturalium, ſed etiam quatenus eſt Trinus & Vnus, & Remunerator: hæc autem ex vi cognitionis, qua Angelus cognoſcebat dona Supernaturalia ſibi à Deo infuſa cognoſcere non poterat: nam vi talis cognitionis ad ſummum cognoſcebat, Deum eſſe authorem talium donorum, non autem Remuneratorem, multoque minùs vi Trinum in perſonis & vnum in natura.

48. Ad fundamentū Richardi, neganda eſt Minor. Falſum quippe eſt, vt ex præcitato 2. noſtro Tomo de Angelis diſp. 18. ſect. 3. ſuppono, non fuiſſe Angelis malis initio creationis ante ipſorum caſum communicatam gratiam ſanctificantem, & conſequenter cum ea reliquos habitus infuſos.

49. Reſtat difficilior controuerſia, quorum obiectorum fidē habuerint Angeli initio ſuæ Creationis. Et ſanè indubitatū eſt apud omnes, qui fidem infuſam concedunt in Angelis cum notitia Dei authoris ac Remuneratoris gloriæ & donorū ſupernaturalium, reuelatū illis quoque fuiſſe Myſterium ipſum Sanctiſſimę Trinitatis, cū hoc ſit fundamentū omniū Myſteriorū noſtræ fidei, ſine cuius reuelata notitia nulli de facto contingit ſalus. Nōnulla difficultas eſt de Myſterio Incarnationis, an illud reuelatū fuerit Angelis in via exiſtētibus.

50. Negāt aliqui Thomiſtę, quos tacito nomine refert Vaſquez 1. p. diſp. 215. c. 1. *Vaſquez.* Quā ſententiam probabilem cenſet Molina 1. p. q. *Molina.* 57. a. 5. diſp. 2 Probatur 1. ex diuinis Oraculis, quæ hanc notitiam negant Angelis. Epheſ. *Epheſ. 3.* 3. vbi Apoſtolus Incarnationem appellat Sacramentū à ſeculis abſconditum in Deo: fuit autem hoc Myſterium à ſeculis abſconditū, quoniam, vt in hunc locū teſtatur Hieron. *Hyeronym.* *illud ipſa ſecula ignorarunt, hoc eſt omnes Spirituales & rationales creaturæ.* Et clariùs de eodem Myſterio ibidem ſubdit Paulus: *Vt innoteſcat Principatibus & poteſtatibus in Cœleſtibus per Eccleſiam.* In quem locū Chryſoſt. Homil. 7. *Chryſoſt.* *Myſterium itaq́, inquit illud, quid fuerit, ignorabant Angeli. Nam ſi Principatus ignorabant, vtiq́ multo magis Angeli.* Et Paulò poſt: *Nam Myſterium, ait, ipſum propterea vocat, quod illud neque Angeli cognoſcebāt, neque cuiquā alteri notum erat.* Et ne explicari poſſit de ignorantia tantùm quoad circumſtantias, non autē quoad ſubſtantiam ipſam Myſterij, addit taxatiuam *ſolùm: hoc, inquit, ſolū ſciebant Angeli, quòd portio Domini eſſet populus eius.* Hanc eandem ſententiam nonnulli Patres colligunt ex illa interrogatione facta ab Angelis Pſal. 23. *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* *Pſal. 23.* & Iſaiæ 63. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom?* *Iſaia 63.* Interrogatio autem ignorantiam ſupponit.

51. Secundò probatur eadem ſententia ratione. Etenim ſi hoc Myſterium reuelatum fuiſſet omnibus Angelis initio ſuæ creationis, potuiſſent Dęmones illud executioni mādatū euidenter cognoſcere. Hoc autē eſt contra Scholaſticos & Patres, qui cōmuniter negant, Dęmones illud executioni mādatū euidēter cognouiſſe, alioqui cōnati fuiſſent illud impedire. Maior conſtat, quia cōferendo hoc Myſterium ſibi antea reuelatum cum eodem executioni mandato, facilè deuenire potuiſſent in euidentem notitiam ipſius. Confirmatur: quia cùm Angeli non habuerint gratiam & gloriam dependenter à meritis Chriſti, ſiquidem Chriſtus prędeſtinatus eſt in Decreto Dei poſt præuiſum peccatum Adæ, quod in eodem decreto diuino ſupponebat iam

gratiam & gloriam collatam Angelis, non fuit in eis de Chriſto incarnando fides neceſſaria: nam hæc neceſſaria tantùm eſt ijs, qui iuſtificandi ſunt propter merita ipſius Chriſti.

52. Communis tamen ſententia Theologorum affirmat, omnibus Angelis initio ſuę creationis reuelatũ fuiſſe Myſterium Incarnationis, non quidem quoad omnes circumſtantias, quibus de facto executioni mandatum eſt, ſed tantùm quoad ſubſtantiam: ita S. Thomas 1. p. q. 64. art. 1 ad 4. & 2. 2 q. 2. art. 7. ad 1. & in 2. diſt. 11. q. 1. art. 4 quem plerique ipſius interpretes ſequuntur. Quæ ſententia vti communior inter Doctores, ita longè probabilior eſt. Eamque expreſsè docuit Auguſtinus lib. 5 de Geneſi ad Literam cap. 19. vbi hæc de Angelis ſcribit: *nam nec illud eos latuit Myſterium Regni Cœlorum, quod opportuno tempore reuelatum eſt pro ſalute noſtra.* Et paucis interiectis: *Neque hoc*, inquit, *ignorarent, quandoquidem ipſum ſemen, quod opportuno tempore aduenit, per ipſos diſpoſitum eſt in manu mediatoris, id eſt in eius poteſtate, qui Dominus eorum eſt, & in forma Dei, & in forma ſerui*. Qui etiam non incongruam huius rei rationem aſſignat: quia ſcilicet Chriſtus, & quà Deus, & quà homo eſt Angelorum Dominus: proinde debuerunt illum à principio ſui ortus vt dominum agnoſcere, eique homagium atque obedientiam præſtare. Ad quod propoſitum multi adaptant illa Verba Hebræos 1. *Et cùm iterum introducit primogenitum in Orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei*: Vt primò quidem fuerit Chriſtus ab Angelis initio ſuę creationis adoratus, quando illis per fidem adorandus propoſitus fuit: Secundò cùm re ipſa Incarnatus eſt, & in orbem per realem naturæ noſtræ aſſumptionem introductus. Auguſtino concordat Beda iiſdem planè verbis ab Auguſtino deſcriptis in 3. caput Epheſ. Idem, ſed ſub dubio tradit Bernardus ſerm. 17. in Cantica.

S. Thomas. Auguſtin. Hebr. 1. Beda. Bernardus.

53. Ratione verò probatur: nam ſiue Angeli ſuam eſſentialem beatitudinẽ & gratiam habuerint ex meritis Chriſti, vt ego probabilius cenſeo, de qua controuerſia diſputo Tomo 6. ſiue accidentalem tantum, vt multi opinantur, congruum fuit, vt de eo, antequam bearentur, explicitam fidem haberent, cuius meritis multa dona ſiue ſubſtantialia, ſiue accidentalia eſſent habituri. Hoc enim & ad Chriſti dignitatem, quam credẽdum non eſt, ei ęternum Patrem denegaſſe; & ad gratitudinem Angelorum ſpectat. Vt quem habituri eſſent caput & benefactorem in gloria, priùs colerẽt & adorarẽt per libera obſequia in via.

54. Dices. In noſtra ſententia Angeli initio ſuæ creationis non acceperunt gratiam & virtutes infuſas per propriam diſpoſitionem, ſed omnino gratis à Deo: ergo non fuit illis neceſſaria fides Chriſti: nam hæc eatenus neceſſaria eſt, quatenus eſt principium operis meritorij alicuius gratiæ per Chriſti merita obtinendæ: ergo ſi omnino gratis, & non proprijs meritis gratiam & virtutes initio ſuæ creationis acceperunt, non fuit illis Chriſti fides neceſſaria.

55. Reſp. diſtinguendo de fide: non fuit illis neceſſaria fides Chriſti actualis ad accipiendam gratiam & virtutes gratis infuſas, concedo: nam hæc ante omnem actum meritorium, adeoque ante omnem actum fidei acceperunt. Non fuit illis neceſſaria fides habitualis, qua mediante connaturaliùs poſſent ſua condigna obſequia in Deum, & in Chriſtum exhibere, nego. Quemadmodum neceſſaria non eſt fides actualis in paruulis, vt cum gratia ſupernaturales virtutes per Baptiſmum recipiant: eſt tamen illis neceſſaria fides habitualis, qua mediante connaturaliùs poſſint, cùm ad vſum rationis perueniunt, ſua libera obſequia Deo, & Chriſto offerre.

56. Neque per ſe conſequitur, vt quidquid datur propter merita Chriſti, dari debeat intuitu fidei eiuſdem Chriſti. Nam primum auxilium, quod datur adultis ad credendum in Chriſtum, datur propter merita Chriſti, & tamen non datur intuitu fidei in Chriſtum: alioqui auxilium credẽdi in Chriſtum, quod eſt principium ipſius actus credendi, caderet ſub meritum, quod implicat. Imò neque neceſſum eſt, vt quod nobis datur intuitu noſtri meriti, ſiue de congruo, ſiue de condigno, nobis detur intuitu fidei in Chriſtum: quippe qui elicere poſſumus opus vel de congruo, vel de condigno meritorium, quod non procedat ex actuali fide in Chriſtum, tanquam ex regula proximè dirigente, vt eſſet ſupernaturalis dilectio Dei proximè tantùm fundata in fide Dei authoris ac finis ſupernaturalis.

57. Ad argumenta oppoſitæ Sententiæ. Primum locum Pauli explicat Anſelmus, dici hoc Myſterium Sacramentum à Seculis abſconditum: tum quia inquit, *nec humana merita, nec carnales obſeruantia potuerunt illud reuelare*: Hoc eſt niſi illud à Deo reuelatum fuiſſet, non potuiſſet per hominis, vel alterius creaturæ merita cognoſci: tum quoad nonnullas circumſtantias; *quia*, inquit, *ex quo ſecula ſumpſerunt principium, nulli ſunt ita patefactum, vti nunc Apoſtolis*. Quibus verbis non omnino negat, illud patefactum fuiſſe Angelis, ſed nõ ita plenè ac perfectè, ſicut Apoſtolis.

Anſelmus.

58. Secundus locus explicatur ab eodem, quantum ad varia & multiformia opera Sapientiæ diuinæ, quæ in executione huius Myſterij manifeſtata ſũt Angelis. Reliqua autem loca ex Pſalmo, & Iſaia adducta exprimunt ſolam admirationem, non ignorantiam Angelorum: alioqui, cùm hęc interrogatio facta ſit ab Angelis poſt Chriſti aſcenſum in Cœlum, non poterãt eo tempore Angeli hoc Myſterium ignorare, cùm multò antea illud executioni mandatum & nouerint, & hominibus annuntiauerint Lucę 2. *Natus eſt vobis hodie Saluator mundi, qui eſt Chriſtus Dominus.*

Luca 2.

59. Ad rationem, negatur Sequela Maioris: quia cùm hoc Myſterium non fuerit ab initio reuelatum Angelis quoad omnes circũſtantias, ſed quoad ſubſtantiam tantũ non potuerunt

runt illud poſtea executioni mandatum certò cognoſcere. Ad confirmationem, primò falſum eſt, vt ſuppono ex 6 Tomo de Incarnatione, Angelos non habuiſſe gratiam & gloriam eſſentialem ex meritis Chriſti. Secundò, eſto illam ex meritis Chriſti non habuerint, decuit tamen propter Chriſti dignitatem, vt illum ſtatim agnoſcerent vt Dominum & benefactorem, ſi non gratiæ & gloriæ eſſentialis, ſaltem multorum donorum accidentalium, eique in via exiſtentes libera ſua obſequia præſtare per fidem concepto.

60. Diſputari hic ſolet, an fides Angelorum fuerit eiuſdem ſpeciei cum fide hominum. Et ſanè quoad habitum nulla poteſt eſſe controuerſia: nam hic tam in homine, quàm in Angelo intellectum eſſentialiter inclinat ad credendas veritates reuelatas propter teſtimonium Dei. Nonnulla difficultas eſt de actu fidei: nam hic ab homine elicitur cum compoſitione & diuiſione, ab Angelo verò abſque compoſitione & diuiſione. Sed quidquid ſit, an actus fidei ab Angelo eliciatur cum compoſitione & diuiſione, an ſine diuiſione & compoſitione, nulla apparet inter ipſius fidei actum & hominis eſſentialis differentia: cùm vtriuſque actus ſpecificetur ab eodem motiuo formali authoritatis diuinæ reuelantis; totumque illud, quod per compoſitionem & diuiſionem interuenit, habeat ſe tantùm materialiter ad ipſam ſpecificationem actus fidei: quod rectè cum Bannez & Suarez notauit Turrianus 2. 2. diſp. 48. dub. 2. in fine. *Bannez. Suarez. Turrianus.*

61. Cæterùm, etſi circa obiecta, quorum intuitiuas ſpecies Angelus habet, non diſcurrat, vel cognoſcat componendo & diuidendo; circa ea tamen obiecta, quorum intuitiuas ſpecies non habet, cuiuſmodi ſunt Myſteria fidei, nil prohibet circa ea diſcurrere componendo & diuidendo, vt docuimus in 2. Tomo de Angelis diſp. 14. Sect. 1. Adde quòd tam in Angelo, quàm in homine actus fidei ſit per ſimplicem adhæſionē obiecti materialis, propter formale, non autem per diſcurſum, vt ex ſuprà diſputatis conſtat: proinde quidquid compoſitionis, vel diuiſionis interuenit in actu fidei hominis, merè extrinſecè & accidentaliter ſe habet ad ipſum actum fidei.

An in animabus purgantibus ſit habitus fidei infuſa?

62. SENTENTIA eſt affirmans, & me iudice certa. Vnicum, idque efficax fundamentum eſt, quia licet non ſit illis neceſſarius habitus fidei vt principium meriti, cùm non ſint ampliùs in ſtatu merendi: eſt tamen illis neceſſarius vt principium ſpei, Charitatis, patientiæ, aliorumque actuum ſupernaturalium virtutum, quos ibi exercent. Multos enim ibi exercent virtutum actus, quos vt cõnaturaliter exerceant, indigent habitu infuſo fidei, quem tales actus ſupponunt, in eoque fundantur. Dixi, *vt connaturaliter exerceant:* nam etſi eos poſſint abſque intrinſeco habitu exercere, ad connaturalius tamen illos exercendos egent habitu: qui in eis non ceſſat, niſi in ingreſſu gloriæ, cuius inceptio eſt deſitio habitus fidei, cui ſuccedit lumen gloriæ vt connaturale ac neceſſarium principium viſionis beatæ.

An in damnatis ſit fides infuſa?

63. AFfirmat Durandus in 3. diſt. 23. q. 9. de iis damnatis, qui ante damnationem habuerunt fidem infuſam. Vnde de Dæmonibus conſequenter docet, ſi ante caſum habuerunt fidem, illam retinere in ſtatu damnationis. Probat hanc Sententiam Durandus: quoniam fides non poteſt amitti, niſi ratione ſtatus vel actus contrarij: non poteſt amitti ratione ſtatus damnationis, quia ſolus ille ſtatus tollit fidem, qui ponit viſionem, qualis eſt ſtatus beatitudinis. Nec ratione actus contrarij: nam nec Dæmonum, nec hominum peccatum, qui propter alia, quàm hæreſis delicta, damnantur, fuit contra fidem. Nec repugnat fides in damnatis ratione obſtinationis, ratione cuius priuantur omni habitu ac dono ſupernaturali: cùm in hominibus maneat character, qui eſt qualitas ſupernaturalis. Confirmatur ex illo Iacobi 2. *Dæmones credunt & contremiſcunt:* eſt igitur in Dæmonibus fides. *Durand. Iacobi 2.*

64. Hanc Durandi Sententiam Gregorius de Valentia 2. 2. diſp. 1. q. 5. punct. 2. probabilem cenſet: Bannez eadem 2. 2. q. 5. art. 2. dub. 1. periculoſam & errori proximam: Turrianus diſp. 43. dub. 3. improbabilem, & ſine vllo graui ac firmo fundamento contra communem Scholaſticorum Sententiam: proinde ex iudicio multorum appellat illam temeritatem Sapientem: quam cenſuram ſequuntur alij recentiores, & mihi non diſplicet. *Gregorius. Bannez. Turrianus.*

65. Cõmunis igitur Sententia eſt, in dãnatis non manere fidem infuſam. Hanc docent Scholaſtici in 3. diſt. 23. & recentiores Theologi cùm S. Thoma 2. 2. q. 5. art. 2. Fundamentum eſt: quoniam fides infuſa per ſe ordinatur ad iuſtificationem; eſt enim, vt eã definit Tridentinum Seſſ. 6. cap 8. *initium ſalutis, fundamentũ & radix omnis iuſtificationis:* vnde relinquitur in peccatore, vt per eam poſſit ſalutem inchoare, & ad iuſtificationem ſe diſponere. Cùm igitur damnati ſint propriæ ſalutis & iuſtificationis incapaces, nulla erit in eis vera atque infuſa fides: ſed ſi qua eſt, ea tantùm eſt humana & naturalis ex euidentia miraculorum, & teſtimonio hominum elicita. Atque hæc ratio non ſolùm probat, in eis non eſſe habitum, ſed neque actum fidei infuſæ. *S. Thomas. Trident.*

66. Ad rationem Durandi, negandum eſt, fidem infuſam in damnatis non amitti ratione ſtatus. Falſum namque, eſt ſolum ſtatum viſionis beatificæ tollere fidem: ſed

eam

Digitized by Google

eam etiam tolli ratione finalis obſtinationis, ratione cuius damnati ſunt incapaces ſalutis, & conſequenter principij ſalutis, quæ per fidem infuſam inchoatur. Nec eſt eadem ratio de charactere: quia cùm hic non ordinetur ad iuſtificationem, ſed ad conſignandos homines, vt ſint idonei ad quædam munia obeunda, non repugnat eſſe in damnatis, ad maiorem ipſorum confuſionem & ignominiam. Locus autem Iacobi intelligendus eſt de fide naturali elicita ex teſtimonio hominum, & euidentia miraculorum: quam propterea S.Thomas citato art. 2. ad 1. appellat coactam, quia ſcilicet viſis tot miraculis & teſtimonijs hominum, coguntur credere quę de Myſterijs noſtræ Religionis vniuerſa prędicat Eccleſia, non teſtimonio ſupernaturali diuinæ authoritatis, ſed naturali ipſorummet miraculorum, & humanæ authoritatis, cui propter moralem euidentiam contradicere nequeunt.

S.Thomas.

An in beatis maneat habitus infuſus fidei?

67. Sententia negans omnium fere Scholaſticorum cum Magiſtro in 3 diſt. 23. & 26 & Thomiſtarum omnium cum Angelico Doctore 1.2.q.67.art.3.& 2.2.q. 1. art. 4 & q.5.art.1.& 3.p.q.7.art.3.vbi eam negat in Chriſto Domino. De qua ſolus dubius eſt Durandus in 3.diſt.31.q. 3. Hanc colligunt Patres ex 1. Corinth. 13. vbi Apoſtolus docet, eſſe euacuandum quod eſt imperfectum, cùm venerit, quod perfectũ eſt. *Fides & ſpes*, inquit Chryſoſtomus in hunc locum, *creditis ſperatiſq; rebus aduentis ceſſant*. Cùm venerit, inquit in eundem locum Beda *quod perfectum eſt, quod ex parte eſt deſtruetur: id eſt iam non ex parte erit, ſed ex toto, quia fidei & ſpei iam res ipſa non quæ credatur & ſperetur ſed quæ videatur ſuccedet. Charitas autem, quæ his tribus maior eſt, non auferetur, ſed augebitur & implebitur; contemplata quod credebat; & quod ſperabat, adepta. Fides ceſſabit*, ait in hunc ipſum locum Anſelmus, *dum futura, quæ creduntur, aduenerint*. Et Magiſter ſententiarum citata d. 26. *Venit ets*, inquit, *quod perfectum eſt, & euacuatum eſt, quod ex parte eſt: venit enim cognitio, & euacuata eſt fides*. Contra hanc communem Scholaſticorum & Patrum ſententiam citari ſolent Irenæus, & Tertullianus, qui à Sancto Thoma explicantur de fide, quoad rationem genericam cognitionis, non autem quoad rationem ſpecificam.

Magiſter. S.Thomas. Durandus. 1.Cor. 13. Chryſoſt. Beda. Anſelmus. Magiſter. Irenæus. Tertullia.

68. Probatur eadem ſententia ratione. Etenim naturaliter petit ille habitus ceſſare, qui nullum poteſt habere effectum, ad quem per ſe eſt ordinatus. Atqui habitus fidei nullum in Patria habere poteſt effectum, ad quẽ per ſe eſt ordinatus: ergo in eo ſtatu naturaliter petit ceſſare. Maior probatur: quoniam omne otioſum natura refugit: eſſet autem talis habitus otioſus, ſi nullum poſſet habere effectum, ad quem per ſe eſt ordinatus. Ideo enim in Venerabili per verba conſecratoria ſeparatis accidentibus à ſubſtantia Panis & & vini, deſinunt ſubſtantiæ ipſæ, quia ſeparatis ab eis accidentibus, nullum poſſunt habere effectum, ad quem ſunt per ſe ordinatæ. Minor oſtenditur: nam habitus fidei per ſe tantùm ordinatur ad actum fidei, tanquam diſpoſitionem ad iuſtificationem: ergo ceſſante tali actu & fine, propter quem habitus fidei datur, naturaliter poſtulat & ipſe habitus ceſſare.

69. Hinc aſſignatur diſcrimen de habitu ſpei, qui, vt infrà docebimus, manſurus eſt in Patria; & de charactere, qui adhuc ceſſante principali munere, ad quod præſtandum ordinatur, perſeuerat tam in beatis, quàm in damnatis: quia tam ſpes, quàm character poſſunt in Patria habere aliquem effectum, ad quem ſunt ordinati: illa ad actum fruitionis circa adeptam beatitudinem; hic ad conſignandos homines, eoſq; ab alijs diſcriminandos, vel ob maiorem ipſorum honorem, vt in beatis; vel ob maiorem ignominiam, vt in damnatis.

70. Dices. Manet habitus fidei in Patria ad animi ornatum, etiamſi non maneat ad actum fidei eliciendum. Sicut manet potentia nutritiua & generatiua in homine ad ornamentum naturæ, etiamſi non maneant ad ſuos effectus producendos, ad quos ſunt ordinatę. Sed contrà: nam quando aduenit forma æquè, aut nobilius perficiens ſubiectum, non eſt, cur altera æquè aut minus perfecta debeat in eodem ſubiecto ad ornatum tantùm manere. Vt quia in Chriſto Domino eſt forma hypoſtatica ſubſtantialis, nobiliùs perfectiuſque conſignans ipſius humanitatem ad munus ſummi Sacerdotis obeundum, non ponitur in eo accidentalis character. Sed loco habitus fidei aduenit beato lumen gloriæ, nobiliùs illum perficiens; ergo non eſt, cur ad ſolùm animi ornatum remanere debeat fides, cùm hunc ipſum ornatum altiori ac nobiliori modo præſtet lumen ipſum gloriæ. Nec eſt par ratio de potentia generatiua & nutritiua: nam iſtæ potentiæ non ſolùm ordinantur ad ſuos effectus producendos, ſed etiam ad integrandam naturam ipſam hominis: vnde illæ fuerunt aſſumptę à Verbo, etiãſi potentia ſaltem generatiua nunquã in Chriſto habitura fuiſſet effectum. Requirũt enim huiuſmodi potentiæ peculiaria quædam organa in corpore humano, quibus ſublatis corpus humanum maneret imperfectum.

71. Inſtabis: ergo ſaltem manet habitus fidei in Patria vt proprietas gratiæ, ſicut manent hæ potentiæ in homine vt proprietates naturę: nam gratia vt ſupernaturalis quædam natura cõnaturaliter exigit manere cum omnibus ſuis proprietatibus. Sed contrà, quia fides non integrat gratiam, ſicut potentia nutritiua & generatiua naturam humanam: nam hæc ſine his potentijs non eſt perfecta & integra in genere naturæ humanæ: eſt autem gratia habitualis in ratione gratiæ habitualis perfecta ſine habitu fidei, vt conſtat in Chriſto Domino, in quo fuit

perfecta gratia habitualis abſque habitu fidei. Neque gratia exigit habitum fidei determinatè, ſed vel habitum fidei, vel habitum luminis gloriæ, iuxta ſtatus exigentiam.

72. Sed adhuc maior ſupereſt difficultas, an in beatis perſeueret habitus fidelitatis, qui voluntatem diſponit ad imperandum intellectui, vt reuelata Myſteria ſupernaturali fide credat. Affirmat Suarez 3.p.q.7.in Commentario articuli tertij, qui hunc habitum concedit in Chriſto, & conſequenter in reliquis beatis. Cuius fundamentum eſt: quia debet voluntas beati eſſe bene diſpoſita ad obediendum fidei, ſi neceſſum fuerit. Neque ad ponendum habitum virtutis ſemper requiritur, vt cum illo voluntas ſit aliquando efficaciter operatura, ſed ſufficit, ſi circa obiectum talis habitus poſſit aliquem inefficacem & conditionatum affectum exercere. Quod inde probat: nam ex S. Thoma 1.p. q.95.art. 3. in Adamo conſtituto in ſtatu innocentię fuerunt virtutes pœnitentiæ & miſericordię, ſolùm vt eius affectum bene diſponerent circa honeſtatem talium obiectorum, etiamſi in eo ſtatu non potuiſſet earum actus efficaciter exercere: cùm nec peccatum quod eſt materia pœnitentię; nec miſeria, quæ eſt obiectum miſericordiæ, in eo ſtatu eſſe potuerit. Ergo quamuis in beatis fides eſſe non poſſit, poteſt tamen eſſe habitus fidelitatis, qui eorum voluntatem diſponat circa honeſtatē actus fidei, ad hoc vt ſi cōtingeret illis proponi obiectum fidei obſcuro teſtimonio Dei credendum, ſint bene diſpoſiti ad illud credendum.

73. Negat Turrianus 2.2.diſp.43.dub.4. poſito quòd talis habitus ſit ſpecialis à reliquis virtutibus moralibus diſtinctus. Cuius fundamentum eſt: quia nequit beatus habere efficacem affectum ad credendum, ad quem hic habitus per ſe ordinatur. *Quæ Sententia mihi probabilior eſt:* alioqui etiam ipſe habitus fidei deberet perſeuerare in beatis, adhoc, vt ſint benè diſpoſiti ad eliciendum actum fidei, ſi illis proponatur obiectum propter obſcurum teſtimonium Dei credendum. Confirmatur: quia poſſent beati illud idem obiectum, quod cognoſcunt clarâ viſione in Verbo, per Suarez obſcuro teſtimonio Dei credere: ergo debent habere habitum fidei, ad hoc vt ſi vellent, poſſent tale obiectum credere. Quid enim repugnat, vt ipſum Myſterium Trinitatis, quod euidenter cognoſcunt viſione beata, velint etiam credere propter teſtimonium Chriſti, quo hoc Myſterium militāti Eccleſię reuelauit, poſito quod viſio & fides poſſint eſſe ſimul? ergo in hac Sententia Suarez deberent beati habere habitum fidei, non modò vt ſint bene diſpoſiti ad credendum, ſi illis proponatur obiectum fidei; ſed etiam vt ipſi poſſint, ſi velint aliquod obiectum, quod clarè cognoſcunt, etiam obſcuro teſtimonio Dei credere. Ratio igitur eſt: quia non ſunt ſupernaturales habitus ponendi, niſi in ordine ad actus abſolutos, ad quos ordinantur; non autem in ordine ad conditionatos, qui cùm non ſint neceſſarij, non debet pro eis ſpecialis habitus infundi, à quo poſſint connaturaliter elici: ſed ſufficit pro eis extrinſecum auxilium Dei.

74. Nec eſt par ratio de virtute pœnitentiæ & miſericordiæ in Adamo in ſtatu innocentiæ poſito: quia tales virtutes potuiſſent in illo ſtatu habere aliquem actum efficacem. Nam ex eo quòd Adamus non peccaſſet, non ſequitur, quòd nullus alius ex poſteris fuiſſet in eo ſtatu peccaturus: ac proinde potuiſſet erga tales exercere actum pœnitentiæ, & miſericordiæ. Non enim obiectum pœnitentiæ eſt tantùm peccatum proprium, ſed etiam alienum, quatenus eſt læſiuum Iuris diuini. Ac propterea virtutem pœnitentiæ concedimus Chriſto & beatis: quia non ſemper eſt neceſſe, vt cum dolore, qui in ſtatu innocentiæ, & beatudinis, eſſe nequit, exerceatur, ſed ſufficit ſola diſplicentia mali contra Deum illāti, abſque vlla triſtitia & dolore: quam diſplicentiam habere poſſunt beati, & à fortiori habere potuit Adamus in ſtatu innocentiæ.

75. Tandem aduertendum eſt, cùm negamus in Patria habitum fidei, illum non negamus propter eſſentialem incompoſſibilitatem cum viſione beata vel lumine gloriæ; ſed ratione duntaxat ſtatus, vt conſtat ex ijs, quæ docuimus diſp. 11. ſect. 1. Quòd ſi aliquando S. Thomas dicat, impoſſibile eſſe in beatis eſſe fidem, intelligendus eſt de fide actuali: alioqui ipſemet 2.2.q.175.art.3.ad 3.concedit, Paulum in raptu vna cum clarâ viſione Dei retinuiſſe habitum fidei. Quare fruſtra laborat Durandus in 3.diſt. 31.q. 3.dum de hac fide habituali impugnat S. Thomam, quòd dixerit illam non poſſe eſſe in beatis.

SECTIO III.

An ſolus Deus ſit cauſa efficiens habitus fidei?

76. PRÆSENS controuerſia non eſt, vt titulus quęſtionis indigitat, an Deus ſit cauſa efficiens habitus fidei; quia cùm Deus efficienter concurrat ad omnem effectum creatum præſertim ſi ſupernaturalis ſit quoad ſubſtantiam, cuiuſmodi, vt ſuprà oſtendimus, eſt habitus fidei infuſæ, non poteſt in quæſtionem vocari, an Deus ſit cauſa efficiens ipſius: ſed an Deus tantùm, an verò cum ipſo Deo efficienter etiam concurrat aliqua cauſa creata: quam indubitatum eſt apud omnes non poſſe eſſe vel naturam ipſam ſubiecti, vel quamcunque aliam cauſam creatam naturalem, cuiuſmodi eſſent actus fidei humanæ, cùm nulla cauſa creata naturalis vim habeat producendi effectum quoad ſubſtantiam ſupernaturalem. De duobus tantùm reſtat controuerſia, de actibus ipſis fidei infuſæ, & de gratia habituali, an vnà cum Deo efficienter concurrant ad productionem habitus fidei.

Suarez. S. Thomas. Turrianus. Suarez. S. Thomas.

Digitized by Google

77. Prima ſententia affirmat, habitum fidei produci ab ipſis actibus ſupernaturalibus fidei: colligitur ex S.Thoma q. 17. de veritate art. 1. in argumentis ſecundo loco adductis ad 4. vbi docet, ex actibus charitatis infuſæ, gigni habitum dilectionis in nobis eiuſdem rationis cum habitu infuſo. Atqui eadem ratio eſt de habitu fidei: ergo. Fundamentum huius ſententiæ eſt: quoniam actus fidei habent omnia requiſita ad habitum ſupernaturalem fidei producendum: ſunt enim ſupernaturales quoad ſubſtantiam, vt ex ſuprà diſputatis conſtat; nec non productiui qualitatis potentiam adiuuantis ad conſimiles actus eliciendos, vt patet tum ex promptitudine & facilitate, quam ad conſimiles actus ex eorum frequentatione in nobis experimur: tum à paritate actuum naturalium, qui habitus progignunt conſimilium actuum productiuos. Confirmatur, quia nullum poteſt aſſignari diſcrimen, cur potiùs actus naturales hanc vim habeant producendi habitum conſimilium actuum productiuum: & eandem vim non habeant actus ſupernaturales, cùm vtrique ſint actus vitales: vtrique relinquant aliquid ſui, quo potentia ipſa iuuetur: vtrique agant vt cauſa neceſſaria.

S.Thomas.

78. Secvnda ſententia opinatur, habitum fidei, ſicut & reliquos infuſos, effectiuè produci à gratia habituali. Eſt Caietani 3. p. q.62.art.2 & reliquorum recentiorum Thomiſtarum. Quorum potiſſimum fundamentum eſt authoritas S.Thomæ, qui 1.2.q.110. art.3.ad 3.& art.4. ad 1.& alibi docet, gratiam eſſe principium radicale omnium virtutum infuſarum, quæ ab ea fluunt, ſicut potentiæ ab eſſentia animæ. Eandem ſententiam probant hac ratione. Ita ſe habent virtutes infuſæ ad gratiam habitualem, ſicut proprietates naturales ad eſſentiam animæ: atqui hæ effectiuè dimanant ab anima; ergo & virtutes infuſæ à gratia.

Caietanus. S.Thomas.

79. Tertia ſententia docet, habitum fidei, vti & reliquos infuſos produci à ſolo Deo. Eſt communior inter Theologos, ac longè probabilior: ſequiturque à fortiori ex ſententia affirmante, per actus ſupernaturales non augeri phyſicè, ſed tantùm meritoriè habitus infuſos, Quam ſententiam in Superiori Tomo de vltimo fine hominis diſput. vltima de merito ſect. 7. retulimus tanquam communem ab omnibus Scholaſticis aſſertam. Pro cuius controuerſiæ ſolutione,

80. Dico 1. Habitus infuſus fidei non producitur phyſicè ab actibus ſupernaturalibus fidei. Colligitur hæc aſſertio ex Tridentino ſeſſ.6.cap.7. vbi aſſignans cauſas noſtræ iuſtificationis, quam ibidem definit, eſſe iuſtitiam nobis inhærentem cum infuſione fidei, ſpei, & charitatis, ſolum Deum ait eſſe ipſius efficientem cauſam. Nec omiſiſſet inter cauſas numerare etiam actus noſtros ſupernaturales, ſi putaſſet eos effectiuè concurrere ad noſtram iuſtificationem: ſicut non omiſit inter cauſas iuſtificationis, quæ fit per Baptiſmum, numerare ipſum Baptiſmum vt cauſam inſtrumentalem ipſius. Eadem ſententia confirmatur ex modo loquendi Scripturæ, & Conciliorum, quo dicunt huiuſmodi habitus nobis infundi: quod autem infunditur, non ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco principio producitur.

Conc.Trid.

81. Rationem à priori huius aſſertionis deduximus citata ſect. ex Scoto in 1. diſt. 17. q.2. *§. contra iſtam opinionem*, hoc pacto. Nequeunt duo ſpecie diuerſa mutuo ſeſe ipſa efficere. Atqui actus, & habitus ſupernaturales fidei ſunt ſpecie diuerſi: ergo nequeunt ſe ipſos mutuo efficere. Cùm igitur negari nō poſſit habitum infuſum fidei eſſe cauſam efficientem actus ſupernaturalis fidei, non poterit ipſe viciſſim effici ab actu ſupernaturali fidei. Minor probatur: nam habitus infuſus eſt inſtar potentiæ reſpectu actuum, quorum eſt productiuus. Quippe qui non ſolùm dat facilitatem, vt habitus acquiſitus, ſed ipſum poſſe ſimpliciter, vt contra Pelagium definiunt Concilia. Potentiæ autem vitales & immanentes ſpecie differunt ab actibus, ad quos producendos ordinantur, vt inductione conſtat: intellectus enim ſpecie differt ab intellectione, & voluntas à volitione. Maior verò oſtenditur: nam quæ ſpecie differunt, nequeunt eſſe eiuſdem perfectionis, ſed neceſſariò vnum eſt perfectius altero. Nequit autem quod eſt imperfectius, vt princeps cauſa efficere, quod eſt perfectius, vt per ſe patet. Sed habitus infuſus eſt principalis cauſa ſui actus: igitur non poteſt ipſe viciſſim à ſuo actu, vt à principali cauſa produci.

Scotus.

82. Neque ab eo produci poteſt, vt à cauſa inſtrumentaria: nam vel actus ſupernaturalis produceret ſuum habitum infuſum, vt inſtrumentum animæ, vel vt inſtrumētum ſuimet habitus, vel vt inſtrumentum Dei. Non vt inſtrumentum animæ, vt per ſe claret: cùm nequeat entitas naturalis eſſe cauſa principalis effectus ſupernaturalis. Non vt inſtrumenti ſui habitus: nam vt inſtrumentum producere valeat cum ſua cauſa principali effectum, ſupponere debet in ipſa cauſa principali natiuam virtutem producendi talem effectum: Cùm debeat ipſa cauſa principalis ſimul cum ſuo inſtrumento re ipſa influere in effectum, vt ex Philoſophia ſuppono. Ergo vt actus ſupernaturalis producere valeat, tanquam inſtrumentum cum ſuo habitu, tanquam cum ſua cauſa principali ſimilem habitum infuſum, ſupponere debet in ipſomet habitu infuſo natiuam vim producendi ſe ipſum, vel alium conſimilem habitum infuſum. Atqui nulla eſt talis natiua vis in habitu infuſo: quia cùm habitus infuſus ſit inſtar potentiæ immanentis, ad quam complendam ordinatur; cumque nulla potentia immanens, vt inductione conſtat, ſit productiua ſui, vel alterius potentiæ ſibi conſimilis, neque habitus infuſus erit ſui, vel alterius habitus ſibi conſimilis productiuus. Non vt inſtrumentum Dei: nam vel actus ſupernaturalis aſſumeretur à Deo ad infuſum habitum produ-

Digitized by Google

producendum, vt inſtrumentum obedientiale, vel vt naturale. Primum temerè ac ſine fundamento aſſeritur: quia cùm hic ſit modus agendi extraordinarius & miraculoſus, non debet abſque vrgente ratione, vel graui authoritate, quæ nulla affertur, dici. Secundum eſt falſum: nam omne inſtrumentum naturale ſuponere debet aliquam cauſam ſupernaturalem, in cuius virtute operetur: hæc autem nequit eſſe creata, vt probatum eſt, cùm nulla de facto aſſignabilis ſit, quidquid ſit de poſſibili, de quo hic non diſputo: neque increata, cùm nulla idonea ratione hęc probari valeat. Confirmatur. Nullus actus naturalis immanens habet natiuam virtutem producendi ſuam potentiam: ergo nec actus ſupernaturalis immanens ſuum habitum infuſum. Conſequentia probatur: quoniam habitus infuſus, vt oſtenſum eſt, comparatur ad actus ſupernaturales, quorum eſt productiuus, vt potentia naturalis immanens ad ſuos actus naturales.

83. Secundò probatur ex triplici abſurdo, quod ex contraria ſententia ſequitur. Primum eſt actum contritionis non tantùm diſpoſitiuè, ſed etiam effectiuè producere in ipſo peccatore habitum charitatis: hoc autem videtur contra Concilium Tridentinum ſeſſione 6. cap. 7. Sequela probatur: quia non eſt maior ratio, cur actus fidei, & non etiam charitatis effectiuè producat ſuum habitum infuſum. Minor oſtenditur: nam expreſsè ibi Concilium contritionem appellat diſpoſitionem ad iuſtificationem, quam definit eſſe iuſtitiam nobis inhærentem cum infuſione Fidei, Spei, & Charitatis: cauſam verò efficientem ait eſſe Deum, qui illam producit *ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem, & cooperationem.*

Concilium Trident.

84. Secundum eſt, non ſolùm actum contritionis & dilectionis in Deum, ſed etiam dilectionis in proximum producere habitum charitatis in peccatore. Quia cùm hic ſit ab eodem habitu infuſo charitatis, vt communior fert opinio, quam infrà docebimus, ſi actus charitatis eſſet phyſicè productiuus ſui habitus, etiam actus charitatis erga proximum eſſet phyſicè productiuus habitus charitatis in peccatore. Hoc autem eſt plus quàm falſum: nam inde ſequeretur, vel hominem ſolo actu charitatis erga proximum à peccato iuſtificari, vel cum peccato de facto ſtare habitum charitatis: vtrumque autem repugnat principijs fidei.

85. Tertium abſurdum eſt: quia ſequeretur, actus ſupernaturales charitatis, & reliquarum virtutum infuſarum, non ſolùm producere, ſed etiam phyſicè intendere ſuos habitus infuſos, non modò in viatoribus, verùm etiam in beatis ipſis. Vnde vlteriùs ſequeretur, huiuſmodi habitus infuſos nullum habituros terminum in beatis, ſed ſemper in infinitum augendos fore. Sequela probatur; quia cauſa, quæ poteſt producere effectum, à fortiori poteſt eundem intendere: ex alia verò parte ſi tales actus phyſicè producerent, & intenderent habitus infuſos, non liberè, ſed neceſſariò eos producerent & intenderent; conſequenter etiam in beatis illos intenderent.

86. Dico 2. Habitus infuſus fidei non producitur phyſicè à gratia habituali, ſed à ſolo Deo. Hæc aſſertio non eſt ita certa, vt præcedens: nam etiamſi habitus fidei produceretur à gratia, adhuc dici poſſet produci à ſolo Deo: ſicut in probabili ſententia multorum, proprietates naturæ dicuntur produci à generante, etiamſi immediatè producantur à ſubiecto, cui inſunt. Verùm noſtra aſſertio probatur eodem fundamento, quo in ſuperiori Tomo diſp. 29. ſect. 8. vniuerſaliter probauimus, nullum habitum infuſum actiuè dimanare à gratia habituali. Etenim ſi virtutes infuſæ actiuè dimanarent à gratia, neceſſariò ab illa dimanarent: falſum autem eſt, eas neceſſariò à gratia dimanare. Minor probatur: quia ſi neceſſariò tales virtutes à gratia dimanarent, ſemper, & in omni ſubiecto illæ dimanarent. Vnde vlteriùs ſequeretur, & in Chriſto eſſe habitum fidei, & in viatoribus habitum luminis gloriæ, & in Angelis virtutem ſupernaturalis caſtitatis: nam omnes hæ virtutes ſunt naturales proprietates gratiæ. Sequela verò probatur: quia gratia non eſt cauſa libera, ſed neceſſaria: ergo ſi ab ea phyſicè dimanant habitus infuſi, non liberè, ſed neceſſariò dimanant: proinde ſemper, & in omni ſubiecto gratia eas produceret, præſertim ſi ſubiectum non ſit phyſicè incapax

87. Confirmatur: quoniam vt infrà oſtendam, ſemper habitus fidei in adulto producitur ante productionem gratiæ: ergo de facto non producitur à gratia, ſed à ſolo Deo. Nec dici poteſt, in tali productione Deum ſupplere cauſalitatem gratiæ, cùm nullum ſit idoneum fundamentum hoc aſſerendi. Quòd autem habitus fidei, & reliquæ virtutes infuſæ producantur à ſolo Deo, euidenter conſtat ex refutatione aliarum ſententiarum, cùm nequeat alia idonea cauſa aſſignari.

88. Ad argumenta primæ ſententiæ. Ad authoritatem S. Doctoris Reſpondeo, illum tantùm concedere, ex actibus charitatis gigni in nobis habitum eiuſdem rationis genericæ, non autem ſpecificæ. Et ne videatur hæc noſtra explicatio omnino voluntaria, & ſine vllo fundamento, probatur ex eodem S. Thoma, qui prima ſecundæ quæſt. 51. artic. 4. ad tertium, negat ex actibus, qui producuntur ex habitu infuſo, cauſari aliquem habitum in nobis, qui nimirum ſit eiuſdem rationis cum ipſo habitu infuſo, vt interpretatur Petrus Bergomas in Concordantijs locorum S. Thomæ dubio 697. alioqui eſſet ſibi ipſe contrarius.

S. Thomas.

Petrus Bergomas.

89. Ad fundamentum negandum eſt, actus ſupernaturales fidei habere omnia requiſita ad gignendum habitum infuſum fidei: deeſt

enim illis proportio æqualitatis, quæ ad cauſandum requiritur in cauſa. Cùm enim, vt probatum eſt, debeant tales actus, vt principalis cauſa producere habitum infuſum fidei, cumque perfectior ſit ipſe habitus, quàm actus, non poterunt illum cauſare defectu æqualitatis proportionis cauſæ cum effectu.

90. Prior probatio ducta ab experientia ſolùm probat, ex actibus fidei gigni in nobis aliquem habitum, qui facilitet potentiam ad conſimiles actus, non autem qui det ipſum poſſe ſimpliciter, vti dat habitus infuſus: quod vltro concedimus, vt fusè probauimus in 8. Tomo de Pœnitentia diſp. 1. ſect. 6. An autem huiuſmodi habitus ex ſupernaturalibus actibus acquiſitus, ſit naturalis, vel ſupernaturalis, ibidem explico.

91. Poſterior probatio à paritate actuum naturalium potiùs noſtram confirmat ſententiam. Nam ſicut actus naturales non producunt potentiam, à qua eliciuntur, ſed habitum diuerſæ rationis ab ipſa potentia, quam tantùm facilitant ad conſimiles actus: ita actus ſupernaturales non producunt habitum infuſum, à quo ipſi tanquam à potentia producuntur, ſed alium habitum diuerſæ rationis, qui tantùm dat facilitatem, non autem ipſum poſſe ſimpliciter ad conſimiles actus eliciendos. Ex quo patet ad confirmationem: concedimus enim vtriſque actibus intrinſecam vim innatam ad producendum habitum, ſed diuerſę rationis à potentia, vel ab habitu infuſo, à quo tanquam à potentia ipſi producuntur.

92. Ad fundamentum ſecundę ſententiæ, neganda eſt, quoad hoc proportio: ſufficit enim, vt inter gratiam & habitus infuſos ſit proportio principalis formæ & proprietatum, non per phyſicam emanationem, ſed per naturalem dumtaxat exigentiam: vt quemadmodum natura exigit ſuas proprietates, à quocunque tandem illæ producantur; ita gratia ſuos habitus infuſos, à quocunque illi producantur: neque enim neceſſum eſt, vt in omnibus ſeruetur proportio inter naturam ad ſuas proprietates, & gratiam ad ſuos habitus infuſos. Atque de hac proportione explicandus eſt S. Thomas. Vnde multi Thomiſtæ hanc ſolam proportionem agnoſcunt inter gratiam & habitus Fidei & Spei, etiamſi inter eandem gratiam & reliquos habitus infuſos productiuam adſtruant, vt præcedente Tomo loco præcitato notauimus.

SECTIO IV.

An in adultis habitus infuſus fidei ſemper duratione præcedat charitatis habitum?

93. DIxi *in adultis*: quia in paruulis per Baptiſmum omnes habitus ſupernaturales ſimul infunduntur cum ipſa gratia iuſtificante: cùm in eis nullus ante Baptiſmum præcedat actus, qui fidei habitum exigat, vel tanquam præmium de congruo, vel tanquam principium effectiuum ſui. Hanc controuerſiam latè diſputaui præcedente Tomo diſput. 29. ſect. 9. eſt autem hic breuiter diſputanda propter aliquas peculiares difficultates, quæ ibi tractari non potuerunt.

94. PRIMA ſententia abſolutè negat, habitum fidei in adultis duratione præcedere charitatis habitum. Eſt multorum Scholaſticorum, quos in prænotata ſect. citaui. Potiſſimum fundamentum ſumitur ex duobus Concilijs, Viennenſi, & Tridentino: quorum illud docet, vt refertur in Clementina de Summa Trinitate & fide Catholica, virtute Baptiſmi tam paruulis, quàm adultis conferri gratiam & virtutes: ergo ante gratiam & charitatem nullus infunditur habitus: alioqui non omnes virtutes conferrentur virtute Baptiſmi, ſed aliqua infunderetur ante Baptiſmum: Hoc ſeſſ. 6. cap. 7. definit, hominem in iuſtificatione hæc omnia ſimul accipere, Fidem, Spem, & Charitatem: ergo ante charitatem non infunditur fides: alioqui non ſimul cum charitate, ſed ante illam acciperet homo, cùm iuſtificatur. *Concilium Viennenſe. Concilium Trident.*

95. SECVNDA ſententia affirmat, habitum fidei ſemper infundi ante charitatem in Baptiſmo, quando baptizandus ad illum accedit ſufficienter diſpoſitus ad fidem, & non ad gratiam; non autem extra Baptiſmum. Ita Sotus libro 2. de natura & gratia cap. 8. *Sotus.*

96. TERTIA ſententia docet, ſemper habitum fidei infundi ante charitatem, tam in Baptiſmo, quàm extra. Eſt S. Thomæ ſecunda ſecundę quæſt. 6. art. 2. ad tertium, Caietani ibidem & prima ſecundæ quæſt. 62. art. 4. & reliquorum ferè Thomiſtarum. *Quam ſententiam vt probabiliorem ſecuti ſumus* præcitata ſect. Cuius prior pars probatur: nam Sacramenta conferunt ſuos effectus omnibus obicem non ponentibus: ſed qui ad Baptiſmum accedit ſufficienter diſpoſitus ad fidem, etiamſi non accedat ſufficienter diſpoſitus ad gratiam, accedit ſine obice ad habitum fidei, eſto accedat cum obice ad gratiam, ergo accipit illum, etiamſi non accipiat habitum charitatis. Conſequentia probatur: quia cauſa naturalis, ad inſtar cuius cauſant Sacra- *S. Thomas. Caietanus.*

menta, impedita ab vno effectu, non omittit cauſare alium, quem continet, & cuius ſubiectum eſt capax. Ergo etiamſi baptiſmus impediatur à cauſanda charitate, haud tamen deſinet cauſare fidem, cuius ſubiectum eſt capax, dum ad illam accedit ſufficienter diſpoſitum per ipſum actum fidei: Conſtat de charactere, quem idem Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo cauſant, eſto reliquos effectus per obicem peccati impeditos non cauſent.

97. Poſterior pars eiuſdem ſententiæ oſtenditur: nam ſicut Deus, ſublata per peccatum charitate, non aufert à peccatore fidem: ita non infuſa eidem propter obicem peccati charitate, non priuat ſubiectum fide, ad quam per actum fidei eſt ſufficienter diſpoſitum. Conſequentia probatur: nam ideo ſublata per peccatum charitate, Deus non aufert fidem, ſicut nec ſpem, quia ſubiectum manet capax & ſine obice ad fidem & ſpem: ſed adhuc non infuſa charitate propter obicem peccati, ſubiectum manere poteſt capax, & ſine obice ad fidem: ergo. Confirmatur, nam hæc ſententia eſt magis conformis Dei liberalitati, qui nunquam ſua dona negat ſufficienter diſpoſitis.

98. Quòd autem ſemper habitus fidei duratione præcedat habitum charitatis, etiam quando quis ad habitum charitatis accedit ſufficienter diſpoſitus, probatur: nam vel habitus charitatis infunditur in Baptiſmo, vel extra: vtrouis modo infundatur, ſemper debet in ſubiecto præcedere actus fidei ſupernaturalis. Minor probatur: quia nec poteſt abſque attritione ſupernaturali homo accedere ſufficienter diſpoſitus ad charitatem per Baptiſmum ſuſcipiendam; nec ſine contritione ad eandem extra Baptiſmum conſequendam: vtraque autem ſupponit fidem actualem ſupernaturalem: igitur ſemper homo ante ſuſceptionem charitatis accipit fidem, quia hæc ſtatim infunditur, cùm primùm ſubiectum per fidem actualem ſupernaturalem diſponitur, quæ iuxta ordinarium modum operandi hominis tempore præcedit attritionem & contritionem.

99. Dices. Poteſt adultus ad Baptiſmum accedere ſine peccato mortali perſonali, cum ſolo originali: ergo tunc non erit neceſſaria attritio, quæ ſolùm requiritur vt diſpoſitio contra peccatum perſonale. Reſp. eſto in tali caſu non requiratur attritio, requiritur ſaltem Fides, & Spes, quibus homo credat, & ſperet per ſuſceptionem talis Sacramenti à peccato originali ſe iuſtificatum iri.

100. Ad argumentum primæ ſententiæ. Ad authoritatem Concilij Viennenſis, nego illam eſſe contra noſtram ſententiam: nam Concilium ibi tantùm definit tanquam probabiliorem opinionem, quæ aſſerit, virtute Sacramenti gratias & virtutes infundi: quod veriſſimum eſt, etiamſi priùs tempore adultus Fidem & Spem accipiat, cùm eas ipſas non accipiat, niſi virtute ipſius Sacramenti in voto ſuſcepti.

101. Ad authoritatem verò Concilij Tridentini Reſpondeo, illam intelligendam eſſe non de ſimultate durationis reſpectu ipſarum virtutum, quæ infunduntur, ſed de ſimultate earundem in ordine ad ſubiectum, cui infunduntur, vt ſenſus ſit, eas omnes infuſas reperiri in ſubiecto iuſtificato, ſiue hæc ſucceſſiuè vna poſt aliam, ſiue inſtantaneè omnes ſimul infundantur. Finis quippe Concilij fuit enumerare dona & virtutes, quę in iuſtificatione Deus iuſtificato confert, contra hæreticos contendentes, nos iuſtificari extrinſeca dumtaxat imputatione iuſtitiæ Dei, vel Chriſti. *Concilium Trident.*

102. His conſtitutis, adhuc duplex hic ſupereſt controuerſia. Prima: An habitus Fidei infundatur poſt actum Fidei; an verò ante actum Fidei, & ſolùm poſt imperium voluntatis, quo intellectui imperatur, vt eliciat actũ Fidei. Secunda: An etiam ante charitatem infundatur habitus fidelitatis, quæ voluntatem bene diſponit ad imperandum intellectui ad obediendum Fidei. Quoad priorem difficultatem,

103. Prima ſententia eſſe poteſt, habitum Fidei non infundi, niſi poſt ipſum Fidei infuſę actum. Fundamentum, quia nullus habitus poſtulat infundi, niſi propter ſuam diſpoſitionem: diſpoſitio autem habitus Fidei eſt ipſe actus Fidei infuſæ: igitur ante actum infuſę Fidei non infunditur Fidei habitus. Minor probatur: nam ſicut habitus naturalis nõ comparatur, niſi per ſuum actum: ita nec ſupernaturalis, niſi propter ſuũ actum infunditur. Atqui Deus in infuſione habituum ſupernaturalium ſeruat proportionem naturalium habituum: ergo.

104. Secunda ſententia affirmat, infundi ante actum Fidei, poſt efficacem actum voluntatis, quo intellectui imperatur ipſe aſſenſus Fidei. Hanc indicat Turrianus ſecunda ſecundæ diſp. 38. dub. 3. quam ipſe probabilem cenſet: & à nobis *tanquam probabilior amplectenda eſt*. Fundamentum: quoniam ad eum actum infunditur habitus ſupernaturalis, qui eſt moralis diſpoſitio ad illum. Sed actus voluntatis imperantis fidem, non autem ipſe actus Fidei, niſi ratione actus voluntatis, eſt moralis diſpoſitio ad habitum infuſum Fidei. Maior conſtat: nam omnes habitus infuſi dantur adultis in pręmium, propter aliquem actum de congruo ſaltem meritorium. Minor probatur: nam omnis moralis diſpoſitio pendet à voluntate, tanquam à principio formaliter libero: ergo eatenus actus infuſæ Fidei eſt moralis diſpoſitio ad ſuum habitum de congruo promerendum, quatenus à voluntate liberè imperatur. Ergo ſtatim ad liberum imperium efficax voluntatis habitus Fidei infunditur ante ipſum formalem aſſenſum Fidei. Confirmatur. Statim ad actum efficacem dilectionis Dei, ante ipſam formalem deteſtationem *Turrianus.*

Digitized by Google

peccatorum infunditur habitus charitatis in peccatore, vt ex 8. Tomo de Pœnitentia ſuppono: nec non ad actum efficacem eleemoſynæ, ante externam eleemoſynæ largitionem infunditur iuſto augmentum gratiæ: ergo ſtatim ad efficacem actum voluntatis, Fidei aſſenſum imperantis, ante ipſum formalem Fidei conſenſum infunditur habitus Fidei.

105. Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ, neganda eſt Minor. Ad cuius probationem Reſpondeo diſparem eſſe rationem de habitu acquiſito, qui phyſicè; ac de infuſo, qui moraliter à ſuis actibus cauſatur. Quò fit, vt niſi actus, qui moraliter cauſare debet ſuum habitum, ſit liber, nequeat eſſe ſufficiens diſpoſitio ad illum cauſandum. Cæterùm dicitur Deus in infuſione habitus ſupernaturalis ſeruare proportionem habituum naturalium ſolùm in ratione phyſicæ cauſalitatis, non autem in ratione moralis diſpoſitionis: nam hæc eſſentialiter pendet à voluntate creata: nec poteſt à Deo ſuppleri, cùm non poſſit Deus ſupplere rationem meriti formaliter: quoniam hoc eſſentialiter conſiſtit in ipſa libera operatione voluntatis creatæ. Atque hæc quoad priorem difficultatem. Quoad poſteriorem,

106. Prima ſententia negat, ante charitatem infundi habitum fidelitatis, voluntatem bene diſponentem ad obediendum *Turrianus* Fidei. Eſt Turriani ſecunda ſecundę diſp. 38. dub. 4. circa finem, & diſp. 41. dub. 9. in fine. Cuius fundamentum eſt: quoniam nullus habitus virtutis moralis infunditur ante charitatem: talis habitus eſt moralis, cùm ſit in voluntate, quam bene diſponit in ordine ad meritum: ergo non infunditur ante charitatem. Confirmatur. Si talis habitus propter ipſius actum, tanquam propter diſpoſitionem, infunderetur ante charitatem, etiam alij habitus morales infunderentur ante charitatem. Conſequens eſt falſum: alioqui per actus Religionis, Obedientiæ, & reliquarum virtutum moralium à peccatore elicitos, ante actum charitatis infunderentur habitus ſupernaturales, Religionis, Obedientiæ, cæterarumque virtutum moralium.

107. Secunda ſententia affirmat, huiuſmodi habitum infundi ante charitatem, propter actum ipſius habitus, tanquam propter diſpoſitionem & meritum de congruo, quæ probabilior eſt. Fundamentum, quoniam hic habitus deſeruit Fidei, bene diſponendo voluntatem ad imperandum ipſum aſſenſum Fidei: ergo infunditur ſimul cum ipſa fide. Antecedens patet: quoniam, vt ex diſp. 10. ſect. 7. conſtat, munus huius habitus eſt, diſponere voluntatem ad captiuandum intellectum in obſequium Fidei. Conſequentia verò probatur: nam propterea ante charitatem infunditur habitus Fidei, vt homo ſit connaturaliter & ab intrinſeco potens ſuam animi ſalutem inchoare. Propter quam etiam rationem idem Fidei, & Spei infuſæ habitus in peccatore relinquitur: igitur propter eandem rationem infundi debet ante charitatem ſpecialis habitus fidelitatis, qui voluntatem bene diſponat ad imperandum actum Fidei: cùm non minùs ad actum Fidei connaturaliter exercendum requiratur ſpecialis habitus fidelitatis in voluntate, quàm ſupernaturalis habitus Fidei in intellectu. Confirmatur: nam concedit Turrianus, habitum fidelitatis ſimul *Turrianus* tolli cum habitu Fidei in Patria, eo quòd nullum aliud munus habeat, quàm captiuandi intellectum in obſequium Fidei, quæ in Patria ceſſat: ergo infundi debet ante charitatem, eo quòd nullum aliud munus habeat, quàm mouendi intellectum ad aſſenſum Fidei præſtandum.

108. Ex dictis infertur 1. Vtrumque habitum, tam Fidei, quàm fidelitatis infundi ſtatim poſt imperium efficax voluntatis, mouentis intellectum ad ſupernaturalem aſſenſum Fidei. Ratio: quia hic ſolus actus eſt ſufficiens diſpoſitio moralis, & meritum de congruo reſpectu vtriuſque habitus: ergo vterque habitus infunditur ſtatim atque talis actus elicitur.

109. Infertur 2. Omnem actum Fidei elici ab intrinſeco principio inhærente, non autem omnem actum fidelitatis. Ratio diſcriminis: quoniam ad omnem actum Fidei præcedit efficax imperium voluntatis, ad quod ſtatim infunditur Fidei habitus, à quo tanquam à principio intrinſeco elicitur Fidei aſſenſus. At verò ante fidelitatis actum nullus alius præcedit actus virtutis moralis ſupernaturalis, propter quem tanquam propter meritum de congruo infundatur habitus ipſe fidelitatis. Et ex alia parte nullus habitus cauſalitate præcedere poteſt actum, intuitu cuius ille datur; cùm nequeat principium meriti cadere ſub meritum. Igitur non omnis actus fidelitatis procedit ab intrinſeco principio, ſicut omnis actus Fidei ab inhærente habitu Fidei: cùm ſaltem primus actus fidelitatis non procedat à principio intrinſeco inhęrente.

110. Dices. Ante actum fidelitatis præcedunt multi actus virtutis moralis eliciti ex auxilio ſpeciali, ſaltem ordinis naturalis: ergo propter illos, tanquam propter meritum de congruo infunditur habitus fidelitatis. Reſpondeo negando Conſequentiam. Ratio: quoniam nullus actus eſt idonea diſpoſitio ad infuſionem habitus, niſi ſit eiuſdem ordinis cum illo: ergo nequit propter actum virtutis moralis ordinis dumtaxat naturalis infundi habitus ſupernaturalis fidelitatis. Nam licet propter talem actum Deus conferat auxilia, ordinis naturalis naturæ indebita, aliáve; nunquam tamen propter eos infundit habitus ſupernaturales: alioqui propter actus Fidei naturalis elicitos ex ſpeciali auxilio ordinis naturalis, qui plerumque præcedere ſolent actum Fidei ſupernaturalem, Deus infunderet habitum

fidei ſupernaturalis. Cæterùm, an tales actus virtutis moralis ordinis naturalis, ſaltem augeant in iuſto meritoriè habitus ſupernaturales, diſputatum eſt Tomo præcedente diſp. vlt. de merito.

111. Ad fundamentum primæ ſententiæ diſtinguitur. Maior: nullus habitus virtutis moralis per ſe ordinatus ad perficiendam & conſummandam vitam ſupernaturalem gratiæ, infunditur ante charitatem, concedo: nullus habitus virtutis moralis per ſe tantùm ordinatus ad inchoandam vitam ſupernaturalem gratiæ, infunditur ante charitatem, nego: patet de habitu ſupernaturali Spei, qui etiam in ſententia Turriani infunditur ante charitatem, qui tamen habitus moraliter diſponit voluntatem ad bene operandum. Ad confirmationem conſtat ex dictis: nam aliæ virtutes morales per ſe ordinantur ad perficiendam & conſummandam vitam ſupernaturalem gratiæ; proinde illam ſupponere debent. Fides autem & Spes, & cum eis habitus fidelitatis, ſunt tantùm inchoatiuæ vitæ ſupernaturalis gratiæ: ergo potiùs hæ, quàm illæ debent ad ſufficientem diſpoſitionem moralem ante charitatem infundi. Eadē quoque eſt ratio de prudentia infuſa, quę, quia per ſe ordinatur ad dirigendas omnes virtutes tam Theologales, quàm Morales, non infunditur ante charitatem, ſicut deperditur per quodlibet peccatum.

Turrianus.

SECTIO V.

An & quibus virtutum actibus habitus infuſus Fidei augeatur?

112. Hanc quęſtionem tractauimus in Superiori Tomo diſp. vlt. ſect. vlt. Vnde breuiter hic expedienda eſt. Pro cuius explicatione diſtinguendus eſt duplex ſtatus Fidei ſupernaturalis, *informis*, qualis eſt in peccatore; & *formata*, cuiuſmodi eſt in iuſto. In vtroque ſtatu controuerſum eſt inter Doctores, quibus actibus augeatur. Non diſputamus hic, an augeatur ſolis actibus intenſioribus, an etiam æqualibus, vel remiſſioribus, quàm ſit ipſe habitus: hęc enim quoad omnes habitus infuſos prænotata diſp. ſect. 8. tractata ſunt: ſed an in vtroque ſtatu augeatur, & quarum virtutum actibus augeatur.

113. Dico 1. Habitus infuſus Fidei in iuſto non ſolùm augetur per actus ſupernaturalis Fidei, ſed etiam aliarum virtutum, quibus gratia ipſa habitualis augetur. Primam partem à nemine puto negari poſſe, præſertim ſi ſupponamus huiuſmodi habitus eſſe intenſiores habitu. Nam, ſi verum eſt, habitum Fidei infuſæ in homine iuſto augeri, vti certiſſimum eſt, tum ex illis verbis, quibus Lucæ 17. Apoſtoli à Chriſto petebant adaugeri ſibi Fidem: *adauge nobis Fidem:* tum ex Collecta Dominicæ 13. poſt Pentecoſten: *Omnipotens Sempiterne Deus, da nobis Fidei, Spei, & Charitatis augmentum:* non poteſt congruentioribus actibus augeri, quàm actibus eiuſdem Fidei, cùm nulli alij ſint magis proportionati ad ipſius augmentum promerendum.

Lucæ 17.

114. Secvnda pars aſſertionis, quæ eſt Suarez lib. 9. de augmento & perfectione gratiæ cap. 4. probatur: nam quouis actu infuſæ virtutis augetur gratia, ergo quouis actu infuſæ virtutis augentur omnes virtutes infuſæ. Antecedens conſtat ex præcitata diſp. ſect. 8. Conſequentia probatur: nam gratia habitualis comparatur ad omnes virtutes infuſas, tanquam eſſentia ad ſuas proprietates: connaturalius autem eſt, vt eſſentia, quantum fieri poteſt, proportionem ſeruet cum omnibus ſuis proprietatibus: igitur quouis actu infuſæ virtutis non ſolùm augetur gratia, ſed omnes virtutes infuſæ. Conſequentia conſtat: alioqui, ſi aucta gratia, in eadem proportione non augerentur reliquæ virtutes infuſæ, gratia non ſeruaret proportionem cum illis, cùm ſemper intenſior eſſet gratia, quippe quę augeretur ad ſingulos actus ſingularum virtutum, virtutes autem nonniſi ad proprios ſuos actus. Quæ ratio non ſolùm probat de reliquis virtutibus infuſis, ſed etiam de Fide, & Spe, ergo etiam Fides, & Spes augeri debent iuxta proportionem gratiæ. Maior ſupponitur ex diſputatis in præcedente 3. Tomo de natura gratiæ habitualis. Minor probatur: tum quia hanc proportionem ſeruat quælibet eſſentia cum ſuis proprietatibus: tum quia hanc ipſam proportionem ſeruat gratia in Chriſto, & in quolibet beato, in quo omnes virtutes ſupernaturales connaturaliter exiſtunt. Tum quia proprietates naturaliter fluunt, aut ſaltem petunt naturaliter fluere à propria eſſentia: ergo illi naturaliter proportionantur, cùm nequeat eſſentia vel interiores, vel remiſſiores, quàm ipſa ſit, proprietates ſibi producere. Et licet gratia habitualis non ſit phyſicum principium productiuum ſuarum virtutum, eſt tamen principium naturaliter exigitiuum earum; proinde naturaliter exigit eas habere ſibi proportionatas.

Suarez.

115. Contra hanc aſſertionis partem ſentit Vaſquez prima ſecundę diſp. 220. cap. 6. vbi docet, quolibet actu virtutis infuſę augeri omnes habitus infuſos, præter Fidem, & Spem, quæ tantùm augentur proprijs actibus, etiam quando iſtę virtutes ſunt coniunctæ cum gratia: Tametſi earum actibus non ſolùm augeatur gratia, ſed etiam reliquæ virtutes infuſæ. Fundamentum eius eſt: quoniam eæ tantùm virtutes augentur actibus non tantùm proprijs, ſed etiam aliarum, quæ ſemper ſunt cum gratia connexæ. Atqui Fides & Spes non ſemper ſunt cum gratia connexæ: ergo non

Vaſquez.

Digitized by Google

augentur actibus aliarum virtutum, ſed tantùm proprijs: alioqui melioris eſſent conditionis, quàm reliquæ virtutes, cùm non tantùm augerentur actibus proprijs, & aliarum virtutum, dum ſunt in ſtatu gratiæ; ſed etiam proprijs, dum ſunt extra ſtatum gratiæ.

116. Sed contrà: nam etſi fides & ſpes non ſint per ſe connexæ cum gratia, cùm poſſint eſſe ſine illa; gratia tamen per ſe cum illis connexa eſt, cùm nequeat gratia abſque illis connaturaliter eſſe. Hoc autem ſufficit, vt quouis actu, quo augetur gratia, augeantur & ipſæ, tanquam proprietates per ſe debitæ gratiæ. Sicut licet naturales proprietates ignis poſſint eſſe ſine igne, nunquam tamen ignis eſſe poteſt abſque ſuis naturalibus proprietatibus. Vnde ſicut ignis ſtatim atque generatur, proprietates ſibi producit ſuæ naturæ commenſuratas, ſi non inuenit productas: aut illas conſeruat, ſi inuenit productas; aut intendit vſque ad gradum ſuæ naturæ proportionatum, ſi eas non inuenit ſuę naturæ proportionatas: ita gratia ſtatim atque infunditur, connaturales ſuas proprietates, aut ſibi moraliter producit, ſi non inuenit productas; aut conſeruat, ſi reperit productas; aut demum illas intendit vſque ad gradum ſibi proportionatum, ſi eas proportionatas non reperit.

117. Dico 2. Habitus infuſus fidei in peccatore augetur ſolius fidei infuſę actibus, non autem aliarum virtutum ſpeciali auxilio Dei à peccatore elicitis. Primum admittere debent omnes ij, qui nobiſcum ſentiunt, infuſum habitum fidei in peccatore adulto moraliter cauſari ab actibus ſupernaturalibus eiuſdem fidei. Nam ſi tales actus ſunt efficaces ad moraliter cauſandum infuſę fidei habitum ante infuſionem charitatis; à fortiori erunt etiam efficaces ad illum moraliter augendum, cùm plus requiratur ad cauſandum habitum ſimpliciter, quàm ad eundem augendum, vt per ſe patet.

118. Secundum probatur: nam eatenus actus aliarum virtutum augent in iuſto habitum infuſum fidei, quatenus augent gratiam, qua aucta, proportionaliter augeri debent omnes ipſius proprietates, inter quas eſt ipſa fides infuſa. Atqui tales actus nón augent in peccatore, neque idonei ſunt augere gratiam: ergo nec augebunt, neque idonei erunt augere fidem infuſam. Quòd autem in iuſto, & non in peccatore huiuſmodi actus ſint idonei augere gratiam, probatur: quoniam, vt ſint idonei augere gratiam, debent habere condignitatem ab ipſa gratia: nequeunt autem in peccatore habere condignitatem à gratia, quę in eo non ſupponitur: igitur nequeunt in peccatore eſſe idonei augere gratiam, & conſequenter nec proprietates conſequentes gratiam. Sunt autem idonei in iuſto cauſare augmentum gratię, & conſequenter augmentum proprietatum eiuſdem gratiæ, quia in iuſto accipiunt condignitatem ab ipſa gratia, per quam fiunt condigni non ſolùm augere gratiam, ſed etiam proprietates eiuſdem gratię.

119. Dices. Vt tales actus infuſum fidei habitum augeant, ſufficit, vt ſint idonei ad augmentũ gratię de cõgruo: quemadmodum vt actus fidei ſint idonei augere habitum prętinfuſum fidei, ſufficit, vt ſint idonei de congruo. Atqui tales actus ſunt idonei de congruo reſpectu augmenti gratiæ: ergo. Reſpondeo negando minorem. Etenim nullus actus poteſt eſſe de congruo meritorius vel habitus, vel incrementi ipſius, qui obicem contra illum non tollit: ſed non omnis actus à peccatore elicitus tollit obicem contra habitum gratiæ, eiuſque incrementum: ergo non omnis actus bonus à peccatore elicitus eſt de congruo meritorius gratiæ, vel incrementi ipſius. Obex verò contra habitum fidei eſt ſolùm peccatum infidelitatis: igitur poteſt peccator fidelis per actum fidei de congruo ſibi mereri augmentum Fidei, cùm per nullũ peccatum aliud quàm infidelitatis, ponatur obex contra fidem: ſicut per quodlibet peccatum ponitur obex contra gratiam, qui non per quemcunque actum bonum tollitur.

120. Ex dictis infertur 1. habitum fidei in peccatore non ſolùm augeri per actus fidei, ſed etiam per actus fidelitatis, quibus voluntas efficaciter imperat intellectui ad actus fidei eliciendos. Fundamentum: quoniam per ipſum actum fidelitatis fit formaliter de congruo meritorius actus ipſe fidei: atqui per illum actum habitus fidei moraliter augetur, qui eſt ipſius augmenti de congruo meritorius. Confirmatur: quoniam, vt ex præcedente ſect. conſtat, per actus fidelitatis meritoriè producitur habitus fidei: ergo per eoſdem etiam augetur: nam cauſa, quæ potens eſt effectum producere, potens etiam eſt eundem augere, vt inductione conſtat.

121. Infertur 2. Aliquando intenſiorem habitum fidei eſſe in peccatore, quàm in iuſto: tum quia plures actus fidei elicere poteſt peccator, quàm iuſtus: & conſequenter maius fidei augmentum acquirere poteſt peccator, quàm iuſtus. Tum quia intenſiorem habitum fidei habere poteſt vnus iuſtus, quàm alius: ergo amiſſa gratia per peccatum, intenſior manere pôteſt habitus fidei in peccatore, quàm maneret in iuſto, in quo remiſſior ſupponitur præinfuſæ fidei habitus.

SECTIO VI.

An & qua ratione habitus infuſus fidei ſit corruptibilis?

122. NOn diſputamus hic de corruptibilitate latè ſumpta, prout dicit deſtructionem rei à quacunque cauſa factam: ſed preſsè, prout dicit deſtructionem rei per cauſam ſecundam. Quæ ſicut quadruplex

druplex eſt, ita quadrupliciter intelligi poteſt infuſus habitus fidei per cauſam ſecundam corrumpi, efficienter, materialiter, formaliter, & finaliter. De ſingulis, an, & quo modo habitus infuſus fidei ſit corruptibilis, hic diſputabimus: breuiter tamen, & ſine ſententiarum citatione, cùm res non magnam habeat apud Doctores controuerſiam.

123. Dico 1. habitus infuſus fidei à nulla cauſa ſecunda eſt corruptibilis efficienter. Fundamentum: quoniam à nulla cauſa ſecunda, ſed à ſolo Deo pendet efficienter. Nequit autem vna res efficienter corrumpi ab alia, ſaltem immediatè, de qua effectiua corruptione hic agimus, niſi ab ipſa efficienter pendeat: ergo à nulla cauſa ſecunda habitus infuſus fidei eſt efficienter corruptibilis. Maior clara eſt: nam vt ſolus Deus illũ producit: ita ſolus Deus illum conſeruat: ac proinde à nulla cauſa ſecunda, niſi à ſolo Deo corrumpi efficienter poteſt. Minor probatur: quoniam efficienter corrumpi immediatè, eſt corrumpi per ſubtractionem effectiui concurſus, quo res in eſſe conſeruatur: ergo ab eo tantùm eſt efficienter corruptibilis habitus infuſus fidei, à quo efficienter conſeruatur.

124. Dico 2. Habitus infuſus fidei non eſt corruptibilis materialiter. Fundamentum: quoniam illud eſt corruptibile materialiter, quod habet ſubiectum corruptibile, quo corrupto, corrumpitur forma in ipſo ſubiectata. Atqui habitus infuſus fidei non habet ſubiectum corruptibile; cùm pro ſubiecto habeat intellectum, qui natura ſua eſt incorruptibilis. Maior probatur: nam ſicut illud efficienter corrumpitur, quod deſtituitur concurſu effectiuo, quo in eſſe efficienter conſeruabatur: ita illud ſubiectiuè corrumpitur, quod deſtituitur concurſu ſubiectiuo, quo in eſſe ſubiectiuè conſeruabatur.

125. Dices. Eſto fides infuſa non habeat ſubiectum corruptibile, proinde non poſſit ex hoc capite dici corruptibilis ſubiectiuè: poteſt tamen ex alio capite dici corruptibilis ſubiectiuè, quatenus vt accidens ſupernaturale non eſt naturali ſubiecto perpetuò debitum, vt nonnulli recentiores philoſophantur. Reſpondeo negando minorem: nam eſto fides ſit accidens ſupernaturale indebitum, nõ tantùm perpetuò, ſed etiam ad tempus intellectui naturali: poſito tamen, quòd ſit producta, quantum eſt de ſe, non petit deſinere, ſed potiùs conſeruari in ſubiecto, in quo producitur. Et licet ſubiectum ex ſe non petat tale accidens; tamen tale accidens petit tale ſubiectum in quo conſeruetur.

126. Dico 3. Habitus infuſus fidei eſt corruptibilis formaliter, non phyſicè, nec tantùm demeritoriè, ſed tum per ſubtractionem motiui formalis; tum per ceſſationem finis, ad quem ordinatur. Primum conſtat: nam illud eſt corruptibile formaliter, quod habet contrariam formam, à qua expelli poteſt: ſed habitus infuſus fidei habet oppoſitam formam infidelitatis à qua expelli poteſt: igitur eſt corruptibilis formaliter.

127. Secundum etiam conſtat: nam infidelitas non expellit phiſicè habitum infuſum fidei: cùm nullus actus phyſicè expellat habitum infuſum fidei: cùm nullus actus phyſicè expellat habitum, ſed tantùm contrarium actum. Vnde diuinitus ſimul eſſe poſſunt habitus infuſus fidei, & infidelitas, eſto ſimul eſſe non poſſint actus fidei & infidelitatis. Sicut quiuis habitus eſſe poteſt cum actu oppoſiti habitus: eſto actus vnius habitus eſſe nequeat cum actu alterius habitus oppoſiti.

128. Tertium probatur: quoniam ſi tantùm demeritoriè habitus fidei eſſet corruptibilis ab actu infidelitatis, non ſolùm corrumperetur à peccato infidelitatis, ſed à quouis alio: quia propter quoduis peccatum mortale peccator iuſtè meretur priuari omnibus donis infuſis. Atqui non propter quoduis mortale peccatum, ſed propter ſolam infidelitatem priuamur habitu infuſo fidei, vt docet Tridentinum ſeſſ. 6. canon. 28. vbi definit, amiſſa gratia per peccatum, non ſemper amitti fidem, quia nimirum non ſemper peccatum, quo amittitur gratia, eſt peccatum infidelitatis, quo ſolo amittitur fides infuſa. Ex his conſtat, cur quolibet mortali amittatur charitas & gratia, non autem fides: quia quodlibet mortale ſpecialiter opponitur charitati & gratiæ, non autem fidei: nam quodlibet mortale tollit à peccatore Deum vt vltimum finem, qui eſt obiectum charitatis, quo ſublato, petit tolli habitus ipſe charitatis, cùm nequeat habitus operari abſque ſuo obiecto formali. Præterea ponit inter ipſum peccatorem & Deum inimicitiam, in cuius oppoſita amicitia conſiſtit gratia, vt Tridentinum definit ſeſſ. 6. cap. 7. At non quodlibet peccatum mortale, ſed tantùm peccatum infidelitatis tollit formale obiectum fidei.

Concilium Trident.

Concilium Trident.

129. Quartum declarat peculiarem oppoſitionem, ob quam in homine corrumpatur habitus fidei infuſæ: quæ duplex eſt; Altera per actum, quo tollitur ipſum obiectum formale fidei, quæ eſt ſola infidelitas: nam hæc tantùm negat teſtimonium diuinum, quod eſt formale obiectum Fidei. Sublato autem motiuo formali Fidei, ceſſat habitus fidei, cùm nullus habitus operari valeat abſque ſuo motiuo formali.

130. Dices. Eſto non poſſit habitus fidei operari circa vnum articulum, qui per actum infidelitatis negatur; poterit ſaltem operari circa alios, qui non negantur. Reſpondeo negando aſſumptum. Etenim hoc ipſo, quòd negatur vnus articulus fidei, virtualiter eodem actu negantur reliqui omnes. Nam de facto omnes noſtræ fidei articuli proponuntur, & applicantur credendi authoritate Eccleſiæ. Qui autem non admittit authoritatem Eccleſiæ in vno articulo, non habet illum ſufficienter applicatum, proinde non poteſt ad illum credendum moueri propter authoritatem diuinam immediatè creditam: quia hæc non mouet, niſi applicata motione Spiritus ſancti, quæ non datur, niſi po-

ſita applicatione Eccleſiæ, tanquam conditione de facto neceſſariò requiſita. Qui autem non admittit authoritatem Eccleſiæ in vno articulo, neque illam admittere poteſt in reliquis, cùm ſit vna & eadem, eodemque modo applicans teſtimonium diuinum, quod eſt formale obiectum fidei infuſæ.

131. Altera oppoſitio eſt per ſtatum, quo tollitur finis, ad quem ordinatur habitus infuſus fidei. Finis autem, ad quem ordinatur habitus infuſus fidei eſt tum iuſtificatio, eiuſque incrementum, qua de cauſa ceſſat in damnatis, & beatis; cùm neutri ſint ampliùs iuſtificationis, eiuſque incrementi capaces: tum modus ipſe cognoſcendi obſcurus & ænigmaticus, quo ceſſante in Patria, ceſſat, & propter hanc etiam cauſam in ea fides, cui ſuccedit clara viſio omnium, quæ hic obſcurè credita ſunt. Hinc habes, cur fides non ceſſet in Purgatorio: quia licet animæ ibi purgantes non ſint capaces iuſtificationis, eiuſque incrementi, ſunt tamen in ſtatu obſcuro & ænigmatico, in quo adhuc egent auxilio fidei, vt infallibiliter credant, quæ à Deo ſibi promiſſa ſunt. Ex his patet, quo pacto habitus fidei ſit corruptibilis finaliter: quia ſublato in damnatis, & beatis fine, propter quem fidei habitus à Deo infunditur, in eis ceſſat, ne maneat perpetuò otioſus.

132. Cæterùm notandum, non à quouis errore contra Fidem, fidei habitum expelli, ſed tantùm à voluntario deliberato, & pertinaci contra Eccleſiæ authoritatem, vt ſequenti diſp. conſtabit. Neque etiam ſufficere errorem venialiter tantùm culpabilem, etiamſi eſſe poſſit cum pertinacia: alioqui poſſet quis amittere Fidem, non amiſſa charitate, quæ per peccatum veniale non amittitur.

133. Ex dictis infertur, non amiſſurum infuſæ fidei habitum, qui ante vſum rationis baptizatus, & poſtea inter Gentiles educatus, inuincibiliter, vel etiam vincibiliter erraret circa res Fidei. Eadem ratio eſt de ruſtico, qui ex eadem ignorantia erraret circa Myſteria Fidei: de quo ſequenti diſp.

SECTIO VII.

In qua nonnulla dubia ſoluuntur?

134. PRimum dubium: An habitus infuſus Fidei non ſolùm corrumpatur per errorem & pertinaciam contra Fidem Catholicam ab Eccleſia propoſitam; ſed etiam per errorem & pertinaciam contra Fidem priuatam ſufficienter à Deo applicatam. Qui negant, talem aſſenſum fieri ab habitu infuſo Fidei, cohærenter negare debent, per oppoſitum diſſenſum corrumpi habitum infuſum Fidei: quia habitus Fidei non corrumpitur, niſi per oppoſitum actum contrarium: in hac autem ſententia diſcredere tali reuelationi non opponitur habitui infuſo Fidei: ſicut nec illi credere, eſt ab habitu infuſo Fidei, ſed ab alio habitu. Vnde ad ſummum per talem diſſenſum corrumperetur habitus, cuius eſſet tali reuelationi aſſentire.

135. Verùm iuxta noſtra principia ſuprà iacta, dicendum eſt per huiuſmodi errorem corrumpi ipſum habitum infuſum Fidei: cùm talis error directè opponatur authoritati diuinæ ſufficienter propoſitæ, quæ eſt formale motiuum præinfuſi habitus Fidei. Hic enim non ſolùm ſe extendit ad Fidem Catholicam ab Eccleſia propoſitam, ſed etiam ad priuatam à Deo ſufficienter reuelatam: & conſequenter talis homo eſſet verè & propriè hæreticus coram Deo: licet non poſſet ab Eccleſia puniri. Quod rectè adnotauit Suarez *Suarez.* diſp. 19. ſect. 5.

136. Secundum dubium: An infidelitas corrumpat habitum euidentem in atteſtante. Suppono ex diſp. 2. ſect. 5. poſſibilem eſſe aſſenſum Fidei euidentem in atteſtante, & conſequenter habitum infuſum, qui intellectum inclinet ad huiuſmodi aſſenſum ſubſtantialiter diuerſum ab habitu Fidei, qui tantùm intellectum inclinat ad aſſenſum obſcurum in atteſtante. Dubium igitur eſt: an infidelitas non ſolùm corrumpat habitum Fidei obſcurum, ſed etiam euidentem in atteſtante. Negat Turrianus loco præcitato, *Turrianus.* etiamſi ſupponat habitum Fidei euidentem in atteſtante eſſe eundem, cum habitu Fidei obſcuro in atteſtante. *Quæ ſententia probabilis eſt.* Nam vt habitus non tollatur, ſufficit, vt ſubiectum non ſit illius incapax, & in eo aliquem actum exercere poſſit. Sicut, vt habitus ſpei non tollatur in Patria, ſufficit, vt ſubiectum ſit capax, & in eo aliquem actum exercere poſſit.

137. Cæterùm in mea ſententia, qui huiuſmodi habitus ſubſtantialiter diſtinguo, adhuc id faciliùs ſaluatur: quia cùm infidelitas non opponatur directè habitui euidenti in atteſtante, cùm nequeat intellectus diſſentire obiecto euidenti in atteſtante, non poterit illum expellere: nam actus nonniſi illum habitum expellit, cui opponitur, vel cuius motiuum formale, aut proprium actum ratione ſtatus perpetuò tollit. Motiuum autem formale habitus euidentis in atteſtante non eſt teſtimonium diuinum per Eccleſiam obſcurè applicatum, quod tollit hæreſis, ſed teſtimonium diuinum à Deo euidenter propoſitum, cui directè & formaliter non opponitur hæreſis.

138. Tertium dubium: An per hæreſim non ſolùm corrumpatur habitus infuſus Fidei, ſed etiam fidelitatis, qui voluntatem diſponit ad obediendum Fidei? Negatiua pars videtur ſequi ex præcedentis dubij ſolutione: nam illum habitum expellit hæreſis, qui opponitur, & cuius motiuum formale, & actum tollit. Atqui hæreſis non opponitur, niſi habitui infuſo Fidei, eiuſque tantùm formale motiuum, & actum tollit. Affirmatiua

verò

Digitized by Google

verò pars ſequitur ex ſupra dictis ſect. 2. vbi docuimus, habitum fidelitatis vnà cum habitu Fidei in Patria deſinere: ergo etiam cohærenter dicendum erit, illum ſimul cum habitu Fidei in hæretico deſinere. Quæ pars non modò iactis principijs cohærentior eſt, ſed etiam per ſe probabilior. Quare negandum eſt, hæreſim non opponi habitui infuſo fidelitatis, vel eius formale obiectum non tollere. Quoniam hæreſis non ſolùm conſiſtit in actu intellectus, quamuis in eo conſummetur; ſed etiam in actu voluntatis, alioqui culpabilis non eſſet. Nec ſolùm tollit formale obiectum habitus fidei, eiuſque proprium actum, ſed etiam formale obiectum fidelitatis, quod eſt ipſa ſupernaturalis honeſtas actus fidei, quæ dum hæreſis tollit, tollit etiam formale obiectum ſupernaturalis habitus fidelitatis.

139. Quartum dubium: An habitus acquiſitus per actus fidei infuſæ ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, facilitans tantùm potentiam ad conſimiles actus eliciendos, maneat in hæretico. Pars negatiua videtur ex dictis ſequi: cùm non poſſit talis habitus in hæretico actum habere: quia nequit operari, niſi præſuppoſito habitu infuſo fidei. Cùm enim habitus infuſus Fidei ad actum Fidei ſe habeat vt potentia; habitus verò per actus ſupernaturales Fidei acquiſitus ſe habeat vt facilitans tantùm potentiam, non poterit hic operari, niſi præſupponat præinfuſum habitum fidei, tanquam potentiam, quam debet facilitare. Confirmatur. Nequit habitus acquiſitus naturalis operari, niſi præſupponat potentiam, quam debet facilitare: ergo neque habitus acquiſitus fidei, niſi præſupponat præinfuſum fidei, quem vnà cum potentia facilitare debet.

140. Affirmatiua tamen pars mihi probabilior eſt: idq́ue ex duplici ratione: altera ab experientia ducta. Nam ſi aliquis hæreticus, antequam in hæreſim incidiſſet, per multos Fidei infuſæ actus facilitatem ſibi comparaſſet ad conſimiles actus eliciendos, ſi poſtea hæreſi abiurata, iterum ad Fidem reuerteretur, eandem experiretur facilitatem ad eoſdem præinfuſæ Fidei actus eliciendos: quis hoc neget? Atqui hæc aliunde oriri non poſſet, quàm ex aliquo habitu acquiſito, qui per hęreſim non fuit extinctus, ſed tantùm ſopitus, qui defectu habitus infuſi non potuit intellectum ad vllum veræ Fidei actum facilitare. Nec dici poteſt, hanc facilitatem oriri ex præinfuſo habitu fidei: nam ſicut hic non dabat ante hæreſim facilitatem, ſed tantùm poſſe; ita nec iterum infuſus poſt abiuratam hæreſim.

141. Altera ratio eſt: quoniam eos dumtaxat habitus propter peccatum aufert ab homine Deus, qui immediatè pendent ab ipſo tantùm: habitus autem per actus infuſæ Fidei acquiſitus non pendet immediatè à Deo tantùm, ſed etiam ab homine, qui illum proprijs actibus ſibi comparauit: non igitur illum ob peccatum aufert Deus. Minor cum conſequentia patet. Maior probatur: quoniam non ſolet Deus, quæ ipſius eſt Clementia, ob peccatum creaturam priuare, niſi donis merè gratuitis, vt conſtat tum de Angelis, tum de hominibus, qui propter peccatum non ſunt ſpoliati, niſi donis merè gratuitis, integris in eis manentibus omnibus naturalibus. Habitus autem comparatus ex actibus ſupernaturalibus Fidei, etſi quoad ſubſtantiam ſupernaturalis ſit, cùm conſtet ex ſpeciebus productis ab actibus ſupernaturalibus Fidei, quę ſunt ſupernaturales quoad ſubſtantiam, vtpote productæ ab ipſis actibus ſupernaturalibus fidei: quia tamen eius productio merè gratuita non eſt, cùm non ſit immediatè à Deo, ſed tum ab ipſis actibus ſupernaturalibus Fidei, tanquam à cauſis neceſſarijs, tum à cooperatione libera creaturæ, ideo ob peccatum non aufert illum Deus. Vnde manent tales habitus in damnatis & beatis; illis ad pœnam, his ad gloriam, ſaltem accidentalem: vtrique enim reminiſcuntur actuum fidei, quos in hac vita exercuêre: quæ reminiſcentia ſine ſpecie præteritorum actuum fieri non poteſt. Ponere autem, propter talem reminiſcentiam, nouas ſpecies à Deo infuſas intellectui beato, ac damnato, omnino ſuperfluum eſt, & abſque idonea ratione dictum.

142. Quintum dubium: An in hæretico maneat habitus Theologiæ. Qui hunc habitum ponit in eſſentia naturalem, vel qui putat, ad illum progignendum non neceſſariò concurrere principia reuelata, acceptata Fide diuina, ſed tantùm humana, nullam habebit difficultatem illum in hæretico ponendi: cùm multa principia reuelata admittat hæreticus Fide humana, ex quibus naturali ratiocinatione multas deducit concluſiones Theologicas. Sola difficultas eſt in ſententia eorũ, qui docent habitum Theologiæ eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, ad eumq́ue progignendum ſemper concurrere aliquod principium reuelatum Fide diuina creditum. Quam ſententiam vt probabiliorem ſecuti ſumus in 1. Tomo noſtri Theologici Curſus diſp. 1. ſect. 3. & 4. Vbi licet concedamus habitum Theologicum ex principijs reuelatis humana Fide creditis genitum; hunc tamen ibidem docemus ſpecie differre ab habitu genito ex principijs reuelatis Fide diuina acceptatis: & conſequenter de hoc philoſophandum erit eodem modo ac de habitu quoad ſubſtantiam naturali.

143. De habitu igitur Theologico genito ex principijs reuelatis Fide diuina acceptatis, nec non ſupernaturali quoad ſubſtantiam, dicendum eſt, illum manere in hæretico materialiter tantùm, non autem formaliter, & in ratione principij operatiui. Quòd maneat ſaltem materialiter ſecundùm entitatem ipſam habitus, probatur à paritate habitus ſupernaturalis, comparati ex actibus ſupernaturalibus fidei: cùm non ſit maior ratio de hoc, quàm de illo. Quòd non maneat in ratione principij operatiui, probatur: quia cùm hic ad concluſiones inferendas pendeat ex

Digitized by Google

aliquo principio reuelato diuina Fide acceptato; cumque in hæretico vera Fides diuina non ſit, non poterit in eo talis habitus manere in ratione principij operatiui, ſed tantùm materialiter quoad entitatem dumtaxat habitus, qui defectu veræ Fidei nunquam poterit in actum exire: eo modo, quo præcitata diſp. ſect. 8. diximus, hunc habitum manere in beatis, tantùm quoad concluſiones & veritates ipſas Theologicas, non autem in ratione principij operatiui. Quòd ſi hæretici, etiam poſt hæreſim facilitatem experiantur in deducendis concluſionibus Theologicis ex principijs reuelatis, hæc facilitas in eis non prouenit ex habitu Theologico genito ex principijs reuelatis diuina Fide acceptatis, ſed ex habitu Theologico genito ex principijs reuelatis humana Fide creditis, qui ſæpè cum habitu ſupernaturali Theologiæ miſcetur.

144. Sextum dubium: An diuinitùs in eodem intellectu ſimul ſtare poſſint actus Fidei & hæreſes. Et ſanè indubitatum eſt, huiuſmodi actus circa idem obiectum eſſe non poſſe, cùm implicet intellectum eidem obiecto ſimul aſſentiri, & diſſentiri. Circa diuerſa verò, ſi ea ſint ab eadem Eccleſia propoſita, *Turrianus* putat Turrianus diſp. 44. dub. 2. circa ea non poſſe ſimul eſſe actum Fidei, & hæreſis; poſſe autem, ſi ea non ſint ab eadem Eccleſia propoſita, velut ſi vnum immediatè propoſitum eſſet à Deo tantùm, alterum ab Eccleſia, poſſe in eo euentu hominem habere actualem Fidem de vno propter teſtimonium Dei per interiorem illuminationem propoſito, & actualem hæreſim contra alterum ab Eccleſia applicatum.

145. Sed adhuc non video repugnantiam, cur de abſoluta potentia Dei non poſſet quis ex duobus obiectis ab eadem Eccleſia propoſitis, aſſentiri vni propter teſtimonium Dei, & diſſentiri alteri. Nam poſſet Deus de abſoluta ſua potentia per internam illuminationem concurrere cum tali intellectu ad aſſenſum veræ Fidei circa vnum obiectum ab Eccleſia propoſitum, eſto idem intellectus diſſentiret alteri ab eadem Eccleſia applicato. Ratio; quoniam ad actum Fidei infuſæ non requiritur, vt obiectum ab Eccleſia propoſitum credatur propter authoritatem ipſius Eccleſiæ, ſed propter authoritatem ſolius Dei: eſt enim authoritas Eccleſiæ ſola conditio infallibiliter tantùm applicans obiectum Fidei. Atqui poſſet vni obiecto ab Eccleſia propoſito intellectus aſſentiri propter ſolum teſtimonium Dei per internam illuminationem applicato, etiamſi diſſentiret alteri ab eadem Eccleſia propoſito. Nam ex eo quòd hic non reciperet authoritatem Eccleſiæ in vno, non ſequitur, quin Deus poſſit peculiari ſua motione eleuare intellectum vt aſſentiat alteri, non propter teſtimonium Eccleſiæ, ſed propter teſtimonium ſuum.

146. Septimum dubium: An habitus infuſus Fidei ſit remiſſibilis? Ratio dubitandi quoniam ſicut per actus infuſæ fidei continuò augetur: ita per contrarios actus continuò remittetur. Confirmatur: nam ſicut quoad incrementum habitus infuſus Fidei ſeruat proportionem cum habitu acquiſito; quia ſicut hic per actus conformes habitui, habitus continuò augetur: ita ille per actus ſupernaturales Fidei, habitus continuò augebitur: ita eandem proportionem ſeruare debet quoad decrementum: vt quemadmodum habitus acquiſitus per contrarios actus continuò remittitur: ita habitus infuſus per actus oppoſitos continuò remittatur. Hanc ſententiam vt probabilem refert Bannez ſecunda ſecundæ q. 4. art. 5. dub. 1. ad quartum, *Bannez.* vbi docet, Fidem & Spem manere debilem & minùs intenſam in peccatore. Cauſam huius remiſſionis ait eſſe illud idem agens, quod gratiam & charitatem efficienter corrumpit, quod moraliter & demeritoriè eſt peccator, phyſicè verò Deus ipſe.

147. Dicendum tamen eſt, habitum infuſum Fidei iuxta legem à Deo præſcriptam non eſſe remiſſibilem, eſſe tamen intenſibilem. Fundamentum eſt: quia vel remitteretur ſola ceſſatione actus; vel quolibet peccato mortali, vel ſola hæreſi mortali, vel etiam hæreſi veniali, vel demum quolibet peccato veniali. Non primo modo: quoniam in ſola ceſſatione actus, quando actus non eſt ſub præcepto, (nam quando eſt ſub præcepto, tunc ceſſatio actus recurrit cum ſecundo modo) nullum eſt demeritum: habitus autem infuſus non remittitur, niſi propter aliquod demeritum. Non ſecundo: nam ſi ponitur quolibet peccato mortali remitti habitum Fidei, ponendum potiùs eſſet, tolli totum, cùm quodlibet mortale ex natura ſua ſit dignum tali pœna. Atqui de Fide eſt, non quouis peccato mortali tolli habitum Fidei: ergo abſque fundamento aſſeritur illum minui. Confirmatur: quia non minùs quodlibet peccatum mortale opponitur vni gradui habitus fidei, quàm reliquis omnibus: ergo non minùs debet ad quodlibet mortale corrumpi vnus gradus, quàm omnes. Non tertio: quia cùm hæreſis mortalis tollat totum motiuum formale Fidei infuſæ, non poteſt in ſubiecto manere ſecundùm aliquem gradum, cùm nullus gradus infuſæ Fidei ſit operatiuus abſque ſuo motiuo formali. Non quarto & quinto modo: nam ſi hoc conceditur de habitu infuſo Fidei, concedendum etiam eſt de reliquis infuſis habitibus: atqui hoc de gratia & charitate dici nequit; ergo nec de habitu infuſo Fidei. Maior conſtat, cùm non ſit maior ratio de vno habitu, ac de alio; nec minùs aut quodlibet veniale pugnat contra quemcunque habitum infuſum, quàm contra Fidem: Aut magis hæreſis venialis aduerſetur fidei, quàm quodlibet veniale aduerſetur gratiæ & charitati. Minor probatur: alioqui poſſet gratia & charitas tandem amitti per ſola peccata venialia: nam tot poſſent venialia multiplicari, vt tandem totus habitus per continuam remiſſionem extingueretur: hoc autem eſt contra Fidem, quæ docet, per nul-

lum

lum veniale, vel multiplicationem venialium amitti gratiam & amicitiam erga Deum.

148. Nec ſatisfaciunt, qui ad ſaluandum hoc inconueniens, reſpondent, quolibet peccato veniali remitti gratiam & charitatem, non per partes æquales, qua ratione deueniri tandem poſſet ad extinctionem totius habitus; ſed per partes proportionales, quo pacto nunquam deueniri poteſt ad deſitionem totius habitus, cùm partes proportionales nunquam poſſint exhauriri omnes. Nō, inquam, ſatisfaciunt: nam præter alia incommoda, quæ hinc ſequerentur, ſequeretur etiam, ſæpe plus gratiæ & charitatis amitti per vnum peccatum veniale leuiſſimum & ex ſubreptione, quàm per aliud graue, & ex plena deliberatione commiſſum. Sæpe enim contingeret, vt primum veniale, ob quod tollenda eſſet dimidia pars totius habitus gratię & charitatis, eſſet leuiſſimum, & ex pura ſubreptione commiſſum: contrà verò ſubſequentia grauiora, & ex plena deliberatione facta, ob quæ deberent minores & minores partes proportionales ex eodem habitu minui.

149. Ad rationem dubitandi neganda eſt paritas. Cuius etſi efficacem rationem diſcriminis ex natura rei dare non poſſumus, eo quòd ſicut de facto decreuit Deus ad ſingulos actus fidei ſupernaturalis augere habitum infuſum; ita iuſta lege decernere potuiſſet, ad ſingula peccata, vel mortalia, vel venialia, ſiue intra ordinem infidelitatis, ſiue extra, minuere infuſum habitum fidei. Hanc tamen legem de facto Deum non tuliſſe, probabiliter nobis ſuadent tum rationes adductæ: tum maximè quoniam Deus pronior eſt ad bene faciendum & præmiandum, quàm ad puniendum.

150. Ad confirmationem: Primò nego habitus acquiſitos per contrarios actus minui quoad entitatem, ſed ſolùm quoad actiuitatem & efficacitatem mouendi potentiam. Etenim cùm hi in mea ſententia conſiſtant in ſpeciebus ordinatis & perfectis; cumque ſpecies contrarium non habeant, non poterunt per contrarios actus quoad entitatem minui. Minuuntur autem quoad actiuitatem & efficacitatem mouendi excitandique potentiam, quia aduenientibus per contrarios actus alijs ſpeciebus efficacioribus ad contrarios actus excitantibus, minuuntur priores quoad efficaciam mouendi atque excitandi potentiam. Secundò, diſpar eſt ratio de habitu acquiſito & infuſo: nam ille phyſicè minuitur per habitum contrarium ex contrarijs actibus genitum; hic tantùm moraliter & demeritoriè. Noluit autem Deus, quæ ipſius eſt bonitas, eam proportionem ſeruare cum habitu infuſo, eiuſque contrarijs actibus, quam ſeruant actus cum ipſo contrario habitu acquiſito.

151. Octauum dubium: An poſſit homo cum ordinario auxilio commenſurato habitui intenſiorem actum fidei elicere in ſtatu peccati, quàm in ſtatu gratiæ. Negatiua pars ſequitur ex præcitata opinione à Bannez relata: nam ſi ſemper in homine peccatore fides manet remiſſior ac debilior, quàm antea in eodem iuſto fuerat, non poterit peccator cum diuino auxilio commenſurato habitui intenſiorem actum fidei elicere, quàm potuiſſet iuſtus: quia non poteſt potentia intenſiorem actum elicere, quàm ſit ipſe habitus infuſus cum auxilio ſibi proportionato, vt ex 1. tomo diſp. 9. ſect. 16. cum communiori Doctorum ſententia ſuppono. *Bannez.*

152. Verùm cohærenter ad præiacta noſtra principia dicendum eſt, poſſe peccatorem intenſiorem actum fidei elicere, quàm iuſtum, non ſolùm comparando peccatorem cum alio homine iuſto, ſed eundem peccatorem cum ſeipſo antea iuſto. Quoad primam comparationem patet: quia poteſt vnus iuſtus intenſiorem habitum fidei habere, quàm alius; & quia idem habitus fidei, qui fuit in iuſto, perſeuerat in peccatore, poterit vnus peccator intenſiorem actum fidei elicere, quàm alius homo iuſtus. Quoad ſecundam verò comparationem probatur: quia poteſt peccator per multos actus frequentatos fidei diſpoſitiuè ſibi augere habitum vltra eam intenſionem, quam habebat in ſtatu gratiæ; & conſequenter intenſiorem actum fidei elicere in ſtatu peccati, quàm in ſtatu gratiæ.

DISPVTATIO XVI.

De peccatis quæ Fidei infuſæ opponuntur.

SECTIO PRIMA.

Quæ & qualia peccata Fidei opponantur?

1. SIcut duplex eſt pręceptum Fidei, Affirmatiuum, & Negatiuum: ita duplex illi opponitur peccatum, omiſſionis, contra pręceptũ affirmatiuum, & commiſſionis contra negatiuum; proinde duplex infidelitas, Negatiua, & Poſitiua. Negatiua duplex, alia adhuc inuincibilis, & purè negatiua, qualem habent qui nullam rerum fidei notitiam habuerunt; alia vincibilis, & priuatiua; quam habet, quicunque facta ſufficienti propoſitione obiecti, omittit credere. Poſitiua ſemper eſt culpabilis, & in ratione malitiæ eſſentialiter diuerſa à priuatiua, ſupra quam addit expreſſum contemptum diuinæ authoritatis; ſicut commiſſio contra præceptum charitatis addit ſuprà omiſſionem eiuſdem præcepti expreſſum contemptum diuinæ Bonitatis, ratione cuius ponitur in diſtincta ſpecie odij contra Deum. Omiſſa priuatiua, diſputandum eſt de poſitiua, contra quam tantùm intelliguntur fulminatæ pœnæ in iure ſtatutæ; non enim per ſolam omiſſionem actus fidei debiti, etiam exteriùs manifeſtatam, incurritur excommunicatio contra hęreticos, ſed requiritur poſitiua incredulitas obiecti propoſiti. De qua primò videndum, quæ conditiones ſint ad illam neceſſariæ. Secundò, quæ ſit illius ſpecies. Tertiò, quo pacto inter ſe diſtinguantur.

2. Circa primam, omnes conueniunt ad infidelitatem poſitiuam primò requiri poſitiuum iudicium contra aliquam veritatem reuelatã, defectu cuius nec ſola abnegatio externa, nec pura dubitatio interna eſt hęreſis. Cuius ratio eſt, quia infidelitas poſitiua potiſſimum conſummatur in iudicio erroneo contra regulam Fidei.

Stephanus Papa.

3. *Obijcies* 1. Authoritatem Stephani Papæ cap. 1. *extra* de hęreticis, docentis, dubium in fide eſſe infidelem: igitur ſolum dubium contra regulam Fidei ſufficiens eſt ad hęreſim conſtituendam. Reſpondeo citatam authoritatem intelligi de dubio poſitiuo. Duplex quippe eſt dubium: Alterum negatiuum, cùm quis hæret neutram in partem poſitiuè inclinans: Alterum poſitiuum, cùm quis poſitiuè iudicat, alteram partem obiecti eſſe dubiam. Primum ad infidelitatem poſitiuam non ſufficit; ſufficit autem ſecundum, ſi cæteræ conditiones ad poſitiuam infidelitatem requiſitę non deſint. Ratio eſt: quia non ſolùm eſt de Fide, Myſteria noſtræ Religionis non eſſe falſa, ſed nec dubia. Aduertendum autem eſt, hoc iudicium fieri poſſe vel de obiecto, de quo dubitatur, vel de dubio ipſo. Si fiat ſecundo modo, non eſt hæreticum, ſed verum iudicium: cùm fiat de dubio, quod verè dubium eſt. Hæreticum autem eſt, ſi fiat primo modo: quia tunc dubium cadit ſupra obiectum, quod de fide eſt, non eſſe dubium.

4. *Obijcies* 2. Si quis ſola demonſtratione conuictus aſſentit, Deum eſſe, aliàs negaturus, infidelis eſt: & tamen hic nullum habet poſitiuum iudicium contra veritatem reuelatam; cùm de facto non neget, ſed affirmet Deum eſſe, ſed ſolùm habeat voluntatem conditionatam non credendi: ergo infidelitas non importat eſſentialiter poſitiuum iudicium contra veritatem reuelatam. Reſpondeo negando minorem: habet enim hic neceſſariò hoc iudicium: *Deum eſſe, non eſt obiectum à prima veritate teſtatum*: alioqui non poſſet habere illam voluntatem conditionatam: *non crederem, niſi ſcirem*: cùm omnis voluntas fundetur in aliquo poſitiuo iudicio, quod cùm non poſſit eſſe actus ipſe ſcientificus, qui potiùs inclinat ad aſſentiendum, erit alius, quo iudicat, non eſſe talem reuelationem. Quod non minùs eſt contra fidem, quàm negare Deum eſſe: nam facta ſufficienti propoſitione obiecti, non ſolùm tenemur credere, verũ eſſe obiectum, quod proponitur, ſed ipſam etiam reuelationem, ſub *qua* proponitur tanquam rationem formalem ſub *qua* credendi. Ergo quamuis iſte nõ neget Deum, quem euidenter cognoſcit, negat tamen reuelationem de Deo poſt ſufficientem propoſitionem illius.

5. Secundò ad poſitiuam infidelitatem requiritur voluntas. Conſtat, quoniam hęc neceſſaria eſt ad omne peccatum. Quo fit, vt qui per ignorantiam inuincibilem errat in materia fidei, non ſit infidelis. Controuerſum autem eſt, an ſit hæreticus, qui ex conſcientia erronea diſcredit in materia fidei

tantùm

Digitized by Google

tantùm putatæ. Affirmant aliqui: quod mihi probabile ſit ex eo, nam hic formaliter diſcedit à ratione formali fidei: quippe qui virtute credit poſſe aliquam regulam fidei eſſe fallibilem.

6. Tertiò requiritur pertinacia, quæ in eo conſiſtit, vt quis ſcienter, & directè contradicat alicui propoſitioni ab Eccleſia definitæ, vel in Scriptura, vel alia regula fidei expreſsè contentæ. Per hanc enim homo directè contradicit rationi formali fidei, quæ eſt authoritas diuina ſufficienter per Eccleſiam, tanquam per ipſius organum propoſita. Defectu huius conditionis error contra fidem ex ignorantia etiam culpabili, & affectata, hæreſis non eſt. Neque excommunicatio contrahitur, niſi ſit cum tali pertinacia, vt ignorans habeat voluntatem diſcredendi, etiamſi ſciret rem illam eſſe contra aliquam fidei regulam. Ratio eſt: quia qui ſic errat, non diſcedit à ratione formali fidei: quia cum tali ignorantia retinere poteſt directam & formalem voluntatem ſubmittendi ſe Eccleſiæ. Neque affectando ignorantiam oppoſiti eius, quod creditur, vt liberè opinari poſſit, tollit formalem & directam voluntatem aliter ſentiendi, quoties ſibi oppoſitum conſtiterit.

7. *Obijcies* 1. Omnis hæreticus eſt ignorans, nemo enim putat ſuum iudicium eſſe contrarium regulæ fidei: ergo ſi ignorantia eſt culpabilis, non excuſat ab hæreſi. Reſpondeo, concedendo antecedens de ignorantia alterius regulæ ab animata, cuius ſola ignorantia excuſat ab hæreſi, quæ non committitur, donec ſufficienter conſtet verus Eccleſiæ ſenſus. Cur autem ſola ignorantia regulæ animatæ excuſet ab hæreſi, eſt, quia ad hanc pertinet proponere, quæ ſint fide diuina credenda, ante cuius ſufficientem propoſitionem nemo tenetur obiecta reuelata fide diuina credere.

8. *Obijcies* 2. Omnes hæretici habent ignorantiam ſaltem vincibilem de vera Eccleſia; cùm ipſi putent veram Eccleſiam eſſe, quam ipſi ſequuntur: ergo ſi vincibilis ignorantia excuſat ab hæreſi, nullus de facto erit hæreticus. Reſpondeo nego, hæreticos habere ignorantiam vincibilem de vera Eccleſia. Nam ille dicitur habere ignorantiam vincibilem rei, qui non cognoſcit rem, tenetur tamen illam cognoſcere. Hæretici autem veram Eccleſiam cognoſcunt, cùm malint ab illa diſcedere, quàm proprias hæreſes relinquere: non igitur habent vincibilem ignorantiam illius. Confirmatur. Eatenus ignorantia veræ Eccleſiæ excuſat ab hæreſi, quatenus occultat authoritatem Eccleſiæ, quam pertinaciter negat hæreticus: atqui authoritas veræ Eccleſię non occultatur hæreticis, cùm ſit illis ſatis nota, ab eaque pertinaciter eligunt diſcedere. Neque excuſantur, dicendo, non eſſe ſibi euidens, quòd hæc ſit vera Eccleſia: nam ſub talibus ſignis & notis eis proponitur, vt teneantur credere, eam eſſe veram Eccleſiam. Non inficior, multos ruſticos, & idiotas, qui non tenentur iſta examinare, ſi aliunde non habeant animum repugnandi veræ Eccleſiæ, excuſari ab hæreſi formali; & conſequenter eos, ſi ritè baptizati ſint, habitum fidei non amittere.

9. *Obijcies* 3. In reliquis peccatis eiuſdem ſpeciei eſt, quod ſcienter, & ignoranter committitur: ergo etiam in peccato hæreſis. Reſpondent aliqui concedendo, errorem ex ignorantia vincibili reduci ad ſpeciem hæreſis, propter argumentum factum: negant tamen, illam dici hæreſim, quia hæc non ſignificat quodcunque peccatum, ſed ſcienter factum, contra aliquam definitionem Eccleſiæ. Alij probabiliùs negant, talem errorem reduci ad ſpeciem hæreſis, ſed eſſe diuerſæ ſpeciei ab illa. Nam hæreſis eſt contra definitionem Eccleſiæ expreſsè cognitam: quę dum per ignorantiam occultatur, non poteſt dare ſpeciem actui. Cæterùm talis error eſt contra obligationem, quam vnuſquiſque habet inquirendi neceſſaria ad ſalutem. Quare duplex diſtinguenda eſt ignorantia; Altera, quę tantùm variat modum voluntarij: & hęc non variat ſpecificè peccatum: Altera, quę occultat obiectum, quod dat ſpeciem actui: atque hæc variat ſpecificè peccatum: cùm non poſſit actus, cuius malitia conſummatur in expreſſo affectu circa aliquod obiectum, ſuam ſpeciem habere, occultato obiecto.

10. *Obijcies* 4. Qui ex ignorantia vincibili adhæret Iudaiſmo, vel Paganiſmo, infidelis eſt: ergo etiam qui ex ignorantia vincibili adhęret Hęreticiſmo. Reſpondeo negando antecedens, loquendo de infidelitate corrumpente habitum fidei: nam niſi is aduertat, talem adhæſionem eſſe contra definitionem Eccleſię, à qua eligit diſcedere, per illam non amittit habitum fidei.

11. *Obijcies* 5. Qui committit peccatum ex ignorantia vincibili contra vltimum finem, contradicit charitati: ergo etiam qui committit peccatum ex ignorantia vincibili contra primam veritatem, contradicit fidei infuſæ. Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſcriminis eſt: quia charitas ordinat nos in ratione perfectę amicitię ad Deum: perfecta autem amicitia poſtulat, vt amicus faciat quantum in ſe eſt, ne grauiter lędat amicum. Quod ſi non fecerit, non eſt ampliùs dignus amicitia. Cùm igitur peccans ignorantia vincibili vltimi finis, non faciat quantum in ſe eſt, ne Deum offendat, dignus eſt, vt priuetur charitate & amicitia erga Deum. Fides autem immediatè ordinat nos ad Deum in ratione primę veritatis: ad hoc autem ſufficit, ſi habeamus formalem & directam voluntatem illi credendi, quoties id nobis per Eccleſiam expreſsè conſtiterit.

12. Inſtabis: ergo etiam poſſet quis retinere fidem diſcredendo Eccleſiæ, dummodò habeat formalem voluntatem credendi Deo, quoties id ſibi expreſsè conſtiterit. Reſpondeo negando conſequentiam: quoniam

Digitized by Google

iuxta legem præſcriptam authoritas Dei non applicatur nobis, niſi per Eccleſiam, quam qui negat, non poteſt habere regulam proximè directiuam circa res fidei.

13. Quoad ſecuudam difficultatem, notat
S. Thomas. S. Doctor ſecunda ſecundæ q. 10. art. 5. vitia dupliciter opponi virtuti; vno modo per diuerſam habitudinem ad illam; quo pacto vnicuique virtuti opponuntur determinata vitia, vt liberalitati prodigalitas per exceſſum, & auaritia per defectum. Alio modo, per corruptionem eorum, quę ad virtutem requiruntur: quo pacto vni virtuti innumera opponuntur vitia, ſecundùm quod variç poſſunt circumſtantiæ virtutis corrumpi. Cùm enim virtus non ſolùm pendeat ab honeſtate obiecti, ſed à debitis etiam circumſtantijs, non ſolùm poſſunt ei vitia opponi per diuerſam habitudinem ad honeſtatem obiecti, ſed etiam per defectum circumſtantiarum, quæ ad illam requiruntur. Sic per varios errores, & motiua corruptiua veritatis fidei, variæ diſtinguuntur infidelitates. Alia eſt enim hęreſis, qua ex vno motiuo negatur Trinitas perſonarum in Deo; alia, qua ex alio negatur humanitas in Chriſto; imò qua vnum & idem obiectum fidei ex vno motiuo negatur ab vno, & ex alio negatur ab alio: error enim ſpecificatur à motiuo, quo intellectus inducitur ad errandum. Ergo ſicut varia poſſunt eſſe motiua, quibus infideles inducuntur ad negandas res fidei; ita & eorum errores, qui tantùm phyſicè, non moraliter diſtinguuntur inter ſe: moraliter enim diſtinguuntur penes diuerſam difformitatem ad motiuum formale fidei, penes quod diuerſa motiua phyſica eandem poſſunt habere difformitatem moralem. Quia verò infidelitas conſideratur moraliter, & in ratione culpæ, eius malitia attenditur penes moralem, non phyſicam oppoſitionem ad motiuum formale fidei. Penes quod triplicem diſtin-
S. Thomas. guit S. Thomas ſpeciem infidelitatis, Paganiſmi, Iudaiſmi, Hæreticiſmi. Probat, quoniam infidelitas eſt culpabilis renitentia fidei: hæc autem eſſe poteſt aut fidei nondum ſuſceptæ, aut tantùm ſuſceptę in figura veteris teſtamenti, aut ſuſceptæ in manifeſtatione Euangelicæ veritatis. Prima conſtituit Paganiſmum: Secunda Iudaiſmum: Tertia Hæreſim. Ad quam non requiritur, vt probabilior ſententia fert, ſuſceptio veritatis Euangelicæ per Baptiſmum, ſed ſufficit per internam fidem. Vnde Catechumenus, ſi fidem, quam interiùs ſuſcepit, deſerat, hæreticus eſt, licet non incurrat pœnas in iure ſtatutas: quia Eccleſia non acquirit Iuriſdictionem ſupra fideles, niſi medio Baptiſmate, etiam inualido, vt conſtat tum de Arianis, qui dum in Eccleſia recipiuntur, rebaptizantur, eò quòd Eccleſia iudicat eorum Baptiſmum eſſe inualidum. Neque etiam requiritur, vt aliquando hæreticus veram fidem infuſam actualem habuerit, vt conſtat de paruulis hæreticis baptizatis, & apud eoſdem educatis: hi enim nunquam veram fidem infuſam actualem habuerunt, cùm hæc ſine ſufficienti inſtructione haberi non poſſit. Tum de gentili immediatè tranſeunte ad hæreticiſmum: nam hic nunquam habuit veram fidem, neque actualem, neque habitualem. Fit autem hæreticus hoc ipſo, quòd per hæretiſmum aliquo modo Chriſtum recipit & ab Eccleſiæ authoritate diſcedit.

14. *Obijcies* 1. Virtus, & vitium verſantur circa idem obiectum; ſed authoritas diuina eſt obiectum formale fidei: ergo circa eandem verſari debet infidelitas: ergo ſicut fides eſt vna per habitudinem ad vnum obiectum formale fidei: ita infidelitas erit vna per receſſum ab eodem motiuo formali. Reſpondet citato loco S. Thomas, rationem for- S. Thomas.
malem peccati bifariam accipi; vno modo ſecundùm intentionem peccantis; & ſic formale obiectum peccati eſt, ad quod peccans conuertitur: Alio modo ſecundùm rationem mali, ſeu auerſionis à bono; & ſic formale obiectum illius eſt priuatio boni, à quo peccans recedit. Species autem peccati non ſumitur ex receſſu à bono, quia per hunc peccatum non habet ſpeciem, ſed potiùs priuationem ſpeciei; ſed per conuerſionem ad obiectum, quod peccans intendit. Sic charitas vna eſt inhętens ſummo bono: Vitia autem illi oppoſita ſunt diuerſa, per conuerſionem ad diuerſa bona temporalia, habentia diuerſas habitudines inordinatas ad Deum. Ita vna eſt fides inhærens primæ veritati: infidelitates autem diuerſæ ob diuerſas ſententias falſas, quę primæ veritati opponuntur. Ad argumentum igitur in forma, diſtinguenda eſt Maior de obiecto formali auerſionis, & conuerſionis: & de priori, concedenda eſt; neganda verò de poſteriori. Diuerſum quippe eſt obiectum formale conuerſionis virtutis, & vitij illi oppoſiti: obiectum namque formale illius eſt bonum honeſtum attingibile iuxta regulam rationis: huius verò eſt bonum aliquod apparens, oppoſitum priori: & quia huiuſmodi bona apparentia poſſunt eſſe diuerſa, propter diuerſas habitudines oppoſitionis ad bonum virtutis; ideò etiamſi obiectum formale virtutis ſit vnum, vitia tamen illi oppoſita poſſunt eſſe diuerſa.

15. Vrgebis. Hoc pacto innumeræ erunt infidelitates, vti innumera ſunt motiua & rationes apparentes primç veritati oppoſitæ, ex quibus moueri poteſt homo ad diſcredendum. Reſpondeo negando ſequelam: nam iſtę rationes & motiua non ſunt conſideranda phyſicè, ſed moraliter, prout dicunt formalem oppoſitionem ad primam veritatem per Eccleſiam propoſitam. Quo modo tres tantùm diſtinguuntur infidelitatis ſpecies. Nam vel Secta ſeu ſententia, ad quam conuertitur infidelis, opponitur primæ veritati per Eccleſiam proponenti nondum creditæ, vel tantùm creditæ ſub figura veteris, vel ſub veritate noui teſtamenti. Prima conſtituit Paganiſmum: Secunda Iudaiſmum: Tertia Hæreticiſmum,

16. *Obijcies* 2. Sub enumeratis ſpeciebus

non

non comprehenditur Schiſma, & Apoſtaſia: atqui iſtæ ſunt ſpecies infidelitatis: ergo ſub enumeratis non comprehenduntur omnes infidelitatis ſpecies. Reſpondeo negando Minorem. Nam Schiſmaticus eſt, qui ſe ſubtrahit ab obedientia & vnione capitis, quod fieri poteſt ſine erroneo iudicio contra fidem: non enim eſt neceſſum, vt qui ſe ſubtrahit ab obedientia capitis, ſe ſubtrahat illud negando, quia tunc eſſet infidelis eâ ſpecie infidelitatis, ad quam ſe conuerteret.

17. Sed contrà hoc eſt: quia cùm hic admitteret explicitam fidem Chriſti, non poſſet eſſe Paganus, vel Iudæus, ſed Hæreticus. Reſpondeo ſpeciem infidelitatis ſumendam eſſe ex termino ad quem conuerſionis: hoc ipſo autem, quo hic tranſiret ad Paganiſmum, abijceret fidem Chriſti, & conuerteretur ad ſectam totaliter oppoſitam fidei Chriſti: proinde non eſſet hæreticus, ſed Paganus. Cùm enim infidelitas diſtinguatur ex oppoſitione, quam ſecta ipſa, ad quam infidelis conuertitur, habet ad fidem Chriſti; cumque Paganiſmus ſit totaliter oppoſitus fidei Chriſti, ſpecies erit Paganiſmi, non Hæreticiſmi, qui ex parte admittit doctrinam Chriſti.

18. Quoad Apoſtaſiam verò docet S. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 12. art. 1. illam non conſtituere nouam ſpeciem infidelitatis à tribus enumeratis diſtinctam: importat enim formaliter retroceſſionem à fide: infidelitas autem non ſumit ſuam ſpeciem à termino à quo, ſed à termino ad quem: ſed eſſe ſolùm circumſtantiam aggrauantem, coniungibilem cum quauis ſpecie infidelitatis. *S. Thomas.*

19. *Obijcies* 3. Præter tres enumeratas, aſſignari poſſunt duæ aliæ ſpecies infidelitatis; Vna per exceſſum leuiter credendo, quando non oportet: Altera per defectum, diſcredendo, quando oportet credere. Reſpondeo negando antecedens: Etenim aſſignatæ duæ deformitates includuntur in quauis ſpecie aſſignata. Nam omnes infideles & multa leuiter credunt, quæ videlicet ſunt contra fidem; nam eo ipſo carent ſufficientibus motiuis credibilitatis, & multa diſcredunt, quæ prudenter eſſent credenda, omnia ſcilicet Myſteria noſtræ fidei ſufficienter illis propoſita.

20. Quoad tertiam difficultatem. Nonnulli cenſent, has ſpecies diſtingui tantùm accidentaliter. Mouentur ex eo, quoniam obiectum formale, cui opponuntur, eſt authoritas diuina, quæ vna eſt: atqui peccatum malitiam ſortitur ex oppoſitione ad obiectum formale virtutis. Sed contrà: nam ex hac reſponſione ſequitur, cuilibet virtuti vnum tantùm vitium eſſentialiter opponi, cùm quælibet virtus vnum tantùm habeat obiectum formale: quod falſum eſt: nam & Spei, & Charitati, & cuiuis virtuti plura opponuntur vitia ſpecie diuerſa. Ratio verò eſt: quia licet formale obiectum virtutis ſit vnum, plura tamen ſunt obiecta, quæ per diuerſas habitudines ad illud opponuntur: peccatum autem malitiam ſortitur ex diuerſa oppoſitione ab obiectum formale virtutis.

21. Verius igitur ac probabilius Thomiſtæ ferè omnes cenſent diſtingui eſſentialiter. Grauis tamen difficultas eſt in aſſignãda efficaci ratione. Caietanus ſecunda ſecundæ q. 10. art. 5. hanc aſſignat rationem: quoniam contradicere fidei promiſſę & profeſſę in Baptiſmo, quod fit per hæreſim, diuerſa eſt ſpecies infidelitatis, quam contradicere eidem fidei non profeſſæ. Rurſus contradicere fidei profeſſæ in figura, diuerſum eſt peccatum, quàm contradicere eidem profeſſæ in veritate. Sed contrà, quoniam ex hoc non ſequitur, hæreſim eſſentialiter diſtingui à Iudaiſmo, & Paganiſmo, ſed ad ſummum cum hæreſi coniungi diuerſum peccatum contra Religionem: quia contradicere fidei profeſſę, præter peccatum contra fidem, addit peccatum contra promiſſionem Deo factam. *Caietanus.*

22. Alij id probant: quia ſicut non facere Eleemoſynam extremè indigenti, & factam tollere, ſunt duo peccata ſpecie diuerſa: ita non acceptare fidem, & acceptatam quoad omnia non credere, ſunt duo peccata ſpecie diuerſa. Verùm in exemplo allato manifeſtata eſt diuerſitas ex parte iurium, quæ læduntur: nam in primo læditur ius miſericordiæ, quod eſt tantùm inchoatum, & ad rem: in ſecundo verò ius perfectum iuſtitiæ, & in re, quod ſemper obligat ad reſtituendum, non autem primum, ſi aliunde ſit indigenti ſubuentum.

23. Quare dicendum eſt cum S. Thoma ſecunda ſecundę q. 10. art. 5. in corpore & ad primum, & cum omnibus Thomiſtis, hæc peccata diſtingui ſpecie inter ſe. Cæterùm hanc ſpecificam diſtinctionem ſumendam cenſeo ex diuerſa oppoſitione morali, quam obiecta horum vitiorum cum authoritate diuina habent. Nam diuerſa iniuria illi fit, eam recipere, & tamen non omnia, quæ ipſa teſtatur, credere; quàm nullo modo eam recipere. Rurſus diuerſa iniuria illi infertur, eius doctrinam admittere in vno, & negare in alijs, in quibus eadem ratio credibilitatis apparet: quia non credere omnia, quæ cum eadem credibilitate proponuntur, non modò eſt contradicere primę veritati, vt contradicunt, qui eius doctrinam nullo modo recipiunt: verùm etiam eſt virtualiter iudicare, primam veritatem ſibi quodammodo contradicere, dum ſub ijſdem ſignis credibilitatis vera, & falſa nobis credenda proponit. Sed Paganiſmus nulla ex parte Chriſti doctrinam admittit; Iudaiſmus ſolùm in figura veteris teſtamentis; Hæreticiſmus admittens illam etiam in manifeſtatione Euangelicę veritatis, in multis illam negat, in quibus eadem eſt ratio credibilitatis. Ergo diuerſam ſpecie malitiam habet Paganiſmus à Iudaiſmo, & vterque ab Hæreticiſmo, ratione diuerſæ iniuriæ, quam vnumquodque peccatum Deo infert. *S. Thomas.*

24. Ex dictis expediuntur ſequentia dubia. Primum: An ad contrahendam hęreſim neceſſariò requiratur, vt hęreticus diſcedat ab Eccleſia

Eccleſia expreſſo animo illi contradicendi. Affirmatiua pars videtur ex dictis ſequi: quoniam cùm hæreſis includat pertinaciam reſiſtendi Eccleſiæ, ad eius malitiam requiri videtur expreſſus affectus illi contradicendi. Verùm negatiua pars verior eſt, quam docet Vaſquez prima ſecundæ quęſt. 126. cap. 3. Ratio eſt: quoniam ad pertinaciam, quæ ad hæreſim neceſſariò requiritur, non eſt huiuſmodi expreſſus affectus neceſſarius, ſed ſufficit, vt ex quocunque motiuo hęreticus velit ab Eccleſiæ doctrina diſcedere, modò ſciat, & aduertat, ſententiam, quam eligit, eſſe contra authoritatem Eccleſiæ, etiamſi illam non eligat expreſſo animo contradicendi Eccleſiæ; ſed vel ex motiuo inanis gloriæ, vel ex aliquo alio.

Vaſquez.

25. Secundum dubium: An eſſet hæreticus, qui nollet aliquam propoſitionem in Scripturis contentam credere, tanquam à Deo reuelatam, niſi de tali reuelatione ratione ab Eccleſia conuincatur. Reſpondeo affirmatiuè: nam talis in eo caſu non admitteret authoritatem Eccleſię, quatenus nititur reuelatione diuina, quo tantùm pacto eſt regula infallibilis in proponendo, & à fidelibus certa fide credenda: ſed quatenus nititur rationibus & teſtimonijs humanis, qua ratione fallibilis eſt, & nonniſi humana fide credẽda.

26. Ex his intelligitur, cur pertinacia, in qua hęreſis conſummatur, potiùs explicetur per reſiſtentiam ad Eccleſiam proponentem, quàm ad Deum reuelantem, vel Scripturam loquentem, aut traditionem res fidei applicantem, cùm omnes iſtę ſint regulæ diuinæ infallibiles, contra quas ſcienter ſentire non minùs eſt hęreticum, quàm ſentire contra ipſam Eccleſiam proponentem. Ratio autem eſt: quia nemo pręſumitur nolle credere Deo atteſtanti, poſito quòd Deus ſit, qui atteſtatur; cùm naturæ lumine euidens ſit, Deum falſum atteſtari non poſſe: ſed potiùs nolle credere, hanc, vel illam atteſtationem eſſe à Deo, cùm hoc ſit nobis obſcurum. Et quia iuxta legem ordinatam omnis atteſtatio diuina nobis credenda proponitur per Eccleſiam tãquam per regulam animatam infallibilem, potiùs hęreſis pertinacia explicatur per reſiſtentiam ad Eccleſiam proponentem: quia qui hanc ſolam negat, etiamſi admittat reliquas, non poteſt eas admittere ex teſtimonio diuino, nã hoc æquali euidentia credibilitatis teſtatur de ipſa Eccleſia tanquam de regula diuina infallibili in proponendo.

27. Tertium dubium eſt: An cõmitti poſſit hęreſis ſolo actu voluntatis, abſque actuali errore intellectus. Affirmat Valentia diſp. 1. q. 10. punct. 1. Probatur, quia poteſt volũtas habere propoſitũ diſcedendi ab Eccleſia poſt aliquod tempus: ergo poteſt quis committere hęreſim ſolo actu voluntatis, abſque vllo actuali errore intellectus. Antecedens patet: quia tale propoſitum eſt in libera poteſtate voluntatis, nullamque inuoluit impoſſibilitatem: ergo formari poteſt à voluntate. Conſequentia primi Enthymematis probatur: quia qui ſolùm habet propoſitũ diſcredendi, nondum actu diſcredit: ſicut qui habet propoſitum concupiſcendi, nondũ actu concupiſcit: & qui habet propoſitum mentiendi, nondum actu mentitur. Igitur qui tantùm habet propoſitum diſcredendi, nondum actus diſcredit per erroneum iudicium.

Valentia.

28. Negat verò Suarez diſp. 16. ſect. 3. & *ſane probabilius*. Ratio eſt: quia repugnat huiuſmodi propoſitum abſque erroneo iudicio. Quod ſic probatur: nam qui efficaciter vult poſt aliquod tẽpus ab Eccleſia diſcedere, ideò vult, quia iudicat, illam non eſſe regulam infallibilem: ergo de facto habet erroneum iudicium contra illam. Cùm enim nequeat voluntas efficaciter aliquid velle, niſi præcedat practicum iudicium de tali obiecto, non poterit voluntas efficaciter velle poſt aliquod tempus ab Eccleſia diſcedere, niſi habeat practicum iudicium de tali diſceſſu, quòd ſit melior & eligibilior, quàm ſit ipſa permanſio in Eccleſia. Ad exempla autem allata, ratio diſcriminis eſt: quia actus aliarum potentiarum non debent præcedere, ſed ſubſequi imperium voluntatis: contrà verò actus intellectus debet præcedere voluntatis imperium. Nequit igitur voluntas habere efficax propoſitum ſeu imperium diſcedendi poſt aliquod tempus ab Eccleſia, niſi nunc ipſius imperiũ præcedat aliquod erroneum iudicium contra Eccleſiæ authoritatem, ſufficiens ad hęreſim committendam. Nam licet ſignatus ille ab Eccleſia diſceſſus fiat poſtea, cùm ſit actus imperatus, qui ſubſequitur imperium, tamen exercitus diſceſſus fit eo ipſo inſtanti, quo ad erroneum iudicium accedit liberum imperiũ voluntatis: cùm nequeat voluntas tale imperiũ formare, niſi præcedat actuale iudicium, quod bonum ſit ab Eccleſia diſcedere. Quod iudiciũ, accedente libero imperio voluntatis, ſufficiens eſt ad corrumpẽdum habitũ fidei, & conſequenter ad peccatũ hęreſis cõmittendũ.

Suarez.

29. Quartum dubium: An hęreſis ſit peccatum omnium maximum. Reſpondet S. Thomas ſecunda ſecundę quæſt. 10. art. 3. & quęſt. 20. art. 3. & quæſt. 34. art. 2. infidelitatem ex genere ſuo eſſe peccatum omnium maximum, ſi excludas formale odium Dei. Nam eò inquit peccatum eſt grauius, quò magis auertit à Deo: atqui inter omnia peccata, quod maximè auertit à Deo, poſt odium formale Dei, eſt infidelitas, quæ hominem auertit à Deo, quatenus prima veritas eſt. Cõfirmatur ex alio principio Ariſtotelico: nam eò peccatum eſt peius, quò nobiliori opponitur virtuti: ſed poſt charitatem nobilior virtus eſt fides: ergo infidelitas, quæ opponitur fidei, eſt maximum omnium peccatum poſt odium formale Dei. Qui diſcurſus optimè procedit de infidelitate comparata cum peccatis contra virtutes morales, non autem comparata cum peccato contra ſpem Theologicam: nam hæc videtur nobilior ipſa fide; ac proinde peccatum contra illam eſſe maius, quàm peccatum contra fidem. Verùm reſpõdet ad hoc S. Thomas, adhuc infidelitatem

S. Thom.

Ariſtot.

S. Thom.

Digitized by Google

tem eſſe peiorem deſperatione: nam eò inquit peccatum eſt maius, quò magis offendit Deum ſecundùm proprias perfectiones ipſius: ſed infidelitas eſt magis contra perfectiones Dei, quàm deſperatio: quia infidelitas auertit hominem à Deo, quatenus prima veritas eſt in cognoſcendo & teſtificando, quæ eſt perfectio intrinſeca Deo. Deſperatio verò auertit hominem à Deo, quatenus eſt bonum noſtrum: ſpes enim tendit ad Deũ vt bonum à nobis participabile. Sed de hac difficultate iterum redibit ſermo, cum de virtute ſpei inſtituetur diſputatio.

31. Cæterùm aduertendum eſt, datam doctrinam intelligendam eſſe ex genere ſuo ac cæteris paribus. Nam ex circumſtantijs fieri poteſt, vt grauius ſit peccatum contra inferiorem, quàm contra ſuperiorem virtutem. Imò quando vna virtus habet plures actus ſpecie diuerſos, vt eſt charitas, quæ habet actum circa Deum, & circa proximum, fieri poteſt, vt peccatum contra inferiorem virtutem ſit maius, quàm ſit peccatum contra aliquem actum nobilioris virtutis: vt in allato exemplo charitatis conſtat: maius enim peccatum eſt infidelitas contra fidem, quàm ſit odium contra proximum, etiamſi hoc ſit contra nobiliorem virtutẽ charitatis; quia nimirum non eſt contra nobiliſſimum actum, quem charitas elicere poteſt.

SECTIO II.

Quomodo dignoſcendæ ſint propoſitionum cenſuræ.

32. NEceſſaria eſt hæc notitia Theologo ad iudicium ferendum de ſingulis propoſitionibus Theologicis, quæ aliquo modo Catholicæ Fidei aduerſantur. Sunt enim quidam cenſuræ gradus, qui colliguntur ex Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. & 15. quos Theologum oportet bene callere, vt non temerè de ſingulis cenſuram ferat. Pro quo nota, aliud eſſe iudicium ferre de qualitate propoſitionis ſecundùm obiectum, cui opponitur; aliud ſecundùm ſubiectum, à quo illa profertur. Primo modo ſolùm attenditur Logica oppoſitio, quam propoſitio in ſignificando habet cum aliquo fidei obiecto. Secundo præter hanc attenditur etiam culpabilis malitia, quam cum voluntate proferentis habet. Quo fit, vt propoſitio hæretica non ſit idem, atque hæreſis: nam hæreſis vltra iudicium oppoſitum fidei, includit culpam & pertinaciam volendi perſiſtere in eo iudicio cognito contra definitionem Eccleſiæ. Quæ pertinacia ſi abſit, erit quidem iudicium hęreticum in repræſentando, ſicut & vocalis propoſitio in ſignificando, non tamen hæreſis: nam hæc includit ſpecialem culpam pertinaciæ. Quo fit, vt propoſitio hęretica à quocunque proferatur,

Concilium Conſtantienſe.

ſemper ſit hæretica: ſicut propoſitio falſa, à quocunque enuntietur, ſemper eſt falſa: non tamen hæc eadẽ hæreticę propoſitionis enuntiatio in quocunque ſubiecto eſt hæreſis: nam in Chriſtiano ſciente & volente eſt Hęreſis; in Iudæo Perfidia, in Pagano Gentilitas. Ratio, quia prior denominatio ſumitur ex oppoſitione propoſitionis ad obiectum fidei ſecundùm ſe; poſterior verò ex morali oppoſitione ſubiecti affirmantis, quæ variatur ad moralem variationem ſubiecti in ordine ad fidei obiectum. Hoc adnotato, deſcendendum eſt ad ſingulos gradus cenſuræ.

33. Propoſitio hæretica eſt, quæ directè opponitur alicui veritati reuelatæ, aut concluſioni per euidentem diſcurſum explicatæ, vt implicitè & virtualiter contentæ in aliqua expreſsè reuelata. Ratio, quia hic eſt primus gradus oppoſitionis ad obiectum fidei: ergo ſicut fides directè tendit ad veritatem reuelatam, & ad concluſionem euidenti diſcurſu explicatam: ita propoſitio hæretica eſt, quæ huic veritati directè opponitur.

34. *Obijcies.* Poteſt eadem propoſitio vno tempore non eſſe hæretica, quæ tamen alio tempore hæretica eſt. Velut hæc propoſitio: *Beata Virgo eſt concepta in peccato originali*, nunc hæretica non eſt, quæ tamen foret, ſi oppoſita ab Eccleſia definiretur: ergo hæretica propoſitio non eſt, quę directè opponitur alicui veritati reuelatæ; nam ſi oppoſita propoſitio definiretur, illa ex nunc ſupponeretur reuelata, cùm Eccleſia non definiat, niſi quòd reuelatum ſupponitur: ergo ex nũc eius oppoſita eſſet hæretica, quia ex nunc opponeretur veritati reuelatæ: ſicut ex nunc propoſitio eſſet falſa, ſi ex nunc opponeretur obiecto vero.

35. Reſpondeo, vt aliqua propoſitio ſit hęretica, requiritur, vt ſit contra teſtificationem Dei ſufficienter promulgatam: quæ ſufficiens promulgatio nunc de lege ordinaria ſit per definitionem Eccleſiæ. Poteſt igitur eadem propoſitio ante promulgationem non eſſe hæretica, quæ tamen promulgatione facta, hæretica eſſet. Ratio, quia ſicut fides non poteſt verſari, niſi circa obiectum reuelatum ſufficienter propoſitum; ita hęreſis niſi circa obiectum oppoſitum fidei ſufficienter propoſitum, nam licet propoſitio fidei ſit conditio, non ratio formalis fidei, tamen ſine illa non dicitur obiectum reuelatum proximè credibile, nec eſt eadem ratio de propoſitione falſa, quæ ſolùm requirit difformitatem ad obiectum ſecundùm ſe.

36. Propoſitio erronea eſt, quæ opponitur Concluſioni Theologicæ, vt ex principijs fidei euidenter deductæ. Dixi, *vt deductæ*; quia vt explicatæ opponitur hæretica. Probatur, quia ſicut Concluſio Theologica habet gradum certitudinis diſtinctum à fide; ita & propoſitio illi oppoſita gradum erroris diſtinctum ab hæreſi. Notat Corduba in ſuo quæſtionario Theologico lib. 1. q. 17. erroneam propoſitionem eſſe omnem, quæ directè aduerſatur rationi, aut communi ſenſui *Corduba.*

Digitized by Google

Sapientum in quacunque facultate.

37. Propoſitio errori proxima eſt, quæ opponitur concluſioni Theologicæ, non quidem euidenter, ſed probabiliſſimè deducta ex principijs fidei. Qualis eſſet: *in paruulis per Baptiſmum non infunduntur habitus.*

38. Propoſitio Sapiens hæreſim dicitur, quæ quamuis ex ſe Catholicum ſenſum habere poſſit, ex circumſtantia tamen proferentis, meritò ſuſpicari poſſit in ſenſu hæretico prolata, vt hæc propoſitio ab Ariano prolata: *Pater maior eſt Filio:* ſapit hæreſim: prolata à Catholico nullam ingerit ſpeciem hæreſis. Canus. Vt enim Canus inquit lib. 12. de locis Theologicis cap. 11. idem vinum ex vno vaſe picem ſapit, ex alio non ſapit: ſic eadem oratio ex vno corde & ore vnum, ex alio alium ſpirat ſaporem.

39. Propoſitio malè ſonans, ſeu piarum aurium offenſiua eſt, vt citato loco definit Canus, quæ quamuis nullam hæreſis ſuſpicionem ingerat, abſurdum tamen & peregrinum ſenſum à communi & viſitato modo loquendi Patrum, & Scholaſticorum affert. Theologi enim eſt, non modò ſententiam, ſed etiam ſermonem ab viſitato recedentem vitare. Porrò piæ aures non ſunt imperiti vulgi, ſed ſapientum, quorum eſt iudicium ferre de ſenſu & qualitate propoſitionis.

40. Propoſitio temeraria eſt, quæ vel nulla ſufficienti ratione, authoritateve fulta, communi Doctorum ſenſui, aut approbatæ hiſtoriæ aduerſatur: vel quæ vt certum affirmat, quod nulla ratione probari poteſt: quę & impudens, inſolenſque dici ſolet. Hinc duplex oritur temerariæ propoſitionis genus; Altera, quæ dicitur poſitiuè temeraria; altera, quæ tantùm priuatiuè. Illa eſt, quæ opponitur communi authoritati Patrum & Scholaſticorum: hæc eſt, quæ ſine ſufficienti authoritate, vel ratione aſſeritur.

41. Propoſitio ſcandaloſa eſt, quæ etiamſi vera ſit, occaſionem ruinæ affert auditoribus.

42. Propoſitio ſeditioſa eſt, quæ viam ſternit ad ſeditionem.

43. Propoſitio Schiſmatica, quæ viam parat ad Schiſma, ſeparationemve à capite: vt exempli cauſa: *licitum eſt non obedire ſuperiori: Tyrannum occidere.*

44. Propoſitio periculoſa dicitur, quæ periculi occaſio eſſe poteſt, aut in fidei doctrina, aut in moribus: vt *poteſt homo eſſe perfectus ſine externa pœnitentia.*

45. Propoſitio blaſphema eſt, quæ immediatè, vel mediatè Deo iniuriam irrogat, quæ interdum eſt etiam hæretica, vt *Deus eſt author peccati,* ſæpè enim vna eademque propoſitio multis maculatur notis.

46. Propoſitio impia eſt, quæ improbabilis eſt, & fidei pietati notabiliter detrahit; non pia, quæ licet probabilis, tamen pietati fidei non fauet.

47. Arrogans eſt, quæ plus affirmat, quàm probare poſſit.

48. Propoſitio improbabilis eſt, quæ non habet probabile fundamentum.

49. Quę hactenus diximus non modò intelligenda ſunt de propoſitionibus quoad res & ſententias contrarijs authoritati Eccleſiæ, Patrum, & Scholaſticorum, ſed etiam quoad verba & modum loquendi definitum, vel vſurpatum ab Eccleſia, Patribus, & Scholaſticis, iuxta illud: *Ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæreſis.* Quam doctrinam tradit Auguſtinus lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 23. Auguſt. his verbis: *Liberis verbis loquuntur Philoſophi: nec in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem religioſarum aurium pertimeſcũt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem.* Vnde hæreticus eſſet, qui pertinaciter damnaret verbum *Tranſubſtantiatio,* quo Tridentinum vtitur ad Concilium Trident. explicandam conuerſionem totius ſubſtantiæ panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti Domini; aut Verbum *Homouſion,* quo vſum eſt Concilium Nicænum ad explicandam contra Arianos conſubſtantialitatem Concilium Nicænum. naturæ Filij cum Patre.

50. Ex dictis infertur, non ſolùm peccare qui contra primum fidei gradum pertinaciter ſentiret, ſed etiam qui obſtinatè erraret circa reliquos, plus autem, aut minùs, iuxta maiorem, aut minorem acceſſum, vel receſſum ad primum gradum. Dixi *qui pertinaciter, vel obſtinatè:* quoniam etſi ad peccandum ſimpliciter, & in foro conſcientię in materia fidei non requiratur pertinacia ſeu obſtinatio, ſed ſufficiat quodcunque voluntarium culpabile, etiam indirectum: ad peccandum tamen in foro exteriori Eccleſiæ ſemper requiritur aliqua pertinacia, orta ex præſumptione ſuperbè ſentientis, aut loquentis contra communem authoritatem Patrum, vel Scholaſticorum. Quo fit, vt ſine pertinacia externo aliquo ſigno manifeſtata, non poſſit homo errans in materia fidei ab Eccleſia puniri: cùm hæc poteſtatem non habeat in actus merè internos.

51. Controuertitur inter Theologos, ad quod peccati genus pertineat culpabilis error circa reliquos gradus fidei à primo diſtinctos. Nam certum eſt pertinaciter errare contra primum gradum, pertinere ad peccatum hæreſis. Suarez diſp. 19. ſect. 6. pertinere pu- Suarez. tat ad peccatum curioſitatis in materia ſupernaturali contra virtutem ſtudioſitatis, quę appetitum moderatur in ſcientijs, ne vel in ijs negligendo deficiat, vel nimis præſumendo excedat; iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 12. *non* Rom. 12. *plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem:* & Eccleſiaſtici 3. *altiora te ne quæ-* Eccleſiaſt. 3. *ſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.*

52. Probabilius alij cenſent, hos omnes errores reduci ad primam ſpeciem hæreſis, tanquam imperfectum ad perfectum. Nam ſicut omnes oppoſiti gradus reducuntur ad fidem, tanquam diſpoſitiones ad illam; omnes enim ordinantur vel ad intellectum circa res fidei faciliùs diſponendum, vel ad res ipſas intellectui meliùs applicandas: ergo etiam errores culpabiles circa illos reduci debent ad erro-

rem

Digitized by Google

rem contra primum gradum fidei; tanquam minùs perfectum ad magis perfectum, cùm contrariorum eadem ſit ratio. Confirmatur: nam tales errores non ſunt ſubiecti Eccleſiæ, neque ab ea puniuntur, quatenus ſunt contra virtutem ſtudioſitatis, ſed quatenus diſponunt, & viam parant ad hæreſim: ergo habent diſtinctam malitiam à malitia curioſitatis, cùm hæc non ſit ſufficiens ad eos ſubijciendos Eccleſiaſticę poteſtati.

53. Vnde ad fundamentum Suarez, negandum eſt, talem malitiam ſufficientem eſſe ad huiuſmodi peccata conſtituenda, cùm longè grauiùs peccetur contra huiuſmodi gradus pertinaciter ſentiendo, quàm curioſè tantùm contra ſupernaturalem ſcientiam excedendo: cùm ad peccatum curioſitatis non ſit neceſſaria pertinacia, ſed perfectè conſummari poſſit abſque illa: cùm tamen ea neceſſaria ſit ad huiuſmodi errores perfectè contrahendos. *Suarez.*

54. Vltimò addendum eſt, Eccleſiam in huiuſmodi propoſitionibus qualificandis errare non poſſe: quod rectè docuit Bannez ſecunda ſecundæ quæſtione 11. art. 2. dub. vltimo. Ratio eſt, quoniam cùm tota hæc propoſitionum qualificatio ordinetur ad fidem, per certos quoſdam gradus meliùs explicandam, debet, qui infallibilem authoritatem habet explicandi res fidei, infallibilem quoque authoritatem habere in qualificandis propoſitionibus, quæ ad ipſam doctrinam fidei meliùs explicandam diriguntur. Vnde non ſolùm eſt de fide id, quod Concilium Tridentinum ſeſſione 6. cap. 7. definit, iuſtificationem fieri per internam ſuſceptionem gratiæ & donorum, ſed etiam quod Concilium Viennenſe antea docuerat, probabiliorem eſſe ſententiam aſſerentem, per Baptiſmum infundi habitus. *Bannez.* *Concilium Trident.* *Concilium Vienn.*

DISPVTATIO XVII.

De medijs, quibus licitè Eccleſia vti poſſit ad Fidem diuinam propagandam, vel defendendam.

DVPLEX poteſt circa fidem in Eccleſia poteſtas conſiderari, altera ad fidem propagandam, altera ad eandem fidem defendendam. Ad vtrũque munus exercendum habere debet conſentanea media, quibus eam vel licitè propagare, vel defendere poſſit. De vtriſque medijs in hac diſp. nobis agendum erit.

SECTIO I.

An, & quam poteſtatem Eccleſia habeat Euangelium prædicandi.

1. PRIMVM medium, quo Eccleſia nititur ad Chriſti fidem propagandam, eſt eiuſdem fidei prædicatio. Cùm enim fides ex auditu concipiatur, primum ac neceſſarium medium ad eam propagandam, eſt eiuſdem fidei prædicatio. Nam *quomodo,* inquit Paulus ad Rom. 10. *credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante?* ergo poſito quòd ad fidem propagandam, neceſſaria ſit eiuſdem fidei prædicatio, inquirimus hic, an, & quam poteſtatem habeat Eccleſia ad Euangelium prędicandum. *Rom. 10.*

2. DICO 1. Habet Eccleſia à Chriſto poteſtatem Euangelium prędicandi toti mũdo. Aſſertio eſt de fide, vt teſtatur Suarez diſp. 18. ſect. 1. & ſupponunt reliqui Theologi. Eaque apertè colligitur ex Matthæi & Marci vlt. vbi Chriſtus pręcipit Apoſtolis, prædicare Euangelium omni Creaturæ. *Euntes*, inquit, *in mundum vniuerſum: prædicate Euangelium omni Creaturæ.* Sed Eccleſia ſuccedit Apoſtolis in munere dirigendi animas ad ſalutem: ergo. Et ratione id etiam conſtat: nam fides eſt ad ſalutem ſimpliciter neceſſaria: ſed Chriſtus vult omnibus ſalutem; nam ſicut mortuus eſt pro omnibus, ita remedia reliquit pro omnibus: ergo neceſſaria fuit hæc poteſtas promulgandi fidem omnibus, ſine qua promulgatione non poſſet eſſe remedium ſufficiens prò omnibus: cùm nequeat lex ſeruari, niſi ſciatur; nequit autem ſciri, niſi promulgetur. *Suarez.* *Matth. vlt.* *Marci vlt.*

3. DICO 2. Eccleſia non ſolùm habet à Chriſto poteſtatem, ſed etiam præceptum Euangelium prædicandi per totum mũdum. Aſſertionem hanc non tam ex profeſſo tractant, quàm ſupponunt Theologi. Eaque non obſcurè colligitur ex citatis verbis Matthæi & Marci vlt. quibus Chriſtus non modò poteſtatem, ſed etiam præceptum dedit Apoſtolis Euangelium prædicandi per vniuerſum mundum. Sed hoc præceptum non fuit ab Apoſtolis adimpletum; ergo adimpleri debet ab Eccleſia, quæ in regimine animarum ſuccedit Apoſtolis. Maiorem apertè ſupponunt omnes ferè ſacri Interpretes, qui docent, his *Matth. vlt.* *Marci vlt.*

verbis iuſſos fuiſſe Apoſtolos Euangelium prædicare omni creaturæ: legatur in primum locum Marci Maldonatus. Minor conſtat, *Maldonatus.* *Auguſt.* ſiquidem non modò tempore Auguſtini adhuc innumerabiles erant gentes, vt ipſemet teſtatur Epiſt. 80. ad Heſychium circa finem, quibus nondum prædicatum fuerat Euangelium; ſed etiam præcedente noſtro ſæculo ampliſſimum repertum eſt Iaponiæ Regnum, cui nulla hactenus Euangelicæ doctrinæ lux affulſerat: illudq; primum ſingulari Dei prouidentia ex ignorantiæ tenebris *S. Franciſc. Xauerius* ad lucem veritatis extulit S. Franciſcus Xauerius, vnus è primis noſtræ Societatis Pater, qui propterea Indiarum Apoſtolus *vnanimi totius Chriſtiani orbis conſenſu,* vt in eius canonizationis bulla dicitur, *meruit appellari.* Con- *S. Auguſt.* ſequentiam apertè tradit ibidem Auguſtinus, qui contendit, verba illa: *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, non tantùm dicta fuiſſe Apoſtolis, ſed toti Eccleſiæ: *Nõ itaq; ſic*, inquit, *dictum eſt Apoſtolis:* Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in tota Iudæa, & Samaria, vſque in extremum terræ: *tanquam ipſi ſoli, quibus tunc loquebatur, tantùm munus fuerint impleturi: ſed ſicut eis ſolis videtur dixiſſe, quod dixit:* Ecce ego vobiſcum ſum vſque in conſummationem ſæculi; *quod tamen eum vniuerſæ Eccleſiæ promiſiſſe, quæ alijs morientibus, alijs naſcentibus hic vſque in ſæculi conſummationem futura eſt, quis non intelligat?* Manet igitur, vel ex ipſius Auguſtini ſententia in Eccleſia præceptum, quod datum fuerat Apoſtolis, prædicandi, promulgandique Euangelium.

4. Probatur 2. Aſſertio ratione: quoniam ſine tali præcepto non eſſet hominum ſaluti bene prouiſum. Nam ſi nullum eſſet in Eccleſia præceptum Euangelicam doctrinam, ſine qua nemo ſaluus eſſe poteſt, promulgandi, ſed relinqueretur Eccleſiæ libertati, poſſet Eccleſia pro ſuo libitu idoneos Concionatores per mundum non mittere; ac proinde magnam mundi partem priuare hoc medio ad ſalutem neceſſario.

5. Confirmatur 1. Ex eo quòd Deus decreuit homines ſaluare per mortem Chriſti, noluit mortem prorſus liberam Chriſto relinquere, ſed eam illi ſub præcepto impoſuit, vt non poſſet illam omnino omittere: ergo pari modo, quia Deus decreuit homines ſaluare per Euangelicam veritatem, noluit Euangelij promulgationem omnino liberam relinquere Eccleſiæ, ſed eam præcepto alligauit, vt certiùs ſecuriuſque prouideretur hominum ſaluti.

6. Confirmatur 2. Maiorem, aut ſaltem non minorem obligationem habet Eccleſia ad procurandam hominum ſalutem, quam habeant Parentes ad procurandam ſalutem propriorum filiorum. Atqui Parentes diuino iure obligantur ad procurandam ſalutem propriorum filiorum; ergo & Eccleſia ad procurandam ſalutem hominum per Euangelicæ doctrinæ promulgationem. Minor cum conſequentia conſtat; Maior probatur, nam in rebus ſpiritualibus maiorem, aut ſaltem non minorem poteſtatem habet Eccleſia in homines, quàm habeant Parentes in ſuos filios.

7. Confirmatur 3. Nam eadem fuit neceſſitas prædicandi Euangelium multis ſæculis poſt Apoſtolos, quæ fuit tempore ipſo, quo Chriſtus illud Apoſtolis prædicandum præcepit: ergo debuit idem præceptum in Eccleſia perſeuerare. Antecedens conſtat: nam quamdiu illud non fuit toti mundo promulgatum, tamdiu manſit eadem neceſſitas illud promulgandi. Sed per Apoſtolos non fuit toti mundo promulgatum, vt demonſtratum eſt: ergo. Conſequentia verò probatur: nam quamdiu manet eadem neceſſitas conſequendi finem, manere debent eadem media ad illum conſequendum neceſſaria: ſed poſt Apoſtolos manſit eadem neceſſitas conſequendi ſalutem per Euangelicæ veritatis profeſſionem: ergo manere debuit idem præceptum promulgandi Euangelium, quæ eſt neceſſarium medium ad ſalutem conſequendam.

8. Dico 3. Hæc poteſtas coniuncta cum præcepto promulgandi Euangelium per totũ mundum per ſe tantùm reſidet in ſummo Pontifice, tanquam in ſupremo animarum paſtore. Aſſertio hæc conſtat ex omnibus ijs Scripturæ teſtimonijs, quibus ſuprà diſp. 6. oſtendimus, infallibilem authoritatem proponendi res fidei reſidere in ſummo Pontifice, tanquam in legitimo Petri ſucceſſore, & Chriſti Vicario. Nam ad illum per ſe pertinet Euangelium fidei promulgare, ad quem ſpectat illam omnibus credendam proponere: ſed ad ſummum Pontificem ſpectat, fidem omnibus credendam proponere: ergo ad eundem ſpectat, illam omnibus promulgare. Cæterùm notanda eſt differentia inter poteſtatem, quam ſummus Pontifex habet proponendi res fidei fidelibus ſibi ſubiectis, & infidelibus ſibi non ſubiectis: nam illis non ſolùm tenetur res fidei ad ſalutem neceſſarias proponere, ſed etiam eos cogere ad illas acceptandas: his autem etſi vi ſupremæ poteſtatis, quam à Chriſto accepit, ius habeat proponendi Myſteria fidei, eos tamen ad ea acceptanda cogere non poteſt, vt infrà conſtabit.

9. Porrò ſatisfacit huic præcepto ſummus Pontifex, inſtituendo Religiones, quarum finis ſit prædicare Euangelium vniuerſo mundo: vti de facto nunc multæ ſunt Religiones in Eccleſia Dei, quarum munus eſt, fidem Chriſti per vniuerſum Orbem propagare. Antea verò hoc munus ſummi Pontifices exercebant vel per ſeipſos, vel per Epiſcopos, vel per alios idoneos miniſtros à ſe ad tale officium deſtinatos. Et non ante multos annos Vrbanus VIII. Summus Pontifex pe- *Vrbanus* culiarem congregationem inſtituit, cui ex of- *VIII.* ficio incumberet Chriſti fidem apud infideles propagare. Cæterùm excuſari poſſunt ab huiuſmodi concionatoribus mittendis, vel quia nullus ſperatur fructus, ſed maiora timentur mala, vel quia non reperiuntur idonei miniſtri, qui cum fructu & dignitate valeant hoc

munus

munus exercere. Quanquam ad hoc ipſum Pontifices tenentur de idoneis miniſtris Eccleſiæ prouidere.

10. Ex dictis infertur 1. Eſſe in ſummo Pontificere ius defendendi Euangelicos Concionatores contra quoſcunque Principes & Reſpublicas illos à prædicatione impedientes: tum quia qui accipit ius, accipit illud cum omnibus ijs, quæ neceſſaria ſunt ad illud exequendum, alioqui fruſtra illud acciperet, ſi nunquam poſſet executioni mandare: tum quia vnuſquiſque iure naturæ poteſt contra quemcunque ſua priuilegia tueri.

11. Infertur 2. Hoc præceptum, ratione charitatis, qua vnuſquiſque tenetur proximi ſalutem, etiam cum damno proprio temporali procurare, interdum vrgere alios inferiores Prælatos. Quemadmodum ſi tempore peſtis proprius Prælatus animas ſibi commiſſas deſereret, ratione charitatis tenerentur alij, etiam cum damno temporali propriæ vitæ, illis ſuccurrere.

12. *Obijcies* 1. Hoc præceptum ceſſauit cum fine ipſo, propter quem datum fuit: datum enim fuit, vt Euangelium promulgaretur per vniuerſum mundum. Sed de facto illud promulgatum eſt per vniuerſum mundum: ergo non ampliùs vrget. Reſpondeo 1. negando Minorem, cùm adhuc certò non conſtet, nullam eſſe de facto nationem, cui Chriſti Euangelium promulgatum non ſit. Reſpondeo 2. Negando conſequentiam. Nam eſto Euangelij promulgatio neceſſaria non ſit ad fidem primò promulgandam, eſt tamen neceſſaria ad eam conſeruandam & promouendam. Cæterùm ſummus Pontifex non ſolùm habet præceptum fidem promulgandi, ſed etiam illā promouendi, & ab erroribus conſeruandi: ad quod nō minùs neceſſarij ſunt idonei ac ſtrenui Concionatores.

13. *Obijcies* 2. Hoc præceptum prædicandi Euangelium per vniuerſum mundum non fuit datum ſoli Petro, ſed omnibus Apoſtolis: ergo per ſe non reſidet in ſummo tantùm Pontifice, ſed etiam in Epiſcopis, qui in munere prædicandi ſuccedunt Apoſtolis. Reſpondeo negando conſequentiam: nam eſto hoc præceptum Chriſtus dederit omnibus Apoſtolis, non tamen voluit, vt illud per ſe maneret, niſi in ſuo Vicario: cui ſicut ſoli infallibilem authoritatem contulit proponendi res fidei, ita & poteſtatem eam per vniuerſum Orbem promulgandi: idque vt meliùs ſeruaretur Monarchicus ordo Eccleſię. Dixi *per ſe*: nam vel per communicationem à ſummo Pontifice, vel in caſu, quo ſummus Pontifex idoneos Euāgelij Prædicatores non mitteret, tenerentur Epiſcopi hoc pręceptū exequi, vel per ſeipſos, vel per alios idoneos miniſtros.

14. *Obijcies* 3. Summus Pontifex nullum ius habet in infideles, qui Chriſti fidem per Baptiſmum non acceptarunt: ergo nullam habet poteſtatem eis Chriſti Euangelium prædicandi. Conſequentia patet, quoniam poteſtas prędicandi Euangelium eſt aliquod ius: vnde non poteſt vnus concionari in templo alterius abſque licentia ſuperioris templi. Antecedens probatur, nam Pontifex ſolùm ius habet in eos, qui continentur intra Eccleſiam: tales autem infideles non continentur intra Eccleſiam, cùm prima ianua ad Eccleſiam ſit Baptiſmus. Minor confirmatur: quoniam in Eccleſia continentur tantùm oues Chriſti: ſunt autem oues Chriſti, vt ipſemet declarauit Ioannis 10. quę vocem eius audiunt, in ipſum credendo. Maior probatur *Ioan.* 10. tum ex Paulo primę ad Corinth. 5. *Quid enim mihi de ijs, qui foris ſunt, iudicare?* tum *1. Cor.* 5. quia non aliud ius habet Pontifex, quàm habuit Petrus, in cuius munus & officium ipſe ſuccedit. Atqui Petrus non habuit ius, niſi in fideles: nam in eos tantùm ius habuit in quos à Chriſto ius accepit: à Chriſto autem ſolùm ius accepit in oues ipſius, Ioannis vlt. *Ioan. vlt.* *Paſce oues meas.* Atqui probatum eſt, oues Chriſti non eſſe, niſi fideles, qui Chriſti vocem per fidem obaudiunt: ergo in eos tantùm ſummus Pontifex ius habet Euangelium prędicandi.

15. Reſpondeo diſtinguendo duplex ius ſeu poteſtatem, alteram tantùm directiuam; alteram coërcitiuam ſeu coactiuam. Negandum autem eſt, ſummum Pontificem non habere ius ſeu poteſtatem directiuam in infideles, proponendo illis ad ſalutem neceſſaria. Concedendum verò eſt, nullum in eos ius aut poteſtatem habere coactiuam. De qua tantùm poteſtate intelligendę ſunt adductæ probationes. Vnde non poteſt Pontifex, vt ſequenti ſect. conſtabit, vel eos vi, aut pœnis adigere ad fidem acceptandam: vel ad eos puniendos de fide non acceptata: ſed in libera voluntate ipſorum relinquendum eſt, vt eam accept ent, vel non acceptent. Quòd autem vnus Concionator neque populum dirigendi cauſa poſſit in templo alterius concionari, abſque licentia Prælati Superioris templi, poſſit autem ſummus Pontifex abſque licentia Principis, aut Reipublicę infidelis, Concionatores Euangelicos ad populum infidelem de rebus fidei inſtruendum, mittere, ea ratio eſt: quia Pontifex hanc poteſtatem accepit immediatè à Deo, abſque limitatione, vel conditione dependente à voluntate Principum ſęcularium. Et ſanè expediebat, hoc ius Euangelium prædicandi apud infideles Pontificem habere independenter à voluntate ipſorummet Principum infidelium, cùm ſit de re merè ſpirituali, & ad ſalutem ſimpliciter neceſſaria. Vnus autem Concionator non habet à Deo ius dirigendi inſtruendive populum in templo alterius, niſi dependenter à proprio Prælato templi.

SECTIO II.

An infideles cogi poſſint ad fidem acceptandam?

16. PRæſens controuerſia non eſt de infidelibus Apoſtatis, qui aliquando fuerunt

runt ſub poteſtate Eccleſiæ. Nam hos certum eſt, poſſe ab Eccleſia cogi ad fidem ſeruandam: ſed controuerſia tantùm eſt de infidelibus, qui nunquam Chriſtianam fidem profeſſi ſunt, cuiuſmodi ſunt Iudæi, & Gentiles omnes. Intelligitur autem de infidelibus, qui tam ſubiecti ſunt temporaliter, quàm non ſubiecti temporaliter Chriſtianis Principibus: & de coactione tam ad audienda, quàm ad acceptāda Myſteria fidei. Prima ſententia abſoluitè affirmat, poſſe infideles, etiam non ſubditos ad Myſteria fidei acceptanda cogi. Citantur pro hac ſententia Maior in 2. dist. 44. q. 3. & quidā Ginefius Sepulueda Chronista Caroli V. quos authores, dum hanc controuerſiam Viennę Auſtrię in noſtro Cęſareo & Academico Collegio verſarem, præ manibus habere non potui. Probatur hæc ſententia hoc potiſſimùm fundamento. Deus dedit plenam poteſtatem Eccleſiæ, vt ex pręcedente ſect. conſtat, fidem per vniuerſum mundū prædicandi ac propagandi: ergo cum hac poteſtate dedit etiam ius cogendi omnes ad eam audiendam, & acceptandam. Conſequentia probatur, alioqui fruſtra eſſet hæc poteſtas, ſi non poſſet per coactionem eorum, qui fidei prædicationi repugnant, in actum redigi.

Maior. Ginesius Sepulueda.

17. Confirmatur. Omnes infideles diuino præcepto tenentur Chriſti fidem ſufficienter ſibi propoſitam acceptare: ergo eodem præcepto diuino tenentur Chriſtiani Principes eos cogere ad tale præceptum implendum. Sicut quia præcepto diuino tenentur fideles ſua peccata confiteri, eodem præcepto diuino tenentur Eccleſiæ Prælati eos cogere ad huiuſmodi præceptum ſeruandum. Neque hæc ſententia videtur à Chriſti doctrina aliena, qui Lucæ 14. Sub parabola cœnæ, præcipit Eccleſiæ miniſtris, vt compellant omnes ad eam intrare.

Luc. 14.

18. Secvnda ſententia docet, licitum eſſe licitè infideles temporaliter ſubditos ad fidem acceptandam cogere. Ita Scotus in 4. diſt. 4 q. vlt. vbi ait, Religioſè Principes Chriſtianos facturos, ſi minis ac terroribus cogant infideles ad ſuſcipiendum Baptiſmum. Probat hanc ſententiam Scotus 1. à commodis, quæ ex huiuſmodi licet coacta infideliū conuerſione colligūtur. Nam eſto, inquit, parentes coacti fidem interiùs non admitterent, admitterent tamen illam filij ac nepotes eorum. Præterea acceptando, etiam coactè Chriſti fidem, non permitterentur iniquas ſuas leges, ac barbaros ritus impunè ſeruare: ſed cogerentur illos relinquere: quod eſt maximum commodum. Secundò probat ab exemplo. Nam in Concilio Toletano IV. cap. 56. commendatur pietas Siſebuti Hiſpaniarum Regis, qui Iudæos coëgit ad fidem acceptādam. Quod idem fecit Cōſtantinus Imperator, qui iuſſit omnia Paganorum templa claudi, vt cogerentur ad fidem conuerti: nec non Ferdinandus, & Eliſabetha Hiſpaniarum Reges Mauros, & Iudæos ad Chriſtianam fidem compulerunt, ſub pœna eiectionis à tota Hiſpania.

Scotus. Concilium Tolet. IV.

19. Tertia ſententia abſoluitè negat, id licitum eſſe. Ita Valentia diſp. 1. quæſt. 10. punct. 6. vbi docet, hanc ſententiam eſſe communem inter Scholaſticos, eamque adeo certam, vt ferè videatur Eccleſiaſtica traditione ab ipſo Chriſto & Apoſtolis deriuata. Potiſſimum fundamentum eſt, quia fides debet eſſe voluntaria. Vnde quando Chriſtus Marci vlt. pręcepit Apoſtolis, vt Euangelium pręd icarent omni creaturæ, tantùm dixit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit:* inſinuans fidem non eſſe vi & coactione in mundum introducendam. Pro cuius controuerſiæ declaratione,

Valentia. Marci vlt.

20. Dico 1. Illicitum eſt, infideles Chriſtianis Principibus non ſubiectos ad fidem ſiue audiendam, ſiue acceptandam, armis, miniſque cogere: licitum tamen eſt, eos ad vtrumque præmijs ac blanditijs allicere; ſicut & Euangelicos Prædicatores impedientes ac prohibentes armis debellare. Aſſertio eſt S. Thomæ ſecunda ſecundę quęſt. 10. art. 8. & interpretum eius, & communis Scholaſticorum in 4. diſt. 4. & 6. Aſſertio tres habet partes: ſingulę ſingillatim probandę ſunt.

D. Thomas.

21. Probatur prima pars 1. Nunquam Eccleſia, Chriſtum imitata, qui diſcipulos ſuos ad Euangelizandum non miſit coactiua poteſtate armatos, ſed inſtructos efficacia verbi diuini, & virtute miraculorum, ad propagandam fidem vſa eſt: ergo illicitum eſt: quia quod nunquam factum eſt, moraliter cenſetur fieri non poſſe. Si enim liceret, id aliquando ab Eccleſia factum fuiſſet, pręſertim cùm fides ſit ad ſalutem ſimpliciter neceſſaria. Vnde non omiſiſſet Eccleſia ad mortalium ſalutem procurandam hoc medium, ſi iudicaſſet, illud eſſe licitum.

22. Secundò: quia hic modus redundat in magnum Chriſtianę fidei dedecus, quaſi ipſa tantam virtutem non habeat, vt poſſit efficacia & ſplendore ſuę veritatis, nec non conformitatis, quam cum natura rationali habet, homines allicere ac trahere ad ſui amorem & deſiderium.

23. Tertiò. Hic modus repugnat cum natura rationali, & longè alienus eſt à Dei prouidentia, qua cum hominibus vtitur. Nam & natura rationalis, cùm ſit libera, modum poſtulat liberum, non coactum in ſuſcipienda fide: & Deus ipſe nonniſi libero modo vtitur cum hominibus liberè eos ad ſalutem pertrahendo.

24. Quartò confirmatur ex abſurdis, quæ per ſe ex oppoſitā ſententia ſequuntur. Primum eſt: plerique minis terroribuſque coacti, non ſicut oportet, fidem Chriſtianam ſuſciperent: proinde multi in ipſa fidei ſuſceptione ſacrilegium committerent, non cum debita diſpoſitione ad eam accedendo. Quod abſurdum ſic ampliùs vrget Caietanus ſecunda ſecundę quæſt. 10. art. 8. fides debet eſſe voluntaria: ergo coactio ad eam ſuſcipiendam non eſt medium licitum: quia medium debet proportionari fini: ergo ſi finis, qui eſt credere, debet eſſe voluntarius,

Caietanus.

non

non poteſt ad illum conſequendum applicari medium inducens inuoluntarium. Secūdum abſurdum eſt læſio iuris naturalis: nam vnuſquiſque habet à natura, vt ſit ſui iuris, præſertim in ijs, quæ ad propriam ſalutem ſpectant. Quamdiu autem homo ſuam voluntatem non ſubijcit alicui humanæ poteſtati, non poteſt ab illa abſque manifeſta iniuſtitia cogi. Cùm igitur infideles ſuam voluntatem non ſubiecerint Chriſtianis, ſed Ethnicis Principibus, non poterunt abſque manifeſta iniuſtitia à Chriſtianis Principibus cogi ad fidem ſuſcipiendam. Neque hoc naturale ius ab infidelibus Deus tollit, conferendo Eccleſię poteſtatem Euangelium prædicandi: nam hanc poteſtatem non confert Deus cum naturalis iuris lęſione audientium. Tertium abſurdum eſt: quia hic modus occaſionem prębet infidelibus iuſtum bellum inferendi contra Principes Chriſtianos. Nam vnaquęque Reſpublica ius habet defendendi ſe contra inuaſores. Antequam autem infidelibus ſufficienter proponantur res fidei, probabiliter exiſtimare poſſunt, ſe iniuſtè inuadi à Principibus Chriſtianis armis & minis: ergo in tali caſu iuſto bello poterunt ſe contra Principes Chriſtianos defendere.

25. SECVNDA aſſertionis pars habetur in capite *Syncera* diſt. 45. vbi improbato primo modo, Pontifex approbat & commendat hunc ſecundùm. Et probatur, nam hic modus nullum continet abſurdum; nec eſt contrà naturam hominis, cùm nullam illi vim inferat; nec contra naturam fidei, quæ debet eſſe voluntaria; cùm non minuat, vti metus, ſed potiùs augeat volūtarium. Vnde & Chriſtus Dominus ad fidem ſuſcipiendam mortales alliciebat tum promiſſione Regni Cœleſtis, tum virtute miraculorum, tum reſtitutione ſanitatis. Nec refert, quòd etiam Chriſtus mortales ad fidem cogat etiam metu pœnæ, vt conſtat ex illo Marci vltimò. *Qui non crediderit, condemnabitur*; tum quia hæc pœna per ſe ſequitur ex abiectione fidei: tum quia Chriſtus eſt perfectus Dominus omnium, cuiuſmodi non eſt vnus Princeps Chriſtianus reſpectu infidelium ſibi temporaliter non ſubiectorum. *Marci vlt.*

26. Tertiam partem aſſertionis docet S. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 10. art. 8. Syluius ibid. & conſtat ex præcedente ſect. Nam ſi in Eccleſia eſt ius à Chriſto collatum prędicandi Euangelium per vniuerſum mundum, erit in eadem poteſtas illud defendendi contra quoſcunque impugnantes atque impedientes. Qui enim dat formam, dat conſeruatiua formæ: inter conſeruatiua autem huius iuris, eſt poteſtas illud defendendi contra eos, qui illud impugnant vel impediunt. *S. Thomas. Syluius.*

27. Diſputant hic aliqui, an poſſit Eccleſia ad hoc ius defendendum Principes infideles præuenire, mittendo Concionatores Euangelicos armis ac militibus ſtipatos, vt ſi Principes, vel Reſpublicæ Euangelicæ prædicationi reſiſtant, ſtatim compeſci poſſint. Affirmant nonnulli. Sed longè veriùs, probabiliuſque negant alij: nam hęc eſſet quædam vis cogendi infideles ad Euangelium audiendum, quod, vt probatum eſt, non licet reſpectu infidelium temporaliter non ſubiectorum. Vnde non eſt licitum ante lęſum hoc ius, armis vti. Confirmatur: nam antequam ſciatur, eſſe aliquos in regno, qui velint Euangelium audire, non licet armis impedientes compeſcere. Nam ſi nulli ſunt, qui velint Euangelium audire, ſed omnes parati ſunt Euangelicæ prędicationi reſiſtere, nulla vi cogi poſſunt, vt illud audiant. Sed tunc poteſt Eccleſia armis vti, quando multi volunt Euangelium audire, & ab illo audiendo impediuntur à Principe, vel magiſtratu.

28. DICO 2. Licitè poſſunt Chriſtiani Principes infideles ſibi temporaliter ſubiectos ad fidem audiendam, non autem ad illam ſuſcipiendam, cogere. eſt communior inter Theologos, quam docent Bannez ſecunda ſecundæ quæſt. 10. art. 8. dub. 4. concl. 4. Franciſcus Victoria apud ipſum, Suarez diſp. 18. ſect. 2. & alij. Et ſanè quoad priorem partem à fortiori docet Scotus ſuprà citatus. Fundamentum huius aſſertionis eſt: quoniam obligare, etiam directè ſubditos infideles ad audiendum certo quoque anni, vel menſis, aut hebdomadæ tempore Euangelium, interim plena libertate eis conceſſa, illud admittendi, vel non admittendi, nòn excedit temporalem poteſtatem, quam Chriſtiani Principes habent in ſuos ſubditos infideles: ergo tali præcepto poſito, tenentur ſubditi infideles Chriſtiano Principi obedire. Conſequentia elucet: quoniam ſubditi tenentur obedire ſuo legitimo Principi in omnibus, quę diuino, aut naturali iuri non aduerſantur. Sed audire certo quoque tempore Euangelium plena cum libertate illud admittendi, vel non admittendi, nulli iuri, neque diuino, neque naturali aduerſatur. Confirmatur, nam etiam Chriſtiani temporaliter ſubiecti Principibus infidelibus, illis obedire tenentur in omnibus ijs, quæ nec diuino, nec naturali iure aduerſantur. Antecedens primi Enthymematis probatur: nam huiuſmodi pręceptum quoad ſubſtantiam, & externam dumtaxat auditionem, non eſt diuinum, ſed politicum: ergo non excedit temporalem poteſtatem, quam Chriſtianus Princeps habet in ſubditos infideles: cùm omnis legitimus Princeps plenam poteſtatem habeat in omnes ſuos ſubditos in ijs, quæ ad politicum bonum ſpectant, ad quod tuendum, promouendumve abſolutam habet poteſtatem. Antecedens probatur, nam ſola externa Euangelij auditio eſt actio purè naturalis, quę ſolo naturæ lumine & facultate naturali adimpleri poteſt: eaque à Principe dirigi poteſt ad bonum politicum, vt nimirum per eam Ciues meliùs diſponantur ad publicam pacem concordiamque, quæ finis eſt cuiuſque bene inſtitutæ Reipublicæ, ſeruandam. *Bannez. Franciſc. Victoria. Suarez. Scotus.*

29. Non

Digitized by Google

iuxta legem præſcriptam authoritas Dei non applicatur nobis, niſi per Eccleſiam, quam qui negat, non poteſt habere regulam proximè directiuam circa res fidei.

13. Quoad ſecundam difficultatem, notat S. Doctor ſecunda ſecundæ q. 10. art. 5. vitia dupliciter opponi virtuti; vno modo per diuerſam habitudinem ad illam; quo pacto vnicuique virtuti opponuntur determinata vitia, vt liberalitati prodigalitas per exceſſum, & auaritia per defectum. Alio modo, per corruptionem eorum, quę ad virtutem requiruntur: quo pacto vni virtuti innumera opponuntur vitia, ſecundùm quod varię poſſunt circumſtantiæ virtutis corrumpi. Cùm enim virtus non ſolùm pendeat ab honeſtate obiecti, ſed à debitis etiam circumſtantijs, non ſolùm poſſunt ei vitia opponi per diuerſam habitudinem ad honeſtatem obiecti, ſed etiam per defectum circumſtantiarum, quæ ad illam requiruntur. Sic per varios errores, & motiua corruptiua veritatis fidei, variæ diſtinguuntur infidelitates. Alia eſt enim hęreſis, qua ex vno motiuo negatur Trinitas perſonarum in Deo; alia, qua ex alio negatur humanitas in Chriſto; imò qua vnum & idem obiectum fidei ex vno motiuo negatur ab vno, & ex alio negatur ab alio: error enim ſpecificatur à motiuo, quo intellectus inducitur ad errandum. Ergo ſicut varia poſſunt eſſe motiua, quibus infideles inducuntur ad negandas res fidei; ita & eorum errores, qui tantùm phyſicè, non moraliter diſtinguuntur inter ſe: moraliter enim diſtinguuntur penes diuerſam difformitatem ad motiuum formale fidei, penes quod diuerſa motiua phyſica eandem poſſunt habere difformitatem moralem. Quia verò infidelitas conſideratur moraliter, & in ratione culpæ, eius malitia attenditur penes moralem, non phyſicam oppoſitionem ad motiuum formale fidei. Penes quod triplicem diſtinguit S. Thomas ſpeciem infidelitatis, Paganiſmi, Iudaiſmi, Hæreticiſmi. Probat, quoniam infidelitas eſt culpabilis renitentia fidei: hæc autem eſſe poteſt aut fidei nondum ſuſceptæ, aut tantùm ſuſceptę in figura veteris teſtamenti, aut ſuſceptæ in manifeſtatione Euangelicæ veritatis. Prima conſtituit Paganiſmum: Secunda Iudaiſmum: Tertia Hæreſim. Ad quam non requiritur, vt probabilior ſententia fert, ſuſceptio veritatis Euangelicæ per Baptiſmum, ſed ſufficit per internam fidem. Vnde Catechumenus, ſi fidem, quam interiùs ſuſcepit, deſerat, hæreticus eſt, licet non incurrat pœnas in iure ſtatutas: quia Eccleſia non acquirit Iuriſdictionem ſupra fideles, niſi medio Baptiſmate, etiam inualido, vt conſtat tum de Arianis, qui dum in Eccleſia recipiuntur, rebaptizantur, eò quòd Eccleſia iudicat eorum Baptiſmum eſſe inualidum. Neque etiam requiritur, vt aliquando hæreticus veram fidem infuſam actualem habuerit, vt conſtat de paruulis hæreticis baptizatis, & apud eoſdem educatis: hi enim nunquam veram fidem infuſam actualem habuerunt, cùm hæc ſine ſufficienti inſtructione haberi non poſſit. Tum de gentili immediatè tranſeunte ad hæreticiſmum: nam hic nunquam habuit veram fidem, neque actualem, neque habitualem. Fit autem hæreticus hòc ipſo, quòd per hæretiſmum aliquo modo Chriſtum recipit & ab Eccleſiæ authoritate diſcedit.

S. Thomas.

14. *Obijcies* 1. Virtus, & vitium verſantur circa idem obiectum; ſed authoritas diuina eſt obiectum formale fidei: ergo circa eandem verſari debet infidelitas: ergo ſicut fides eſt vna per habitudinem ad vnum obiectum formale fidei: ita infidelitas erit vna per receſſum ab eodem motiuo formali. Reſpondet citato loco S. Thomas, rationem formalem peccati bifariam accipi; vno modo ſecundùm intentionem peccantis; & ſic formale obiectum peccati eſt, ad quod peccans conuertitur: Alio modo ſecundùm rationem mali, ſeu auerſionis à bono; & ſic formale obiectum illius eſt priuatio boni, à quo peccans recedit. Species autem peccati non ſumitur ex receſſu à bono, quia per hunc peccatum non habet ſpeciem, ſed potiùs priuationem ſpeciei; ſed per conuerſionem ad obiectum, quod peccans intendit. Sic charitas vna eſt inhęrens ſummo bono: Vitia autem illi oppoſita ſunt diuerſa, per conuerſionem ad diuerſa bona temporalia, habentia diuerſas habitudines inordinatas ad Deum. Ita vna eſt fides inhærens primæ veritati: infidelitates autem diuerſæ ob diuerſas ſententias falſas, quę primæ veritati opponuntur. Ad argumentum igitur in forma, diſtinguenda eſt Maior de obiecto formali auerſionis, & conuerſionis: & de priori, concedenda eſt; neganda verò de poſteriori. Diuerſum quippe eſt obiectum formale conuerſionis virtutis, & vitij illi oppoſiti: obiectum namque formale illius eſt bonum honeſtum attingibile iuxta regulam rationis: huius verò eſt bonum aliquod apparens, oppoſitum priori: & quia huiuſmodi bona apparentia poſſunt eſſe diuerſa, propter diuerſas habitudines oppoſitionis ad bonum virtutis; ideò etiamſi obiectum formale virtutis ſit vnum, vitia tamen illi oppoſita poſſunt eſſe diuerſa.

15. Vrgebis. Hoc pacto innumeræ erunt infidelitates, vti innumera ſunt motiua & rationes apparentes primę veritati oppoſitæ, ex quibus moueri poteſt homo ad diſcredendum. Reſpondeo negando ſequelam: nam iſtę rationes & motiua non ſunt conſideranda phyſicè, ſed moraliter, prout dicunt formalem oppoſitionem ad primam veritatem per Eccleſiam propoſitam. Quo modo tres tantùm diſtinguuntur infidelitatis ſpecies. Nam vel Secta ſeu ſententia, ad quam conuertitur infidelis, opponitur primæ veritati per Eccleſiam proponenti nondum creditæ, vel tantùm creditæ ſub figura veteris, vel ſub veritate noui teſtamenti. Prima conſtituit Paganiſmum: Secunda Iudaiſmum: Tertia Hæreticiſmum,

16. *Obijcies* 2. Sub enumeratis ſpeciebus

non

non comprehenditur Schiſma, & Apoſtaſia: atqui iſtæ ſunt ſpecies infidelitatis: ergo ſub enumeratis non comprehenduntur omnes infidelitatis ſpecies. Reſpondeo negando Minorem. Nam Schiſmaticus eſt, qui ſe ſubtrahit ab obedientia & vnione capitis, quod fieri poteſt ſine erroneo iudicio contra fidem: non enim eſt neceſſum, vt qui ſe ſubtrahit ab obedientia capitis, ſe ſubtrahat illud negando, quia tunc eſſet infidelis eâ ſpecie infidelitatis, ad quam ſe conuerteret.

17. Sed contrà hoc eſt: quia cùm hic admitteret explicitam fidem Chriſti, non poſſet eſſe Paganus, vel Iudæus, ſed Hęreticus. Reſpondeo ſpeciem infidelitatis ſumendam eſſe ex termino ad quem conuerſionis: hoc ipſo autem, quo hic tranſiret ad Paganiſmum, abijceret fidem Chriſti, & conuerteretur ad ſectam totaliter oppoſitam fidei Chriſti: proinde non eſſet hæreticus, ſed Paganus. Cùm enim infidelitas diſtinguatur ex oppoſitione, quam ſecta ipſa, ad quam infidelis conuertitur, habet ad fidem Chriſti; cumque Paganiſmus ſit totaliter oppoſitus fidei Chriſti, ſpecies erit Paganiſmi, non Hæreticiſmi, qui ex parte admittit doctrinam Chriſti.

18. Quoad Apoſtaſiam verò docet S. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 12. art. 1. illam non conſtituere nouam ſpeciem infidelitatis à tribus enumeratis diſtinctam: importat enim formaliter retroceſſionem à fide: infidelitas autem non ſumit ſuam ſpeciem à termino à quo, ſed à termino ad quem: ſed eſſe ſolùm circumſtantiam aggrauantem, coniungibilem cum quauis ſpecie infidelitatis. *S. Thomas.*

19. *Obijcies* 3. Præter tres enumeratas, aſſignari poſſunt duæ aliæ ſpecies infidelitatis; Vna per exceſſum leuiter credendo, quando non oportet: Altera per defectum, diſcredendo, quando oportet credere. Reſpondeo negando antecedens: Etenim aſſignatæ duæ deformitates includuntur in quauis ſpecie aſſignata. Nam omnes infideles & multa leuiter credunt, quæ videlicet ſunt contra fidem; nam eo ipſo carent ſufficientibus motiuis credibilitatis, & multa diſcredunt, quæ prudenter eſſent credenda, omnia ſcilicet Myſteria noſtræ fidei ſufficienter illis propoſita.

20. Quoad tertiam difficultatem. Nonnulli cenſent, has ſpecies diſtingui tantùm accidentaliter. Mouentur ex eo, quoniam obiectum formale, cui opponuntur, eſt authoritas diuina, quæ vna eſt: atqui peccatum malitiam ſortitur ex oppoſitione ad obiectum formale virtutis. Sed contrà: nam ex hac reſponſione ſequitur, cuilibet virtuti vnum tantum vitium eſſentialiter opponi, cùm quælibet virtus vnum tantùm habeat obiectum formale: quod falſum eſt: nam & Spei, & Charitati, & cuiuis virtuti plura opponuntur vitia ſpecie diuerſa. Ratio verò eſt: quia licet formale obiectum virtutis ſit vnum, plura tamen ſunt obiecta, quæ per diuerſas habitudines ad illud opponuntur: peccatum autem malitiam ſortitur ex diuerſa oppoſitione ab obiectum formale virtutis.

21. Verius igitur ac probabilius Thomiſtæ ferè omnes cenſent diſtingui eſſentialiter. Grauis tamen difficultas eſt in aſſignãda efficaci ratione. Caietanus ſecunda ſecundæ q. 10. art. 5. hanc aſſignat rationem: quoniam contradicere fidei promiſſę & profeſſę in Baptiſmo, quod fit per hæreſim, diuerſa eſt ſpecies infidelitatis, quam contradicere eidem fidei non profeſſæ. Rurſus contradicere fidei profeſſæ in figura, diuerſum eſt peccatum, quàm contradicere eidem profeſſæ in veritate. Sed contrà, quoniam ex hoc non ſequitur, hæreſim eſſentialiter diſtingui à Iudaiſmo, & Paganiſmo, ſed ad ſummum cum hæreſi coniungi diuerſum peccatum contra Religionem: quia contradicere fidei profeſſę, præter peccatum contra fidem, addit peccatum contra promiſſionem Deo factam. *Caietanus.*

22. Alij id probant: quia ſicut non facere Eleemoſynam extremè indigenti, & factam tollere, ſunt duo peccata ſpecie diuerſa: ita non acceptare fidem, & acceptatam quoad omnia non credere, ſunt duo peccata ſpecie diuerſa. Verùm in exemplo allato manifeſtata eſt diuerſitas ex parte iurium, quæ læduntur: nam in primo læditur ius miſericordiæ, quod eſt tantùm inchoatum, & ad rem: in ſecundo verò ius perfectum iuſtitiæ, & in re, quod ſemper obligat ad reſtituendum, non autem primum, ſi aliunde ſit indigenti ſubuentum.

23. Quare dicendum eſt cum S. Thoma ſecunda ſecundę q. 10. art. 5. in corpore & ad primum, & cum omnibus Thomiſtis, hæc peccata diſtingui ſpecie inter ſe. Cæterùm hanc ſpecificam diſtinctionem ſumendam cenſeo ex diuerſa oppoſitione morali, quam obiecta horum vitiorum cum authoritate diuina habent. Nam diuerſa iniuria illi fit, eam recipere, & tamen non omnia, quæ ipſa teſtatur, credere; quàm nullo modo eam recipere. Rurſus diuerſa iniuria illi infertur, eius doctrinam admittere in vno, & negare in alijs, in quibus eadem ratio credibilitatis apparet: quia non credere omnia, quæ cum eadem credibilitate proponuntur, non modò eſt contradicere primę veritati, vt contradicunt, qui eius doctrinam nullo modo recipiunt: verùm etiam eſt virtualiter iudicare, primam veritatem ſibi quodammodo contradicere, dum ſub iiſdem ſignis credibilitatis vera, & falſa nobis credenda proponit. Sed Paganiſmus nulla ex parte Chriſti doctrinam admittit; Iudaiſmus ſolùm in figura veteris teſtamentis; Hæreticiſmus admittens illam etiam in manifeſtatione Euangelicę veritatis, in multis illam negat, in quibus eadem eſt ratio credibilitatis. Ergo diuerſam ſpecie malitiam habet Paganiſmus à Iudaiſmo, & vterque ab Hæreticiſmo, ratione diuerſæ iniuriæ, quam vnumquodque peccatum Deo infert. *S. Thomas.*

24. Ex dictis expediuntur ſequentia dubia. Primum: An ad contrahendam hęreſim neceſſariò requiratur, vt hęreticus diſcedat ab

Digitized by Google

Eccleſia expreſſo animo illi contradicendi. Affirmatiua pars videtur ex dictis ſequi: quoniam cùm hæreſis includat pertinaciam reſiſtendi Eccleſiæ, ad eius malitiam requiri videtur expreſſus affectus illi contradicendi. Verùm negatiua pars verior eſt, quam docet *Vaſquez.* Vaſquez prima ſecundæ quæſt. 126. cap. 3. Ratio eſt: quoniam ad pertinaciam, quæ ad hæreſim neceſſariò requiritur, non eſt huiuſmodi expreſſus affectus neceſſarius, ſed ſufficit, vt ex quocunque motiuo hæreticus velit ab Eccleſiæ doctrina diſcedere, modò ſciat, & aduertat, ſententiam, quam eligit, eſſe contra authoritatem Eccleſiæ, etiamſi illam non eligat expreſſo animo contradicendi Eccleſiæ, ſed vel ex motiuo inanis gloriæ, vel ex aliquo alio.

25. Secundum dubium: An eſſet hæreticus, qui nollet aliquam propoſitionem in Scripturis contentam credere, tanquam à Deo reuelatam, niſi de tali reuelatione ratione ab Eccleſia conuincatur. Reſpondeo affirmatiuè: nam talis in eo caſu non admitteret authoritatem Eccleſię, quatenus nititur reuelatione diuina, quo tantùm pacto eſt regula infallibilis in proponendo, & à fidelibus certa fide credenda: ſed quatenus nititur rationibus & teſtimonijs humanis, qua ratione fallibilis eſt, & nonniſi humana fide credẽda.

26. Ex his intelligitur, cur pertinacia, in qua hęreſis conſummatur, potiùs explicetur per reſiſtentiam ad Eccleſiam proponentem, quàm ad Deum reuelantem, vel Scripturam loquentem, aut traditionem res fidei applicantem, cùm omnes iſtę ſint regulæ diuinæ infallibiles, contra quas ſcienter ſentire non minùs eſt hęreticum, quàm ſentire contra ipſam Eccleſiam proponentem. Ratio autem eſt: quia nemo præſumitur nolle credere Deo atteſtanti, poſito quòd Deus ſit, qui atteſtatur; cùm naturæ lumine euidens ſit, Deum falſum atteſtari non poſſe: ſed potiùs nolle credere, hanc, vel illam atteſtationem eſſe à Deo, cùm hoc ſit nobis obſcurum. Et quia iuxta legem ordinatam omnis atteſtatio diuina nobis credenda proponitur per Eccleſiam tãquam per regulam animatam infallibilem, potiùs hęreſis pertinacia explicatur per reſiſtentiam ad Eccleſiam proponentem: quia qui hanc ſolam negat, etiamſi admittat reliquas, non poteſt eas admittere ex teſtimonio diuino, nã hoc æquali euidentia credibilitatis teſtatur de ipſa Eccleſia tanquam de regula diuina infallibili in proponendo.

27. Tertium dubium eſt: An cõmitti poſſit hęreſis ſolo actu voluntatis, abſque actuali errore intellectus. *Valentia.* Affirmat Valentia diſp. 1. q. 10. punct. 1. Probatur, quia poteſt volũtas habere propoſitũ diſcedendi ab Eccleſia poſt aliquod tempus: ergo poteſt quis committere hęreſim ſolo actu voluntatis, abſque vllo actuali errore intellectus. Antecedens patet: quia tale propoſitum eſt in libera poteſtate voluntatis, nullamque inuoluit impoſſibilitatem: ergo formari poteſt à voluntate. Conſequentia primi Enthymematis probatur: quia qui ſolùm habet propoſitũ diſcredendi, nondum actu diſcredit: ſicut qui habet propoſitum concupiſcendi, nondũ actu concupiſcit: & qui habet propoſitum mentiendi, nondum actu mentitur. Igitur qui tantùm habet propoſitum diſcredendi, nondum actus diſcredit per erroneum iudicium.

28. Negat verò Suarez diſp. 16. ſect. 3. & *ſanè probabiliùs*. *Suarez.* Ratio eſt: quia repugnat huiuſmodi propoſitum abſque erroneo iudicio. Quod ſic probatur: nam qui efficaciter vult poſt aliquod tẽpus ab Eccleſia diſcedere, ideò vult, quia iudicat, illam non eſſe regulam infallibilem: ergo de facto habet erroneum iudicium contra illam. Cùm enim nequeat voluntas efficaciter aliquid velle, niſi præcedat practicum iudicium de tali obiecto, non poterit voluntas efficaciter velle poſt aliquod tempus ab Eccleſia diſcedere, niſi habeat practicum iudicium de tali diſceſſu, quòd ſit melior & eligibilior, quàm ſit ipſa permanſio in Eccleſia. Ad exempla autem allata, ratio diſcriminis eſt: quia actus aliarum potentiarum non debent præcedere, ſed ſubſequi imperium voluntatis: contrà verò actus intellectus debet præcedere voluntatis imperium. Nequit igitur voluntas habere efficax propoſitum ſeu imperium diſcedendi poſt aliquod tempus ab Eccleſia, niſi nunc ipſius imperiũ præcedat aliquod erroneum iudicium contra Eccleſiæ authoritatem, ſufficiens ad hęreſim committendam. Nam licet ſignatus ille ab Eccleſia diſceſſus fiat poſtea, cùm ſit actus imperatus, qui ſubſequitur imperium, tamen exercitus diſceſſus fit eo ipſo inſtanti, quo ad erroneum iudicium accedit liberum imperiũ voluntatis: cùm nequeat voluntas tale imperiũ formare, niſi præcedat actuale iudicium, quod bonum ſit ab Eccleſia diſcedere. Quod iudiciũ, accedente libero imperio voluntatis, ſufficiens eſt ad corrumpẽdum habitũ fidei, & conſequenter ad peccatũ hęreſis cõmittendũ.

29. Quartum dubium: An hęreſis ſit peccatum omnium maximum. Reſpondet S. Thomas ſecunda ſecundę quæſt. 10. art. 3. & *S. Thomas.* quæſt. 20. art. 3. & quæſt. 34. art. 2. infidelitatem ex genere ſuo eſſe peccatum omnium maximum, ſi excludas formale odium Dei. Nam eò inquit peccatum eſt grauius, quò magis auertit à Deo: atqui inter omnia peccata, quod maximè auertit à Deo, poſt odium formale Dei, eſt infidelitas, quæ hominem auertit à Deo, quatenus prima veritas eſt. Cõfirmatur ex alio principio Ariſtotelico: *Ariſtoteles.* nam eò peccatum eſt peius, quò nobiliori opponitur virtuti: ſed poſt charitatem nobilior virtus eſt fides: ergo infidelitas, quæ opponitur fidei, eſt maximum omnium peccatum poſt odium formale Dei. Qui diſcurſus optimè procedit de infidelitate comparata cum peccatis contra virtutes morales, non autem comparata cum peccato contra ſpem Theologicam: nam hæc videtur nobilior ipſa fide; ac proinde peccatum contra illam eſſe maius, quàm peccatum contra fidem. Verùm reſpõdet ad hoc S. Thomas, *S. Thomas.* adhuc infidelitatem

tem eſſe peiorem deſperatione: nam eò inquit peccatum eſt maius, quò magis offendit Deum ſecundùm proprias perfectiones ipſius: ſed infidelitas eſt magis contra perfectiones Dei, quàm deſperatio: quia infidelitas auertit hominem à Deo, quatenus prima veritas eſt in cognoſcendo & teſtificando, quæ eſt perfectio intrinſeca Deo. Deſperatio verò auertit hominem à Deo, quatenus eſt bonum noſtrum: ſpes enim tendit ad Deũ vt bonum à nobis participabile. Sed de hac difficultate iterum redibit ſermo, cum de virtute ſpei inſtituetur diſputatio.

31. Cæterùm aduertendum eſt, datam doctrinam intelligendam eſſe ex genere ſuo ac cæteris paribus. Nam ex circumſtantijs fieri poteſt, vt grauius ſit peccatum contra inferiorem, quàm contra ſuperiorem virtutem. Imò quando vna virtus habet plures actus ſpecie diuerſos, vt eſt charitas, quæ habet actum circa Deum, & circa proximum, fieri poteſt, vt peccatum contra inferiorem virtutem ſit maius, quàm ſit peccatum contra aliquem actum nobilioris virtutis: vt in allato exemplo charitatis conſtat: maius enim peccatum eſt infidelitas contra fidem, quàm ſit odium contra proximum, etiamſi hoc ſit contra nobiliorem virtutẽ charitatis; quia nimirum non eſt contra nobiliſſimum actum, quem charitas elicere poteſt.

SECTIO II.

Quomodo dignoſcendæ ſint propoſitionum cenſuræ.

32. NEceſſaria eſt hæc notitia Theologo ad iudicium ferendum de ſingulis propoſitionibus Theologicis, quæ aliquo modo Catholicæ Fidei aduerſantur. Sunt enim quidam cenſuræ gradus, qui colliguntur ex Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. & 15. quos Theologum oportet bene callere, vt non temerè de ſingulis cenſuram ferat. Pro quo nota, aliud eſſe iudicium ferre de qualitate propoſitionis ſecundùm obiectum, cui opponitur; aliud ſecundùm ſubiectum, à quo illa profertur. Primo modo ſolùm attenditur Logica oppoſitio, quam propoſitio in ſignificando habet cum aliquo fidei obiecto. Secundo præter hanc attenditur etiam culpabilis malitia, quam cum voluntate proferentis habet. Quo fit, vt propoſitio hæretica non ſit idem, atque hæreſis: nam hæreſis vltra iudicium oppoſitum fidei, includit culpam & pertinaciam volendi perſiſtere in eo iudicio cognito contra definitionem Eccleſiæ. Quæ pertinacia ſi abſit, erit quidem iudicium hęreticum in repræſentando, ſicut & vocalis propoſitio in ſignificando, non tamen hæreſis: nam hæc includit ſpecialem culpam pertinaciæ. Quo fit, vt propoſitio hęretica à quocunque proferatur, ſemper ſit hæretica: ſicut propoſitio falſa, à quocunque enuntietur, ſemper eſt falſa: non tamen hæc eadẽ hæreticę propoſitionis enuntiatio in quocunque ſubiecto eſt hæreſis: nam in Chriſtiano ſciente & volente eſt Hęreſis; in Iudæo Perfidia, in Pagano Gentilitas. Ratio, quia prior denominatio ſumitur ex oppoſitione propoſitionis ad obiectum fidei ſecundùm ſe; poſterior verò ex morali oppoſitione ſubiecti affirmantis, quæ variatur ad moralem variationem ſubiecti in ordine ad fidei obiectum. Hoc adnotato, deſcendendum eſt ad ſingulos gradus cenſuræ,

Concilium Conſtantienſe.

33. Propoſitio hæretica eſt, quæ directè opponitur alicui veritati reuelatæ, aut concluſioni per euidentem diſcurſum explicatæ, vt implicitè & virtualiter contentæ in aliqua expreſsè reuelata. Ratio, quia hic eſt primus gradus oppoſitionis ad obiectum fidei: ergo ſicut fides directè tendit ad veritatem reuelatam, & ad concluſionem euidenti diſcurſu explicatam: ita propoſitio hæretica eſt, quæ huic veritati directè opponitur.

34. *Obijcies.* Poteſt eadem propoſitio vno tempore non eſſe hæretica, quæ tamen alio tempore hæretica eſt. Velut hæc propoſitio: *Beata Virgo eſt concepta in peccato originali*, nunc hæretica non eſt, quæ tamen foret, ſi oppoſita ab Eccleſia definiretur: ergo hæretica propoſitio non eſt, quę directè opponitur alicui veritati reuelatæ; nam ſi oppoſita propoſitio definiretur, illa ex nunc ſupponeretur reuelata, cùm Eccleſia non definiat, niſi quòd reuelatum ſupponitur: ergo ex nũc eius oppoſita eſſet hæretica, quia ex nunc opponeretur veritati reuelatæ: ſicut ex nunc propoſitio eſſet falſa, ſi ex nunc opponeretur obiecto vero.

35. Reſpondeo, vt aliqua propoſitio ſit hęretica, requiritur, vt ſit contra teſtificationem Dei ſufficienter promulgatam: quæ ſufficiens promulgatio nunc de lege ordinaria fit per definitionem Eccleſiæ. Poteſt igitur eadem propoſitio ante promulgationem non eſſe hæretica, qua tamen promulgatione facta, hæretica eſſet. Ratio, quia ſicut fides non poteſt verſari, niſi circa obiectum reuelatum ſufficienter propoſitum; ita hęreſis niſi circa obiectum oppoſitum fidei ſufficienter propoſitum, nam licet propoſitio fidei ſit conditio, non ratio formalis fidei, tamen ſine illa non dicitur obiectum reuelatum proximè credibile, nec eſt eadem ratio de propoſitione falſa, quæ ſolùm requirit difformitatem ad obiectum ſecundùm ſe.

36. Propoſitio erronea eſt, quæ opponitur Concluſioni Theologicæ, vt ex principijs fidei euidenter deductæ. Dixi, *vt deducta*; quia vt explicatæ opponitur hæretica. Probatur, quia ſicut Concluſio Theologica habet gradum certitudinis diſtinctum à fide; ita & propoſitio illi oppoſita gradum erroris diſtinctum ab hæreſi. Notat Corduba in ſuo quæſtionario Theologico lib. 1. q. 17. erroneam propoſitionem eſſe omnem, quæ directè aduerſatur rationi, aut communi ſenſui

Corduba.

Sapientum in quacunque facultate.

37. Propoſitio errori proxima eſt, quæ opponitur concluſioni Theologicæ, non quidem euidenter, ſed probabiliſſimè deductæ ex principijs fidei. Qualis eſſet: *in paruulis per Baptiſmum non infunduntur habitus.*

38. Propoſitio Sapiens hæreſim dicitur, quæ quamuis ex ſe Catholicum ſenſum habere poſſit, ex circumſtantia tamen proferentis, meritò ſuſpicari poſſit in ſenſu hæretico prolata, vt hæc propoſitio ab Ariano prolata: *Pater maior eſt Filio* : ſapit hæreſim: prolata à Catholico nullam ingerit ſpeciem hæreſis. Vt enim Canus inquit lib. 12. de locis Theologicis cap. 11. idem vinum ex vno vaſe piccem ſapit, ex alio non ſapit: ſic eadem oratio ex vno corde & ore vnum, ex alio alium ſpirat ſaporem. *Canus.*

39. Propoſitio malè ſonans, ſeu piarum aurium offenſiua eſt, vt citato loco definit Canus, quæ quamuis nullam hæreſis ſuſpicionem ingerat, abſurdum tamen & peregrinum ſenſum à communi & viſitato modo loquendi Patrum, & Scholaſticorum affert. Theologi enim eſt, non modò ſententiam, ſed etiam ſermonem ab viſitato recedentem vitare. Porrò piæ aures non ſunt imperiti vulgi, ſed ſapientum, quorum eſt iudicium ferre de ſenſu & qualitate propoſitionis.

40. Propoſitio temeraria eſt, quæ vel nulla ſufficienti ratione, authoritateve fulta, communi Doctorum ſenſui, aut approbatæ hiſtoriæ aduerſatur: vel quæ vt certum affirmat, quod nulla ratione probari poteſt: quę & impudens, inſolenſque dici ſolet. Hinc duplex oritur temerariæ propoſitionis genus; Altera, quæ dicitur poſitiuè temeraria; altera, quæ tantùm priuatiuè. Illa eſt, quæ opponitur communi authoritati Patrum & Scholaſticorum: hæc eſt, quæ ſine ſufficienti authoritate, vel ratione aſſeritur.

41. Propoſitio ſcandaloſa eſt, quæ etiamſi vera ſit, occaſionem ruinæ affert auditoribus.

42. Propoſitio ſeditioſa eſt, quæ viam ſternit ad ſeditionem.

43. Propoſitio Schiſmatica, quæ viam parat ad Schiſma, ſeparationemve à capite: vt exempli cauſa: *licitum eſt non obedire ſuperiori: Tyrannum occidere.*

44. Propoſitio periculoſa dicitur, quæ periculi occaſio eſſe poteſt, aut in fidei doctrina, aut in moribus: vt *poteſt homo eſſe perfectus ſine externa pœnitentia.*

45. Propoſitio blaſphema eſt, quæ immediatè, vel mediatè Deo iniuriam irrogat, quæ interdum eſt etiam hæretica, vt *Deus eſt author peccati*, ſæpè enim vna eademque propoſitio multis maculatur notis.

46. Propoſitio impia eſt, quæ improbabilis eſt, & fidei pietati notabiliter detrahit; non pia, quæ licet probabilis, tamen pietati fidei non fauet.

47. Arrogans eſt, quæ plus affirmat, quàm probare poſſit.

48. Propoſitio improbabilis eſt, quæ non habet probabile fundamentum.

49. Quę hactenus diximus non modò intelligenda ſunt de propoſitionibus quoad res & ſententias contrarijs authoritati Eccleſiæ, Patrum, & Scholaſticorum, ſed etiam quoad verba & modum loquendi definitum, vel vſurpatum ab Eccleſia, Patribus, & Scholaſticis, iuxta illud: *Ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæreſis.* Quam doctrinam tradit Auguſtinus lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 23. his verbis: *Liberis verbis loquuntur Philoſophi nec in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem religioſarum aurium pertimeſcūt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem.* Vnde hæreticus eſſet, qui pertinaciter damnaret verbum *Tranſubſtantiatio*, quo Tridentinum vtitur ad explicandam conuerſionem totius ſubſtantiæ panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti Domini; aut Verbum *Homouſion*, quo vſum eſt Concilium Nicænum ad explicandam contra Arianos conſubſtantialitatem naturæ Filij cum Patre. *Auguſt.* *Concilium Trident.* *Concilium Nicænum.*

50. Ex dictis infertur, non ſolùm peccare qui contrà primum fidei gradum pertinaciter ſentiret, ſed etiam qui obſtinatè erraret circa reliquos, plus autem, aut minùs, iuxta maiorem, aut minorem acceſſum, vel receſſum ad primum gradum. Dixi *qui pertinaciter, vel obſtinatè:* quoniam etſi ad peccandum ſimpliciter, & in foro conſcientię in materia fidei non requiratur pertinacia ſeu obſtinatio, ſed ſufficiat quodcunque voluntarium culpabile, etiam indirectum: ad peccandum tamen in foro exteriori Eccleſiæ ſemper requiritur aliqua pertinacia, orta ex præſumptione ſuperbè ſentientis, aut loquentis contra communem authoritatem Patrum, vel Scholaſticorum. Quo fit, vt ſine pertinacia externo aliquo ſigno manifeſtata, non poſſit homo errans in materia fidei ab Eccleſia puniri: cùm hæc poteſtatem non habeat in actus merè internos.

51. Controuertitur inter Theologos, ad quod peccati genus pertineat culpabilis error circa reliquos gradus fidei à primo diſtinctos. Nam certum eſt pertinaciter errare contra primum gradum, pertinere ad peccatum hæreſis. Suarez diſp. 19. ſect. 6. pertinere putat ad peccatum curioſitatis in materia ſupernaturali contra virtutem ſtudioſitatis, quę appetitum moderatur in ſcientijs, ne vel in ijs negligendo deficiat, vel nimis præſumendo excedat; iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 12. *non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem:* & Eccleſiaſtici 3. *altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.* *Suarez.* *Rom. 12.* *Eccleſiaſt. 3.*

52. Probabilius alij cenſent, hos omnes errores reduci ad primam ſpeciem hæreſis, tanquam imperfectum ad perfectum. Nam ſicut omnes oppoſiti gradus reducuntur ad fidem, tanquam diſpoſitiones ad illam; omnes enim ordinantur vel ad intellectum circa res fidei faciliùs diſponendum, vel ad res ipſas intellectui meliùs applicandas: ergo etiam errores culpabiles circa illos reduci debent ad erro-

Digitized by Google

rem contra primum gradum fidei; tanquam minùs perfectum ad magis perfectum, cùm contrariorum eadem ſit ratio. Confirmatur: nam tales errores non ſunt ſubiecti Eccleſiæ, neque ab ea puniuntur, quatenus ſunt contra virtutem ſtudioſitatis, ſed quatenus diſponunt, & viam parant ad hæreſim: ergo habent diſtinctam malitiam à malitia curioſitatis, cùm hæc non ſit ſufficiens ad eos ſubijciendos Eccleſiaſticę poteſtati.

Suarez. 53. Vnde ad fundamentum Suarez, negandum eſt, talem malitiam ſufficientem eſſe ad huiuſmodi peccata conſtituenda, cùm longè grauiùs peccetur contra huiuſmodi gradus pertinaciter ſentiendo, quàm curioſè tantùm contra ſupernaturalem ſcientiam excedendo: cùm ad peccatum curioſitatis non ſit neceſſaria pertinacia, ſed perfectè conſummari poſſit abſque illa: cùm tamen ea neceſſaria ſit ad huiuſmodi errores perfectè contrahendos.

54. Vltimò addendum eſt, Eccleſiam in huiuſmodi propoſitionibus qualificandis errare non poſſe: quod rectè docuit Bannez ſecunda ſecundæ quæſtione 11. art. *Bannez.* 2. dub. vltimo. Ratio eſt, quoniam cùm tota hæc propoſitionum qualificatio ordinetur ad fidem, per certos quoſdam gradus meliùs explicandam, debet, qui infallibilem authoritatem habet explicandi res fidei, infallibilem quoque authoritatem habere in qualificandis propoſitionibus, quæ ad ipſam doctrinam fidei meliùs explicandam diriguntur. Vnde non ſolùm eſt de fide id, quod Concilium Tridentinum ſeſſione *Concilium Trident.* 6. cap. 7. definit, iuſtificationem fieri per internam ſuſceptionem gratiæ & donorum, ſed etiam quod Concilium Viennenſe *Concilium Vienn.* antea docuerat, probabiliorem eſſe ſententiam aſſerentem, per Baptiſmum infundi habitus.

DISPVTATIO XVII.

De medijs, quibus licitè Eccleſia vti poſſit ad Fidem diuinam propagandam, vel defendendam.

DVPLEX poteſt circa fidem in Eccleſia poteſtas conſiderari, altera ad fidem propagandam, altera ad eandem fidem defendendam. Ad vtrũque munus exercendum habere debet conſentanea media, quibus eam vel licitè propagare, vel defendere poſſit. De vtriſque medijs in hac diſp. nobis agendum erit.

SECTIO I.

An, & quam poteſtatem Eccleſia habeat Euangelium prædicandi.

1. PRIMVM medium, quo Eccleſia nititur ad Chriſti fidem propagandam, eſt eiuſdem fidei prædicatio. Cùm enim fides ex auditu concipiatur, primum ac neceſſarium medium ad eam propagandam, eſt eiuſdem fidei prædicatio. Nam *quomodo*, inquit Paulus ad Rom. 10. *credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante?* *Rom. 10.* ergo poſito quòd ad fidem propagandam, neceſſaria ſit eiuſdem fidei prædicatio, inquirimus hic, an, & quam poteſtatem habeat Eccleſia ad Euangelium prędicandum.

2. DICO 1. Habet Eccleſia à Chriſto poteſtatem Euangelium prędicandi toti mũdo. Aſſertio eſt de fide, vt teſtatur Suarez diſp. *Suarez.* 18. ſect. 1. & ſupponunt reliqui Theologi. Eaque apertè colligitur ex Matthæi & Marci *Matth. vlt. Marci vlt.* vlt. vbi Chriſtus pręcipit Apoſtolis, prædicare Euangelium omni Creaturæ. *Euntes*, inquit, *in mundum vniuerſum: prædicate Euangelium omni Creaturæ.* Sed Eccleſia ſuccedit Apoſtolis in munere dirigendi animas ad ſalutem: ergo. Et ratione id etiam conſtat: nam fides eſt ad ſalutem ſimpliciter neceſſaria: ſed Chriſtus vult omnibus ſalutem; nam ſicut mortuus eſt pro omnibus, ita remedia reliquit pro omnibus: ergo neceſſaria fuit hæc poteſtas promulgandi fidem omnibus, ſine qua promulgatione non poſſet eſſe remedium ſufficiens prò omnibus: cùm nequeat lex ſeruari, niſi ſciatur; nequit autem ſciri, niſi promulgetur.

3. DICO 2. Eccleſia non ſolùm habet à Chriſto poteſtatem, ſed etiam præceptum Euangelium prædicandi per totum mũdum. Aſſertionem hanc non tam ex profeſſo tractant, quàm ſupponunt Theologi. Eaque non obſcurè colligitur ex citatis verbis Matthæi *Matth. vlt. Marci vlt.* & Marci vlt. quibus Chriſtus non modò poteſtatem, ſed etiam præceptum dedit Apoſtolis Euangelium prædicandi per vniuerſum mundum. Sed hoc præceptum non fuit ab Apoſtolis adimpletum; ergo adimpleri debet ab Eccleſia, quæ in regimine animarum ſuccedit Apoſtolis. Maiorem apertè ſupponunt omnes ferè ſacri Interpretes, qui docent, his

Digitized by Google

verbis iuſſos fuiſſe Apoſtolos Euangelium prædicare omni creaturæ: legatur in primum locum Marci Maldonatus. Minor conſtat, ſiquidem non modò tempore Auguſtini adhuc innumerabiles erant gentes, vt ipſemet teſtatur Epiſt. 80. ad Heſychium circa finem, quibus nondum prædicatum fuerat Euangelium; ſed etiam præcedente noſtro ſæculo ampliſſimum repertum eſt Iaponiæ Regnum, cui nulla hactenus Euangelicæ doctrinæ lux affulſerat: illudq; primum ſingulari Dei prouidentia ex ignorantiæ tenebris ad lucem veritatis extulit S. Franciſcus Xauerius, vnus è primis noſtræ Societatis Pater, qui propterea Indiarum Apoſtolus *vnanimi totius Chriſtiani orbis conſenſu,* vt in eius canonizationis bulla dicitur, *meruit appellari*. Conſequentiam apertè tradit ibidem Auguſtinus, qui contendit, verba illa: *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, non tantùm dicta fuiſſe Apoſtolis, ſed toti Eccleſiæ. *Nō itaq; ſic*, inquit, *dictum eſt Apoſtolis:* Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in tota Iudæa, & Samaria, vſque in extremum terræ: *tanquam ipſi ſoli, quibus tunc loquebatur, tantùm munus fuerint impleturi: ſed ſicut eis ſolis videtur dixiſſe, quod dixit:* Ecce ego vobiſcum ſum vſque in conſummationem ſæculi: *quod tamen eum vniuerſæ Eccleſiæ promiſiſſe, quæ alijs morientibus, alijs naſcentibus hic vſque in ſæculi conſummationem futura eſt, quis non intelligat?* Manet igitur, vel ex ipſius Auguſtini ſententia in Eccleſia præceptum, quod datum fuerat Apoſtolis, prædicandi, promulgandique Euangelium.

Maldonatus. Auguſt. S. Franciſc Xauerius. S. Auguſt.

4. Probatur 2. Aſſertio ratione: quoniam ſine tali præcepto non eſſet hominum ſaluti bene prouiſum. Nam ſi nullum eſſet in Eccleſia præceptum Euangelicam doctrinam, ſine qua nemo ſaluus eſſe poteſt, promulgandi, ſed relinqueretur Eccleſiæ libeertati, poſſet Eccleſia pro ſuo libitu idoneos Concionatores per mundum non mittere; ac proinde magnam mundi partem priuare hoc medio ad ſalutem neceſſario.

5. Confirmatur 1. Ex eo quòd Deus decreuit homines ſaluare per mortem Chriſti, noluit mortem prorſus liberam Chriſto relinquere, ſed eam illi ſub præcepto impoſuit, vt non poſſet illam omnino omittere: ergo pari modo, quia Deus decreuit homines ſaluare per Euangelicam veritatem, noluit Euangelij promulgationem omnino liberam relinquere Eccleſiæ, ſed eam præcepto alligauit, vt certiùs ſecuriuſque prouideretur hominum ſaluti.

6. Confirmatur 2. Maiorem, aut ſaltem non minorem obligationem habet Eccleſia ad procurandam hominum ſalutem, quam habeant Parentes ad procurandam ſalutem propriorum filiorum. Atqui Parentes diuino iure obligantur ad procurandam ſalutem propriorum filiorum; ergo & Eccleſia ad procurandam ſalutem hominum per Euangelicæ doctrinæ promulgationem. Minor cum conſequentia conſtat; Maior probatur, nam in rebus ſpiritualibus maiorem, aut ſaltem non minorem poteſtatem habet Eccleſia in homines, quàm habeant Parentes in ſuos filios.

7. Confirmatur 3. Nam eadem fuit neceſſitas prædicandi Euangelium multis ſæculis poſt Apoſtolos, quæ fuit tempore ipſo, quo Chriſtus illud Apoſtolis prædicandum præcepit: ergo debuit idem præceptum in Eccleſia perſeuerare. Antecedens conſtat: nam quamdiu illud non fuit toti mundo promulgatum, tamdiu manſit eadem neceſſitas illud promulgandi. Sed per Apoſtolos non fuit toti mundo promulgatum, vt demonſtratum eſt: ergo. Conſequentia verò probatur: nam quamdiu manet eadem neceſſitas conſequendi finem, manere debent eadem media ad illum conſequendum neceſſaria: ſed poſt Apoſtolos manſit eadem neceſſitas conſequendi ſalutem per Euangelicæ veritatis profeſſionem: ergo manere debuit idem præceptum promulgandi Euangelium, quæ eſt neceſſarium medium ad ſalutem conſequendam.

8. Dico 3. Hæc poteſtas coniuncta cum præcepto promulgandi Euangelium per totū mundum per ſe tantùm reſidet in ſummo Pontifice, tanquam in ſupremo animarum paſtore. Aſſertio hæc conſtat ex omnibus ijs Scripturæ teſtimonijs, quibus ſuprà diſp. 6. oſtendimus, infallibilem authoritatem proponendi res fidei reſidere in ſummo Pontifice, tanquam in legitimo Petri ſucceſſore, & Chriſti Vicario. Nam ad illum per ſe pertinet Euangelium fidei promulgare, ad quem ſpectat illam omnibus credendam proponere: ſed ad ſummum Pontificem ſpectat, fidem omnibus credendam proponere: ergo ad eundem ſpectat, illam omnibus promulgare. Cæterùm notanda eſt differentia inter poteſtatem, quam ſummus Pontifex habet proponendi res fidei fidelibus ſibi ſubiectis, & infidelibus ſibi non ſubiectis: nam illis non ſolùm tenetur res fidei ad ſalutem neceſſarias proponere, ſed etiam eos cogere ad illas acceptandas: his autem etſi vi ſupremæ poteſtatis, quam à Chriſto accepit, ius habeat proponendi Myſteria fidei, eos tamen ad ea acceptanda cogere non poteſt, vt infrà conſtabit.

9. Porrò ſatisfacit huic præcepto ſummus Pontifex, inſtituendo Religiones, quarum finis ſit prædicare Euangelium vniuerſo mundo: vti de facto nunc multæ ſunt Religiones in Eccleſia Dei, quarum munus eſt, fidem Chriſti per vniuerſum Orbem propagare. Antea verò hoc munus ſummi Pontifices exercebant vel per ſeipſos, vel per Epiſcopos, vel per alios idoneos miniſtros à ſe ad tale officium deſtinatos. Et non ante multos annos Vrbanus VIII. Summus Pontifex peculiarem congregationem inſtituit, cui ex officio incumberet Chriſti fidem apud infideles propagare. Cæterùm excuſari poſſunt ab huiuſmodi concionatoribus mittendis, vel quia nullus ſperatur fructus, ſed maiora timentur mala, vel quia non reperiuntur idonei miniſtri, qui cum fructu & dignitate valeant hoc munus

Vrbanus VIII.

Digitized by Google

munus exercere. Quanquam ad hoc ipſum Pontifices tenentur de idoneis miniſtris Eccleſiæ prouidere.

10. Ex dictis infertur 1. Eſſe in ſummo Pontificere ius defendendi Euangelicos Concionatores contra quoſcunque Principes & Reſpublicas illos à prædicatione impedientes: tum quia qui accipit ius, accipit illud cum omnibus ijs, quæ neceſſaria ſunt ad illud exequendum, alioqui fruſtra illud acciperet, ſi nunquam poſſet executioni mandare: tum quia vnuſquiſque iure naturæ poteſt contra quemcunque ſua priuilegia tueri.

11. Infertur 2. Hoc præceptum, ratione charitatis, qua vnuſquiſque tenetur proximi ſalutem, etiam cum damno proprio temporali procurare, interdum vrgere alios inferiores Prælatos. Quemadmodum ſi tempore peſtis proprius Prælatus animas ſibi commiſſas desereret, ratione charitatis tenerentur alij, etiam cum damno temporali propriæ vitæ, illis ſuccurrere.

12. *Obijcies* 1. Hoc præceptum ceſſauit cum fine ipſo, propter quem datum fuit: datum enim fuit, vt Euangelium promulgaretur per vniuerſum mundum. Sed de facto illud promulgatum eſt per vniuerſum mundum: ergo non ampliùs vrget. Reſpondeo 1. negando Minorem, cùm adhuc certò non conſtet, nullam eſſe de facto nationem, cui Chriſti Euangelium promulgatum non ſit. Reſpondeo 2. Negando conſequentiam. Nam eſto Euangelij promulgatio neceſſaria non ſit ad fidem primò promulgandam, eſt tamen neceſſaria ad eam conſeruandam & promouendam. Cæterùm ſummus Pontifex non ſolùm habet præceptum fidem promulgandi, ſed etiam illã promouendi, & ab erroribus conſeruandi: ad quod nõ minùs neceſſarij ſunt idonei ac ſtrenui Concionatores.

13. *Obijcies* 2. Hoc præceptum prædicandi Euangelium per vniuerſum mundum non fuit datum ſoli Petro, ſed omnibus Apoſtolis: ergo per ſe non reſidet in ſummo tantùm Pontifice, ſed etiam in Epiſcopis, qui in munere prædicandi ſuccedunt Apoſtolis. Reſpondeo negando conſequentiam: nam eſto hoc præceptum Chriſtus dederit omnibus Apoſtolis, non tamen voluit, vt illud per ſe maneret, niſi in ſuo Vicario: cui ſicut ſoli infallibilem authoritatem contulit proponendi res fidei, ita & poteſtatem eam per vniuerſum Orbem promulgandi: idque vt meliùs ſeruaretur Monarchicus ordo Eccleſię. Dixi *per ſe*: nam vel per communicationem à ſummo Pontifice, vel in caſu, quo ſummus Pontifex idoneos Euãgelij Prædicatores non mitteret, tenerentur Epiſcopi hoc pręceptũ exequi, vel per ſeipſos, vel per alios idoneos miniſtros.

14. *Obijcies* 3. Summus Pontifex nullum ius habet in infideles, qui Chriſti fidem per Baptiſmum non acceptarunt: ergo nullam habet poteſtatem eis Chriſti Euangelium prædicandi. Conſequentia patet, quoniam poteſtas prędicandi Euangelium eſt aliquod ius: vnde non poteſt vnus concionari in templo alterius abſque licentia ſuperioris templi. Antecedens probatur, nam Pontifex ſolùm ius habet in eos, qui continentur intra Eccleſiam: tales autem infideles non continentur intra Eccleſiam, cùm prima ianua ad Eccleſiam ſit Baptiſmus. Minor confirmatur: quoniam in Eccleſia continentur tantùm oues Chriſti: ſunt autem oues Chriſti, vt ipſemet declarauit Ioannis 10. quę vocem eius audiunt, in ipſum credendo. Maior probatur tum ex Paulo primę ad Corinth. 5. *Quid enim mihi de ijs, qui foris ſunt, iudicare?* tum quia non aliud ius habet Pontifex, quàm habuit Petrus, in cuius munus & officium ipſe ſuccedit. Atqui Petrus non habuit ius, niſi in fideles: nam in eos tantùm ius habuit in quos à Chriſto ius accepit: à Chriſto autem ſolùm ius accepit in oues ipſius, Ioannis vlt. *Paſce oues meas.* Atqui probatum eſt, oues Chriſti non eſſe, niſi fideles, qui Chriſti vocem per fidem obaudiunt: ergo in eos tantùm ſummus Pontifex ius habet Euangelium prędicandi.

Ioan. 10.

1. *Cor.* 5.

Ioan. vlt.

15. Reſpondeo diſtinguendo duplex ius ſeu poteſtatem, alteram tantùm directiuam; alteram coërcitiuam ſeu coactiuam. Negandum autem eſt, ſummum Pontificem non habere ius ſeu poteſtatem directiuam in infideles, proponendo illis ad ſalutem neceſſaria. Concedendum verò eſt, nullum in eos ius aut poteſtatem habere coactiuam. De qua tantùm poteſtate intelligendę ſunt adductæ probationes. Vnde non poteſt Pontifex, vt ſequenti ſect. conſtabit, vel eos vi, aut pœnis adigere ad fidem acceptandam: vel ad eos puniendos de fide non acceptata: ſed in libera voluntate ipſorum relinquendum eſt, vt eam acceptent, vel non acceptent. Quòd autem vnus Concionator neque populum dirigendi cauſa poſſit in templo alterius concionari, abſque licentia Prælati Superioris templi, poſſit autem ſummus Pontifex abſque licentia Principis, aut Reipublicę infidelis, Concionatores Euangelicos ad populum infidelem de rebus fidei inſtruendum, mittere, ea ratio eſt: quia Pontifex hanc poteſtatem accepit immediatè à Deo, abſque limitatione, vel conditione dependente à voluntate Principum ſecularium. Et ſanè expediebat, hoc ius Euangelium prædicandi apud infideles Pontificem habere independenter à voluntate ipſorummet Principum infidelium, cùm ſit de re merè ſpirituali, & ad ſalutem ſimpliciter neceſſaria. Vnus autem Concionator non habet à Deo ius dirigendi inſtruendive populum in templo alterius, niſi dependenter à proprio Prælato templi.

SECTIO II.

An infideles cogi poßint ad fidem acceptandam?

16. PRæſens controuerſia non eſt de infidelibus Apoſtatis, qui aliquando fuerunt

runt ſub poteſtate Eccleſiæ. Nam hos certum eſt, poſſe ab Eccleſia cogi ad fidem ſeruandam: ſed controuerſia tantùm eſt de infidelibus, qui nunquam Chriſtianam fidem profeſſi ſunt, cuiuſmodi ſunt Iudæi, & Gentiles omnes. Intelligitur autem de infidelibus, qui tam ſubiecti ſunt temporaliter, quàm non ſubiecti temporaliter Chriſtianis Principibus: & de coactione tam ad audienda, quàm ad acceptãda Myſteria fidei. Prima ſententia abſolutè affirmat, poſſe infideles, etiam non ſubditos ad Myſteria fidei acceptanda cogi. *Maior.* *Gineſius Sepulueda.* Citantur pro hac ſententia Maior in 2. diſt. 44. q. 3. & quidã Gineſius Sepulueda Chroniſta Caroli V. quos authores, dum hanc controuerſiam Viennę Auſtrię in noſtro Cęſareo & Academico Collegio verſarem, præ manibus habere non potui. Probatur hæc ſententia hoc potiſſimùm fundamento. Deus dedit plenam poteſtatem Eccleſiæ, vt ex pręcedente ſect. conſtat, fidem per vniuerſum mundũ prædicandi ac propagandi: ergo cum hac poteſtate dedit etiam ius cogendi omnes ad eam audiendam, & acceptandam. Conſequentia probatur, alioqui fruſtra eſſet hæc poteſtas, ſi non poſſet per coactionem eorum, qui fidei prædicationi repugnant, in actum redigi.

17. Confirmatur. Omnes infideles diuino præcepto tenentur Chriſti fidem ſufficienter ſibi propoſitam acceptare: ergo eodem præcepto diuino tenentur Chriſtiani Principes eos cogere ad tale præceptum implendum. Sicut quia præcepto diuino tenentur fideles ſua peccata confiteri, eodem præcepto diuino tenentur Eccleſiæ Prælati eos cogere ad huiuſmodi præceptum ſeruandum. Neque hæc ſententia videtur à Chriſti doctrina aliena, *Luc. 14.* qui Lucæ 14. Sub parabola cœnæ, præcipit Eccleſiæ miniſtris, vt compellant omnes ad eam intrare.

18. SECVNDA ſententia docet, licitum eſſe ſaltē infideles temporaliter ſubditos ad fidem acceptandam cogere. *Scotus.* Ita Scotus in 4. diſt. 4. q. vlt. vbi ait, Religiosè Principes Chriſtianos facturos, ſi minis ac terroribus cogant infideles ad ſuſcipiendum Baptiſmum. Probat hanc ſententiam Scotus 1. à commodis, quæ ex huiuſmodi licet coacta infideliũ conuerſione colligũtur. Nam eſto, inquit, parentes coacti fidem interiùs non admitterent, admitterent tamen illam filij ac nepotes eorum. Præterea acceptando, etiam coactè Chriſti fidem, non permitterentur iniquas ſuas leges, ac barbaros ritus impunè ſeruare: ſed cogerentur illos relinquere: quod eſt maximum commodum. Secundò probat ab exemplo. *Concilium Tolet. IV.* Nam in Concilio Toletano IV. cap. 56. commendatur pietas Siſebuti Hiſpaniarum Regis, qui Iudæos coëgit ad fidem acceptãdam. Quod idem fecit Cõſtantinus Imperator, qui iuſſit omnia Paganorum templa claudi, vt cogerentur ad fidem conuerti: nec non Ferdinandus, & Eliſabetha Hiſpaniarum Reges Mauros, & Iudæos ad Chriſtianam fidem compulerunt, ſub pœna eiectionis à tota Hiſpania.

19. TERTIA ſententia abſolutè negat, id licitum eſſe. *Valentia.* Ita Valentia diſp. 1. quæſt. 10. punct. 6. vbi docet, hanc ſententiam eſſe communem inter Scholaſticos, eamque adeo certam, vt ferè videatur Eccleſiaſtica traditione ab ipſo Chriſto & Apoſtolis deriuata. Potiſſimum fundamentum eſt, quia fides debet eſſe voluntaria. Vnde quando Chriſtus *Marci vlt.* Marci vlt. pręcepit Apoſtolis, vt Euangelium prędicarent omni creaturæ, tantùm dixit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit:* inſinuans fidem non eſſe vi & coactione in mundum introducendam. Pro cuius controuerſiæ declaratione,

20. DICO 1. Illicitum eſt, infideles Chriſtianis Principibus non ſubiectos ad fidem ſiue audiendam, ſiue acceptandam, armis, miniſque cogere: licitum tamen eſt, eos ad vtrumque præmijs ac blanditijs allicere; ſicut & Euangelicos Prædicatores impedientes ac prohibentes armis debellare. Aſſertio eſt S. Thomæ ſecunda ſecundę quęſt. 10. art. 8. *D. Thomas.* & interpretum eius, & communis Scholaſticorum in 4. diſt. 4. & 6. Aſſertio tres habet partes: ſingulę ſingillatim probandę ſunt.

21. Probatur prima pars 1. Nunquam Eccleſia, Chriſtum imitata, qui diſcipulos ſuos ad Euangelizandum non miſit coactiua poteſtate armatos, ſed inſtructos efficacia verbi diuini, & virtute miraculorum, ad propagandam fidem vſa eſt: ergo illicitum eſt: quia quod nunquam factum eſt, moraliter cenſetur fieri non poſſe. Si enim liceret, id aliquando ab Eccleſia factum fuiſſet, prǽſertim cùm fides ſit ad ſalutem ſimpliciter neceſſaria. Vnde non omiſiſſet Eccleſia ad mortalium ſalutem procurandam hoc medium, ſi iudicaſſet, illud eſſe licitum.

22. Secundò: quia hic modus redundat in magnum Chriſtianę fidei dedecus, quaſi ipſa tantam virtutem non habeat, vt poſſit efficacia & ſplendore ſuę veritatis, nec non conformitatis, quam cum natura rationali habet, homines allicere ac trahere ad ſui amorem & deſiderium.

23. Tertiò. Hic modus repugnat cum natura rationali, & longè alienus eſt à Dei prouidentia, qua cum hominibus vtitur. Nam & natura rationalis, cùm ſit libera, modum poſtulat liberum, non coactum in ſuſcipienda fide: & Deus ipſe nonniſi libero modo vtitur cum hominibus liberè eos ad ſalutem pertrahendo.

24. Quartò confirmatur ex abſurdis, quæ per ſe ex oppoſitã ſententia ſequuntur. Primum eſt: plerique minis terroribuſque coacti, non ſicut oportet, fidem Chriſtianam ſuſciperent: proinde multi in ipſa fidei ſuſceptione ſacrilegium committerent, non cum debita diſpoſitione ad eam accedendo. *Caietanus.* Quod abſurdum ſic ampliùs vrget Caietanus ſecunda ſecundę quæſt. 10. art. 8. fides debet eſſe voluntaria: ergo coactio ad eam ſuſcipiendam non eſt medium licitum: quia medium debet proportionari fini: ergo ſi finis, qui eſt credere, debet eſſe voluntarius,

non poteſt ad illum conſequendum applicari medium inducens inuoluntarium. Secũdum abſurdum eſt læſio iuris naturalis: nam vnuſquiſque habet à natura, vt ſit ſui iuris, præſertim in ijs, quæ ad propriam ſalutem ſpectant. Quamdiu autem homo ſuam voluntatem non ſubijcit alicui humanæ poteſtati, non poteſt ab illa abſque manifeſta iniuſtitia cogi. Cùm igitur infideles ſuam voluntatem non ſubiecerint Chriſtianis, ſed Ethnicis Principibus, non poterunt abſque manifeſta iniuſtitia à Chriſtianis Principibus cogi ad fidem ſuſcipiendam. Neque hoc naturale ius ab infidelibus Deus tollit, conferendo Eccleſię poteſtatem Euangelium prædicandi: nam hanc poteſtatem non confert Deus cum naturalis iuris lęſione audientium. Tertium abſurdum eſt: quia hic modus occaſionem prębet infidelibus iuſtum bellum inferendi contra Principes Chriſtianos. Nam vnaquęque Reſpublica ius habet defendendi ſe contra inuaſores. Antequam autem infidelibus ſufficienter proponantur res fidei, probabiliter exiſtimare poſſunt, ſe iniuſtè inuadi à Principibus Chriſtianis armis & minis: ergo in tali caſu iuſto bello poterunt ſe contra Principes Chriſtianos defendere.

25. Secvnda aſſertionis pars habetur in capite *Syncera* diſt. 45. vbi improbato primo modo, Pontifex approbat & commendat hunc ſecundum. Et probatur, nam hic modus nullum continet abſurdum; nec eſt contrà naturam hominis, cùm nullam illi vim inferat; nec contra naturam fidei, quæ debet eſſe voluntaria; cùm non minuat, vti metus, ſed potiùs augeat volũtarium. Vnde & Chriſtus Dominus ad fidem ſuſcipiendam mortales alliciebat tum promiſſione Regni Cœleſtis, tum virtute miraculorum, tum reſtitutione ſanitatis. Nec refert, quòd etiam Chriſtus mortales ad fidem cogat etiam metu pœnæ, vt conſtat ex illo Marci vltimò. *Qui non crediderit, condemnabitur*; tum quia hæc pœna per ſe ſequitur ex abiectione fidei: tum quia Chriſtus eſt perfectus Dominus omnium, cuiuſmodi non eſt vnus Princeps Chriſtianus reſpectu infidelium ſibi temporaliter non ſubiectorum. *Marci vlt.*

26. Tertiam partem aſſertionis docet S. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 10. art. 8. Syluius ibid. & conſtat ex præcedente ſect. Nam ſi in Eccleſia eſt ius à Chriſto collatum prędicandi Euangelium per vniuerſum mundum, erit in eadem poteſtas illud defendendi contra quoſcunque impugnantes atque impedientes. Qui enim dat formam, dat conſeruatiua formæ: inter conſeruatiua autem huius iuris, eſt poteſtas illud defendendi contra eos, qui illud impugnant vel impediunt. *S. Thomas. Syluius.*

27. Diſputant hic aliqui, an poſſit Eccleſia ad hoc ius defendendum Principes infideles præuenire, mittendo Concionatores Euangelicos armis ac militibus ſtipatos, vt ſi Principes, vel Reſpublicæ Euangelicæ prædicationi reſiſtant, ſtatim compeſci poſſint. Affirmant nonnulli. Sed longè veriùs, probabiliuſque negant alij: nam hęc eſſet quædam vis cogendi infideles ad Euangelium audiendum, quod, vt probatum eſt, non licet reſpectu infidelium temporaliter non ſubiectorum. Vnde non eſt licitum ante lęſum hoc ius, armis vti. Confirmatur: nam antequam ſciatur, eſſe aliquos in regno, qui velint Euangelium audire, non licet armis impedientes compeſcere. Nam ſi nulli ſunt, qui velint Euangelium audire, ſed omnes parati ſunt Euangelicæ prędicationi reſiſtere, nulla vi cogi poſſunt, vt illud audiant. Sed tunc poteſt Eccleſia armis vti, quando multi volunt Euangelium audire, & ab illo audiendo impediuntur à Principe, vel magiſtratu.

28. Dico 2. Licitè poſſunt Chriſtiani Principes infideles ſibi temporaliter ſubiectos ad fidem audiendam, non autem ad illam ſuſcipiendam, cogere. eſt communior inter Theologos, quam docent Bannez ſecunda ſecunda quæſt. 10. art. 8. dub. 4. concl. 4. Franciſcus Victoria apud ipſum, Suarez diſp. 18. ſect. 2. & alij. Et ſanè quoad priorem partem à fortiori docet Scotus ſuprà citatus. Fundamentum huius aſſertionis eſt: quoniam obligare, etiam directè ſubditos infideles ad audiendum certo quoque anni, vel menſis, aut hebdomadæ tempore Euangelium, interim plena libertate eis conceſſa, illud admittendi, vel non admittendi, nòn excedit temporalem poteſtatem, quam Chriſtiani Principes habent in ſuos ſubditos infideles: ergo tali præcepto poſito, tenentur ſubditi infideles Chriſtiano Principi obedire. Conſequentia elucet: quoniam ſubditi tenentur obedire ſuo legitimo Principi in omnibus, quę diuino, aut naturali iuri non aduerſantur. Sed audire certo quoque tempore Euangelium plena cum libertate illud admittendi, vel non admittendi, nulli iuri, neque diuino, neque naturali aduerſatur. Confirmatur, nam etiam Chriſtiani temporaliter ſubiecti Principibus infidelibus, illis obedire tenentur in omnibus ijs, quæ nec diuino, nec naturali iure aduerſantur. Antecedens primi Enthymematis probatur: nam huiuſmodi pręceptum quoad ſubſtantiam, & externam dumtaxat auditionem, non eſt diuinum, ſed politicum: ergo non excedit temporalem poteſtatem, quam Chriſtianus Princeps habet in ſubditos infideles: cùm omnis legitimus Princeps plenam poteſtatem habeat in omnes ſuos ſubditos in ijs, quæ ad politicum bonum ſpectant, ad quod tuendum, promouendumve abſolutam habet poteſtatem. Antecedens probatur, nam ſola externa Euangelij auditio eſt actio purè naturalis, quę ſolo naturæ lumine & facultate naturali adimpleri poteſt: eaque à Principe dirigi poteſt ad bonum politicum, vt nimirum per eam Ciues meliùs diſponantur ad publicam pacem concordiamque, quæ finis eſt cuiuſque bene inſtitutæ Reipublicæ, ſeruandam. *Bannez. Franciſc. Victoria. Suarez. Scotus.*

29. Non

Digitized by Google

29. Non obſcurum huius rei exemplum habemus in Romano Pontifice, qui Iudæos temporaliter ſibi ſubiectos, ſub certa pœna cogit ad myſteria noſtræ Religionis audienda, vt conſtat ex Bulla Nicolai III. quæ incipit: *Vineam*: & ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit, *Sancta Mater Eccleſia cuius Chriſtus caput eſt*. Quibus in Bullis præcipiunt Pontifices, vt debeant Iudæi certo quoque die conuenire ad audienda myſteria noſtræ Religionis.

Nicolaus III. Gregorius XIII.

30. Quoad ſecundam verò partem, quæ eſt contra Scotum pro ſecunda ſententia citatum, aſſertio probatur: nam ſemper illicitum eſt, ad fidem acceptandam, quæ liberum conſenſum requirit, homines compellere: idque propter manifeſta abſurda, quæ ex huiuſmodi coactione ſequuntur. Vnde in præcitato Concilio Toletano IV. & refertur cap. *de Iudæis* diſt. 45. præcipitur, vt nemini deinceps ex Iudæis ad credendum vis inferatur.

Scotus. Concilium Tolet. IV.

31. Ad fundamentum primæ ſententiæ negatur Conſequentia. Ad cuius probationem, negandum eſt, poteſtatem prædicandi Euangelium à Chriſto Eccleſiæ collatam eſſe fruſtraneam, niſi ſimul cum ea collata ſit poteſtas cogendi omnes ad illud audiendum, acceptandumve: nam ſufficit, vt ea collata ſit pro ijs, qui liberè volunt illud audire, & acceptare.

32. Ad confirmationem, negatur etiam Conſequentia: neque enim hanc poteſtatem Chriſtiani Principes habent ex ſe, cùm illa ſit ſupernaturalis; neque à Chriſto, quia Chriſtus, vt probatum eſt, non dedit aliam poteſtatem, quàm Euangelium prædicandi. Nec eſt eadem ratio de poteſtate abſoluendi à peccatis à Chriſto Eccleſiæ collata, cum qua ſimul collata eſt poteſtas cogendi fideles ad ſua peccata Sacerdotibus confitenda: quoniã hæc poteſtas eſt in ipſos fideles, in quos Chriſtus plenam dedit Eccleſiæ poteſtatem eos ad beatitudinem dirigendi.

33. Citatum teſtimoniũ Chriſti Lucæ 14. explicant B. Gregorius Homil. 36. in Euangelia, & Beda in præcitatum locum: vt nimirum illi dicantur compelli intrare, *qui huius mundi aduerſitatibus fracti ad Dei amorem redeunt*. Vel certè non eſt intelligendum de violenta compulſione, ſed de efficaci perſuaſione atque admonitione, vt illud explicat Richardus in 4. diſt. 6. art. 3. quæſt. 1. ad primum.

Gregorius. Beda. Richardus.

34. Ad primum ſecundæ ſentent. Reſpõdeo 1. omnia illa commoda, quæ futura ſperantur in filijs ex coacta conuerſione parentum, fore incerta: quin potiùs in illis timenda ſunt maiora ſacrilegia ex malo exemplo, & educatione parentum Chriſtianam fidem fictè profitentium. Secundò: eſto aliqua bona ſperanda eſſent in filijs ex huiuſmodi ficta conuerſione parentum; non ſunt tamen propter hæc bona facienda mala: vel certè non eſt præbenda proxima occaſio malorum, quæ ex coacta conuerſione certò moraliter ſequi ſolent. Eodem modo reſpondendum eſt ad id, quod dicitur, maximum fore commodum, quòd infideles non permitterentur impios ſuos ritus & iniquas leges impunè ſeruare, ſed cogerentur eas relinquere; cùm non debeant ad huiuſmodi finem illicito medio induci.

35. Ad ſecundum ductum ab exemplis Chriſtianorum Principum Reſpondeo, quantum attinet ad Seſibutum Regem, laudari illum tantùm ab affectu & pia intentione: cæterùm citatum Concilium expreſsè pręcipit, ne vllus deinceps ex Iudęis ſit ad fidem cogendus. Reliqui autem Chriſtiani Principes nunquam directè infideles ſubditos coëgerunt ad fidem acceptandam; ſed ad ſummum indirectè, quod ſępe licitum eſt: vti fecit Conſtantinus Imperator pręcipiendo, vt omnia Paganorum templa clauderentur, ne daretur Chriſtianis occaſio cum infidelibus in eorum ſuperſtitioſis ritibus communicandi. Similiter Reges Hiſpaniarum pro conſeruatione ſuorum Regnorum hanc legem imponere potuerunt Mauris, vt ſi vellent in ſuis Regnis habitare, legem Chriſtianam ſuſciperent; alioqui à tota Hiſpania exularent. Quemadmodum & nuper fecit glorioſiſſimæ memorię Ferdinandus II. Romanorum Imperator, qui hanc legem contra hæreticos tulit, vt vel abiurata hęreſi Catholicam fidem profiteantur, vel intra certum tempus omnes ex ſuis hæreditarijs Prouincijs diſcedant.

Ferdinandus II. Imperator.

36. Fundamentum tertiæ ſententię ſolùm probat de infidelibus non ſubiectis, & de ſubiectis tantùm quoad acceptandam, non autem quoad audiendam fidem: nam ad audiendam licitè cogi poſſunt, ſi ſubditi ſunt.

SECTIO III.

An poßint ſubditi infideles compelli ad ſeruandam legem naturæ?

37. DIxi *ſubditi infideles*: quoniam de infidelibus non ſubditis militat eadem ratio hic, quæ in pręcedente ſect. allata eſt. Etenim quemadmodum defectu legitimę poteſtatis & iuriſdictionis nequit Princeps Chriſtianus infideles ſibi temporaliter non ſubiectos ad Euangelium audiendum cogere: ita nec eoſdem poterit ad legem naturę ſeruandam compellere. Confirmatur, quia non poſſet Princeps Chriſtianus infideles compellere ad ius naturæ ſeruandum, niſi eos per leges obligando: lex autem non obligat niſi ſubditum, cùm ſit actus Superioris in ſubditum.

38. *Obijcies*. Poſſunt Principes Chriſtiani infideles, etiam non ſubditos compellere, ne

contra

Digitized by Google

contra Deum, aut Chriſtianam Religionem blaſphement, innocentes immolent, humanis carnibus paſcantur: ergo poterunt eoſdem compellere, vt reliquam naturalem legem ſeruent. Antecedens admittitur communiter à Doctoribus, & quoad primam & ſecundam partem expreſsè traditur à S. Thoma 2. 2. qu. 10. art. 8. vbi docet, compellendos eſſe infideles, ne fidem impediant blaſphemijs, aut malis perſuaſionibus. Conſequentia verò probatur, quia non eſt maior ratio, cur poſſint infideles etiam non ſubditi compelli, vt legem naturalem ſeruent in aliquibus, & nõ in omnibus, cùm Deum blaſphemare, innocentes immolare, humanis carnibus veſci, ſit etiam contra legem naturalem.

S. Thomas.

39. Reſp. negando conſequentiam: etenim tenentur fideles Principes Chriſtianam Religionem contra quoſcunque impugnatores defendere: atqui maximè illam impugnant, qui eam; Deumque ipſius authorem blaſphemant. Hinc fit, vt ante blaſphemiam non liceat eos vi compellere: quia cùm hæc violenta compulſio ſit quædam pœna orta ex iuſta defenſione: cumque omnis iuſta defenſio ſupponat iniuſtum inuaſorem, niſi priùs infidelis fiat Chriſtianæ Religionis iniuſtus inuaſor per blaſphemiam, non poterit iuſtè compelli. Pari modo tenentur Principes, innocentes contra quoſcunque iniuſtos inuaſores defendere: ſicut & dignitatem naturæ humanæ contra eos tueri, qui auſi fuerint illius carne veſci. Non tenentur autem, nec debent Chriſtiani Principes infideles ſibi nõ ſubiectos, propter alia peccata, etiamſi ſint contra legem naturæ, punire: quoniam per alia peccata non ſunt infideles iniuſti inuaſores vel contra Chriſtianam Religionem, vel contra innocentes, aut dignitatem naturæ humanæ. Cur autem fideles Principes poſſint ac debeant punire peccata infidelium, etiam non ſubditorum, quæ ſunt contra Chriſtianam Religionem, & contra innocentes ac dignitatem naturæ humanæ, non autem quæ ſunt contra Deum, & reliquam legem naturalem, eſt: quoniam hæc tantùm peccata ſunt omnium pernicioſiſſima naturæ humanæ. Nam priora, quantum eſt ex natura ipſorum, per ſe tendunt ad extinguendam fidem, ſine qua nemo ſalutem animi conſequi poteſt: poſteriora per ſe tendunt ad deſtruendam ipſam naturam humanam. Reliqua verò etſi grauiora ſint, vt eſt odium formale Dei, Idololatria, non ſunt tamen adeò pernicioſa reipublicæ: proinde non cuiuis fideli Principi incumbit ea punire in alijs ſibi non ſubiectis.

40. Inſtabis. Saltem tenentur fideles Principes in infidelibus etiam non ſubditis punire Idololatriam: nam hæc, teſte S. Thoma 2. 2, q. 94. art. 3. ad 2. includit blaſphemiam contra Deum, quatenus per eam ſubtrahitur Deo ſingularitas Dominij, & opere ipſo vera fides impugnatur. Reſpondeo negando Antecedens. Ad cuius probationem dicendum eſt, Idololatriam includere quidem blaſphemiam contra Deum, & fidem Chriſtianam, ſed tãtùm implicitè & virtualiter, non autem explicitè & formaliter.

D. Thom.

41. Sed cur inquies tenentur fideles Principes vindicare in infidelibus, etiam non ſubditis blaſphemiam expreſſam & formalem contra Deum, & fidem Chriſtianam, non autem blaſphemiam implicitam & virtualem, quæ opere ipſo conſummatur? Reſp. quoniam eam duntaxat blaſphemiam tenentur Chriſtiani Principes in infidelibus etiam non ſubditis vindicare, quæ fit expreſſo animo Deum & fidem blaſphemandi: nam hæc tantùm blaſphemia eſt omnium pernicioſiſſima: quippe quæ veritatem noſtræ Religionis minuit, animoſque mortalium auertit ab ea amplectenda. His breuiter adnotatis,

42. Communis ſententia Theologorũ docet, poſſe Principes Chriſtianos infideles temporaliter ſibi ſubiectos compellere ad legem naturę ſeruandam. Ita ferè omnes moderni interpretes S. Thomæ 2.2. q. 10. art. 8. Syluius conclu. 2. Eaque probari poteſt 1. exemplo Chriſtianorum Imperatorum, Cõſtantini, Theodoſij, Martiani, Iuſtiniani, qui multas leges tulerunt contra Idololatras. Quas leges vt ſanctas & iuſtas commendant Auguſtinus Epiſt. 48 ad Vincentium, multò poſt initium, his verbis: *Quis enim noſtrum, quis veſtrum non laudat leges ab Imperatoribus datas aduerſus Sacrificia Paganorum?* Ambroſius, qui Epiſt. 30. Valentiniano Imperatori, à quo Pagani petebant Imperatorio Decreto Aras & Sacrificia, à præcedentibus Imperatoribus ſublata, ſibi reſtitui, ita ſcribit: *ſed hæc ſi iam ſublata non eſſent, auferenda tuo Imperio comprobarem.* Et Concilium Carthaginenſe V. cap. vlt. *placuit*, inquit, *ab Imperatoribus glorioſiſſimis peti, vt reliquię Idololatriæ non ſolùm in ſimulachris ſed in quibuſcunque locis, vel lucis, vel arboribus omnimodè deleantur.*

S. Thomas. Syluius. Conſtantin. Theodoſius Martianus Iuſtinian. Auguſtin.

Ambroſius

Concilium Carthag. V.

43. Secundò demonſtratur hæc ratione. Quiuis legitimus Princeps habet plenam poteſtatem conſeruandi, ac promouendi politicum bonum ſui Regni: ergo quiuis legitimus Princeps habet ius compellendi infideles ſibi temporaliter ſubiectos ad legem naturæ ſeruandam. Antecedens ſupponitur vt certum in ſcientia politica: Nam propter hoc eſt Princeps, vt publicum bonum Politicum Regni conſeruet ac promoueat. Conſequentia facilè probatur: quoniam & ad publicum bonum Politicum Regni ſummoperè conducit, vt lex naturæ ſeruetur, hac enim vigente, vigebit pax & concordia Ciuium, qui eſt finis omnis benè inſtitutæ Reipublicæ: & tota lex naturalis non excedit ſphæram politicæ poteſtatis, quæ ſe extendit ad totum id, quod cadit ſub dictamen naturalis rationis. Igitur quiuis legitimus Princeps ratione ſuæ politicæ poteſtatis poterit per leges omnes ſuos ſubditos ad eam ſeruandam compellere, adeoque etiam infideles ſibi temporaliter ſubiectos.

Digitized by Google

44. Confirmatur, omnis lex à Principe lata, quę Ciues dirigit ad conſeruandam legem naturæ, iuſta eſt: ergo à ſubdito ſeruanda: ergo ad eam ſeruandam vi cogi poteſt: quando ſponte non ſeruatur. Prior Conſequentia patet, alioqui poſſet ſubditus iuſtam legem à Principe latam impunè violare: quod eſſet rectè gubernationis ordinem è Republica tollere, qui eſſentialiter fundatur in politica ſubordinatione Ciuium ad ſuum caput, à quo in ordine ad bonum politicum regi ac regulari debent omnes Ciues. Poſterior Conſequentia probatur: nam quando vis directiua non ſufficit, adhibenda eſt coërcitiua, vt ſuum finem ſortiri poſſit: alioqui fruſtra talis lex ferretur, ſi non eſſet modus efficiendi, vt ea à ſubditis efficaciter ſeruaretur. Notat autem Bannez 2. 2. q. 10. art. 10. dub. 2. Concl. 3. non eſſe licitum Chriſtiano Principi, punire peccata infidelium ſubditorum contra legem naturæ commiſſa: ante legem latam ab ipſo Principe.

Bannez.

45. Ex his infertur 1. poſſe ac debere Chriſtianos Principes infideles ſibi ſubiectos ad cultum veri Dei compellere. Quòd poſſint, conſtat ex ratione aſſignata: quoniam cultus veri Dei non tranſcendit politicam poteſtatem, quam Chriſtianus Princeps in huiuſmodi infideles habet: nam naturæ lumine notum eſt, eſſe vnum verum Deum, eique debitum cultum exhibendum. Quòd autem debeant, probatur: quoniam ad hoc Princeps, præſertim Chriſtianus, poteſtatem accipit, vt ſuos ſubditos dirigat ad cognitionem & cultum veri Dei, ex quo maximè pendet pax & concordia Reipublicæ.

46. Infertur 2. ad hoc etiam teneri Principem gentilem, ſi cognitionem habeat veri Dei: nam etiam poteſtas Principis gentilis ſe extendit ad hoc, & cum tali obligatione eam accipit, vt per leges ſubditos dirigat ad notitiam & cultum veri Dei, ex quo pax & concordia Reipublicæ maximè pendet. Cæterùm notandum, vtriuſque Corollarij doctrinam, quoad debitum, intelligendam eſſe quando ſine ſcandalo id fieri poteſt: alioqui in periculo ſcandali diligenter perpendendæ ſunt circumſtantiæ, idque eligendum, quod minus cenſetur malum.

47. Infertur 3. diuerſam eſſe rationem de ritibus infidelium, qui non naturali, ſed poſitiuæ duntaxat legi Chriſtianæ opponuntur, vt ſunt ferè omnes Iudæorum ritus, qui propterea illis ab Eccleſia permittuntur, vt conſtat ex cap. *Qui Sincera* diſt. 45.

Ius Canon.

48. Infertur 4. cur non liceat ſubditos infideles ad fidem Chriſtianam ſeruandam cogere, liceat autem cogere ad verum Deum colendum? quia nimirum ad fidem, cùm ſit obſcura, nitaturque occulta reuelatione Dei, nemo cogi poteſt, vt illam acceptet, ſeruetq; ad verum autem Deum colendum, cùm ſit naturæ lumine notum, omnibuſque naturali lege euidens, omnes cogi poſſunt, cùm ad id faciendum, vel ipſo innato rationis lumine incitemur.

49. Infertur 5. non eo ipſo, quo infideles ad fidem cōuertuntur, eximi à politica poteſtate ſuorum Principum infidelium, ſed adhuc manere illis ſubiectos in ordine ad politicum bonum. Ratio eſt, quia ſicut politica poteſtas Chriſtiani Principis comprehendit intra ſuam ſphęram ſubditos infideles in ordine ad politicum bonum: ita politica poteſtas Principis infidelis comprehendit intra ſuam ſphæram ſubditos fideles in ordine ad idem bonum politicum: vtraque enim poteſtas eſt ad conſeruandum promouendumque publicum bonum Regni per leges directiuas & coërcitiuas. Nec fides Chriſtiana tollit, ſed iuuat hunc politicæ gubernationis ordinem. Cæterùm indirectè non ſolùm poſſet ſubdidus fidelis eximi à poteſtate politica Principis infidelis, ſed Princeps ipſe infidelis deponi à ſua politica poteſtate, ſi ad ſalutem ſubditorum fideliū expediret. Ratio eſt, quia quotieſcunque ſunt duæ poteſtates, quarum vna eſt altior & ſuperior altera, ſemper inferior debet cedere Superiori, quādo Superior ſuū finem aſſequi non poteſt. Sed poteſtas, quam habet Eccleſia in fideles eſt altior ac ſuperior, quàm ſit poteſtas, quam in eoſdem habet Princeps infidelis: quoniam illa eſt in ordine ad ſalutem ęternam, hęc ad pacem & concordiam temporalem Reipublicæ. Ergo ſi poteſtas ſpiritualis Eccleſiæ nequit ſuum finem aſſequi, abſque iactura politicæ poteſtatis Principis infidelis, poteſt hæc ab illa coërceri, nam hoc ipſo fit illi ſubdita in ordine ad ſuum finem conſequendum.

Bannez.

50. Hoc corollarium quoad priorem partem eſt contra Bannez 2. 2. q. 10. art. 10. dub. 3. circa finem, Concl. 4. & ad calcem totius dubij, vbi docet, infideles non ſubditos ab Eccleſia priuari poſſe Dominio & Iuriſdictione, quam habent ſupra fideles, eo quòd merito infidelitatis redduntur indigni, vt ſint Domini fidelium. Quam poteſtatem priuandi infideles non ſubditos dominio & Iuriſdictione ſupra fideles, cenſet Bannez, iure Diuino poſitiuo communicari Eccleſiæ. Verùm noſtrum Corollarium communiter aſſeritur à Doctoribus. Et ratio Bannez tantùm probat de poteſtate indirecta, non autem directa: cùm infidelitas per ſe non priuet Principem politicâ poteſtate, quam in ordine ad publicum bonum habet ſupra ſubditos fideles.

51. Cæterùm etſi infideles ratione infidelitatis nō admittant dominium in ſubditos fideles, non poſſunt tamen infideles ſubditi à Principibus fidelibus præfici publicis officijs: nec poſſunt Principes fideles eis Iuriſdictionē conferre in ſubditos fideles, vt conſtat ex c. *Cum ſit nimis* de Iudæis & Saracenis, vbi prohibetur, ne Iudęi publicis officijs præficiātur. Et addit rationem: *quoniam*, inquit, *ſub tali prætextu Chriſtianis plurimum ſunt infeſti.* Eadem autem ratio eſt de reliquis infidelibus.

Ius Canon.

52. Infertur 6. non poſſe ſeruum fide-

lem iuſtè acquiſitum & poſſeſſum à Principe infideli, fuga ſe ſubtrahere à Dominio & poteſtate Principis infidelis. Colligitur ex 1. Petri 2. vbi Apoſtolus præcipit ſeruis fidelibus, vt ſubditi ſint ſuis dominis, *non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* Quod autem hic Apoſtolus per dominos intelligat non tantùm fideles, ſed etiam infideles, conſtat ex antecedentibus: *Subiecti*, inquit, *eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſſis* &c. Ratio eſt, quia non licet publicæ poteſtati priuare Dominum infidelem ſuo iure ac Dominio, vt conſtat ex quinto Corollario: ergo multò minùs id licebit priuatæ authoritati ac perſonæ.

1.Petr.2.

DISPVTATIO XVIII.

De Medijs quibus Eccleſia licitè vtitur contra Hæreticos.

SECTIO I.

An & qualis ſit in Eccleſia poteſtas Hæreticos puniendi?

VVicleſ. Hus. Conc.Cōſt. Lutherus.

1. PRIMA ſententia ſeu error negat, eſſe in Eccleſia poteſtatem Hæreticos puniendi. Ita Wicleffus & Ioannes Hus, vt conſtat ex Concilio Conſtantienſi ſeſſ.8.& 15. vbi eorum errores referuntur & damnantur: & Lutherus art. 33. Probatur 1. Hæretici non pertinent ad Eccleſiam, ſed ſunt extra Eccleſiam. Atqui Eccleſia nullam habet poteſtatem in eos, qui ſunt extra ſe: ergo. Minor eſt communis Theologorum fundata in Paulo 1. ad Corinth. 5. *quid enim mihi de ijs, qui foris ſunt iudicare?* Maior probatur, nam homo eſt membrum Eccleſiæ ratione fidei: ſed Hæretici non habent fidem: ergo non ſunt membra Eccleſiæ: & conſeqenter non poteſt Eccleſia eos punire: cùm omnis iuſta punitio legitimam ſupponat poteſtatem in puniente, & ſubiectionem in puniendo. Secundò. Suprà oſtenſum eſt violentam coactionem non eſſe conſentaneum ac legitimum medium ad fidem inducendam in gentiles: ergo nec ad eam reuocandam in Hæreticis: cùm eadem ſit in vtriſque ratio, nam in vtriſque fides debet eſſe ſpontanea & libera. Confirmatur ex ijs omnibus abſurdis, quę per ſe nata ſunt ſequi ex huiuſmodi violenta fidei ſuſceptione.

1.Cor.5.

Suarez. Boniſ. VIII.

2. SECVNDA Sententia affirmat, eſſe in Eccleſia poteſtatem hæreticos puniendi. Eſt de fide, quam docet Suarez diſp. 20. ſect. 3. n.20. eamque definit Bonifacius VIII. in extrauagante *Vnam Sanctam Eccleſiam*, de maioritate & obedientia: vbi duplicem attribuit Eccleſiæ gladium per poteſtatem ſignificatum; Alterum Spiritualem, materialem alterum; vtrumque à Chriſto collatum; & quidem primum ab ipſa Eccleſia, ſecundum verò pro Eccleſia exercendum; illum in manu Sacerdotis; hunc in manu Regum & militum, ad nutum tamen Sacerdotis contra Hæreticos rebelles euaginandum, vt idem Pontifex ibidem teſtatur.

3. Hæc veritas euidenter deducitur tum ex antiquis Oraculis: Nam primò erat in antiqua Eccleſia poteſtas puniendi falſos Prophetas, qui comparantur Hęreticis: quia ſicut illi aliter prophetabant, quàm à Deo illis reuelatum erat; ita iſti aliter docent, & dogmatizant, quàm ſit à Deo Eccleſię teſtatum: Conſtat Deuter. 13. vbi ſic loquitur Deus: *Propheta autem ille, aut fictor ſomniorum interficiatur: quia locutus eſt, vt vos auerteret à Domino Deo veſtro:* Tum ex Oraculis noui Teſtamenti, Matthæi 16. vbi Chriſtus promittit Petro, vt Capiti totius Eccleſiæ, claues ligandi & ſoluendi quodcunq; ſuper terram. Ex quo loco præcitatus Pontifex hanc poteſtatem colligit. In quo teſtimonio notat S. Thomas, dixiſſe Chriſtum, *tibi dabo claues ligandi & ſoluendi quodcunque*, vt ſignificaret, hâc poteſtatem non limitari ad forum dumtaxat internum conſcientiæ per Sacramentum Pœnitentiæ, ſed extendi ad forum etiam externum Eccleſiæ per Cenſuras & pœnas Canonicas: & Matthæi 18. *Si Eccleſiam*, inquit Chriſtus, *non audieris, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*. Ex quo loco colligunt Sacri interpretes poteſtatem, quam habet Eccleſia in excommunicandis Hæreticis. Legatur in hunc locum Ioannes Maldonatus.

Deut.13.

Matth. 16.

S.Thomas.

Matth.18.

Maldonat.

4. Secundò hęc veritas colligitur ex perpetuo vſu Eccleſiæ. Etenim à principio naſcentis Eccleſiæ ad hæc vſque tempora, ſemper Eccleſia vſa eſt hac poteſtate contra rebelles. Nam & Paulus 1. ad Corinth. 5. Satanæ tradidit quendam ſceleſtum, *in interitum carnis, vt Spiritus ſaluus eſſet*: & idem Apoſtolus præcipit Tito 3. vt Hæreticum hominem, tanquam ab alijs per excommunicationem ſegregatum vitet. Et Petrus Act. 5. Ananiam & Saphiram repentina morte mulctauit

1 Cor.5.

Tit.3.

Act.5.

Digitized by Google

ctauit:& reliqui Pontifices ſucceſſores Petri hac eadem poteſtate tam Spiritualis, quàm materialis gladij contra Hæreticos vſi ſunt. Quæ omnia abſque legitima poteſtate exerceri non poſſunt.

5. Tertiò probatur eadem veritas ratione. In omni Republica benè inſtituta neceſſaria eſt poteſtas non ſolùm directiua, ſed etiam coërcitiua: ergo etiam in Eccleſiaſtica Republica à Chriſto ſapientiſſimè inſtituta. Antecedens eſt primum principium in Politica: nam in omni bene inſtituta Republica neceſſaria eſt poteſtas dirigendi Ciues ad publicam pacem & concordiam, quæ eſt finis omnis rectè conſtitutæ Reipublicæ. Hæc autem poteſtas, vt efficax ſit, duo includit, & authoritatem legiſlatiuam, & poteſtatem coërcitiuam. Per illā Ciues dirigit ad politicas virtutes, ex quibus pax & concordia Reipublicæ maximè pendet: per hanc legum tranſgreſſores coërcet, qui plerumque ad leges ſeruandas non amore virtutis, ſed timore pœnæ mouentur. Vnde Deus optimus mundi Gubernator, cuius imitator eſſe debet omnis terrenus Princeps, contentus non fuit humanam, Angelicamque Rempublicam legibus duntaxat directiuis inſtruere, ſed etiam coërcitiuis. Conſequentia verò probatur: nam nullus cordatus Theologus negabit, Eccleſiaſticā Rempublicam ſapientiſſimo modo eſſe à Chriſto inſtitutam: & conſequenter cum hac duplici poteſtate directiua ſimul & coërcitiua. Confirmatur. Omnis poteſtas, teſte Paulo ad Rom. 13. à Deo eſt: ergo ſi omnis ordinata poteſtas hanc duplicem authoritatem includit, à fortiori eandem includet poteſtas Eccleſiaſtica: quæ, non ſicut cęteræ poteſtates mediatè, ſed immediatè à Deo eſt. (Rom. 13.)

6. Vltimò dicendum, hanc poteſtatem per ſe quidem reſidere in ſummo Pontifice, per communicationem verò etiam in Epiſcopis, dependenter tamen à ſummo Pontifice, in quo tantùm reſidet cum tota ſua plenitudine, & independentia à quocunque alio creato ſuperiore. Prior pars conſtat: nam illam per ſe primò collatam legimus Petro, eoque mediante cunctis ſucceſſoribus ipſius, cùm ſit poteſtas data in bonum Eccleſiæ, quę extingui non debuit in Petro, ſed perpetuari in omnibus ſucceſſoribus ipſius in bonum Eccleſiæ. Poſterior etiam conſtat: nam qua ratione dignitas Epiſcopalis pendet à ſummo Pontifice, eadem ratione pendet & hæc duplex poteſtas, quæ cum Epiſcopali dignitate ordinario iure coniuncta eſt. Poſtrema pars patet: quia ſolus ſummus Pontifex habet illam ſupra vniuerſum Chriſtianū orbem, & ab ipſo Chriſto immediatè acceptam: reliqui verò illam participant limitatam ad certum locum, & perſonas, & nonniſi per communicationem à ſummo Pontifice, à quo impediri & limitari poteſt.

7. Ex dictis refutati manent duo errores; Alter, quòd poteſtas puniendi Hæreticos ſit penes Imperatores & Principes Sæculares; Alter, quòd ſaltem illam ſūmus Pontifex non habeat immediatè à Chriſto, ſed ab Imperatoribus, & Principibus Sæcularibus. Vterque hic error ex dictis refutatus manet: probatum namque eſt, hanc poteſtatē communicatam fuiſſe Petro propter bonum Eccleſiæ, nam ei tantùm dictum eſt, Matthęi 16. *Quodcunque ligaueris ſuper terram* &c. & Ioannis vlt. *Paſce oues meas.* Quibus verbis Chriſtus eam poteſtatem Petro, & ſucceſſoribus eius tradidit, quæ neceſſaria erat ad paſcendas oues Chriſti: ad has autem paſcendas neceſſaria erat hæc duplex poteſtas, directiua, & coërcitiua: vt per illam ad Chriſti ouile duci poſſent; & per hanc ad idem ouile, ſi quando ab illo deuiarent, reduci poſſent, eas Spiritualibus temporalibuſque pœnis ad caulas compellendo. Eſt autem notandum diſcrimen inter poteſtatem, quam ſummus Pontifex habet, puniendi Hęreticos pœnis Spiritualibus, & temporalibus, præſertim corporis, quod etiam notauit Bonifacius VIII. ſuprà citatus, quòd illam exercere poteſt & debet per ſe; hanc autem per Principes ſæculares, qui in hoc ſubordinantur ſummo Pontifici, cum quo conſpirare debent in bonum Eccleſiæ. (Matth. 16. Ioan. vlt. Bonif. VIII.)

8. Ad 1. 1. ſentent. negandū eſt, Hæreticos omnino eſſe extra Eccleſiā, ad eamque nullo modo pertinere: nam quamuis ad illam non pertineant ratione fidei, quam per hæreſim amiſerunt, pertinent tamen, ratione ſuſcepti, ac profeſſi Baptiſmi, ratione cuius ſemper manent ſubiecti Eccleſiæ, à qua compelli poſſunt ad ſeruanda ea, quæ in Baptiſmo promiſerunt. Vnde concedendum eſt, eos non eſſe membra viua Eccleſię, ſed mortua, quæ ad vitam gratiæ mediante fide compelli poſſunt. Paulus autem citato loco ſolùm loquitur de ijs infidelibus, qui nunquam fidem Chriſti profeſſi ſunt, vt paſſim explicant SS. Patres, ac Sacri interpretes.

9. Ad 2. Reſp. eſto Eccleſia non habeat authoritatem Hæreticos directè compellendi ad fidem reſumendam, eo quòd hæc etiam in Hæreticis debet eſſe ſpontanea ac libera: habet tamen authoritatem eos pœnis compellendi, vt ſeruent, quæ in profeſſione fidei promiſerunt, ac proinde indirectè ſaltem ad fidem reſumendam. Infideles autem, qui nunquam fidem acceptarunt, nequeunt pœnis cogi, ad ſeruanda ea, quæ in fidei ſuſceptione promiſſa ſūt: ac proinde neque indirectè Eccleſia poteſtatem habet eos ad fidem repetendam: licet, ſi temporaliter ſibi ſubiecti ſint, poteſtatem habeat imponendi illis legem, qua indirectè ad fidem ſuſcipiendam cogi poſſint: atque in hoc eſt par ratio in vtriſque.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO II.

An, & qui Hæretici ipſo facto incurrant excommunicationis pœnam, & quo iure?

10. HOc eſt primum medium, quo Eccleſia vtitur contra Hæreticos, & Apoſtatas, priuando illos communione fidelium & participatione Spiritualium bonorum per excommunicationem, quam ipſo facto, abſque vlla iudicis declaratione incurrunt, vt teſtantur communiter Doctores, & *Ius Canon.* colligitur ex cap. *Excommunicamus* de Hæreticis, & c. *Achatius* 24. q. 1, & ex prima excommunicatione in Bulla cœnæ contra Hæreticos, eorumque receptatores, defenſores, & fautores fulminata. Sola controuerſia eſt de iure, quo hęc pœna eſt Hæreticis impoſita, & quinam Hæretici illam incurrant.

11. Quoad priorem controuerſiam non- *Suarez.* nulli apud Suarez diſp. 21. ſect. 1. putant, illam impoſitam eſſe iure Diuino. Primò, quia *Matth. 18* id ex Diuinis Oraculis colligitur: Matthęi 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* *Rom. 16.* Ad Rom. 16. loquens Paulus de Hæreticis. *Qui diſſenſiones & offendicula, præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, declinate*, inquit, *ab illis.* Ad Titum 3. *Ad Titum 3* monet illum, vt hominem Hæreticum poſt vnam & alteram correptionem deuitet, quaſi ipſo Diuino iure excommunicatum. Ioannes in ſecunda ſua Canonica: *2. Ioan.* *Nolite, ait, recipere eum in domum nec aue ei dixeritis: qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis*: loquitur autem de illo, qui aliter docet & ſentit de Chriſto domino, quàm ſentiendum ſit.

12. Secundò. Si hæc pœna eſſet humano iure introducta, talis introductionis extaret initium: atqui nullum talis introductionis initium extat: ergo non eſt humano iure introducta: ergo introducta eſt iure Diuino. Maior patet, nam omnis pœna humanâ lege introducta originem habet ab aliquo homine, qui primò illam tulit. Minor conſtat ex citatis oraculis, in quibus apparet hæc pœna antiquior, quàm ſit ab vllo Pontifice condita. Tertiò. Communicatio in Diuinis cum Hæreticis eſt ita prohibita, vt ne in articulo quidem mortis licitum ſit, ab eis Sacramenta accipere: quod ſignum eſt, hanc pœnam eſſe Diuino iure introductam, alioqui poſſet in ea Eccleſia diſpenſare.

13. Communis tamen Theologorum ſententia docet, hanc pœnam non Diuino, ſed humano iure introductam eſſe. Ratio deſumitur ex vario modo, quo pro vario tempore hæc pœna legitur iniuncta fuiſſe Hæreticis. Nã ante nõ incurrebatur ipſo facto, ſed iniungebatur ab Epiſcopo, vt colligitur ex cap. *Si quis, Epiſcopus* q. 7. Ante Concilium *Ius Canon.* Conſtantienſe omnes Hęretici erant vitandi; *Conc. Cõſt.* poſt nonniſi nominatim declarati. Porrò ſi hæc pœna iure Diuino introducta eſſet, quouis tempore fuiſſet eadem, cùm Pontifices auſi non fuiſſent ius Diuinum mutare. Confirmatur, quia cùm principalis finis huius pœnæ ſit correctio & emendatio fratris; cumque hæc, vt proficua vtiliſque ſit, à multis pendet circumſtantijs, debuit iuxta diuerſa tempora, ac circumſtantiarum varietatem, vario modo ab Eccleſia imponi: proinde tam eius impoſitio, quàm moderatio debuit ab Eccleſiæ authoritate pendere.

14. Ad argumenta oppoſitæ Sentent. Reſp. primum teſtimonium Chriſti ſolùm probare, in Eccleſia eſſe poteſtatem excommunicandi Hæreticos: reliqua verò ad ſummum oſtendere, vſum huius poteſtatis incepiſſe ab ipſo tempore Apoſtolorum. Quanquam allata teſtimonia explicari poſſunt non de excommunicatione ipſa Hæreticorum, ſed de ipſorummet à fidelibus vitatione. Siquidem iure Diuino connaturali tenentur fideles Hæreticos vitare, propter periculum, cui probabiliter ſe exponunt, cum illis familiariter conuerſando.

15. Ex his patet ad 2. nam dici poteſt, vſum huius poteſtatis cępiſſe ab ipſiſmet Apoſtolis, qui varius fuit, iuxta varietatem temporum, & circumſtantiarum. Ad 3 Reſp. ſi qua eſt prohibitio in articulo mortis Sacramenta ab Hæreticis ſuſcipere, id eſt propter periculum, quod naturali ac Diuino iure præcauere tenemur, pręſertim in articulo mortis. Cæterùm hoc periculo ſublato nulla eſt prohibitio in articulo mortis, ab Hęreticis Sacramenta ſuſcipere, vt rectè notauit *Suarez.* Suarez.

16. Quoad poſteriorem Controuerſiam, nonnulli opinantur, omnes Hæreticos, etiam purè mentales, & qui externo duntaxat ſigno abſque interno errore hæreſim mentiuntur, hanc pœnam excommunicationis incurrere. Verùm communis Theologorum ſententia docet, eos tantùm Hæreticos hanc pœnam incurrere, qui ſigno aliquo externo ſufficiẽter manifeſtatiuo interni erroris, ſuam hæreſim declarant. Fundamentum eſt, quoniam hi tantùm ſunt verè & propriè Hæretici, & Eccleſiaſticę cenſurę ſubiecti. Nam qui ſignum tantùm dant externum abſque errore interno, non ſunt verè & propriè Hęretici, etiamſi in foro externo habeantur pro Hæreticis, re tamen ipſa excommunicationis effectus coram Deo non incurrunt. Qui vero ſolo errore interno ſunt Hęretici, non ſunt ſubiecti Eccleſiaſticæ Cenſuræ: quia Eccleſia non habet poteſtatem in actus merè internos, niſi quatenus manifeſtatos per ſignum aliquod externũ. Quod ſignum debet eſſe ſufficienter manifeſtatiuũ hæreſis internæ, ſiue cõſiſtat in verbo, ſiue in facto. Quare ſi ſignũ ex ſe non ducat ad manifeſtandũ hæreſim internã, etiãſi per diuinam reuelationem Põtifex ſit certus de interno Hęretici errore, talis nõ poſſet excom-

excommunicari: quia excommunicatio non fertur, niſi more humano propter pertinaciam ſenſibili ſigno ſufficiēter manifeſtatam.

17. Cæterùm hæc contra Hæreticos excommunicatio nunc per Bullam Cœnæ reſeruatur ſoli ſummo Pontifici, à quo tamen eius abſolutio alijs delegari poteſt, vti de facto delegata eſt à Iulio III. noſtræ Societati, in foro duntaxat Conſcientiæ, peculiari Bulla, quæ incipit, *Dilecte fili*. Poſſunt etiam ab hæreſi occulta omnes Epiſcopi ſuos Diœceſanos abſoluere, per ſe tamen, non per ſuos Vicarios, vti poſſunt in alijs caſibus occultis ſedi Apoſtolicæ reſeruatis, vt teſtatur Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 6. de reformatione.

Iulius III. *Conc. Trid.*

18. Quantum autem attinet ad Hæreticos vitandos, non tenemur poſt Concilium Conſtantienſe vitare, niſi ex Iudicis Sententia nominatim denuntiatos ac declaratos. Vnde qui tantùm publico facto ac fama ſunt Hæretici, ſi non ſint per iudicis Sententiam nominatim tales declarati: non tenemur eos vitare: Soli enim publici ac notorij Clericorum percuſſores excipiuntur in Extrauagante *ad euitandum* in Concilio Conſtantienſi edita. Quæ exceptio firmat priorem regulam. Hoc modo excuſantur in Germania Catholici, qui paſſim cum Hæreticis conuerſantur: quin neque poſſet talis conuerſatio Catholicorum cum Hæreticis in Germania abſolutè prohiberi, propter multitudinem Hæreticorum: eſſet enim fere omnia humana commercia, quæ viciſſim inter Catholicos & Hæreticos intercedunt, impedire.

Conc. Cōſt.

19. Nonnulla inter Doctores Controuerſia eſt, quæ declaratio requiratur, & ſufficiat ad euitandum Hæreticum. Sotus in 4. diſt. 22. q. 1. art. 4. poſt primam Concl. Suarez diſp. 21. ſect. 3. n. 8. & alij putant, ſufficere ſolam declarationē criminis: nam hoc ipſo quo quis declaratur Hæreticus, cenſetur inquit Sotus nominatim excommunicatus: quin nec putat neceſſarium, vt ſub proprio nomine excommunicetur, ſed ſat eſſe, ſi excommunicetur ſub nomine officij, quod exercet, vt ſi dicatur, *excommunicetur Conſul vrbis Viennenſis*.

Sotus. *Suarez.*

20. At verò Sanchez lib. 2. de præceptis Decalogi cap. 9. n. 4. cum Nauarro, & Graffio cenſet, non ſufficere ſolam declarationem hæreſis, ſed requiri præterea declarationem ipſius excommunicationis. Colligit hanc ſententiam ex ipſa extrauagante Concilij Conſtantienſis, quæ ſtatuit neminem deinceps eſſe vitandum, niſi Cenſurâ à Iudice publicatâ & denuntiata ſpecialiter & expreſſè. Atqui non ſpecialiter & expreſſè, ſed tantùm virtualiter & implicitè cenſetur excommunicatus ille, qui tantùm denuntiatur Hæreticus.

Nauarrus. *Graffius.* *Conc. Cōſt.*

21. Quæ ſententia vel ex eo preferenda eſt præcedenti, quòd magis accedit ad finem & ſcopum Concilij, qui fuit, vt ibidem declaratur, ad euitanda ſcandala, & multa pericula, quę conſcientijs timoratis cōtingere poſſunt. Multi enim ignorant, excommunicationem eſſe ipſo facto annexam hæreſi: proinde clarè debet in ipſa Iudicis Sententia exprimi. Quin addit citato loco Sanchez, non ſatis eſſe, ſi tantùm declaretur ſub nomine Cenſuræ in Communi, niſi exprimatur in particulari ſub propria voce excommunicationis: nam hoc denotant particulæ illæ, *ſpecialiter, & expreſſè*.

Sanchez.

22. Ex his ſatisfactum eſt ad fundamentum Soti: eo quòd ſub nomine hæreſis non clarè & manifeſtè, vti Concilium vult, exprimitur ipſa pœna excommunicationis. Quod autem addit, neceſſarium non eſſe, vt ſub proprio nomine excommunicetur, ſed ſat eſſe, ſi tantùm ſub nomine officij, quod exercet, excommunicetur: verum quidem eſt, quandò nomen officij ita eſt proprium vnius perſonæ, vt nullo pacto conuenire poſſit alteri, quia tunc ſub nomine talis officij exprimitur perſona: ſecus verò eſt, quando tale nomen officij poteſt alijs conuenire.

Sotus.

23. Cæterùm notandum, excommunicationem, quę contra receptatores, defenſores & fautores Hæreticorum fertur, eſſe diuerſam ab ea, quæ contra ipſos Hæreticos fulminatur. Quo fit, vt ſi quis receptator, defenſor, vel fautor, ſit ſimul Hęreticus, duas contrahat excommunicationes, alteram contra Hęreticos, alteram contra receptatores, defenſores, fautoreſque latam. Hinc ſequitur, vt etiamſi hæc excommunicatio in Bulla Cœnæ ſit ſoli ſummo Pontifici reſeruata, non tamen reſeruata ſit cum ea ſpecialitate, qua reſeruata eſt excommunicatio contra Hæreticos ipſos. Vnde Epiſcopus, qui ab occulta hęreſi nonniſi per ſe ipſum abſoluere poteſt ab excommunicatione lata contra receptatores, defenſores, fautoreſque abſoluere poſſit etiam per ſuum Vicarium.

Bulla Cœnæ.

24. Excommunicationi contra Hęreticos latæ hæ alię pœnę annectuntur. Prima, Irregularitas, quę eſt inhabilitas, tum ad ſuſcipiendos Ordines, quę laicos etiam comprehendit; tùm ad miniſtrandum in ordine ſuſcepto. Secunda, Infamia, quę, vt definitur cap. *ſtatutum* 2. de Hæreticis in 6. per paternam lineam extenditur etiam ad filios, & nepotes; per maternam verò tantùm ad filias. Quod intelligendum eſt, ſi parentes moriantur Hęretici, ſecus, ſi ante mortem reſipiſcant. Eadem infamia cum prædicta extenſione ad poſteros ſtatuitur in receptatores, defenſores, & fautores Hæreticorum. Eſt autem hæc infamia inhabilitas ad publica officia & dignitates.

Ius Can.

25. TERTIA pœna excommunicationi annexa, eſt priuatio Spiritualis poteſtatis, quę conſiſtit tum in ſuſpenſione ab ordine, ne licitè valeat Hęreticus illum exercere: tum in priuatione Eccleſiaſticę Iuriſdictionis, quam ſtatim incurrit Hęreticus quoad ſe, quia non poteſt illa licitè vti, non tamen quoad alios niſi poſt ipſius denuntiationem. Vnde valida eſt abſolutio ab Hęretico ante denuntiationem data; ſicut & omnes eius contractus cum alijs celebrati.

Digitized by Google

Sanchez. 26. QVARTA pœna eſt priuatio beneficiorum Eccleſiaſticorum: tametſi hanc multi Doctores apud Sanchez lib. 2. de præceptis Decalogi cap. 26. n. 5. affirmant ab Hæreticis non incurri, niſi poſt iudicis Sententiam: quam Sententiam ipſe probabiliſſimam cenſet, licet oppoſitam ſequatur: requirit tamen Sententiam hæreſis declaratoriam, vt beneficium ante hæreſim adeptum Hæreticus reſignare teneatur: ſolumque putat à die commiſſi criminis Hæreticum priuari titulo duntaxat beneficij, non autem poſſeſſione, vti de cōfiſcatione bonorum infrà dicetur. Omnis autem beneficij collatio Hæretico facta ipſo iure irrita eſt, vt definitur cap. Quicunque de Hæreticis in 6. quo fit vt etiamſi ab Hæreſi reſipiſcat, noua egeat collatione, vt illud validè retineat.

SECTIO III.

An hæretici ipſo facto incurrant pœnam aliquam temporalem in bonis fortunæ?

27. POST pœnam Spiritualem excommunicationis, aliaſque Spirituales excommunicationi annexas, videndum eſt, an Hæretici ratione hæreſis ipſo facto incurrant aliquam pœnam temporalem. Quæ duplex eſſe poteſt. Alia in bonis externis fortunę, Alia in ipſo corpore: hic & ſequenti ſect. de priori, in vlt. verò ſect. de poſteriori breuiter diſputandum nobis erit.

28. DICO 1. Statim atque Hæreticus externo aliquo ſigno interioris erroris ſufficienter manifeſtatiuo, ſuam hæreſim declarat, ipſo facto incurrit confiſcationem omnium ſuorum bonorum. Eſt communis ſententia Doctorum, eaque expreſſè ſtatuitur in vtroque iure, Ciuili & Canonico. In Ciuili habetur in Authentica *Gazaros*: *Omnes*, inquit Iuſtinianus Imperator, *Hæreticos vtriuſque ſexus, quocunque nomine cenſeantur, perpetuâ damnantes infamiâ, diffidamus atque bannimus: cenſentes, vt omnia bona talium confiſcentur, nec ad eos vlterius reuertantur: ita quod filij eorum ad ſucceſſionem eorum peruenire non poſſint.* Et reddit ibidem huius pœnæ, quæ fortè nimis grauis videbatur, optimam rationem: *cùm longè*, inquit, *grauius ſit, æternam, quàm temporalem offendere Maieſtatem.* Sed omnia bona eorum, qui temporalem Principis Maieſtatem offendunt addicuntur fiſco, vt ſtatuitur *Ad legem Iuliam Maieſtatis*, & alibi. In iure autem Canonico hæc pœna decernitur cap. *cùm ſecundùm leges*, de Hæreticis in 6. vbi ſic Pontifex ſcribit: *Bona Hæreticorum ipſo iure de fratrum noſtrorum Conſilio decernimus confiſcata.* Quòd autem hæc pœna incurratur ipſo facto à tempore commiſſi criminis, conſtat tum ex citato cap. *cùm ſecundùm leges*, vbi additur particula, *ipſo iure*: quæ ſecundùm Gloſſam & Doctores communiter idem ſonat, quod *ipſo facto*: tum à ſigno: nam & hæredes defuncti eo ipſo priuantur hæreditate adita atque poſſeſſa, ſi ipſorum parens poſt mortem declaretur hęreticus, vt habetur in cap. *Accuſatus*, de Hæreticis in 6. & Fiſcus poſt latam ſententiam Iudicis reſcindit omnes alienationes in ſui præiudicium factas à die commiſſi criminis. Cæterùm, an à die commiſſi criminis Hæreticus priuetur poſſeſſione & dominio ſuorum bonorum, dicemus ſect. ſequenti: non enim cum hac pœna neceſſariò coniuncta eſt priuatio iuſtæ poſſeſſionis ac dominij, vt ibidem oſtendemus.

Ius Ciuile. Ius Canon. Ius Canon

29. DICO 2. Bona, quæ Hæreticis confiſcantur, non ſunt tantùm ea, quæ habent, quando delinquunt, ſed etiam quę illis obueniunt vſque ad iudicis Sententiam, non autem quæ acquirit poſt latam Sententiam. Eſt cōmunior inter Doctores, vt videre eſt apud Vaſquez 1. 2. diſp. 169. n. 8. Sanchez lib. 2. de præceptis Decalogi cap. 14. Suarez de fide diſp. 22. ſect. 1. & alios. Addit verò Sanchez, ſi Hæreticus reſipiſcat ante Iudicis Sententiam, non confiſcari ea bona, quæ acquiſita ſunt poſt reſipiſcentiam & conuerſionem ad fidem. Quod longè probabilius eſt, cùm talis Hæreticus poſt conuerſionem non ſit verus Hæreticus. Contrarium tamen docet Suarez, eo quòd licet talis in foro interno non ſit Hæreticus, eſt tamen Hęreticus in foro externo. Sed contrà, quia ſemper pœna in foro externo data ſupponit dilectum in foro interno, vt conſtat de pœna excommunicationis, quę niſi ſupponat hęreſim internam, non ligat, vt ipſemet Suarez teſtatur.

Vaſquez. Sanchez. Suarez. Suarez.

30. Cęterùm cur omnia & ea tantùm bona Hæretico confiſcentur, quæ acquiſita ſunt vſque ad Sententiam declaratoriam, poſito quòd in hæreſi perſeueret, non autem cętera, quę poſt latam Sententiam acquirit, alia ratio aſſignari non poteſt, niſi quia leges ita ſtatuunt, vt ijs tantùm bonis priuetur reus, ad quę per Sententiam Iudicis damnatur, cùm hoc ſit iuxta humanæ legis ęquitatem. Atqui per Iudicis Sententiam Hęreticus non damnatur, niſi ad priuationem bonorum, quę acquiſiuit ante latam Sententiam, non autem quę acquiſiturus eſt poſt Sententiam.

31. Inter bona autem intelliguntur etiam iura, & actiones perſonales, quę vel extinguuntur cum ipſa perſona Hęretica: vel ſi ab ea ſeparari poſſunt, tranſeunt ad fiſcum cum reliquis bonis. Aduertendum autem eſt, hanc bonorum confiſcationem faciendam eſſe abſque præiudicio tertij. Vnde ſi Hæreticus ſupra ſua bona habebat aliquod debitum, vel penſionem, cum tali onere ea ad fiſcum tranſeunt.

SECTIO

excommunicari: quia excommunicatio non fertur, niſi more humano propter pertinaciam ſenſibili ſigno ſufficiẽter manifeſtatam.

17. Cæterùm hæc contra Hæreticos excommunicatio nunc per Bullam Cœnæ reſeruatur ſoli ſummo Pontifici, à quo tamen eius abſolutio alijs delegari poteſt, vti de facto delegata eſt à Iulio III. noſtræ Societati, *Iulius III.* in foro duntaxat Conſcientiæ, peculiari Bulla, quæ incipit, *Dilecte fili*. Poſſunt etiam ab hæreſi occulta omnes Epiſcopi ſuos Diœceſanos abſoluere, per ſe tamen, non per ſuos Vicarios, vti poſſunt in alijs caſibus occultis ſedi Apoſtolicæ reſeruatis, vt teſtatur Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 6. de reformatione. *Conc. Trid.*

18. Quantum autem attinet ad Hæreticos vitandos, non tenemur poſt Concilium Conſtantienſe vitare, niſi ex Iudicis Sententia nominatim denuntiatos ac declaratos. *Conc. Cõſt.* Vnde qui tantùm publico facto ac fama ſunt Hæretici, ſi non ſint per iudicis Sententiam nominatim tales declarati: non tenemur eos vitare: Soli enim publici ac notorij Clericorum percuſſores excipiuntur in Extrauagante *ad euitandum* in Concilio Conſtantienſi edita. Quæ exceptio firmat priorem regulam. Hoc modo excuſantur in Germania Catholici, qui paſſim cum Hæreticis conuerſantur: quin neque poſſet talis conuerſatio Catholicorum cum Hæreticis in Germania abſolutè prohiberi, propter multitudinem Hæreticorum: eſſet enim fere omnia humana commercia, quæ viciſſim inter Catholicos & Hæreticos intercedunt, impedire.

19. Nonnulla inter Doctores Controuerſia eſt, quæ declaratio requiratur, & ſufficiat ad euitandum Hæreticum. Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 4. poſt primam Concl. Suarez diſp. 21. ſect. 3. n. 8. & alij putant, ſufficere ſolam declarationẽ criminis: nam hoc ipſo quo quis declaratur Hæreticus, cenſetur inquit Sotus nominatim excommunicatus: quin nec putat neceſſarium, vt ſub proprio nomine excommunicetur, ſed ſat eſſe, ſi excommunicetur ſub nomine officij, quod exercet, vt ſi dicatur, *excommunicetur Conſul vrbis Viennenſis*. *[So]tus. [Su]arez.*

20. At verò Sanchez lib. 2. de præceptis Decalogi cap. 9. n. 4. cum Nauarro, & Graſſio cenſet, non ſufficere ſolam declarationem hæreſis, ſed requiri præterea declarationem ipſius excommunicationis. *[N]auarrus. [G]raſſius.* Colligit hanc ſententiam ex ipſa extrauagante Concilij Conſtantienſis, quæ ſtatuit neminem deinceps eſſe vitandum, niſi Cenſurâ à Iudice publicatâ & denuntiata ſpecialiter & expreſsè. *[Con]c. Cõſt.* Atqui non ſpecialiter & expreſsè, ſed tantùm virtualiter & implicitè cenſetur excommunicatus ille, qui tantùm denuntiatur Hæreticus.

21. Quæ ſententia vel ex eo preferenda eſt præcedenti, quòd magis accedit ad finem & ſcopum Concilij, qui fuit, vt ibidem declaratur, ad euitanda ſcandala, & multa pericula, quę conſcientijs timoratis cõtingere poſſunt. Multi enim ignorant, excommunicationem eſſe ipſo facto annexam hæreſi: proinde clarè debet in ipſa Iudicis Sententia exprimi. Quin addit citato loco Sanchez, *Sanchez.* non ſatis eſſe, ſi tantùm declaretur ſub nomine Cenſuræ in Communi, niſi exprimatur in particulari ſub propria voce excommunicationis: nam hoc denotant particulæ illæ, *ſpecialiter, & expreſsè*.

22. Ex his ſatisfactum eſt ad fundamentum Soti: *Sotus.* eo quòd ſub nomine hæreſis non clarè & manifeſtè, vti Concilium vult, exprimitur ipſa pœna excommunicationis. Quod autem addit, neceſſarium non eſſe, vt ſub proprio nomine excommunicetur, ſed ſat eſſe, ſi tantùm ſub nomine officij, quod exercet, excommunicetur: verum quidem eſt, quandò nomen officij ita eſt proprium vnius perſonæ, vt nullo pacto conuenire poſſit alteri, quia tunc ſub nomine talis officij exprimitur perſona: ſecus verò eſt, quando tale nomen officij poteſt alijs conuenire.

23. Cæterùm notandum, excommunicationem, quę contra receptatores, defenſores & fautores Hæreticorum fertur, eſſe diuerſam ab ea, quæ contra ipſos Hæreticos fulminatur. Quo fit, vt ſi quis receptator, defenſor, vel fautor, ſit ſimul Hęreticus, duas contrahat excommunicationes, alteram contra Hęreticos, alteram contra receptatores, defenſores, fautoreſque latam. Hinc ſequitur, vt etiamſi hæc excommunicatio in Bulla Cœnæ ſit ſoli ſummo Pontifici reſeruata, non tamen reſeruata ſit cum ea ſpecialitate, qua reſeruata eſt excommunicatio contra Hæreticos ipſos. *Bulla Cænæ.* Vnde Epiſcopus, qui ab occulta hęreſi nonniſi per ſe ipſum abſoluere poteſt ab excommunicatione lata contra receptatores, defenſores, fautoreſque abſoluere poſſit etiam per ſuum Vicarium.

24. Excommunicationi contra Hęreticos latæ hæ alię pœnę annectuntur. Prima, Irregularitas, quę eſt inhabilitas, tum ad ſuſcipiendos Ordines, quę laicos etiam comprehendit; tùm ad miniſtrandum in ordine ſuſcepto. *Ius Can.* Secunda, Infamia, quę, vt definitur cap. *ſtatutum* 2. de Hæreticis in 6. per paternam lineam extenditur etiam ad filios, & nepotes; per maternam verò tantùm ad filias. Quod intelligendum eſt, ſi parentes moriantur Hęretici, ſecus, ſi ante mortem reſipiſcant. Eadem infamia cum prædicta extenſione ad poſteros ſtatuitur in receptatores, defenſores, & fautores Hæreticorum. Eſt autem hæc infamia inhabilitas ad publica officia & dignitates.

25. TERTIA pœna excommunicationi annexa, eſt priuatio Spiritualis poteſtatis, quę conſiſtit tum in ſuſpenſione ab ordine, ne licitè valeat Hęreticus illum exercere: tum in priuatione Eccleſiaſticę Iuriſdictionis, quam ſtatim incurrit Hęreticus quoad ſe, quia non poteſt illa licitè vti, non tamen quoad alios niſi poſt ipſius denuntiationem. Vnde valida eſt abſolutio ab Hęretico ante denuntiationem data; ſicut & omnes eius contractus cum alijs celebrati.

26. QVAR-

Digitized by Google

26. Qvarta pœna eſt priuatio beneficiorum Eccleſiaſticorum: tametſi hanc multi Doctores apud Sanchez lib. 2. de præceptis Decalogi cap.26.n.5. affirmant ab Hæreticis non incurri, niſi poſt iudicis Sententiam: quam Sententiam ipſe probabiliſſimam cenſet, licet oppoſitam ſequatur: requirit tamen Sententiam hæreſis declaratoriam, vt beneficium ante hæreſim adeptum Hæreticus reſignare teneatur: ſolumque putat à die commiſſi criminis Hæreticum priuari titulo duntaxat beneficij, non autem poſſeſſione, vti de cōfiſcatione bonorum infrà dicetur. Omnis autem beneficij collatio Hæretico facta ipſo iure irrita eſt, vt definitur cap. Quicunque de Hæreticis in 6. quo fit vt etiamſi ab Hæreſi reſipiſcat, noua egeat collatione, vt illud validè retineat. Sanchez.

SECTIO III.

An hæretici ipſo facto incurrant pœnam aliquam temporalem in bonis fortunæ?

27. Post pœnam Spiritualem excommunicationis, aliaſque Spirituales excommunicationi annexas, videndum eſt, an Hæretici ratione hæreſis ipſo facto incurrant aliquam pœnam temporalem. Quæ duplex eſſe poteſt. Alia in bonis externis fortunę, Alia in ipſo corpore: hic & ſequenti ſect. de priori, in vlt. verò ſect. de poſteriori breuiter diſputandum nobis erit.

28. Dico 1. Statim atque Hæreticus externo aliquo ſigno interioris erroris ſufficienter manifeſtatiuo, ſuam hæreſim declarat, ipſo facto incurrit confiſcationem omnium ſuorum bonorum. Eſt communis ſententia Doctorum, eaque expreſſè ſtatuitur in vtroque iure, Ciuili & Canonico. In Ciuili habetur in Authentica *Gazaros*: *Omnes*, inquit Iuſtinianus Imperator, *Hæreticos vtriuſque ſexus, quocunque nomine cenſeantur, perpetuâ damnantes infamiâ, diffidamus, atque bannimus: cenſentes, vt omnia bona talium confiſcentur, nec ad eos vlterius reuertantur: ita quod filij eorum ad ſucceſſionem eorum peruenire non poſſint.* Et reddit ibidem huius pœnæ, quæ fortè nimis grauis videbatur, optimam rationem: *cùm longè*, inquit, *grauius ſit, æternam, quàm temporalem offendere Maieſtatem.* Sed omnia bona eorum, qui temporalem Principis Maieſtatem offendunt addicuntur fiſco, vt ſtatuitur *Ad legem Iuliam Maieſtatis*, & alibi. In iure autem Canonico hæc pœna decernitur cap. *cùm ſecundùm leges*, de Hæreticis in 6. vbi ſic Pontifex ſcribit: *Bona Hæreticorum ipſo iure de fratrum noſtrorum Conſilio decernimus confiſcata.* Quòd autem hæc pœna incurratur ipſo facto à tempore commiſſi criminis, conſtat tum ex citato cap. *cùm ſecundùm leges*, vbi additur particula, *ipſo iure*: quæ ſecundùm Gloſſam & Doctores communiter idem ſonat, quod *ipſo facto*: tum à ſigno: nam & hæredes defuncti eo ipſo priuantur hæreditate adita atque poſſeſſa, ſi ipſorum parens poſt mortem declaretur hęreticus, vt habetur in cap. *Accuſatus*, de Hæreticis in 6. & Fiſcus poſt latam ſententiam Iudicis reſcindit omnes alienationes in ſui præiudicium factas à die commiſſi criminis. Cæterùm, an à die commiſſi criminis Hæreticus priuetur poſſeſſione & dominio ſuorum bonorum, dicemus ſect. ſequenti: non enim cum hac pœna neceſſariò coniuncta eſt priuatio iuſtæ poſſeſſionis ac dominij, vt ibidem oſtendemus. Ius Ci. ile. Ius Canon. Ius Canon

29. Dico 2. Bona, quæ Hæreticis confiſcantur, non ſunt tantùm ea, quæ habent, quando delinquunt, ſed etiam quę illis obueniunt vſque ad iudicis Sententiam, non autem quæ acquirit poſt latam Sententiam. Eſt cōmunior inter Doctores, vt videre eſt apud Vaſquez 1.2. diſp.169.n.8. Sanchez. lib.2. de præceptis Decalogi cap. 14. Suarez de fide diſp.22. ſect. 1. & alios. Addit verò Sanchez, ſi Hæreticus reſipiſcat ante Iudicis Sententiam, non confiſcari ea bona, quæ acquiſita ſunt poſt reſipiſcentiam & conuerſionem ad fidem. Quod longè probabilius eſt, cùm talis Hæreticus poſt conuerſionem non ſit verus Hæreticus. Contrarium tamen docet Suarez, eo quòd licet talis in foro interno non ſit Hæreticus, eſt tamen Hęreticus in foro externo. Sed contrà, quia ſemper pœna in foro externo data ſupponit delictum in foro interno, vt conſtat de pœna excommunicationis, quę niſi ſupponat hęreſim internam, non ligat, vt ipſemet Suarez teſtatur. Vaſquez. Sanchez. Suarez. Suarez.

30. Cęterùm cur omnia & ea tantùm bona Hæretico confiſcentur, quæ acquiſita ſunt vſque ad Sententiam declaratoriam, poſito quòd in hæreſi perſeueret, non autem cętera, quę poſt latam Sententiam acquirit, alia ratio aſſignari non poteſt, niſi quia leges ita ſtatuunt, vt ijs tantùm bonis priuetur reus, ad quę per Sententiam Iudicis damnatur, cùm hoc ſit iuxta humanæ legis ęquitatem. Atqui per Iudicis Sententiam Hęreticus non damnatur, niſi ad priuationem bonorum, quę acquiſiuit ante latam Sententiam, non autem quę acquiſiturus eſt poſt Sententiam.

31. Inter bona autem intelliguntur etiam iura, & actiones perſonales, quę vel extinguuntur cum ipſa perſona Hęretica: vel ſi ab ea ſeparari poſſunt, tranſeunt ad fiſcum cum reliquis bonis. Aduertendum autem eſt, hanc bonorum confiſcationem faciendam eſſe abſque præiudicio tertij. Vnde ſi Hæreticus ſupra ſua bona habebat aliquod debitum, vel penſionem, cum tali onere ea ad fiſcum tranſeunt.

SECTIO IV.

An Hæreticus ante Iudicis ſententiam amittat poſſeſſionem & dominium omnium ſuorum bonorum?

32. PRIMA Sententia affirmat, Hæreticos ante Iudicis Sententiam criminis declaratoriam non ſolùm amittere dominium, ſed etiam iuſtam poſſeſſionem omnium ſuorum bonorum, ita vt in conſcientia teneatur ſtatim à die commiſſi criminis ea Fiſco tradere. Hanc ſententiam docent Felinus, & Alphonſus de Caſtro apud Sotum lib. 1. de iuſtitia & iure q.6. art.6. & Vaſquez 1.2. diſp. 170. cap. 1. Quorum potiſſimum fundamentum eſt: quia leges humanæ potuerunt hanc pœnam imponere: quòd autem de facto impoſuerint, conſtat ex verbis ipſis legis, quæ dicunt, hanc pœnam incurri ipſo facto. igitur ſtatim commiſſa hæreſi ante vllam Iudicis ſententiam bona Hæretici addicuntur Fiſco: alioqui fruſtranea eſſent hæc verba: cùm debeant habere aliquem effectum: nullum autem alium habere poſſunt, quàm vt ſtatim bona Hæretici obligentur Fiſco. Confirmatur. Ante Iudicis ſententiam Hæreticus incurrit excommunicationis pœnam; ergo etiam confiſcationem bonorum.

Felinus. Alphonſ. de Caſtro. Sotus. Vaſquez.

33. SECVNDA ſententia docet, ante Iudicis ſententiam manere quidem bona ſub iuſta poſſeſſione Hęretici non tamen ſub dominio eiuſdem, ſed ſub dominio Fiſci, ad quem ſtatim deuoluitur hęreſis crimine commiſſo. Nititur hæc ſententia partim fundamento prioris ſententiæ, quia debent illa verba *ipſo facto* aliquem effectum habere: partim, quia ſi Fiſcus ante Iudicis ſententiam bona ab Hęretico eriperet, etſi illicitè ageret contra leges, quæ huiuſmodi bonorum ereptionem ante Iudicis ſententiam prohibent, non tamen ageret iniuſtè, quia non teneretur ad ea reſtituenda: euidens ſignum, quòd dominium talium bonorum ſit penes Fiſcum, partim, quia promulgata ſententia hæreſis declaratoria, reſcinduntur omnes contractus ab Hæretico celebrati à die commiſſi criminis vſque ad Iudicis ſententiam: quod ſignum eſt, à tempore commiſſi criminis Hæreticum nullum habere dominium & poteſtatem de ſuis bonis diſponendi: alioqui validi eſſent contractus ab eo celebrati ante Iudicis ſententiam. Hanc ſententiam ſequuntur Caietanus 2.2. q.62. art.3. §. *& per hæc patet reſponſio ad primam obiectionem:* Conradus lib. 1 de contract. q.7. Ioannes Medina Codice de rebus reſtituendis q. 1. §. *poſt rerum dominium,* verſu, *ſimiliter idem apparet:* Valentia 2.2. diſp. 1. p.11. punct.3. & q.12. punct. 2. ad finem: Franciſcus Syluius 2.2. q.11. art.3. §. *quæritur quintò* concl.2. & alij apud Sanchez lib.2 de præceptis Decalogi cap.22. nu. 2. Sotus verò lib. 1. de iuſtitia & iure ſuprà citatus vtramque ſententiam vt probabilem defendit.

Caiet. Conradus. Medina. Valentia. Franciſcus Syluius. Sanchez. Sotus.

34. TERTIA ſententia negat, Hæreticum ante Iudicis ſententiam priuari poſſeſſione & dominio ſuorum bonorum, tametſi omnia eius bona ita maneant obligata Fiſco à die commiſſi criminis, vt omnes contractus ab eo tempore celebrati per Iudicis ſententiam reſcindantur. Hanc docent Franciſcus Victoria in priori relectione de Indis inſulanis: Bannez 2.2. q.12. art. 2. concl. vlt. quam ait eſſe communem inter diſcipulos S. Thomæ: Molina lib. 1. de iuſtitia & iure diſp.95. §. *dubium verò eſt:* Henriquez lib. 13. de excommunicatione cap.56. n 2. Vaſquez 1.2. diſp. 170. cap. 3. Sanchez lib. 2. de præceptis Decalogi cap.22. n.3. Suarez diſp. 22. ſect. 3. Emanuel Sà verbo *Hæreſis* 3. Syluius vbi ſuprà concl.3.

Franciſcus Victoria. Bannez. Molina. Henriquez. Vaſquez. Sanchez. Suarez. Emanuel Sà. Syluius.

35. DICO 1. Hæreticus ante Iudicis Sententiam non priuatur iuſta ſuorum bonorum poſſeſſione; proinde non tenetur ea in Conſcientia Fiſco tradere, ne quidem poſt Iudicis condemnationem, ſed ſolùm tenetur non reſiſtere Fiſco, ea poſt Iudicis Sententiam exequenti. Prima pars colligitur ex cap. *Cùm ſecundùm leges:* vbi Pontifex prohibet, hanc bonorum executionem fieri à Fiſco ante promulgatam de commiſſo crimine à Cōpetente Iudice Sententiam. Quæ etiam probatur ratione: quoniam etſi controuerſum ſit inter Doctores, an leges humanæ ante Iudicis Sententiam reum obligare poſſint ad pœnam aliquam temporariam, quæ executionem requirat ab ipſomet reo: certum tamen apud omnes eſſe debet, nunquam huiuſmodi pœnam intelligi latam, niſi manifeſtè exprimatur in ipſa lege. Quia cùm valde graue & oneroſum ſit, vt ipſemet reus ſit ſuæ pœnę executor, niſi id lex manifeſtè exprimat, ſemper ſtandum eſt pro reo, id exigente iuris æquitate. Atqui in nulla lege contra Hæreticos lata id manifeſtè exprimitur: ergo non eſt contra iuris æquitatem id aſſerendum. Minor probatur: nam ſi quid eſſet, quod huiuſmodi pœnam in lege contra Hæreticos lata exprimeret, eſſet particula *ipſo iure ſeu facto incurrenda*. Atqui hæc optimè intelligi poteſt, vt Sotus rectè aduertit, de ipſo facto per Sententiam prodito ac declarato: cùm nec ſit iuxta legis æquitatem, vt reus, antequam à Iudice audiatur, cōdemnetur: nec poſſit reus conſtitui Iudex in cauſa ſui criminis. Quin addit Vaſquez 1.2. diſp. 170. præcitata num. 21. etiamſi in lege addatur *ipſo facto ante Sententiam declaratoriam*, adhuc reum non teneri omnibus ſuis bonis ſe ſpoliare ante Iudicis Sententiam: quia cùm hæc pœna ſit grauiſſima, interpretanda eſt ſecundùm omnem iuris æquitatem, ſecundùm quam interpretari poteſt: & quia poſſunt citata Verba aliam benigniorem interpretationem admittere, vt nimirum ipſo facto omnes alienationes à die commiſſi criminis factæ, maneant poſt Iudicis Sententiam reſciſſæ, taliter, & non

Ius Canon. Sotus. Vaſquez.

Digitized by Google

non aliter interpretanda ſunt.

36. Secvnda pars euidenter ſequitur ex prima: nam ſi Hæreticus iuſtè ſua bona poſſidet, non tenetur ante Iudicis condemnationem ea in conſcientia Fiſco tradere: cùm illa iure poſſideat: nemoq; teneatur bonis, quæ iure poſſidet, ſe ſpoliare.

37. Tertia pars, quòd nec poſt Iudicis Sententiam ipſemet Hæreticus teneatur ſua bona Fiſco tradere, ſed ſolùm non reſiſtere ea Fiſco exequenti, aſſeritur à Sanchez loco præcitato. Et probatur, nam etiam hoc videtur durum, & contra naturam, vt pœnam tam grauem ipſemet reus exequatur. Vnde nunquam ſolent leges humanę pœnas, quando graues ſunt, qualis eſt pœna priuationis omnium bonorum, exequendas committere ipſi reo, cùm hoc ſit alienum ab æquitate, quam omnes leges humanæ ſpectant.

Sanchez.

38. Quis autem ſit Fiſcus, ad quem Hæretici bona poſt Iudicis ſententiam, deuoluuntur, explicat Innocentius III. cap *excommunicamus* 1. de Hæreticis: vbi præcipit bona Hęretici, ſi Laicus fuerit, deuolui ad Fiſcum ſæcularem; ſi Clericus, ad Eccleſias, à quibus ſtipendia accepit.

Innoc. III.

39. Dico 2. Hęreticus ante Iudicis ſententiam non priuatur dominio ſuorum bonorum, etſi oppoſita ſententia probabilis ſit. Poſterior pars conſtat authoritate, & ratione 2. ſententiæ.

40. Priorem partem probat 1. Sanchez ex lege *quæſitum eſt* ff. *Qui & à quibus*: in qua lege decernitur, qui læſę maieſtatis crimine reus factus eſt (cui crimini leges comparant crimen hæreſis, qua diuina maieſtas læditur) non amittere ante Iudicis condemnationem dominium ſuorum bonorum. Secũdò probatur deſtruendo fundamentum, quo contraria ſententia nititur. Fundamentum autem eius eſt: quoniam omnes contractus à die commiſſi criminis ab Hæretico celebrati poſt Iudicis ſententiam declarantur nulli atque irriti: hoc autem fieri non poſſet, niſi Hæreticus ab ipſo die commiſſi criminis priuatus eſſet dominio ſuorum bonorum alioqui ſi apud ipſum manſiſſet bonorum dominium, contractus ab eo facti, fuiſſent validi. Atqui hæc ratio non conuincit: igitur non eſt propter eam oppoſita ſententia contra iuris æquitatem, quæ ſuadet pœnas eſſe reſtringendas, & potiùs pro reo ſtandum, aſſerenda. Minor dupliciter probari poteſt: primò, quòd tales contractus fuerint nulli & irriti ab ipſo die commiſſi criminis, non defectu dominij in contrahente, ſed defectu obligationis, qua per legem tale dominium ab eo die manſit obligatum & dependens à Fiſco. Velut ſi pupillus ſua bona alienaret, talis alienatio ipſo facto eſſet nulla, non defectu dominij, ſed ratione obligationis, qua pupilli dominium ex legis diſpoſitione manet obligatum Tutori. Simile exemplum adduci poteſt de primogenitura, quæ ſecundùm leges Hiſpanię alienari non poteſt: alienatioque ipſo iure eſt nulla, non defectu dominij, quod primogenitus habet in illam, ſed ratione obligationis, qua ex voluntate inſtitutoris talis primogenitura manet addicta primogenitis.

Sanchez.

41. Secundò probari poteſt, & meliùs, ac probabiliùs: quòd nimirum tales contractus fuerint quidem à principio validi, cùm nihil ijs ad validitatem defuerit: ſed per Iudicis Sententiam reſcindi debeant. Quòd fuerint validi, inde probatur: quia ſi Iudicis ſententia non accedat, eo quòd delictum ſufficientibus teſtibus probari non poſſit, omnes prædicti contractus manent validi: nec tenetur, qui cum tali Hæretico contraxit, bona ab eo accepta Fiſco reſtituere: cùm tamen iuxta priorem rationem ea teneatur reſtituere, præſertim ſi gratioſo titulo ea accepit, cùm talis donatio inualida fuerit ab ipſo die commiſſi criminis.

42. Quòd autem per Iudicis ſententiam reſcindendi ſint omnes contractus à die commiſſi criminis celebrati, probatur: quia cùm tales contractus non fuerint, vt oſtenſum eſt, per legem ipſo facto irriti, irritari debent per Iudicis ſententiam, vt poſſint bona per huiuſmodi contractus ab Hæretico alienata ad Fiſcum deuolui: alioqui quamdiu Iudicis Sententia criminis declaratoria non accedit, iuſto titulo talia bona manent apud contrahentes.

43. Quòd autem hoc ſufficiat ad ſaluanda verba legis de incurrenda ipſo facto pœna confiſcationis omnium bonorum, probatur: nam hæc verba ſufficientem habent effectum in bona Hæretici, per quem dici poſſint ab ipſo die commiſſi criminis addicta & obligata Fiſco, etiamſi tam poſſeſſio quàm dominium eorum maneat apud Hęreticum. Nam eſto lex non obliget ipſo facto abſolutè & independenter à ſententia Iudicis Hęretici bona: obligat ſaltem illa ipſo facto conditionaliter ac dependenter à futura ſententia Iudicis, qua accedente, omnia Hęretici bona à die commiſſi criminis, vbicunque reperta fuerint, manent ſub dominio Fiſci. Vnde Fiſcus ab ipſo die commiſſi criminis accipit ius in bona Hęretici, non quidem abſolutum, ſed conditionatum dependenter à futura ſententia Iudicis, qua non accedente, & conditione non purificata, manent ſub dominio Hæretici, vel eorum, ad quos per validos contractus peruenerunt.

44. Atque ex his infertur 1. poſſe Hæreticum tuta conſcientia poſt commiſſam hæreſim, ſi ea defectu teſtium in externo foro probari non poſſit, de ſuis bonis contrahere, etiam tacito vitio hæreſis: ſecus, ſi ea in foro externo probari poſſit: quia tunc teneretur vitium, quo ſua bona laborant, contrahenti manifeſtare, ne illum exponat periculo ea bona reſtituendi Fiſco, quoties vendentis hæreſis in externo foro per ſufficientes teſtes probata fuerit.

45. Infertur 2. Si poſt commiſſum errorem Hęreticus reſipiſcat, nullaque accedat

ſententia Iudicis, manere abſolutum dominum omnium ſuorum bonorum: Contrarium ſequitur ex oppoſita ſententia, iuxta quam ſtatim poſt commiſſum crimen, eius bona fiunt ſub dominio Fiſci. Vnde non poſſet de illis licitè ac validè diſponere: etiamſi talis Hæreſis nunquam poſſet in externo foro ſufficienter probari.

46. Infertur 3. Cur in Germania validi ſint omnes contractus cum Hæreticis initi: quia nimirum Hæreticus antequam per Iudicis ſententiam nominatim declaretur & condemnetur, retinet dominium omnium ſuorum bonorum. In Germania autem ob multitudinem Hæreticorum, ne humana commercia impediantur, non ſolent Hæretici etiamſi publicè notorij ſint, per Iudicis ſententiam damnari: imò nec poſſent abſque euidenti damno Catholicorum, qui cum illis continua exercent commercia. Quò fit, vt non ſolum validi ſint contractus cum ipſis initi, ſed nullum etiam periculum ſubſit, cum ipſis contrahere: eo quòd etiamſi eorum hæreſis publica ſit, & in externo foro ſatis nota, nunquam tamen per Iudicis Sententiam damnandi erunt, propter rationem à nobis aſſignatam.

47. Infertur 4. Quę diximus de confiſcatione bonorum, proportionaliter intelligenda eſſe de amiſſione poteſtatis, quando Princeps incidit in hęreſim, vt nimirum non antè Princeps cenſeatur ſua poteſtate erga ſubditos priuari, nec ſubditi teneantur, vel debeant Principis poteſtate ſe eximere, quàm fuerit per Iudicis ſententiam de Hæreſi damnatus. Pari ratione nec Patrem patriâ cadere poteſtate erga filium, nec filium ſe eximere poſſe à poteſtate Patris, donec eius parens Iudicis ſententia declaretur Hæreticus: niſi propter periculum peruerſionis: nam tunc teneretur etiam ante Iudicis ſententiam ſe ab illo eximere.

48. Vltimò quæri poteſt, quæ ſententiæ declaratio ſit neceſſaria, vt bona Hæreticorum actu applicentur Fiſco, contractuſque à die commiſſi criminis reſcindantur. Nonnulli cenſent, ſufficere declarationem criminis, ſicut de ipſa excommunicatione ſuprà philoſophabantur. Quorum fundamentum eſt, quoniam lex ſatis expreſſè hanc pœnam imponit Hæreſi: ergo ad eam actu ſubeundam, non erit alia declaratio neceſſaria, quàm ſolius delicti, cui per legem hæc pœna impoſita eſt.

49. Alij contrà, & quidem conformiùs ad ea, quæ de pœna excommunicationis ſuprà dicta ſunt, neceſſariam eſſe putant, præter criminis pœnæ etiam declarationem. Nec ſufficit, quòd lex expreſsè hanc pœnam hæreſis crimini imponát: nam imponit illam dependenter à ſententia Iudicis. Moueor autem ad hanc poſteriorem ſententiam aſſerendam triplici ratione. Primò, ex illo vulgato ac recepto principio, quòd pœnæ ſint potiùs reſtringendę. Secundò, à paritate excommunicationis, quę, non obſtante quòd expreſsè per legem hæreſis delicto imponatur, adhuc vt Hęreticus debeat ab alijs vitari, exprimenda eſt per Iudicis ſententiam. Tertiò maximè ducor ex fine ipſo legis: Nam ideo lex Iudicis ſententiam requirit, vt examinatis omnibus circumſtantijs commiſſi criminis, ipſe tanquam lex animata decernat, an pœna in lege ſtatuta ſit exequenda, aut certè moderanda iuxta commiſſi criminis qualitatem, vel quantitatem. Sæpe enim hæreſis digna eſt vel omni, vel aliqua excuſatione, iuxta varias circumſtantias perſonę delinquentis, & modi delinquendi. Quæ omnia cùm non poſſit ſingillatim proſpicere lex inanimata, debent per legem animatam examinari ac perpendi, ac proinde per ſententiam Iudicis declarari. Nam licet in Iudicis poteſtate nō ſit, vt ſequē. tomo diſp. 5. de lege humana ſect. 13. docebo, pœnam à lege taxatam pro ſuo arbitratu mutare, in eius tamen poteſtate eſt, vt ibidem oſtendo, illam iuxta rationabiles ac iuſtas cauſas moderari.

50. Ex dictis patet ad fundamentum primæ ſententiæ, in quo nimirum ſenſu accipienda ſint verba illa legis, *ipſo facto incurrenda*. Ad confirmationem verò, negatur Conſequentia: quoniam vt excommunicatio incurratur, non requirit notitiam cauſæ, ſed ſolam monitionem legis. Cuius diſcriminis ratio eſt: quoniam pœna confiſcationis bonorum priuat hominem bonis proprijs; pœna autem excommunicationis bonis Eccleſiæ: proinde plus requiritur ad contrahendam illam, quàm hanc.

51. Ad fundamentum 2. ſent. etiam conſtat ex dictis. Ad priorē probationem, negandum eſt, Fiſcum non teneri ad reſtitutionem bonorum, ſi ea ante Iudicis ſententiam eripiat ab Hæretico: quia in illa non habet ius, niſi conditionatum, dependenter à ſententia Iudicis, vt ſuprà explicatum eſt. Ad poſteriorem neganda eſt Conſequentia: nam quod poſt Iudicis ſententiam omnes contractus à die commiſſi criminis reſcindantur, non eſt ſignum, illos fuiſſe inualidos defectu dominij: imò eo ipſo, quòd debeant reſcindi, ſignum eſt eos fuiſſe à principio validos inualidandos autem per Iudicis ſententiam.

SECTIO V.

An Hæreticus ipſo iure incurrat aliquam pœnam corporis?

52. SVPPONIMVS eſſe in Eccleſia poteſtatem ad huiuſmodi pœnam Hæreticis infligendam, vt conſtat ex 1. ſect. præſentis diſp. Solùm autem hic quęrimus, an, & quæ pœna corporis ſit contra Hęreticos in iure ſtatuta. Duplex autem eſſe poteſt hæc pœna corporis, mortis, & citra mortem. His adnotatis,

53. Dicen-

Ius Ciuile. 53. Dicendum eſt 1. aliquam pœnam corporis in vtroque iure, Ciuili, & Canonico eſſe contra Hęreticos ſtatutam. De Ciuili conſtat ex varijs legibus, præſertim ex lege *Inconſutilem*, & ex lege *commiſſis* à Friderico Imperatore contra Hæreticos latis, in quibus ſtatuit pœnam mortis contra Hęreticos omnes. De Canonica habetur in vtroque cap. Ius Canon. *Excommunicamus*, & cap. *Ad abolendam* de Hæreticis: in quibus mandatur, vt hęreſis crimine ab Eccleſia damnatus ſęculari iudicio relinquatur, vt animaduerſione debita puniatur, *Clericis priùs à ſuis ordinibus degradatis*. Porrò debita hæc animaduerſio alia non eſt, quàm illa eadem, quam leges Imperiales ſtatuunt, nempe pœnam mortis. In qua exequenda Iudices ſæculares gerunt ſe vt miniſtri Eccleſię, vti declarauit Bonifacius VIII. in extrauagante Bonif. VIII. *vnam Sanctam Eccleſiam* de maioritate & obedientia: *oportet*, inquit, *gladium eſſe ſub gladio, & temporalem authoritatem ſpirituali ſubijci poteſtati*. Nec poſſunt ſæculares Iudices hoc munus ab Eccleſia ſibi impoſitum detrectare, vt colligitur ex ca. *vt officium* de Hæreticis in 6.

Ius Canon. 54. Præter pœnam mortis, eſt etiam in Iure Canonico Hæreticis decreta pœna perpetui carceris, & immurationis. Prior decernitur in cap. *Excommunicamus* 2. de Hæreticis *ſi qui autem*, inquit, *de prædictis poſtquam fuerint deprehenſi, redire noluerint ad agendam condignam pœnitentiam, in perpetuo carcere detrudantur*. Poſterior ſtatuitur in cap. *accuſatus* de Hęreticis in 6. in fine, his verbis: *Religioſi etiam ſunt immurationis pœnâ, vel alia grauius puniendi, quàm ſæculares, ſi inuenti fuerint in hæreſi deliquiſſe*. Fuit etiam olim in vſu pœna exilij; quę poſtea commutata eſt in perpetuum carcerem, ne occaſionem haberent Hęretici liberè ſuum venenum alijs propinandi. Ad has pœnas iure ſtatutas, additur quædã alia ſingularis pœna ab inquiſitoribus sãcti officij excogitata, tum ad humiliandos & mortificandos Hæreticos, tum ad terrendos alios, vt ſuper veſtes quendam habitum geſtent Crucibus ſignatum.

55. Atque hæc de pœnis corporalibus contra hæreticos latis. Supereſt videndum, quæ cuique Hęretico ſit ex enumeratis pœnis imponenda. Nam certum eſt, non omnes Hæreticos eſſe pœna mortis puniendos: qui enim ſemel in hæreſim incidit, & ſtatim poſtea reſipuit, non eſt pœna mortis afficiendus, vt colligitur ex cit. cap. *Excommunicamus* 2. vbi dicitur: *ſi redire noluerint ad agendam condignam pœnitentiam, in perpetuo carcere detrudantur*. Quibus ſignificatur, ſi Hæreticus ad fidem redire voluerit, mitiùs cum eo agendum eſſe, quàm ſit pœna mortis, aut perpetui carceris puniendus. Contrà verò, qui non ſemel in hæreſim inciderunt, ſed frequentiùs in eam relapſi ſunt, non ſunt leui pœnâ afficiendi.

56. Dicendum igitur eſt 2. pro relapſis eſſe pœnam mortis ſtatutam. Deducitur ex cap. *Excommunicamus* 1. vbi hæc habentur: *Qui* (nempe de hæreſi accuſati) *niſi ſe ab obiecto reatu purgauerint, vel ſi poſt purgationem exhibitam in priſtinam fuerint relapſi perfidiam, Canonicè puniantur*, pœna ſcilicet, de qua ſuprà dixerat, vt relinquendi ſint poteſtatibus ſæcularibus, & debita animaduerſione puniendi. Idem definitur in cap. *Ad abolendam* de Hæreticis: & habetur in repertorio Inquiſitorum, vt teſtatur Suarez diſp. 23. ſect. 2. Suarez. Eſtque omnium Doctorum concors ſententia. Ratio verò eſt, quoniã ex vtroque iure & Canonico, & Ciuili aliqui Hæretici ſunt pœna mortis puniendi: vt ſuprà oſtenſum eſt: ergo maximè qui in hæreſim relabuntur: nam de his maximè timendum eſt, quòd nunquam ſint ſolidè ad fidem rediturí, ac proinde verendum eſt, ne alios inficiant. Idem confirmatur authoritate veteris Scripturæ Deut. 13 vbi pœna mortis ſtatuitur Deut. 13. Prophetę, qui contrarium docuerit, quàm à Deo reuelatum ſit: *Propheta autem ille*, inquit, *aut fictor Somniorum interficiatur: quia locutus eſt, vt vos auerteret à Domino Deo veſtro*. Cæterùm non ſolùm quando relapſi pertinaces manent in ſuo errore ſed etiam quando de relapſu in errorem reſipiſcunt, pœnitentiæque ſigna oſtendunt, tradendi ſunt Iudici Sæculari, nullóque modo in Eccleſiam recipiendi, Cum hoc tamen diſcrimine, quòd ijs, qui de ſuo relapſu pœnitentiæ ſigna oſtendunt, confeſſionis & Euchariſtiæ Sacramenta neganda non ſunt, vt habetur cap. *ſuper eo* de Hæreticis in 6. Ius Canon.

57. Difficultas tamen eſt, quînam relapſus ſufficiat, vt Hæreticus pœna mortis afficiatur: an debeat eſſe relapſus in eandem ſpecie hæreſim antea abiuratam, an ſufficiat, vt ſit in quamcunque aliam à priori hęreſi abiuratã diuerſam. Suarez pręcit. loco probabile Suarez. putat, ſufficere relapſum in quamcunque hæreſim, etiam ſpecie diuerſam à priori abiuratam. Fundamentum eſt, quoniam omnis hæreſis directè eſt contra authoritatem Eccleſiæ, quę in quacunque hęreſi eſt eadem. Alij requirunt, vt ſit relapſus in eandem ſpecie hęreſim antea abiuratam. *Quæ ſententia probabilior eſt*, vel ipſo Suarez teſte: idque colligitur Suarez. ex cap. *Accuſatus*: vbi definiens Pontifex Hęreticum relapſum: *Si hæreſim*, inquit, *in iudicio abiurauit, & poſtea committit in ipſa, cenſeri debet quâdam iuris fictione relapſus*. Vbi particula *In ipſa* ſatis apertè declarat debere relapſum eſſe in eãdem ſpecie hęreſim antea abiuratam. Vnde ad fundamentum oppoſitæ Sentent. quidquid ſit de re ipſa, in hac tamen pœna infligenda ſtandum eſt verbis legis.

58. Cæterùm in praxi tollitur hæc difficultas, quia ſemper abiuratio ſit generaliter: & conſequenter quicunque poſtea relapſus in hæreſim ſufficit: quia vi generalis abiuratationis fuerunt abiuratæ ſingulæ hæreſes in Ius Canon. Alexãd. IV. particulari. Quod etiam pręcitato cap. *Accuſatus*, docet Pontifex Alexander IV. his verbis: *Eum verò, qui in vna hæreſis ſpecie, vel ſecta commiſit, aut in vno fidei articulo ſeu Eccleſiæ ſacramento errauit, & poſtmodum hæreſim ſimpliciter*

cuer vel generaliter abiurauit: ſi ex tunc in aliam etiam hæreſis ſpeciem, ſiue Sectam, aut alio articulo ſeu Sacramento committat, volumus, vt relapſum in hæreſim iudicari.

59. Maior difficultas eſt de Hæreſiarchis, & dogmatizantibus, an debeant ab Eccleſia recipi, ſi nunquã ſint relapſi, & ſufficiẽtia pœnitentiæ ſigna dederit, ſuãq; hæreſim publicè abiurauerint: an potiùs ſint pœna mortis puniẽdi, tradendiq́ue brachio ſęculari. Eſt autem inter Hæreſiarchas, & Dogmatizantes hoc diſcrimen, quòd Hæreſiarchæ dicuntur, qui ſunt primi hæreſum inuentores: Dogmatizantes autem, qui hæreſes ab alijs inuentas docent ac proſeminant.

Suarez. 60. Suarez diſp. 23. præcit. Sect. 2. n. 10. cum quibuſdam alijs ſentit, eos non eſſe recipiendos, ſed tradendos Iudici ſęculari, vt ſtatim pœna mortis afficiantur propter periculum fictionis, vel relapſus in priſtinos errores, quæ in talibus Hæreticis maximè timeri poſſunt. Alij contrà ſentiunt eſſe recipiendos, ſi probabilia ſigna reſipiſcentię oſtendant, ſuoſ-
Ius Canon que errores publicè abiurent. Colligitur ex cap. *Ad abolendam* de Hæreticis: & ex cap. *Vt officium* de Hæreticis in 6. & ex cap. *Super eo* de Hæreticis in 6. vbi vniuerſalis traditur regula de omnibus Hæreticis, etiam docentibus, & prædicantibus, vt ſi ſufficientia ſigna pœnitentiæ dederint, ſuoſque errores publicè abiurauerint, recipiendi ſint in Eccleſiam.

61. Quæ ſententia cùm benignior ſit, & reo, pro quo ſemper ſtandum eſt, fauorabilior, præferenda eſt priori. Cęterùm periculum fictionis, vel relapſus, quod in huiuſmodi Hæreſiarchis ac Dogmatizantibus contraria Sententia timet, præcaueri poterit, ſi ſeparati à fidelibus perpetuo claudantur carcere. Ad huiuſmodi periculum euitandum Paulus
V. domeſticam quandam Monialem nomine *Paulus 5.* ſororem Iuliam Neapolitanam, vnà cum duobus alijs, qui docebant, copulam carnalem eſſe medium per ſe conducens ad copulam ſpiritualem, & perfectam vnionem animę cum Deo, hæreſi Romæ publicè abiurata, ad perpetuum carcerem damnauit.

62. Præter pœnam mortis & perpetui carceris, ſunt aliæ pœnæ arbitrariæ, quæ arbitrio Iudicis imponuntur ijs, qui abiurata hæreſi, ad fidem conuertuntur: De quibus fit tantùm mentio in Generali, ſub titulo condignę pœnitententiæ, in iure Canonico. Quæ pœnę pro Iudicis arbitrio erunt grauiores, vel leuiores, iuxta criminis qualitatem vel quantitatem, reliquaſque circumſtantias.

63. Ex dictis infertur 1. Non incurrere Irregularitatem Iudices Eccleſiaſticos, qui Hęreticos tradunt poteſtati ſęculari puniendos, vt rectè notauit Suarez diſp. 23. præcit.
ſect. 2. n. 12. Ratio eſt, quia hi in eorum mor- *Suarez.* tem non influunt, vel ad mortem damnando, vel mortis pœnam exequendo.

64. Infertur 2. non contrahere excommunicationem Canonis, *Si quis ſuadente Diabolo*, contra Clericorum percuſſores latam, qui Clericum hæreticum percuſſerit, præſertim ſi ſit nominatim declaratus, & multò magis ſi ſit degradatus, vt expreſſè habetur cap. *Degradatio* de pœnis in 6. Ratio eſt, quia tam per hęreſim, quàm per degradationem Cleri- *Ius Canon*
cus amittit omne priuilegium Clericale.

DE SPE

Digitized by Google

DE SPE THEOLOGICA.

HÆc eſt inter Theologales, quæ Deum ipſum proximè attingunt, altera virtus, media inter Fidem & Charitatem: nam & Fidem, à qua regulatur, ſupponit; & Charitatem, ad quam connaturaliter diſponit, antecedit. Etenim niſi Fides certo Dei teſtimonio ſubnixa facem præmonſtrat, vireſque ad operandum idoneas promittat, Spes Chriſtiana non audet ſua vota concipere, alaſque ad volandum explicare: ſicut nec Charitas in Deo puriſſimo amicitiæ amore conquieſcere, niſi Spes Fidei face illuſtrata Deum, vt vltimum ſuum finem, ſupremumq; bonum, ope & auxilio eiuſdem, conſequendum ſperet. Eſt igitur Fides inter Theologales virtutes generatione prima, quia iter ad æternam Beatitatem cæteris præmonſtrat: media Spes, quia ab vna dirigitur, ad aliam diſponit: Vltima Charitas, quia perfectiſſima, & finis cæterarum virtutum. Huius connaturalis ordinis Author eſt Paulus 1. ad Corinth. 13. *Manent*, inquit, *nunc Fides, Spes, Charitas, tria hæc: maior autem horum eſt Charitas.* 1. Cor. 13. Eundem ordinem in explicanda infuſione harum virtutum ſequitur Concilium Trident. ſeſſion. 6. cap. 5. 6. & 7. Conc. Trid. eundem in declaranda natura earundem imitantur Patres. Demum eundem ordinem ſecuti Scholaſtici, præmiſſa Fide, de Spe cum Magiſtro diſputant in 3. diſtinct. 26. & Magiſter. Thomiſtę cum Angelico Doctore 2. 2. â queſt. 17. vſque S. Thomas. ad 22. incluſiuè. Nos more noſtro Spei naturam ex obiecto, actu, ſubiecto, præcepto, reliquiſq; proprietatibus, atque oppoſito deſperationis vitio explicare conabimur.

Digitized by Google

DISPVTATIO XIX.

De natura Spei Theologicæ.

SECTIO PRIMA.

Quid ſit de ratione Spei in Communi?

1. SPes genericè ſumpta abſtrahit à ratione virtutis, & communis eſt Spei, quæ eſt paſſio appetitus iraſcibilis, ad quam moderandam ponitur magnanimitas, & Spei, quæ eſt virtus appetitus rationalis. Eſt igitur Spes genericè ſumpta, authore S.Thoma 1. 2. qu. 40. art. 1. & in quæſtionibus diſputatis qu. de Spe, Motus potentiæ appetitiuæ ſequens apprehenſionem boni, futuri, ardui, poſſibilis adipiſci. Quatuor igitur ad Spem cōcurrunt. Bonitas, eſt enim Spes motus proſecutionis potentiæ appetitiuæ, cuius obiectum eſt bonum, per quod diſcriminatur à timore, cuius obiectum eſt malum. Futuritio, quoniam Spes non tendit in bonum poſſeſſum, vti tendit gaudium, & delectatio, ſeu fruitio, ſed in bonum poſſidendum. Arduitas ſeu difficultas: quia cùm Spes ſpectet ad iraſcibilem, ſuperaddit bono rationē ardui ac difficilis, quo diſcriminatur à deſiderio, quod eſt actus concupiſcibilis tendentis in bonum futurum abſolutè. Poſſibilitas obiecti conſequendi: quia Spes tendit in bonum, vt conſequibile à ſperante, per quod differt à deſperatione, quæ eſt de bono impoſſibili adipiſci. His prænotatis, *S.Thomas.*

2. Controuerſum eſt 1. An de ratione Spei genericè ſumptæ, ſit tendere in bonum propria, an alterius tantùm virtute conſequendum. Secundò: quid in obiecto ipſo addat ratio ardui: & num ea ſpectet ad rationem formalem, an ſit tantùm conditio obiecti.

Vaſquez. 3. Circa 1. Vaſquez 1. p. diſp. 84. cap. 1. & 1. 2. diſp. 40. cap. 2. docet, Spem eſſe deſiderium rei, quæ non ex noſtra, ſed ex alterius voluntate creditur futura: nullus enim rem, quæ in ſua eſt poteſtate, quantumuis ardua & difficilis ſit, ſperare dicitur, ſed tantùm deſiderare. Probatur: tum *S.Thomas* quia ideo S. Thomas 2. 2. quæſt. 17. a. 5. ad 4. affirmat, magnanimitatem diſtingui à Spe, quia illa reſpicit arduum, propria, non alterius virtute aſſequendum; tum quia propterea Deus non habet affectum Spei, & deſperationis, quia non reſpicit ad alium potentiorem ſe, à quo rem conſequendam ſperet.

4. Communis tamen ſententia Theologorum eſt, quam tradit S. Thomas 1. 2. præcit. q. 40. art. 2. ad 1. & 2. 2. q. 17. art. 1. & in quæſtionibus diſputatis, ſpem tendere ad arduum, ſiue propria, ſiue alterius virtute conſequendum, eo quòd in ſua ratione formali per ſe non dicit, niſi tendentiam ad bonum, in cuius conſecutione apprehenditur ratio ardui: vnde illam in brutis ipſis collocat S. Thomas 1. 2. q. præcit. art. 3. quatenus illa mouentur in bonum proprijs viribus acquirendum. Ratio eſt, quia hoc ſufficit ad formale obiectum iraſcibilis. Neque citato lòco oppoſitum S. Thomas docet: ſed ſolùm aſſignat diſcrimen inter magnanimitatem, quæ moderatur paſſionem Spei, & Spem, quæ eſt virtus Theologica: hæc enim non vt Spes ſimpliciter, ſed vt Spes Theologica tendit in ſupernaturalem beatitudinem diuino auxilio conſequendam. Nec propterea in Deo non eſt Spes, quia non reſpicit alium, in cuius auxilio nitatur; ſed quia nihil reſpicit vt arduum. *S.Thom.* *S.Thomas.*

5. Circa 2. exiſtimant communiter Recentiores, arduitatem eſſe puram conditionem, non rationem formalem obiecti Spei. Mouentur, quia arduitas ſupra bonum non addit, niſi difficultatem conſequendi obiectum, quæ potiùs eſt ratio mali retardantis, ac repellentis appetitum à proſecutione obiecti: ac proinde ingredi non poteſt rationem formalem ipſius: cùm nihil ingredi poſſit rationem formalem obiecti alicuius potentiæ, quod illam à ſuo actu repellit ac retardat. Confirmatur, nam quò magis creſcit ratio formalis obiecti, eò creſcit facilitas potentiæ illud proſequendi, eo quòd ratio formalis habeat vim attrahēdi & alliciendi potentiam: atqui creſcente arduitate obiecti, tantùm abeſt, vt creſcat facilitas, vt potiùs decreſcat & retardetur facilitas operandi potentiæ: ergo arduitas non poteſt eſſe ratio formalis, ſed pura conditio obiecti Spei. Verùm his non obſtantibus,

6. Dicendum eſt, arduitatem ſeu bonum arduum eſſe formalem rationem obiecti Spei. Hanc docent Richardus in 3. diſtinctione *Richard.*

ſtinctione 16. artic. 4. quæſt 1. & Argentinas art. 1. Syluius 1. 2. quæſtione 40. ar. 1. Fundamentum, quia quod diſtinguit vnam potentiam ab alia non poteſt eſſe pura conditio; conditio enim vti non ſpecificat, ita nec diſtinguit vnam potentiam ab alia: ſed arduitas ſeu bonum arduum diſtinguit iraſcibilem à concupiſcibili, vt docet S. Thomas 1. 2. qu. 40. art. 1. ad 3. Neque dicas, futuritionem diſtinguere deſiderium à gaudio & delectatione; in idem enim obiectum vt futurum tendimus per deſiderium, & vt præſens per gaudium & delectationem; & tamen futuritio eſt ſola conditio obiecti proſecutionis: ergo poteſt obiectum ſub diuerſa tantùm conditione applicatum diuerſificare potentias: nam maior diuerſitas ex parte obiecti requiritur ad diſtinguendas potentias, quàm actus, quia actus diſtingui poſſunt ex diuerſa tendentia ad obiectum, diuerſa tantùm conditione applicatum. Fateor obiectum diuerſa tantùm conditione applicatum diſtinguere poſſe ſpecie vnum actum ab alio, vt ſuprà oſtendimus de actu fidei, qui ſpecie diſtinguitur ab actu tendente in obiectum propter idem teſtimonium Dei clarè applicatum. Nego tamen in obiecto Spei Arduitatem ſe habere tantùm vt conditionem. Quod vt probem, *S. Thomas.*

7. Notandum *Arduum* eſſe relatiuum ad virtutem operantis: arduum enim dicitur, quod eſt ſupra modum ordinarium operandi Creaturæ, non autem ſupra omnem modum operandi eiuſdem, alioqui non contineretur intra ſphæram virtutis, acquiſitiuæ, ſed potiùs declinaret in obiectum deſperationis, quod eſt obiectum impoſſibile acquiri. Igitur *arduum* duplicem includit reſpectum, alterum ad modum ordinarium operandi naturæ, ſupra quam eleuatur, & exceditur; alterum ad modum operandi extraordinarium per maximum conatum eiuſdem. Ratione primi, dicit rationem mali, quia formaliter importat improportionem, & incommenſurationem in ratione aſſequibilis ad virtutem aſſecutiuam ordinario modo operantem. Ratione verò ſecundi, ſuperaddit ſpecialem rationem boni, quam habet, vt S. Thomas, inquit, ex eo quòd non eſt de facili aſſequibile, quatenus omne rarum apprehenditur, vt charum & pretioſum, quia mouet operantem tanquam ſignum & terminus ſingularis modi ſperandi virtutis ipſius. Quæ tamen ratio conſideranda eſt reſpectiuè ad operantem: nam quod eleuatur ſupra ordinarium modum operandi vnius, non eleuatur ſupra ordinarium modum operandi alterius. Hinc eſt, vt nihil in comparatione ad Deum poſſit eſſe arduum. *S. Thomas.*

8. Ad fundamentum oppoſitæ ſententententię negandum eſt, *Arduum* ſupra bonum addere ſolam difficultatem proſequendi obiectum, ſed ſpecialem rationem boni cõſurgentis ex ipſa difficultate proſequendi obiectum, quod teſte Richardo eſt bonum excellens, quod non repellit, ſed trahit & allicit potentiam ad proſecutionem obiecti: dummodo difficultas tanta non ſit, quæ excedat virtutem operantis, nam tunc repellit potentiam à proſecutione, & degenerat in obiectum deſperationis. *Richardus.*

9. Ad Confirmationem limitanda eſt maior de ratione formali conſurgente ex intrinſeca bonitate obiecti, non autem ex difficultate proſequendi illud; nam ſicut hæc bonitas creſcit cum ipſa difficultate proſequendi obiectum: ita non poteſt, ea creſcente, creſcere facilitas operandi potentiæ, quia licet creſcat bonitas ex difficultate conſurgens, ſimul tamen cum illa creſcit difficultas. Vnde licet ex vna parte creſcente bonitate ex difficultate conſurgente, creſcat facilitas potentiæ, quę magis ad operandum acuitur: ex alia tamen parte, quia cum bonitate creſcit difficultas, temperatur facilitas operandi potentiæ ex difficultate annexa.

SECTIO II.

An Spes Christiana ſit virtus?

10. **R**ATIO dubitandi deſumitur ex definitione virtutis, quæ teſte Philoſopho 7. Phy. Tex. 17. eſt diſpoſitio præſtantiſſimi ad optimum, cõſtituens potentiam in vltimo perfectionis proprio actui debitæ. Spes autem eſt quædam diſpoſitio imperfecti, quia non perficit potentiam vltimatè, cùm ſit de obiecto futuro nondum poſſeſſo. Propter hanc rationem Durandus in 3. diſt. 26. qu. 1. num. 7. putat, Spem, quemadmodum & fidem, non eſſe niſi largè virtutem. *Philoſoph.* *Durandus.*

11. DICO 1. Spes Chriſtiana eſt vera, propria & rigoroſa virtus. Eſt S. Thomæ 2. 2. quæſt. 17. artic. 1. Fundamentum eſt, quia ad veram, propriam, & rigoroſam virtutem ſufficit, vt potentiam diſponat ad optimum actum circa aliquod obiectum formale contentum ſub adæquato obiecto talis potentiæ. Sed Spes perficit voluntatem ad optimum actum circa Deum, quatenus eſt vltimus finis & bonum ipſius ſperantis: eſt enim habitus infuſus inclinans voluntatem ad obtinendam ſupernaturalem beatitudinem per media diuinitus inſtituta: vnde non ſolùm habet Deum pro obiecto, quem conſequendum ſperat; ſed etiam pro regula, quatenus illum conſequendum ſperat per media ab ipſo inſtituta, innitens eius virtute & auxilio. Legatur S. Thomas de veritate quæſt. 14. art. 3. ad 7. *S. Thomas.* *S. Thomas.*

12. Ex his patet ad rationem dubitandi, quia ad rationem virtutis ſatis eſt diſponere circa tale obiectum ſpecificum conten-

Digitized by Google

tum ſuo adæquato obiecto potentiæ, & conſtituere illam in vltimo perfectionis debitæ ſuo actui in ordine ad tale obiectum: alioqui nulla virtus moralis diſponeret ad optimum, nec conſtitueret potentiam in vltimo perfectionis debitæ ſuo actui, quia diſponi poſſet ad actum perfectiorem virtutis infuſæ. Cùm igitur obiectum Spei ſit bonum futurum, arduum, poſſibile haberi, ſufficit ad eam, ſi voluntatem perficiat in ordine ad optimum actum, qui circa tale obiectum eſſe poteſt.

13. *Obijcies* 1. Ordinare bonum increatum ad creatum, non eſt actus virtutis: atqui Spes ordinat Deum bonum increatum ad bonum creatum, quia ordinat Deum in bonum ipſius ſperantis: ergo non eſt virtus. Reſp. concedendo Maiorem de ordinatione ad finem *Qui*: negandum verò eſt de ordinatione ad finem *Cui*. Ratio eſt, quia ordinare Deum ad creaturas, tanquam ad finem *Qui*, eſt conſtituere vltimum finem in ipſa creatura: ordinare verò Deum ad creaturas, tanquam ad finem *Cui*, eſt conſtituere Deum vt vltimum finem ipſius creaturę: idem namque eſt, Deum eſſe vltimum finem creaturæ, & creaturam eſſe finem *Cui* reſpectu Dei; quia cùm finis ſit relatiuus ad ſubiectum, Cui dicitur finis, idem eſt, Deum eſſe vltimum finem creaturæ, & creaturam eſſe finem Cui reſpectu Dei: hoc autem vt per ſe patet, honeſtum eſt & rationi conforme, ac proinde virtutis actus.

14. *Obijcies* 2. Amor concupiſcentię eſt inordinatus: ſed Spes eſt amor concupiſcentiæ, amamus enim Deum nobis: ergo non poteſt eſſe actus virtutis. Reſp. negando Maiorem, quando talis amor exercetur debito modo, iuxta regulam à Deo præſcriptam: Etenim honeſtum eſt & rationi conſonum, amare nobis bona ſupernaturalia à Deo promiſſa.

15. *Obijcies* 3. Timor pertinet ad Spem, tanquam fuga mali impedientis beatitudinem: ſed timor non eſt virtus; ergo nec Spes. Maior probatur, quoniam ad eundem habitum ſpectat proſequi bonum, & fugere malum illi oppoſitum: ſicut quæuis natura inclinat ad proſequenda media conſeruatiua ſui, & ad euitanda deſtructiua ſui ipſius; ex eodem quippe fonte oritur amor conſeruationis, & odium deſtructionis ſui. Reſp. triplex ex S. Thoma 2. 2. quæſt. 19. art. 2. diſtinguitur timor; Filialis, quo timetur malum culpę, vt offenſa Dei eſt; & hic pertinet ad Charitatẽ, cùm ad eundem habitum ſpectet, vt obiectio probat, proſequi obiectum, & fugere malum illi contrarium: ſeruilis, quo timetur malum pœnæ, vt malum pœnæ eſt contrarium proprio bono, quod amatur vt finis: & hic malus eſt, & ad virtutem non pertinet: Poſtremus medius inter Filialem & ſeruilem, quo timetur malum culpæ, vt priuat nos Deo, quatenus beatitudo noſtra eſt: & hic pertinet ad habitũ Spei. S. Thomas.

Iuxta hanc doctrinam diſtinguenda eſt Minor: nam etſi ſecundus timor non ſit actus virtutis, eſt tamen actus primus, qui ſpectat ad Charitatem, & Tertius, qui ſpectat ad Spem.

16. *Obijcies* 4. Operari propter mercedem non eſt virtutis; atqui Spes operatur propter mercedẽ: ergo non eſt virtus. Maior probatur, quia operari propter mercedem, non eſt operari propter ipſam honeſtatem virtutis, quod ad virtutẽ Ariſtoteles requirit; ſed propter vtilitatem propriam. Minor patet, nam Spes operatur propter retributionem vitæ æternę. Reſp. negando Maiorem: vt conſtat tum ex Tridentino ſeſſ. 6. Can. 26. vbi anathematizat eos, qui dicunt non debere iuſtos pro ſuis bonis operibus in Deo factis ſperare æternam retributionem à Deo: tum ex diuinis oraculis, quibus ſæpiſſime monemur, operari propter gloriæ retributionem, Pſal. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem*: & Chriſtus atque Apoſtoli frequenter mortales hortabãtur ad operandum propter Regnum Cęlorũ. Ratio verò eſt, quia operari propter conſequendum finem, ad quem ſumus per gratiam à Deo eleuati eſt per ſe honeſtum, & rationi conſentaneum: ſicut operari propter conſequendum finem naturalem, ad quem ſumus à natura deſtinati, eſt actus honeſtus pertinẽs ad virtutem moralem: ita & operari propter finem ſupernaturalem, ad quem ſumus à Deo per gratiam eleuati, eſt actus honeſtus ſupernaturalis pertinens ad virtutem infuſam. Vnde falſum eſt qui ſic operatur, non intendere ad honeſtatem virtutis: intendit enim ad honeſtatem, quæ in adeptione talis boni propter merita conferendi elucet. Ariſtoteles. Trident. Pſalm. 118.

17. Ex dictis infertur 1. Spem non ſolũ eſſe veram & propriã virtutẽ, quando eſt Charitate formata, ſed etiam quando eſt informis, & à Charitate ſeiuncta. Nam etiã informis, & à Charitate ſeiuncta manet intrinſecè eadem, voluntatẽ inclinans ad operandũ iuxta regulã ſupernaturalis rationis. Quemadmodum fides etiã informis & à Charitate ſeparata, eſt vera & propria virtus, intellectualis, intellectum inclinans ad credẽdum propter authoritatẽ Dei atteſtantis: non enim à Charitate habent, vt ſint intrinſecè virtutes, ſicut nec habent, vt ſint habitus ſupernaturales per ſe infuſi; ſed tantùm vt ſint de condigno meritorię ſalutis.

18. Infertur 2. Spem quoad perfectionem virtutis ſimpliciter excedere fidem, excedi vero à Charitate. Secundum patet: nam Charitas perfectiori modo tendit in ſuum obiectum, quàm Spes in ſuum: illa enim tendit puriſſimo amore amicitiæ, diligendo Deum propter ipſum Deum, hæc amore concupiſcentiæ, diligendo Deum, vt bonum ſperantis. Legatur S. Thomas in quæſtionibus diſputatis quæſt. vnica de Spe, art. 3. Primum probatur, nam virtus ſimpliciter dicitur, quæ eſt voluntatis regulatiua S. Thomas.

&

& directiua in ordine ad honeſtatem morum. Atqui Spes eſt virtus voluntatis regulatiua & directiua in ordine ad ſupernaturalem honeſtatem morum. Fides autem non eſt voluntatis regulatiua & directiua, ſed intellectus dumtaxat inclinatiua ad verum atteſtatum credendum. Vnde in ratione virtutis ſimpliciter fides pendet ex imperio voluntatis, & ex virtute credulitatis exiſtentis in voluntate, à qua virtute fides ſortitur denominationem virtutis ſimpliciter, vt conſtat ex ſuprà diſputatis. Spes autem in ratione virtutis ſimpliciter non pendet ab intellectu, vel ab aliqua virtute in intellectu exiſtente; eſto ab ea pendeat in ratione regulantis, & obiectum proponentis, ſine qua obiecti propoſitione nulla virtus in voluntate exiſtens operari poteſt.

19. DICO 2. Implicat ſpem Chriſtianam vitiari, non ſolùm ſecundùm legem ordinatã, ſecundũ quã eſt diſpoſitio ad iuſtificationem, vti eſt fides, ſed etiam ſecundùm potentiam abſolutam. Eſt S. Doctoris 2. 2. quæſt. 17. art. 1. ad 1. aſſerentis, neminem poſſe Spe attingente Deum malè vti, ſicut nec virtute morali attingente rationem. Fundamentum eſt, quia Spes eſt virtus voluntatis, per ſe determinata ad obiectum iuxta regulam Diuinæ rationis: ſicut virtus moralis eſt per ſe determinata iuxta regulã rationis humanæ ad honeſtum morale. Nemo autem vitiare poteſt actum virtutis: nam vel hic attingit ſuam Regulam, & ſic non vitiatur; vel non attingit, & eo ipſo non eſt actus virtutis. Neque poteſt intrinſecè vitiari per actum reflexum, vti fides: quia cùm Spes ſit actus voluntatis, habet propriam libertatem diſtinctam à libertate actus imperantis, à quo ſicut non accipit intrinſecam libertatem, ita nec intrinſecam malitiam, vel bonitatem: ſecus eſt de fide, quæ, quoniam eſt actus intellectus, ſicut ſuam libertatem accipit ab actu imperante, ita & malitiam vel bonitatem moralem. Dixi *intrinſecè*: nam an poſſit vitiari extrinſecè ab actu imperante malo, cum quo conſtituit vnum in eſſe moris, eſt alterius controuerſiæ; alibi decidendæ.

S.Thom.

SECTIO III.

Quodnam ſit obiectum materiale Spei?

20. PRIMA ſententia Durandi in 1. diſtinct. 1. quæſt. 2. & in 3. diſt. 26. quæſt. 2. & in 4. diſt. 49. quæſt. 5. affirmantis, obiectum materiale Spei eſſe ipſam beatitudinem formalem, Deum autem eſſe tantùm obiectum mediatũ. Probat 1. Obiectum Spei eſt obiectum amoris concupiſcentiæ: ſed Deus non eſt obiectum amoris concupiſcentiæ, cùm hoc ſit bonũ ipſius concupiſcentis; nulla autem res ſuppoſito diſtincta eſt bonum concupiſcentis: non enim Sol eſt bonus frigeſcenti, aut vinum ſitienti, niſi ratione operationis, qua illa nobis coniungimus. Non igitur Deus, ſed operatio, qua nobis Deus coniungitur, eſt obiectum Spei. Secundò. Obiectum Spei eſt bonum futurum: ſed Deus non eſt futurus: ergo non poteſt eſſe obiectum Spei.

Durandus.

21. Tertiò. Idem eſt obiectum Spei & deſperationis: ſed damnati non de Deo, ſed de formali beatitudine, qua Deum aſſequimur, deſperant: ergo obiectum Spei nõ eſt beatitudo obiectiua, ſed formalis. Quartò. Qui deſiderat ſcientiam, non deſiderat immediatè res ſcibiles, ſed operationem, qua res ipſas ſcibiles contemplatur: alioqui qui deſideraret ſcientiam de peccatis, deſideraret immediatè peccata. Igitur qui deſiderat beatitudinem, non deſiderat immediatè Deum, ſed operationem, qua Deum ipſum conſequitur. Quintò. Actu Spei amamus rem ſperatam propter nos, quia amamus illam vt bonum noſtrum: atqui actu Spei non amamus Deum propter nos, cùm hic amor ſit inordinatus: amamus autem viſionem & fruitionem Dei propter nos, quia hic amor eſt ordinatus, quia non ordinat bonum increatum ad bonum creatum, vt prior; ſed bonum creatum ad aliud bonum creatum.

22. SECVNDA ſententia S. Thomæ 1. 2. quæſt. 11. art. 3. ad 3. & 2. 2. quæſt. 17. art. 2. & 5. & in 1. diſt. 1. quæſt. 2. artic. 1. ad 2. quam ſequuntur Capreolus in 1. diſt. 1. qu. 1. Concl. 5. & ad argumenta contra Durandum: Caietanus 2. 2. quæſt. 17. art. 2. & fuſiùs art. 5. §. *ad euidentiam.* Bannez eodẽ art. 5. Syluius art. 2. & reliqui Thomiſtæ. Eandem tradunt Scholaſtici in 1. diſt. 1. & in 3. diſt. 26. nempe obiectum principale immediatum Spei eſſe Deum ipſum, quatenus eſt vltimus finis & ſummum bonum noſtrum. Pro cuius ſententiæ explicatione,

S. Thomas. Capreolus. Caietanus. Bannez. Syluius.

23. Notandum, ex doctrina S. Thomæ 1. 2. loco præcitato, duplicem eſſe finem, *Qui*, ſiue *cuius gratia*, & *Quo*. Primus eſt res ipſa, ſecundus adeptio rei. Qui fines non ſunt duo, ſed vnus ex vtroque completus. Præterea duplex diſtinguendum eſt obiectum: Alterum principale, in ordine ad quod omnia à virtute intenduntur: Aliud minùs principale, quod ſemper intenditur propter ipſum principale. His adnotatis,

24. DICO 1. Principale obiectum immediatum Spei eſt beatitudo obiectiua, & formalis nonniſi propter obiectiuam. Fundamentum: illud eſt obiectum principale & immediatum virtutis, quod principaliter & immediatè perficit operantem: ſed in virtute Spei quod principaliter & immediatè perficit operantem, eſt ipſe Deus, & beatitudo formalis nonniſi propter Deum: igitur obiectum principale & immediatum Spei eſt ipſe Deus, & beatitudo formalis nonniſi propter ipſum Deum. Maior cum conſequentia conſtat. Minor probatur: quia

quia licet Deus non poſſit eſſe beatitudo noſtra obiectiua, niſi mediante beatitudine formali, qua illum formaliter aſſequimur, & vitaliter nobis coniungimus, hæc ipſa tamen formalis beatitudo eatenus eſt noſtra beatitudo, & à nobis appetitur, quatenus poſſeſſio & aſſecutio eſt beatitudinis obiectiuè, à qua omnem rationem boni deſumit. Igitur principale & immediatũ obiectum Spei non eſt beatitudo ipſa formalis, ſed obiectiua, quoniam ipſa eſt quæ immediatè perficit & quietat appetitum rationalem, redditque ipſam formalem beatitudinem à Creatura amabilem & appetibilem. Ex hoc tamen ab obiecto materiali Spei nõ excludimus beatitudinem formalem, ſed eam tantùm excludimus vt obiectum principale, quod eſt ſolus Deus.

25. Confirmatur, quia licet finis haberi nequeat, niſi per media, quod tamen principaliter & immediatè mouet, & perficit appetitum operantis non ſunt media, ſed finis per media conſequendus. Ergo licet Deum cõſequi nequeamus, niſi media operatione creata, id tamen, quod principaliter & immediatè in ratione vltimi finis ac ſummi boni mouet & perficit appetitum noſtrum, eſt ipſe Deus, qui nullo alio fine *Qui*, ſiue *cuius gratia* interueniente, eſt ſummum bonum noſtrum.

26. *Obijcies*. Omnis cognitio reſpectu voluntatis eſt conditio: ergo viſio beata eſt tantùm conditio, & nullo modo obiectum reſpectu voluntatis ſperantis. Reſp. Negando antecedens: eſt enim aliqua cognitio, quæ reſpectu voluntatis, non eſt pura conditio, ſed etiam obiectum, ſaltem minùs principale, nempe illa, quæ mouet vt finis *Quo*.

27. Ad argumenta Durandi. Ad 1. neganda eſt Minor: falſum namque eſt, rem ſuppoſito diſtinctam non poſſe eſſe bonum noſtrũ quãdo res illa comparatur vt finis & obiectum alicuius potentiæ, cùm non ſolum delectemur de actibus, ſed etiam de obiectis noſtrarum potentiarum, quatenus ſunt termini perfectiui earum. Vnde non ſolùm appetimus guſtationem, ſed rem ipſam guſtabilem vt obiectum noſtri guſtus. Diſpar autem eſt ratio de ſole reſpectu frigeſcentis; quia ſol non comparatur ad frigeſcentem vt obiectum immediatum, ſed ſolùm vt cauſa efficiens ipſiuſmet obiecti tactus: obiectum enim tactus, quod frigeſcens appetit, non eſt ſol, ſed calor. Quod inde conſtat, nam ſi ſol appetatur vt obiectum viſus, tunc ipſe ſol erit bonum videntis.

28. Ad 2. concedendum eſt, Deum non eſſe nobis futurum quoad exiſtentiam, eſſe autem nobis futurum in ratione obiecti, quo pacto eſt vltimus finis, & ſummum bonum beatificans noſtrum.

29. Ad 3. negandum eſt, damnatos non deſperare de Deo ipſo, non quidem ſecundùm ſe, & in ratione exiſtentis, ſed vt bonum obiectiuum ipſorum eſt, & in ratione termini beatificantis, de cuius amiſſione triſtantur.

30. Ad 4. nego deſiderium ſcientis directè ferri in cognitionem rerum ſed in res ipſas, non quidem ſecundùm ſe, & in eſſe reali, quod à parte rei habent; ſed in eſſe obiectiuo & intentionali: quo pacto ſunt termini perfectiui noſtræ potentiæ intellectricis. Sic fertur homo in peccatum non in eſſe operabilis, & realis, ſed in eſſe veri & intentionalis. Ad 5. patet ex ſect. præcedente in ſolutione primi argumenti.

31. Dico 2. Obiectum materiale minus principale ſpei, ſunt omnia bona tam naturalia, quàm ſupernaturalia, quatenus ad æternam beatitudinem conſequendam conducunt. Eſt certa ſententia: cuius fundamentum eſt, quoniam omnia ea bona cadunt ſub obiectum materiale virtutis, circa quod virtus ipſa tanquam circa media ad ſuum finem conſequendum verſatur. Igitur omnia bona tam naturalia, quàm ſupernaturalia quatenus ad æternam beatitudinem conſequendam conducunt, ſunt obiectum materiale ſpei Theologicæ.

32. Cæterum notandum, inter media ipſa, aliqua proximè, aliqua remotè ad finem conſequendum conducere. Proximè conducunt merita condigna ex gratia profecta: nam hæc ſunt proxima cauſa moralis noſtræ beatitudinis, vel accrementi ipſius, remotè conducunt omnia bona honeſta moralia, quatenus ea poſſunt imperio alicuius virtutis infuſę fieri meritoria cauſa incrementi beatitudinis. Adhuc magis remotè conducunt bona naturalia, vel quatenus tollunt impedimentum ad beatitudinis conſecutionem; vel quatenus cum gratia poſſunt melius efficaciuſque operari ad beatitudinem promerendam. Vti eſt bona indoles naturæ: non quòd melior natura cum æquali gratia intenſiorem poſſit actum elicere, ſed quia melior indoles naturæ pauciora ponit obſtacula, quibus impedita gratia vel omnino cum natura non operatur, vel non tam intensè efficaciterque, quantum, ſi talia obſtacula non haberet.

SECTIO IV.

Quodnam ſit obiectum formale Spei Theologicæ?

33. DVÆ ſunt in hac materia celebriores ſententię: Prima affirmat, eſſe auxilium omnipotentię Dei, cui Spes Theologica immediatè innititur. Hanc docet S. Thomas in quæſtionibus diſputatis quæſt. de Spe art. 1. vbi ſpem comparat fidei, cuius vti materiale obiectum ſunt res creditæ, formale verò prima veritas, propter quam res creduntur: ita Spei Theologicæ materiale obiectum eſt vita æterna, formale verò S. Thomas.

auxilium

auxilium diuinæ omnipotentiæ, propter quod tendit in bona ſperata. Vnde ſic concludit in fine corporis: *Sicut formale obiectum fidei eſt veritas prima, per quam ſicut per quod dam medium aſcentit his, quæ creduntur, quæ ſunt materiale obiectum fidei: ita etiam formale obiectum Spei eſt auxilium diuinæ poteſtatis & pietatis, propter quod tendit motus Spei in bona ſperata, quæ ſunt materiale obiectum Spei.* Et in reſponſione ad 4. *Ad quartum*, inquit, *dicendum, quod Spes, ſecundum quod refertur ad materiale obiectum, eſt diſpoſitio imperfecti, quia quod ſperatur, nondum habetur: ſed ſecundum quod reſpicit obiectum formale, ſcilicet auxilium diuinum, ſic eſt diſpoſitio perfecti.* Idem habet art. 4. in Corpore. Eandem ſententiam tradunt Bonauentura in 3. diſt. 26. art. 1. q. 5. Bannez 2. 2. quæſt. 17. art. 5. Vaſquez 1. p. diſp. 84. cap. 1. Turrianus 2. 2. diſp. 60. dub. 2. Malderus ibidem cit. q. 17. art. 2. ſect. 2.

Bonauent. Bannez Vaſquez Turrianus Malderus.

34. Potiſſimum fundamentum huius ſententiæ eſt: quia poſſumus à Deo ſperare aliquod bonum, & non propter beatitudinem, tanquam propter motiuum formale: non igitur beatitudo, ſed omnipotentia auxiliatrix Dei eſt obiectum formale Spei. Antecedens probatur: quia non repugnat, hominem à Deo ſperare aliquod bonum nihil cogitando de beatitudine. Conſequentia conſtat, quia nulla virtus poteſt extra ſuum obiectum formale operari: ergo ſi obiectum formale Spei Theologicæ, eſſet beatitudo, non autem omnipotentia auxiliatrix Dei, nullum bonum poſſet homo à Deo ſperare, niſi propter beatitudinem tanquam propter motiuum formale.

35. Confirmatur. Si omnipotentia auxiliatrix Dei nõ eſſet obiectum formale Spei, concedenda eſſet quarta virtus Theologica à fide, Spe, & charitate diſtincta: Conſequens nullus hactenus Theologus admiſit, cùm non ſit conforme Apoſtolo 1. ad Corint. 13. qui præter has tres virtutes Theologales, nullam aliam agnoſcit. Sequela probatur: quoniam omnipotentia auxiliatrix Dei poteſt eſſe ſufficiens motiuum ad ſpecificandam aliquam virtutem Theologicam: igitur ſi non ſpecificat virtutem Spei, aliam debet Theologicam virtutem à fide, Spe, & Charitate diſtinctam ſpecificare. Ergo præter tres virtutes Theologales, concedenda eſſet quarta, cuius obiectum formale eſſet ipſa omnipotentia auxiliatrix Dei.

Apoſtolus 1. ad Cor. 13.

36. SECVNDA ſententia docet, obiectum formale Spei Theologicæ eſſe ipſam beatitudinem obiectiuã, quatenus bonum noſtrum eſt. Eſt Scoti in 3. diſtinctione 26. quæſtione vnica, vbi circa idem bonum increatum duplicem cum Anſelmo diſtinguit virtutem; alteram, quæ circa illud verſatur affectu iuſtitiæ, diligendo illud propter ſe, diciturque Charitas: alteram, quæ verſatur circa idem affectu commodi, amando illud vt bonum ſibi, diciturque Spes. Beatitudo igitur, quatenus bona eſt ſperanti, in ſententia Scoti eſt obiectum formale Spei Theologicæ. Eandem ſententiam ſequuntur Coninck de Spe, diſputatione 19. dub. 4. Suarez tract. de Spe, diſputatione 1. ſectione 3. Frãciſcus Syluius 2. 2. quæſtione 18. articulo 4. in fine, & alij recentiores. Pro cuius controuerſiæ explicatione,

Scotus Anſelmus.

Scotus Coninck Suarez Franciſcus Syluius.

37. DICO 1. Deus vt adiuuans nos ad beatitudinem conſequendam, non eſt obiectum formale principale Spei Chriſtianæ. Fundamentum, quia principale obiectum formale virtutis eſt illud, quod principaliter mouet voluntatem, ad affectum ipſum virtutis eliciendũ: hoc autem in Spe Theologica non eſt Deus vt adiuuans, ſiue vt efficiens ſupernaturalem beatitudinem, ſed ipſa ſupernaturalis beatitas, vt forma obiectiua, quatenus perfectiua eſt noſtri appetitus. Maior conſtat, quia formale obiectum virtutis eſt cauſa motiua ipſius actus virtutis: eſt autem cauſa motiua, alliciendo & mouendo voluntatem erga illam. Minor probatur, quoniam id mouet vt principale obiectum virtutis, quod principaliter perficit operantem: id autem, quod in Spe principaliter perficit operantem, non eſt Deus vt auxilians, vel vt efficiens beatitudinem, ſed ipſa beatitudo, cùm tam auxilium, quàm efficientia beatitudinis ordinetur ad beatitudinem tanquam ad formam vltimatè perficientem noſtrum appetitum: quemadmodum quod perficit operantem non ſunt media, ſed finis, ad quem media ipſa ordinantur.

38. DICO 2. Auxilium Dei non eſt pura conditio obiecti Spei Chriſtianæ, ſed ingreditur aliquo modo illud ſaltem in obliquo, & vt ratio formalis minùs principalis. Fundamentum, quia obiectum formale Spei infuſæ eſt beatitudo vt poſſibilis adipiſci: eſt autem poſſibilis adipiſci per auxilium Dei: ergo auxilium Dei ingreditur obiectum formale Spei, ſaltem in obliquo, cum non cenſeatur illa poſſibilis adipiſci, niſi in virtute & auxilio ſpeciali Dei.

39. Confirmatur. Sicut ordo finis ad media, non eſt pura conditio ſed aliquo modo ratio formalis, cùm diſtinguat intentionem à ſimplici complacentia; intentio enim reſpicit finem vt aſſequibilem per media, ſimplex verò complacentia vt bonum in ſe: ita ordo beatitudinis ad ſpeciale auxilium Dei, non eſt pura conditio, ſed ratio formalis, minùs tamen principalis diſcriminans actum Spei à ſimplici deſiderio, quod tantùm fertur in beatitudinem ſecundum ſe.

40. *Obijcies.* Poſſibilitas non eſt ratio formalis, ſed pura conditio obiecti Spei Theologicæ; ergo neque auxilium, nam eatenus hoc pertinet ad rationem formalẽ obiecti Spei, quatenus reddit illud poſſibile adipiſci. Antecedens probatur: nam ſicut futuritio eſt pura conditio, quia ex ſe bona

non

non eſt, cùm dicat abſentiam & priuationem boni; ita & poſſibilitas.

41. Reſp. negando antecedens, eiuſque probationem. Etenim dupliciter poteſt futuritio conſiderari, vno modo vt dicit formalem abſentiam boni, & ſic eſt mala, cùm dicat carentiam boni: alio modo vt dicit formalem exiſtentiam boni aliquando exituri, & nos perfecturi, & vt ſic bona eſt, mouetque voluntatem ad affectum Spei condiſtinctum ab affectu gaudij & fruitionis, quæ à præſenti bono excitantur.

42. Ad fundamentum 1. ſentent. Negandum eſt antecedens. Etenim de facto omnia, quæ à Deo ſperare poſſumus, ſperanda ſunt in ordine ad beatitudinem, & conſequenter, propter ipſam beatitudinē, tanquam propter motiuum formale. Ratio, quoniam de facto virtute Spei Theologicæ nullum bonum à Deo ſperare poſſumus, niſi ſecundùm regulam à Deo præſcriptam: ſed vi præſentis diſpoſitionis diuinæ omnia bona, quæ à Deo ſperare poſſumus, diriguntur ad conſequendam beatitudinem: igitur de facto nullum bonum à Deo ſperare poſſumus, niſi in ordine ad beatitudinem: & conſequenter omne bonum à Deo ſperabile principaliter mouet propter ipſam beatitudinem, tanquam propter motiuum formale.

43. Ad Confirmationem, negatur ſequela, tum quia eſto de poſſibili Omnipotentia Dei vt auxiliatrix poſſit eſſe ſufficiens motiuum diſtinguendi virtutem Theologicam ſpecificè diuerſam à tribus aſſignatis; de facto tamen ex ſuppoſitione præſentis diſpoſitionis diuinæ, vi cuius omnia bona à Deo ſperabilia, diriguntur ad futuram beatitatem, nequit diſtinguere diuerſam virtutem Theologicam à tribus aſſignatis. Quoniam vt poſſet eſſe ſufficiens motiuum ſpecificandi diuerſam virtutem Theologicam à tribus enumeratis, deberet mouere abſque ordine ad futuram beatitudinem, ac proinde contra regulam à Deo præſcriptā. Tum maximè, quoniam ſi omnipotentia Dei vt auxiliatrix moueret voluntatem creaturæ ad ſperandum aliquod bonum creatum, abſque ordine ad beatitudinem obiectiuam, tale motiuum non eſſet ſpecificatiuum virtutis Theologicæ: quia in tali caſu obiectum formale non eſſet Omnipotentia Dei vt auxiliatrix, ſed potius bonum illud creatum, quod in virtute auxilij diuini ſperaretur. Nam eodem modo philoſophandum eſt de illo bono creato; quod in virtute Omnipotentiæ Diuinæ auxiliatricis moueret voluntatem Creaturæ, ac philoſophati ſumus de bono increato, quod de facto in virtute Omnipotentię Dei auxiliantis mouet voluntatem Creaturæ ad illud ſperandum: ergo ſicut de facto quod mouet noſtram voluntatem, tanquam motiuum formale principale, non eſt Omnipotentia Dei auxiliatrix, cùm illa ſit tantùm medium & cauſa efficiens, non forma ipſa perficiens & beans appetitum noſtrum: ita quod in eo caſu moueret voluntatem noſtram tanquam motiuum formale principale, non eſſet Omnipotentia Dei auxiliatrix, nam etiam in eo caſu Omnipotentia Dei auxiliatrix ſe haberet vt medium & cauſa ipſius formæ perficientis noſtrum appetitum: ſed eſſet bonum ipſum creatum, quod principaliter perficeret nos: proinde non poſſet eſſe virtus Theologica, quoniam hæc pro obiecto formali principali habet Deum ipſum bonum increatum.

44. Authoritas vero S. Doctoris, quæ pro prima ſententia affertur, explicanda eſt de obiecto formali minùs principali. Exemplum autem de obiecto fidei, ſolùm adducitur ad oſtendendum, quòd ſicut fides in eſſe virtutis intellectualis pendet à prima veritate teſtificante; ita Spes in eſſe virtutis moralis à Diuina potentia & pietate auxiliante. Virtus enim in eſſe virtutis. Magis pendet à regula dirigente, quā ab obiecto mouente & alliciente. S. Thom.

45. Ex dictis infertur, Spem eſſe virtutem Theologicam, non obſtante quòd obiectum ipſius non ſit ſolus Deus, ſed etiam bona creata: quoniam ad virtutem Theologicam ſufficit vt principale obiectum ſit Deus. Quia igitur principale obiectum Spei eſt Deus, eſto cum Deo ſint etiam bona creata, inter quæ potiſſimum eſt ipſa formalis conſecutio Dei, quæ vnà cum ipſo Deo mouet appetitum ſperantis ad illam ſperandam, erit virtus Teologica. Non minus quàm Theologica virtus eſt fides infuſa, non obſtante quòd ipſius obiectum non ſit ſola authoritas Diuina, ſed etiam reuelatio, quæ eſt actio creata.

46. Vltimò inquiri poteſt, an liceat æternam beatitudinem ſperare ab homine. S. Thom. Reſpondet cit. quæſt. 17. art. 4. S. Thomas, licitum eſſe æternam beatitudinem ab homine ſperare, non tanquam ab agente & auxiliante principali, quo pacto à ſolo Deo ſperanda eſt: ſed tanquam ab agente & auxiliante inſtrumentali, qui apud Deum nos iuuare poteſt ad eam conſequendam. Vtilicitum eſt, eam ſperare propter merita noſtra in Deo facta, vt docet Tridentinum ſeſſ. 6. can. 26. Tridentinū

SECTIO V.

An beatitudo alterius ſit obiectum Spei?

47. PRima ratio dubitandi pro parte negante deſumitur ex Auguſtino in Enchiridio ca. 8. vbi ſpem à fide diſcriminans: *Fides*, inquit, *& ſuarum rerum eſt, & alienarum: nam & ſe quiſq; credit aliquando eſſe cœpiſſe, nec fuiſſe vtique ſempiternum; & alia atque alia. Spes autem nonniſi bonarum* Auguſtin.

rerum

rerum eſt, nec niſi futurarum, & ad eum pertinentium, qui earum Spem gerere perhibetur. Cui ſuffragatur S. Thomas 3. parte quæſt. 7. art. 4. ad 3. his verbis: *Spes dicitur propriè reſpectu alicuius, quod expectatur ab ipſo ſperante habendum*: & Scotus in 3. diſt. 26. quæſt. vnica *§. ad argumenta*, tanquam abſurdum infert, ſpem alteri beatitudinem ſperare.

S.Thomas. Scotus.

48. SECVNDA ratio dubitandi eſt, quoniam, ſperare alteri beatitudinem, non eſt actus Spei, ſed Charitatis: ergo beatitudo alterius non poterit eſſe obiectum Spei. Conſequentia elucet, quoniam obiectum Spei eſſentialiter differt ab obiecto charitatis: nequit autem obiectum vnius virtutis ſpecificare actum alterius virtutis. Antecedens probatur, quoniam ſperare alteri beatitudinem ex complacentia perſonę, eſt actus amicitiæ, qui eſſentialiter diſcriminatur ab actu Spei, qui eſt amor concupiſcentiæ. Confirmatur. Obiectum Spei eſt bonum vt commodum ſperanti: obiectum Charitatis eſt bonum vt commodum alteri, cui amatur: ergo beatitudo vt bona & commoda alteri, nō eſt obiectum Spei, ſed Charitatis. Pro huius controuerſiæ deciſione,

49. Notandum, bifariam poſſe alteri bonum intendi ac procurari; vno modo, quà bonum ipſius eſt, ex complacentia perſonæ, cui intenditur & procuratur: alio modo, quà tale bonum redundat in commodum ipſius amantis ac procurantis: vt cùm quis amat & procurat ſanitatem famulo, vt ſibi meliùs famuletur.

50. Hac præiacta diſtinctione, facilis erit propoſitæ difficultatis ſolutio. Nam ſi beatitudo alterius ametur vt bona & commoda perſonæ, cui amatur, ex ſola complacentia ipſius, erit obiectum ſupernaturalis amicitiæ & Charitatis, actuſque, qui circa illam verſatur, erit actus amicitiæ & Charitatis. Si eadem beatitudo ametur quatenus redundat in bonum & commodum ipſius amantis erit obiectum Spei, actuſque, qui circa eam verſatur, erit actus Spei Theologicæ. Aſſertio ſic explicata eſt S. Thomæ 2. 2. quæſtione 17. articulo 3. & communis Theologorum, partim cum Magiſtro in 3. diſtinctione 26. partim cum Angelico Doctore locis præcitatis: nec ea poterit ab vllo Theologo negari.

S.Thomas. Magiſter.

51. Priorem aſſertionis partem euidenter probat ſecunda ratio dubitandi, cum citata authoritate vtriuſque Doctoris Auguſtini, & S. Thomæ, quæ intelligenda eſt iuxta hanc priorem partem aſſertionis. Poſteriorem verò probat natura ipſa Spei, cuius formale obiectum eſt bonum, quatenus commodum eſt ſperanti. Cuius ratio deſumenda eſt ex eſſentiali diſcrimine, quod inter obiectum formale Charitatis & Spei intercedit: quod aliud eſſe non poteſt, quàm quod aſſignatum eſt nempe quòd Charitatis formale obiectum ſit bonum diligibile ex cōplacentia perſonæ, qui amatur: formale autem obiectum Spei ſit bonum futurum diligibile vt commodum ipſi ſperanti. Ex hac eſſentiali differentia ex parte obiecti naſcitur eſſentiale diſcrimen inter actum, qui verſatur circa obiectum vnius, & actum, qui verſatur circa obiectum alterius: nam prior eſt Charitatis, quæ ſpectat bonum proximi, vt bonum proximi eſt: poſterior Spei, quæ ſpectat bonum ſperantis, vt bonum ſperantis eſt: fundaturque ille in amicitia, quæ eſſentialiter tendit in bonum amici; hic in concupiſcentia, quæ eſſentialiter tendit in bonum amantis.

52. Cæterùm dupliciter poteſt quis alteri ſperare beatitudinem vt bonam & commodam perſonæ, cui amatur: vno modo, quatenus talis perſona apprehenditur vt vnita & coniuncta aliquo modo ipſi ſperanti. Quem modum aſſignat cit. loco 2. 2. S. Thomas. Etenim hoc ipſo quòd alter apprehenditur vt perſona vnita & coniuncta ſperanti, quidquid ei amatur & procuratur, aliquo modo amatur & procuratur ipſimet ſperanti, cùm per talem coniunctionem conſtituant quaſi vnum, ac proinde quidquid boni accedit vni, aliquo modo redundat in alterum. Sic quia filius eſt pars patris, & ſeruus Domini, & vxor mariti, quidquid boni futuri ſperat Pater Filio, aut Dominus ſeruo aut maritus vxori, quatenus pars ipſius eſt, vt bonum & commodum ſibi quodammodo ſperat. Altero modo poteſt quis alteri beatitudinem ſperare, vt bonum ipſi ſperanti, quatenus beatitudo alterius auget ac promouet beatitudinem ipſiuſmet ſperantis, vt ſi eo fine deſideres & procures beatitudinem proximo, vt per eam tuam augeas & promoueas.

S.Thomas.

53. Verùm ex hac communi ſententia duplex oritur, eaque grauis difficultas. Prima eſt, actum quo quis ſibi futuram beatitudinem ſperat, eſſe actum Charitatis, cùm illam ſibi ſperet ex complacentia ſui, non minùs quàm, quando eam alteri ſperat ex complacentia ipſius perſonæ, cui illam procurat. Secunda eſt: ſi poteſt erga alterum eſſe Spes, ſequitur, quòd per actum, quo alteri beatitudinem deſperamus, amittatur ſpes erga nos ipſos: quia cùm hæc ſit vna indiuiſibilis inclinans ad vtrumque actum, ſi ea in nobis amittitur per actum, quo beatitudinem nobis deſperamus, eadem amittetur per actum, quo eandem beatitudinem proximo deſperamus. Sequela verò probatur: nam talis actus deſperationis eſt contra obiectum formale Spei, cùm idem ſit obiectum formale Spei erga nos ipſos, & erga proximum apprehenſum vt coniunctum nobis. Confirmatur. Non minùs Spes tendit in beatitudinem vt bonam ſperanti, & in eandem vt bonam proximo apprehenſo vt coniuncto cum ipſo ſperante: quàm Charitas in bonitatem in-

creatam

creatam Dei vt bonam ipſi Deo, & in bonitatem proximi vt participatam à bonitate increata Dei. Atqui ſublato obiecto formali Charitatis in proximum, per odium erga proximum, tollitur obiectum Charitatis erga Deum, & conſequenter etiam Charitas. Igitur ſublato obiecto formali Spei erga proximum, per actum deſperationis de beatitudine proximi, tollitur obiectum formale ſpei erga ſperantem, & conſequenter etiam Spes erga ipſum ſperantem.

Rom. 10. 54. Ad priorem difficultatem reſpondet 1. Bannez 2. 2. quæſtione 17. articulo 3. ideo actum, quo nobis futuram beatitudinem ſperamus, non eſſe Charitatis, ſed Spei, quia illam nobis ſperamus vt arduam & difficilem acquiſitu. Ex quo infert, actum, quo beati nobis beatitudinem deſiderant, non eſſe virtutis Spei, ſed Charitatis: ſicut neque actum, quo Chriſtus nobis beatitudinem deſiderabat, fuiſſe Spei, ſed Charitatis: quia neque beati, neque Chriſtus nobis beatitudinem optant vt aliquid ipſis difficile.

55. Sed contrà, quia ſicut poſſumus actu Charitatis velle, & procurare alteri bonum vt nobis difficile acquiſitu: ita actu Charitatis poſſumus velle, & procurare nobis bonum acquiſitu difficile. Et ratio eſt, quia obiectum formale Charitatis, eſt velle ac procurare bonum ex ſola complacentia perſonæ, tanquam ex vltimo & formali motiuo. Arduitas autem & difficultas conſequendi bonum, etſi ſupra bonum ſimpliciter addat quandam excellentiam, quæ ſatis eſt ad diſtinguendum actum Spei ab actu deſiderij, non eſt tamen ſatis ad diſtinguendum actum Spei ab actu charitatis, reſpectu cuius hæc ſingularis boni excellentia materialiter ſe habet, cùm vltimum ac formale ſpecificatiuum ipſius ſit complacentia perſonæ.

56. Reſpondent 2. alij, ideo actum, quo nobis æternam beatitudinē vt bonum noſtrum volumus ac ſperamus, non eſſe Charitatis: quoniam Charitas, teſte B. Gregorio Homil. 17. in Euangelia, *minùs quàm inter duos eſſe non poteſt*. Quæ eſt etiam ſententia Philoſophi in Ethicis, vbi docet, amicitiam eſſe ad alterum: actus autem Charitatis, amicitiæ actus eſt; nequit igitur eſſe ad ſe ipſum.

B. Gregor. Philoſoph.

57. Sed contrà, nam eſto ſui ad ſe ipſum amicitia propriè eſſe non poſſit, cùm hæc fundetur in mutuo amore, qui diſtinctas naturas amoris capaces ſupponit: poterit tamen eſſe actus Charitatis & beneuolentiæ, nam hîc non neceſſariò eſt ad alterum. Vnde Deus dicitur Charitas, non ſolùm quia diligit nos, ſed etiam quia diligit ſe ipſum: alioqui Charitas nō competeret Deo eſſentialiter, ſicut non eſſentialiter amat creaturas, cùm potuerit eas efficaciter non amare, cùm eas potuerit non creare. Confirmatur. Actus, quo æternam beatitudinem mihi amo vt bonum meum, & ex complacentia mei, habet idem obiectum formale, quod habet actus, quo eandem beatitudinem amo proximo vt bonum proximi, & ex complacentia ipſius.

58. Reſpondet 3. Suarez diſp. 1. de Spe ſect. 3. n. 9. ideo hunc actum, quo mihi futuram beatitatem volo, non eſſe Charitatis, quia hæc non reſpicit bonum & commodum proprię naturæ, ſed Dei, eiuſque gloriam & excellentiam. Vnde etiam quando amo proximum amore Charitatis, amo illum vltimatè propter gloriam & honorem Dei. Suarez.

59. Sed contrà, nam eſto hęc reſponſio ſit vera de actu Charitatis ſupernaturalis, qui ſemper pro obiecto formali habet bonitatem increatam, vt infrà oſtendam, non eſt tamen vniuerſaliter vera de quouis alio actu Charitatis & beneuolentiæ naturalis, quo quis naturalia bona ex complacentia propriæ perſonę ſibi amat & procurat, cùm hic actus non habeat pro obiecto formali bonitatem increatam Dei. Vnde ſaltem actus, quo mihi bona naturalia futura ardua deſidero ex cōplacentia mei, non erit actus Spei, ſed Charitatis & beneuolentię naturalis.

60. Reſpondet 4. Coninck diſp. 19. de Spe dub. 1. ideo actum, quo mihi æternam beatitudinem deſidero, non eſſe Charitatis ſeu beneuolentiæ, ſed Spei: quia actus Charitatis ſeu beneuolentiæ vltimatè tendit in ipſam bonitatem perſonę, propter quam ęſtimatur digna, vt ei tale bonum ametur & procuretur. Spes autem vltimatè ſiſtit in ipſo bono amato & concupito, vt bonum & commodum eſt ipſimet amanti & ſperanti. Et quia actus ſpecificantur ex obiecto vltimato, ad quod tendunt, ideo actus, quo mihi æternam beatitudinem opto, cùm vltimatè ſiſtat in ipſa beatitudine vt bona & commoda mihi, & non in aliqua bonitate perſonæ, propter quam me dignum exiſtimem tali bono, erit Spei, & non Charitatis. Contrà verò, quia actus Charitatis ſeu beneuolentiæ non ſiſtit vltimatè in ipſo bono concupito, ſed vlteriùs tendit in ipſam bonitatem & dignitatē perſonę, propter quam ei bonum amatur & procuratur, non erit actus Spei & concupiſcentię, ſed Charitatis & amicitiæ. Quòd ſi quis æternam beatitatem ſibi optaret ac procuraret, propter aliquam bonitatem ac dignitatem, quam in ſe agnoſcit, talis actus foret Charitatis & beneuolentiæ. Conin.

61. Hæc ratio eſt omnium probabiliſſima, cùm vniuerſaliter ſaluet diſcrimen inter actum Spei & Charitatis ſeu beneuolentiæ. Nam ſemper hic ſpecificatur à bonitate & dignitate perſonæ, propter quam amans mouetur ad bonum illi deſiderandum & procurandum: contrà verò ille à bono ipſo, quod perſonæ amatur, & procuratur, nulla habita ratione perſonalis dignitatis, cui amatur. Quo fit, vt etiamſi multa & varia ſint

ſint ſpecie bona, quæ actu beneuolentiæ amantur perſonæ, actus tamen ipſe beneuolentiæ ſemper ſit vnus ſpecie, quia ſuam vnitatem non deſumit ex bonis concupitis, ſed ex bonitate perſonæ, cui concupiſcuntur. Contrà verò actus Spei ſpecificam diuerſitatem ſortitur ex diuerſitate bonorum, quæ concupiſcuntur: quia hic ſuam vnitatem, vel diuerſitatem ſumit ex bonis ipſis concupitis. Saluat etiam, quo pacto Spes Chriſtiana ſit virtus Theologica: quia licet pro obiecto habeat æternam beatitatem vt bonam & cōmodam perſonæ, cui deſideratur: attamen perſona non ingreditur obiectū ipſum formale Spei, ſed eſt tantùm terminus & finis, cui beatitudo amatur & ſperatur.

62. Dices. Etiam actu Spei ſperans mouetur ex complacentia ſui ad deſiderandam ſibi æternam beatitudinem: ſed talis motus eſt Charitatis & beneuolentiæ: ergo. Reſp. diſtinguēdo Maiorem: mouetur ex complacentia Charitatis beneuolentię, nego; concupiſcentię, concedo. Porrò hoc intereſt inter complacentiam Charitatis & concupiſcentiæ, quòd illa originatur ex bonitate & dignitate perſonæ, ex qua tendit ad alia bona illi deſideranda & procuranda: hæc formaliter includitur in ipſo amore & deſiderio bonorum, quæ concupiſcuntur perſonæ, cui amantur & deſiderantur.

63. Pro poſteriori difficultate multę afferri ſolent à recentioribus ſolutiones, quę tamen difficultatem omnino non euacuant. Mihi relictis aliorum, hæc occurrit. Ideò deſperatio de ſalute proximi non tollit ſpem erga me ipſum: quia talis deſperatio non tollit adæquatū obiectū Spei Theologicæ: quādiu autem hoc non tollitur, non tollitur habitus ipſe Spei: nam hic tamdiu manet, quamdiu manet obiectum, in quod ferri poſſit. Cùm igitur obiectum adæquatū Spei Theologicæ non ſit tantùm beatitudo proximi, ſed etiā propria; cumque per deſperationem de beatitudine proximi non tollatur beatitudo propria, quia poſſum deſperare de beatitudine proximi, & ſperare de propria, per deſperationē de beatitudine proximi non tollitur Spes erga me ipſum, quia cum deſperatione de beatitudine proximi manet obiectū Spei erga me ipſum, circa quod habitus Spei verſari poteſt.

64. Ex his patet ad probationem ſequelæ pro ſecunda difficultate adductam. Non enim deſperatio de ſalute proximi eſt cōtra adæquatū obiectum Spei Theologicæ. Nec eſt par ratio de fide, quæ tollitur per quamcunque hæreſim, & de Charitate, quæ tollitur non ſolùm per odium Dei, ſed etiam per odium proximi: nam quæuis hæreſis tollit adæquatum obiectum fidei, quod eſt authoritas diuina per Eccleſiam propoſita. Et quoduis odiū proximi, imò quodlibet peccatum mortale tollit adæquatum obiectum charitatis, quod eſt Deus vltimus finis & obiectum amicabile, quod adæquatè tollitur quolibet mortali peccato, cùm quodlibet mortale peccatum ponat vltimum finem in creatura, præferendo amorem illius amori Dei.

DISPVTATIO XX.

De actu Spei Chriſtianæ.

SECTIO I.

An actus Spei Chriſtianæ ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam?

1. Constat ex præcedente diſp. ſect. 2. actum Spei Chriſtianæ eſſe bonum & honeſtum, cùm ſit actus virtutis elicitus ſecundùm regulam rationis diuinæ. Quo poſito, vlteriùs inquirimus, an ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. Cuius explicationis gratia ſupponenda eſt duplex ſupernaturalitas; altera quoad modum tantùm: altera quoad ſubſtantiam. Hæc eſt ſingularis quædam participatio diuinarum perfectionum, extollens ſe ſupra totum ordinem naturę creatæ, proinde nulli ſubſtantiæ creatæ debita. Illa eſt quidē quoad ſubſtantiam ordinis naturalis, ac proinde non excedens quoad entitatem naturam creatam, excedit tamen illam quoad modum, quatenus hic & nunc talis actus producitur, qui vel nō eſſet à cauſis naturalibus producendus, vel non cum ea intenſione & perfectione, qua producitur à Deo per concurſum naturalem efficaciorem, vt fusè explicatum eſt 3. tomo præcedente diſp. 26. ſect. 1. Quo fit, vt hæc ſupernaturalitas non ſit cuilibet ſubiecto naturali indebita: cùm idem actus, qui hic & nunc, ſpectatis præſentibus cauſis naturalibus, eſt indebitus mihi, mutatis circumſtantijs cauſiſque na-

turalibus,

turalibus, ſit mihi debitus: quique vni propter grauem tentationem eſt indebitus, ſit alteri propter bonam animi diſpoſitionem debitus. Hac igitur duplici ſupernaturalitate præmiſſa, quærimus, an actus Spei Chriſtianæ ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, an tantùm quoad modum. Diſputamus autem hic de actu Spei Chriſtianę, prout oportet ad ſalutem conſequendam, vti de fide ſuprà diſputatum eſt. Cæterùm an dari poſſit actus Spei naturalis elicitus ex puro motiuo naturali, cum ſolo concurſu generali, pendet ex ijs, quæ de actu fidei ſuprà docuimus: nam quæ ibi de fide diximus, applicanda ſunt Spei, cùm ſit eadem vtriuſque ratio.

2. PRIMA ſententia negat, actum Spei Chriſtianæ eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, ſed tantùm quoad modum. Hanc docent nonnulli Theologi, quos citatos habes ſuprà de actu fidei diſp. 10. ſect. 2. Vnicum huius ſententiæ fundamentum eſt: quoniam talis Spei actus ad iuſtificationem ſufficit: ergo fruſtra aſſeritur alius ſuperioris, perfectioriſque ordinis. Antecedens probatur, nam talis actus elicitur ex ſpeciali auxilio gratiæ mouentis, licet ordinis naturalis, per Chriſtum nobis præparatæ: ergo ſufficit ad iuſtificationem. Confirmatur, nam talis actus eſt meritorius alicuius prœmij ſupernaturalis, cùm ex meritis Chriſti ſufficientem dignitatem ſortiatur ad omne prœmium purè creatum.

3. SECVNDA ſentētia affirmat, actūm Spei Chriſtianæ eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam: eſt communis inter Theologos: eaque apertè deducitur ex S. Th. 1.2. q. 62. a. 3. & 2.2. q. 17. a. 1. & 6. vbi ad actum Spei Chriſtianæ requirit habitum per ſe infuſum, non minùs quā ad actum fidei, & Charitatis. *S. Thomas* Nec refert, quòd 2.2. q. 171 a. 2. ad 3. idem Doct. S. doceat, huiuſmodi habitus non dari ad ſubſtātiam, ſed ad modū actus: quoniā vt prçcitato loco in ſolutione argumentorū notauimus, per actus ſupernaturales quoad modū intelligit S Th. eos actus, qui ſaltē in ratione generica obiecti materialis conueniunt cum naturalibus, cuiuſmodi ſūt actus Fidei, Spei, & Charitatis in via. Cōtrà verò ſupernaturales quoad ſubſtantiam intelligit actus, qui neque in ratione generica obiecti materialis conueniunt cum naturalibus, qualis eſt viſio beata, quæ ſub nullo motiuo attingi poteſt ab intellectu creato, abſq; peculiari eleuatione: cùm tamē ſub motiuo naturali poſſit homo viribus proprijs credere, ſperare, & diligere Deū, tametſi non vt oportet ad ſalutē.

4. Hanc ſententiam exiſtimo omnino verā & ſequendā. Eamq; 1. colligo ex Paulo 1. ad Corinth. 13. vbi ſub eodē ordine & ſerie virtutū infuſarū ac ſupernaturalium perfectionum numerat Spem, ac fidē & Charitatem: *S. Paulus 1. ad Cor. 13* ſed fides Chriſtiana eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, vt cit. diſp. oſtendimus: idemq; à fortiori conſtat de Charitate ex 3. noſtro tomo: ergo & Spes Chriſtiana. Nec te moueat, quod idem Apoſtolus ibidem dicat, maiorē eſſe Charitatem: nam hoc non dixit de maioritate extra ordinem, ſed de maioritate intra ordinem eiuſdem ſupernaturalitatis, vt paſſim explicant Patres. *Nunc verò*, inquit Chryſoſtomus in citatum locū Pauli, *manet Fides, Spes, Charitas, tria hæc, ſed in his maior Charitas: in eo ſcilicet, quia tranſeunt illa, hæc durat.* *Chryſoſt.* Hieronymus in eundē locum: *magis ergo eſt, quod ſemper erit, quàm quod aliquando ceſſabit.* *Hieronym.* Rurſus: *Charitas verò*, inquit, *ideò maior eſt omnibus, quia qui diligit, & credit & ſperat.* Auguſtinus ſerm. 29. de verbis Domini: *ſed hæc ait tria itidē aliquantulum diuerſa, ſed omnia Dei dona.* *Auguſtin.* Ambroſius explicans eundem Pauli locum: *dignè*, inquit, *maior eſt Charitas, quia vt fides prædicaretur, & Spes eſſet futura vita, Charitas præſtitit.* *Ambroſius* Anſelmus: *maior eſt Charitas, cui fides & Spes nō poſſunt deeſſe: Fides & Spes ſine Charitate poſſunt eſſe. Vel ideò maior, quia fides ceſſabit, dum futura, quæ creduntur, aduenerit: & Spes finem habebit, dum beatitudinem, quam quiſq; præſtolatur acceperit. Sola verò Charitas in æternum perſeuerabit.* *Anſelmus.* Vbi vides, omnes citatos Patres, alioſque, qui citari poſſunt inter ſe conuenire, non ideò Charitatē eſſe maiorem, quia ſit ſuperioris ordinis fide & Spe: ſed vel quia ipſa ſola ſit æternum manſura, cæteris ceſſantibus; vel quia ipſa ſupponat cæteras, non autem ſupponatur à cæteris.

5. Secundò manifeſtè deducitur ex Tridentino ſeſſ. 6. Can. 3. vbi ad ſperandum vti oportet ad iuſtificationem conſequendam, duplex requirit Spiritus S. auxilium, & præueniens per modum inſpirationis, qua ſupernaturale obiectū Spei volūtati proponatur; & concomitans ſiue adiuuans per modū adiutorij, quod cum ipſa voluntate phyſicè concurrat ad actū Spei producendū. *Tridentinū.* Porrò actus, qui ad ſui productionē requirit phyſicū auxiliū ſupernaturale quoad ſubſtantiā, eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, vt ex ſequēti ratione patebit. Quod autē per adiutoriū Spiritus S. Conciliū intelligat phyſicū auxilium ſupernaturale quoad ſubſtantiam, apertè conſtat: nam idē auxilium requirit ad credendum, & diligendū vti oportet, atque ad ſperandum: ſed ad credendū & diligendū vti oportet, requiritur auxilium ſupernaturale quoad ſubſtantiam, vt ex alibi diſputatis ſuppono; ergo etiā ad ſperandū. Cōfirmatur. Si ſolū auxiliū ſupernaturale quoad modum ſufficeret ad ſalutem conſequendā, omnes ſcripturæ, & Concilia explicari poſſent de huiuſmodi auxilio, cùm non aliud auxiliū ſcripturæ & Concilia nobis proponant, quā quod neceſſariū eſt ad ſalutē conſequendam: proinde nullū nobis ſupereſſet mediū ad probandū dari actus ſupernaturales quoad ſubſtantiā: & conſequēter tolleretur etiā mediū probandi habitus infuſos: nā hi non ob aliā causā dantur, niſi vt ſint principia talium actuum, vt mox oſtendam.

6. Tertiò probatur eadem ſententia rationibus. Prima ſit. Datur de facto habitus infuſus Spei ſupernaturalis quoad ſubſtātiam:

ergo

ergo datur actus Spei etiam ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. Antecedens vel eſt de fide à Tridentino ſeſſ. 6. cap. 7. definitum, vt iuxta probabiliorem opinionem oſtendi Tomo præcedente diſp. 29. ſect. 2. vel communiter ab omnibus Theologis receptum: nam ſaltem hæc ſententia tanquam probabilior, & dictis Sanctorum ac Theologorũ magis conſona definita eſt in Cõcilio Viennenſi. Quòd autem hic habitus ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, eſt æquè certum, cùm ſit per ſe infuſus, & ab acquiſito eſſentialiter diuerſus: alioqui fruſtra infunderetur, ſi ab acquiſito non differret. Conſequentia verò probatur: quoniam, vt ſuprà cit. diſp. oſtendi, nõ poteſt alia probabilior cauſa aſſignari, cur huiuſmodi habitus infundatur, niſi vt ſit actiuũ principium actus Spei. Actus autem, qui fieri poſtulat à principio ſupernaturali quoad ſubſtãtiam, neceſſariò eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam: cùm non poſſit naturaliter habitus ſupernaturalis quoad ſubſtantiam producere, niſi actum ſupernaturalem quoad ſubſtantiã: nam habitus ſemel à voluntate determinatus producit actum vt cauſa neceſſaria, ac proinde ſecundùm totam ſuam perfectionem.

Trident. *Viennenſe.*

7. Quòd autem nulla alia probabilior cauſa aſſignari poſſit, cur talis habitus infundatur, facilè probatur: quoniam vel infunderetur ad communicandam actui rationem meriti, vt Capreolus & Caietanus præcitata diſp. ſect. 2. contendebant: Et contra hoc eſt: nam forma dignificans opera noſtra, eſt ſola gratia habitualis; quæ vt filiatio adoptiua Dei reddit omnia noſtra opera bona, accepta Deo, & digna Cœleſtis Patris hæreditate. Vnde præciſo omni alio habitu, ſola hæc foret ſufficiens ad dignificandos omnes noſtros actus, cùm habitus ſint tantùm principia comproductiua vnà cum potentia ſupernaturalium actuum.

Capreolus. *Caietanus.*

8. Vel infunderetur ad maiorem intenſionem & facilitatem actus. Et contra hoc eſt: quia nequit hanc ipſam intenſionem & facilitatem habitus in actum producere, niſi actiuè in illum influendo, ac proinde niſi effectiuè ſuam ſupernaturalitatem illi communicando. Intenſio enim, vt probabilior fert ſententia, fit per additionem gradus ad gradum eiuſdem rationis. Ergo ſi habitus Spei Chriſtianæ intendit ſuum actum, intendit illum producendo in eo gradus ſupernaturales quoad ſubſtantiam, & per conſequens ſupponuntur in ipſo tanquam in cauſa conſimiles gradus ſupernaturales quoad ſubſtantiam. Confirmatur, nam cauſa, quæ potens eſt intendere actum, potens etiam erit illum producere: igitur ſi habitus Spei poteſt intendere actum ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, poterit illum ſimpliciter producere.

9. Vel demum infunderetur ad maiorem euidentiam & firmitatem actus. Et contra hoc eſt: quoniam, vt rectè S. Thomas ſecunda ſecundæ q. 18. art. 4. hanc firmitatem & certitudinem habet actus Spei à Fide infuſa, cuius teſtimonio innititur, & à qua dirigitur ad ſuum finem conſequendum. Certitudo enim, vt ibidem S. Doctor docet, ſoli actui intellectus formaliter competit, participatiuè autem & per extrinſecam denominationem omni actui, qui ab ipſa virtute cognoſcitiua infallibiliter dirigitur ad ſuum finem conſequendum. Notat autem ibidem idem Doctor S. ad tertium ex eo quòd aliqui habentes Spem deficiant à conſecutione beatitudinis, id non prouenire ex defectu Spei, quæ innititur potentiæ & miſericordiæ diuinæ, quæ deficere non poſſunt; ſed ex defectu liberi arbitrij obſtaculum ponentis.

S. Thomas. *Idem ibid.*

10. Secunda ratio ſit. Omnis diſpoſitio connaturalis eſt eiuſdem ordinis cum forma, ad quam diſponit: atqui Spes Chriſtiana eſt diſpoſitio connaturalis ad iuſtificationem: ergo eſt eiuſdem ordinis cum illa. Sed hæc eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, vt communis Theologorum ſententia docet; ergo & illa. Maior conſtat inductione in omni diſpoſitione naturali. Cuius ratio eſt, quia diſpoſitio naturalis eſt ſimul proprietas formæ, ad quam diſponit. Minor aſſumpta traditur à Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 6. & 7. vbi deſcribitur diſpoſitio ad iuſtificationem per actus Fidei, Spei, & Charitatis, ad quos tanquam ad diſpoſitionem, vt initio capitis ſeptimi docet, iuſtificatio ipſa conſequitur.

Trident.

11. Tertia ratio deſumitur ex obiecto Spei Chriſtianæ, quod eſt ipſa ſupernaturalis beatitudo, ad quam attingendam vti oportet ad ſalutem, requiritur auxilium ſupernaturale quoad ſubſtantiam. Cùm enim hoc excedat naturales vires liberi arbitrij, attingi nequit auxilio naturali quoad ſubſtantiam, cùm nullum auxilium attingere poſſit terminum ſuam ſphæram excedentem: atqui beatitudo ſupernaturalis eſt extra ſphæram auxilij naturalis quoad ſubſtantiam: nam hoc eſt tantùm commenſuratum beatitudini naturali. Nec dici poteſt, ſaltem hanc attingi poſſe ab auxilio ſupernaturali quoad modum: quia cùm hæc ſupernaturalitas in auxilio non conſiſtat in entitate diuerſa à naturali, non poterit ſe extendere vltra terminum commenſuratum virtuti naturali.

12. Ad fundamentum oppoſitæ ſententię, negandum eſt, actum Spei ſupernaturalem quoad modum ſufficientem eſſe ad iuſtificationem, ad quam, vt probatum eſt, requiritur actus eiuſdem ordinis: Nec ſatis eſt, vt procedat ex auxilio naturali per merita Chriſti præparato: nam ſicut merita Chriſti non faciunt auxilium ex naturali ſupernaturale quoad ſubſtantiam: ita non reddunt illud idoneum ad attingendum terminum ſupernaturalem quoad ſubſtantiam. Ad Confirmationem, concedo talem actum eſſe meritorium alicuius præmij de congruo tantùm & remotè, non autem de condigno & proximè: ad hoc enim requiritur, vt ſit eiuſdem

Digitized by Google

eiuſdem ordinis cum præmio: idque colligimus tum ex Scripturis & Concilijs, tum ex naturali, proportione, quam ſeruare debet meritum cum præmio.

SECTIO II.

Quibus actibus & quo ordine in ſuum obiectum Spes Theologica feratur?

13. DVPLEX eſt genus actuum, quo quęlibet virtus in ſuum obiectū fertur; Alterum proſecutionis; fugæ alterum, cùm enim omnis virtus habeat pro obiecto bonū, quippe cùm nequeat virtus, niſi circa bonum verſari; cumque circa omne bonum duplex actus verſari poſſit, proſecutionis, illud amando & deſiderando; & fugæ, oppoſitum malū præcauendo ac vitando, hoc etiam duplex actuum genus habebit Spes Theologica circa ſuum obiectum: de quibus, deque eorum ordine breuiter dicendum eſt.

14. DICO 1. Spes Theologica actu proſecutionis in ſuum obiectum fertur amore concupiſcentiæ, deſiderio, Spe, & delectatione. De primo patet: quia cùm obiectum Spei ſit beatitudo ſupernaturalis, quatenus eſt ſummum bonum noſtrum, primus actus, quo voluntas circa illam virtute Spei fertur, eſt amor concupiſcentiæ, quo illam amat vt bonum ſibi. De ſecundo conſtat, nam ad quemlibet amorem, ſi ſit de re abſente & poſſibili adipiſci, naſcitur deſiderium illam conſequendi, cùm omnis amans cupiat ſibi coniungere rem amatam. De tertio probatur, nam quando bonum abſens eſt arduum & difficile adipiſci, circa illud tendit Spes peculiari quodam conatu eleuando voluntatem ſupra ordinarium modum operandi ipſius. Vnde hic actus differt ab amore & deſiderio: nam amor tendit in beatitudinem per ſimplicem dumtaxat complacentiam: deſiderium autem in bonum abſens futurum; Spes verò in bonum arduum ac difficile adipiſci, & nonniſi auxilio Omnipotentis miſericordiæ Dei: ac propterea hic ſolus actus denominatur Spes, quia hic tantùm ſpectat bonum arduum ac difficile, & innititur auxilio diuino, quod eſt proprium Spei Theologicæ.

15. DICES. Non ſolùm deſideramus bonum facile, ſed etiam difficile: ergo per hoc non diſtinguitur deſiderium à Spe. Reſpondeo, concedo, per hoc tantùm non diſtingui, diſtingui autem ex eo, quòd Spes in bonum arduum feratur conatu quodam ſupra Ordinarium modum operandi potentiæ: deſideriū verò in huiuſmodi bonum fertur modo ordinario, abſque conatu excedente ordinarium modum operandi potentiæ.

16. De quarto actu, qui eſt delectatio, liquet; nam omne bonum adeptum & poſſeſſum cauſat poſſidenti gaudium & delectationem: ergo maximè ſupernaturalis beatitudo. Cæterùm notandum, hoc gaudium, quod Spes in nobis cauſat, eſſe duplex; Alterū, quod percipitur ex beatitudine actu poſſeſſa: Alterum, quod percipitur ex beatitudine certò poſſidenda: eoq; hoc gaudium erit maius, quò certiùs beatitudo poſſidenda ſperatur. Cùm his annumerandus eſt actus electionis, quo media ad ſupernaturalem beatitudinem conſequēdam proportionata eligimus. Qui actus proximè imperatur ab ipſo actu Spei, qui eſt efficax intentio finis: vti omnis electio mediorum cauſatur ab efficaci intentione finis. Atque hęc de actibus proſecutionis, quibus Spes Theologica fertur in ſuum obiectum. Superſunt declarandi actus fugæ, quibus eadē virtus mala contraria beatitudinis auerſatur.

17. DICO 2. Eadem Spes timet pœnas vt contrarias beatitudini, quatenus beatitudo eſt bona & commoda ſperanti: qui timor bonus eſt & honeſtus, etiamſi filialis non ſit, ſed ſeruilis. Primum liquet: nam eadem virtus, quæ inclinat ad proſequendum bonū ſui obiecti, inclinat etiam ad vitandum malum ſuo obiecto contrarium. Ex eadem quippe inclinatione, qua virtus fertur in bonum, fertur ad remouendum malum deſtructiuum ſui obiecti: ſicut eadem natura, quæ inclinat ad conſeruationem ſui, inclinat ad fugiendam deſtructionem ſui.

18. Secundum explicat motiuum formale, propter quod Spes Theologica fugit ac timet pœnas: nam ſub eodem motiuo virtus tendit ad fugam mali, quo tendit ad proſecutionem boni: cùm omnis fuga mali fundetur in amore alicuius boni: ideo enim fugimus malum, quia eſt deſtructiuum alicuius boni. Igitur ex eodē motiuo, quo Spes Theologica fertur in bonum ſui obiecti, fertur ad euitandum malum contrarium ſuo obiecto. Atqui motiuum formale, quo Spes Theologica fertur in beatitudinem, eſt, quatenus bona eſt & commoda ſperanti: ergo ex eodem motiuo fertur ad fugiendas pœnas illi contrarias.

19. Tertium, quòd talis timor ſit bonus & honeſtus, definitur contra Lutherum à Tri- *Trident.* dentino ſeſſ. 14. cap. 4. & Can. 5. vbi à Concilio appellatur *Dei donum & Spiritus ſancti impulſus nondum quidem inhabitantis, ſed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam ſibi ad iuſtitiam parat.* Et ratione etiam probatur, quoniam nulla in tali actu apparet malitia; & ex alia parte conformis eſt regulæ diuinæ, qua ſępè monemur ad huiuſmodi pœnarum metum concipiendum, vt per illum peccata vitemus. Quid enim aliud innuunt verba illa Saluatoris toties apud Euangeliſtas repetita Matth. 10. Lucæ 12. *Timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* *Matth. 10. Luca 12.* idem motiuum nobis proponunt adhortationes illæ, quæ nos ad rectè operandum excitant Spe Regni Cœleſtis.

20. Quartum, quòd hic timor non ſit filialis, ſed ſeruilis, probatur: nam filialis eſt effectus charitatis, & pro obiecto habet non pœnas contrarias beatitudini, vt bonum

noſtrum

noſtrum eſt; ſed offenſam & iniuriam Dei propter ſeipſum dilecti. Quòd ſi hic interdū pœnam timet, illam nō timet vt impeditiuam propriæ beatitudinis, ſed vt connotatiuam offenſæ diuinæ. Eſt & aliud diſcrimen inter timorem filialem & ſeruilem: quòd filialis, iuxta communem Theologorum ſentētiam, perſeuerat in Patria, iuxta illud Pſalmi 18. *Timor* Pſal. 18. *Domini Sanctus permanens in ſæculum ſæculi*; non autem ſeruilis. Eſt autem hic timor filialis in beatis duplex, vti illum rectè explicat Coninck. Coninck diſp.20. dub.9. Alter eſt de ipſa apprehenſione peccati, quòd dum beati apprehendunt, tanquam ſummum malum diuinæ bonitati cōtrarium, quam ipſi ſummo amore & conatu diligunt; interno quodam timore, abſque vlla tamen anxietate & periculo illud à ſe committendi, horrent ac refugiunt. Alter conſiſtit in reuerentiali quodam affectu, quo beatus intuens ex vna parte infinitam Dei Maieſtatem & excellentiam, ex alia parte infinitam ſuam vilitatem & nihileitatem; reuerētiali quodam tremore refugit ad tantam maieſtatem accedere, non timore alicuius mali, quod reformidet, ſed apprehenſione infinitæ diſtantiæ, quam inter ſe & Deum agnoſcit. S. Petrus. Ad eum modum, quo Petrus ſimili timore Lucæ 5. perculſus Chriſto dicebat, Lucę 5. *Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine: ſtupor enim*, addit Euangeliſta, *circumdederat eum*: nimirum ob ſummam Reuerentiam, quam ex infinita diſtantia inter propriam perſonam & Chriſti Maieſtatem conceperat, non audebat ad illum accedere, vel coram illo ſtare. Cęterùm non eſt neceſſum, vt omnis timor filialis eliciatur à charitate, cùm poſſit ex motiuo alterius virtutis elici, quæ Deum reſpiciat ſaltem vt finem *Cui*.

21. *Obijcies* 1. Pari modo poſſet in beatis perſeuerare timor ſeruilis, dum concipientes priuationem æternæ beatitatis, tanquam ſupremum malum creaturæ rationalis, illam refugiunt vt contrariam propriæ naturę, non quòd timeant aliquando ſe illa priuandos, ſed propter amorem, quo ſe diligunt. Reſpondeo negando antecedens: cùm enim beati Deum diligant ſupra ſeipſos, non tam ſolliciti ſunt de proprio bono, quàm de diuino.

22. *Obijcies* 2. Nullum actum poteſt virtus elicere, qui non ſit propter ſuum obiectum formale: ſed non omnis timor elicitus propter pœnam, eſt propter obiectum formale Spei: ergo non omnis timor propter pœnam elicitus eſt actus Spei. Maior conſtat, quia nulla virtus operari poteſt extra ſphæram ſui obiecti formalis. Minor probatur, quia poteſt quis timere pœnas inferni, non conſiderata beatitudine: ergo talis timor non eſt propter obiectum formale Spei, cùm nequeat actus eſſe propter obiectum formale, niſi illud cognoſcatur. Reſpondeo concedo, non omnem timorem propter pœnam eſſe actum Spei Theologicæ, ſed ſolùm illum, qui concipitur propter pœnam vt cōtrariam beatitudini, quatenus eſt bona ſperanti. Vnde timor inferni, niſi eliciatur ex amore beatitudinis æternæ, non erit actus Spei, ſed illius virtutis, ex cuius motiuo elicitur. Quò fit, vt omnis timor, qui elicitur à virtute Spei, ſit Theologicus, cùm nullus actus elici queat, niſi propter motiuum virtutis, à qua elicitur. Cū ergo motiuum Spei Chriſtianæ ſit Theologicum, omnis actus ab ea elicitus, Theologicus ſit oportet, nempe propter idem obiectum formale, à quo Spes ipſa Theologica ſpecificatur. Non inficior, timorem gehennæ, etiamſi non eliciatur propter gehennam vt contrariam beatitudini, communiter à Doctoribus appellari actum Spei Theologicæ: nam vt appellari poſſit actus Spei Theologicæ, ſufficit, vt vel imperetur à Spe, cum cuius imperio conſtituens vnum, ab eo ſortitur formalem denominationem Spei Theologicæ: vel vt implicitè ſaltem tendat in obiectum formale ipſius.

DISPVTATIO XXI.

De generatione, intenſione, corruptione, & remiſſione Spei Theologicæ.

SECTIO PRIMA.

Quibus actibus, & qua ratione habitus Spei Theologicæ ſit generabilis, intenſibilis, corruptibilis, ac remiſſibilis?

1. HÆc ferè eadem explicata ſunt ſuprà de habitu Fidei diſp. 15. ideò quæ vtrique communia ſunt, vel ſupponentur, vel breuiter attingentur, non omiſſis ijs, quæ ſunt propria virtutis Spei: quæ, quoniam magnam controuerſiam non habent, breuiter etiam explicabuntur.

2. DICO 1. Spes Theologica gignitur in adultis poſt fidem, & ante charitatem, non phyſicè, ſed moraliter ex actibus ſupernaturalibus Spei Chriſtianæ, qui antecedunt actus

Digitized by Google

charitatis, & ſubſequuntur actus fidei. Prima pars eſt certa, quoniam Spes Chriſtiana ſupponit fidem, à qua regulatur, & cui innititur, cùm nec poſſit in ſuum obiectum tendere, niſi propoſitum & creditum fide diuina; nec firma ac certa eſſe, niſi diuinis promiſſis fide infuſa creditis innitatur.

3. SECVNDA pars probatur eodem fundamento, quo ſuprà probatum eſt de fide. Fundamentum autem eſt. Actus Spei Chriſtianæ in adulto eſt ſufficiens diſpoſitio ad habitum eiuſdem: ſed ante infuſionem charitatis præcedit actus Spei Chriſtianæ: ergo ante habitum charitatis gignitur Spes Theologica in adulto. Maiorem ſuppono ex diſputatis de fide. Minor traditur à Tridentino ſeſſ. 6. cap. 6. vbi diſpoſitionem adulti ad iuſtificationẽ deſcribens, actus Spei Chriſtianę collocat medios inter fidem & charitatem. Eadem Minor colligitur ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 13. vbi Spem mediam numerat inter fidẽ & charitatem. Confirmatur. Spes Chriſtiana, adhuc amiſſa per peccatum charitate, manet in peccatore: ergo nondum infuſa charitate in eodem, gignitur Spes per actus ſupernaturales Spei.

Trident.

Apoſtolus 1. ad Cor. 13.

4. TERTIA pars, nempe quòd habitus Spei Chriſtianæ non phyſicè, ſed moraliter gignatur ex actibus ſupernaturalibus Spei, conſtat ex illo communi fundamento, quo præcitata diſp. 15. ſect. 3. vniuerſaliter probauimus, nullum habitum ſupernaturalem phyſicè, ſed moraliter dumtaxat ex ſuis actibus progigni: eo quòd cũ habitus ſupernaturales ſint quoad entitatem perfectiores ſuis actibus; cumque nullus effectus perfectior produci poſſit à cauſa principali imperfectiori; nullus habitus ſupernaturalis, vt à cauſa principali phyſicè produci poterit à ſuo actu. Quòd nec ab illo produci poſſit, vt à cauſa inſtrumentali connaturali; nam de obedientiali ad rem pręſentem non facit, probatur: quia talis actus nec poſſet eſſe inſtrumentum animæ, cùm nullum inſtrumentum ſupernaturale poſſit eſſe connaturale inſtrumentum cauſæ naturalis; nec ipſius habitus ſupernaturalis, cùm omnis cauſa principalis, vt ex Philoſophia ſuppono, naturalem actiuitatem habere debeat in ſuum effectum, quæ cum inſtrumento producit. Atqui nullus habitus infuſus naturalem actiuitatem habet producendi ſeipſum, vel alium conſimilem habitum, vt inductione conſtat: & ratio id etiam demonſtrat, quia cùm ſit inſtar potentię immanentis, quam complet & iuuat ad producendos actus ſupernaturales, non poterit habere naturalẽ actiuitatem producendi alium conſimilem habitum, ſicut nec vna potentia immanens id habet. Nec eſt inſtrumentum Dei, vt citato loco probatum eſt. Ex his ſequitur, habitum Spei Theologicæ à ſolo Deo phyſicè produci.

5. Quòd autem moraliter producatur ab ipſis actibus Spei, probatur: quia tales actus, cùm ſint ſupernaturales quoad ſubſtantiam, erunt ſaltem de congruo meritorij habitus Spei, ad quam ſuapte natura diſponunt. Debent autem tales actus, vt ſint proximè moraliter productiui habitus Chriſtianæ Spei, eſſe ſupernaturales quoad ſubſtantiam. Nec ſufficit vt ſint tantùm ſupernaturales quoad modum: nam ſicut vt actus ſint proxima diſpoſitio ad iuſtificationem, debent eſſe eiuſdem ordinis ſupernaturalis cum ipſa iuſtificatione: ita, vt actus ſint proxima diſpoſitio, ac proinde moraliter productiui ſuorum habituum, debent eſſe eiuſdem ordinis ſupernaturalitatis cum ipſis habitibus.

6. DICO 2. Habitus Spei Theologicæ in iuſto non ſolùm augetur actibus ſupernaturalibus Spei, ſed etiam aliarum virtutum, quibus augetur gratia ipſa habitualis; in peccatore autem nonniſi actibus ſupernaturalibus Spei. Aſſertio hæc quoad vtramque partem conſtat eodem fundamento, quo præcitata diſp. 15. ſect. 5. probatum eſt de habitu Fidei, cùm ſit eadem vtriuſque ratio. Legantur quæ ibi dicta ſunt.

7. DICO 3. Habitus Spei Theologicæ eſt corruptibilis, non materialiter, nec phyſicè, aut purè demeritoriè, ſed per ſublationem motiui formalis. Primum conſtat: nam quod poteſt per aliquam cauſam corrumpi, eſt corruptibile: Spes Theologica poteſt per aliquam cauſam corrumpi, vt de actu deſperationis mox conſtabit: ergo eſt corruptibilis.

8. Quòd non ſit corruptibilis materialiter per ſe clarũ eſt. Nam illud eſt corruptibile materialiter, quod habet ſubiectum, in quo ineſt, corruptibile, ad cuius corruptionem corrumpitur forma in eo exiſtens, vti dicuntur materialiter corruptibiles omnes proprietates formæ materialis, ad cuius corruptionem illæ corrumpuntur. Atqui Spes Theologica, cùm ſubiectetur in anima ſpirituali incorruptibili, non poterit dici materialiter corruptibilis.

9. Quòd nec ſit corruptibilis phyſicè, probatur: quia nullus actus, vel habitus phyſicè pugnat cum habitu Spei Theologicæ. De actu probatur, quia nullus actus pugnat cum oppoſito habitu, ſed ad ſummum cũ oppoſito actu, vt per ſe patet, & à nobis probatum eſt diſp. 11. ſect. 1. De habitu etiam probatur: nã ſi quis habitus phyſicè pugnaret cum Spe Theologica, maximè eſſet habitus deſperationis: atqui hic manere poteſt cum habitu Spei infuſæ, vt patet in peccatore, qui poſt acquiſitum deſperationis habitum per multos frequentatos actus, ad Deum conuertitur: in hoc enim, ſaltem per aliquod tempus vnà cum habitu infuſo Spei, quem in ipſa iuſtificatione cum reliquis ſupernaturalibus habitibus accipit, perſeuerat habitus acquiſitus deſperationis, vt conſtat ex facilitate, quam, ſi iterum per deſperationis actum à Deo auerteretur, experiretur.

10. Quòd non ſit purè tantùm demeritoriè corruptibilis, inde conſtat: alioqui per quodlibet peccatum mortale amitteretur, cùm per quodlibet peccatũ mortale homo fiat dignus priuari quolibet dono & habitu infuſo, vt de habitu infuſo fidei ſuprà docuimus.

Demum

Demum quòd corrumpatur per ſublationem motiui formalis, probatur eodem fundamento, quo prænotata diſp. 15. ſect. 6. de habitu Fidei probatum eſt: quoniam ſublato motiuo formali, nequit habitus operari, proinde non debetur naturaliter illi ampliùs eſſe, cùm nulli rei debeatur eſſe, niſi propter operationē, ob quam eſt inſtituta. Cùm igitur habitus infuſus Spei ſuapte natura inſtitutus ſit propter ipſum actum Spei, cumque ſublato eius motiuo, nequeat ampliùs Spes operari, non debebitur illi ampliùs eſſe.

11. Dico 4. Habitus Spei Theologicæ non eſt remiſſibilis. Fundamentum, quia habitus Spei Theologicæ non corrumpitur, niſi per ſublationem motiui formalis, vt præcedente aſſertione demonſtratum eſt. Motiuum autem formale, cùm ſit indiuiſibile, ſi tollitur, totum tollitur, & conſequenter habitus à tali motiuo in operando pendens totus corrumpitur. Ex quo patet diſcrimen, cur idem habitus ſit intenſibilis, non autem remiſſibilis: quia nimirum remiſſio in habitu infuſo non fit per introductionem gradus contrarij habitus incompoſſibilis cum gradu habitus infuſi, ſed per ſublationem motiui formalis, quo ſublato, nō debetur illi ampliùs eſſe: intenſio autem fit per additionem noui gradus eidem habitui, moraliter cauſati ab actibus ſupernaturalibus Spei.

SECTIO II.

Quibus actibus corrumpatur habitus Spei Theologicæ?

11. QVæ prȩcedente ſect. diximus, ferè omnia cōmunia ſunt cū habitu Fidei Theologicæ: in hac ſect. explicabimus, quæ ſunt propria Spei. Nam ſicut hæc habet proprios actus diuerſos ab actibus Fidei, quibus moraliter gignitur, & intenditur; ita & peculiares actus, quibus moraliter corrūpitur, tametſi non habeat cōtrarios actus, quibus remittatur, vt ex vltima aſſertione præcedentis ſectionis conſtat. Ac primò quidem manifeſtū eſt, habitum Spei Theologicȩ non corrumpi, niſi actu peccaminoſo: cùm, vt præcedente ſect. probatum eſt, non corrumpatur, niſi per ſublationem motiui formalis; cumque nullus actus, niſi peccaminoſus, vim habeat tollendi motiuum formale Spei Theologicȩ, cū omnis actus bonus conſiſtere poſſit cum motiuo formali ipſius, non poterit niſi actu peccaminoſo corrumpi. Confirmatur. Habitus Spei Theologicæ corrumpitur demeritoriè, nam licet non corrumpatur tantùm demeritoriè, negari tamen non poteſt, quin etiā demeritoriè corrūpatur. Implicat autē, vt aliquid demeritoriè corrumpatur actu bono: cùm demeritoriè corrumpi, ſit corrūpi in pœnam alicuius delicti.

12. Secundò certum eſt, habitum Spei Theologicæ moraliter nō corrumpi actu peccaminoſo veniali, ne quidem deſperationis. Probatur euidenter: nullum veniale pugnat cum charitate: cum charitate manent omnes virtutes infuſæ: ergo nullo veniali corrumpitur Spes Theologica. Maior, & Minor eſt certa. Conſequentia ſequitur in forma Syllogiſtica: nam ſi cum charitate manent omnes virtutes, & nullum veniale tollit charitatem: ergo Spes manebit cum quouis peccato veniali. Confirmatur. Spes Theologica efficienter corrumpitur à Deo in pœnam alicuius peccati: non eſt autem credibile, Deum corrumpere Spem Theologicam in pœnam peccati venialis, ſicut & nullam aliam virtutem infuſam.

13. Supereſt igitur examinandum, quo peccato mortali Spes Theologica corrumpatur. De quatuor autem controuerſia eſſe poteſt. Primò de quouis mortali: Secundò de hæreſi: Tertiò de actu deſperationis: Quartò de actu præſumptionis, qui opponitur Spei per exceſſum.

14. Prima opinio ſeu error contendit, corrumpi quouis peccato mortali. Hanc docent hæretici noſtri temporis, vt colligitur ex Tridentino ſeſſ. 6. Can. 12. quorum fundamentum aſſignatur ibidem à Concilio: putant enim iuſtificationem nihil aliud eſſe, quā fiduciam diuinæ miſericordiæ peccata remittentis propter Chriſtum. Ex quo manifeſtè ſequitur, Spem, quæ cum fiducia recurrit, manere non poſſe cum peccato: alioqui idem maneret iuſtus ratione fiduciæ in Deum, & ſimul iniuſtus ratione peccati. *Trident.*

15. Secvnda ſententia docet, habitum Spei Theologicȩ non modò corrumpi actu deſperationis, quo quis ſibi deſperat futuram beatitudinem; ſed etiam actu prȩſumptionis, quo eandem beatitudinem à ſe obtinendam ſperat, vel proprijs viribus, vel abſque condignis meritis, vel indebito aliquo modo. Fundamentum, quoniam vterque actus eſt contrarius Spei, eiuſque formale obiectum tollit, quod conſiſtit in ſupernaturali beatitudine obtinenda auxilio Dei, & per condigna merita ex gratia diuina profecta, & iuxta modum diuinæ promiſſionis.

16. Tertia ſententia affirmat, corrumpi tam actu deſperationis, quàm actu hȩreſis. Fundamentum, quia vterque tollit obiectum formale Spei Theologicæ, quo ſublato, corrumpitur ipſe habitus Spei.

17. Qvarta demum ſententia eſſe poteſt, habitum Spei corrumpi ſolo actu deſperationis, eo quòd hic tantùm ſit directè & formaliter contrarius Spei Theologicæ: cùm hȩreſis ſit tantùm contraria Fidei: vnde ſicut actu deſperationis non tollitur formaliter Fides: ita nec actu hæreſis tollitur formaliter Spes. Ratio, quia nullus actus tollit habitum, niſi illi opponatur: nullus autem actus opponitur habitui, niſi directè opponatur motiuo formali ipſius. Atqui nullus actus contrarius motiuo formali vnius virtutis, eſt contrarius motiuo formali alterius: quia ſicut motiua formalia diuerſarum

virtutum diſcriminantur inter ſe, ita & actus illis oppoſiti. Igitur non poteſt actus oppoſitus vni motiuo formali, directè opponi motiuo formali alterius. Confirmatur. Fides & Spes ſunt in diuerſis ſubiectis, illa in intellectu, hæc in voluntate: ergo nequit vna corrumpi per actum contrarium alteri: cùm omnis corruptio fieri debat per actus contrarios circa idem ſubiectum.

18. Dico 1. Spes Theologica non corrumpitur quouis peccato mortali. Aſſertio quoad habitum non eſt expreſsè ab Eccleſia definita: certò tamen colligitur à paritate fidei, quam non amitti per quoduis peccatum mortale expreſsè definit Tridentinum ſeſſ. 6. can. 28. eſt enim eadem planè vtriuſque ratio. Dixi *quoad habitum:* nam quoad actum poſſe à peccatore elici, & cum quouis peccato ſtare, præterquam cum oppoſito deſperationis & hæreſis, definitur in eodem Tridentino ſeſſ. 6. cap. 6. & 7. vbi inter actus, quibus peccator ad iuſtificationem ſe diſponit, connumerat Spem. Quia verò poſſet quis dicere, actum Spei natura tantùm, non tempore iuſtificationem præcedere, eo modo, quo eandem iuſtificationem præcedit actus contritionis, ac proinde non eſſe ſimul in eadem duratione temporis peccatum & actum Spei, ſed productionem vnius eſſe corruptionem alterius; quo pacto productio contritionis eſt corruptio cuiuſlibet peccati mortalis; ideò expreſſiùs idem Concilium ſeſſ. 14. cap. 4. docet, attritionem ex gehennæ metu conceptam, quam ſect. præcedente oſtendimus eſſe actum Spei Theologicæ, *eſſe Spiritus ſancti impulſum non adhuc quidem inhabitatis, ſed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam ſibi ad iuſtitiam parat: quæ quamuis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit.* Quibus manifeſtè indicat, tamdiu actum Chriſtianæ Spei manere poſſe cum peccato in homine, quamdiu vel ad vlteriorem actum contritionis, vel ad Sacramentum Pœnitentiæ non tendit. Quod autem nequeat actus Spei ſimul ſtare cum oppoſito peccato deſperationis & hæreſis, infrà conſtabit.

Trident. — *Trident.* — *Idem Conc. 14. cap. 4.*

19. Dices. Si de fide eſt, actum Spei Chriſtianæ ſimul eſſe poſſe cum quouis peccato, excepto peccato deſperationis & hæreſis: ergo etiam de fide erit, eius habitum cum quouis peccato eſſe poſſe, cùm nequeat talis actus elici, niſi à ſuo habitu. Reſpondeo negando conſequentiam: cùm non ſolùm actus Spei Chriſtianæ elici poſſit à ſuo habitu, ſed etiam à ſpeciali auxilio ſupplente vicem habitus: ſicut actus fidei, & charitatis non ſolùm elici poſſunt à ſuis habitibus, ſed etiam à ſpeciali auxilio ſupplente virtutem habitus.

20. Dico 2. Spes Theologica non ſolùm corrumpitur oppoſito actu deſperationis, ſed etiam hæreſis. Aſſertio eſt communis inter Theologos, quam cum Sancto Doctore ſecunda ſecundæ q. 20. art. 2. recentiores tradunt. Fundamentum vtriuſque partis eſt, quoniam vtrumque peccatum tollit obiectum formale Spei Theologicæ: igitur vtrumque peccatum eſt moralis cauſa corruptionis ipſius. Conſequentia conſtat ex præcedente ſect. quia ſublato obiecto habitus, tollitur materia, circa quam operari poteſt habitus: ſublata autem materia, circa quam operari poteſt habitus, naturaliter petit deſinere habitus, cùm non debeatur illi eſſe, niſi in ordine ad operationem. Antecedens quoad peccatum deſperationis patet: nam deſperatio eſt actus voluntatis, quo deſperans deſerit beatitudinem proſequi, tanquam ſibi moraliter impoſſibilem: ergo in opinione deſperantis tollitur obiectum formale Spei, quæ eſt beatitudo vt ſibi moraliter poſſibilis acquiſitu.

S. Thomas.

21. Quoad hæreſim eſt expreſſa ſententia Auguſtini in Enchiridio cap. 7. & 8. vbi, *ſine fide,* inquit, *eſſe non poſſunt,* videlicet Spes & Charitas. *Quid autem,* ſubdit, *ſperari poteſt, quod non creditur?* Et probatur ratione: nam obiectum formale Spei, vt conſtat ex diſp. 19. ſect. 4. eſt beatitudo vt certò obtinenda per miſericordiam & Omnipotentiam auxiliatricem Dei, vt colligitur ex Hebræ. 6. vbi Spes Chriſtiana dicitur anchora animæ tuta ac firma. Atqui hęc obiectiua certitudo tollitur per hæreſim: ergo per hæreſim tollitur obiectum formale Theologicę Spei. Minor probatur: nam vt Spes ſit vti oportet ad beatitudinem conſequendam, inniti debet promiſſioni diuinæ: nititur autem promiſſioni diuinæ mediante fide infuſa, quę diuinam promiſſionem, modumque ſperandi ſalutem proponit. Eſt enim fides proxima regula, à qua dirigi debet Chriſtiana Spes, vt firma & certa ſit, cuiuſmodi eſſe debet Spes ad beatitudinem conſequendam neceſſaria: igitur, hac ſublata, tollitur obiectum Spei Chriſtianæ, quę eſt obiectiua certitudo beatitudinis conſequendę.

Auguſt. — *Hebr. 6.*

22. Porrò dupliciter, ſublata fide diuina, tolli poteſt obiectum formale Spei Theologicæ; vno modo proximè & immediatè, vt ſi tollatur fides ipſius promiſſionis diuinæ de beatitudine conſequenda, & medijs eam obtinendi: alio modo remotè & mediatè, vt ſi tollatur fides diuina circa alios articulos, & conſequenter circa hunc articulum diuinæ promiſſionis de beatitudine conſequenda: cùm, vt ex diſputatis de fide conſtat, non poſſit tolli fides diuina circa vnum articulum, & manere circa alios. Iuxta priorem modum facilè apparet, quo pacto tollatur obiectum formale Chriſtianę Spei: nam per hunc modum ponitur erroneum iudicium, vel quòd beatitudo non ſit nobis à Deo promiſſa, vel quòd non ſit obtinenda auxilio Dei, ſed viribus proprijs. Primo modo tollitur beatitudo vt poſſibilis adipiſci; ſecundo vt obtinenda auxilio Dei. Vtroque modo tollitur obiectum formale Spei Theologicæ, quod eſt beatitudo vt certò conſequenda auxilio & miſericordia Dei: ergo vtroque actu tollitu

obiectum

obiectum formale Theologicæ Spei.

23. Confirmatur, nam cum vtroque actu pugnat actus Spei Theologicæ: ergo per vtrumque actum corrumpitur habitus Spei Theologicæ. Conſequentia conſtat, quoniam per eum actum demeritoriè corrumpitur habitus Spei Theologicæ, qui incompoſſibilis eſt cum actu Spei. Antecedens probatur, quia implicat, vt quis efficaciter velit beatitudinem proſequi, ſtante erroneo iudicio, quòd beatitudo non ſit nobis à Deo promiſſa, cùm efficax voluntas proſequendi beatitudinem neceſſariò ſupponat iudicium certum de beatitudine à Deo promiſſa: quod repugnat cum oppoſito iudicio de eadem beatitudine à Deo non promiſſa. Implicat præterea, vt quis ſperet beatitudinem obtinendam auxilio Dei, & ſimul obtinendam viribus proprijs: nam vnus actus negat alium. Qui enim ſperat beatitudinem obtinendam viribus proprijs, eam non ſperat obtinendam auxilio Dei. Et è contrà, qui illam ſperat obtinendam auxilio Dei, non ſperat obtinendam viribus proprijs.

24. Hoc poſterius eſt contra Turrianum ſecunda ſecundæ q. 21. art. 2. vbi cum Vaſquez docet, eum, qui cum Pelagio beatitudinem ſperat proprijs viribus conſequendam, non peccare contra Spem, ac proinde per hunc actum non corrumpi habitum Spei. Quorum ratio eſt, quoniam nemo poteſt à ſeipſo aliquid ſperare, cùm obiectum Spei ſit arduum alterius auxilio conſequendum. Quod fundamentum eſt à nobis diſp. 19. ſect. 1. impugnatum. Nec refert, quòd talis actus non ſit deſperatio: quoniam, vt probatum eſt, non per ſolam deſperationem tollitur habitus Spei, ſed etiam per hæreſim tollentem obiectum formale Spei. *Turrianus. Vaſquez.*

25. De poſteriori modo eſt aliqua difficultas, an per eum tollatur obiectum Chriſtianæ Spei. Ratio dubitandi eſſe poteſt, quia nullam videtur connexionem habere hæreticum iudicium, exempli cauſa de Virginitate B. Mariæ, cum iudicio de beatitudine conſequenda: nam poſſet quis errare in primo, & tamen verum iudicium habere de ſecundo. Nihilominus dicendum eſt, etiam per hunc modum tolli obiectum formale Chriſtianæ Spei. Ratio eſt ſuprà inſinuata: quia ſublata fide infuſa de vno articulo, eadem tollitur circa reliquos: atque adeo qui habet iudicium erroneum erga vnum articulum, non poteſt habere certum iudicium fidei diuinæ de alio: ac proinde tollitur infallibilis certitudo obiecti Spei Theologicæ, quæ eſſentialiter pendet ex infallibili certitudine iudicij fidei diuinæ. Quare negandum eſt, eum, qui errat in Virginitate Deiparæ, poſſe certum fidei diuinæ iudicium habere de beatitudine conſequenda, ſed ad ſummum habere poterit iudicium humana fide ac ratione conceptum; quod ad ſupernaturalem beatitudinem ſperandam, vti oportet, vt eam conſequamur, non ſufficit: cùm hæc ſperari debeat certitudine infallibili innixa promiſſioni Dei fide diuina creditæ.

26. Dico 3. Non quouis præſumptionis actu demeritoriè corrumpitur habitus Spei Theologicę, ſed eo dumtaxat, qui ſupponit erroneum iudicium de beatitudine conſequenda. Poſterior pars conſtat ex præcedente aſſertione. Prior probatur, nam præſumptio, quæ non fundatur in iudicio erroneo, non repugnat cum actu Spei Theologicæ: igitur non eſt demeritoria cauſa corruptiua ipſius habitus. Conſequentia patet, quoniam, vt dictum eſt, habitus Spei demeritoriè non corrumpitur, niſi per actum incompoſſibilem cum actu veræ Spei. Antecedens probatur, nam poteſt quis habere certum iudicium de beatitudine, quod ſit nobis à Deo promiſſa, & de modo eam conſequendi per auxilium & gratiam eiuſdem, & tamen peccare peccato præſumptionis, plus æquo de diuina miſericordia præſumendo: vt ſi quis in peccatis perſeuerans ſperet, Deum ſibi in fine vitæ fore propitium, ab eoque ſibi auxilium conferendum ad dignè de cōmiſſis peccatis pœnitendum. Legatur Bannez ſecunda ſecundæ q. 21. art. 2. §. *quartum* 4. & Syluius ibid. quęſtio 2. ille addit eum, qui præſumit ſe eſſe prędeſtinatum, eaque Spe ductus vult in finem vſque in peccatis perſeuerare, probabiliter amiſſurum habitum Spei: eo quòd hic deſtruat rationem formalem Spei ſaltem interpretatiuè, quod ſufficit ad cauſam demeritoriè corruptiuam Spei infuſæ. Oppoſitum docet Turrianus ibidem: quia ſicut, inquit, qui imprudenter & culpabiliter credit aliquid tanquam à Deo reuelatum, quod à Deo reuelatum non eſt, non amittit habitum fidei, quia per talem actum non aufert obiectum formale fidei: ita qui culpabiliter præſumit ſe eſſe prędeſtinatum, eaque Spe fretus vult in peccatis vſque in finem perſeuerare, non amittit Spem, quia per hunc actum non tollitur obiectum formale Spei. *Bannez. Syluius. Turrianus.*

27. Verùm prior ſententia eſt probabilior, noſtriſque principijs conformior, quibus oſtendimus, ad obiectum formale Spei infuſæ pertinere obiectiuam certitudinem nixam promiſſioni diuinæ, quæ haberi non poteſt, niſi ex certo iudicio fidei diuinę. Cùm igitur ſic ſperans non habeat certum iudicium de vera promiſſione diuina, ſed potiùs erroneum de falſa promiſſione Dei; quippe qui putaret, prædeſtinatum fore ſaluandum abſque meritis, non poſſet pro obiecto formali habere beatitudinem, vt certò conſequendam ex infallibili promiſſione Dei. Nec eſt par ratio de fide diuina, ad cuius obiectum formale non ſpectat certa ac prudens propoſitio obiecti credendi, cùm hęc ſit tantùm conditio, non ratio formalis credendi: proinde per leuem & imprudentem aſſenſum fidei non tollitur obiectum formale fidei, quod eſt teſtimonium diuinum. Tollitur autem obiectum formale Spei per actum, quo quis iudicat prædeſtinatum fore ſaluandum abſque meritis.

tis. Cæterùm qui credit aliquid tanquam à Deo reuelatum, quod à Deo reuelatum non eſt, non credit fide diuina, ſed humana. Sicut qui ſperat prædeſtinatum ſine meritis fore ſaluandum, non ſperat Spe infuſa & ſupernaturali, ſed humana & naturali.

28. Ex dictis infertur 1. Spem non tolli ſola omiſſione actus debiti, ſicut nec fidem. Fundamentum, quia ſola omiſſio actus debiti non tollit poſitiuè obiectum formale habitus Spei, vel fidei. Dices. Sola omiſſio actus debiti tollit charitatem: ergo ſola omiſſio actus debiti tollit Spem & fidem. Reſpondeo negando conſequentiam: Ratio diſcriminis, quoniam charitati, cùm ſit amicitia erga Deum, quodlibet peccatum mortale opponitur poſitiuè: quia quodlibet peccatum mortale eſt inimicitia contra Deum, ac proinde poſitiuè oppoſitum charitati, quæ eſt amicitia erga Deum. At non quodlibet peccatum mortale poſitiuè opponitur Fidei, aut Spei, ſed tantùm illud, quod poſitiuè tollit earum obiectum formale: Sola autem omiſſio actus debiti non tollit poſitiuè obiectum formale Fidei, & Spei.

29. Infertur 2. Ad quemlibet actum Spei Chriſtianæ neceſſarium eſſe aliquod iudicium fidei infuſæ elicitum propter teſtimonium Dei. Fundamentum, quoniam ad quemlibet actum Spei Chriſtianæ præcedere debet actus fidei diuinæ de promiſſa beatitudine. Dixi, *aliquod iudicium:* quia non eſt neceſſarium, vt omne iudicium, quod ad actum Spei Chriſtianæ concurrit, ſit fidei infuſæ: vt ad actum quo quis ſibi certò beatitudinem ſperat per condigna opera ex diuina gratia profecta, duo iudicia concurrunt, alterum de promiſſione beatitudinis à Deo facta, & auxilijs ſaltem ſufficientibus ad eam conſequendam: Alterum de auxilijs congruis ſibi conferendis. Prius iudicium debet eſſe fidei infuſæ elicitum propter teſtimonium Dei: Poſterius non neceſſariò eſt fidei infuſę, cùm non neceſſariò quis fide diuina credere debeat, Deum ſibi congrua auxilia collaturum, cùm hoc ad fidem diuinam non ſpectet.

30. Infertur 3. Ad tollendum obiectum Spei Theologicæ, non eſſe neceſſarium iudicium erroneum cum pertinacia, ſicut requiritur ad tollendum obiectum formale fidei, ſed ſat eſſe quodcunque iudicium erroneum. Ratio, quia per quodcunque iudicium erroneum, etiam abſque pertinacia, tollitur obiectiua certitudo Spei, quæ pertinet ad formalem rationem obiecti Spei Theologicæ. Cæterùm cur ad tollendum obiectum formale fidei, requiratur iudicium erroneum pertinax, non autem ad tollendum obiectum formale Spei, hęc eſt ratio. Quoniam de facto authoritas Eccleſiæ proponentis pertinet ad obiectum fidei, non ſolùm vt res credenda authoritate diuina, ſed etiam in ratione infallibilis proponentis, & atteſtantis tanquam organi & inſtrumenti Dei, cuius atteſtatio eſt eadem cum atteſtatione Eccleſiæ, ſicut atteſtatio cauſæ principalis & inſtrumentalis. Atqui authoritas Eccleſiæ non tollitur, niſi per iudicium pertinax, quo quis non vult credere Eccleſię vice Dei atteſtanti: ac per quodcunque aliud iudicium erroneum homo retinere poteſt animum parendi Eccleſię. Obiectum verò formale Spei quoad obiectiuam certitudinem tollitur per quodcunque iudicium erroneum, etiam non pertinax, vt oſtenſum eſt.

31. Infertur 4. Amiſſurum habitum Spei, qui ex odio contra Deum deſideraret carere ipſius viſione. Fundamentum, quia hic actus eſt virtualis deſperatio: eſt enim nolitio proſecutionis beatitudinis, in quo deſperatio conſiſtit: nec minùs hic actus deſtruit obiectum Spei, quàm formalis ipſa deſperatio. Nam qui ex odio contra Deum deſiderat carere viſione Dei, expreſsè non vult beatitudinem, ac proinde expreſsè tollit à ſe beatitudinem, quæ eſt obiectum Spei.

32. Infertur 5. Non poſſe corrumpi fidem, quin corrumpatur Spes, poſſe autem corrumpi Spem, non corrupta fide. Primum probatur, quia corrupta fide, neceſſariò tollitur obiectum formale Spei, quæ eſt obiectiua certitudo fundata in promiſſione Dei diuina fide credita. Confirmatur, quia fides Tridentino teſte ſeſſ. 6. cap. 8. eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis: corruente autem fundamento, totum ædificium in eo nixum corruere neceſſe eſt. Secundùm conſtat, quia poteſt quis deſperare, ſe conſecuturum beatitudinem, non propter aliquod hæreticum iudicium, quod habet vel de diuina promiſſione, vel de miſericordia Dei, ſed propter difficultates, quas experitur in peruincendis ſuis prauis affectibus: Fides autem non corrumpitur, niſi hæreſi. *Trident.*

33. Infertur 6. Amiſſurum Spem illum, qui erroneo iudicio culpabili ductus ſperat, ſe beatitudinem conſecuturum in virtutę alicuius creaturę, tanquam cauſæ principalis. Fundamentum, quoniam per huiuſmodi iudicium culpabile tollitur demeritoriè obiectum Spei Theologicę, quæ eſt beatitudo conſequenda in virtute Dei vt cauſæ principalis. Dixi *culpabili:* quia ſi tale iudicium non ſit culpabile, vel ſaltem non mortaliter culpabile, non poteſt demeritoriè tollere habitum Spei: quia hic demeritoriè non tollitur, niſi per peccatum mortale, vt ſuprà oſtenſum eſt.

34. Infertur 6. Non poſſe aliquem verum actum Chriſtianę Spei, vti oportet ad ſalutem conſequendam, elicere, niſi præcedat actus fidei infuſę. Fundamentum, quoniam actus Spei Chriſtianę, vt ſit ſicut oportet ad ſalutem, debet eſſe ſupernaturalis quoad ſubſtantiam: hic autem neceſſariò elici debet ex motiuo ſupernaturali: nequit autem motiuum ſupernaturale voluntati proponi, niſi actu fidei infuſæ: nam ſola fides infuſa proponit beatitudinem vt certò nobis poſſibilem ex promiſſione & miſericordia Dei nos adiuuantis,

Digitized by Google

adiuuantis, cùm nulla cognitio naturalis poſſit beatitudinem ſupernaturalem tanquam certò nobis poſſibilem ex promiſſione Dei miſericorditer nos adiuuantis proponere.

35. Infertur 7. Peccatum deſperationis formaliter non conſiſtere in actu intellectus, quo quis iudicat beatitudinem ſibi eſſe ad conſequendum impoſſibilem; ſed in actu voluntatis, connotato ex parte intellectus iudicio de impoſſibilitate obiecti conſequendi. Fundamentum, quoniam deſperatio debet directè opponi actui Spei: atqui hic non conſiſtit in actu intellectus, quo quis iudicat beatitudinem ſibi eſſe acquiſitu poſſibilem; ſed in actu voluntatis, quo quis efficaciter intendit proſequi beatitudinem, connotato ex parte intellectus iudicio de poſſibilitate beatitudinis conſequendæ. Eſt autem formaliter deſperatio fuga & receſſus ab obiecto amato & deſiderato propter impoſſibilitatem eam conſequendi. Vnde formaliter dicit actum nolitionis.

36. Infertur 8. Deſperationem pro obiecto formali habere malum vt malum, bonum verò, quod deſperatur, habere tantùm vt obiectum materiale. Fundamentum, quoniam deſperatio, vt probauimus, eſt fuga: fuga autem non eſt boni vt boni, ſed mali vt mali, cùm nequeat bonum vt bonum odio haberi. Eſt autem malum, quod in obiecto deſperationis odio habetur, impoſſibilitas conſequendi rem deſideratam & amatam: cùm non minùs ſit malum homini, incurrere in aliquod malum, quàm non conſequi aliquod bonum à ſe amatum & deſideratum. Nec nobis contrarius eſt S. Thomas, qui prima ſecundę q. 40. art. 4. ad ſecundum, & ſecunda ſecundæ q. 129. art. 6. ad ſecundum docet, deſperationem reſpicere bonum, & non niſi per accidens malum: nam intelligendus eſt de obiecto materiali, non autem de formali, vt illum explicant Caietanus prima ſecundæ q. 42. art. 1. Valentia ibidem diſp. 3. q. 7. punct. 2.

[Margin: Thomas. / Caietanus. / Valentia.]

37. Ex his patet ad argumenta aliarum ſententiarum. Prima ſententia ſeu error falſum ſupponit fundamentum, nempe in ſola fiducia, quæ teſte S. Thoma ſecunda ſecundæ q. 129. art. 6. ad tertium, *eſt Spes roborata ex aliqua firma opinione*, iuxta illud Senecæ Philoſophi Epiſt. 16. ad Lucilium: *Iam de te ſpem habeo, nondum fiduciam iuſtificationem conſiſtere.*

[Margin: S. Thomas. / Seneca.]

38. Ad fundamentum ſecundæ conſtat ex dictis, per quod peccatum præſumptionis corrumpatur Spes Theologica.

39. Fundamentum tertiæ ſolutum manet ex dictis, quibus abundè probatum eſt, non ſolùm per actum deſperationis, ſed etiam hæreſis, deſtrui habitum Spei Theologicæ.

40. Ad fundamentum quartæ oſtenſum, eſt, qua ratione hęreſis ſit contraria Spei, ac proinde per eam eius habitum corrumpi. Nam etſi directè & formaliter non opponatur ex parte actus voluntatis, in quo Spes conſiſtit, opponitur ſaltem ex parte infallibilis iudicij de poſſibilitate beatitudinis fundata in promiſſione diuina, quod iudicium actus Spei Theologicę tanquam regulam & obiectum eſſentialiter ſupponit. Nec eſt eadem ratio, vt ex 5. Coroll. conſtat, de fide, quæ non neceſſariò corrumpitur actu deſperationis, vti actu hæreſis corrumpitur Spes: nam Spes pendet à fide, vt à proxima regula proponente & applicante obiectum: fides autem, cùm ſit fundamentum & initium omnis iuſtificationis, non pendet à Spe, & conſequenter non neceſſariò corrumpitur actu deſperationis, niſi quando deſperatio ſupponit hęreſim. Oſtenſum etiam eſt, quo pacto hæreſis ſit contraria motiuo formali Spei, auferendo ac deſtruendo illud per iudicium erroneum. Ad confirmationem, negatur conſequentia: quia cùm hęc corruptio non fiat per actus phyſicè oppoſitos, ſed demeritoriè, & per ſublationem obiecti formalis, non eſt neceſſe, vt fiat per actus verſantes circa idem ſubiectum, cùm poſſit actus circa vnum ſubiectum eſſe cauſa demeritoriè corruptiua obiecti formalis habitus exiſtentis in alio ſubiecto.

DISPVTATIO XXII.

Quodnam ſit ſubiectum Spei Theologicæ.

1. Duplex eſt ſubiectum Spei Theologicæ, proximum, & remotum, proximum eſt voluntas: nam ſiue ſermo ſit de Spe Theologica habituali, ſiue actuali, certum eſt, proximum ſubiectum ipſius eſſe voluntatem, quam adiuuat ad actus ſupra ſuas vires eliciendos, ſi ſit habitus: vel illam afficit & informat, ſi ſit actus. Etenim, cùm ſuprà probatum ſit, actum Spei eſſe actum voluntatis, quo per illum tendit in proſecutionem obiecti poſſibilis, futuri, ardui, conſequenter probatum manet, proximum ſubiectum ipſius tam quoad actum, quàm quoad habitum eſſe voluntatem, cùm in eadem potentia ponendus ſit habitus, quam debet ad actum iuuare.

2. Quoad ſubiectum verò remotum, primò certum eſt ex dictis, in damnatis non eſſe habitum, neque actum Spei Theologicæ. Quoad actū liquet: tum quia ad actum Spei requiritur, vt res ſperanda iudicetur vt poſſibilis

bilis acquiri: damnati autem nequeunt beatitudinem iudicare vt poſſibilem ſibi acquiſitu: tum quia nullum habent ſupernaturale auxilium præparatum, quod ad actum Spei Theologicę neceſſarium eſt. Quoad habitum etiam patet: nam ſublato ab ipſis obiecto formali Spei, quod eſt beatitudo vt poſſibilis acquiri, tollitur habitus, qui ſolùm datur ad operandum circa ſuum obiectum. Confirmatur. Damnati habent poſitiuum actum deſperationis, dum apprehendunt beatitudinem, vt ſibi impoſſibilem acquiri: ſed per actum deſperationis corrumpitur habitus Spei, cùm per actum deſperationis tollatur ipſum obiectum Spei. Nec obſtat, quòd damnati naturaliter deſiderant eſſe beati: nam talis actus non eſt Spei Theologicæ, qui eſſentialiter requirit vel habitum infuſum, vel auxilium ſupernaturale: ſed naturalis, proficiſcens ex naturali amore ſui.

3. Secundò certum etiam eſt ex dictis, habitum Spei non corrumpi quouis peccato mortali, proinde manere in peccatoribus. Tertiò certum etiam eſt, non manere in hæreticis: quia in eis non manet obiectiua certitudo beatitudinis, quæ pertinet ad obiectum formale Spei Theologicæ. Supereſt igitur controuerſia, an maneat in animabus purgantibus, & in beatis, & an fuerit in Chriſto Domino, dum vixit hanc mortalem vitam. Quæ controuerſia non ſolùm agitatur quantum ad habitum, ſed etiam quantum ad actum.

4. Et quidem quoad animas purgantes certum videtur, in eis non ſolùm manere habitum, ſed etiam actum Spei Theologicæ: *S. Thomas.* quod expreſsè docuit S. Thomas ſecunda ſecundæ q. 18. art. 3. & cum eo ferè omnes recentiores. Quoad habitum probatur: nam animæ purgantes eliciunt verum actum Spei: ergo retinent habitum. Antecedens mox conſtabit. Conſequentia probatur, nam hic non tollitur, quamdiu non tollitur objectum, in quod ferri poſſit. Quoad actum ſic oſtendo. Ad verum actum Spei Theologicæ quatuor requiruntur, vt bonum, quod ſperatur, ſit abſens, poſſibile, arduum, & paratum ſit ſperanti auxilium ad talem actum eliciendum. Hæc omnia habet actus Spei, quem animæ purgantes eliciunt: ergo eſt in eis verus actus Spei Theologicæ. Maior conſtat ex dictis. Minor probatur, nam beatitudo eſt illis abſens, cùm nondum illam poſſideant. Eſt eis poſſibilis, imò certò & infallibiliter futura, cùm non poſſint ampliùs ab ea deficere. Eſt eis ardua, cùm debeant illam acquirere pœnis & tormentis purgantis ignis. Habent ad talem actum eliciendum paratum auxilium: nam ſi illud paratum habebant in hac vita, non eſt, cur idem paratum non habeant in purgatorio.

5. Dices. Animæ purgantes habent euidentiam de conſecutione ſuæ beatitudinis: ergo nequeunt de illa habere Spem, cùm hæc requirat obſcuritatem, & incertitudinem, ſaltem ex parte ſperantis. Reſpondeo 1. negando antecedens: falſum quippe eſt, animas purgantes habere euidentiam, ſed ſolam certitudinem de conſecutione ſuæ beatitudinis: non enim habent aliam notitiam, quàm fidei. Quòd ſi hanc ipſam notitiam accipiunt etiam ab Angelis Sanctis, talis notitia non excedit fidem, quam animę ipſæ purgantes præſtant Angelis.

6. Reſpondeo 2. Negando conſequentiam, vt conſtat de Chriſto domino, qui veram habuit Spem de gloria ſui corporis, vt infrà oſtendam: de cuius tamen conſecutione euidentem habebat notitiam per ſcientiam infuſam, & beatificam. Falſum quoque eſt, actum Spei Theologicæ eſſentialiter requirere incertitudinem & dubietatem ex parte ſperantis, vt patet etiam in Chriſto, qui cum ſumma certitudine & euidentia habebat verum actum Spei de gloria ſui corporis.

7. Atque hæc quoad animas purgantes. Maior grauiorque difficultas eſt de beatis, & de Chriſto Domino, tam quoad habitum, quàm quoad actum. In qua difficultate variant Doctores, quorum ſententiæ examinandæ ſunt, vt veritas magis eluceat.

8. Prima ſententia negat, tam in beatis, quàm in Chriſto, etiam dum fuit in hac vita mortali, fuiſſe verum actum, vel habitum Spei Theologicæ. Hanc communiter docent & Scholaſtici cum Magiſtro in 3. diſt. 26. *Magiſter.* Bonauentura in expoſitione textus, Richar- *Bonauent.* dus art. 5. q. 2. Scotus diſt. 31. q. vnica: & *Richardus. Scotus.* Thomiſtæ cum Angelico ſecunda ſecundæ *S. Thomas.* q. 18. art. 2. & 3. & prima ſecundæ q. 67. art. 4. & 5. & in quæſtionibus diſputatis quæſt. de Spe, art. 4. Caietanus, Bannez, Va- *Caietanus.* lentia diſp. 2. q. 1. de Spe, punct. 3. Malde- *Bannez. Valentia.* rus, Franciſcus Syluius, Turrianus diſp. 62. *Malderus.* dub. 1. Potiſſimum fundamentum huius ſen- *Franciſc.* tentiæ eſt: quoniam Spes eſſentialiter requi- *Syluius.* rit primarium ſuum obiectum abſens. Atqui *Turrianus.* primarium obiectum Spei Theologicæ non eſt beatis, nec Chriſto, etiam dum fuit in hac vita mortali, abſens: ergo nequit in beatis, vel in Chriſto eſſe Spes Theologica. Maiorem tradit Paulus ad Rom. 8. *Spes*, inquit, *quæ vi- Rom. 8. detur, non eſt Spes: nam quod videt quis, quid ſperat?* in quem locum Ambroſius: *Manife- Ambroſius. ſtum eſt, ait, non eſſe Spem, quæ videtur, ſed quod non videtur. Quod enim videtur*, ſcribit in eundem locum Anſelmus, *non ſperatur, ſed ſcitur: Anſelmus.* ſiue *poſſidetur*, vt Hieronymus interpretatur. *Hieronym.* *Nam Spes*, ſubiungit in hunc ipſum locum Chryſoſtomus Homil. 14. *eſt de futuris fidu- Chryſoſt. ciam habere.* Vnde iidem Patres teſtantur, de ratione Spei eſſe futurorum expectationem, quæ cum poſſeſſione pugnat. Minor propoſitio patet, nam primarium obiectum Spei Theologicæ, eſt Deus, vt bonum noſtrum, qui per claram viſionem eſt beatis, vti etiam Chriſto, etiam dum fuit in hac vita, præſens.

9. Secunda ſententia affirmat, eſſe quidem in beatis, & Chriſto, habitum Spei Theologicę ad actus ſecundarios connaturaliter eliciendos: nullum verò in ijs eſſe verum

actum

Digitized by Google

actum primarium Spei: nam hic requirit obiectum arduum: at nihil beatis, aut Chriſto arduum eſſe poteſt.

10. Tertia ſententia arbitratur, fuiſſe in Chriſto ante adeptam immortalitatem & gloriam ſui corporis, nec non in beatis ante Reſurrectionem verum actum Spei Theologicæ, non autem habitum: ita Vaſquez 3. p. diſp. 43. cap. 2. Cuius fundamentum eſt, quia licet & in Chriſto ante gloriam ſui corporis, & in beatis ante Reſurrectionem ſint veri actus Spei Theologicæ circa beatitudinem futuram corporis, non tamen in eis eſt habitus, ne vel ille ſtatim poſt adeptam corporis beatitudinem amitti debeat, vel perpetuò manere otioſus.

Vaſquez.

11. Quarta ſententia opinatur in Chriſto fuiſſe verum actum Spei circa gloriam ſui corporis, & exaltationem ſui nominis, & conſequenter præinfuſum habitum eiuſdem: in reliquis autem beatis eſſe quidem habitum infuſum Spei Theologicę, non autem verum & proprium actum illius.

12. Quinta demum ſententia docet, non ſolùm in beatis, & Chriſto Domino eſſe habitum Theologicę Spei, ſed etiam verum & proprium actum eiuſdem: cùm tam in Chriſto ante ſuam Reſurrectionem, quàm nunc in beatis ſit verus actus Spei circa futuram proprij corporis Reſurrectionem. Pro cuius controuerſiæ ſolutione,

13. Dico 1. Tam in beatis ante, & poſt Reſurrectionem, quàm in Chriſto Domino, eſt, & fuit habitus infuſus Spei Theologicæ. Hanc docent Argentinas in 3. diſt. 26. art. 3. concl. 4. Suarez in 3. p. in commentario articuli 4. quæſtionis 7. Coninck diſp. 19. de Spe dub. 10. & 11. Pro qua falsò citat Scotum, qui, vt ſuprà vidimus, apertè eſt pro oppoſita ſententia. Fundamentum autem aſſertionis eſt. Is operandi modus eſt beatis, & à fortiori Chriſto concedendus, qui reſpectu cuiuſcunque actus eſt omnium perfectiſſimus: is autem reſpectu cuiuſcunque actus eſt omnium perfectiſſimus, qui eſt magis connaturalis: hic autem eſt, qui procedit à principio intrinſecè completo. Atqui aliqui ſunt actus in beatis, & in Chriſto Domino, qui niſi præſupponant infuſum habitum Spei, non procederent à principio intrinſecè completo. Igitur concedendus eſt beatis, & Chriſto Domino infuſus habitus Spei. Maior, neque ab ipſis aduerſarijs negatur, cùm hunc modum operandi poſtulet perfectiſſimus ſtatus beatorum. Vtraque Minor aſſumpta conſtat: cùm & perfectior modus operandi ſit, quo operans ſuum actum attingit intrinſeca ſua virtute: & eo modo operans ſuum actum intrinſeca ſua virtute attingit, quem à principio intrinſecè completo illum producit. Propterea enim quis perfectiùs cum infuſo habitu, quàm ſine infuſo habitu operatur, quia à principio intrinſecè completo operatur. Minor ſubſumpta, in qua tantùm præſens verſatur difficultas, probatur. Nam omnes actus, quibus & nunc beati, & Chriſtus Dominus, dum mortalis exiſtens, beatitudinem ſui corporis deſiderabat, elici poſtulant à virtute Theologica Spei: ergo niſi illam infuſam præſupponant, non eliciuntur à principio intrinſecè completo, ac proinde perfectiori & connaturali modo. Præterea actus illi, quibus tam beati, quàm Chriſtus Dominus de ſua & animis & corporis beatitudine gaudent ac delectantur, apti ſunt elici ab eadem virtute Spei, cuius non ſolùm eſt abſentem beatitudinem ſperare ac deſiderare, ſed etiam præſentem amare, & in ea adepta conquieſcere: ergo ad omnes hos actus perfectiùs connaturaliuſque eliciendos habere debent beati intrinſecum habitum Spei.

Argentinas. *Suarez.* *Coninck.* *Scotus.*

14. Reſpondet 1. Citato loco Vaſquez, actus, quibus & nunc beati beatitudinem ſui corporis appetunt, & Chriſtus Dominus, dum nobiſcum mortalis viuebat, non elici connaturaliter ab intrinſeca virtute Spei, ſed ab extrinſeco auxilio Dei ſupplente vicem habitus. Neque hoc reputat abſurdum, cùm tales actus eliciantur à beatis quaſi in tranſitu: actus verò, quibus de ſua & animi & corporis beatitudine delectantur, non eſt, cur habitum Spei requirant, cùm hi ſupernaturales non ſint, ſed naturales. Maximè quippe naturale, inquit, eſt, quodcunque genus boni, vt bonum noſtrum eſt, nobis amare, & de illo adepto gaudere. Quam doctrinam fusè tradit prima ſecundæ diſp. 195. cap. 2. Vnde rationem ſupernaturalitatis in actu Spei non deſumit ex eo, quòd ſperamus nobis beatitudinem; ſed ex eo quòd illam ſupernaturaliter à Deo ſperamus.

Vaſquez.

15. Sed contrà: tum quia abſurdum eſt, & contra ſtatum beatorum, & perfectionem Chriſti Domini, non ponere actum Spei, etiam per aliquod tempus, non connaturali modo à principio intrinſeco elicitum: alioqui neque debuiſſent Chriſto infundi ſupernaturales habitus temperantiæ, & fortitudinis ad eorum actus connaturaliter exercendos: nam etiam hos actus in tranſitu tantùm, dum fuit in hac mortali vita, Chriſtus exercuit. Tum quia falſum eſt, gaudium & delectationem de adepta beatitudine non pertinere ad eundem habitum Spei, ad quem ſpectat actus ipſe Spei: cùm ad eandem virtutem pertineat in ſuum obiectum abſens ferri per actum deſiderij, & in præſens per actum gaudij & delectationis, cùm vterque actus nitatur eodem motiuo formali. Sicut ad eandem charitatem ſpectat, deſiderare ac procurare Deo bonum aliquod abſens futurum, & ſibi complacere de bono Deo præſente. Demùm falſum eſt, actum Spei Chriſtianæ non eſſe ſupernaturalem, ratione beatitudinis nobis concupitæ, ſed ſolùm ratione modi, quo illam ſupernaturaliter à Deo ſperamus: nam ſi talis actus eſt ſupernaturalis ratione auxilij ſupernaturalis, quo beatitudinem à Deo nobis ſperamus, multò magis erit ſupernaturalis, ratione ipſiuſmet beatitudinis ſupernaturalis.

16. Reſpon-

16. Reſpondent 2. Alij, huiuſmodi actus tam in Chriſto, quàm in beatis non elici à Spe, ſed à Charitate: eo quòd beati omnia operentur propter Deum. Sed contrà, nam hac ratione, præter charitatem, nullæ aliæ virtutes deberent in beatis manere: ſicut igitur manent aliæ virtutes, ita & hæc. Neque ex eo, quòd beati omnia operentur propter Deum, non poſſunt etiam operari propter honeſtatem aliarum virtutum: nam ſicut actus charitatis non tollit à beatis alias virtutes, ita nec impedit earum actus, alioqui redderet illas perpetuò otioſas.

Caietanus. 17. Reſpondet 3. Caietanus tertia parte quæſt. 7. art. 4. huiuſmodi actum connaturaliùs produci à voluntate diſpoſita per viſionem beatificam, quàm produceretur per ipſum habitum. Sed contrà, quia viſio beatifica non eſt principium elicitiuum talis actus, cùm nullus actus immanens vnius potentiæ ſit principium elicitiuum actus alterius, vel eiuſdem potentiæ, vt communis fert ſententia: ergo adhuc cum viſione beatifica voluntas ſine habitu Spei manebit incompletum principium talis actus.

Lorca. Coninck. 18. Reſpondet 4. Lorca apud Coninck diſp. cit. dub. 10. huiuſmodi actus vel elici ab alijs donis, vel à virtute charitatis: nam idem actus, quo nobis beatitudinem amamus, vt reſpicit perſonam, cui tale bonum amamus, eſt amor charitatis & beneuolentiæ, ac proinde elici poteſt ab habitu charitatis. Sed contrà, tum quia nullum aliud donum eſt per ſe principium elicitiuum huius actus, cùm nullus habitus ſit elicitiuus actus alterius habitus, cùm nullus habitus operari poſſit extra ſphæram ſui obiecti formalis. Tum quia falſum eſt, talem actum elici à charitate: nam ſicut in via elicitur ab habitu Spei à charitate diſtincto, ita & in Patria. Ratio autem, cur talis actus, quo nobis beatitudinem amamus, etiam vt terminatus ad noſtram perſonam, non ſit actus charitatis, vel beneuolentiæ, aſſignata eſt ſuprà diſp. 19. ſect. 5. in reſponſione 4. Atque hæc quoad habitum Spei Theologicæ. Quoad actum verò,

19. Dico 2. Fuit in Chriſto Domino verus & proprius actus Spei Theologicæ circa immortalitatem ſui corporis, & nominis exaltationem. Fundamentum. Fuerunt in Chriſto omnes conditiones ad verum & proprium actum Theologicæ Spei requiſitæ: ergo fuit in Chriſto verus & proprius actus Spei Theologicæ. Antecedens oſtendo: nam conditiones ad verum & proprium actum Theologicæ Spei ſunt, vt bonum, quod ſperatur, ſit increatum, abſens, poſſibile, arduum acquiſitu. Atqui hæ omnes fuerunt in actu Spei Chriſti Domini: igitur fuit verus & proprius Spei Theologicæ actus.

20. Fuit prima conditio: nam licet beatitudo corporis, & nominis exaltatio per ſe ſumpta non ſit bonum increatum, nec formalis conſecutio boni increati, vti eſt viſio beatifica, eſt tamen aliqua participatio boni increati, quatenus cum ipſa beatitudine animæ, beat totum hominem, eumque perfectè participem reddit beatitudinis increatæ. Quemadmodum ſupernaturalis bonitas proximi, quatenus eſt quædam participatio bonitatis diuinæ, eſt obiectum actus charitatis erga proximum, eumque ſpecificat, redditque Theologicum, & eiuſdem ordinis cum actu charitatis erga Deum, licet imperfectiorem intra eundem ordinem: ita, quia beatitudo corporis, vt participatio eſt beatitudinis increatæ, connotatiuè ſaltem includit beatitudinem increatam, tanquam principium à quo participatur, ſufficiens eſt, reddere actum, quo talis beatitudo appetitur, Theologicum, & eiuſdem ordinis, licet imperfectiorem intra eundem ordinem. Par ratio eſt de Nominis Iesv exaltatione, quæ, quatenus eſt quædam participatio exaltationis Nominis Diuini, ſufficiens eſt, reddere actum, quo hæc ſperatur, Theologicum.

21. Fuit ſecunda & tertia conditio: ſiquidem Chriſto mortalem vitam agenti, & beatitudo ſui corporis, Nominiſque exaltatio erat abſens, cùm nonniſi poſt Reſurrectionem eas poſſidere cœperit; & acquiſitu poſſibilis, cùm ad vtramque conſequendam infallibilia habuerit media.

22. Fuit demum quarta conditio: quoniam tam immortalitas corporis, quàm Nominis exaltatio per totum mundum cœleſtem, terreſtrem & infernum, propoſita fuit Chriſto vt pręmium ſuæ Paſſionis & Mortis, iuxta illud, Lucæ vlt. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* nempe corporis, cùm gloriam animi iam diu ab exordio ſuę Conceptionis poſſederit. Et iuxta illud ad Hebræos 2. *Videmus* Iesvm *propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum:* & ad Philippenſes 2. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem &c. propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi Nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in Nomine* Iesv *omne genu flectatur, Cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Igitur vtriuſque doni conſecutio fuit Chriſto ardua, vtpote propria morte & paſſione acquirendum. *Lucæ vlt. Hebr. 2. Philip. 2.*

23. At inſtant Medina, & Lorca apud Coninck præcitata diſp. 19. de Spe dub. 11. Primò, beatitudo corporis eſt naturalis proprietas beatitudinis animę, ab ea neceſſariò manans: ergo non potuit Chriſto Domino, qui animæ beatitudinem poſſedit ab initio ſuæ conceptionis, eſſe ardua: ſiquidem illa vt naturalis proprietas neceſſariò, reſumpto corpore, dimanauit ex beatitudine animæ. Secundò, obiectum Spei debet reſpectu ſperantis eſſe contingens: Chriſtus autem certiſſimus erat de beatitudine ſui corporis: ergo non potuit illam ſperare, cùm nemo ſperare queat, quod certò nouit futurum: nam quod certò cognoſcitur futurum, non tam ſperatur, quàm poſſidetur, ſaltem intentionaliter. *Medina. Lorca. Coninck.*

24. Sed contrà primum, tum quia falſum eſt beatitudinem animæ eſſe phyſicum principium beatitudinis corporis; ſed ad ſummum

morale,

Digitized by Google

morale, quatenus poſſidenti beatitudinem animæ connaturaliter debetur beatitudo corporis. Cùm enim beatitudo animi conſiſtat in actu beatifico, cumque actus beatificus ſit immanens, nullam habet phyſicam actiuitatem naturalem producendi beatitudinem corporis. Tum quia, eſto concedamus Medinæ, illam eſſe naturalem proprietatem beatitudinis animę phyſicè ab ea promanantem, adhuc non ſequitur, conſecutionem illius non fuiſſe Chriſto Domino arduam: ſicut etiam fruitio naturaliter conſequitur viſionem beatificam, cùm tamen hinc non ſequatur, illam non eſſe ſimul cum ipſa viſione beatifica arduam viatoribus. Ratio eſt, quoniam etſi reſumpto corpore, ipſius beatitudo neceſſariò promanauerit ex beatitudine animæ, adhuc potuit hæc neceſſaria promanatio proponi Chriſto Domino propria morte & paſſione obtinenda: & de facto illam ita Chriſtò propoſitam fuiſſe, conſtat ex citatis oraculis: non enim repugnat, eandem perfectionem duplici titulo, & connaturalis proprietatis, & iuſti præmij eidem deberi.

Medina.

25. Contra 2. Neganda eſt Maior: nam & in gratia confirmati, & animæ purgantes certi ſunt de ſua beatitudine, & tamen illam ſperāt vero actu Theologicæ Spei: ergo etiamſi Chriſtus fuerit certus de beatitudine ſui corporis, adhuc potuit vero actu Theologico Spei illam ſperare. Ratio eſt, quia certitudo futuræ beatitudinis ſolùm tollit timorem & anxietatem illam conſequendi, non autem formale obiectum Spei, quod eſt bonum ipſum futurum arduum.

26. Atque hæc de actu Spei Chriſti Domini. Maior difficultas eſt de actu Spei beatorum reſpectu beatitudinis ſui corporis, an ille ſit verſus & proprius actus Spei. Ratio dubitandi, quoniam hic actus in beatis non habet quartā conditionem, quæ eſt arduitas illam conſequendi: ſiquidem eam certiſſimè conſecuturi ſunt, abſque vllo ipſorum labore ex infallibili Dei promiſſione. Ob hanc rationē Ægidius Coninck prænotato dub. 10. concl. 1. & alij putant, in beatis non eſſe verum & proprium actum Theologicę Spei. Verùm contrarium tanquam verius & ſanctorum locutionibus, Theologorumque doctrinæ conformius aſſerendum eſt. Patres enim, qui actum Spei negant beatis reſpectu beatitudinis animæ, concedūt reſpectu beatitudinis corporis, vt ex ipſorum ratione, qua negāt actum Spei reſpectu beatitudinis animæ, euidenter colligitur. Etenim non aliam rationem aſſignant, vt conſtat ex citatis Patribus pro prima ſentent. quàm quòd beatitudo animæ ſit præſens, & actu ab anima poſſideatur, ſupponentes de ratione obiecti Spei eſſe abſentiam boni futuri: qua ratione vtuntur etiam Scholaſtici.

Coninck.

27. Ad rationē verò dubitandi dicendum eſt, etiam in beatitudine futura corporis reſpectu beatorū reperiri rationē ardui, prout hæc ratio facit ad obiectum formale Spei. Nam, vt explicatū eſt diſp. 19. ſect. 1. arduum non ſpectat ad obiectum formale Spei, prout inuoluit difficultatem conſequendi bonum, vt ſic enim potiùs remouet potentiā à conſecutione obiecti, ſed prout dicit bonum excellens conſurgens ex difficultate illud conſequendi. Beati autem, etſi nullam habeant difficultatē ſui corporis beatitudinē conſequendi, proinde nequeūt conſecutionē illius reſpicere vt ſibi arduā & difficilem, poſſunt tamen illam reſpicere vt bonum excellens conſurgens ex præteritis actibus laborioſis, quibus eā ſibi in via compararūt. Cùm enim hoc bonum excellens, quatenus pertinēs ad obiectū formale Spei, à difficultate pendeat vt à pura cōditione, parum aut nihil refert, quòd hęc difficultas apprehendatur pręſens, vel pręterita, modò bonū ex illa conſurgens ſit abſens & futurum.

28. Dices. Hoc pacto poſſent beati ſperare etiam beatitudinem animę, quam poſſident, cùm etiam abſentia boni ſperati ſit conditio obiecti Spei: ac proinde ferri poterūt in obiectum formale, apprehenſa abſentia ipſius vt præterita. Verùm negatur ſequela. Ratio diſcriminis eſt: quoniam, vt ex citatis Patribus & Scholaſticis conſtat, actus Spei eſſentialiter eſt tendentia voluntatis in bonum poſſidendum, nondum poſſeſſum. Cùm igitur per ſublationem abſentiæ bonum fiat præſens & poſſeſſum à ſperante, non poterit ampliùs in illud tendere tanquam in bonum poſſidendū. In difficultatē autē non tendit ſperans, tanquam in rationem formalem, ſed tanquam in conditionem, ex qua conſurgit bonū excellens, in quod tantùm formaliter tendit. Quo fit, vt ſi, ea de pręſenti ſublata, poſſit manere idem bonum excellens ex præterita difficultate à ſperāte ſuperata conſurgēs, manere poterit actus veræ Spei. Cæterùm ſi quis contendat, præſentem difficultatem, vt à ſperante ſuperandam, eſſe conditionem, ſine qua nequeat actus denominari Spes, contentio erit de puro nomine.

29. Reſtat vltima difficultas, an actus quo beati nobis beatitudinē appetunt, poſſit eſſe actus Spei. Dixi, *poſſit eſſe*: quia fortè de facto ſemper talis actus in beatis eſt Charitatis, vel Dei vel proximi. Qui ad actum Spei requirunt cum bono excellenti conſurgente ex difficultate aſſequendi, ipſam difficultatem vt præſentem, vel futuram, nec præterita ſufficiat: conſequenter negabunt, huiuſmodi actum, poſſe eſſe Spei in beatis, cùm beatis nihil poſſit cōparari vt difficile pro tēpore pręſenti, vel futuro. Iuxta noſtra verò principia, diſtinguēdum eſt de duplici modo ſuprà explicato, quo beati poſſunt nobis beatitudinem deſiderare: vno modo tanquam bonū ad ipſos pertinens, quatenus apprehendentes proximum vt ſibi coniunctum, quidquid illi deſiderāt, ſibi quodammodo deſiderant. Alio modo poſſunt nobis beatitudinē deſiderare, quatenus promotiua eſt ſuæ ipſorum beatitudinis. Hoc poſteriori modo nequeūt beati actu Spei nobis bea-

titudinem ſperare : cùm per talem actum in nullum poſſint bonum excellens ex difficultate ab ipſiſmet beatis ſuperāda, vel ſuperata conſurgens tendere, quia licet per talem actum poſſint beati reſpicere ad bonum accidentale, quod ex futura noſtra beatitudine ipſis accedet; quia tamen huiuſmodi bonū accedit beatis abſq; vllo ipſorum labore & difficultate, tam futura, quàm præterita, non poſſunt in illud tēdere actu Spei. Priori verò modo, quia beatitudinem proximi apprehendunt tanquam propriam, eamq; appetunt quodammodo vt ſuam, poſſunt vt ſic apprehenſam actu Spei in illam ferri. Nā qua ratione illam apprehendunt, & appetunt vt propriam, eadem ratione illam apprehendunt vt ſibi quodammodo difficilē, non quòd ipſi debeant difficultatem ſuperare, ſed quòd proximus, vt faciens vnum cum ipſis, debeat illam ſuperare.

30. Ad fundamentum 1. ſentent. concedo, Spem requirere primarium ſuum obiectum, qui eſt Deus vt bonum noſtrū abſens, non ſimpliciter, ſed formaliter, quatenus eſt principiū beatitudinis corporis : vt ſic enim non eſt ante corporum reſurrectionē beatis præſens : eſto ſit illis præſens, quatenus eſt principiū beatitudinis animę. Quemadmodum ſi Deus ante corporum reſurrectionem communicaret ſe beatis per ſolam viſionē, non autem per amorem beatificum ſui, idem Deus diceretur abſens à voluntate beatorū: ac proinde poſſent beati habere Spem de Deo poſſidendo per amorem beatificū, eſto nō poſſent habere Spem de eodem vt poſſidendo per viſionem beatam. Nam Deus dicitur formaliter poſſideri per ipſum actum potētiæ, quo abſente, dicitur Deus à tali potentia abſens, eſto ſit præſens alteri potētiæ per actum proprium ipſius. Proportionali modo dicitur Deus abſens à corpore beatorum, quamdiu ſe illis non communicat per proprium actum & gloriam corporis, eſto ſit præſens eorum animis per proprium actū & gloriam animæ. Iuxta hanc noſtram reſponſionē explicanda ſunt teſtimonia Scripturæ & Patrum, vt ſolùm intelligantur de abſentia Dei, quatenus eſt principium gloriæ & beatitudinis corporis: quanquā Scripturæ & Patres ſolùm loquuntur de beatitudine animæ, reſpectu cuius beati non habent Spem, licet habeant actum delectationis & gaudij, qui producuntur ab eodem habitu Spei.

31. Ad fundamenta verò aliarum ſententiarū, quatenus aduerſantur noſtræ ſententię, abunde patet ex dictis, quo pacto ſcilicet in Chriſto, & in beatis ſit habitus Spei Theologicæ : & qua ratione fuerit in Chriſto ante reſurrectionem ſui corporis, & in beatis ante diem iudicij verus & proprius actus Spei infuſæ.

DISPVTATIO XXIII.

De præceptis Spei.

SECTIO PRIMA.

An detur præceptum de Spe, & quale illud ſit, quauè ſub hoc præceptum cadant, & quando illud obliget?

1. DVPLEX diſtinguitur præceptum de Spe: Affirmatiuum vnū : Negatiuum alterum. Probato affirmatiuo, à fortiori probatum manebit negatiuum. Etenim ſi nobis præcipitur Spes futuræ beatitudinis, à fortiori nobis prohibetur eiuſdem deſperatio. Quoad primum videri poteſt alicui, nullum de Spe præceptum dari : nam ad ea, ad quæ ſuapte natura inclinamur, præcepto non egemus. Atqui nullus eſt, qui ad beatitudinem ſperandam ſuapte natura non inclinetur : vt enim teſtatur Auguſtinus li. 10. Confeſſionum cap. 20. *Vitam beatam omnes volunt, & omnino qui nolit eam, nemo eſt.* Igitur ad beatitudinem ſperandam nullo opus eſt præcepto, cùm ſufficiat naturalis inclinatio, quam vnuſquiſque habet ad eam appetendam, procurandamuè. Sicut nullum datur præceptum ad proprium eſſe conſeruandum diſtinctum à præcepto incluſo in ipſa naturali inclinatione, quam vnuſquiſque habet ad ſeipſum conſeruandum : cùm ipſamet naturalis inclinatio ſit quoddam præceptum ab ipſo authore naturæ vnicuique datum. Verùm his non obſtantibus,

Auguſtin.

2. DICO 1. Datur præceptum de Spe diſtinctum ab ipſo præcepto, quod vnuſquiſq; habet de propria ſalute & vera beatitudine ſibi procuranda. Aſſertio eſt communis inter Theologos, quamuis ipſi non diſtinctè explicent an hoc præceptum ſit diuerſum ab eo, quod vnuſquiſq; habet de vera beatitudine ſibi procuranda : quin aliqui videntur hoc negare, dum negant,

qui

hoc præceptum colligi ex ſcriptura, vel ex aliquo alio authẽtico teſtimonio, ſed ex ſola neceſſitate medij ad finem, quã actus Spei Chriſtianæ habet ad iuſtificationem, tanquam ad finem. Cæterùm multa à recentioribus afferuntur Sacræ Scripturæ loca, ex quibus hoc præceptũ Theologicæ Spei colligi videtur. Verùm, vt rectè notarunt Suarez diſp.2. de Spe ſect.1. & Turrianus ſect.65. dub. 1. nullus eſt, qui ſufficienter hoc præceptum exprimat, cùm omnia intelligi poſſint per modũ admonitionis & adhortationis: & ideo vt 2.2.q.22.art. 1. ſapienter aduertit S. Doctor, præceptũ Spei in ſcripturis nõ tam proponitur per modũ præceptionis, quã per modũ promiſſionis, vt ipſa promiſſione præmij homines excitentur ad præcepta ſeruanda, quæ de ſubſtãtia legis dantur.

Suarez. *Turrianus.* *S.Thomas.*

3. Vnus mihi videbatur locus, ex quo hoc præceptũ manifeſtè deducatur, Hebr.11. *Credere oportet accedentem ad Deũ, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Vbi duplex inſinuatur neceſſitas Fidei & Spei: nã illa verba *oportet credere, quia inquirentibus remunerator ſit*, non ſolũ intelligenda ſunt de aſſenſu fidei, ſed etiã de motu Spei: cùm coniungat hic Apoſtolus vtriuſq; virtutis neceſſitatẽ, vt conſtat tum ex initio capitis, vbi fidẽ definit, *ſperandarum ſubſtantiam rerũ, argumentũ non apparentiũ*: In qua definitione inſinuatur etiã virtus Spei: tum infrà, vbi hãc eandẽ fidẽ modò explicat per actus proprios fidei, modò per actus pertinentes ad Spẽ, cuiuſmodi ſunt, *inquirere, & expectare futuram Patriam.* Verùm ex hoc teſtimonio tantummodo habetur neceſſitas Spei: hæc autem cũ non ſolùm oriatur ex præcepto legiſlatoris, ſed etiam ex ipſa connexione medij cum fine: cumq; hoc citatis verbis non exprimatur, conſequenter neque ex hoc teſtimonio colligi poterit præceptum Spei vt diſtinctũ à præcepto, quo quis ratione charitatis tenetur veram beatitudinem ſibi procurare.

Hebr.11.

4. Aliunde igitur hoc præceptum colligẽdum eſt: colligitur autem ex ipſa neceſſitate medij ad finem. Etenim hoc ipſo quòd actus Spei ſit ordinatus vt mediũ neceſſarium ad vltimũ finem conſequendum, præcipitur à Deo, vt inductione conſtat tũ de omnibus actibus poſitiuis virtutum, qui inſtituti ſunt à Legiſlatore vt neceſſaria media ad vltimũ finẽ conſequendum, vt de actibus fidei, pœnitentiæ, & charitatis erga Deum & proximũ: tum de negatiuis peccatorum, qui ab vltimo fine remouent. Cũ igitur actus Spei ordinatus ſit vt mediũ neceſſariũ ad vltimũ finẽ conſequendum, vt ex præcitata authoritate Pauli conſtat, dicendũ eſt, illum eſſe à Deo nobis præceptum. Igitur præter præceptum connaturale, quod, poſita inſtitutione Dei ordinantis actũ Spei vt mediũ neceſſarium ad beatitudinẽ conſequendam, de Spe habemus, eſt etiã præceptum poſitiuũ nouo titulo obedientiæ nos obligans ad eundem actum ſuo tempore exercendum.

5. Cæterũ, an ratione huius duplicis præcepti duplex committat peccatum, qui tempore debito omittit ſperare, vti oportet ad ſalutem conſequendã, non videtur res omninò certa. Pro parte affirmatiua eſt: nã ratione duplicis præcepti duplex violatur virtus, & charitatis erga ſeipſam, & obedientiæ diuinæ, qua nobis eundem actum Spei præcipit. Pro negatiua verò eſt 1 quoniam vt ſit peccatum ſpecialis inobedientiæ, debet expreſſo animo committi contra virtutẽ obedientiæ: nec ſatis eſt, vt committatur contra obedientiam genericè incluſam in quouis præcepto, alioqui quæuis tranſgreſſio præcepti contineret duo peccata, alterum contra virtutem præceptam, alterum contra voluntatem Dei præcipientis, quæ intrinſecè includitur in quouis actu præcepto, vel prohibito. Pro qua ſententia reddi etiam poteſt ratio: quoniam præceptum Legiſlatoris, non addit rei præceptæ nouam honeſtatem diſtinctam ab honeſtate, quam vel ſupponit, vel primò ponit in re ipſa præcepta. Non enim Eccleſia præcipiens ieiunium ſuperaddit ipſi ieiunio nouam honeſtatẽ diſtinctam ab honeſtate temperantiæ, quam ieiunium ipſum per ſe dicit. Vnde qui tranſgreditur ieiunium ab Eccleſia præceptum, non committit duplex, ſed vnum dumtaxat peccatum contra virtutem temperantiæ. Atque hoc ſatis fuit indicaſſe tantùm, cuius difficultatis matura reſolutio in commodiorem locum differenda eſt.

6. Ex dictis ſequitur, hoc præceptũ poſitiuũ, vt condiſtinctum à præcepto connaturali, quod de actu Spei Theologicæ habemus, eſſe diuinũ. Nec refert, quòd illud expreſsè non habeatur in Sacris Oraculis, vti habentur reliqua præcepta: quia hoc præceptũ includitur in reliquis, quæ dãtur ad cõſequendã vitam æternam. Etenim hoc ipſo quòd datur præceptũ de cõſequenda ſalute, datur etiã præceptum de ea ſperanda: quin omnia præcepta diuina includũt promiſſionem vitæ æternæ, vt ſpe præmij magis excitemur ad legis obſeruantiam, per eamque ſaluemur: Matth 3 & 4. *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim Regnum Cælorũ.* Marci vlt. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit*: Matth. 19. *Si vis vitam ingredi, ſerua mandata.*

Matth. 3 & 4. Marci vlt. Matth.19.

7. Paulò aliter hanc rationem explicat citato loco S. Doctor. Docet enim hominem, antequam legem acceptet, debere per fidem agnoſcere Legiſlatorem, cui ſe ſubijciat, & per Spem præmij excitari ad ipſius legem acceptandam ſeruandamq;. Quò fit, vt ante acceptatam legem hæ virtutes non proponantur homini per modũ præcepti, cũ fruſtra imponãtur præcepta legis ei, qui nondũ legem acceptauit, nec authori legis ſe ſubiecit: ſed proponenda fuit fides per modum admonitionis, Spes verò per modum promiſſionis, vt Spe promiſſi præmij mortales excitarentur ad legẽ facilius acceptandam. Poſt acceptatam verò legem eędem virtutes non ſolùm nobis proponuntur per modum

S.Thomas.

admonitionis & promiſſionis, ſed etiam per modum præcepti: cùm nequeant legis præcepta ſeruari, niſi ſeruato fundamento ipſo præceptorum, quæ ſunt fides, per quam homo ſponte ſe ſubijcit Deo reuelãti; & Spes, per quam inducitur ad ſeruanda præcepta, ipſumque Spei præceptum.

8. Ad rationem in oppoſitum adductam reſpondet S. Thomas præcitata quæſt. 22. art. 1. ad 1. negando, hominem ſuapte natura inclinare ad ſperandum beatitudinẽ ſupernaturalem, cùm hæc excedat vires & inclinationem naturæ, quę tantũ fertur in bonum eiuſdem ordinis ſibi conueniens & cõmenſuratum. Vnde ad eam ſperandam induci debuit authoritate legis diuinæ, partim quidem promiſſis, partim admonitionibus & præceptis. Quoniam verò hæc reſponſio non probat, neceſſarium fuiſſe præceptum diuinum poſitiuum diſtinctum à præcepto connaturali incluſo in ipſa virtute Spei, tãquam neceſſario medio ad ſalutem conſequendam, quam poſita lege diuina vnuſquiſq; connaturali debito tenetur per neceſſaria media ſibi procurare; ideo ſecundam adhibet reſponſionem, negando, ad maiorem firmitatem, & conſtantem rectè operandi modum, hominem ob naturæ imbecillitatem non egere præceptis, etiã de ijs bonis, ad quæ ſuapte natura inclinatur, vt conſtat de virtutibus moralibus, ad quarum honeſtatem etiamſi ſuapte natura inclinetur, adhuc tamen de ijs habet præcepta, vt ſunt ferè omnia, quæ in Decalogo præcipiuntur.

S. Thomas

9. Dico 2. Sub hoc præceptũ Theologicæ Spei potiſſimum cadit ipſa ſupernaturalis beatitudo vt finis, deinde omnia media ad eam conſequendam neceſſaria, quæ nonniſi à Deo haberi poſſunt, cuiuſmodi ſunt iuſtificatio peccatorum, & auxilia ad eam neceſſaria, nec non ipſa finalis perſeuerantia, quam etſi *nemo abſoluta certitudine*, vt Tridentinum ait ſeſſ. 6. cap. 13. ſibi polliceri poſſit, *in Dei* tamen *auxilio firmiſſimã Spem collocare & reponere omnes debent*. Fundamentum aſſertionis eſt: quoniã, vt ex prima aſſertione conſtat, actus Spei Theologicæ eſt nobis propoſitus ſub præcepto: ſed actus Spei Theologicæ inuoluit hæc omnia per modũ obiecti, ſupernaturalẽ beatitudinem tanquam finem, & reliqua vt media ad eundem finem cõſequendum: ergo hæc omnia cadunt ſub præceptũ Spei Theologicæ per modum adæquati obiecti.

Concilium Tridentin.

10. Dices Ea cadunt ſub præceptum Spei Theologicæ, quæ tenemur fide diuina credere: atqui non tenemur fide diuina credere, nos cõſecuturos ſupernaturalem beatitudinem, aut media ad eandem conſequẽdam nos adhibituros: ergo neq; ea tenemur ſub præcepto ſperare. Minor patet, nã hæc omnia pendent ex gratia congrua, & peculiari beneficio & protectione Dei, quã non omnibus cõcedit. Maior probatur, nam actus Spei Theologicæ eſſentialiter ſupponit actum fidei diuinæ, in quo fundetur: nec ſufficit, vt ſuprà probatum eſt, actus fidei humanæ. Reſp. diſtinguẽdo maiorem, ea cadunt ſub præceptum Spei Theologicæ, quæ tenemur fide diuina credere ex parte noſtra, nego; ex parte Dei, concedo. Quod adhuc ſubdiſtinguo: tenemur fide diuina credere ex parte Dei hæc omnia nobis eſſe præparata voluntate abſoluta & efficaci, nego; voluntate cõditionata dependenter à noſtra, concedo. Actus igitur fidei diuinæ, in quo fũdatur Spes Theologica, nõ eſt aſſenſus in hæc omnia vt abſolutè futura; Quia cũ abſoluta futuritio horũ pendeat etiã ex voluntate noſtra, quæ variabilis eſt, non poterit Spes noſtra in tali aſſenſu fundari, ſed in aſſenſu infallibili in hæc eadẽ vt conditionatè ſaltem nobis à Deo præparata. Quę reſponſio colligitur ex citatis verbis Concilij, vt nimirũ nemo poſſit abſoluta certitudine hęc omnia ſibi polliceri, firmiſſimã tamen Spem in Dei auxilio habere omnes debent: *Deus enim*, vt idẽ Concilium ſubdit, *niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonũ, ita perficiet, operans velle & perficere*: quoniam, vt alibi idem Conciliũ docet, neminem deſerit, niſi priùs deſeratur. Atq; ex his patet ad probationem minoris: concedendũ enim eſt, non eſſe fide diuina credendum, Deũ hæc omnia abſoluta ſua volũtate vnicuiq; preparaſſe, quod eſt ea tãquam congrua & ſpecialia beneficia prædeſtinaſſe. Negandũ tamen eſt, hæc ipſa ſaltem ſub cõditione dependenter à noſtra voluntate, ſi ipſi cooperari voluerimus, no eſſe omnibus præparata. Ad probationem verò maioris concedo, Spem Theologicam ſupponere actum fidei diuinæ, non de voluntate Dei abſolutè hæc omnia concedentis, ſed de voluntate Dei conditionata dependenter à libera voluntate noſtra hæc eadem conferentis.

11. Perplexior, incertiorq; ſupereſt difficultas de tẽpore, quo hoc præceptum obligat. Pro cuius clariore intelligentiã, diſtinguenda eſt duplex obligatio: Altera per ſe, quæ eſt, quãdo præceptũ obligat ratione ſui independẽter à quocunq; alio adiuncto pręcepto: Altera per accidẽs, quãdo obligat ratione alterius præcepti annexi, quod ad ſui obſeruantiã neceſſariò prærequirit alterius præcepti actum: vt præceptum contritionis ad ſui obſeruantiã prærequirit actum fidei, quo credatur Deũ poſſe peccata remittere; & actum Spei, quo à Deo ſperetur peccatorũ venia, ſine quibus actibus cõtritionis præceptum non adimpletur. His adnotatis,

12. Dico 3. Per accidens Spei præceptum obligat, quoties vel currit aliquod pręceptum, quod ſine actu Spei ſeruari non poteſt, vel vrget tentatio deſperationis, quæ ſine contrario actu Spei apprehẽditur inſuperabilis. Prior pars conſtat, nã eadem obligatione aſtringimur ad media, ſine quibus finis acquiri non poteſt, quo aſtringimur ad finem ipſum: ergo qua obligatione tenemur ad occurrens pręceptũ ſeruandũ, tenemur ad

actum

Digitized by Google

actum Spei, ſine quo præceptum ipſum ſeruari non poteſt.

Bannez. 13. Poſterior pars eſt contra Bannez 2. 2. quæſt. 22. art. 1. dub. 2. concl. 4. quem ſequuntur multi recentiores. Docet enim tempore tentationis hominem per ſe teneri ad ſperandum. Cuius fundamentum eſt, quoniam eodem præcepto tenemur ſperare, quo tenemur non deſperare: ergo, ſi tunc ſperare eſt per ſe medium ad non deſperandum, ex eodem præcepto tenebimur ſperare. Noſtra tamen aſſertio eſt Sanchez lib. 2. de præceptis, cap. 33. num. 3. Turriani 2. 2. diſp. 65. dub. 1. & aliorum. Fundamentum eſt: quia quando præceptum Spei obligat per ſe, non poteſt per alium actum ſuppleri. Atqui tentatio deſperationis poteſt per alium actum ſuperari: ergo in tali caſu præceptum Spei non obligat per ſe. Maior patet: quia ſicut quando præceptum Fidei, vel Charitatis obligat per ſe, non poteſt per alium actum ſuppleri, ita nec præceptum Spei. Minor probatur, nam ſi tempore tentationis alio virtutis actu, quàm Spei, tentatio ſuperetur, ceſſat obligatio exercendi actum Spei, quæ tamen non ceſſaret, ſi obligaret per ſe. Igitur ſolùm eo tempore præceptum Spei obligat per accidens ad ſuperandam tentationem.

Sanchez. Turrianus.

14. Confirmatur. Si in tali caſu Spes obligaret per ſe, deſperans duo committeret peccata; Alterum commiſſionis deſperando; Alterum omiſſionis non ſperando, vtrumque in confeſſione explicandum. Atqui nemo dicet, tunc duo, ſed vnum dumtaxat committi peccatum deſperationis: ergo. Sequela probatur: quia quando præceptum obligat per ſe, tunc eius omiſſio eſt culpabilis: igitur qui tempore tentationis deſperaret, duo committeret peccata: alterum poſitiuum deſperando, alterum priuatiuum non ſperando, ſi tunc Spes per ſe obligaret.

Bannez. 15. Ad fundamentum Bannez, concedo eodem præcepto nos teneri ſperare, & non deſperare, ſed non eodem actu. Sicut eodem præcepto charitatis tenemur diligere Deum, & eundem non odio habere, non tamen eodem actu, quia ad non odio habẽdum, tenemur ſola negatione odij: ad diligendum verò, poſitiuo actu charitatis. Ratio, quia ad non deſperandum, ſicut ad non odio habendum Deum, obligamur præcepto negatiuo, quod ſufficienter impletur ſola negatione actus deſperationis, vel odij. Ad ſperandum verò, & diligendũ obligamur præcepto affirmatiuo, quod nequit abſque poſitiuo actu Spei, vel dilectionis impleri. Præterea falſum eſt, tempore tentationis actum Spei eſſe per ſe vnicum medium ad ſuperandam tentationem, cùm ea ſuperari poſſit vel alijs actibus virtutum, vel ſola diuerſione cogitationis ab ipſa tentatione, cùm ſemper in libertate tentati ſit, cum Dei gratia ſibi præparata poteſtas auertendi cogitationem ab vrgente tentatione. Et eſto in eo caſu actus Spei à tentato apprehendatur vt vnicum mediũ ad tentationem ſuperandam: adhuc hoc erit per accidens, propter ſuperandam nimirum tentationem, non propter ipſum actum Spei per ſe.

16. Ex dictis infertur 1. Per accidens nos ad actum Spei Theologicæ teneri, quoties ad aliquod Sacramentum ſuſcipiendum accedimus, cuius digna ſuſceptio requirit actum Spei, cuiuſmodi ad minimum ſunt Baptiſmus, & Pœnitentia in adultis.

17. Infertur 2. Per accidens nos ad actum Spei teneri, cùm actum contritionis, vel dilectionis Dei ſuper omnia elicimus. Fundamentum prioris eſt, quoniam actus contritionis per ſe tendit ad impetrandam à Deo peccatorum remiſſionem, quæ ſine actu Spei Theologicæ impetrari non poteſt: idem eſt de quouis actu pœnitentiæ. Fundamentum poſterioris eſt, quoniam vix actus dilectionis Dei ſuper omnia haberi poteſt, ſine præuio actu Spei, qui naturaliter præcedit actum dilectionis Dei ſuper omnia. Vnde Tridentinum ſeſſ. 6. ca. 6. diſpoſitionem ad actum dilectionis Dei explicat per actum Fidei & Spei. Quod certius eſt de dilectione Dei finis ſupernaturalis. Concilium Tridentin.

18. Infertur 3. Ad eundem Theologicæ Spei actum teneri, qui orandi præcepto aſtringitur: cùm oratio nil aliud ſit, vt eam cum Damaſceno 3. lib. Fidei cap. 24. definit S. Thomas 2. 2. quæſtione 83. art. 1. quàm *petitio decentium à Deo*: petitio autem includit Spem impetrandi ea, quæ oratione petuntur. Damaſcen. S. Thomas.

19. Dico 4. Duo ſunt tempora certa, quibus per ſe homo tenetur ad actum Spei Theologicæ: Alterum initio vitæ, quando ſufficienter inſtructus de rebus ad Chriſtianam Religionem ſpectantibus, tenetur ad Deum ſe conuertere tanquam ad vltimum finem, per actus Fidei, Spei, & Charitatis, iuxta illud ad Hebræos 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Nam eſto homo non ſtatim atque vſum rationis attigit, teneatur ſupernaturali dilectione ad Deum ſe conuertere, tenetur ſaltem poſtquam fuerit ſufficienter de rebus noſtræ Religionis edoctus. Nam hoc iure à nobis exigit vtrumque beneficium & Creationis, & Redemptionis, vt poſtquam de illis fuerimus ſufficienter inſtructi, gratias Deo agamus in ipſum credendo, ſperando, diligendo. Oppoſitum, ſed abſque ſolido fundamento docet citato loco Sanchez. Alterum tempus eſt, finis vitæ, quando homo in extremo conſtitutus maximè tenetur in Deum ſperare, à quo expectanda eſt æterna ſalus. Præter hæc duo extrema tempora, probabile etiam eſt, aliquando nos teneri reliquo intermedio vitæ tempore hunc actum elicere. Quod tempus aliqui aſſignant ſingulis annis: aliqui quoties menti ſubit Heb. 11. Sanchez.

Digitized by Google

ſubit de hoc præcepto obligatio: alij, & quidem probabiliùs, negant præter aſſignata aliud certum tempus præſcribi poſſe, ſed id definiendum eſſe aiunt prudentis arbitrio.

20. Sola difficultas ſupereſt, an huic præcepto ſatisfiat per alia præcepta, quæ actum Spei vel includunt, vel ſupponunt. Exempli cauſa, an Gentilis de myſterijs noſtræ Religionis ſufficienter inſtructus, eodẽ actu Chriſtianæ Spei ſimul ſatisfaciat. Baptiſmo, quem ſuſcipit, & præcepto Spei, quam ad Deum accedens elicere debet. Similiter an fidelis in articulo mortis eodem actu Theologicæ Spei adimpleat præceptũ de confitendo, & communicando, & ſimul de ſperando in Deum.

21. Negant aliqui, eo quòd cùm hæc præcepta ſint diſtincta, diſtinctis etiam actibus ſeruari debent. Ego verò cohærenter ad ea, quæ docturus ſum tomo 8. de Pœnitentia diſp. 9. ſect. 4. dicendum cenſeo, vno eodemque actu vtrique præcepto ſatisfieri: ſicut vno eodemque actu doloris adimpletur præceptum confeſſionis, & contritionis, vt citato loco dicemus. Et ratio, quam ibidem afferemus, eſt: quoniam omnia præcepta, quæ neceſſaria ſunt ad ſuſceptionem Sacramenti, quæ in antiqua lege obligabant extra Sacramentum, ad maiorem facilitatem Euangelicæ legis, commutata ſunt in præcepta Sacramentorum: alioqui per Sacramenta non fuiſſet nobis via ſalutis facilior reddita, ſed potiùs difficilior: ſiquidem præter antiqua præcepta veteris legis, adderent noua propria Sacramentorum. Cùm igitur actus Spei ſit neceſſaria diſpoſitio ad aliqua Sacramenta, eodem actu, quo adimpletur præceptum de digna ſuſceptione Sacramenti, ſimul adimpletur præceptum Spei ad dignam ſuſceptionem Sacramenti requiſitæ.

22. Ex hac noſtra ſententia grauis oritur controuerſia, an qui omittit actum Spei tempore, quo duplex vrget præceptũ, Spei & ſuſceptionis Sacramenti, duplicis fiat peccati reus, ratione duplicis præcepti, quod tranſgreditur. Ratio dubitandi pro parte negante eſt: quoniam vt 3. to. diſp. 19. ſectione 1. docui, diſtinctio peccatorum non deſumitur ex diſtinctione præceptorũ: non enim fit duplicis peccati reus, qui vel ieiunium frangit duplici præcepto diuino, & humano præſcriptum; vel ſacrum omittit duplici titulo, & cultus alicuius Sancti, & venerationis Dominici diei præceptum: ergo nec qui actum Spei duplici præcepto diuino, & ipſius virtutis Spei, & dignæ ſuſceptionis Sacramenti, omittit.

23. Ratio verò dubitandi pro contraria parte affirmante eſt: quoniam licet diſtinctio peccatorum non deſumatur ex diſtinctione præceptorum ſolo numero diſtinctorum, deſumitur tamen ex diſtinctione præceptorum ſpecie diuerſorum: eo quòd in diuerſis ſpecie præceptis diuerſa ſpecie inuoluuntur motiua, penes quæ deſumitur diuerſitas ſpecifica peccatorum, vt ibidem docuimus. Qui enim Ieiunium violat Eccleſiaſtica lege, & voti titulo obligans, duplex incurrit peccatum in confeſſione explicandum, alterum contra temperantiam ratione Eccleſiaſtici præcepti, ieiunium cõſtituentis in materia temperantiæ, alterum contra Religionem ratione concepti voti. Præceptum autem Spei diuerſum ſpecie eſt, à præcepto dignæ ſuſceptionis Sacramenti: ſiquidem illud eſt in materia virtutis Spei, hoc illius virtutis, ad quam conferendam Sacramentum ordinatur.

24. Ex his duabus ſententijs, poſterior probabilior eſt ob rationem aſſignatam. Etenim in tali caſu omiſſio Spei duplicem contrahit malitiam ſpecie diuerſam, alterã contra ipſam virtutem Spei tunc temporis obligantis, alteram contra eam virtutem, ad quam conferendam Sacramentum per ſe ordinatur. Priorem malitiam omiſſio Spei contrahit per ſe ratione ſui, poſteriorem ratione alterius, nempe illius virtutis, ad quam ordinatur tanquam medium ad finem: tranſgreſſio enim medij neceſſarij ad finem contrahit malitiam tranſgreſſionis ipſius finis, ad quem conſequendum ordinabatur.

SECTIO II.

An poſſit Deus reuelare damnationem reprobo, & ad quid tunc reprobus teneretur?

25. QVOAD primam quæſtionem Altiſiodorenſis lib. 3. tract. 5. cap. 6 q. 5. & Bonauentura in 1. diſt. 48. in explicatione Textus. Argentina art. 4. in ſolut. quarti argumenti, & alij putant impoſſibile, vt Deus reuelet damnationem reprobo. Probatur 1. quoniam ex vna parte, qui de ſua damnatione haberet reuelationem, obligaretur ad ſperandum, cùm adhuc eſſet in via, in qua teneretur omnia præcepta viatorum ſeruare ex alia parte, non poſſet ſperare, cùm ſublatum ei eſſet obiectum Spei, quod eſt beatitudo vt poſſibilis acquiri: nam poſita tali reuelatione, impoſſibilis ei eſſet beatitudo.

Altiſiodor. Bonauent. Argentina.

26. Secundò ex oppoſita ſententia ſe quereretur, poſſe aliquem æternum damnari abſque peccato. Sequela probatur. Ponatur aliquis damnandus ob ſolum peccatum deſperationis, quod non implicat: hic, ſi ei reuelaretur damnatio, damnaretur abſque peccato, nam poſita reuelatione, non eſſet in poteſtate ipſius, non deſperare, cùm per reuelationem non modò ab eo ſublatum

eſſe,

Digitized by Google

eſſet obiectum Spei, quod eſt beatitudo vt poſſibilis acquiri, ſed etiam poſitum eſſet contrarium obiectum deſperationis, quod eſt finalis atque immutabilis ſententia Dei de ipſius damnatione, quam damnatus teneretur acceptare, ac proinde teneretur abſoluto & efficaci actu nolle beatitudinem, quod eſt deſperare. Vbi autem non eſt libertas, nequit eſſe peccatum: igitur hic deſperando non peccaret; proinde damnari poſſet abſque peccato. Quòd autem damnando ob ſolum peccatum deſperationis damnatio reuelari poſſet, probatur: quia non eſt maior ratio, cur illa reuelari poſſit damnando propter quodcunq; aliud peccatum, & non propter hoc: aut certè ſi damnando propter hoc peccatum damnatio reuelari non poteſt, nec ea reuelari poterit damnando ob quodcunque aliud peccatum.

27. Tertiò. Talis reuelatio repugnat ſapientiæ & bonitati diuinæ. Repugnat ſapientiæ, cùm Deus nullam poſſit iuſtam, aut rationabilem cauſam habere ad talem reuelationem faciendam. Repugnat autem Deo, aliquid facere abſque iuſta, vel rationabili cauſa. Repugnat bonitati: cùm talis reuelatio futura eſſet cauſa multorum peccatorum, non modò deſperationis, ſed aliorum etiam peccatorum: Siquidem poſita huiuſmodi reuelatione, vix homo poſſet aliquid boni facere, aut præceptum vllum ſeruare.

Coninck. 28. Ægidius Coninck diſp. 20. de deſperatione dub. 12. num. 93. putat, poſſe quidem Deum peccatori, non autem iuſto ſuam futuram damnationem reuelare. Primum conſtabit ex dicendis. Secundum probat ipſe hoc fundamento: quia repugnat diuinæ bonitati, hominem amicum, & filium adoptiuum, cui iuxta præſentem ſtatum debita eſt gloria æterna, conſtituere extra omnem Spem ſalutis, & in morali neceſſitate ab ea in perpetuum excidendi. Nam per huiuſmodi reuelationem redderetur tali homini procuratio ſalutis moraliter impoſſibilis, cùm, deſperato fine, nullum poſſet medium ſeriò & ex animo arripere, atque exequi; & conſequenter nec præcepta, quæ media ſunt ad hunc finem conſequendum, ſeruare.

29. Confirmat 1. quia hæc reuelatio eſſet maxima pœna, quam iuſtus non meretur. Confirmat 2. quia nequit Deus ex Damaſceno lib. 2. fidei. cap. 29. ex ſe antecedente voluntate ea velle, quæ nobis abſolutè mala ſunt, præſertim ſi cauſa ſint deſperationis, & damnationis, niſi ob cauſam à nobis priùs datam, & voluntate conſequente. Igitur nequit Deus ex ſe antecedente voluntate, ante vlla commiſſa peccata reuelare iuſto futuram ipſius damnationem, quæ ei abſoluta mala eſt, cùm ei tollat omnem poteſtatem ſperandi, ſitque illi occaſio grauiſſimorum peccatorum, quę hac reuelatione poſita, moraliter euitare non poterit. *Damaſcen.*

30. Sed adhuc confirmari poteſt hæc ſententia 3. Implicat, vt Deus odio habeat odio ſupernaturalis inimicitiæ, quem amat amore ſupernaturalis amicitiæ: Atqui iuſtum Deus amat amore ſupernaturalis amicitiæ: ergo implicat, vt ei æternam ſuam damnationem reuelet. Conſequentia probatur: quoniam per hanc reuelationem Deus odio haberet iuſtum odio ſupernaturalis inimicitiæ, cùm per hanc reuelationem illum æternùm à ſua amicitia repelleret per finalem & decretoriam ſententiam, quem illi per huiuſmodi reuelationem intimaret. Quod enim maius ſignum odij Dei erga creaturam, quàm illi decretoriè intimare æternam eius damnationem & à ſua amicitia perpetuam ſeparationem? Maiorem & Minorem ſuppono ex diſputatis in 3. tomo de gratia habituali.

31. Sanctus Thomas quæſt. 23. de veritate art. vlt. ad 2. Bannez 2. 2. quæſt. 22. art. 1. dub 3. Valentia diſp. 2. quæſt. 4. punct. 1. in fine, Turrianus diſp. 65. dub. 2. Vaſquez 1. 2. diſp. 72. num. 15. Suarez diſp. 2. de Spe, ſect. 2. Syluius 2. 2. quæſt. 20. art. 1. Et communiter reliqui Theologi, abſolutè affirmant, id de potentia abſoluta fieri poſſe, quamuis negent de potentia ordinaria. Vnde cum S. Thoma cit. authores monent, ſi talis reuelatio fieret, eam non eſſe intelligendam abſolutè, ſed ſub conditione, & ſolùm comminatoriè, vti fuit reuelatio Ionę 3. *Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur*: fuit enim tantùm conditionata & comminatoria, ſi nimirum Niniuitæ in ſuis peccatis perſeueraſſent. *S. Thomas. Bannez. Valentia Turrianus Vaſquez Suarez Syluius. Ion. 3.*

32. Atque hæc ſententia longè verior eſt ac probabilior. Fundamentum eſt, quia talis reuelatio non eſt intrinſecè mala, nec vllũ inuoluit inconueniẽs Deo repugnans: non igitur eſt abſolutè neganda. Antecedens quoad primã partem clarũ eſt: nam talis reuelatio nec eſt mala ex obiecto, cùm ſit de obiecto iuſtitiæ vindicatiuæ, continentis decretoriam ſententiam de pœna peccatis debita: nec ex parte Dei reuelantis, cùm Deus nullum habeat debitum differendi intimationem finalis ſententiæ, quam de peccatis hominum ab æterno intra ſe ſtatuit, vſque ad alteram vitam: ſed poteſt pro ſua libertate illam etiam in hac vita intimare: nec demum ex parte hominis, cui illa intimatur, quia poteſt talis ſententia ei intimari in pœnam ſuorum peccatorum, cùm quodlibet peccatum mortale dignum ſit tali pœna.

33. Quoad ſecundam partem probatur, quia nullum poteſt ex hac reuelatione aſſignari inconueniens, quod vel cum infinita ſapientia, vel cum ſumma bonitate Dei repugnet. Non cum ſapientia, quippe cui non deeſſent iuſtæ ac rationabiles cauſæ, propter quas talem reuelationem faceret, ſiue ad oſtendendam infinitam ſuam iuſtitiam circa punitionem peccatorum, ſiue ad declarandam peccati grauitatem, quæ tantam

meretur

Digitized by Google

mereatur pœnam, ſiue ad terrorem & vtilitatem aliorum, vt alieno damno docti à peccatis abſtinerent. Neque cum bonitate: quia nullum per ſe ex tali reuelatione ſequitur peccatum, ſed ex malitia duntaxat eius, cui talis reuelatio fieret: cùm adhuc poſita huiuſmodi reuelatione, homo poſſet, ſi vellet, ſingula peccata vitare, per obſeruantiam omnium præceptorum. Neque ex eo quòd non poſſet beatitudinem ſperare, ſequeretur neceſſariò ſibi fore deſperandum, prout deſperatio dicit peccatum, vt infrà oſtendam. Igitur ex nullo capite talis reuelatio repugnat Deo.

34. Confirmatur. Certum eſt reuelatum fuiſſe omnibus Angelis viatoribus, quòd ſicut in bono perſeuerantes, accepturi fuiſſent in præmium æternam beatitudinem; ita peccantes, in pœnam ſuorum peccatorum deſtinandi eſſent in perpetuos cruciatus. Quòd ſi cum hac certa doctrina annectamus communiorem Scholaſticorum ſententiam, quæ docet non fuiſe Angelis peccantibus paratum auxilium ad reſurgendum, ſed vt Damaſcenus 2. fidei cap. 4. teſtatur, quòd mors eſt hominibus, id Angelis lapſus fuit: poſt quem præcluſa eſt illis omnis reſipiſcendi facultas. Potuit autem Deus, abſque vllo inconuenienti, hoc ipſum initio reuelare omnibus Angelis, vt nullum eſſet in peccatum lapſis paratum auxilium ad pœnitendum: & conſequenter ſtatim atque illi peccaſſent, certi fuiſſent de ſua æterna damnatione, etiam dum exiſterent in via: quoniam, vt ex 2. tomo de Angelis ſuppono, non ſtatim atque illi peccarunt, fuerunt in infernum detruſi, donec eorum via, non quidem ad merendum, ſed ad demerendum per plura, vel pauciora peccata, Dei ordinatione certo tempore definita abſolueretur, vt colligitur ex magno illo prœlio, quod Apocal. 12. factum fuit in cœlo inter Michaelem & Angelos eius, & Luciferum & Angelos ipſius. Quid enim abſurdi afferri poteſt, quòd ſicut ab initio reuelauit illis Deus, & præmium in bono perſeuerantibus, & pœnam peccantibus: ita etiam ab initio iiſdem reuelaſſet, quòd ſtatim peccantibus nullum ampliùs foret illis ad reſurgendum paratum auxilium? tametſi probabilius ſit id de facto iis ab initio reuelatum non fuiſſe, propter eaſdem rationes, quibus negamus, id de facto vnquam reuelatum fuiſſe alicui homini viatori.

Damaſc. en. — *Apoc. 12.*

35. Maior difficultas eſt, an hanc reuelationem Deus facere poſſit iuſto ob ipſius futura peccata. Sed neque in hoc video repugnantiam, quin poſſit Deus ob peccata, quæ iuſtus commiſſurus eſt, reuelare illi antecedenter ipſius futuram damnationem. Non enim hoc repugnat vel ipſius ſapientiæ, vel bonitati. Non ſapientiæ, nam etiam ad hanc reuelationem faciendam poteſt Deus iuſtas rationabileſque habere cauſas, vel ad ſuam iuſtitiam oſtendendam, vel ad peccati grauitatem declarandam, quæ tanta eſt, vt etiam antecedenter hanc pœnam mereatur: vel ad excitandam mortalium ſocordiam, vt ſibi diligenter præcaueant, nec de præſenti iuſtitia nimiùm fidant, ſed cautè cum timore & tremore propriam ſalutem operentur, dum vident, etiam iuſtos à iuſtitia excidere, atque æternam damnationem incurrere poſſe: ſed potiùs omnem ſuam Spem in Deo reponant, *ſcientes quod*, vt Tridentinum mouet ſeſſ. 6. capite 13. *in Spem gloriæ, nondum in gloriam renati ſunt.* *Concilium Tridentin.*

36. Nec repugnat bonitati: tum quia nullum ex hac reuelatione iuſto facta per ſe ſequitur peccatum: ſed ſi quod ſequitur, quòd ea non facta, futurum non fuiſſet; non poteſt adſcribi Deo, qui nulla obligatione aſtringitur ad talem reuelationẽ non faciendam; ſed potiùs creaturæ, quæ propria libertate, & malitia illud committit, cùm adhuc tali reuelatione poſita, potuiſſet illud non committere. Tum quia etſi talis pœna non ſit debita iuſto vi præſentis ſtatus, eſt tamen debita vi ſtatus futuri. Neque eſt contra iuſtitiam, anticipare manifeſtationem pœnę ante culpam commiſſam, quando culpa eſt certò futura, ob rationes aſſignatas. Atqui eodẽ modo, inquies, poſſet Deus anticipare pœnam ipſam, infligendo illam propter culpam committendam in ipſo ſtatu damnationis. Sed negatur ſequela: quia cùm pœna æterna ponat reprobum extra omnem ſtatum viæ, & poſſibilitatem vitandi peccata, non poſſet illi iuſtè pœna infligi propter peccatum committendum in ſtatu, in quo vitari non poteſt, ſaltem potentia morali ad non peccandum proximè expedita, qualis requiritur ad mortale crimen patrandum.

37. Vnde ad fundamentum Coninck, negandum eſt, talem reuelationem repugnare diuinæ bonitati. Neque verum eſt, iuſtum ex ea ad peccandum moraliter neceſſitari, pluſquam neceſſitaretur peccator, ſi ei damnatio reuelaretur propter ipſius tantùm peccata futura, non autem propter præſens, quod contritione, vel confeſſione delere poſſet. Nec obſtat præſens ſtatus amicitiæ, & filiationis; nam illi talis pœna non infligitur propter ſtatum præſentem amicitiæ, ſed propter futurum inimicitiæ: nec repugnat, vt oſtenſum eſt, talem pœnam anticipatò infligi, ſicut anticipatò conferri poteſt & præmium. *Coninck.*

38. Confirmatur, quia ſicut tali pœnæ non repugnat perſeuerare cum ipſo ſtatu amicitiæ & filiationis, ſi nimirum poſt factam talem reuelationem peccatori, peccator iuſtificetur, & in iuſtitia diu permaneat: ita nec repugnabit illam infligi in ipſo ſtatu amicitiæ: cùm ſit eadem ratio perſeuerantię cum amicitia futura atq; cũ præſenti: nã poſtquam peccator eſt iuſtificatus, eſt amicus, & filius adoptiuus Dei, eiq́; iuxta præſentẽ ſtatum debita eſt gloria æterna, nonminùs quàm debita eſt iuſto, antequam peccaſſet. Et tamen per Coninck non repugnat,

Digitized by Google

gnat, quin in eo perſeueret reuelatio damnationis, facta in ſtatu peccati: ergo nec repugnabit, quin eadem fiat in ipſo ſtatu amicitiæ propter futurum ſtatum peccati. Conſequentia patet: quoniam permanentia reuelationis futuræ damnationis cum ſtatu recuperatæ amicitiæ æquiualet reuelationi factæ in ipſo ſtatu amicitiæ: ergo ſi ea non repugnat cum amicitia recuperata, nec repugnabit cum amicitia nunquam amiſſa.

39. Ad primam confirmationem Reſp. idem argumenti fieri poſſe de eadem reuelatione perſeuerante in peccatore iuſtificato, nam neque hic, dum eſt in tali ſtatu, huiuſmodi pœnam meretur. Sufficit igitur, vt talem pœnam ſit meriturus propter peccata futura, propter quæ illa infligitur.

40. Ad 2. negatur Conſequentia. Ex eo enim, quòd Deus damnationem iuſto reuelet ante vllum commiſſum peccatum, propter futura committenda, non ſequitur, ex ſe antecedente voluntate velle ea, quæ nobis abſolutè mala ſunt, ante vllam cauſam à nobis datam: alioqui neque poſſet Deus ante commiſſa actu ab homine peccata, velle illi æternam damnationem: nam etiam talis voluntas in Deo antecedit peccata actu commiſſa. Sicut igitur poteſt Deus ante peccata ab homine actu commiſſa, abſolutè ei velle damnationem: ita poterit ante eadem peccata actu commiſſa eidem manifeſtare futurā ſuam damnationem. Ratio, quoniam adhoc vt non dicatur Deus ex ſe antecedente voluntate velle ea, quæ nobis abſolutè mala ſunt ante datam à nobis cauſam, non requiritur, vt cauſa ſit actu poſita, ſed ſufficit, vt ſit actu à nobis ponenda. Ex futuris igitur noſtris peccatis Deus occaſionem ſumeret ad reuelandam damnationem, antequam eadem peccata actu à nobis commiſſa forent: ſicut ex iiſdem futuris peccatis occaſionem ſumit ad ſtatuendam intra ſe decretoriam ſententiam de noſtra damnatione, antequam eadem peccata actu à nobis committantur. Neque, vt ſuprà dictum eſt, talis reuelatio foret iuſto cauſa deſperandi, prout deſperatio dicit peccatum: ſicut neque eſt cauſa deſperandi peccatori.

41. Ad 3. negatur conſequentia. Ad cuius probationem negandum eſt, per huiuſmodi reuelationem odio haberi à Deo iuſtum ſecundùm præſentem ſtatum, ſed ſolùm reuelationem eſſe ſignum futuri odij, quod Deus concepturus eſt contra iuſtum, quando erit in ſtatu peccati & damnationis. Sicut reuelatio, quam Chriſtus fecit Petro de futurā eius negatione, non fuit terminus, aut ſignū præſentis odij, quod Chriſtus de illo haberet, ſed futuri, quod habiturus erat erga eum tempore, quo Chriſtum negaturus erat. Ratio, quia nunquam Deus odio inimicitiæ odit creaturam, niſi quando ſubtrahit ab illa ſuam gratiam, quæ eſt terminus ſuæ amicitiæ erga creaturam, vt ſuppono ex diſputatis de gratia habituali in præcedente tomo. Per talem autem reuelationem Deus non ſubtraheret iuſto ſuam gratiam: igitur per eam non odio haberet odio inimicitiæ iuſtum.

42. Confirmatur, nam quamdiu manet gratia in creatura, manet amor amicitiæ Dei erga creaturam, cùm nequeat Deus in ſuo actu eſſe ſuſpenſus, vt cum communi ſententia ſuppono ex tomo 1. di p. 14. ſect. 1. Cùm igitur non poſſit illam odio habere, nā implicat, vt Deus odio habeat odio inimicitiæ creaturam, in qua eſt terminus ſuæ amicitiæ, neceſſariò illā amabit amore amicitiæ, cùm neceſſariò debeat illam amare amore, qui exigitur ab ipſo termino; quia amor Dei menſuratur ab ipſo termino producto: amat enim Deus creaturam, producendo terminum ſui amoris in illa.

43. Ad primam rationem 1. ſentent. negādum eſt, huiuſmodi hominem, cui reuelata eſſet damnatio obligari ad præceptum Spei, eſto obligaretur ad alia præcepta. Ratio diſcriminis, quoniam per reuelationem damnationis tollitur obiectū Spei, quod eſt beatitudo vt poſſibilis acquiri: ſublato autē obiecto nequit actus circa illud exerceri, cùm omnis actus neceſſariò ſupponat obiectum, circa quod verſetur. Reliquorum autē præceptorum non tollitur obiectum, ac proinde poſſet circa reliqua obiecta actus exerceri.

44. Ad 2. Negatur ſequela. Ad cuius probationē diſtinguenda eſt duplex deſperatio; altera, quæ tantùm ſit vel omiſſio Spei vel nolitio ſeu non appetitio beatitudinis, quatenus in pœnam peccati iuſtè mihi negatur à Deo: altera, quæ eſt nolitio ſeu non appetitio beatitudinis, quatenus vel illam mihi apprehendo impoſſibilem defectu potentiæ, aut miſericordiæ Dei: vel quia nolo adhibere media ad eam conſequendā mihi præſcripta, quæ ſunt præcepta diuina. Porrò nequit homo, cui facta eſt reuelatio de ſua damnatione, damnari propter priorem actum deſperationis; cùm reuelata damnatione, talis actus non ſit in poteſtate ipſius, ac proinde nequeat illi ad peccatum imputari. Poteſt autem damnari propter poſteriorem actum deſperationis: nam adhuc reuelata damnatione, in poteſtate ipſius eſt, talem actum non elicere: cùm, adhuc reuelata damnatione, Deus non ſubtrahat auxilia neceſſaria ad ſeruanda media ad beatitudinem ordinata: quia licet non teneatur talia media adhibere ad beatitudinem conſequendam, tenetur tamen ea adhibere ad peccata vitanda. Ex his patet ad omnes probationes.

45. Cæterùm eſt hic diligenter aduertendum, me non aſſerere, poſſe aliquem damnari propter ſolum peccatum commiſſum occaſione reuelatæ damnationis, quod aliàs commiſſum non fuiſſet. Exempli cauſa propter ſolum peccatum deſperationis de miſericordia Dei, vel de omiſſione alicuius præcepti, quod aliàs omiſſum non fuiſſet: id enim implicat. Nam damnatio, & à fortiori reuelatio damnationis, ſupponit peccatum in præſcientia Dei prius ab homine commiſſum, cùm propter illud Deus hominē damnet.

ner. Igitur non poteſt illum damnare propter peccatum commiſſum occaſione reuelatæ damnationis, quod aliàs cõmiſſum non fuiſſet: alioqui eadem damnatio præſupponeret, & non præſupponeret peccatũ. Præſupponeret, quia propter illud priùs ab homine commiſſum decreta eſſet. Non præſupponeret, quia in præſcientia Dei non antecederet, ſed ſubſequeretur damnationẽ, quod implicat. Implicat namque, vt idem ſit cauſa, & effectus ſimul quoad primum eſſe reſpectu eiuſdem. Nam peccatum eſſet moralis cauſa demeritoria damnationis, quod vt moraliter cauſet, debet ſecundùm abſolutam ſuam exiſtentiã in præſcientia damnantis præcedere. Rurſus idem peccatum quoad primum ſuum eſſe cauſaretur à reuelata damnatione, cùm non ſupponeretur futurum, niſi ex ipſá reuelatione damnationis. Ergo ſolum hic aſſero, poſſe aliquem damnari propter ſolum peccatum deſperationis commiſſum poſt reuelatam damnationem, quod aliàs commiſſum fuiſſet, adhuc non reuelata damnatione, quodque de facto præuiſum fuit commiſſum, ſeu committendum independẽter ab ipſa reuelatione, cùm reuelatio damnationis non tollat ſufficientẽ poteſtatem illud vitandi.

49. Dices. Conſimili ratione poſſet Deus facta reuelatione damnationis, hominem damnare propter ſolam omiſſionẽ præcepri Spei, quod aliàs omiſſurus fuiſſet, etiam ſine tali reuelatione. Reſp. Negando ſequelam. Ratio diſcriminis, quia Deus non damnat, niſi propter peccatum actu commiſſum: cùm igitur facta reuelatione damnationis, homo non ſperando, non peccet, cùm per reuelationem reddatur impotens ad ſperandum, etiamſi aliàs non reuelata damnatione, omiſſurus fuiſſet, propter huiuſmodi peccatũ ſub conditione tantùm futurũ, & actu non commiſſum, Deus non damnat.

47. Sed adhuc remanet in hac materia non diſſimulanda difficultas. Dictũ eſt enim ſuprà, de potentia ordinata Deum nulli ſuam damnationem reuelare, dum eſt in hac vita: cùm tamen illam reuelauit Iudæ, vt colligitur ex Matth. 26. Ioan. 17. in quorum primo, Iuda ipſo præſente, Christus Dominus dixit: *Væ homini illi, per quẽ filius hominis tradetur: bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille*: in ſecundo verò appellauit eum filium perditionis: dum enim poſt vltimam cœnam Patrem coram ſuis Diſcipulis oraret; *Nemo*, inquit, *ex eis perijt, quos dediſti mihi, niſi filius perditionis, vt Scriptura impleatur*. Eandem reuelauit Antichriſto, dum de illo apertè oracula teſtantur fore damnandum.

Matth. 26. *Ioan. 17.*

48. Reſp. negando Minorem, & ad 1. locum dico, illa verba non cõtinere expreſſam reuelationem damnationis, ſed vel ea intelligi poſſe de pœna, non quam de facto habiturus erat, ſed quam propter ſua peccata cõmeritus eſſet: vel certè intelligitur de damnatione non definitiua & decretoria, ſed comminatoria. Ex ſecundo verò loco ad ſummum colligitur, damnationem Iudæ manifeſtatã fuiſſe reliquis Apoſtolis, coram quibus prædicta verba prolata fuere, non autẽ Iudæ, qui eo tẽpore nõ aderat cum reliquis Apoſtolis, vt manifeſtè colligitur ex c. 13. Euangeliſtæ, vbi dicitur ſtatim poſt acceptam buccellam exijſſe. Ex reuelatione autẽ facta alteri non ſequuntur ea incõmoda, quæ ſequuntur ex reuelatione immediatè factã ipſi reprobo: quia reprobus non tenetur reuelationem alteri factam, credere eſſe à Deo. *Ioan. 13.*

49. Ad reuelationem verò de Antichriſti damnatione Reſp. 1. mihi ferè certum eſſe, Antichriſtum nullam fidem, ſaltẽ diuinam, adhibiturum diuinis oraculis, & à fortiori neque ijs, qui ipſius damnationem prædicẽt: nam ferè certum eſt, illum nullum actum Chriſtianæ fidei eliciturum, quippe qui omnino cõtrarius futurus eſt doctrinæ Chriſti, contrariaq́; docturus eſt. Secundò. Eſto fide diuina huiuſmodi oracula crediturus ſit, haud tamen fide diuina credere tenebitur, ſe eſſe illummet, cuius damnationem ſacra oracula teſtantur: ac proinde vel ex hoc capite non poterit eſſe certus fide diuina de ſua finali damnatione. Atque hæc quoad priorem quæſtionem.

50. Quoad poſteriorem verò, ad quid in caſu reuelatæ damnationis teneretur reprobus, variæ excogitatæ ſunt à Theologis ſententiæ, quas omnes breuiter examinare oportet, vt ex ijs verior eligatur.

51. Prima ſententia abſolutè affirmat, adhuc in eo caſu reprobum ad ſperandũ teneri. Tribuitur Victoriæ. Potiſſimum fundamentum eſt: nam adhuc facta reuelatione damnationis, reprobus habet parata auxilia ad omnia & ſingula præcepta ſeruãda, & conſequenter etiam ad ipſum præceptum Spei. Confirmatur. Deſperare eſt per ſe intrinſecè malum: ergo adhuc facta reuelatione propriæ damnationis, reprobus tenetur non deſperare, nam adhuc facta reuelatione, tenetur quodlibet peccatum vitare. *Victoria.*

52. Secunda ſententia negat, in tali caſu reprobum teneri ad ſperandum, cùm hoc ſit ei impoſſibile: teneri tamẽ ad non deſperandum, cùm hoc ſit intrinſecè malũ: tum quia aduerſatur diuinæ miſericordiæ: tum quia per deſperationem homo auerſatur beatitudinem, quod nunquam eſt licitum.

53. Tertia ſententia diſtinguit beatitudinem vt poſſibilem, & vt futuram: docetque in eo euentu reprobum teneri ad ſperandam beatitudinem vt poſſibilem, non autem vt futuram, quam vt ſic poterit etiam deſperare. Tribuitur Lorcę. Fundamentum, quoniam adhuc facta reuelatione de damnatione, beatitudo manet poſſibilis acquiri: nam per talem reuelationem nihil poſſibilitatis ab ea detractum eſt; ſed circa quodcunque obiectum poſſibile poteſt voluntas elicere actum volitionis & deſiderij: ergo adhuc facta reuelatione, tenetur reprobus elicere actum Spei circa beatitudi- *Lorca.*

nem

nem vt poſſibilem. Confirmatur, quoniam adhos actus habet parata auxilia, non minùs quàm ad reliquos virtutum actus: ergo tenetur illos elicere.

54. Qvarta ſentẽtia abſolutè negat, talẽ hominem teneri ad beatitudinem ſperandã, quin eam licitè deſperare poſſet, prout deſperatio dicit nolitionem tantùm beatitudinis. Hanc docent Bannez 2. 2. q. 22. a. 1. dub. 3. concl. 1. & 2. Syluius eod. a. 1. Turrianus diſp. 65. dub. 2. Coninck diſp. 20. citata de deſperatione dub. 13. concl. 1. & 2. eaque colligitur ex S. Thoma ſuprà citato. Ex relatis ſententijs hæc vltima eſt omnium probabiliſſima: pro cuius explicatione.

Bannez. Syluius. Turrianus. Coninck. S. Thomas.

55. Dico 1. Talis homo nullo pacto teneretur ad beatitudinem ſperandam. Fundamentum: quoniam Spes non eſt quicunque actus, ſed ſeria & efficax intentio finis per media conſequendi, ordinem dicens, ad electionem mediorum. Atqui talem actum nequit habere reprobus diuina reuelatione certus de ſua reprobatione: ergo non tenebitur beatitudinem ſperare. Conſequentia elucet, quia nemo tenetur ad impoſſibile. Maior conſtat ex ipſa natura Spei, quæ non eſt ſimplex tantùm complacentia, & inefficax velleitas finis, ſed efficax voluntas illum conſequendi. Minor probatur, quoniam per talem reuelationem tollitur è mente reprobi beatitudo vt ſibi poſſibilis acquiri: ergo nequit in illam ferri ſerio atque efficaci actu intentionis.

56. Confirmatur. Spes eſt tendentia in finem cum probabili ſaltẽ iudicio illum conſequendi: nequit autem talis homo habere probabile ſaltem iudicium de beatitudine conſequenda, cùm per reuelationem ſit diuinitùs certior factus de oppoſito. Maior patet, quoniam efficax voluntas conſequendi finem pẽdet ex practico iudicio ſaltẽ probabili illum conſequendi. Adde, quòd Spes Chriſtiana, vt ex ſuprà diſputatis conſtat, pendet ex aſſenſu fidei Theologicæ, quo vt certò credere tenemur ex diuina promiſſione nobis poſſibilẽ eſſe acquiſitu futurã beatitudinem: atqui facta nobis ſufficienti relatione de futura noſtra damnatione, Theologica fide credere tenemur, eandem beatitudinem non eſſe ampliùs nobis poſſibilem acquiſitu.

57. Dico 2. Homo Diuinitus de ſua damnatione certior factus, non poteſt licitè deſperare, vel de diuina miſericordia, cùm hoc ſit perſe malum; vel omittendo obſeruantiam præceptorum, cùm ad ea ſeruanda habeat parata auxilia: poteſt autem licitè nolle beatitudinem, non quidem eam contemnendo, cùm hoc inuoluat contemptum Dei, in cuius obiectiua aſſecutione beatitudo cõſiſtit; ſed vt in pœnam peccatorum ſibi à Deo ſublatam: nam talis homo tenetur ſe conformare voluntati Diuinæ, ſaltem illi non reſiſtendo: ergo non ſolum licitè, ſed etiã virtuosè poteſt poſitiuo actu eam nolle, quatenus in pœnam ſuorum peccatorum iuſtè à Deo illa priuatur. Dixi, *ſaltem illi non reſiſtendo*: quia non tenetur actu poſitiuo illam nolle, etiam vt in pœnam iuſtè à Deo ſibi negatam: ſed tantùm negatiuè illi non reſiſtere, cùm non debeat pœna eſſe voluntaria.

58. Ex his infertur, huiuſmodi hominẽ teneri conari ad omnia præcepta ſeruãda, præterquã ad præceptum Spei, & fidei de beatitudine ſibi ex diuina promiſſione poſſibili acquiſitu: nec non ad omnia & ſingula peccata mortalia vitanda. Fundamentum, quoniam ad omnia hæc habet paratum auxilium gratiæ: neque per huiuſmodi reuelationem tollitur obiectum diuinorum præceptorum è mente reprobi.

59. Dices. Ad ſeruanda præcepta, & vitanda peccata, neceſſaria eſt gratia congrua: ſed qui habet reuelationem de ſua damnatione, certus eſt, ſe non habiturum gratiam congruam: ergo non poterit conari ad præcepta ſeruanda, & peccata vitanda, cùm ſerius & efficax conatus in aliquod ſupponat illud poſſibile acquiſitu. Reſp. 1. diſtinguendo Minorem: certus eſt ſe non habiturum gratiam congruam in toto collectiuo, concedo; in ſingulis occaſionibus diſtributiuè, in quibus occurrunt præcepta ſeruanda, & peccata vitanda, nego: quod ſufficit, vt ad ſingula præcepta ſeruanda, & peccata vitanda ſeriò conari & poſſit, & debeat.

60. Reſp. 2. Negando conſequentiam. Etenim vt poſſit quis, & teneatur ſeriò conari ad peccata vitanda, ſufficit, vt ad ea vitanda habeat omnia ex parte Dei antecedenter requiſita: ſed qui habet gratiam ſufficientem, habet omnia ex parte Dei antecedenter requiſita ad peccata vitanda. Minor conſtat, nam gratia ſufficiens præbet omnia antecedenter requiſita ad operationem, vt ex natura ſufficientis auxilij præcedente tomo explicata ſuppono. Maior probatur. Qui habet omnia antecedenter requiſita ad peccatum vitandum, habet in ſua poteſtate illud vitare, aut non vitare: igitur poteſt, & debet ſeriò conari ad illud vitandum. Nec refert, quòd habeat reuelationem de ſuo peccato futuro: nam etiam Petrus habuit reuelationem de ſua trina negatione futura, qua tamen non obſtante, tenebatur ſeriò conari ad illam vitandam. Fundamentum eſt, quia ſicut reuelatio peccati futuri non tollit poteſtatem illud vitandi: ita nec debitum conandi ad illud idem vitandum: nam vbi eſt poteſtas, eſt debitum conãdi ad peccatum vitandum. Eſt enim reuelatio futuri peccati conſequens ad peccatum, ſupponens illud futurũ defectu conatus & cooperationis creaturæ. Igitur quamdiu peccatum non eſt à creatura commiſſum, ſemper creatura tenetur conari ad illud vitandũ, cùm ſemper in ſua poteſtate habeat illud non committere.

61. Ex dictis patet ad argumenta aliarum ſententiarum. Ad fundamentum 1. negandum eſt, facta reuelatione damnationis, maNERE

DE CHARITATE
TERTIA THEOLOGICA VIRTVTE.

CHaritate concluditur quartus hic Theo-
logici Curſus Tomus: quæ vti generatio-
ne poſtrema, ita perfectione ac dignitate
prima, arctiùs intimiuſq; hominem cum
Deo ſtringit, animamq; ęterno Verbo ma-
ritat Sacro cõnubij vinculo: eſt enim Cha-
ritas, teſte Bernardo ſerm. 83. in Cantica, S. Bernardus.
Spiritualis Sanctiq; connubij contractus, imò & nexus, inter quos
idem velle & nolle, vnum facit Spiritum de duobus. Nec diſparitas
perſonarum claudicare in aliquo facit conuenientiam voluntatum,
quia amor reuerentiam neſcit. Solus eſt amor ex omnibus animæ mo-
tibus atque affectionibus, in quo poteſt creatura, etſi nõ ex æquo, reſ-
pondere authori, vel de ſimili mutuam rependere vicem. Hæc ſola,
inquit Auguſt. tract. 5. in Epiſtolã B. Ioãnis, *diſcernit inter filios* S. Auguſt.
Dei, & filios Diaboli: quippe quę Prouerb. 10. *vniuerſa operit de-* Prouerb. 10.
licta: propter quam ſolam ab Incarnata Sapientia dictum eſt,
Magdalenæ, Lucæ 7. *Remittũtur ei peccata multa, quoniã dilexit* Lucæ 7.
multũ. Hac vna extincta, reliquæ omnes virtutes extinguun-
tur: & hac vna reuiuiſcente reuiuiſcũt ad meritũ omnes: ſine
qua, authore Paulo 1. ad Corinth. 13. Nihil nobis prodeſt. Hęc 1. Cor. 13.
merito iuſtificantis gratiæ, quàm ſecũ infallibiliter aduehit,
hominem efficit gratum & amicũ Deo, æternæ gloriæ hære-
dem, cohęredem Chriſti, filiũ adoptiuum Altiſſimi. Hanc *ceu*
primã ſtolam, vti Trid. teſtatur ſeſſ. 6. cap. 7. *pro illa, quã Adam* Concilium Trident.
ſua inobedientia, ſibi & nobis perdidit, per Chriſtum Ieſum donatũ,
candidam & immaculatam iubemur renati conſeruare, vt eam per-
feramus ante Tribunal Domini Ieſu Chriſti. Hæc demum vna ex
omnibus virtutibus eſt, qua Deus inſigniri geſtit, vt ea velut
propria teſſera eius increata virtus ac natura mortalibus in-
noteſcat: *Charitas* quippe *Deus eſt* 1. Ioannis 4. *& qui manet in* 1. Ioan. 4.
charitate, in Deo manet. De charitate diſputant Scholaſtici cũ
Magiſtro in 3. à diſt. 27. vſque ad 33. excluſiuè, & Thomiſtæ Magiſter.
cum Angelico Doctore 2. 2. q. 23. vſque ad 44. incluſiuè. Nos S. Thomas.
charitatis naturam explicabimus ex obiecto, habitu, actu,
obligatione reliquiſque effectibus ac proprietatibus, vti de
reliquis duabus Theologalibus virtutibus ſuprà egimus.

tamen diligere poſſum in ordine ad dona ſupernaturalia, quorum, vt cæteri viatores, capax eſt.

Concl. 3. Reliqua entia creata ſunt obiectũ Quod charitatis.

5. Dico 3. Reliqua entia creata ſiue naturalia, ſiue ſupernaturalia ſunt obiectum *quod*, ſiue materia charitatis vltimatè ordinabilis ad finem principalem *Cui*. Eſt communis ſententia Doctorum. Ratio, quia reliqua entia creata apprehendi poſſunt vt bona creaturæ rationalis, quatenus illam ducunt ad ſupernaturalem beatitudinem, quæ ſola per ſe illi amatur. Demum omnia, vt ſingulares participationes bonitatis increatæ amantur ve bona Dei, proinde Dæmones ipſi, qui ex charitate tanquam finis *Cui*, diligi non poſſunt, ſunt obiectum *quod* & materia charitatis, quatenus diligi poſſunt vt effectus Dei, & materia diuinæ iuſtitiæ; dupliciter enim poſſunt rationales creaturæ ex charitate diligi, vel in ſe, & vt finis *Cui* bonum volumus, & ſic nequeunt Dæmones ex charitate diligi, vel vt aliquid Dei, ad cuius gloriam manifeſtandam ducunt, & ſic charitate diligi poſſunt. Legatur S. Thomas q. citata art. 11.

S. Thomas. Peccata non poſſunt diligi ex charitate.

6. Dices: Ergo etiam peccata diligi poſſunt ex charitate, nam etiam peccata ſunt materia iuſtitiæ diuinæ, & obiectum contritionis in nobis. Reſpondeo negando Conſequentiam: nam peccata vt ſic nequeunt eſſe bona Deo, cùm non exaltent, ſed potiùs deprimant eius gloriam, quatenus præferunt creaturam Deo: manifeſtant autem gloriam Dei ratione iuſtę punitionis, ratione cuius tantùm illa ordinantur ad Deum. At verò cætera ex ſe & ratione ſuæ poſitiuæ perfectionis ordinantur ad Deum tanquam effectus ipſius: ac proinde per ſe, & non tantùm ratione alterius diligi poſſunt.

Creaturæ intellectuales duplici actione ex charitate diligi poſſunt.

7. Ex dictis deducitur 1. Creaturas beatitudinis participes duplici amore ex charitate diligi poſſe, vno amicitiæ vt finem immediatum *Cui*; altero concupiſcentię vt bonum Dei: reſpectu cuius ille idem amor erit amicitiæ, quemadmodum amor, quo volo bonum amico, reſpectu boni concupiti dicitur concupiſcentiæ; reſpectu verò amici, cui bonum deſidero, dicitur & eſt amor amicitię.

Suiipſius amor triplex eſt.

8. Deducitur 2. Poſſe aliquem ſeipſum triplici amore diligere, concupiſcentiæ, charitatis, & beneuolentię, non tamen amicitiæ. Primum patet, quia poteſt beatitudinem ſibi deſiderare, vt ſibi bona eſt, ac proinde ſeipſum amare amore concupiſcentiæ, ſeu Spei. Secundò, poteſt eandem beatitudinem, & ſeipſum amare, quatenus bonum Dei eſt, & ex complacentia Dei, ac proinde ſeipſum amare amore charitatis, qui ſimul etiam ſit amor amicitię erga Deum. Tertiò, poteſt beatitudinem ſibi amare ex complacentia propriæ perſonæ, ac proinde amore beneuolentiæ, qui eſt amor terminatus ad perſonam ex complacentia perſonæ. Secundum verò conſtat: quoniam amicitia eſt ad alterum, ſupponit enim aliquam communicationem bonorum, & in mutua voluntatum concordia conſiſtit: ac proinde vbi nulla eſt dominiorum, ac voluntatum diſtinctio, amicitia propriè eſſe nequit. Propter hanc cauſam inter diuinas perſonas amicitia propriè non eſt, cùm in eis non ſit voluntatum ac naturarum diſtinctio.

Etiam corpus propriũ eſt obiectum charitatis. S. Thomas.

9. Deducitur 3. Etiam corpus proprium eſſe obiectum materiale, non ſolùm *Quod*, ſed etiam *Cui* charitatis. Eſt S. Thomæ ſecunda ſecundæ quęſt. citata artic. 5. Primum patet, quia poſſumus & debemus corpus noſtrum diligere vt bonum Dei, & propter Deum, quo pacto diligimus illud vt *quod*. Secundum probatur, nam etiam corpus eſt aliquo modo capax, vt S. Thomas docet citato art. ad ſecundum, ſupernaturalis beatitudinis, quatenus eſt beatificabile beatitudine redundante ex animi beatitudine, vt idem S. Doctor teſtatur ſecunda ſecundæ q. 23. art. 4. *S. Thomas.*

SECTIO II.

Quodnam ſit obiectum formale Charitatis Theologicæ?

10. IN quouis amore, præſertim amicitiæ, triplex obiectum ratione ſaltem diſtingui poteſt: Bonum, quod amatur: Subiectum, cui amatur: & ratio, propter quam id ipſum amatur, quę ſemper eſt aliqua bonitas, à qua finaliter mouetur voluntas ad amanda omnia bona amato. Atque hæc eſt formale motiuum, & ratio ſpecificatiua amoris, de qua nunc quęrimus, quæ ſit in habitu infuſo charitatis ſpecificans illum eique vnitatem tribuens. Quia verò duplex eſt amor charitatis, Dei, & proximi, duplex quoque eſt difficultas de motiuo amoris Dei, & amoris proximi: an ſcilicet omnis amor amicitiæ, de quo hic diſputatur, feratur in Deum ſub eodem motiuo: & an ſub eodem motiuo increatæ bonitatis diligatur Deus & proximus. In hac ſect. de priori difficultate, in ſequenti de poſteriori diſputabimus.

1. Sentent.

11. Prima ſententia affirmat, omnem amorem amicitię erga Deum habere idem motiuum formale, ac proinde non diſtingui in nobis duplicem habitum charitatis ſeu amicitię erga Deum, Alterum ſupernaturalem & infuſum, Alterum naturalem & acquiſitum; ſed vnum eundemque habitum ſupernaturalem infuſum inclinare nos ad diligendum Deum vt finem & authorem bonorum naturalium, & vt finem & authorẽ donorum ſupernaturalium: Eſt Vaſquz 1. 2. diſp. 195. c. 2. & 3. *Vaſquez.* Pro qua ſententia multos citat, qui tamen vel pro ea nõ ſunt, ſed potiùs pro contraria, vt Bellarminus lib. 6. de gratia & libero arbitrio c. 7. & 8. *Bellarm.* qui manifeſtè diſtinctionem ponit inter dilectionem Dei

finis naturalis, & ſupernaturalis: quamuis ibidem doceat, dilectionem Dei finis naturalis haberi non poſſe, niſi ex ſpeciali auxilio gratiæ, nempe ordinis naturalis; vel non clarè loquuntur, vt *Durandus.* Durandus in 1. diſt. 17. q. 2. ad primum & ſecundum, & alij. Solus ex antiquis Scholaſticis illam apertè tradit *Scotus.* Scotus in 3. diſt. 27. q. vnica, §. *contra primam viam,* & §. *quantum ad iſtum articulum dico:* vbi docet, Deum ſecundùm ſe eſſe obiectum charitatis, negatq́; Deum conſideratum vt principium communicationis bonorum naturalium per creationem, & vt principium communicationis donorum ſupernaturalium per beatificationem, pertinere ad diſtinctos habitus, ſed vnum eundemq́ue charitatis habitum ferri in Deum ſecundùm ſe tanquam in rationem obiectiuam, & in eundem vt principium communicatiuum bonorum naturalium, & ſupernaturalium, tanquam in rationem allectiuam, quæ nata eſt allicere voluntatem ad amandum. *Ita vt in Deo*, inquit, *non ſola bonitas infinita, vel hac natura, vt hac natura alliciat ad amandum Deum; ſed quòd hac bonitas amauerit me, communicando ſe mihi, ſecundariò hoc allicit. Et in iſto gradu amabilitatis poteſt poni omne illud, in quo inuenitur ratio amabilitatis; & poteſt ſe demonſtrare redamare, ſiue creando, ſiue reparando, ſiue diſponendo ad beatificandum: ita quod inter hæc non ſit diſtinctio, nec charitas reſpiciat magis vltimam quàm ſecundam; nec ſecundam quā primam, ſed omnes ſicut rationes quaſdam non ſolùm boni honeſti, ſed boni communicatiui, & amantis; & quia amantis, ideò digni redamari, iuxta illud* *1. Ioan. 1.* 1. Ioan. 1. *Diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* Hæc Scotus

12. Probat hanc ſententiam citato cap. 2. & 3. *Vaſquez.* Vaſquez 1. quia neque in Scripturis, neque in Patribus reperitur hęc diſtinctio duplicis amoris amicitiæ erga Deum finem naturalem, & ſupernaturalem: ſed omnem amorem amicitiæ erga Deum ſupponunt eſſe eiuſdem rationis, ac proinde ex eodem motiuo ſpecificatum. Ex Scripturis conſtat *Deut. 6.* Deut. 6. vbi traditur præceptum diligendi Deum ex toto corde, & ex tota anima. In quo tamen nulla mentio fit huius duplicis amoris. Idem conſtat ex Patribus, qui vbicunque amorem amicitiæ erga Deum definiunt, dicunt illum eſſe propter ipſum Deum, nulla mentione facta Dei finis naturalis, vel ſuper- *Concilium Arauſic. II.* naturalis. Vnde Concilium Arauſicanum II. canon. 25. docet: *prorſus donum Dei eſſe diligere Deum*, nulla mentione facta duplicis amoris naturalis & ſupernaturalis, ſed omnem amorem amicitiæ erga Deum ſupponit eſſe ſupernaturalem.

13. Secundò probat rationibus. Prima ſit. Si duplex eſſet motiuum amoris amicitiæ in Deo; duplex quoque diſtingueretur amor amicitiæ erga eundem: falſum autem eſt, duplicem diſtingui amorē amicitię erga Deum: igitur falſum eſt, in eodem duplex diſtingui motiuum amoris amicitiæ. Minor probatur: nam ſi duplex amor amicitiæ diſtingueretur erga Deum, ſequeretur, poſſe Deum diligi amore naturali abſque gratia habituali, ſolo auxilio gratuito in natura lapſa, ſicut in natura integra, quod negat S. Thomas, & alij. Sequela probatur: nam ſi quid obſtaret, aut eſſet in- *S. Thomas.* firmitas naturæ per peccatum contracta, aut repugnātia maculæ peccati cum tali dilectione. Non primum, tum quia vel hęc infirmitas non tollitur per gratiam habitualem, cùm hęc non iuuet naturam ad opera naturalia, ſed ſupernaturalia, & conſequenter neque cū gratia habituali poſſet homo diligere Deum amore naturali. Vel talis infirmitas nō impedit, quià ſicut hæc non minuit libertatem, ita neque eam impedit, quo minùs liberè poſſit diligere Deum amore naturali. Non ſecundum: nā vel macula peccati formaliter pugnaret cum tali dilectione, vel non pugnaret. Si pugnaret, nihil obſtaret, quo minùs ſine gratia habituali naturali amore Deum diligere poſſemus: quia per talem dilectionem tolleretur formaliter ipſa macula peccati, ac proinde per eam homo proximè diſponeretur ad gratiam habitualem recipiendam. Si non pugnaret, nihil obeſſet, quo minùs peccator abſque gratia habituali, adiutus ſolo auxilio ordinis naturalis Deum diligere poſſet vt finem naturalem ſuper omnia.

14. Secvnda ratio. Quiuis amor amicitiæ erga Deum pugnat cum macula peccati: ergo ſuapte natura emundat hominem à peccato: ergo eſt vltima diſpoſitio ad iuſtificationem: ergo eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam: cùm nihil poſſit eſſe vltima diſpoſitio ad iuſtificationem, niſi ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. Omnes conſequentiæ patent. Antecedens probatur: nam quiuis amor amicitiæ erga Deum, quomodocunque conſideretur, & dolor de peccatis propter ipſum ſic dilectum, ſeu ex complacentia ipſius, eſt eiuſdem rationis ac virtutis, ac proinde ſuapte natura oppoſitus peccato. Confirmatur. Implicat, vt quis ſit conuerſus ad Deum tanquam ad amicum, & ſimul auerſus ab eodem: ſed amor amicitiæ naturalis conuertit creaturam ad Deum tanquam ad amicum: peccatum auertit à Deo: ergo implicant ſimul.

15. Tertia ratio. Nequit in Deo duplex motiuum amabilitatis propter ſe diſtingui: ergo nequit erga eundem duplex amor amicitiæ ſpecie diuerſus conſiderari. Conſequentia conſtat, quoniam omnis diuerſitas in actu deſumenda eſt, ex diuerſitate obiecti ſeu motiui formalis. Antecedens probatur, nam Deus amore amicitię non amatur vt bonus nobis, ſed vt bonus in ſe: Atqui eodem modo Deus eſt bonus in ſe, ſiue conſideretur vt finis naturalis, ſiue vt finis ſupernaturalis: quia non alia bonitate Deus eſt bonus vno, atque alio modo conſideratus: cùm vnum ſit in Deo attributum bonitatis, & eiuſdem rationis.

16. Qvarta ratio. Si duplex diſtingueretur amor amicitiæ erga Deum, naturalis vnus, ſupernaturalis alter, non ſufficienter

Scripturæ,

Scripturæ, Concilia, & Patres fideles ad ſalutem inſtruxiſſent, nullam mentionem faciendo de hoc duplici amore: hoc autem dicere abſurdiſſimum eſt: ergo. Sequela probatur, quia cùm in contraria ſententia amor amicitiæ naturalis non ſit vltima diſpoſitio ad iuſtificationem, ſiquidem vltima diſpoſitio ad iuſtificationem, vt ex ſuprà diſputatis conſtat, debet eſſe ordinis ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, cùm debeat eſſe eiuſdem ordinis ſupernaturalitatis cum forma ipſa, ad quam diſponit; cumque rudes & Idiotæ neſciant diſtinguere inter hunc duplicem amorem Dei finis naturalis, & ſupernaturalis, non eſſent ſufficienter ad ſalutem inſtructi.

2. Sentent. Verior.

17. SECVNDA ſententia negat, omnem amorem amicitiæ erga Deum habere eandem rationem amabilitatis, & motiuum formale, ſed duplex in eo diſtingui poſſe motiuum, Alterum naturale vt finis eſt & author bonorum naturalium: Alterum ſupernaturale, vt finis eſt & author bonorũ ſupernaturalium: ac proinde duplicem erga Deum diſtingui poſſe amorem amicitiæ, & conſequenter habitum, Alterum acquiſitum, naturalem quoad ſubſtantiam; Alterum infuſum ſupernaturalem quoad eſſentiam. Eſt expreſſa S. Thomæ ſententia prima ſecundæ q. 109. art. 3. ad primum: vbi *natura*, inquit, *diligit Deum ſuper omnia, prout eſt principium & finis naturalis boni: Charitas autem ſecundùm quod eſt obiectum beatitudinis.* Eandem doctrinam tradit 1. p. quæſt. 60. art. 5. præcipuè ad quartum, & quodlibeto 1. art. 8. ad 1. & in quæſtionibus diſputatis q. vnica de charitate, art. 2. ad 16. *Dicendum*, inquit, *quòd amor ſummi boni, prout eſt principium eſſe naturalis, ineſt nobis à natura: Sed prout eſt obiectum illius beatitudinis, quæ totam capacitatem naturæ creatæ excedit, non ineſt nobis à natura, ſed eſt ſupra naturam.* Eandem ſequuntur cõmuniter reliqui Theologi, quos citatos habes præcedente Tomo diſp. 26. de neceſſitate gratię ſect. 6. Eamque contra Michaëlem Baium Pontificia authoritate confirmant Pius V. & Gregorius XIII. dum reprobant trigeſimam quartam propoſitionem huius authoris: quæ eſt: *Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur vt author naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur vt beatificator eſt, vana eſt & commentitia, & ad illudendum Sacris literis, & plurimis veterum teſtimonijs excogitata.*

S. Thomas.

Michaël Baius. Pius IV. Greg. XIII.

Concluſ. Duplex in amore amicitia erga Deum diſtingui poteſt motiuum, naturale. & ſupernaturale.

18. Hæc ſententia tanquam verior ac probabilior ſequenda nobis eſt. Vnicum fundamentum eſt, quoniam Deus diuerſam habet amabilitatem reſpectu noſtri, prout eſt finis naturalis, ac prout eſt finis ſupernaturalis: non igitur ſub eodem motiuo & ratione formali eſt obiectum amoris, vt à nobis diligitur vt finis naturalis, ac diligitur vt finis ſupernaturalis. Conſequentia patet, nam amabilitas perſonæ eſt motiuum & ratio formalis, propter quam perſona amatur: igitur diuerſa amabilitas eiuſdem perſonæ conſtituit illam ſub diuerſo motiuo ac ratione formali amandi reſpectu amantis. Antecedens probatur, quoniam ſub diuerſa bonitate apprehenditur à nobis Deus vt finis naturalis, atque vt finis ſupernaturalis: nam vt finis naturalis, apprehenditur vt principium communicatiuum bonorum naturalium, ac proinde vt bonus bonitate naturalem connexionem habente, in ratione principij, cum ipſis effectibus creatis. Vt finis ſupernaturalis apprehenditur vt principiũ communicatiuum bonorum ſupernaturalium, ac proinde vt bonus bonitate excedente totum ordinem naturę creatę: Quæ duplex bonitas licet in Deo nõ diſtinguatur, diſtinguitur tamen reſpectu noſtri, quatenus vna cognoſcitur lumine naturali, altera ſupernaturali. Et quia perfectiones diuinæ non ſunt obiectum noſtrorũ actuum, ſecundùm quod exiſtunt in ſe, ſed ſecundùm quod ſunt termini noſtrarum operationum, etiamſi hæc duplex bonitas in Deo non diſtinguatur, diſtinguitur tamen reſpectu noſtri, quatenus reſpectu noſtri ſunt obiectum diuerſorum luminum, ac proinde diuerſorum affectuum, qui à lumine obiectum proponente regulantur.

19. Confirmatur. Affectus non tendit in obiectum, niſi vt cognitum, & ſecundùm eam rationem, qua cognoſcitur: ergo amor noſter non tendit in Deum, niſi vt cognitum, & ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam cognoſcitur: atqui ſecundùm diuerſam perfectionem, & conſequenter ſecundùm diuerſam bonitatem cognoſcitur vt finis naturalis, & vt finis ſupernaturalis: igitur ſecundùm diuerſam perfectionem & bonitatem affectus noſter tendit in Deum vt finem naturalem, atque vt finem ſupernaturalem. Vtraque Cõſequentia elucet, quoniam affectus, quicunque ille ſit non poteſt in obiectum ferri, niſi ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam ab intellectu proponitur. Minor probatur: quoniam vt finis naturalis cognoſcitur ſecundùm perfectionem & bonitatem, quæ non excedit lumen naturale: vt finis verò ſupernaturalis cognoſcitur ſecundùm perfectionem & bonitatem, quę excedit lumẽ naturale: ergo cognoſcitur ſecundùm diuerſas perfectiones & bonitates quoad nos. Nam bonitates, quę ſpecificant diuerſa lumina, ſunt in ratione motiui & obiecti ſpecificantis formaliter diuerſæ, vt ex communi Philoſophorum Theologorumq; ſententia ſuppono. Pręterea perfectio, quæ in ratione principij naturalem cõnexionem habet cum ordine naturę creatæ, eſt formaliter diuerſa à perfectione, quæ in ratione principij nullam connexionem habet cũ ordine naturæ creatæ. Igitur perfectio communicatiua bonorum naturalium eſt formaliter diuerſa à perfectione communicatiua bonorum ſupernaturalium, quę nullam connexionem habet cum ordine naturæ creatæ.

20. Ex dictis infertur, non modò actus amoris amicitię erga Deum finem naturalem, ac ſupernaturalem, eſſe diuerſos inter ſe, ſed etiam habitus ipſos, qui ſunt principia talium actuum. Vnde ſicut amor amicitiæ erga Deũ finem naturalem eſt naturalis quoad ſubſtantiam,

Habitus amoris amicitia erga Deum finẽ naturalem, & ſupernaturalem ſunt diuerſi.

tiam, amor verò amicitiæ Dei finis ſupernaturalis eſt quoad ſubſtantiam ſupernaturalis: ita & eorum habitus, cùm hi proportionentur actibus, quorum ſunt principia.

21. Ad primum argumentum oppoſitæ ſententiæ ductum ab authoritate Reſpondeo 1. Eſto Scripturæ, Concilia, & Patres nullam mentionem fecerint huius duplicis amoris amicitiæ, naturalis, & ſupernaturalis erga Deum; adhuc negandum eſt, eà non ſufficienter nos ad ſalutem inſtruxiſſe: nam ſufficit, vt mentionem tantùm fecerint de amore ſupernaturali, qui ſolus ſufficit ad ſalutem. Quòd autem ſemper de hoc amore loquantur, patet ex eo, quòd de eo tantùm amore loquuntur, qui à fide diuina procedit, ſine qua teſte Paulo ad Hebræ. 11. Impoſſibile eſt placere Deo. Nec refert, quòd ad hunc amorem interdum in nobis excitandum Eccleſiaſtici Scriptores afferant rationes naturales: nam eas non afferunt tanquam motiua, propter quæ operemur, ſed vt præuias dumtaxat conditiones, quibus diſponamur ad faciliùs hunc ſupernaturalem amorem concipiendum, accommodantes ſe ad modum operandi humanum, qui ab imperfectioribus & notioribus progreditur ad perfectiora & ignotiora. *Hebr. 11.*

22. Reſpondeo 2. Negando, Scripturas, Concilia, & Patres nullam mentionem feciſſe huius duplicis amoris. Etenim dum nos ad amorem hortantur, qui ſit ſicut oportet ad ſalutem, non obſcurè indicant hunc duplicem amorem, Alterum naturalem, qui ad ſalutem non ſufficit; Alterum ſupernaturalem, qui procedens ex inſpiratione & adiutorio Spiritus ſancti, vt Concilia loquuntur, ſolus eſt ſicut oportet ad ſalutem.

23. Ad primam verò rationem, neganda eſt Minor. Ad cuius probationem concedo, poſſe ab homine lapſo abſque gratia habituali Deum amari amore amicitiæ naturali, cum ſolo auxilio gratuito, vti poterat ab homine integro. Nego tamen id vnquam S. Thomam negaſſe, ſed tantùm docuiſſe, non poſſe ab homine lapſo Deum tali amore diligi, abſque gratia tanquam cauſa & principio roborante, non tanquam cauſa & principio influente: alioqui neque ab illo ſine gratia habituali in natura integra, & ab Angelo in puris naturalibus diligi potuiſſet: cùm tamen idem S. Doctor doceat, & ab homine in natura integra, & ab Angelo in puris naturalibus, Deum vt finem naturæ ſuper omnia diligi potuiſſe. Ex his patet ad omnes probationes in eodem argumento factas, quæ omnes procedunt ex falſo principio, quòd amor amicitiæ erga Deum finem naturalem elici non poſſit ab homine lapſo abſque gratia habituali, cum ſolo auxilio gratuito. Cur autem in natura lapſa ad naturalem dilectionem Dei ſuper omnia requiratur ſaltem auxilium ſpeciale gratuitum per Chriſtum, quod non requirebatur in natura integra, oſtendimus præcedente Tomo tum loco præcitato, tum ſect. vltima. *S. Thomas*

24. Ad ſecundam, negatur antecedens, eiuſque probatio. Falſum quippe eſt, omnem amorem amicitiæ erga Deum eſſe eiuſdem virtutis & efficaciæ, vt probatum eſt. Ad Confirmationem, diſtinguenda eſt Maior: implicat, vt aliquis ſit conuerſus ad Deum tanquam ad amicum, & auerſus ab eodem, eodem genere conuerſionis, & auerſionis, concedo; diuerſo, nego. Cæterùm naturalis amor amicitiæ conuertit hominem ad Deum in genere dumtaxat conuerſionis & amicitiæ naturalis, non autem in genere conuerſionis & amicitiæ ſupernaturalis. Quo fit, vt implicet, hominem eſſe conuerſum ad Deum tanquam ad amicum naturalem, & ſimul auerſum ab eodem tanquam ab amico naturali: non implicet autem, hominem eſſe conuerſum ad Deum tanquam ad amicum naturalem, & ſimul auerſum ab eodem tanquam ab amico & fine ſupernaturali: ſicut de facto infantes abſque Baptiſmo cum ſolo peccato originali decedentes, ſunt conuerſi ad Deum tanquam ad finem & amicū naturalem, quem diligunt vt authorem naturæ & bonorum naturalium; & ſimul auerſi ab eodem tanquam à fine & amico ſupernaturali, vt docet S. Thomas in 2. diſt. 33. q. 2. art. 2. ad quintum, idque ex communi Scholaſticorum ſententia teſtatur Suarez de actibus humanis in fine totius operis. *S. Thomas* *Suarez.*

25. Ad tertiam negandum eſt antecedens. Etenim licet vna ſit bonitas in Deo, qua in ſeipſo bonus eſt, ac proinde nequeat reſpectu Dei duplex bonitas diſtingui, diſtingui tamen poteſt reſpectu noſtri, quatenus eadem cognoſcitur lumine naturali vt principium communicatiuum bonorum naturalium; & lumine ſupernaturali vt principium communicatiuum beatitudinis & bonorum ſupernaturalium: & quia vt cognita habet rationem motiui ſpecificantis affectum noſtræ voluntatis, quę non tendit niſi in cognitum, & ſecundùm rationem cogniti, ideo reſpectu noſtri diſtingui poteſt duplex motiuum bonitatis atque amabilitatis in Deo: quemadmodum licet vna eademque ſit perfectio in Deo, qua conſtituitur effectiuum principium rerum naturalium, atque ſupernaturalium, eadem tamen cognita diſcurſu naturali fundat virtutem Religionis moralis: cognita lumine ſupernaturali fundat virtutem Religionis ſupernaturalis.

26. QVARTA ratio ſoluta eſt in reſponſione ad primum argumentum ductum ab authoritate Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorum Patrum. Plura de hac re legi poſſunt in noſtro præcedente Tomo diſp. 26. citata ſect. 6. in reſponſione ad argumenta Gabrielis Vaſquez.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO III.

An idem ſit motiuum charitatis Dei & proximi?

27. PRIMA ſententia negat: docetque motiuum charitatis Dei eſſe ipſam increatam bonitatem Dei; motiuum verò charitatis, quo proximus amore amicitiæ diligitur, eſſe bonitatem ipſam ſupernaturalem creatam proximi. Bifariam enim diligi poteſt proximus, vno modo propter Deum, quo pacto diligitur amore concupiſcentiæ: & ſic amatur propter eandem bonitatem increatam Dei, ex cuius complacentia diligitur proximus vt bonum ipſius Dei: Alio modo, amore amicitiæ ex complacentia ipſius proximi: quo pacto ratio formalis diligendi proximum non poteſt eſſe bonitas increata Dei, ſed creata proximi. Eſt Vaſquez lib. 1. de adoratione diſp. 6. cap. 2. & lib. 3. diſp. 1. cap. 6. & prima ſecundę diſp. 98. cap. 2. Coninck de Charitate diſp. 24. dub. 1. concl. 4. Turriani ſecunda ſecundæ diſp. 73. dub. 1. & 2. pro qua ſententia citat Richardum in 3. diſt. 9. art. 3. q. 1. ad ſecundum, Bonauenturam art. 2. q. 4. ad tertium, Durandum q. 3. ad primum; aitque eſſe expreſſam S. Thomæ ſententiam ſecunda ſecundę q. 103. art. 3. ad ſecundum, qui tamen authores expreſsè ſunt pro contraria ſententia, vt infrà oſtendam.

Vaſquez. Coninck. Turrianus. Richardus. Bonauent. Durandus. S. Thomas.

28. Duplex huius ſententiæ aſſignari ſolet fundamentum; Vnum à priori; Alterum à ſimili. A priori eſt. Vel hæc ratio formalis ſpecificatiua charitatis Dei & proximi, eſt ipſa bonitas increata Dei, ex cuius complacentia non ſolùm diligitur Deus, ſed etiam proximus propter Deum: Atqui hoc modo non ſaluatur, quòd charitas ſit amicitia erga proximum: quoniam amicitia, teſte Philoſopho 8. Ethi. cap. 5. & 6. eſt gratia amici; diligit enim amicum ex complacentia ipſius amici. Igitur ſi charitas diligit proximum non ex complacentia ipſius, ſed Dei, non erit amicitia proximi, ſed Dei. Sicut non amat amore amicitiæ, ſed concupiſcentię, qui amicum diligit, non propter commodum & complacentiam amici, ſed propter commodum & complacentiam ſui; amor enim ſpecificatur ex obiecto, ex cuius complacentia elicitur: ergo ſi proximus non amatur ex complacentia ſui, ſed Dei, talis amor non erit amicitia proximi, qui ſolùm amatur vt bonum Dei; ſed amicitia Dei, propter cuius bonum & complacentiam amatur. Vel hęc ratio ſpecificatiua charitatis non eſt ſola bonitas increata Dei, ſed participata creaturæ, ex cuius complacentia mouemur ad amandum proximum propter intrinſecam bonitatem ipſius. Atqui hoc modo non ſaluatur vnitas obiecti formalis, cùm nequeant bonitas creata & increata conuenire in vnam rationem formalem obiecti ſpecificantis habitum, cùm illæ plus quàm genere differant inter ſe. Adde in hac ſententia non ſaluari propriam rationem virtutis Theologicæ in charitate, quæ deſumitur ex ſola bonitate increata.

Ariſtoteles.

29. Fundamentum verò à ſimili eſt. Datur duplex motiuum formale adorationis, quę eſt excellentia & ſanctitas increata, & excellentia ac ſanctitas creata, fundantes diſtinctas virtutes Religionis, Alteram Latriæ erga Deum, Alteram Duliæ erga Sanctos. Ergo conſimili ratione concedendum eſt duplex motiuum charitatis, nempe bonitas increata fundans habitum amicitię erga Deum, & bonitas ſupernaturalis creata fundans habitum amicitiæ ſupernaturalis erga proximum. Confirmatur, nam ſicut poſſunt Sancti dupliciter honorari, & cultu Latriæ propter ſanctitatem & excellentiam increatam Dei, & cultu Duliæ propter ſanctitatem & excellentiam participatam propriam: ita poterit proximus dupliciter diligi, & dilectione, qua diligitur Deus propter bonitatem increatam ipſius Dei, & dilectione propria propter bonitatem participatam ipſius proximi. Vnde conſequenter hæc ſententia duplicem agnoſcit habitum infuſę charitatis, Alterum Theologicum ſpecificatum à bonitate increata, qua diligitur Deus propter ſe, & proximus propter Deum: Alterum moralem adhuc infuſum & ſupernaturalem, quo diligitur proximus propter ipſius ſupernaturalem bonitatem participatam: Sicut duplex eſt virtus infuſa Religionis, Altera, qua colitur & adoratur Deus ob increatam ipſius ſanctitatem & excellentiam, & Sancti ob eandem increatam ſanctitatem; cùm Deus non ſolùm in ſeipſo, ſed etiam in Sanctis ſuis tanquam in propria imagine honoretur & colatur: Altera, qua coluntur & adorantur Sancti ab creatam eorum ſanctitatem & excellentiam.

30. SECVNDA ſententia affirmat, vnum eſſe motiuum formale charitatis, Dei, & proximi, ipſam ſcilicet bonitatem increatam Dei. Eſt communis, quam expreſsè tradit S. Thomas ſecunda ſecundæ q. 25. art. 1. vbi apertè docet, ab eodem motiuo ſpecificari actum charitatis erga Deum, & erga proximum, proinde vnum eſſe habitum charitatis extendentem ſe ad Deum & proximum. Vbi & diſcrimen aſſignat inter habitum charitatis, & Religionis, quod aſſignat q. 81. art. 4. ad tertium, de quo diſcrimine infrà. Neque contrarium docuit citata q. 103. art. 3. ad ſecundum, vbi cùm dixit: *ſunt tamen aliæ amicitiæ differentes à charitate ſecundùm alias rationes, quibus homines amantur:* non intellexit de amicitijs infuſis ſupernaturalibus, ſed acquiſitis naturalibus: quòd ex eo patet, quoniam immediatè ante vnum dumtaxat aſſignauit habitum infuſæ charitatis, qua Deus diligitur & proximus. Eandem ſententiam ſequuntur citatis locis Thomiſtæ, & Scholaſtici in 3. diſt. 9. 27. & 28. Scotus prædicta diſt. 28. q. vnica, præſertim ad argumenta,

S. Thomas. Scotus.

vbi vnum tantùm admittit habitum charitatis infuſæ, qui ſimul tendit in Deum & proximum, vnamque rationem terminantem vtrumque actum, quæ eſt ipſa bonitas diuina. *Richardus.* Richardus diſt. 9. art. 3. q. 1. ad ſecundum hæc habet: *ad ſecundum dicendum, quod formale obiectum charitatis bonitas diuina eſt, ratione cuius diligitur, quidquid diligitur per charitatem, ſiue ſit creator, ſiue creatura: & ideo eadem eſt virtus charitatis, qua diligitur Deus & proximus:* inter quam & Religionem diſcrimen aſſignat. Idem docet diſt. 27. art. 6. q. 1. & art. 7. q. 1. ad ſecundum, vbi vnum tantùm agnoſcit habitum charitatis in Deum, & in proximum, idemque obiectum formale vtriuſque: *Bonauent.* Bonauentura diſt. 9. art. & q. vltima ad penultimum, ſic ſcribit: *Ad illud quod obijcitur, quod eadem charitate diliguntur omnia diligibilia, dicendum, quòd hoc eſt, quia charitas habet vnum obiectum principale, videlicet ſummum bonum, quod quidem amat ſiue diligendo Deum in ſe, ſiue optando bonum proximo:* vbi & diſcrimen affert de duplici habitu Religionis erga Deum, & Sanctos. *Durandus.* Durandus diſt. 9. q. 3. ad primum ſic ait: *ad primum argumentum dicendum, quòd non eſt alia formalis ratio, quam attendit charitas in Deo, & in proximo, ſed vna & eadem, quia per charitatem diligitur Deus propter ſeipſum, & proximus ſolùm propter Deum.* Nec te moueant verba, quæ ſtatim ſubiungit: *amicitia autem, per quam diligitur proximus propter aliquam aliam rationem, quam propter relationem, quam habet ad Deum, differt à charitate ſecundùm ſpeciem:* nam hic per amicitiam non intelligit habitum infuſum, qui proximum diligat propter bonitatem participatam ſupernaturalem, ſed habitum acquiſitum, qui proximum amat propter aliquam bonitatem naturalem: patet, tum quia hunc non appellat charitatem, quæ ſemper reſpicit bonum altioris ordinis: tum quia omnis bonitas ſupernaturalis participata dicit ſpecialem ordinem & reſpectum ad bonitatem increatam, vt infrà declarabo. *Argentinas. Valentia.* Argentinas diſt. 9. art. 1. in fine; & cæteri Scholaſtici. Ex recentioribus illam docent Valentia ſecunda ſecundæ diſp. 3. q. 1. punct. 1. ad finem, *Suarez.* Suarez diſp. 1. de charitate ſect. 3. & 3. p. Tomo 1. diſp. 52. ſect. vlt. *Malderus. Syluius.* Malderus ſecunda ſecundæ q. 25. art. 1. Syluius, & alij ibidem. Pro cuius ſententiæ explicatione,

31. Dico 1. Formalis ratio reſpectu charitatis, quatenus amicitia Dei eſt, eſt ipſa bonitas Dei, qua in ſeipſo bonus beatuſque eſt. *S. Thomas.* eſt S. Thomæ ſecunda ſecundæ q. 23. art. 4. vbi obiectum charitatis Theologicę aſſignat ipſum bonum diuinum, in quantum eſt beatitudinis obiectum, non quidem noſtrę, alioqui non eſſet amor amicitiæ, ſed concupiſcentię; ſed diuinæ. Fundamentum eſt: quia charitas creata vt amicitia Dei eſt, perfectiſſimo modo diligit Deum, cùm ſit participatio charitatis increatæ, qua Deus ſeipſum perfectiſſimè diligit. Perfectiſſimus autem modus eſt, diligere Deum propter bonitatem ipſam Dei: nam ſicut omnis alia bonitas eſt infrà bonitatem Dei: ita omnis alius modus diligendi Deum imperfectior eſt. Vnde Bernardus de *S. Bernardus.* diligendo Deo: *Cauſa, inquit, diligendi Deum, Deus eſt.* Porrò bonitas Dei ſumi poteſt vel vt ſpeciale attributum à cæteris ratione diſtinctum, quatenus eſt principium ſeſe communicandi: vel vt dicit plenitudinem omniū perfectionum. Rurſus hæc ipſa plenitudo perfectionum aut conſideratur vt exiſtens tantùm in Deo, aut vt beatificans ipſum Deum, conſtituens illum in ſupremo actu perfectiſſimę beatitudinis ac felicitatis. Eſt igitur formale obiectum charitatis, non vt ſpeciale attributum, ſed vt plenitudo omniū perfectionum; non quouis modo in Deo exiſtens, ſed quatenus illum conſtituit in perfectiſſimo actu ſummæ beatitudinis ac felicitatis. Ratio, quoniam perfectiſſima amicitia, qualis eſt charitas infuſa, tendit in bonum amici ſub eo reſpectu, quo magis perficit amicum: ſed bonum, quod in Deo eſt, maximè Deum perficit ſub reſpectu beatificantis: ergo ſub hoc illud eſt obiectum formale charitatis. Atqui ſub hoc reſpectu bonitas diuina non dicit ſpeciale attributum, ratione à reliquis diſtinctum, ſed plenitudinem omnium diuinarum perfectionum, cùm ſub hoc reſpectu omnes perfectiones diuinę concurrant ad Deum beatificandum: ſicut ad beatificandum hominem non concurrit ſola bonitas Dei, vt ſpeciale attributum à reliquis ratione diſtinctum, ſed omnes perfectiones diuinæ; cùm omnes perfectiones diuinæ ſint obiectum noſtræ beatitudinis, vt fusè oſtendimus præcedente Tomo.

32. Ex his collige, non poſſe Deum ſub ratione beantis, aut iuſtificantis, vel quouis alio extrinſeco reſpectu ad creaturas eſſe formale obiectum charitatis, quatenus amicitia Dei eſt: quoniam amicitia ſiſtit in bono amici, quatenus bonum amici eſt.

33. Dices. Per charitatem non ſolùm diligimus Deum, quatenus in ſe bonus eſt, ſed etiam quatenus nobis beneficia confert: ergo non ſolùm per charitatem diligimus Deum vt bonum ſibi, ſed etiam vt bonum nobis. Reſpondeo, beneficia non eſſe proximam rationem amandi Deum affectu amicitiæ, ſed gratitudinis: poſſe tamen eſſe rationem remotam: quippe cùm amicitia omnia diligat vt bona amico: ſicut amor concupiſcentiæ omnia diligit vt bona concupiſcentis. Amat igitur charitas, vt amicitia Dei eſt, liberalitatem, miſericordiam, fidelitatem, cæteraſque virtutes in Deo, non vt principia nobis ſunt benefaciendi, ſed vt bona ſunt Deo, obiectúmque beatificum ipſius.

34. Dico 2. Vnum eſt obiectum formale charitatis, qua Deus & proximus diligitur. Fundatur potiſſimùm hæc aſſertio in authoritate Patrum, qui vnicam tantùm agnoſcunt charitatem, quæ ad Deum ſimul & proximum ſe extendit. Auguſtinus Serm. de Do- *S. Auguſt.* minica poſt Aſcenſionem: *non alia, inquit, charitas diligit proximum, quàm illa qua diligit Deum: qua charitate proximum, ipſa charitate*

Digitized by Google

diligimus & Deum: non poteſt autem eſſe vna charitas Dei & proximi, niſi propter vnam rationem formalem obiecti, cùm vnitas virtutis deſumatur ex vnitate obiecti formalis: hæc autem alia eſſe non poteſt, quàm bonitas *Richardus.* increata: quoniam, vt Richardus ait poſteriori loco citatus, *aliquo actu charitatis diligi poteſt Deus, quo non diligatur proximus, quamuis eodem habitu charitatis diligatur vterque: tamen nullo actu charitatis poteſt diligi proximus, quo non diligatur Deus.* Quod aliunde prouenire non poteſt, niſi quia motiuum charitatis, quod neceſſariò debet in omni actu reperiri, *Beda.* eſt ipſa bonitas increata Dei. Beda explicans illa verba ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris*, ita ſcribit: *Duo ſunt præcepta charitatis, & vna charitas: quia non alia charitas diligit proximũ, quàm illa quæ diligit Deum:* qui Auguſtini verbis ita concludit: *Non ergo alia charitate, quàm qua proximum diligimus,* *Gregorius.* *ipſum Deum diligimus.* Gregorius Homil. 27. in Euangelia, charitatem Dei & proximi comparat radici: *Ex qua vna*, inquit, *multæ virtutes generantur: ſicut ex vna radice multi* *Bernardus.* *arboris rami prodeunt.* Bernardus Serm. 5. de Cœna Domini ad finem: *Charitas*, inquit, *eſt* *Anſelmus.* *dilectio Dei & proximi.* Anſelmus ad Rom. 13. explicans illa verba: *Qui diligit proximum, legem impleuit*, ita ratiocinatur: *nam nec proximum verè ſine Deo, nec Deum verè ſine proximo poteſt diligere:* quia videlicet ita ſunt hæc duo in vna ratione formali reſpectu vnius eiuſdemque charitatis habitus inter ſe connexa, vt vnum ſine altero eſſe nequeat. Idem paſſim docent reliqui Patres fundati in au- *1. Cor. 13.* thoritate Pauli prima ad Corinth. 13. vbi eodem modo Apoſtolus loquitur de charitate, ac de Fide & Spe: ſed tam Fides, quàm Spes eſt vna virtus ſpecificata ab vno motiuo formali: ergo & vna charitas ab vno etiam motiuo formali increatæ bonitatis ſpecificata.

35. Probatur 2. Eadem aſſertio ratione. Charitas eſt habitus perfectiſſimæ dilectionis, tendens in obiectum iuxta perfectionem, bonitatem & exigentiam obiecti diligibilis. Atqui nulla creatura eſt bona, niſi bonitate participata à bonitate increata Dei: ergo nulla eſt ex charitate diligibilis, niſi vltimatè propter bonitatem increatam Dei. Vnde charitas ipſa increata Dei, cuius participatio eſt charitas creata noſtra, nullam creaturam diligit, niſi vltimatè propter ſeipſum. Confirmatur. Ita ſe habet charitas infuſa ad diligendas creaturas propter bonitatem Dei, ſicut lumen gloriæ ad eaſdem intelligendas propter intelligibilitatem Dei: ſed ſpecificatiuum viſionis creaturarum, quæ videntur in Deo, non eſt intelligibilitas ipſa creaturarum, ſed Dei: ergo ſpecificatiuum amoris creaturarum, quæ propter Deum diliguntur, non eſt bonitas creaturarum, ſed Dei.

35. Cæterùm dupliciter poteſt bonitas Dei ad dilectionem proximi concurrere, ſiue proximus propter bonitatem Dei amari; Vno modo immediatè & directè: Alio modo mediatè & indirectè ſiue terminatiuè & in obliquo. Primo modo concurrit, quando tota ratio diligendi proximum eſt bonitas diuina, vt nimirum quando amo proximum, non propter bonitatem ipſam proximi, quatenus proximo bona eſt, ſed propter bonitatem Dei, quatenus Deo bona eſt. Secundo modo concurrit in obliquo & indirectè, ſiue mediatè, quando immediatè & directè ratio amandi proximum eſt ipſa ſupernaturalis bonitas participata proximi, non tamen ſine reſpectu ad bonitatem imparticipatam Dei; eo quòd illa non moueat ad amandum proximum, niſi vt peculiaris ſimilitudo & participatio bonitatis diuinæ. Vtriuſque dilectionis formale & vltimatum obiectum ſpecificatiuum eſt bonitas increata Dei, vel in recto & immediatè, vt in primo actu; vel in obliquo & mediatè, vt in ſecundo actu: ac proinde vtraque dilectio elici poteſt ab eodem habitu charitatis. Ratio verò huius eſt, quia ſemper principale ſpecificatiuum eſt id, quod principaliter intenditur, ſiue directè & immediatè, ſiue indirectè & mediatè ad actum concurrat. Sed quod in actu charitatis erga proximum principaliter intenditur, eſt bonitas increata Dei; ergo ſemper ab illa ſumitur principalis atque vltimata ſpecificatio. Conſequentia patet, quoniam actus eſt propter obiectum: ergo ab illo principaliter ſpecificatur, propter quod principaliter eſt, & principaliter intenditur. Minor probatur: nam licet charitas directè moueat ad diligendum proximum propter intrinſecam bonitatem ipſius, non tamen mouet propter illam abſolutè, ſed reſpectiuè, vt ſingularis participatio eſt bonitatis increatæ: ergo licet obliquè & terminatiuè, principaliter tamen ad actum dilectionis proximi concurrit bonitas ipſa increata Dei. Maior conſtat, quia quod principaliter intenditur, principaliter mouet & influit in ipſam ſpeciem actus. Confirmatur, nam idem obiectum ſpecificat actum directum, & reflexum, etiamſi ad directum immediatè & directè, ad reflexum verò mediatè & indirectè concurrat.

37. Ex his difficile non erit reſpondere ad argumenta primæ ſententiæ. Ad primum quoad priorem partem, negandum eſt, amorem proximi, etiamſi eliciatur vltimatè propter bonitatem Dei, non eſſe amorem amicitiæ erga proximum: nam complacentia Dei non tollit, quin verè & propriè bona ſupernaturalia proximi amentur vt bona & vtilia ipſi proximo, quod ad propriam & formalem amicitiam ſufficit, vt patet in Deo, qui verè nos diligit amore amicitiæ, Ioannis 15. *Ioan. 15.* *Vos amici mei eſtis:* cùm tamen Deus diligat nos vltimatè ex complacentia ſui. Igitur talis complacentia non tollit veram amicitiam erga proximum. Et ratio eſt, quia nulla virtus excludit ordinem ad vltimum finem; hæc enim eſt præcipua circumſtantia virtutis, præſertim infuſæ & ſupernaturalis: non igitur eſt contra rationem amicitiæ, diligere amicum vt finem ſub fine, & amicum ſub principali amico Deo, ſub quo reliqua diligenda ſunt.

Confir-

Digitized by Google

Confirmatur: nam ex eo quòd intenditur bonitas finis, non tollitur, quin per eundem actum intendi poſſit bonitas medij; Ergo poſſum intendere bonum proximi, vt bonum proximi eſt, etiamſi illud idem vltimatè etiam intendam vt bonum Dei: ac proinde poſſum amare vero amore amicitiæ proximum, quatenus volo illi bonum, vt ipſi bonum & vtile eſt, etiamſi illud idem referam in Deum, quatenus Deo honorificum eſt.

Ariſtoteles. 38. Cæterùm cùm Ariſtoteles dicit, amicitiam eſſe gratia amici, non excludit ordinem ad vltimum finem, ad quem omnis virtus dirigenda eſt; ſed ad alium finem & ſubiectum creatum. Cùm enim vna creatura rationalis non ordinetur ad aliam tanquam ad finem vltimum, non poſtulat amari ex complacentia alterius creaturæ. Cùm verò dicitur amor ſpecificari ab obiecto, ex cuius complacentia elicitur, ſolùm probat, ſemper amorem ſupernaturalem proximi includere amorem Dei, ex cuius complacentia, ſaltem indirectè & in obliquo amor proximi elicitur: non autem excludere beneuolentiam proximi, ſi verè illi amentur & procurentur bona, quatenus ei bona & vtilia ſunt: idem quippe amor relatus ad Deum, eſt amicitia Dei, relatus ad creaturam, eſt amicitia creaturæ ſubordinata amicitiæ Dei vt principalis amici. Secùs verò eſt, ſi proximus diligatur tantùm vt medium vtile gloriæ Dei, non amando illi bona æterna, quatenùs ei bona ſunt: quia tunc non amatur amore amicitiæ, ſed concupiſcentiæ, quo pacto amantur reliquæ creaturæ etiam irrationales, imò ipſi etiam damnati.

39. Illuſtratur hæc doctrina exemplo aliarum virtutum. Etenim dupliciter voluntas ferri poteſt in bonitatem actus temperantiæ; vno modo vt in purum medium vtile ad virtutem pœnitentiæ: alio modo non ſolùm vt eſt idoneum medium ad pœnitentiam, ſed etiam vt eſt per ſe honeſtum. Primo modo actus temperantiæ amatur propter ſolam bonitatem pœnitentiæ: ſecundo modo etiam propter bonitatem propriam. Neque vlterior relatio ad bonum pœnitentiæ tollit, quin ipſa bonitas temperantiæ ametur propter ſe. Ergo neque vlterior relatio, qua proximus amatur propter bonitatem Dei impedit, quin verè & propriè ametur propter bonitatem propriam: nam cùm proximo amentur bona, vt bona ipſius ſunt, verè illa amantur amore amicitiæ ex complacentia ipſius perſonæ amatæ.

40. Ad poſteriorem partem eiuſdem argumenti, conſtat ex dictis, vltimum & principale ſpecificatiuum charitatis eſſe bonitatem increatam Dei, quæ vt ratio formalis vltima reperitur in quouis actu, etiam quando proximus diligitur propter intrinſecam bonitatem ipſius: nam etiam tunc vltimum ſpecificatiuum actus eſt bonitas increata Dei, quę mediatè & indirectè concurrit ad dandam vltimam ſpeciem actui: ſicut vltimum ſpecificatiuum actus reflexi eſt obiectum actus directi, quod vnà cum actu directo tanquam cum obiecto immediato ſpecificat illum, qui propterea poteſt ad eundem habitum actus directi pertinere. Non inficior, actum dilectionis erga Deum ſpecie differre ab actu dilectionis erga proximum: quia in primo non ſolùm vltimatum, ſed etiam adæquatum ſpecificatiuum, eſt bonitas increata Dei: in ſecundo verò quamuis vltimatum ſpecificatiuum ſit bonitas Dei, non tamen ſola ipſa adæquatè ſpecificat, quia cum ipſa, ad ſpecificandum etiam concurrit bonitas intrinſeca creaturæ: quæ quia non concurrit æquè principaliter, ſed vt minùs principalis, & vt ſubordinata increatę bonitati tanquam principali & vltimato motiuo, non concurrit ad dandam vltimam differentiam & ſpeciem actui, ſed ſolùm ſubalternam & genericam. Pro cuius explicatione,

41. Nota, interdum formale obiectum habitus coniungi cum aliqua circumſtantia, quæ eſſentialiter actum variat, dando illi diſtinctam ſpeciem ab ea, quam ſe ſolo ſine tali circumſtantia daret: vt patet in actu reflexo, in quo quia obiectum formale coniungitur cum actu directo ad reflexum ſpecificandum, conſtituit illum in diſtincta ſpecie ab actu directo. Clariùs hoc ipſum conſtat in amore finis, cuius bonitas, ſi tantùm abſolutè conſiderata moueat voluntatem, cauſat ſimplicem complacentiam; ſi relata ad media cauſat intentionem; ſi verò moueant media ipſa vt vtilia, cauſant electionem: cùm tamen vna eademque ſit ratio formalis principalis vltimò ſpecificatiua omnium, nempe intrinſeca bonitas finis, propter quam & amatur finis in ſe, & in ordine ad media, & media ipſa vt vtilia ad finem. Conſimili ratione bonitas increata Dei, quæ eſt formale obiectum principale charitatis, interdum ſola mouet ad dilectionem Dei, interdum coniuncta cum bonitate creata, tanquam cum ratione minùs principali & ſubordinata: & tunc licet ipſa tribuat vltimam differentiam actui, non tamen tribuit genericam & ſubalternam, quæ ſumitur ex bonitate creata. Atque hoc modo ſaluatur, quo pacto obiectum formale charitatis ſit bonitas increata, quod neceſſarium eſt ad virtutem Theologicam, quę per hoc à cæteris diſtinguitur, quod habeat pro immediato obiecto formali Deum, & nihilominus ea verè proximus diligatur non ſolùm amore concupiſcentię, quatenus manifeſtatiuus eſt gloriæ Dei; ſed etiam amicitiæ propter intrinſecam bonitatem ipſius: nam illud ſaluatur de obiecto formali principali vltimatè ſpecificatiuo, quod ingreditur omnem actum charitatis; hoc de obiecto minùs principali, & ſubordinato principaliori.

41. Hanc eandem doctrinam, poſtquam excogitata à nobis fuit, expreſſam reperi apud Scotum in 3. diſt. 31. q. vnica §. *ſed adhuc:* vbi indagans, an in Patria maneat habitus ſpei, eo quòd manet idem obiectum formale, qui eſt Deus, vt bonus nobis, tradit *Scotus.*

hanc vniuerſalem doctrinam; *Dico*, inquit, *quòd reſpectu eiuſdem obiecti, & ſub eadem ratione formali poſſunt eſſe multi actus: & non ſolùm potentiarum ordinatarum, ſed eiuſdem potentiæ differentes ſecundùm perfectum & imperfectum. Nec tantùm ſecundùm quod perfectum & imperfectum ſe habent ſicut magis & minùs in eadem ſpecie: ſed ſicut ſe habent diuerſæ ſpecies in eodem genere, puta media & extrema. Hoc modo dico, quòd reſpectu Dei in ſe non ſolùm ſunt actus intelligendi & volendi, qui ſunt actus ſubordinati, ſed etiam actus diligendi ſic & ſic, ſcilicet non tantùm differentes ſecundùm magis & minùs in eadem ſpecie, ſed ſicut media & extrema in eodem genere. Quod poteſt ſic poni in propoſito, Quando enim perfectio actus, eſt à duobus, ſcilicet à potentia & obiecto, quando variatur propria ratio illorum, vel alterius eorum in ſe, vel coniunctione cum reliqua cauſa, vel ſecundùm approximationem ad reliquam cauſam, quia minùs perfectè agunt cauſæ partiales reſpectu effectus, quando non ſunt ſufficienter approximatæ & coniunctæ: variabitur tunc perfectio huius actus.* Hæc Scotus: qui hanc doctrinam exemplificat in actibus deſiderij & fruitionis reſpectu eiuſdem obiecti: *reſpectu enim actus tenſionis*, inquit, *obiectum voluntatis eſt in ſe præſens: reſpectu autem deſiderij eſt abſens, & ſecundùm rationem formalem talis actus obiectum non eſt in ſe realiter coniunctum potentiæ. Eſt igitur ille actus imperfectus reſpectu illius, & hoc in alia ſpecie, quæ eſt vt media ad extremum, non propter aliam rationem in obiecto, ſed propter approximationem obiecti ad reliquam cauſam partialem, quæ ſufficit ad diſtinguendum ſpecie effectus illarum duarum cauſarum.* Quæ doctrina eſt ipſiſſima doctrina noſtra.

43. Ex his facilè ſoluitur obiectio, cur omnes actus fidei, & viſionis beatificæ ſint eiuſdem ſpeciei, non autē Spei & Charitatis: quia nimirum tàm motiuum fidei, quàm viſionis beatificæ, eſt æqualiter applicabile omnibus obiectis materialibus, illud per extrinſecam teſtificationē, hoc per intrinſecam manifeſtationem diuinæ eſſentiæ. Non ſic motiuū Spei & Charitatis, quod licet ſit vnū in ſe, nō eſt tamen ęqualiter applicabile omnibus obiectis ſperabilibus, & diligibilibus: nam vnis applicatur per pręſentiam, alijs per abſentiam, vt in Spe: alijs immediatè & directè; alijs mediatè & indirectè, vt in charitate Dei & proximi.

44. Ad ſecundum argumentum ductum ab exemplo Latriæ & Duliæ, quæ communiter ponuntur diſtincti habitus, non obſtante, quòd poſſint Sancti honorari propter eandem excellentiam increatam Dei. Reſpondet
S. Thomas. S. Thomas dupliciter ſecunda ſecundæ primò quæſt. 25. art. 1. ad ſecundum *quia honor reſpicit proprium bonum honorati, defertur enim in teſtimonium propriæ virtutis: amor autem reſpicit bonum in communi: & ideo diuerſificatur honor ſecundùm propria bona ſingulorum, non autem amor, dummodo quæ amantur, referantur ad vnum aliquod bonum in communi.* Quæ reſponſio ſupponit, non poſſe proximū charitate diligi, niſi propter Deum, poſſe autem honorari propter excellentiam propriam, ſine habitudine ad excellentiam increatam Dei: quod expreſsè docuit q. 103. art. 3. ad ſecundum, *non enim*, inquit, *per charitatem diligimus in proximo, niſi Deum: & ideo eadem charitas*, inquit, *eſt, qua diligitur Deus & proximus. At cùm alia ſit ratio ſeruiendi Deo & homini, aut honorandi vtrumque, non eſt eadem virtus Latria & Dulia.* Quo poſito rectè procedit reſponſio, quia ſemper amor proximi eſt propter bonitatem Dei; non autem ſemper honor creaturæ eſt propter excellentiam Dei, ſed propter excellentiam proximi. Verùm huius rei aſſignanda eſt diſparitas, cur poſſit creatura honorari propter ſanctitatem ipſius tantùm; non poſſit autem charitate diligi, niſi propter bonitatem Dei.

45. Reſpondet 2. q. 81. art. 4. ad tertium *quòd obiectum amoris eſt bonum: obiectum autem honoris vel reuerentiæ eſt aliquid excellens: bonitas autem Dei communicatur creaturæ, non autem excellentia bonitatis eius: & ideò*, inquit, *charitas, qua diligitur Deus, non eſt virtus diſtincta à charitate, qua diligitur proximus. Religio autem, qua honoratur Deus, diſtinguitur à virtutibus, quibus honoratur proximus.* Sed neque hæc reſponſio ſatisfacit difficultati: nam nec bonitas propria Dei, propter quam Deus eſt ſummè diligibilis, communicatur creaturæ, ſed participatio dumtaxat ipſius bonitatis: ergo licet neque communicetur creaturæ propria excellentia Dei, propter quam eſt ſummè honorandus, ſed participatio tantùm ipſius excellentiæ, adhuc creatura poterit honorari eadē virtute Latriæ, qua honoratur Deus, propter excellentiam increatam Dei: ſicut diligitur eadem virtute charitatis, qua diligitur Deus, propter bonitatem increatam Dei.

46. Ratio igitur huius non eſt, quia ſimpliciter implicat, proximum diligi dilectione ſupernaturali, propter ſolam bonitatem ſupernaturalem participatam, ac proinde diſtincta virtute à charitate Theologica: quemadmodum honoratur propter ſolam ſanctitatem participatam; nulla enim huius rei aſſignari poteſt implicantia: ſed quia, cum æquè poſſit diligi amore amicitiæ, propter eandem bonitatem increatam, qua diligitur Deus ipſe, de facto non diſtincta, ſed eadem Theologica charitate diligitur: tum quia non ſunt multiplicandi habitus ſupernaturales abſque neceſſitate: tum quia hoc modo perfectiùs diligitur, vti diligēdus eſt, vt finis ſub fine, & amicus ſub principali amico Deo: nam tunc res perfectè diliguntur, quando diliguntur ſicuti ſunt, eo quòd amor, teſte
S. Thoma ſecunda ſecundæ q. 26. art. 1. ad *S. Thomas.*
ſecundum, tendit ad res vt ſunt in ſe. Igitur ille erit perfectus amor, qui diligit res per habitudinem ad Deum, ad quem intrinſecè ordinantur. Honor verò, qui eſt ſignum propriæ virtutis, natura ſua poſtulat, vt deferatur in teſtimonium proprię excellentiæ: ac proinde diſtincta virtute à Latria, quæ de-

fert honorem Deo in teſtimonium ipſius increatæ excellentiæ, colitur & honoratur proximus.

47. Explicatur magis hæc ratio, quæ eſt à priori. Ex eo quòd ametur proximus propter bonitatem increatam Dei, non minuitur aut deterioratur, ſed potiùs augetur & perficitur amor erga proximum. Contrà verò, ex eo quòd Sancti honorentur propter excellentiam increatam Dei, non perficitur, ſed potiùs deterioratur ac minuitur ipſorum honor: ergo potior eſt ratio, cur proximus ametur eodem habitu charitatis propter bonitatem increatam Dei, quàm Sancti honorentur eodem habitu Religionis propter increatam excellentiam Dei, etſi neutrum ſimpliciter implicet, nimirum quòd proximus ametur diſtincto habitu charitatis propter bonitatem ſupernaturalem participatam ſibi intrinſecam abſque relatione ad bonitatem increatam Dei; & Sancti honorentur eadem virtute Latriæ propter excellentiam increatam Dei. Conſequentia conſtat: quia cùm huiuſmodi virtutes producantur à Deo, cuius perfecta ſunt opera, exiſtimandum eſt, eas talis naturę produxiſſe, quæ magis facit ad perfectionem actuum, propter quos illæ producuntur. Antecedens, in quo tantùm eſt difficultas, ſic oſtendo. Tota vis ac perfectio amoris erga proximum in eo ſita eſt, vt bona, quę illi amantur, amentur vt ipſi vtilia ac commoda: ex eo autem, quòd ei beatitudo & reliqua ſupernaturalia bona amentur vltimatè propter bonitatem increatam Dei, cuius hæc ſunt ſingulares participationes, non ſequitur, vt hæc eadem bona ſint ipſi vel minùs vtilia, vel minùs commoda ac proficua, ſed potiùs magis vtilia, magiſque commoda ac proficua: cùm per huiuſmodi relationem ad bonitatem increatam Dei hæc eadem bona magis perficiantur, & conſequenter magis erga groximum amor augeatur ac perficiatur. Nam hic eò magis perficitur & augetur, quò magis perficitur & augetur eius immediatum & proximum obiectum, quod eſt ipſa bonitas participata creaturæ, quæ per relationem ad bonitatem increatam Dei perficitur & augetur. Contrà verò, ex eo quòd honor defertur Sanctis vltimatè propter ſanctitatem & excellentiam Dei, etiamſi ijs deferatur propter ipſorum etiam creatam Sanctitatem & excellentiam, minuitur ipſorum honor. Quia cùm hic exhibeatur in ſignum & teſtimonium propriæ virtutis & excellentiæ, quantò virtus & excellentia, propter quam exhibetur, cõcipitur vt minùs propria, eius, cui exhibetur, & magis propria alterius, propter quam vltimatè exhibetur, tantò minuitur erga ipſum honor: eo quòd honor vt honor per ſe reſpicit virtutem ac meritum perſonæ, cui exhibetur.

48. Confirmatur. Maior honor exhibetur vni Comiti, qui Comitatum à Principe accepit, propter egregium facinus ab ipſo patratum, quàm alteri Comiti, qui Comitatum accepit titulo merè gratioſo, eſto idem Comitatus æquali amore amicitiæ vtrique ametur. & hoc ideò, quia prior Comitatus concipitur vt debitus, ac proinde vt magis proprius; nam illud eſt magis proprium, quod proprię debetur operationi: poſterior verò vt minùs debitus, ac proinde vt minùs proprius: etiamſi in ratione boni vtilis, vel honeſti vtrique ſit æqualis, adeoque æquali amore amicitię amandus: quia ſcilicet amor non attendit, niſi bonitatem rei amatę, vndecunque illa proueniat; honor verò proprium meritum & virtutem honorati: à quo quantò magis illa remouetur per communicationem cum altero, tantò magis hic minuitur. Quin idem bonum apprehenſum vt magis proprium perſonæ, eſt illi maiori amore amicitiæ diligendum: quia vt ſic habet relationem maioris boni reſpectu perſonæ, cuius eſt bonum. Contrà verò, maius bonum apprehenſum vt minùs proprium perſonæ, non eſt fundamentum maioris honoris. Idque ex eo, quoniam obiectum amoris eſt bonum vtile ac proficuum amico, vndecunque illud naſcatur. Obiectum verò honoris non eſt quodcunque bonum, ſed proprium & debitum perſonæ honoratę. Quò fit, vt cęteris paribus maiori cultu atque honore colendi ſint Sancti, qui beatitudinem non ſolùm poſſident titulo hæreditatis, vt eam poſſident paruuli cum ſolo Baptiſmo decedentes; ſed etiam titulo præmij & coronę, propter merita propria virtute acquiſita, quo pacto gloria illis concipitur vt magis propria ac debita.

49. *Obijcies* 1. Diuerſi ſpecie actus, diuerſos requirunt habitus: ergo ſi dilectio Dei & proximi ſunt diuerſi ſpecie actus, diuerſos requirunt habitus. Antecedens probo: quoniam idem eſt ſpecificatiuum actus & habitus. Confirmatur. Non minùs perfectio naturalis, quàm ſupernaturalis eſt participatio perfectionis diuinę: ſed poteſt proximus amicitia naturali amari propter ipſius perfectionem naturalem ſine ordine ad Deum: ergo etiam poterit amari propter perfectionem ſupernaturalem ſine ordine ad Deum.

50. Reſpondeo negando antecedens: nam poteſt vnus ſpecie habitus infuſus in plures ſpecie actus, ſicut vna ſpecie potentia in plures actus ſpecie diuerſos. Ratio deſumitur ex differentia inter habitum & actum. Habitus enim, pręſertim infuſus, cùm ſit inſtar potentiæ, non fertur in obiectum per modum formalis, ſed virtualis expreſſionis. Actus autem in obiectum tendit per modum formalis dumtaxat expreſſionis vel inclinationis: formalis autem expreſſio, vel inclinatio eſſentialiter variatur non ſolùm per expreſſionem, vel inclinationem in diuerſum obiectum formale, ſed per diuerſam etiam applicationem eiuſdem obiecti formalis ad diuerſa obiecta materialia. Quemadmodum actio, vnio, & quæuis actualis ratio variatur eſſentialiter ex diuerſa tantùm tendentia & applicatione ad terminum. Ad probationem antecedentis, negandum eſt, idem eſſe ſpecificatiuum

actus

Digitized by Google

actus & habitus: patet, nam ſpecificatiuum vnius eſt color; viſionis verò talis vel talis color: ſpecificatiuum intellectus eſt verum vt ſic: intellectionis autem eſt tale vel tale verum. Ratio, quoniam ad ſpecificandum actum non ſolùm concurrit obiectum formale, ſed diuerſa etiam applicatio eiuſdem ad obiectum materiale.

51. Ad confirmationem, in primis non repugnat dari habitum amicitiæ naturalis, qui ſimul diligat Deum vt authorem bonorum naturaliũ, & proximum propter Deũ; quanquam quia naturaliter homines diligunt alios, propter ſolam bonitatem naturalem in ipſis exiſtentem, ſine relatione ad Deum authorem eiuſdem, nõ poteſt ex huiuſmodi actibus gigni talis amicitia in nobis, quia nequit habitus gigni perfectior ſua cauſa. Cùm ergo actus amicitiæ naturalis, ex quibus cauſatur talis habitus in nobis, non tendant ad proximum propter Deum, cùm hoc ſit proprium charitatis, nõ poterit ex ijs talis habitus in nobis gigni, poterit tamen à Deo infundi.

52 Reſp. 2. Diſparem eſſe rationem: nã perfectio creata naturalis non habet eam connexionem cum Deo authore naturę, quã habet perfectio creata ſupernaturalis cum Deo authore bonorum ſupernaturalium: nam illa habet ſolam connexionem extrinſecam, effectus cum cauſa diuerſi ordinis; hæc intrinſecam, proprietatis cum natura eiuſdem ordinis diuini, per reſpectum ad idem obiectum beatificum, & communicationem eorundem bonorum ſupernaturalium per claram viſionem diuinæ eſſentiæ: & ob hãc connexionem maior eſt ratio, cur potiùs amicitia ſupernaturalis, quàm naturalis proximum diligat cum ordine ad Deũ principaliter dilectum, non modò vt authorem, ſed etiam vt principalem poſſeſſorem talium bonorum. Adde, habitum charitatis eſſe participationem illius increatæ charitatis, qua Deus nos propter ſe ipſum diligit; ac proinde ex natura ſua inclinare ſubiectum ad amãdum proximum propter Deum. Amicitia verò naturalis, cùm ſit habitus acquiſitus ex actibus, quibus ſolent homines ſeſe mutuò diligere abſque ordine ad Deum, huiuſmodi reſpectum & habitudinem non includit.

53. *Obijcies* 2. Aſſenſus concluſionis pertinet ad diuerſum habitum, quàm aſſenſus principij, ſolũ quia in concluſione eſt veritas diuerſi ordinis à veritate principij: ergò quia in proximo eſt bonitas diuerſi ordinis à bonitate increata Dei, eius dilectio pertinebit ad diuerſum habitum, ac pertinet dilectio bonitatis increatæ Dei.

Scotus. 54. Negat Scotus conſequentiam, eo quòd aſſenſus principij tendit in veritatem principij, vt veritas principij eſt; aſſenſus verò concluſionis in veritatem concluſionis, vt veritas concluſionis eſt: at dilectio proximi tendit in bonitatem proximi, vt bonitas Dei eſt: ac proinde eius dilectio pertinet ad eundẽ habitum, ad quẽ pertinet dilectio Dei. Sed contrà: quoniã licet aſſenſus principij tendat in veritatẽ principij independenter à veritate cõcluſionis, ſicut dilectio Dei tendit in bonitatem Dei independenter à bonitate proximi: aſſenſus tamen concluſionis non tendit in veritatem concluſionis independenter à veritate principij, cùm veritas principij ſit ratio formalis aſſentiendi concluſioni: & tamen hoc non obſtante aſſenſus concluſionis pertinet ad diuerſum habitum, quã pertineat aſſenſus principij: ergò etiam dilectio proximi pertinebit ad diuerſum habitum, quàm dilectio Dei, non obſtante dependentia, quam habet dilectio proximi à bonitate Dei, tanquam à ratione formali diligendi.

55. Ratio igitur diſcriminis eſt, quoniã omnes habitus acquiſiti gignuntur ex actibus: vnde ſi actus, ex quibus gignuntur, diſcriminantur ſpecie, etiam habitus diſcriminabuntur ſpecie inter ſe, cùm nequeant actus ſpecie diuerſi gignere habitum eiuſdẽ ſpeciei. Nam vel talis habitus eſſet diuerſæ ſpeciei ab vtroq; actu, à quo genitus eſt: & ſic nõ facilitaret ad cõſimiles actus, ex quibus genitus eſt, quod eſt cõtra naturã habitus acquiſiti, qui, experientia teſte, ſemper potentiã facilitat ad conſimiles actus, à quibus eſt genitus. Vel eſſet eiuſdem ſpeciei cũ vno tantùm actu: & tunc, pręterquam quòd non facilitaret ad omnes actus conſimiles, à quibus genitus eſt, cùm ſaltem non facilitaret ad eos, quibus non eſſet ſimilis in ſpecie, non poſſet aſſignari ratio, cur potiùs eſſet eiuſdem ſpeciei cum vno, quã cum altero actu, cùm non minùs ab vno, quàm ab altero genitus eſſet. Atqui aſſenſus in principia, & in concluſionem ſunt diuerſæ ſpeciei: ergò & habitus ab ijs geniti. Minor hæc probatur: quoniam aſſenſus in principia eſt per ſimplicem duntaxat adhęſionẽ intellectus ad rationem formalem ex ipſis terminis notam: aſſenſus autem in concluſionem eſt per diſcurſum ex ipſis principijs in concluſionem. At verò habitus infuſi, cùm non gignantur ex actibus; ſed infunduntur à Deo: nec dentur tantùm ad facilitandum, ſed ad poſſe ſimpliciter, non deſumunt diuerſitatem ex actibus, quos gignunt, ſed ex motiuo principali diuerſo. Cùm igitur in actu dilectionis Dei, & proximi ſit idem motiuum principale, ipſa ſcilicet bonitas increata Dei, vnus erit habitus vtriuſque. Confirmatur: nam iuxta communiorem ſententiam, actus dilectionis Dei, & contritionis de peccatis, ſunt diuerſi ſpecie: cùm tamen in omni ſententia, vterq; actus eliciatur ab eodem habitu charitatis.

56. *Obijcies* 3. Idem actus fortitudinis volitus propter intrinſecam bonitatem ſuã pertinet ad virtutem fortitudinis: volitus propter extrinſecam bonitatem virtutis pœnitentiæ, pertinet ad virtutem pœnitentiæ: ergò idem proximus dilectus propter intrinſecam bonitatem ſupernatura-

lem participatam in ipſo exiſtentem, erit obiectum amicitiæ ſupernaturalis proximi: dilectus propter extrinſecam bonitatem Dei, erit obiectum charitatis & amicitiæ ſupernaturalis Dei.

57. *Reſp.* Negando cõſequentiam. Ratio diſcriminis eſt, quoniam actus fortitudinis, & cuiuſcumque alterius virtutis, eſt appetibilis propter intrinſecam ſuam bonitatem, independenter à bonitate alterius virtutis. Bonitas verò ſupernaturalis proximi vi huius habitus, quem de facto Deus iuſtis infundit, non eſt diligibilis, niſi per dependentiam à bonitate increata Dei. Dixi, *vi huius habitus*: quoniam, vt ſuprà dictum eſt, non repugnat vi alterius habitus proximum diligi propter ſupernaturalem bonitatem in ſe participatam, abſque formali dependentia à bonitaté increata Dei: ſicut ſancti honorantur propter ſuam propriam ſanctitatem & excellentiam indepẽdenter à ſanctitate Dei, tanquam à cauſa formali terminatiua.

58. DICES. De facto frequenter experimur, nos diligere proximo dona ſupernaturalia, abſque formali dependentia à bonitate increata Dei: ergò de facto concedendus eſt habitus, qui tendat ad dilectionem ſupernaturalem proximi, propter ipſius ſupernaturalem bonitatem participatam, abſque formali dependentia à bonitate Dei. Conſequentia probatur, tum quia hic actus per ſe, poſtulat diſtinctum habitum: vbi autem ſunt diſtincti actus, per ſe concedendi ſunt diſtincti habitus. Tum quia nequit motiuum formale ſpecificare actum amoris, niſi vt cognitum, cùm nullus actus voluntatis ſpecificari poſſit ab obiecto, niſi ad illud terminetur; nequit autem ad obiectum terminari, niſi vt cognitum: ergò actus amoris, qui terminatur ad proximum, propter bonitatem ſupernaturalem participatam, abſque formali dependentia à bonitate increata Dei, non poterit ſpecificari à bonitate increata Dei, tanquam à motiuo formali principali.

59. *Reſp.* 1. Negando huiuſmodi experientiam: eo quòd frequenter id, quod implicitè tantùm terminat actum noſtræ voluntatis, non videatur vllo modo illum terminare. Quare negandum eſt; cùm proximum perfectè amamus amore amicitiæ ſupernaturalis, talem actum ſaltem implicitè non terminari ad bonitatem increatam Dei, cuius ſingularis participatio eſt bonitas, quam amamus in proximo. Confirmatur: nam vi præſentis habitus omnia dona ſupernaturalia, quæ amore charitatis amamus proximo, amamus in ordine ad ſupernaturalem beatitatem, quæ expreſsè & immediatè includit ipſum Deum vt obiectum beatificum: igitur charitas, quæ de facto nõ ſolùm inclinat ad amandam proximo beatitatem vt bonum ipſius, ſed etiam propter Deum, tanquam propter principale obiectum, terminatur ad Deum incluſum in ipſa beatitate, non ſolùm vt bonum proximi, ſed etiam propter ipſum Deum. Quod autem implicita terminatio principalis motiui ſufficiat ad ſpecificandum actum, conſtat in actu reflexo, qui ſpecificatur ab obiecto actus directi tanquã à principali motiuo, cùm tamen illud nonniſi implicitè terminet actũ reflexum, qui explicitè tantùm terminatur ad actũ directum. Atq; ex his patet ad poſteriorem probationem conſequentiæ, quæ vel ſupponit, nullo modo, ne implicitè quidem in actu charitatis erga proximũ cognoſci bonitatem increatam Dei tanquam obiectum principale: vel implicitam notitiam obiecti principalis non ſufficere ad terminandũ ſpecificandumuè actum. Ad priorẽ verò probationẽ eiuſdem conſequẽtiæ, negandũ eſt, tales actus, etiamſi ſpecie differant, per ſe poſtulare diuerſos habitus, cùm poſſint ab eodem, propter idem motiuum principale elici, vt ſuprà oſtenſum eſt exemplo dilectionis Dei & cõtritionis.

60. *Reſp.* 2. Eſto interdum amemus proximo ſupernaturalem bonitatem participatam, abſque vlla formali dependentia à bonitate increata Dei, tanquam ab obiecto & motiuo principali, quia cũ hic actus, vt probatum eſt, ſit poſſibilis, non videtur, nunquam ille à nobis elici: Negandum tamen eſt, ob talem actum infundi nobis diſtinctum habitum ſupernaturalem: ſed dicendum eſt, illum elici ex ſolo auxilio ſupernaturali ſupplente vim habitus. Ratio autem, cur talis habitus, etiamſi interdum habere poſſit aliquem actum, nobis non infundatur eſt: tum quia cùm tales actus ſint rariſſimi, & aliunde perfectiori modo elici poſſint propter principale motiuum, non fuit talis habitus infuſio neceſſaria: tum quia talem habitum infundit nobis Deus erga proximum, qui ſit ſpecialis participatio ſuæ charitatis, quæ perfectiſſimo modo tendit in creaturas rationales, amando illis bona ſupernaturalia, vero amore amicitiæ vltimatè propter ſe, tanquã propter obiectum & motiuum principale.

DISPV-

DISPVTATIO XXV.

De habitu Charitatis.

1. PAuca de habitu charitatis hic diſputabimus: cùm pleraque quæ ad hãc materiam ſpectant, diſputata ſint, præcedente tomo partim de gratia habituali, cum qua charitas inſeparabiliter eſt connexa, partim in diſp. vlt. de merito: quò, ne repetita lectio faſtidium pariat, ſtudioſum lectorem remitto.

2. Suppono igitur 1. ex diſput. 29. de gratia habituali, charitatem eſſe aliquid creatum nobis inhærens, à gratia habituali realiter diſtinctam, ab eaque diuinitus ſeparabilem, à ſolo Deo de facto producibilem.

Suppono 2. Ex præcitata diſp. de merito, habitum charitatis eſſe intenſibilem, phyſicè quidem à Deo, moraliter autem actibus meritorijs, etiam ipſo habitu remiſſioribus, à iuſto elicitis, non tamen eſſe remiſſibilem, ob rationes ibi aſſignatas.

Suppono 3. Præter habitum charitatis à Deo infuſum, dari habitum proprijs actibus charitatis acquiſitum, ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, diuerſæ tamen ſpeciei ab habitu infuſo, facilitantem tantùm ad conſimiles actus, non autem dantem poſſe ſimpliciter, vti dat habitus infuſus: quæ fuſè à nobis diſputata ſunt in 8. Tomo de Pœnitentia Virtute diſp. 1.

His poſitis, ſex ſuperſunt de habitu charitatis diſcutiendæ quæſtiones Prima: An charitas ſit amicitia inter nos & Deum. Secunda: An hoc habeat ratione ſui, an ratione gratiæ habitualis, cum qua eſt inſeparabiliter connexa. Tertia: An præter amicitiam ſupernaturalem, dabilis ſit naturalis inter Deum & homines. Quarta: An quouis peccato mortali charitas amittatur. Quinta: An Phyſicè, vel tantùm moraliter à mortali expellatur. Sexta: An ita pugnet cum quouis mortali, vt nec de potentia abſoluta cum illo eſſe poſſit: de quibus omnibus breuiter in hac diſp.

SECTIO I.

An charitas ſit amicitia inter nos & Deum?

1. NON reuoco in controuerſiam, an charitas ſit virtus, cùm id luce meridiana ſit clarius, tum ex maximis præconijs, quæ illi Scripturæ & Patres attribuunt: legatur Paulus 1. ad Corinth. 13. Vbi potiſſimùm laudes charitatis recenſet: tum ex effectibus, quos in homine gignit, efficiendo illum dilectorem Dei & proximi: tum quia habet omnia, quæ ad perfectam virtutem requiruntur. Duo enim ad virtutem requiruntur, & quòd ſit qualitas in anima permanens, quod tanquam certum de fide ſuppono ex Tridentino ſeſſione 6. cap. 7. & quòd bonum reddat habentem. At quo maiori bono inſigniri poteſt vel in hac, vel in alia vita homo, quàm vt per charitatem fiat charus Deo, & eiuſdem ac proximi dilector? Nam ſi virtus eſt, quæ vt Ariſtoteles definit, hominem diſponit ad optimum, quid magis hominem ad optimum diſponit, quàm charitas, quæ illum eleuat ad perfectiſſimum actum dilectionis erga Deum, amando illum vt finem ſupernaturalem ſuper omnia bona creata?

1. Cor. 13. — *Concilium Trident.* — *Ariſtoteles.*

2. Neque etiam in litem adduco: An charitas ſit ſpecialis virtus Theologica, diſtincta tum à duabus Theologalibus; tum à cæteris moralibus: cùm id manifeſtum ſit ex eius peculiari obiecto formali, quod eſt Deus amabilis propter ſe: quod non modò conſtituit illam intra ordinem virtutum Theologalium, quæ pro immediato obiecto habent Deum: verùm etiam, illam à cæteris diſcriminat, cũ nulla alia virtus tendat in Deum amabilem propter ſe. Quin vt certũ ſuppono ab omnibus conceſſum, & ab Apoſtolo præcitato loco expreſſum, charitatem inter omnes virtutes eſſe omnium præſtantiſſimam, tum ex obiecto, in quod tendit: tum ex modo, quo tendit: tum ex imperio, quod in reliquas virtutes exercet, dirigendo illas ad vltimum finem, & reddendo earum actus æternæ vitæ meritorios, propter quod cæterarum virtutum forma nuncupatur, quoniã fine

ſine hac nulla alia ad vitam æternam nobis prodeſt, vt prænotato loco teſtatur Paulus. His vt certis poſitis, vlteriùs hic quærimus, An charitas ſit vera amicitia inter Deum & hominem?

3. Vt autem hæc controuerſia ex proprijs principijs dirimatur, videndum eſt, quid ſit de ratione amicitiæ: cuius quinque præcipuas conditiones aſſignat Ariſtoteles 8 & 9. Eth. vbi accuratè de amicitia diſſerit. *Ariſtoteles.* Prima eſt Æqualitas & Similitudo inter amantes: *Æqualitas*, inquit lib. 8. cap. 8. *Similitudo amicitia eſt, & præcipuè ea, quæ eſt ex virtute Similitudo.* In qua Æqualitate, & virtutis Similitudine cap. 3. ait conſiſtere perfectam amicitiam: *Bonorum*, inquit, *eorum, qui in virtute ſunt ſimiles, amicitia perfecta demum eſt.* Secunda. *Redamatio mutua amantes non latens*: ita idem Philoſophus eodem citato lib. 8. cap. 2. & 3. Tertia, vt hæc Redamatio ſit gratia amici, vt docet cap. 5. & 6. Quarta, Singularitas: de qua ita ſcribit cap. 6. *An verò vt multis quiſpiam ſit amicus amicitia perfecta, fieri nō poteſt: quemadmodum neque vt amore multorum ſimul aliquis capiatur.* Quinta. Mutua bonorum communicatio: *Nam & ius, & prouerbium*, vt teſtatur cap. 9. *Communes res amicorum eſſe ait: & rectè ſanè*, ſubiungit, *in communitate ſiquidem amicitia eſt.* His amicitiæ fundamentis præiactis, ab Ariſtotele cæteriſque Philoſophis aſſignatis, examinandum nunc eſt, an ijs etiam nitatur charitas.

4. Prima ſententia eſſe poſſet negatiua. Primò, quia inter nos & Deum nulla eſt æqualitas, nulla morum virtutiſq; ſimilitudo, ſed infinita diſtantia. Secundò, etſi inter Deum & iuſtos ſit mutua redamatio, quippè cùm *Deus diligentes ſe diligat*, Prouerb. 8. eſt tamen hæc mutua redamatio *Prouerb. 8.* ignota nobis: cùm *neſciat homo vtrum amore an odio dignus ſit*, Eccleſ. 9. ac proinde *Eccleſ. 9.* minimè idoneæ ad veram amicitiam inter nos & Deum fundandam. Tertiò, Deus omnia diligit propter ſe ipſum: *Vniuerſa ſiquidem propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*, Prouerb. 16. ergo reliqua omnia di- *Prouerb. 15.* ligit tantùm amore cōcupiſcentiæ, ſe ipſum duntaxat amore beneuolentię. Quartò, charitas neque ex parte noſtri, neque ex parte Dei ſingularis eſt: cùm ex parte Dei ſe extendat ad omnes creaturas intellectuales; ex parte verò noſtri non ſolùm ad Deum, ſed ad reliquas etiam naturas intellectuales ſupernaturalis beatitudinis capaces. Quintò, nullum bonum creatura communicare poteſt Deo, cùm nullum bonum poſſit illi dare, in quod Deus perfectiſſimum ius & dominium non habeat: adeóque nequit ex hac parte charitas habere rationem amicitiæ inter nos & Deum. Sextò, omnis creatura eſſentialiter eſt ſerua Dei, quæ ſeruitute liberari nequit: inter ſeruum autem & Dominum, teſte Ariſtotele citato lib. 8. cap. *Ariſtoteles.* 11. amicitia intercedere non poteſt. Septimò. Homo merito charitatis ſit filius adoptiuus Dei: nequit autem inter filium & parentem amicitia intercedere, cùm hæc in æqualitate fundetur, quæ inter filium & Patrem eſſe nō poteſt, non ſecus ac inter ſeruum & Dominum, cùm filius ſit ſubiectus parenti tanquam pars toti, & effectus cauſæ. Octauò, accedit authoritas eiuſdem Ariſtotelis expreſsè negantis citato lib. 8. cap. 7. amicitiam inter Deum & homines. *Hoc autē*, inquit, *in Dijs clariſſimè patet, qui plurimùm omnibus bonis præſtant, neque his plerią; eſſe amicos ſe dignum ducunt, cum inferiores longè ſint.*

5. Secunda ſententia omnino vera ac certa Theologorum omnium affirmat, charitatem eſſe veram amicitiam inter nos & Deum: quam apertè docet S. Thomas *S. Thomas.* 2. 2. quæſt. 23. art. 1. & cum eo Thomiſtæ omnes, ac reliqui Scholaſtici in 3. diſt. 27. Quam ſententiam nonnulli certam de fide putant, eo quòd expreſsè reuelatum ſit, inter homines iuſtos & Deum eſſe amicitiam. Ego verò etſi non abnuam, certa fide credendum eſſe, inter iuſtos & Deum amicitiam intercedere, haud tamen de fide cenſeo, hanc vim ineſſe charitati, vt condiſtincta virtus eſt à gratia ſanctificante. Cæterùm ſumendo charitatem, vt complectitur etiam gratiam ſanctificantem, certum fidei dogma exiſtimo, illam eſſe amicitiam inter nos & Deum: quod ſic demonſtro.

6. Diuina reuelatione certum eſt, inter homines iuſtos & Deum eſſe amicitiam: Atqui euidenti diſcurſu deducitur, hoc nonniſi charitati, vt complectitur gratiam iuſtificantem competere poſſe: Igitur de fide eſſe debet, charitatem, vt complectitur gratiam ſanctificantem, eſſe amicitiam inter Deum & homines. Etenim licet hæc concluſio non ſit fide diuina credenda formaliter vt deducta, eſt tamen fide diuina credenda formaliter vt explicata per minorem euidenter notam, vt mox oſtendam. Maior manifeſtè habetur in vtroque Teſtamento: Iudith. 8. *Abraham per* *Iudith. 8.* *multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus eſt.* Pſalm. 138. *Nimis honorificati* *Pſal. 138.* *ſunt amici tui Deus.* Sapientiæ 7. Vbi lo- *Sap. 7.* quens Sapiens de Sapientia: *Infinitus*, inquit, *theſaurus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt participes facti ſunt amicitiæ Dei.* Quin ipſemet Deus non modò per Prophetas iuſtos ſuos amicos compellat Iſaiæ 41. *Semen* *Iſai. 41.* *Abraham amici mei*: verùm etiam proprio ore id teſtatur Lucæ 12. *Dico autē vobis ami-* *Luc. 12.* *cis meis*: Ioannis 15. *Vos amici mei eſtis, ſi* *Ioann. 15.* *feceritis quæ ego præcipio vobis.* Quia verò dubitare poterant Diſcipuli, ad quos hæc verba Chriſtus dirigebat, quo pacto cùm eſſent natura ſerui, iuxta illud eiuſdem Chriſti Lucæ 17. *Cū feceritis omnia, quæ præ-* *Luc. 17.* *cepta ſunt vobis, dicite: Serui inutiles ſumus*; Fieri poſſet, vt eſſent amici Dei, idem Chriſtus ſtatim ſubdit: *Iam non dicam vos ſeruos*:

addiḋque

Digitized by Google

addidique efficacem rationem: *quia ſeruus*, inquit, *neſcit, quid faciat Dominus eius: Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunq; audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Eandem veritatem docent Concilia & Patres. *Concilium Tridentin.* Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7. loquens de iuſtificatione, qua homo à ſtatu peccati tranſit ad ſtatum gratiæ, *ex inimico*, inquit, *fit amicus.* *Chryſoſt.* Chryſoſtomus Homil. 23. in caput 11. Epiſtolæ ad Hebræ. explicans præcitata verba Chriſti: *Vos amici mei eſtis* &c. Ita exclamat. *O inenarrabilis miſericordia Dei, inimicos & infinito interuallo ab eo diſtantes, à quibus incomparabili eminentia in omnibus differebat, hos amicos & facit, & vocat amicos.* Idem paſſim docent reliqui Patres.

7. Oſtenſa maiore, probatur minor. Etenim ſoli Charitati complectenti gratiam iuſtificantem conueniunt conditiones amicitiæ ab Ariſtotele aſſignatæ. Prima eſt Æqualitas & ſimilitudo in virtute fundata; nam ſola Charitas includens gratiam habitualem reddit nos ſimiles Deo in natura, & ſanctis operationibus: eſt enim gratia habitualis auguſta quædam participatio naturæ diuinæ, *2. Petr. 1.* iuxta illud 2. Petri 1. *Maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ*: vnde illam *S. Thomas.* S. Thomas 1. 2. quæſt. 110. art. 3. appellat *naturam diuinam participatam*: per quam, vt idem S. Doctor ſapienter notauit, regenerari dicimur in filios Dei. Eſt enim gratia habitualis, vt illam ſeſſ. 6. cap. 4. definit *Concilium Tridentin.* Tridentinum, *Adoptio filiorum Dei.* Ex hac ſimilitudine in natura, & operationibus diuinis, quas gratia habitualis, vt participatio eſt naturæ diuinæ, exigit, naſcitur quædam in iuſtis æqualitas cum Deo, quanta inter puram creaturam & Deum eſſe poteſt, cùm nequeat dari forma accidentalis perfectior gratia habituali, vt ex 1. tomo diſp. 9. ſect. 13 ſuppono. Quæ Æqualitas etſi non ſatis ſit ad amicitiam æqualitatis, quæ inter pares inuenitur, ſatis tamen eſt ad amicitiam ſupereminentiæ quam inter filios & Parentes, Vxorem & Virum, ſubditos & *Ariſtoteles.* Principem Ariſtoteles admittit lib. 8. Eth. cap. 7. ad quam ſufficere ait æqualitatem proportionalem: nam ſicut, inquit, nō idem amor exhibendus eſt à Patre in Filium, à Principe in Subditum, atque exhibetur à filio in Parentem, à Subdito in Principem, ita nec eadem æqualitas, ſed proportionalis ſufficit.

8. SECVNDA eſt mutua redamatio amantes non latens: atqui iuſtus per Charitatem amat Deum amore amicitiæ, & Deus iuſtum; *diligit* quippe *iuſtos Dominus* *Pſal 145.* Pſal. 145. Eſtque hæc mutua radamatio amantes non latens, quantum ſat eſt ad amicitiam fundandam. Nam neque in amicitia humana requiritur euidens notitia, ſed ſufficit probabilis coniectura mutui amoris amici, cùm interna cordis amici ſecreta nos lateant. Quin ex vna parte certiores ſumus de mutuo amore Dei erga nos, quàm ſint homines de mutuo amore amici: cùm diuina fide certi ſimus, Deum diligentes ſe diligere: at nonniſi humana fide certi ſunt homines ab amico redamari. Et licet certior ſit homo de ſuo amore erga amicum, quàm iuſtus de ſuo erga Deum, cùm plura requirat ſupernaturalis amor erga Deum, quàm naturalis erga homines: diuina tamen fide certi ſumus, quod ſi nos amauerimus Deum, nos viciſſim amatū iri à Deo: quam certitudinem non habent homines de redamatione amici.

9. TERTIA conditio eſt, vt hæc mutua redamatio ſit gratia amici. Atqui tam amor, quo iuſtus ex Charitate diligit Deum, eſt gratia Dei; quàm amor, quo Deus diligit iuſtum, eſt gratia iuſti. De amore Charitatiuo iuſti erga Deum patet, cùm ille feratur in Deum propter ipſum Deum: eſt enim quædam participatio illius increati amoris, quo Deus amat ſe ipſum. De amore Dei erga iuſtum, probatur. Nam ille amor dicitur eſſe gratia amici, qui vult bona amico, vt ſunt vtilia & proficua amico: ſed Deus vult nobis gratiam, gloriam, & reliqua dona ſupernaturalia, vt vtilia & proficua nobis: ergo vult illa gratiâ noſtri. Maior conſtat: nam tunc amor dicitur gratia amici, quando quod amatur, amatur propter commodum & vtilitatem amici. Minor probatur: tum quia hæc bona non amantur à Deo vt vtilia & proficua ſibi, cùm nil vtilitatis & perfectionis ex bonis creaturæ accedere poſſit Deo: tum quia, quod eadem bona ſimul cum ipſa perſona vltimatè amentur à Deo propter gloriam ſuam, non tollit, nec minuit amorem amicitiæ Dei erga iuſtum, cùm hic debeat eſſe ordinatus, alioqui careret rectitudine & honeſtate ſibi debita. Ratio eſt, quia ille tantùm amor derogat amicitiæ, qui in bonis amandis quærit propriam commoditatem, non amici vtilitatem & perfectionem: non autem, qui in eis amandis intendit honeſtatem virtuti debitam. Ex eo igitur quòd Deus amet nobis bona, & nos ipſos vltimatè propter ſeipſum, tanquam propter vltimum finem, nihil derogat ipſius amicitiæ cùm hoc ſit debitum ipſi honeſtati amicitiæ, quæ vt ſit recta, & iuxta dictamen rationis, requirit hunc ordinem. Antecedens probatur, quia nihil poteſt actui virtutis derogare, quod eſſentialiter requiritur ad honeſtatem ipſius: alioqui virtus ſe ipſa deſtrueret, ſi quod requiritur ad naturam ipſius, ipſius naturam deſtrueret. Atqui hæc intentio eſſentialiter requiritur ad honeſtatem amoris charitatiui, qui, vt ſit honeſtus, eſſentialiter requirit, vt vltimatè ſit propter Deum vltimum finem, ſine cuius virtuali ſaltem intentione nullus actus poteſt eſſe virtuoſus.

10. Confirmatur. Nihil derogat amicitiæ Patris in Filium, aut Principis in Subditum, ſi virtutes illis ament, & procurent, vt fiant obſequentes & obedientes ſibi vt

Patri, ac Principi. Quin nec derogat ipſi amori amicitiæ, quo amicus diligit ſuum amicum, ſi ei bona procuret, vt fiat iuxta honeſtæ amicitiæ leges ſe ipſum vt amicum redamans: cùm honeſtas virtutis debeat neceſſariò intendi in omni actu virtuoſo.

11. QVARTA conditio eſt ſingularitas: quæ in noſtra amicitia erga Deum perfectè reperitur: nam hæc omnia diligit principaliter propter Deum, tanquam propter principalem amicum. In amicitia autem Dei erga nos, etſi hæc conditio non reperiatur, cùm ipſius amor ſe extendat ad omnes iuſtos, nihil tamen derogat perfectæ amicitiæ. Nam hæc eatenus ex Ariſtotele ad perfectam amicitiam neceſſaria eſt, quatenus aut nequit homo, vtpote virtutis finitæ, perfectè amare multos; aut nequeunt in multis reperiri omnes illæ conditiones, quæ ad perfectam amicitiam neceſſariæ ſunt. Deus autem, cùm in amando ſit virtutis infinitæ, ita amat multos, vt nihil de ſuo amore minuat erga ſingulos. Neque periculum eſt, vt in multis non reperiantur omnes eæ conditiones, quæ neceſſariæ ſunt ad perfectam amicitiam erga Deum: ſiquidem has conditiones Deus ipſe ponit in nobis, cùm amando nos in nobis infundat omnia, quæ ad amorem erga ipſum neceſſaria ſunt. *Ariſtoteles.*

12. QVINTA eſt mutua bonorum communicatio: quæ ex parte Dei erga nos abunde reperitur, communicando nobis ſuam gratiam, quæ eſt participatio ſuæ naturæ, cum omnibus virtutibus, & donis ſupernaturalibus. Ex parte verò noſtra, etſi non ſit communicatio ſecundùm æqualitatem, eſt tamen ſecundùm proportionem, quantum poſſibilis eſt ex parte creaturæ erga ſuum creatorem, per continua obſequia obedientiæ, cultus, adorationis, ſubmiſſionis, & reliquarum virtutum propter Deum exhibita. Hanc enim bonorum communicationem requirit Ariſtoteles in inferiori erga ſuperiorem: loquens enim cap. 7. de amicitia Patris erga Filium, Viri erga Vxorem, & Principis erga Subditos: *eadem*, inquit, *vtrique ab altero neque exhibentur, neque ſunt requirenda: ſed cùm Parentibus liberi ea tribuunt, quæ debentur iis, qui genuerunt, & Parentes filijs ea, quæ filijs exhiberi debent: ſtabilis talium, ac bona amicitia eſt.* Cæterùm hæc mutua bonorum communicatio non tam ad eſſentiam amicitiæ ſpectat, quàm ad quandam proprietatem & effectum ipſius, quem, ſi vera & perfecta eſt, non poteſt non habere: non ſecus ac non poteſt natura debitas ſibi proprietates non producere. *Ariſtoteles.*

13. Ex his facilè poſſunt reliquæ proprietates ad amicitiam requiſitæ, de quibus diſputat citatis libris Ariſtoteles, in charitate reperiri, vt ſcilicet ſit ſtabilis, in virtute fundata, manifeſtatiua ſecretorum, expetens præſentiam, & frequentem collocutionem amici, vniens amicorum voluntates inter ſe, & faciens ex duobus vnum.

14. Ex dictis infertur, inter Chriſtum vt hominem & Deum eſſe veram amicitiam, nō autem inter Chriſtū conſideratum vt Deum, & Deum ipſum. Primum conſtat à fortiori: nam ſi inter iuſtos & Deum, propter accidentalem communicationem & ſimilitudinem, intercedit vera amicitia, multò magis dicendum eſt, hanc intercedere inter Deum & Chriſtum vt hominem, propter ſubſtantialem communicationem & ſimilitudinem fundatam in vnione hypoſtatica. Secundum patet: quoniam inter Chriſtum vt Deum, & Deum ipſum nulla intercedit diſtinctio voluntatum: vbi autem nulla eſt voluntatum diſtinctio, amicitia eſſe non poteſt, quæ eſſentialiter ſupponit voluntatum diſtinctionem: eſt enim amicitia, vt cum Philoſopho ſuprà definiuimus, mutua redamatio, quæ ſui ad ſe ipſum eſſe nequit. Nec ſufficit perſonalis diſtinctio, cùm perſonalitas non ſit Principium amandi. *Ariſtoteles.*

15. Ex dictis ſoluta manent omnia argumenta pro oppoſita ſententia allata. Maioris tamen claritatis gratia ad ſingula breuiter reſpondendum eſt. Ad 1. Negandum eſt, in amicitia ſupereminentiæ, cuiuſmodi eſt creaturæ ad Deum, requiri perfectam æqualitatem & ſimilitudinem, ſed ſufficere proportionalem, qualis eſt in iuſtis fundata in gratia & charitate, reliquiſque virtutibus infuſis, quarum ſanctis & honeſtis operationibus imitantur Deum, eique in moribus ſimiles fiunt, iuxta illud Chriſti, Matth. 5. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter Cæleſtis perfectus eſt.* *Matth. 5.*

16. Ad 2. Negandum eſt, mutuam redamationem Dei erga iuſtos eſſe illis prorſus ignotam & latentem, cùm poſſit ſaltem coniecturaliter, vt ſuprà probatum eſt, illa iuſtis innoteſcere.

17. Ad 3. 4. & 5. patet ex 3. 4. & 5. conditione explicata. Nec vero obſequio derogat, quòd per illud nullum bonum, aut nouum ius in Deum transferre poſſimus: quia ſufficit, vt per illud poſſimus aliquem honoris cultum ei exhibere, iuxta illud Malachiæ 1. *Si ego Pater, vbi honor meus? ſi Dominus, vbi timor meus?* *Malach. 1.*

18. Ad 6. concedo ſeruum, quà ſeruum, non poſſe erga Dominum amicitiam fundare: poſſe tamen quà hominem, vt Ariſtoteles ibidem fatetur, & Chriſtus ipſe inſinuauit, cùm dixit citato loco Ioannis 15. *Non dicam vos ſeruos, ſed amicos.* Vnde nil obſtat, quominus homo, retenta ſeruitute, quam vt creatura eſſentialiter habet ad Deum, poſſit cum eo amicitiam contrahere: quoniam adhuc retenta ſeruitute, poteſt inter ipſum & Deum intercedere mutua redamatio fundata in aliqua ſimilitudine ſufficiente ad mutuum amorem conciliandum. *Ariſtoteles. Ioan. 15.*

19. Ad 7. Negandum eſt, inter Patrem

&

& Filium non poſſe eſſe amicitiam ſaltem ſupereminentiæ, qualem inter eos concedit Ariſtoteles lib. 8. cap. 7. 11. 12. & 13.

Ariſtoteles.

20. Ad vltimum, negandum eſt, Ariſtotelem nullam inter homines & Deum agnouiſſe amicitiam, vt apertè conſtat ex citato lib. 8. cap. 12. *Eſtq*, inquit, *amicitia filijs erga parentes, & hominibus erga Deos, tanquam erga bonum quoddam atque excellens*, & lib. 10 cap. 8. ad finem docet, ſapiētem eſſe chariſſimum Deo, vtpote, *qui* inquit *re optima, ſibiq; maximè cognata*, qualis eſt ſapientia, *delectatur*. Quod ſi cap. 7. Inter homines, & Deum amicitiam negauit, ſolùm negauit amicitiam æqualitatis, quæ inter pares eſſe ſolet, non autem excellentiæ, quæ inter inferiores & ſuperiores reperiri poteſt. Quanquam in hoc authoritas Ariſtotelis non multum æſtimanda eſt, quippe qui non nouit hanc ſupernaturalem communicationem bonorum, in qua amicitia hominis ad Deum fundatur.

SECTIO II.

An charitas ſit amicitia inter nos & Deum ratione ſui, an ratione gratiæ ſanctificantis?

21. Etſi quæſtionis titulus ſupponat charitatem diſtingui à gratia: eadem tamen quæſtio fieri poſſet, etiamſi à gratia non diſtinguatur. Nam eſto non eſſet entitas à gratia diſtincta, adhuc tamen aliquid haberet, & poſſet vt gratia, quod non haberet & poſſet vt charitas, & vice verſa. Quoniam, vt gratia, eſſet participatio naturæ diuinæ, vt charitas, ſolius amoris increati. Vt charitas inclinaret voluntatem ad diligendum Deum ſuper omnia: vt gratia eleuaret totam animam ad eſſe ſupernaturale. Vt charitas peteret eſſe in voluntate vt in proximo ſubiecto, quod compleret ad actum dilectionis erga Deum eliciendum: vt gratia in ipſa ſubſtantia animæ, quam ſanctificaret, & redderet filiam adoptiuam Dei.

22. Prima ſententia eſſe poteſt, charitatem ratione ſui formaliter eſſe amicitiā inter Deum & hominem. Fundamentum, quoniam ſoli charitati conueniunt potiſſimæ conditiones amicitiæ, quæ ſunt illæ duæ, vt ſit mutuus amor, & gratia amici. Atqui ſola charitas, vt per ſe patet, eſt mutuus amor inter nos & Deum, & gratia amici. Nam ſola charitate amamus Deum propter ſe, & Deus amat nos gratia noſtri, iuxta illud Prouerb 8. *Diligentes me diligo*. Confirmatur 1. Sola charitate ſuperſtite, homo & diligeret Deum propter

Prouerb. 8.

ſe, & diligeretur à Deo gratia ſui. Sola autem gratia ſuperſtite, homo nec diligeret Deum, cùm non haberet in ſe principium diligendi Deum, nec diligeretur à Deo, cùm Deus nonniſi diligentes ſe diligat. Confirmatur 2. Conſummata amicitia Patriæ formaliter conſiſtit in mutuo amore beatifico, quo beatus amat Deum ſuper omnia, & quo viciſſim amatur à Deo gratia ſui: ergo etiam inchoata amicitia viæ, cum eadem amicitia, quæ inchoatur in via, perficiatur in Patria.

23. Secunda ſententia affirmat, amicitiam inter nos & Deum eſſentialiter conſiſtere in vtroque, tam in gratia, quàm in charitate. Fundamentum, quoniam amicitia, vt cum Ariſtotele ſuprà oſtendimus, duo præter alia eſſentialiter requirit, æqualitatem, & redamationem. At ſola gratia facit æqualitatem, qualis inter creaturam & Deum eſſe poteſt: nam ſola gratia eſt participatio naturę diuinæ, euehens nos ad participandum eſſe ſupernaturale ipſius. Sola charitas facit redamationem: cùm ſola charitas ſit mutuus amor inter nos & Deum. Ergo vtraque requiritur ad perfectam amicitiam inter nos & Deum.

Ariſtoteles.

24. Tertia ſententia docet, ſolam gratiam eſſentialiter eſſe amicitiam inter nos & Deum: charitatem autem eſſe ſolum complementum amicitiæ noſtræ ad Deum. Fundamentum, quia ſola gratia habet ea, quæ ad veram amicitiam eſſentialiter requiruntur: ergo in ea tantùm eſſentialiter conſiſtit. Pro huius controuerſiæ, quā apud Scholaſticos agitatam non inuenio, declaratione.

25. Notandum, amicitiam dupliciter ſumi poſſe, vno modo pro mutuo duntaxat amore, qui inter duos verſari poteſt: Secundo, pro proximo fundamento, quod huiuſmodi amor in vtroque amante ſupponit, in eoque fundatur. Cæterùm nos hic non diſputamus de mutuo tantùm amore, qui inter nos & Deum intercedere poteſt, cùm talis amor verſari poſſit etiam inter illos, qui defectu ſtatus, aut morum ſimilitudinis non ſunt amici, vt inter Principē & ruſticum. Nihil enim vetat, quin Princeps diligat ruſticum gratia ruſtici, & ruſticus Principem gratia ipſius Principis: cùm tamen hic amor amicitiæ propriè dici non poſſit: nam licet ſit mutuus, & gratia amati, non eſt tamen fundatus in aliqua morum, aut officij, vel ſtatus ſimilitudine; quam ſimilitudinem eſſentialiter poſtulat amicitia, vt cum Philoſopho ſuprà oſtendimus. Diſputamus igitur hic de mutuo amore inter nos & Deum, qui in aliqua ſimilitudine fundatus, ad veram & propriā amicitiam ſufficiens ſit. Hoc ergo præiacto fundamento,

26. Dico 1. Sola charitas ſiue actualis, ſiue habitualis, vt condiſtincta à gratia ſanctificante, non eſt amicitia inter nos & Deum. Aſſertio hæc primò colligitur ex

Tridentino

Conc. Trid. Tridentino ſeſſ. 6. cap. 7. vbi charitatem appellat diſpoſitionem, non amicitiam cũ Deo. Cùm enim cap. 6. egiſſet de diſpoſitione peccatoris ad iuſtitiam, quam diſpoſitionem explicauerat per actus Fidei, Spei, & Charitatis, ſtatim initio ſeptimi capitis ſubiungit; *hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem iuſtificatio ipſa conſequitur* &c. Si autem ex Concilio charitas eſt tantùm diſpoſitio ad amicitiam cum Deo, non poterit ſimul eſſe ipſa formalis amicitia noſtri cum Deo: cùm nulla diſpoſitio poſſit eſſe ipſa forma, ad quam diſponit. Confirmatur: nam amicitiam Concilium appellat ipſam formam, qua iuſtificamur, quæ eſt gratia ſanctificans, vt ipſummet Concilium ibidem docet, quam vnicam eſſe ait.

27. Secundò probatur aſſertio ratione. Sola charitas ſiue actualis, ſiue habitualis, vt diſtincta à gratia ſanctificante non ponit inter nos & Deum ſufficientem ſimilitudinem ad amicitiam fundandam: ergo ſola charitas, vt diſtincta à gratia non eſt amicitia inter nos & Deum. Conſequentia patet ex præiacto notando: alioqui amicitia eſſe poſſet etiam inter diſſimiles, quà diſſimiles ſunt formaliter, cùm etiam inter diſſimiles, quà diſſimiles ſunt formaliter, intercedere queat mutuus amor exhibitus Ariſtoteles. gratia amici, quod expreſsè eſt contra Philoſophum 8. Eth. cap. 7. vbi docet, inter inæquales ſeu diſſimiles amicitiam quidem eſſe poſſe, ſi eorum inæqualitas adæquetur: eo quòd, vt ibidem docet, amicitia eſt in æqualitate & ſimilitudine conſiſtit. Cuius ſimilitudinis ratio reddi poteſt: nam vt aliquem amemus amore amicitiæ, priùs iudicare debemus illum dignum eſſe noſtra amicitia: vt autem iudicare poſſimus illum noſtra amicitia dignum, debemus in eo agnoſcere aliquid, quod nobiſcum cum illo commune ſit. Alioqui nulla poterit aſſignari ratio, cur ex duobus, vnum potiùs, quàm alterum amemus: niſi quia in vno, & non in alio agnoſcamus aliquid nobis cum illo commune, quod nos allicit ad illum potiùs, quàm ad alium amandum. Cuius rationem Ariſtoteles. à priori lib. 9. cap. 8. aſſignat idem Philoſophus: quoniam amicabilia ad alterum veniũt ex amicabilibus ad ſe: omnis quippe amor ad alterum, tanquam in radice fundatur in amore ſui: vnde amicus dicitur amare amicum, tanquam alterum ſe. Hinc apud Horatius. Horatium amicus dicitur dimidium amici, & apud Ariſtotelem lib. 9. cap. 4. amicus dicitur alter ipſe. Antecedens primi Enthymematis probatur: nam charitas non eſt participatio naturæ diuinæ, ſed tantùm operationis amandi Deum: ergo non poteſt reddere ſubiectum dignum amicitia diuina. Antecedens conſtat, nam charitas eſt tantùm habitus inclinans voluntatem ad amandum Deum & proximum. Conſequentia probatur: quoniam vt charitas reddat ſubiectum dignum amicitia diuina, debet illud adæquare & aſſimilare cum natura diuina, quantum poſſibile eſt, creaturam æquari & aſſimilari Deo per participatam ſimilitudinem. Cùm igitur charitas non ſit participatio naturæ diuinæ, ſed tantùm operationis, non poteſt reddere ſubiectum dignum amicitia diuina.

28. Confirmatur, nam amor amicitiæ vel ſupponit, vel ponit ſimilitudinem inter amicos: cùm igitur in creatura nulla ſupponatur ſimilitudo ſufficiens ad amicitiam cum Deo fundandam; neque charitas vt condiſtincta à gratia illam afferat, non poterit charitas vt condiſtincta à gratia eſſe ſufficiens ad amiciam cum Deo fundandam.

29. *Obijcies* 1. Vt aliquis ſit dignus amicitia alterius, ſufficit vt habeat aliquid ſpeciale commune cum illo, ratione cuius moueri poſſit ad illum amandum: ergo vt creatura ſit digna amicitia diuina, ſufficit, vt habeat aliquid ſpeciale cum Deo commune. Sed charitas eſt aliquid ſpeciale cum Deo commune, eſt enim ſingularis participatio amoris diuini, quo ſe ipſum diligit: ergo ſufficit, ad amicitiam diuinam fundandam.

30. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: ſufficit aliquid ſpeciale commune inter eos, qui aliunde ſupponuntur, vel in natura, vel in ſtatu æquales, concedo: inter eos, qui ſupponuntur vel in natura, vel in ſtatu inæquales & diſſimiles, nego. Ad fundandam namque amicitiam inter Principem & ruſticum, in quibus nulla eſt ſimilitudo ſtatus & conditionis, non ſufficit vt in ruſtico ſit tantùm amor, quo Principem diligat, ſed neceſſum quoque eſt, vt eleuetur ad aliquem ſtatum & dignitatem proportionatam ſtatui dignitatique Principis: ſine qua eleuatione non poterit Princeps ruſticum iudicare dignum ſua amicitia, propter ſolum amorem, quo ab ipſo diligitur. Cùm autem infinito interuallo maior ſit inæqualitas & diſſimilitudo, ratione naturæ, ſtatus, & conditionis inter creaturam & creatorem, niſi hæc eleuetur ad aliquam proportionalem ſimilitudinem & æqualitatem cum Deo, non poterit iudicari digna amicitia diuina. Atqui ſola charitas ſiue actualis, ſiue habitualis, non eleuat creaturam ad huiuſmodi proportionalem ſimilitudinem & æqualitatem cum Deo, ſed tantùm tendit ad diligendum Deũ, ſicut tenderet ruſticus ad diligendum Principem, antequam eleuaretur ad aliquam proportionalem dignitatem cum ipſo.

31. *Obijcies* 2. Amor, quo Deus diligentes ſe, eſt amor amicitiæ: ergo ſola charitas ſufficit ad fundandam amicitiam inter creaturam & Deum. Antecedens probatur, quoniam eſt amor commenſuratus amori, quo creatura diligit Deum: ſed amor, quo creatura diligit Deum, eſt amicitiæ, cùm ſit propter ipſum Deum: ergo etiam amor Dei erga creaturam erit amor amicitiæ.

31. Reſp.

Digitized by Google

32. Reſp. Diſtinguendo antecedens: amor, quo Deus diligit diligentes ſe, eſt amicitiæ formaliter vt terminatus ad creaturam diligentem, nego; vt terminatus ad creaturam per gratiam participem factam ſuæ naturæ, concedo: quam participationem naturæ diuinæ infallibiliter ſecum affert dilectio Dei. Etenim ſicut dilectio creaturæ ex præcitato Tridentino, non eſt formaliter amicitia, quia non eſt amor fundatus in ſimilitudine naturæ cum amato, ſed diſpoſitio tantùm ad amicitiam: ita nec amor, quo Deus diligit creaturam vt diligentem ſe, eſt formaliter amicitia, quia non dum eſt ad ſimilem & comparticipem in natura. Quemadmodum nec amor, quo vel Princeps amat ruſticum, nondum ad ſtatum & dignitatem proportionatam ſtatui, & dignitati Principis euectum, vel quo ruſticus, nondum ad ſtatum & dignitatem proportionatam Principi eleuatus, amat Principem, eſt amicitia formaliter, ſed ſolùm diſpoſitiuus ad amicitiam, eo quòd neuter ſit ſimilis ad ſimilem formaliter. Vnde vterque amor dici poterit, amantis, non amici: quia hic eſſentialiter ſupponit mutuam ſimilitudinem inter amantes, in qua fundatur.

Concilium Tridentin.

33. Confirmatur: nam nulla alia cauſa aſſignari poteſt, cur amor, quo paruuli abſque Baptiſmo morientes, Deum vt authorem naturæ diligunt, & viciſſim à Deo ſecundùm dona naturalia diliguntur, non ſit amicitiæ, ſaltem naturalis, niſi quia neuter eſt ſimilis ad ſimilem ſpeciali ſimilitudine: nam ſola ſimilitudo in natura intellectuali non ſufficit, vt ſequenti ſect. probabo. Vnde ad probationem antecedentis, concedo amorem, quo Deus diligit creaturam diligentem ſe commenſurari amori, quo creatura diligit Deum: nego autem talem amorem creaturæ eſſe amicitiæ ex eo tantùm quòd eſt amor Dei propter ſe, ſed etiam quia eſt ſimilis & comparticipis in natura cum ipſo Deo: quam ſimilitudinem & participationem in natura non ponit amor formaliter, ſed gratia, vt mox oſtendam.

34. Dico 2. In ſola gratia ſanctificante ſaluatur eſſentialiter amicitia inter creaturam & Deum: tametſi charitas requiratur vt complementum proximè complens & perficiens amicitiam creaturæ ad Deum. Fundamentum prioris partis eſt, quoniam ſola gratia habet omnia requiſita ad amicitiã eſſentialem. Nam primò ſola gratia facit nos comparticipes & conſortes naturæ diuinæ, ac proinde illi ſimiles & æquales, æqualitate proportionata, qualem requirit amicitia eminentiæ, quæ inter ſubditum & ſuperiorem poteſt.

35. Secundò gratia ponit mutuam redamationem, ex parte quidem creaturæ habitualem, cui, teſte Ariſtotele 8. Eth. cap. 5. amicitia ſimilis eſt; ex parte verò Dei actualem. Quia cùm gratia ſit quædam ſingularis participatio naturæ diuinæ, quatenus intellectiua & volitiua eſt, eſſentialiter exigit ſingularẽ participationem intellectionis & volitionis diuinæ, ac proinde vti exigit viſionem Dei, tanquam ſingularem participationem viſionis increatæ; ita & amorem Dei, tanquam ſingularem participationem amoris increati. Ruſus cum Deus neceſſario amet, quod producit, iuxta menſuram amabilitatis rei productæ, vt ſuppono tum ex primo tomo diſputatione de voluntate Dei, tum ex tertio diſputatione de gratia habituali, cùm nequeat actus diuinæ voluntatis circa rem productam vel eſſe ſuſpenſus vel aliter terminatus quàm res ipſa exigit, gratia neceſſariò ſecum affert actualem amorem Dei erga creaturam: cumque talis amor ſit ad ſimilem in natura, erit verus & proprius amor amicitiæ, tam ex parte Dei, quàm ex parte creaturæ.

Ariſtoteles.

36. Tertiò. Gratia parit mutuam communicationem bonorum inter nos & Deum: cùm gratia ipſa & per ſe ſit quędam auguſta communicatio naturæ diuinæ, quæ mediantibus ſuis habitibus, quos tanquam proprias potentias exigit, naturaliter poſtulat ſpecialem communicatiónem diuinarum operationum: & nobis ipſis inclinationem & habilitatem conferat ad debita obſequia Deo, vt ſingulari amico per ſpeciales actus virtutum exhibenda.

37. Quartò. Eadem gratia habitualis inclinationem nobis præbet ad amandum Deum propter ſe, & omnia principaliter propter Deum, tanquam propter principalem amicum, & vltimum finem: quia cùm ſit ſpecialis participatio naturæ diuinæ, cum ea ſimul participat inclinationem propenſionemue, qua Deus ſe ipſum, & omnia propter ſe principaliter diligit. Nam quamuis hanc propenſionem proximè nobis conferat charitas, quæ eſt principium proximè diligendi Deum: tamen remotè & radicaliter confert gratia, vt eſt participatio naturæ diuinæ.

38. Tandem eadem gratia altiori modo in nobis cauſat reliquas proprietates ad perfectam amicitiam requiſitas. Nam & ea ſtabilem reddit mutuum amorem inter nos & Deum, ponendo formalem participationem naturæ diuinæ; illumque in virtute maximè fundat, exigendo participationem diuinarum virtutum & operationum: & inclinat Deum ad manifeſtanda nobis ſua ſecreta in hac vita per fidem, in alia per claram viſionem ſui: & facit nos vnum Spiritum cum Deo, dum nobis participationem ſuæ naturæ & donorum communicat. Demum gratia reddit nos maximè expetentes præſentiam, & mutuam collocutionem & conuerſationem cum Deo, iuxta illud ad Philip. 3. *Noſtra conuerſatio in Cœlis eſt.* *Phil. 3.*

39. Probatur eadem aſſertio quoad poſteriorem partem. Etenim cùm charitas ſit ipſum principium, quo creatura ſit formaliter & proximè potens ad diligendum

Deum

Deum amore amicitiæ, cùm per gratiam remotè tantùm, & per modum naturæ fiat potens amandi Deum, meritò charitas erit proximum complementum amicitiæ noſtræ ad Deum. Sine quo complemento eſſemus quidem per ſolam gratiam ſanctificantem amici Dei; cùm & Deus diligeret nos vt ſimiles ſui in natura, & nos remotè ſaltem, & per modum naturæ exigeremus eundem diligere, vt nobis in natura proportionaliter ſimilem: non tamen eſſemus proximè potentes ad illum vt amicum diligendum, cùm proximum Principium diligendi Deum vt ſupernaturalem amicum ſit charitas. Quo fit, vt charitas ad amicitiam non ſe habeat purè accidentaliter, cùm non ſit mera conditio, ſed principium proximum efficiens illius. Nec ſe habet eſſentialiter, quia adhuc ſine charitate merito ſolius gratiæ habitualis eſſet nobis debitum auxilium ad diligendum Deum amore amicitiæ; ſed ſubſtantialiter, quia proximè complet principium effectiuum amoris amicitiæ erga Deum.

40. Ad fundamentum 1. ſentent. eſto charitati competat mutuus amor gratia amari: nego tamen, eidem competere reliquas conditiones, ſine quibus nequit dici mutuus amor amicorum, quamuis dici poſſit mutuus amor amantium. Contrà verò ſoli gratiæ habituali competunt omnes conditiones amicitiæ ab Ariſtotele aſſignatæ, vt fusè probatum eſt.

41. Ad priorem confirmationem, negandum eſt, ſola gratia in homine ſuperſtite, nec hominem diligi à Deo, cùm nequeat Deus nō diligere vt ſimilem & comparticipem ſuæ naturæ: nec Deum diligi ab homine habitualiter. Nec refert, quòd gratia non ſit habitus diligēdi Deum proximè, ſed ſolum remotè: nam eadem connaturalitate eſſet debitum auxilium diligendi Deum habenti ſolam gratiam, atque eſt debitum habenti ſimul cum gratia charitatem. Et eſto habenti charitatem ſine gratia etiam foret debitum auxilium diligendi Deum, haud tamen foret debitus amor amicitiæ, quia hic requirit ſimilitudinem inter amantes: ſed ſolùm foret debitus amor amantium.

42. Ad poſteriorem Confirmationem, negandum pariter eſt, conſummatā amicitiam Patriæ eſſentialiter cōſiſtere in mutuo amore beatifico, ſed potiùs in viſione beata, quæ eſt ipſa natura diuina intentionaliter expreſſa in mente beatorum, licet non per ſimilitudinem *in qua*, ſed *qua*, vt fusè in 1. tomo, diſputatione 9. ſectione. 3. Vnde B. Ioannes in 1. ſua Canonica ca. 3. Similitudinem naturæ diuinæ non tribuit dilectioni, ſed viſioni beatificæ: *Scimus*, inquit, *quoniam cùm apparuerit*, nempe per gloriam, *ſimiles ei erimus*. Cuius ſimilitudinis rationem reddit: *quoniam videbimus eum, ſicuti eſt*. Non dixit *quoniam amabimus eum*. Eſt igitur viſio glorioſa fundamentum amicitiæ inter nos & Deum quatenus per viſionem *1. Ioan. 3.* Dei & reddimur ſimiles naturæ diuinæ ſecundùm eſſe intentionale, quo intelligibiliter repræſentatur natura diuina; proinde per eam formaliter efficimur obiectum diuini amoris, quo nos amat vt ſui ſimiles. Et per eandem beatus ab intrinſeco exigit amare Deum ſuper omnia. Tandem eadem amicitia ex parte beati proximè completur per habitum charitatis, ſicut amicitia viæ.

43. Confirmatur: nam per viſionem, non autem per amorem beatificum, capimus poſſeſſionem hæreditatis æternæ, efficimurque filij adoptiui Dei ſimiles æterno verbo, quod eſt intellectualis imago æterni Patris. Atqui hæ ſunt proprietates amicitiæ inter nos & Deum, quæ non ſolùm facit nos amicos, ſed etiam filios adoptiuos Dei, & hæredes beatitudinis æternæ, non tantùm conferendo ius, ſed ipſam etiam poſſeſſionem communicando.

44. Ad fundamentum 2. ſentent. patet ex dictis, quo pacto non ſoli charitati, ſed etiam gratiæ; imò ſoli gratiæ, & non charitati conueniat redamatio amicitiæ, quæ eſt amor mutuus fundatus in ſimilitudine naturæ inter ipſos amantes.

SECTIO III.

An præter amicitiam ſupernaturalem dabilis ſit naturalis inter creaturam & Deum, & in quo illa conſiſtat?

45. PRIMA ſententia negat: eſt Bannez 2. 2. quæſt. 23. art. 1. ad. 2. argumentum. Probat 1. Nequit homo excognitione rerum ſenſibilium talem operationem aſſequi, quæ ſit amicabilis conuerſatio inter ipſum & Deum: ergo nequit inter Deum & hominem naturalis amicitia intercedere. *Bannez.* Secundò. Amicitia eſt mutuus amor gratuitus, fundatus in liberali & gratuita communicatione donorum & ſecretorum. Sed Deus vi donorum naturalium per creationem collatorum non amat nos amore liberali & gratuito, ſed neceſſario & debito: ergo nequit inter nos & Deum naturalis amicitia intercedere, cùm hæc ex parte Dei fundari deberet in amore donorum naturalium, quæ nobis per creationem communicat. Maior conſtat: quoniam amicitia non eſt donum debitum, ſed liberale & gratuitum. Minor probatur: nam dona, quæ per creationem communicantur homini, ſunt debita naturæ humanæ, quæ eſſentialiter & ex intrinſecis principijs ea poſtulat habere: igitur non poſſunt à Deo amari amore gratuito & liberali, ſed neceſſario & debito: cùm eo amore Deus amet res, quo res ipſa ſunt amabiles.

46. SECVNDA

46. Secunda ſententia affirmat, dabilem eſſe inter nos & Deum amicitiã naturalem: tam-etſi hæc comparata cum amicitia ſupernaturali in gratia fundata ſit imperfecta. Eſt Syluij 2. 2. quæſt. 23. art. 1. & aliquorum recentiorum, quos ſuppreſſo nomine citat Turrianus 2. 2. diſp. 66. dub. 2. *Quæ ſententia probabilior eſt*: cùm nulla appareat implicantia, cur inter hominem in pura natura conſtitutum & Deum naturalis amicitia fundata in communicatione bonorum naturalium intercedere non poſſit. Maior difficultas eſt, in qua forma talis amicitia fundaretur. Quia verò de hac re pauca diſputant authores, naturali diſcurſu id à nobis indagandum erit.

Syluius. Turrianus.

47. Primus igitur modus eſſe poteſt, illam fundari in ipſa communicatione naturæ intellectualis, & donorum naturalium, quæ cum ipſa natura rationali communicantur. Hæc ſententia olim mihi maximè arriſit, quam & publicè docui tum anno 1617. in noſtro collegio Neapolitano, tum anno 1619. in vniuerſitate Archiducali Græcenſi Societatis Iesv: eamque mihi colligere videbar ex Principijs S. Thomę, qui 2. 2. quæſtione 26. articulo 3. & 1. p. quæſtione 60. articulo 5. docet, tam Angelum, quàm hominem naturali dilectione plus Deum diligere, quàm ſe ipſum, quia Deum diligit vt totum vniuerſale, à quo omnia pendent, ſe ipſum verò vt partem: alioqui peruerſa foret creaturæ intellectualis inclinatio, ſi ea magis propenderet ad ſe ipſam, quàm ad Deum diligendum: cùm talis inclinatio immediatè ſit à Deo vt ab authore naturæ. Ex quo principio ſic prædictam ſententiam deducebam. Deus communicando nobis naturam intellectualem, cum naturali inclinatione ad diligendum Deum ſuper omnia, ac proinde ad amandum illum amore amicitiæ, qui in amicum fertur cauſa ipſius amici, amat nos amore amicitiæ naturalis, cùm non poſſit nobis bonum communicare, niſi volendo & amando illud in nobis amore, quo tale bonum exigit amari. Cùm igitur natura intellectualis creata ſit quædam communicatio naturæ intellectualis increatæ, & proprietatum eius, & ſimul naturalis inclinatio ad diligendum Deum ſuper omnia, ſequitur, vt per huiuſmodi communicationem & Deus diligat nos, & nos Deum amicitia naturali, fundata in communicatione bonorum naturalium.

S. Thomas.

48. Secundò probabam eandem ſententiam ratione. Quoniam ſicut Deus per communicationem gratiæ, quæ eſt quædam participatio naturæ diuinæ ſecundùm eſſe ſupernaturale, amat nos amicitia ſupernaturali, in ordine ad beatitudinem ſupernaturalem, & nos Deum amore amicitię ſupernaturalis: ita per communicationem naturæ intellectualis, quę eſt quędam participatio naturæ intellectualis Dei ſecundùm eſſe naturale ipſius, amat nos amicitia naturali in ordine ad beatitudinem naturalem, & nos Deum amore amicitię naturalis. Conſequentia probatur: nam ideo gratia ſanctificans eſt fundamentum amicitiæ ſupernaturalis inter nos & Deum, quia per eam efficimur ſimiles Deo in natura ſecundùm eſſe ſupernaturale ipſius, & ſimul propenſi ad amandum ipſum ſuper omnia vt authorem & finem ſupernaturalem. Sed etiam per naturam intellectualem efficimur ſimiles Deo in natura, ſecundùm eſſe naturale ipſius, & ſimul propenſi ad diligendum ipſum ſuper omnia vt authorē & finem naturalem: ergo etiam per communicationem naturæ intellectualis efficimur amici naturales Dei.

49. Confirmatur: quoniam natura intellectualis eſt imago & ſimilitudo Dei, iuxta illud Geneſ. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Imago autem & naturaliter inclinat ad ſuum imaginatum repræſentandum, & ſimul eſt obiectum naturalis inclinationis ipſius imaginati ad ſe: cùm maximè naturale prototypo ſit, ſuam imaginem diligere: ergo non ſolùm inclinat nos ad diligendum Deum, ſed etiam Deum ad diligendum nos vt ſuam imaginem.

Geneſ. 1.

50. Verùm re maturè conſiderata, hic modus mihi probari non poteſt propter duo. Primò, quia alioqui, ſublata per peccatum ſupernaturali amicitia, adhuc inter nos & Deum perſeueraret amicitia naturalis: cùm per peccatum non auferatur à nobis natura intellectualis, aut vllum donum naturale, in quorum communicatione fundatur amicitia naturalis: hoc autem videtur abſurdum, aliàs etiam inter Deum & dæmones intercederet amicitia naturalis: nam etiam in illis manet integra natura intellectualis cum omnibus donis naturalibus, vt ex 2. tomo ſuppono. Secundò. Quoniam ad amicitiam non ſufficit quæuis ſimilitudo in natura, alioqui hæc eſſe poſſet inter quoſcunque, cùm inter quoſcunque ſit ſimilitudo in eadem ſpecifica natura hominis: vnde non eſſet ratio, cur ea potiùs eſſet inter aliquos, & non inter alios: ſed requiritur ſimilitudo ſpecialis, quæ ita ſit inter aliquos, vt non ſit inter alios. Nam licet ſimilitudo in eadem natura intellectuali, ad amicitiam ſupponatur tanquam fundamentum remotum, cùm nequeat amicitia intercedere, niſi inter naturas redamationis capaces, ea tamen ſola non ſufficit: ſed requiritur prætereà vt proximum fundamentum maior aliqua ſpecialis ſimilitudo, fundata in moribus & operationibus, præſertim amicitia fundata in virtute. Igitur ſola ſimilitudo in natura intellectuali cum Deo non ſufficit ad fundandam naturalem amicitiam inter nos & Deum, cùm hæc ſit tantùm remota.

51. Secundus modus eſſe poſſet, natulem amicitiam inter nos & Deum fundari in habitu acquiſito ex frequentatis actibus

amoris

amoris naturalis erga Deum. Nam talis habitus inclinat nos determinatè ad diligendum Deum amore amicitiæ naturalis, redditque nos ſpeciali ſimilitudine ſimiles Deo, ſi non in natura, ſaltem in dilectione, qua Deus diligit ſe ipſum. Confirmatur. In ea forma fundari debet amicitia, quæ ſuapte natura inclinat ad actus amicitiæ. Atqui talis habitus ſuapte natura inclinat ad actus amicitiæ, vt per ſe patet: igitur in eo fundari debet naturalis amicitia inter nos & Deum. Maior probatur à paritate amicitiæ humanæ, quæ in habitu diligendi amicum conſiſtit, vt Ariſtoteles teſtatur. 8. Eth. cap. 5. *Ariſtoteles.*

52. Sed neque hic modus probandus eſt: cùm talis habitus non ponat ſpecialem ſimilitudinem in natura, ſed tantùm in operatione, & ne quidem ſpeciali inter nos & Deum: quę ſimilitudo, vt ex prçcedenti ſect. conſtat, non ſufficit ad fundandam amicitiam inter duos: alioqui inter Dominum & ſeruum, & quoſcunque diſſimiles, & inęquales in ſtatu & dignitate intercedere poſſet amicitia. Quia poſſet inferior, nulla inter ipsũ & ſuperiorẽ facta proportionali æqualitate, amare amore amicitiæ ſuperiorẽ, & ex talibus actibus habitum acquirere. Ratio verò eſt: quia licet talis habitus ponat in vno inclinationem ad diligendum alterum gratia ipſius, non tamen ponit proximum fundamentum, quo viciſſim diligatur ab altero: quia non ponit ſpecialem ſimilitudinem in natura, propter quã moueatur alter ad diligendum ſe vt ſibi ſimilem & æqualem, ſaltem proportionaliter, ac proinde dignum ſua amicitia: ſicut de habitu charitatis ſuprà docuimus, non eſſe illum ſufficientem ad fundandam amicitiam ſupernaturalem inter nos & Deum, defectu ſpecialis ſimilitudinis in natura cum Deo.

53. Eſt igitur tertius modus, qui nobis omnium probabiliſſimus videtur: hanc naturalem amicitiam inter nos & Deum fundari in aliqua qualitate ordinis quidem naturalis, indebita tamen naturę, quę ſit quędã ſpecialis participatio naturæ diuinæ ſecundùm eſſe intellectiuum naturale ipſius, exigitiuum habituum & operationum honeſtarum naturalium quoad ſubſtantiam, in ordine ad finem & beatitudinem naturalẽ. Nam ſicut datur qualitas ordinis ſupernaturalis, quæ ſit ſpecialis participatio naturæ diuinæ ſecundùm eſſe intellectiuum ſupernaturale, exigitiuum habituum & operationum honeſtarum ſupernaturalium quoad ſubſtantiam in ordine ad finem & beatitudinem ſupernaturalem, cuiuſmodi eſt gratia habitualis ſanctificans: ita dabilis eſt qualitas ordinis naturalis, quæ ſit ſpecialis participatio naturæ diuinæ ſecundùm eſſe intellectiuum naturale ipſius, exigitiuum habituum & operationum honeſtarum naturalium quoad ſubſtantiam in ordine ad finem & beatitudinem naturalem. Cùm non minùs natura diuina ſit ſpeciali modo participabilis ſecundùm eſſe intellectiuum naturale, quàm ſecundùm eſſe intellectiuum ſupernaturale. Porrò hæc qualitas in eo diſcriminaretur ab ipſa natura intellectuali participata: quòd natura intellectualis participata non eſt ex ſe determinata ad ſolas operationes honeſtas naturales quoad ſubſtantiam, ſed indifferens ad vtrum libet, cùm ſit libera, proinde eſſentialiter indifferens tam ad operationes naturales honeſtas, quàm ad operationes naturales turpes & inhoneſtas. Hęc verò qualitas eſſet ſuapte natura determinata ad ſolas operationes naturales intellectuales honeſtas, non ſecus ac gratia habitualis eſt qualitas ſuaptè natura determinata ad ſolas operationes intellectuales ſupernaturales honeſtas. Atque adeo ratione huius diſcriminis qualitas hæc diceretur ſpecialis participatio naturæ diuinæ ſecundùm eſſe intellectiuũ naturale: quo pacto non dicitur ipſa natura intellectualis creata, quę de ſe non eſt determinata ad ſolas operationes intellectuales honeſtas, ſed indifferens tam ad honeſtas, quàm ad inhoneſtas & turpes. Hunc modũ indicat Herice 1. p. tract. 2. diſp. 17. n. 26. quem nos ſecuti ſumus præcedente tomo diſp. 33. ſect. vlt. *Herice.*

54. Ex his patet ad argumenta Bannez. Ad 1. eſto ex cognitione rerum ſenſibilium nullam poſſit operationẽ homo aſſequi, quę ſit amicabilis ipſius cum diuino Numine conuerſatio, cùm nulla operatio ex cognitione rerũ ſenſibiliũ acquiſita ſupponat in homine ſpecialem ſimilitudinẽ in natura cum Deo, quę ſimilitudo conſtituit ipſum ſpeciale obiectum amicitię diuinę: aſſequi tamen poteſt mediãte aliqua qualitate, ſpeciali modo participatiua naturæ diuinæ ſecundùm eſſe intellectiuum naturale ipſius, modo præclarato. Nã ratione talis qualitatis & homo exigeret diligere Deũ propter ſe vt authorẽ naturę, & viciſſim Deus diligeret talẽ hominẽ vt ſibi ſpeciali modo ſimilem in natura ſecundùm eſſe intellectuale naturale, operatiuum honeſtarum operationum: ac proinde cùm talis amor ſupponeret in vtroq; amato proportionalem ſimilitudinem naturæ, eſſet amor amicitiæ, eſto, non ita perfectus, ſicut amor charitatis ſupernaturalis fundatus in altiori ſimilitudine & participatione naturę diuinæ ſecundùm eſſe intellectiuum ſupernaturale. *Bannez.*

55. Secundum argumẽtum ſolùm probat, nõ poſſe naturalem amicitiam inter nos & Deum fundari in ſola communicatione naturæ intellectualis, & donorum naturalium eam conſequentiũ. Cæterùm diceretur amor diuinus ratione talis qualitatis in anima infuſæ, communicatiuus ſpecialium donorum & ſecretorum: quatenus per talem qualitatẽ Deus communicaret homini ſpecialem ſimilitudinem ſuæ naturæ ſecundùm eſſe intellectuale naturale: nec non habitus virtutum moraliũ, naturalium quidẽ quoad ſubſtantiam; ſupernaturalium verò quoad modum, cùm non eſſent tales virtutes debitæ naturæ humanæ in pura natura conditæ:

Digitized by Google

proinde iure diceretur talis amor ex parte Dei liberalis & gratuitus. Hinc ſequitur, quòd ſtando in pura natura, abſque vllo dono indebito, non ſit dabilis naturalis amicitia inter creaturam & Deum.

56. Ex dictis etiam patet ad rationes primi & ſecundi modi. Ad primam rationem primi modi, negandum eſt ſolam communicationem naturæ intellectualis eſſe ſufficiens fundamentum naturalis amicitiæ inter nos & Deum, ob rationem aſſignatam, quia talis communicatio non eſt ſpecialis ſimilitudo naturæ diuinę per ſe determinata ad participandas ſolas operationes honeſtas naturæ diuinę: ſed eſt indifferens tam ad bonas & honeſtas, quàm ad malas & turpes: quo pacto non eſt natura diuina, quæ eſſentialiter eſt determinata ad ſolas operationes honeſtas.

57. Ad ſecundam, neganda eſt paritas: nam gratia habitualis eſt participatio naturæ diuinæ per modum formæ ſuapte natura determinatæ tantùm ad operationes honeſtas proprias naturæ diuinæ, qualis non eſt natura intellectualis creata. Ad probationem conſequentiæ, diſtinguenda eſt Maior: ideò gratia ſanctificans eſt fundamentum amicitiæ ſupernaturalis inter nos & Deum, quia efficit nos ſimiles Deo ſimilitudine ſpeciali per formam determinatam ad honeſtas operationes proprias Dei, concedo: quia efficit nos ſimiles Deo quacunque ſimilitudine, & nego.

58. Ad confirmationem, concedendum eſt, naturam intellectualem creatam eſſe imaginem Dei, ſed eſſentialiter liberam & indifferentem tam ad bonas & honeſtas, quàm ad malas & inhoneſtas operationes; proinde non ſufficientem ad reddendum nos ſimiles Deo ſpeciali ſimilitudine, per determinationem tantùm ad operationes honeſtas, vti determinata eſt natura diuina.

59. Ad rationem ſecundi modi patet ex dictis, cur ſolus habitus ex frequentatis actibus amoris amicitię erga alterum non ſufficiat ad fundandam amicitiam: quia ſolus habitus abſque ſpeciali ſimilitudine in natura, ſtatu, vel dignitate cum altero, non eſt ſufficiens obiectum amoris amicitiæ alterius erga ſe. Ad confirmationem, diſtinguenda eſt maior: in ea forma fundari debet amicitia, quæ ſuapte natura inclinat ad actus amicitiæ, & ſimul ponit, vel ſupponit obiectum mutuæ amicitię erga amantes, concedo: quæ ſolùm inclinat ad actus amicitiæ non ponens, vel ſupponens obiectum mutuæ amicitiæ erga amantes, nego. Vnde nec amicitia ipſa humana cenſetur vera amicitia, niſi inter ipſos amantes ponatur, vel ſupponatur ſpecialis aliqua ſimilitudo, quæ ſit ſpeciale motiuum mutui amoris amicitiæ inter ipſos.

SECTIO IV.

An & quo pacto charitas expellatur à peccato mortali?

60. CErtum fidei dogma eſt, à Tridentino ſeſſ. 6. cap. 15. contra hæreticos noſtri temporis definitum, charitatem quolibet peccato mortali amitti. Nam licet Concilium id expreſsè tantùm definiat de gratia iuſtificationis, ſub gratia tamen iuſtificationis comprehendere etiam charitatem apertè conſtat ex canon. 11. vbi *Si quis*, inquit, *dixerit, homines iuſtificari, vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia & charitate* &c. *anathema ſit*. Cæterùm comprehendit Concilium charitatem ſub nomine gratię iuſtificationis, non vt formam iuſtificantem, cùm ex eodem Concilio cap. 7. hæc ſit vnica, nempe iuſtitia nobis inhærens, vt ibidem docet; ſed vt proprietatem cum gratia naturaliter connexam: cum qua ſicut inſeparabiliter comproducitur, ita & cum ea ſimul inſeparabiliter amittitur. *Concilium Trident.*

61. Ratio verò, cur quolibet peccato mortali amittatur charitas, ea eſt: quia quolibet peccato mortali tollitur motiuum formale charitatis, quod eſt Deus vt vltimus finis ſuper omnia diligibilis. Atqui per quodlibet peccatum mortale tollitur Deus vt vltimus finis ſuper omnia diligibilis, cùm per quodlibet peccatum mortale poſtponatur Deus creaturæ, ad quam homo peccando ſe conuertit. Sublato autem motiuo formali charitatis, non poteſt charitas ampliùs operari, cùm nullus habitus operari queat, niſi circa ſuum obiectum formale. Porrò ſublata operatione ab habitu, non debetur ampliùs illi eſſe, cùm nonniſi propter operationem debeatur illi eſſe. Igitur ſublato motiuo formali per peccatum mortale à charitate, deſinit eſſe charitas per ſubtractionem concurſus diuini, quo illa in eſſe conſeruabatur.

62. Maior difficultas eſt, qua ratione peccatum mortale expellat charitatem, phyſicè ne & ex natura rei, an tantùm demeritoriè, & lege extrinſeca Dei? Bonauentura in 3. diſt. 27. art. 1. q. 4. Caietanus ſecunda ſecundæ quęſt. 24. art. 10. Bannez ibidem art. 12. Bellarminus lib. 2. de iuſtificatione cap. vlt. Valentia ſecunda ſecundæ diſp. 3. quęſt. 11. punct. 4. Vaſquez prima ſecundæ diſput. 203. à cap. 3. & diſput. 204. cap. 3. Azor. Tomo 1. lib. 4. cap. 24. q. 4. Turrianus ſecunda ſecundę diſput. 72. dub. 4. Franciſcus Syluius ſecunda ſecundæ q. 24. art. 12. Malderus ibidem, & alij affirmant, peccatum Lethale phyſicè & ex natura ſua expellere charitatem. Eamque putant eſſe *Bonauent. Caietanus. Bannez. Bellarm. Valentia. Vaſquez. Azorius. Turrianus. Franciſcus Syluius. Malderus.*

Digitized by Google

S. Thomas. S. Thomæ ſententiam ſecunda ſecūdæ q. 24. art. 10. & 12. in quibus docet, peccatum non ſolum meritoriè, ſed etiam effectiuè corrumpere charitatem: corrumpit autem peccatum effectiuè charitatem, quia, vt prædicti authores cum Caietano explicant, peccatum mortale inducit in animam auerſionem à Deo vltimo fine, quæ formaliter contrariatur charitati, quę eſt conuerſio ad Deum vltimū finem ſuper omnia diligibilem. Fundamentum huius ſententiæ eſt: quia charitas reddit ſuapte natura ſubiectum charum & amicum Deo: peccatum contra ſubiectum reddit inimicum & infenſum Deo; implicat autem, vt quis ſit charus & amicus Deo, & ſimul infenſus & inimicus eidem: igitur charitas phyſicè & ex natura ſua, & non tantùm demeritoriè & extrinſeca lege Dei expellitur à peccato: quia quod formaliter expellitur, non demeritoriè & moraliter tantùm, ſed phyſicè & ex natura rei expellitur. Maior probatur: nam charitas ſuapte natura eſt amicitia, peccatum contrà ſuapte natura eſt inimicitia inter nos & Deum, teſte Tridentino ſeſſ. 6. cap. 7. Forma autem poſita in ſubiecto capaci neceſſariò confert illi ſuum effectum formalem. Minor patet: quoniam amicus & inimicus inferunt rationes contradictorias, pręſertim reſpectu Dei: nam amicus admittit amicum ad communicationem ſuorum bonorum & ſecretorum: inimicus verò excludit inimicum à communicatione ſuorum bonorum & ſecretorum.

Concilium Tridens.

Richardus *Durandus.* *Coninck.* *Suarez.*

63. Richardus in 3. diſt. 31. art. 1. q. 1. Durandus in 1. diſt. 17. quæſt. vlt. num. 15. Coninck diſp. 22. dub. 10. qui multos citat authores, qui tamen potiùs ſunt pro oppoſita ſententia: Suarez lib. 6. de Gratia cap. 12. n. 9. & alij tum ex antiquioribus, tum ex recentioribus negant, peccatum phyſicè & ex natura rei, ſed ſolùm demeritoriè, & diſpoſitiuè expellere charitatem. Pro cuius controuerſiæ deciſione,

64. Dico 1. Charitas, ratione gratię ſanctificantis, quam includit, phyſicè excluditur à quouis peccato mortali, ſaltem mediatè. Fundamentum, quia gratia ſanctificans eſt fundamentum amicitiæ, peccatum contrà eſt fundamentum inimicitiæ inter nos & Deum, vt Tridentinum docet ſeſſ. 6. cap. 7. & probatum eſt ſuprà ſect. 2. Deus autem ſicut neceſſariò diligit diligibilia iuxta gradum ſuæ diligibilitatis: ita neceſſariò odit odibilia iuxta gradum ſuę odibilitatis: implicat autem, vt Deus creaturam diligat amore amicitiæ, & ſimul odio habeat odio inimicitiæ: ergo implicat ſimul eſſe gratia & peccatum in eodem ſubiecto: & conſequenter gratia phyſicè expellitur à quouis peccato mortali. Minorem aſſumptam ſuppono ex 1. Tomo diſp. 14. ſect. 3. Cuius ratio eſt: quia nequit actus diuinæ voluntatis eſſe ſuſpenſus circa ſua obiecta, ſed neceſſariò ad illa terminatur vel per modum actualis complacentiæ & amoris, ſi ſunt bona; vel per modum actualis diſplicentiæ & odij, ſi ſint mala.

Concilium Trident.

Minor ſubſumpta probatur: nam Deus diligendo creaturam amore amicitiæ, debet illi infundere donum amicitiæ, quod eſt gratia ipſa ſanctificans; cùm non poſſit Deus de nouo aliquid extra ſe liberè amare, niſi per productionem termini libero ſuo amori commenſurati, vt ex eodem 1. Tomo citata diſp. ſuppono. Cùm enim amor Dei fiat liber formaliter per connotationem termini liberè à ſe producti, vt ibidem explico, non poterit ſaluari liber amor amicitię ipſius erga creaturam, niſi per productionem doni commenſurati ipſius amori: nam hic denominatur talis, vel talis formaliter à connotatione termini producti. Rurſus cùm nequeat Deus circa peccatum eſſe ſuſpenſus, neque poſſit illud diligere, neceſſariò illud odio habebit. Nequit autem Deus peccatum odio habere, niſi per ſubtractionem amicitiæ, cùm non poſſit odium Dei erga peccatum explicari, niſi per phyſicam mutationem ad extra: quæ alia eſſe non poteſt, quàm ſubtractio eiuſdem doni amicitiæ, nam hæc tantùm directè opponitur ipſius odio inimicitiæ. Ergo ſimul Deus gratiam infunderet ſeu conſeruaret, & ſubtraheret ab eodem, ſi ea ſimul cum peccato in eodem ſubiecto eſſe poſſet. Nam dum illam in ſubiecto conſeruaret, neceſſariò amaret amore amicitiæ: dum cum ea ſimul peccatum maneret, neceſſariò ſubtraheret: ac proinde eandem gratiam ſimul amando conſeruaret, & peccatum odio habendo, ſubtraheret; quod manifeſtam inuoluit implicantiam. Dixi *ſaltem mediatè:* nam quidquid ſit, an hæc repugnantia ſit inter ipſam entitatem gratiæ, & peccatum formaliter, ſaltem aperta eſt repugnantia reſpectu Dei idem ſubiectum amantis, & odio habentis: cùm reſpectu amoris deberet gratiam in ſubiecto conſeruare, reſpectu odij eandem gratiam deſtruere.

65. Dico 2. Charitas vt condiſtincta à gratia, non phyſicè, nec purè demeritoriè, ſed per ſublationem obiecti formalis expellitur à peccato mortali. Prior pars ſequitur ex præiactis noſtris principijs. Cùm enim charitas vt condiſtincta à gratia nec ſit forma formaliter ſanctificans, vt ſuppono ex 3. Tomo diſp. 33. ſect. 3. nec amicitia inter nos & Deum, vt in hac diſp. ſect. 2. probatum eſt; neque immediatè, neque mediatè phyſicè opponitur peccato. Vnde abſque vlla repugnantia poſſet cum illo conſiſtere. Confirmatur. Nullus actus phyſicè opponitur ſuo contrario habitui, vt inductione conſtat: ergo nec peccatum mortale charitati: cùm charitas ſit habitus, peccatum verò mortale actus charitati contrarius.

66. Poſterior pars probatur: nam peccatum mortale tollit obiectum formale charitatis, quod eſt Deus vltimus finis ſuper omnia diligibilis: quo ſublato, non debetur ampliùs eſſe charitati. Igitur non purè demeritoriè peccatum mortale tollit charitatem. Nam illud tantùm demeritoriè tollitur, quod ex

mera

mera extrinſeca voluntate Dei tollitur: quòd autem tollitur per ſublationem obiecti formalis, non ex mera extrinſeca voluntate Dei tollitur, ſed cum fundamento in re; quia naturaliter non debetur eſſe habitui, qui defectu obiecti formalis per peccatum ſublati, operari nequit.

67. Ex his infertur 1. Non poſſe cum gratia eſſe peccatum, poſſe autem eſſe cum charitate: quia non poteſt odium inimicitiæ, quo Deus proſequitur peccatum, ſimul eſſe cum amore amicitię, quo Deus amat gratiam. Poteſt autem odium inimicitiæ eſſe cũ amore, quo Deus amat charitatem: quia cùm hic amor non ſit amicitia, vt ſuprà probatum eſt, non repugnat cum odio inimicitiæ, quod tantùm opponitur amori amicitiæ.

68. Infertur 2. Ne quidem in inſtanti ſimul eſſe poſſe gratiam & peccatum, contra nonnullos recentiores admittentes de facto in eodem inſtanti temporis ſimul gratiam & peccatum. Mouentur ex eo, quòd gratia ſubtrahitur in pœnam peccati: pœna autem culpam ſupponere debet actu exiſtentem: ergo ſaltem in eodem inſtanti ſimul ſunt peccatum & gratia. Cęterùm fundamentum noſtri Corollarij eſt: nam neque in inſtanti ſimul contradictoria eſſe poſſunt: cùm æquè implicet in inſtanti, atque in tempore, aliquid ſimul eſſe & non eſſe. Cùm igitur probatum ſit, gratiam & peccatum inuoluere contradictoria, etiam in inſtanti ſimul implicabunt.

69. Ad fundamentum aduerſariorum, concedo pœnam ſupponere culpam, non duratione, ſed natura & cauſalitate priorem: quia nimirum culpa eſt cauſa moralis demeritoria ſubtractionis gratiæ: vt autem culpa ſit cauſa moralis demeritoria ſubtractionis gratiæ, non eſt neceſſe, vt in eodem inſtanti ſimul ſit peccatum & gratia: ſed ſufficit, vt primum eſſe culpæ ſit primum non eſſe gratiæ. Sicut contritio eſt cauſa moralis diſpoſitiua remiſſionis peccati: & tamen neceſſe non eſt, vt contritio & peccatum ſint in eodem inſtanti ſimul: ſed ſat eſt, vt primum eſſe contritionis ſit primum non eſſe peccati. Quæ doctrina verificatur etiam in formis naturalibus, quarum vna eſt cauſa expulſiua alterius, cùm tamen nunquam duæ formæ contrariæ exiſtant pro eodem inſtanti in eodem ſubiecto ſimul.

70. Infertur 3. De facto charitatem nunquam eſſe virtutem informem, vti interdum ſunt reliquæ virtutes Theologicæ: cùm de facto nunquam maneat charitas cum peccato mortali.

71. Ex dictis patet ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ: falſum quippe eſt, vt ex probatis in ſecunda ſect. conſtat, charitatem, vt condiſtinctam à gratia ſanctificante, eſſe amicitiam inter nos & Deum, & conſequenter reddere ſubiectum amicum, ſed ſolùm dilectorem Dei; proinde cum ea peccatum non repugnare: ſicut nec repugnat in Deo odium inimicitiæ erga peccatorem, & amor aliquis beneuolentiæ, non autem amicitiæ erga eundem. Solus namque amicitiæ amor opponitur odio inimicitiæ in Deo: quippe cùm ſolus amor amicitiæ habeat pro eſſentiali termino in Deo gratiam ſanctificantem, cuius ſubtractionem pro eſſentiali termino habet odium inimicitiæ: ac proinde ſolus amor amicitiæ, & odium inimicitiæ inferunt contradictoria.

72. Cæterùm S. Thomas potiùs ſtat pro noſtra ſententia, vt conſtat ex art. 12. præcitatæ quęſtionis, vbi docet, non ideò peccatum mortale opponi charitati, quia formaliter illam expellit: *Actus enim*, inquit, *non directè contrariatur habitui, ſed actui. Vnde ex ſuperueniente contrario actu non ſtatim habitus acquiſitus excluditur. Sed charitas, cùm ſit habitus infuſus, dependet ex actione Dei infundentis, qui ſic ſe habet in infuſione & conſeruatione charitatis, ſicut ſol in illuminatione aëris. Et ideo ſicut lumen ſtatim ceſſat eſſe in aëre per hoc, quòd aliquod obſtaculum poneretur illuminationi Solis: ita etiam charitas ſtatim deficit eſſe in anima per hoc, quòd aliquod obſtaculum ponitur influentiæ charitatis à Deo in animam.* Ex quibus patet, ideo ex ſententia S. Thomæ ceſſare charitatem in anima, accedente peccato mortali, quia peccatum mortale eſt obſtaculum actioni, qua Deus charitatem in anima conſeruat: eſt autem peccatum, vt infrà ſubiungit, *prædicta infuſioni obſtaculum, ex eo quòd homo eligendo præfert peccatum diuinæ amicitiæ, quæ requirit, vt Dei voluntatem ſequamur.* Quod obſtaculum, vt patet, non opponitur phyſicè & formaliter actioni diuinæ, qua charitas in anima conſeruatur, ſed tum demeritoriè, tum ſubtractione motiui formalis, quo ſublato, connaturaliter non debetur ampliùs eſſe charitati. S. Thomas.

73. Nec obſtat primò, quòd idem S. Doctor dicat, peccatum efficienter expellere charitatem: nam vel hoc intelligitur de efficientia morali, meretur enim peccatum priuationem charitatis. Vel de efficientia diſpoſitiua, quia nimirum peccatum cauſat in anima diſpoſitionem repugnantem charitati, tollendo obiectum formale ipſius: quę diſpoſitio, vt patet, non opponitur contradictoriè, ſed ſolùm connaturaliter charitati, eo quòd connaturaliter non debeatur ampliùs eſſe habitui, cuius per peccatum formale obiectum ſublatum eſt. Nec obſtat ſecundò, quod pręcitato articulo 12. in argumento *Sed contra*, concludat tanquam impoſſibile, quòd aliquis habeat cum peccato mortali charitatem: nam id explicari poteſt vel de charitate ratione gratiæ, quam inſeparabiliter includit: vel certè ex ſuppoſitione legis ac decreti diuini. S. Thomas.

DISPVTATIO XXVI.

De actu Charitatis.

IN hac etiam diſputatione multa ſunt à nobis ſupponenda alibi diſputata. Primum, quòd omnis actus charitatis ſit ſupernaturalis quoad ſubſtãtiam: hoc autem conſtat tum ex motiuo formali, quo in obiectum tendit, quæ eſt bonitas ipſa increata Dei, quatenus eſt author bonorum ſupernaturalium: tum quia alioqui non eſſet neceſſarius habitus infuſus, cùm hic non infundatur, niſi propter ſubſtantiam ipſam actus, vt ſuppono ex diſputatis ſuprà de habitu Fidei: tum quia cùm ſit proxima diſpoſitio ad gratiam, tanquam ad formam ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, debet eſſe eiuſdem ordinis ſupernaturalitatis cum illa. Secundum, quòd actus charitatis non producat neque augeat phyſicè ſuum habitum, ſed tantùm meritoriè. Tertium, quòd per actus charitatis non ſolùm meritoriè augeatur habitus ipſe charitatis, ſed etiam gratia ſanctificans, & cum ea proportionaliter reliqui habitus infuſi. Quartum, quòd primus actus charitatis in peccatore non procedat effectiuè ab habitu, ſed ab auxilio diuino ſupplente vicem habitus. His ſuppoſitis tanquam communibus cum reliquis actibus virtutum infuſarum, diſcutienda hic erunt quæ ſunt propria actus charitatis.

SECTIO I.

Quos actus Charitas habeat, & quo pacto inter ſe diſtinguantur?

1. CVm charitas ſit virtus erga Deum & proximum, duplex actuum genus in ea diſtinguendum eſt; Alterum, qui verſantur circa Deum; Alterum, qui verſantur circa proximum. Rurſus, cùm omnis virtus eadem propenſione inclinet ad ſuum obiectum proſequendum, & ad malum ſuo obiecto contrarium fugiendum, duplex quoque actuum ſeries in charitate conſideranda eſt; Altera eorum, qui in obiectum tendunt per modum proſecutionis; Altera per modum fugæ & deteſtationis. Actus proſecutionis, prout ad Deum & proximum ſe extendunt, ſunt Beneuolentia, Amor, Gaudium, Deſiderium: S. Thomas his addit S. Thomas ſecunda ſecundæ q. 29. art. 3. Pacem. Præter hos, aſſignat etiam idem S. Doctor quæſt. 31. erga proximum, Beneficentiam. Actus verò charitatis per modum fugæ ſunt, Simplex Diſplicentia de malo Dei, vel Proximi, & Efficax Triſtitia ſeu Deteſtatio de eodem. Pręter hos actus communes erga Deum & proximum aſſignatur alius erga proximum tantùm, nempe Correptio fraterna, de qua S. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 33. S. Thomas Maior difficultas eſt, an, & quâ ratione hi actus inter ſe diſtinguantur. Verùm quoniam omne diſtinctiuum ſupponit conſtitutiuum, vt ſciamus, quâ ratione huiuſmodi actus inter ſe diſtinguantur, priùs videndum erit, quid ſit vniuſcuiuſque formale conſtitutiuum.

2. Dico 1. Beneuolentia eſt actus, quo alteri bonum volumus: ita S. Thomas ſecunda ſecundæ quęſt. 27. art. 2. S. Thomas Differt autem, authore Ariſtotele 9. Ethic. cap. 5. Ariſtoteles ab amore & amicitia: quòd beneuolentia eſt ſimplex motus derepente cauſatus, propter aliquod bonum in alio apparens. Vnde & erga ignotos, & latens, ac minimè operatiuus, circa quem verſatur, eſſe poteſt, vt ibidem Philoſophus docet. Amor verò eſt motus efficax & operatiuus erga amatum: qui ſi mutuus ſit & conſuetudine firmatus, amanteſq́ non latens, atque in aliqua ſimilitudine fundatus, tranſit in amicitiam: cuius principium, inquit ibidem Ariſtoteles, eſt beneuolentia: non ſecus atque amoris principium eſt ea voluptas, quæ ex aſpectu percipitur, vt ibidem Ariſtoteles teſtatur. Ariſtoteles Aliam differentiam addit S. Thomas S. Thomas inter beneuolentiam & amorem: quòd amor importat quandam vnionem ſecundùm affectum amantis ad amatum, tanquam ad alterum ſe: beneuolentia verò eſt ſimplex actus, quo alteri bonum volumus, etiam nulla cum illo & nobis affectiua vnione pręſuppoſita. Ex quo fit, vt omnis amor ſit beneuolentia, nam omnis amor vult bonum alteri: non autem omnis beneuolentia eſt amor, cùm non omnis beneuolentia ſit efficax & operatiua erga eum, cui bonum volumus.

3. Dices. Charitas fertur in Deum ſuper omnia diligibilem: ergo beneuolentia, quæ non fertur in Deum ſuper omnia diligibilem, non eſt actus charitatis: cùm nullus actus virtutis ferri poſſit extra ſuum motiuum formale. Reſpondeo negando Conſequentiam: quia poſſunt circa idem obiectum formale plures actus imperfecti exerceri, vt conſtat de ſimplici voluntate, & intentione finis: nam prior eſt ſimplex dumtaxat cõplacentia

centia finis terminata ad bonitatem finis ſecundùm ſe: poſterior includit voluntatem mediorum, & terminatur ad finem vt aſſequibilem.

4. Dico 2. Gaudium charitatis, eſt motus voluntatis amorem conſequens, quo de præſenti, vel inexiſtenti bono propter ipſum amatum nobis cõplacemus. Deſcriptio quoad *S. Thomas.* omnes ſuas partes deſumitur ex S. Thoma ſecunda ſecundę qu. 28. de gaudio. Eſt enim gaudium actus charitatis: ergo eſt motus voluntatis, in qua charitas ineſt, eamq́ue promouet ad actus circa ſuum obiectum eliciendos. Cùm autem ſit quædam fruitio de bono amati, ſupponit amorem rei amatæ: vnde à S. *S. Thomas.* Thoma citata q. art. 1. dicitur procedere & cauſari ab amore: non quòd ab illo effectiuè procedat, cùm nullus actus vitalis effectiuè procedat ab alio actu vitali, ſed quòd illum ordine quodam præſupponat. Vt autem gaudium diſcriminetur à deſiderio, quod fertur in bonum abſens amati, dicitur *de bono præſenti*. Quod bonum duplex eſt, extrinſecum, & intrinſecum atque inexiſtens ipſi amato, cuiuſmodi eſt bonitas increata in Deo. Dicitur, *propter ipſum amatum:* ad differentiam gaudij Spei, quo de bono præſenti gaudemus, vt bonum noſtrum eſt. Ex his conſtat, *S. Thomas.* quod etiam notauit S. Thomas citata q. art. 1. Gaudium, quemadmodum & deſiderium, ad beneuolentiam pertinere, cùm per vtrumque actum, bonum velimus amato. Ex dictis etiam intelligitur, qua ratione pax ſit actus charitatis. Eſt enim actus charitatis, quate- *S. Thomas.* nus, vt S. Thomas citata q. 29. de pace art. 3. docet, cauſat vnionem appetitus proprij cum appetitu alterius: cùm proprium amoris, præſertim amicitiæ, ſit vnire voluntates amantium inter ſe, eaſq́ue concordes efficere, vt idem ſit velle & nolle, qua ratione *Ariſtoteles.* Ariſtoteles lib. 9. Ethic. cap. 4. dixit: *Amicus eſt alter ipſe.*

5. Dico 3. Beneficentia, quæ tantùm verſatur circa proximum, vt illam deſcribit *S. Thomas.* S. Doctor 2. 2. q. 31. art. 1. eſt actus, quo alteri bene facimus ex dilectione ortum ducens. Cùm enim dilectio beneuolentiam includat, vt ſuprà probatum eſt; beneuolentia autem ſit, bonum velle alteri, cumq́ue voluntas ſit effectiua eorum, quæ efficaciter vult, Conſequens, eſt, vt qui efficaciter vult bonum alteri, vti vult ille, qui amat, ſtatim illud efficiat, ſi efficiendi adſit facultas. Cæterùm no- *S. Thomas.* tat S. Thomas citata quæſt. de beneficentia art. 1. hunc actum non ſolùm elici poſſe à charitate, ſed etiam ab alijs virtutibus, ſi ex eorum motiuo eliciatur. Nam actus in illius ſpecie virtutis conſtituitur, ex cuius motiuo elicitur.

6. Explicatis actibus proſecutionis charitatis, qui verſantur circa bonum amati, explicandi ſunt actus fugæ, qui verſantur circa malum, vel vt deteſtandum, vel vt amouendum ab amato.

7. Dico 4. Simplex diſplicentia, prout eſt actus charitatis, eſt inefficax motus voluntatis, quo malum alterius, vt malum alterius eſt, nobis diſplicet: reſponderq́ue beneuolentiæ, qua bonum alterius, vt bonum alterius eſt, nobis ſimpliciter placet. Cæterùm hic actus non ſolùm verſari poteſt circa malum præſens, ſed etiam circa præteritum & futurum: quemadmodum & ipſe actus beneuolentiæ verſari poteſt circa bonum non tantùm præſens, ſed etiam præteritum & futurum.

8. Dico 5. Efficax triſtitia ſeu deteſtatio mali à charitate elicita, eſt actus voluntatis, quo malum alterius, vt malum alterius ita diſplicet, vt ad illud tollendum efficacia media adhibeantur. Talis eſt contritio, quæ ita peccatum, quà malum & offenſa Dei eſt, deteſtatur, vt ad illud tollendum contritus omnia media adhibeat. Vnde ſi aliquod medium contritus omittat, quod neceſſarium cenſetur, vel ad tollendum, vel ad pręcauendum peccatum, hoc ipſo contritio non eſt, quæ eſſentialiter fertur in deteſtationem peccati propter Deum ſummè dilectum. Quare hoc ipſo, quòd non adhibetur medium ad peccatum deſtruendum neceſſarium, non fertur in deſtructionem peccati propter Deum ſummè dilectum, quia non præfertur dilectio Dei medio deſtructiuo peccati, quatenus hoc malum & offenſa Dei eſt.

9. Dico 6. Correctio fraterna, vt eſt actus charitatis erga proximum, eſt, vt eam definit S. Thomas pręcitata q. 33. ar. 1. ſecreta *S. Thomas.* admonitio facta proximo de peccato ipſius, vt ei nociuum eſt. Dicitur, *vt ei nociuum eſt:* nam ſi talis admonitio adhibeatur ad tollendum peccatum, vt nociuum eſt alijs, publicoq́ue bono, erit actus iuſtitiæ, non charitatis: cùm eiuſdem virtutis ſit, vt S. Thomas ibidem *S. Thomas.* docet, procurare bonũ, & remouere malum. Atqui iuſtitiæ, non charitatis eſt, procurare bonum commune: igitur eiuſdem iuſtitiæ erit, remouere malum communi bono nociuum. Contrà verò, ſicut charitatis eſt, procurare bonum fratri, vt bonum fratris eſt: ita eiuſdem charitatis erit, remouere malum fratri, vt malum fratris eſt.

10. Declaratis cõſtitutiuis omnium actuũ charitatis, prædeclaranda ſunt eorum diſtinctiua, in quibus grauior inter Doctores controuerſia eſt. Quippe negant aliqui, eos inter ſe diſtingui eſſentialiter, ſed tantùm accidentaliter. Mouentur 1. authoritate S. Thomæ *S. Thomas.* ſecunda ſecundæ quæſt. 25. art. 1. vbi ita ratiocinatur: *Habitus non diuerſificantur, niſi ex hoc, quod variant ſpeciem actus.* Cùm igitur habitus charitatis ſit vnus ſpecie, vt ipſemet S. Doctor fatetur, non poterit diuerſos ſpecie actus habere: alioqui diuerſificaretur ſpecie à diuerſis ſpecie actibus. Et infrà: *Cùm ſpecies*, inquit, *actus ex obiecto ſumatur ſecundùm formalem rationem ipſius, neceſſe eſt, quòd idem ſpecie ſit actus qui fertur in rationem obiecti, & qui fertur in obiectum ſub tali ratione: ſicut eadem eſt ſpecie viſio, qua videtur lumen, & qua videtur color ſecundùm luminis rationem.*

Digitized by Google

Ratio autem diligendi proximum, Deus eſt. Vnde manifeſtum eſt, concludit, quòd idem ſpecie actus eſt, quo diligitur Deus, & quo diligitur proximus. Secundò, authoritate Philoſophi 9. Eth. c. 5. vbi ſpecialiter de beneuolentia docet, quòd, *cùm inueterata fuerit, & in conſuetudinem deuenerit, in amicitiam euadit.* Ergo in ſententia Philoſophi beneuolentia non diſcriminatur ab amicitia: eademque ratio eſt de reliquis actibus. Tertiò ratione: nam omnes actus, quos charitas elicit, habent idem motiuum increatæ bonitatis, propter quam principaliter eliciuntur: ergo ſunt eiuſdem ſpeciei omnes: cùm actus non diuerſificentur ſpecie, niſi ex diuerſo ſpecie motiuo.

Ariſtoteles.

11. Affirmant alij, eos ſpecie inter ſe diſtingui. *Quibus magis aſſentior.* Moueor principaliter hoc fundamento. Ad diſtinguendos diuerſos ſpecie actus, ſat eſt diuerſa applicatio obiecti formalis, diuerſuſque modus tendendi in illud. Ad hoc igitur, vt actus charitatis ſpecie diſtinguantur, neceſſe non eſt, vt habeant diuerſum motiuum formale, ſed ſat erit, ſi eliciantur ex diuerſa applicatione eiuſdem motiui formalis, diuerſoque modo tendant in illud. Atqui omnes actus ſuprà enumerati charitatis eliciuntur ex diuerſa applicatione eiuſdem motiui formalis, diuerſoque modo tendunt in illud: ergo habent ſufficiens diſtinctiuum ſui ſpecificatiuum. Antecedens probatur: nam certùm eſt, diuerſam applicationem obiecti formalis, diuerſumque modum tendendi in illud cauſare aliquam differentiam in actibus ipſi maiorem, quàm indiuidualem, cùm hæc reperiatur in actibus tendentibus in idem obiectum formale eodem modo applicatum.

12. Quòd autem hæc differentia ex diuerſa applicatione obiecti formalis, modoque tendendi diuerſo ſufficiens ſit ad dandam nouam ſpeciem actibus, probatur. Nam illa differentia ſufficit ad conferendam nouam ſpeciem, quæ notabiliter diſcriminat vnum actum ab alio. Etenim nulla alia ratione equum ſpecie diſtinguimus à boue, non autem vnum equum ab alio, niſi quia inter equum & bouem notabilis intercedit differentia nobis per ſenſibilia accidentia & operationes nota, non autem inter vnum equum & alium. Atqui inter huiuſmodi actus charitatis notabilis intercedit differentia per diuerſas proprietates & effectus nobis nota: igitur hæc differentia ſufficit ad eos ſpecie diſcriminandos. Minor probatur, aſſignando ſingulorum differentiam. Nam primò, nullus actus charitatis, præter efficacem dilectionem Dei & contritionem de peccatis, eſt proxima diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem. Secundò, amoris actus, qui circa obiectum verſatur vel per modum ſimplicis complacentiæ, vel per modum ſimplicis diſplicentiæ, ſiſtit in ſola bonitate, vel malitia obiecti: qui autem circa obiectum verſatur, aut per modum efficacis proſecutionis, aut per modum efficacis fugæ ac deteſtationis, non ſiſtit in ſola bonitate, vel malitia obiecti ſecundùm ſe, ſed vlteriùs tendit in illud, vel vt aſſequibile, vt in bonum; vel vt amolibile, vt in malum; & conſequenter præter habitudinem, quam actus dicit ad obiectū ſecundùm ſe, includit etiam reſpectū ad media, quibus illud eſt aſſequibile, vel amolibile ſeu deſtruibile, Tertiò, actus, qui verſantur circa Deum, pro ſolo & immediato obiecto habent ipſam bonitatem increatam Dei: qui autem verſantur circa proximum, pro immediato & minùs principali obiecto habent bonitatem creatam proximi, pro mediato verò & magis principali bonitatem increatam Dei. Quartò, actus, qui tendunt in bonum Dei, vel proximi præſens, tendunt per modum complacentiæ & vitalis quietis: qui autem tendunt in bonum abſens, tendunt cum aliqua anxietate & timore. Hæc autem ſufficienter indicant, inter hos actus aliquam intercedere differentiam maiorem, quàm indiuidualem.

13. Confirmatur 1. Aſſenſus principiorum, & concluſionis ſunt diuerſæ ſpeciei, ob diuerſam dumtaxat eiuſdem motiui formalis applicationem: nam principijs applicatur immediatè, vnde dicimur illis aſſentiri ex ipſis terminis notis: concluſioni verò applicatur mediatè & per diſcurſum.

14. Confirmatur 2. Habitus infuſi ſunt inſtar potentiæ, cùm dent poſſe ſimpliciter: poteſt autem vna ſpecie potentia, ſpecificata ab vno obiecto formali, habere ſub eodem obiecto formali diuerſimodè applicato plures ſpecie actus: ergo etiam habitus infuſus ſub eodem motiuo formali, diuerſimodè applicato, habere plures ſpecie actus.

15. *Obijcies* 1. Omnes actus charitatis informantur eodem motiuo formali principali, quod eſt bonitas increata: ergo omnes actus charitatis ſunt eiuſdem ſpeciei. Antecedens patet, alioqui non eſſet vnus habitus. Conſequentia probatur: quoniam vnitas ſpecifica rei deſumitur ex vnitate formæ principalis, quæ ſola dat ſpeciem rei.

16. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: informantur eodem motiuo formali principali eodem modo applicato, nego; diuerſo modo applicato, concedo. Nam ex diuerſa applicatione motiui formalis oritur, vt aliter atque aliter ad illud tendat actus; & per conſequens diuerſus ſit actus tendens ad motiuum formale vno modo, atque actus tendens ad idem motiuum formale alio modo applicatum. Cùm enim eſſentia actus conſiſtat in vitali tendentia in obiectum, hoc ipſo, quòd ex diuerſa applicatione obiecti variatur tendentia in actu, variatur eſſentia actus.

16. Confirmatur: quia poſſunt duo actus, ſicut & duæ potentiæ, habere vnitatem in motiuo principali vltimato, & ſpecificam diuerſitatem in ipſo motiuo immediato minùs principali: ergo poſſunt duo actus charitatis habere vnitatem in motiuo principali vltimato, & ſpecificam diuerſitatem in motiuo immediato minùs principali. Antecedens conſtat primò in duobus actibus elicitis ex motiuo

uo vltimato pœnitentię, quorum tamen alter eliciatur etiam ex motiuo immediato minùs principali temperantiæ, alter verò ex motiuo immediato minùs principali iuſtitiæ. Velut ſi quis intendat non tantùm materialem actum temperantiæ, ſed ipſam etiam formalem honeſtatem temperantię propter pœnitentiam: item ſi non ſolùm intendat materialem actum iuſtitiæ, ſed ipſam etiam honeſtatem formalem iuſtitię propter eandem virtutem pœnitentiæ; tales actus conuenient in motiuo formali principali pœnitentiæ, & different in proximis motiuis immediatis minùs principalibus temperantię & iuſtitiæ. Neque ex eo quòd tales actus eliciuntur ex motiuo pœnitentiæ, tanquam ex motiuo vltimato, amittunt honeſtatem temperantię & iuſtitiæ, ex quarum motiuis proximè & immediatè eliciuntur. Nec repugnat, vt ſuppono, ad eundem actum duplicem concurrere virtutem, ac proinde duplicem honeſtatem contrahere ex duplici principio, & motiuo, ex quo elicitur.

18. Conſtat 2. In duabus potentijs intellectricibus duorum Angelorum ſpecie diſtinctorum: Etenim iuxta probabiliorem ſententiam, tales potentiæ ſpecie differunt inter ſe, cùm ſint proprietates naturarum ſpecie diſtinctarum: proprietas autem vnius naturæ ſpecie differt à proprietate alterius naturę ſpecie diuerſę. Et tamen eędem potentię conueniunt in motiuo formali vltimato: nam hoc eſt ens naturale vt intelligibile, quod vtraque potentia per ſe reſpicit tanquam ſuum vltimatum ſpecificatiuum. Poſſunt igitur duo actus ratione diuerſarum honeſtatum, ex diuerſis motiuis proximis deſumptarum; nec non duę potentiæ ratione diuerſorum reſpectuum tranſcendentalium ad diuerſas naturas ſpecie differre inter ſe, etiamſi in motiuo principali vltimato conueniant. Ex his patet ad probationem conſequentiæ: nam etſi vnitas rei abſolutæ deſumatur ex vnitate formæ principalis: poteſt tamen vnitas rei reſpectiuæ deſumi per diuerſum reſpectum ad obiecta & motiua diuerſa.

19. *Obijcies* 2. Omnes actus fidei ſunt eiuſdem ſpeciei: ergo & omnes actus charitatis. Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſcriminis: quoniam motiuum formale fidei, quod eſt prima veritas vt reuelans, eodem modo ſemper applicatur omnibus obiectis materialibus. Nam applicatur illis vt forma totalis & adæquata credendi obiecta ipſa materialia. Motiuum verò formale charitatis diuerſo modo applicatur obiecto materiali. Non enim hoc ſemper applicatur vt forma totalis & adæquata diligendi, ſed interdum vt forma tantùm partialis, licet principalior: vt patet in actu charitatis erga proximum, in quo bonitas increata non ſemper applicatur ad proximum diligendum, vt forma totalis diligendi, cùm non ſolùm actu charitatis diligatur proximus propter bonitatem increatam Dei, ſed etiam propter bonitatem creatam ipſius proximi.

20. *Obijcies* 3. Amor charitatis, quo diligimus inimicum, non differt ſpecie ab amore charitatis, quo diligimus amicum: ergo nec reliqui actus charitatis ſpecie differunt inter ſe, cùm maior ſit differentia inter hos duos actus, quàm inter reliquos, ob ſpecialem difficultatem, quam amor inimici in ſe continet. Verùm ad hoc argumentum, primò negari poſſet antecedens cum aliquibus: nam difficultas, quæ eſt in diligendo inimico, diuerſo modo applicat motiuum formale obiecto materiali charitatis, qui applicat illud, tanquam magis appretiatiuè diligibile, vt infrà oſtendam. Secundò probabiliùs neganda eſt conſequentia. Etenim ſola difficultas, quæ eſt in diligendo inimico, non eſt ſufficiens ad variandum ſpecie actum charitatis erga proximum: cùm ad talem difficultatem ſuperandam non ſit neceſſarius diuerſus ſpecie actus charitatis, ſed maior dumtaxat conatus potentiæ diligentis, vel fortior dilectio Dei. Sicut ad ſuperandam indiſpoſitionem ſubiecti, vt in illud agens agat, non requiritur diuerſa ſpecie actio, ſed ſufficit eadem fortior atque intenſior. Eodem quippe modo charitas tendit ad diligendum inimicum, vt participem eiuſdem ſupernaturalis beatitudinis, propter Deum ſupremum amicum, atque ad ipſum amicum. Cæterùm difficultas, quæ eſt in diligendo inimico, ſolùm retardare poteſt actum, ne vel tam citò exhibeatur, vel non tam intenſè, & cum eadem inclinatione, qua exhibetur amico.

21. Dices. Pari modo, neque gaudium ſpecie diſcriminabitur à deſiderio: cùm deſiderium ſolùm addat ex parte boni amati abſentiam, & ex parte deſiderantis anxietatem. Reſpondeo negando ſequelam. Etenim diuerſo modo applicatur amanti bonum abſens, ac præſens: nam abſens applicatur vt aſſequibile, & conſequenter cum ordine ad media, quibus fit aſſequibile: præſens verò applicatur vt aſſecutum, proinde ſine ordine ad media, ſed per ordinem tantùm ad ipſam bonitatem aſſecutam obiecti. Quò fit, vt fortè deſiderium, quòd tantum in bonum fertur per modum ſimplicis complacentiæ, non diſtinguatur ſpecie à gaudio, quod in præſens bonum fertur per modum etiam ſimplicis complacentiæ. Dixi *fortè*: quia poſſent aliquæ etiam rationes excogitari, quibus tales actus ſpecie inter ſe differant: quas ſtudioſo Lectori excogitandas relinquo. At difficultas, quæ eſt in diligendo inimico, non applicat diuerſo modo motiuum charitatis, ſed eſt quædam circumſtantia retardans tantum actum charitatis.

22. Ad argumenta oppoſitæ ſententiæ. Authoritatem S. Doctoris aliqui explicant de eodem actu charitatis, quo proximus & Deus ſimul diligitur. Verùm explicatio hæc nonnullis videtur extorta, & contra mentem Authoris. Quare ingenuè fateor, Doctorem Sanctum in contrariam inclinare ſententiam. Authoritas verò Philoſophi intelligenda eſt quoad ſtabilitatem dumtaxat actus, S. *Thomas*.

quam amor amicitiæ ſupponit, non autem quoad reliqua, quæ ad amicitiam requiruntur: alioqui idemmet Ariſtoteles in eodem cap. dixerat, beneuolentiam ab amore & amicitia non ſolùm diſcriminari, quia beneuolentia eſt amor derepentè exortus, amicitia verò longa conſuetudine firmatus; ſed etiam quia beneuolentia eſt ſimplex tantùm complacentia de bono in obiecto apprehenſo, amicitia verò eſt efficax & operatiuus amor circa bonum amati. Quæ explicatio conformis eſt S. Thomæ, qui ſecunda ſecundæ q. 27. art. 2. ad primum explicans Ariſtotelem, qui 2. Rhetoricorum cap. 4. definit amare, per velle alicui bonum; Reſpondet, Ariſtotelem ibi non definire amorem ſecundùm totam ſuam rationem. Ad rationem patet ex dictis.

S. Thomas. Ariſtoteles.

SECTIO II.

An omnis actus charitatis ſit eſſentialiter honeſtus?

23. Extra controuerſiam eſt, omnem actum charitatis eſſe connaturaliter ſaltem honeſtum, cùm omnis actus charitatis ſit actus virtutis tendens in obiectum honeſtum, regulatus à prudentia infuſa; ac proinde connaturaliter ſaltem honeſtus. In controuerſiam autem reuocatur, an ita ſit honeſtus, vt nulla extrinſeca circumſtantia vitiari poſſit: atque adeo non ſolùm connaturaliter, ſed etiam eſſentialiter ſit honeſtus. Quæ controuerſia bifariam tractari poteſt: Primò, an actus charitatis vitiari poſſit malitia concomitante & extrinſeca: Secundò, an vitiari poſſit malitia formali & intrinſeca.

24. Quoad priorem ſenſum, ſi de malitia tantùm venialis labis intelligatur, res eſt certa, aliquem ſaltem charitatis actum poſſe malitia venialis peccati concomitanter vitiari: cùm aliquis charitatis actus ſecum in eodem ſuppoſito aliquod veniale peccatum admittere poſſit: cùm non omnis charitatis actus cum quouis veniali peccato pugnet, ſed tantùm is, qui in Deum tendit perfectiſſimo modo vt diligibilem ſupra omne etiam veniale peccatum. Cæterùm non quiuis charitatis actus neceſſariò tendit in Deum vt diligibilem ſupra omne veniale; quippe charitati ſufficit, ſi in Deum tendat vt diligibilem ſupra omne peccatum mortale, quod tantùm pugnat cum amore efficaci vltimi finis.

25. Si verò intelligatur de malitia peccati mortalis actualis, eſt etiam ferè certum, quidquid nonnulli recentiores autument, non poſſe actum charitatis efficacem & obedientialem vitiari malitia peccati mortalis actualis concomitanter: cùm nequeat actualis & efficax conuerſio in Deum vt amicum & finem vltimum ſimul conſiſtere cum actuali auerſione ab eodem amico & fine vltimo, cuiuſmodi eſt omne peccatum mortale actuale. An autem vitiari poſſit malitia peccati mortalis habitualis, pendet ex illa quæſtione, an actus charitatis obedientialis & efficax erga Deum ſit forma ſuapte natura ſanctificans & emundans à peccato. Qui enim hoc affirmant, illud conſequenter negant; cùm non poſſit forma eſſe in ſubiecto capaci, & ei ſuum effectum formalem non conferre. Qui verò primum negant, conſequenter ſecundum affirmant. Et quia nos primum, vtpote diuinis Oraculis, Concilijs, Scholaſticis, & rationi minùs conforme præcedente Tomo diſp. 33. ſect. 3. negauimus, conſequenter hic ſecundum affirmamus.

26. Quoad poſteriorem verò ſenſum vti propoſita controuerſia eſt magis intenta, ita explicatiùs à nobis diſcutienda eſt. Et primò à fortiori ſupponendum eſt, actum charitatis efficacem & obedientialem erga Deum infici non poſſe intrinſeca macula peccati lethalis: ſed controuerſia tantùm eſt, an infici poſſit intrinſeca macula peccati venialis. Dupliciter autem vitiari poteſt actus charitatis, & cuiuſlibet alterius virtutis, malitia peccati; vno modo intrinſecè, vt vnus idemque actus virtutis ſimul habeat & honeſtatem ex proprio obiecto, & malitiam ex adiuncta aliqua circumſtantia: alio modo, extrinſeca tantùm denominatione ab actu diſtincto imperante, cum quo actus imperatus virtutis moraliter facit vnum in eſſe actus humani. His adnotatis,

27. Prima ſententia affirmat, in vtroque ſenſu poſſe actum charitatis, & cuiuſlibet alterius virtutis malitia peccati venialis vitiari: Eſt Caietani prima ſecundæ quæſt. 18. art. 9. *Caietan.* *§. Ad ſecundum dicitur*, & ſecunda ſecundæ quæſt. 33. art. 2. ad tertium, & Tomo 1. opuſc. tract. 31. in reſponſione 14. vbi docet, poſſe eundem numero actum habere ſubſtantialem bonitatem ex obiecto, & ſimul malitiam ex circumſtantia finis: tametſi neget, eundem numero actum ſimul eſſe meritorium & demeritorium, eò quòd nullus peccando vitam æternam mereri poſſit: eſt etiam Soti 1. de natura & gratia cap. 22. in 2. Coroll. *Sotus.* Fundamentum, quoniam extrinſeca circumſtantia finis non tollit intrinſecam honeſtatem obiecti: igitur poterit idem numero actus ex obiecto accipere ſubſtantialem honeſtatem, & ex extrinſeca circumſtantia malitiam peccati venialis.

28. Confirmatur 1. Poſſet quis ex nimio conatu dilectionis Dei ſibi quoad ſanitatem corporis nocere, vel aliquod opus miſericordiæ omittere, ad quod exercendum ſub veniali tenebatur. Ergo poterit idem actus charitatis habere honeſtatem ex obiecto, & venialem malitiam ex adiuncta circumſtantia. Confirmatur 2. Poſſet Deus de potentia abſoluta actum charitatis ſaltem ad tempus ſub veniali prohibere: ergo actus charitatis tali tempore exercitus eſſet ſimul bonus ex obiecto, & malus ex extrinſeca circumſtantia prohibitionis.

29. Secvnda ſententia in vtroque ſenſu negat,

Digitized by Google

negat, poſſe actum charitatis, aut cuiuſcunque virtutis vitiari macula peccati venialis: *Vaſquez.* eſt Vaſquez prima ſecundæ diſp. 51. cap. 5. *Turrianus* & diſp. 53. cap. 4. & diſp. 86. cap. 8. Turriani ſecunda ſecundę diſp. 78. dub. 1. & aliorum recentiorum, quos ſuppreſſo nomine ibidem citat Turrianus. Probant 1. nam vel per talem actum homo mereretur, vel non mereretur. Si mereretur, abſurdum eſt, hominem per eundem actum ſimul mereri & demereri apud Deum. Si non mereretur: contrà eſt, quia magis abſurdum videtur, quòd per actum charitatis erga Deum homo non mereatur: cùm hic inter omnes actus virtutum ſit Deo gratiſſimus. Secundò: cùm actus charitatis ſit proxima diſpoſitio ad iuſtificationem, vel per talem actum homo conſequeretur iuſtificationem, vel non conſequeretur: vtrumvis dicatur, eſt abſurdum: ergo. Tertiò: cùm actus charitatis ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, eget ſupernaturali auxilio per Chriſtum: abſurdum autem eſt, paratum nobis eſſe auxilium propter merita Chriſti ad peccandum, cùm Chriſtus non ſit mortuus, vt nobis daretur gratia ad malè, ſed ad benè operandum.

30. DICO 1. Repugnat actum charitatis, & cuiuſcunque alterius virtutis intrinſecè vitiari ex circumſtantia peccati venialis tanquam finis. Eſt communis ſententia Scholaſticorum, quos citatos habes præcedente Tomo diſp. 14. ſect. 11. aſſertione 3. Fundamentum ibidem aſſignauimus: quoniam repugnat, vt quis intendat honeſtatem obiecti, & ſimul illam dirigat in malum finem: cùm hæ duæ voluntates ſeſe mutuò deſtruant, & vna inferat negationem alterius. Nam qui intendit honeſtatem, illam intendit prout conformis eſt naturę rationali; qui verò eandem honeſtatem intendit propter malum finem, illam intendere non poteſt, vt conformis eſt naturæ rationali, ſed potiùs vt difformis eſt naturæ rationali, cùm ordinatio in malum finem ſit ipſiſſima difformitas cum natura rationali. Igitur qui actum honeſtum intendit propter malum finem, ſimul illum intendit vt conformem naturæ rationali, & difformem eidem naturæ rationali, quæ eſt aperta contradictio.

31. DICES. Vt actus virtutis inficiatur malitia peccati, neceſſe non eſt, vt malitia ipſa intendatur, ſed ſat eſt ſi tantùm præuideatur, & non impediatur. Quemadmodum vt actus charitatis vitietur malitia immoderati conatus, nocumentum ſanitatis cauſantis, neceſſe non eſt, vt nocumentum ipſum intendatur, ſed ſufficit vt tantùm præuideatur, & non impediatur. Atqui non repugnat intentio honeſtatis, & ſimul præuiſio ac permiſſio malitiæ.

32. Reſpondeo 1. Saltem nequit actus virtutis vitiari ex circumſtantia peccati venialis tanquam finis, de qua tantùm aſſertio loquitur, cùm finis debeat intendi. Reſpondeo 2. Ex aſſignato fundamento ſequi, quòd neque vitiari poſſit ex pura circumſtantia mala tantùm præuiſa & permiſſa. Nam hoc ipſo, quòd exercitium virtutis præuidetur vt cauſatiuum alicuius damni, quod euitare tenemur, intendi non poteſt vt honeſtum & conforme regulæ prudentiæ, ac proinde nequit intendi vt actus virtutis, cui eſſentiale eſt, tendere in ipſam honeſtatem obiecti, propter ipſam honeſtatem obiecti, vt cum Ariſtotele, cæteriſque Philoſophis ac Theologis ſuppono ex præcedente Tomo. *Ariſtoteles.* Quod autem in tali caſu nequeat intendi honeſtas propter ipſam honeſtatem, probatur: quoniam honeſtas virtutis, cùm ſit practica & in ordine ad mores dirigendos, intendi debet per ordinem ad omnes circumſtantias, cum quibus hic & nunc eſt coniuncta. Vnde hoc ipſo quòd hic & nunc coniungitur cum aliqua circumſtantia mala, deſinit exercitium ipſius eſſe honeſtum, cùm nequeat virtutis exercitium eſſe cauſa peccati, cùm hoc repugnet virtuti, quæ non poteſt niſi ad bonum inclinare.

33. Probatur 2. Aſſertio ſpecialiter de actu charitatis. Nam hic tendit in Deum & proximum, propter ipſum Deum, & proximum: qui autem exercitium charitatis vlterius dirigeret in aliquem prauum finem, non ſiſteret in ipſo Deo, vel proximo: conſequenter non exerceret actum charitatis erga Deum, vel proximum. Maior conſtat, quia cùm charitas ſit principium perfectæ amicitiæ, amicitiæ autem ſit ferri in amicum propter bonum amici, de ratione charitatis erit, tendere in Deum propter ipſum Deum; & in proximum propter ipſum proximum. Minor patet: nam qui actum charitatis in alium finem dirigit, quàm in Deum, vel proximum, non elicit illum propter Deum vel propter proximum, ſed propter illum finem, ad quem talem actum dirigit. Confirmatur. Qui actum charitatis dirigeret in bonum proprium, tanquam in vlteriorem finem, non eliceret actum charitatis erga Deum, vel proximum, ſed potiùs actum Spei, vel charitatis erga ſeipſum: ergo à fortiori neque qui actum charitatis dirigit in finem vlteriorem prauum, elicit actum charitatis erga Deum, vel proximum.

34. DICES 1. Poteſt quis exercere actum temperantiæ, etiamſi illum vlteriùs dirigat in actum pœnitentiæ: ergo poterit quis exercere actum charitatis erga Deum, vel proximum, etiamſi illum vlteriùs dirigat in alium finem. Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſcriminis: quoniam virtus temperantiæ per ſe non poſtulat, vt ſiſtatur in ipſa honeſtate temperantiæ, tanquam in fine vltimato, ſed ſat eſt, ſi ipſa intendatur propter ſe, eſto vlteriùs ordinetur propter alium finem. Ratio eſt, quia ipſa non amatur amore amicitiæ, ſed concupiſcentiæ: charitas autem, cùm ſit amor amicitię, per ſe poſtulat, vt ſiſtat in bono perſonę, quę amatur: alioqui ex amore amicitiæ degeneraret in amorem concupiſcentiæ, ſi dirigeretur in bonum proprium, vel in amorem amicitiæ alterius perſonæ, in

cuius

Digitized by Google

cuius bonum vltimatè ordinaretur.

35. Dices 2. Poteſt proximus diligi amore charitatis, etiamſi amor ipſe proximi vltimatè dirigatur in Deum: ergo poterit amore charitatis diligi Deus, etiamſi amor ipſe Dei dirigatur in alium finem. Reſpondeo negando conſequentiam: nam ordinatio charitatis proximi in Deum tanquam in finem vltimum, & ſupremum amicum, non repugnat charitati: cui tamen repugnat ordinatio ipſius in alium finem præter Deum. Ratio, quoniam, cùm charitas creata ſit quædam participatio charitatis increatæ, quæ principaliter eſt propter ſeipſam, contra ipſius naturam erit, ordinare illam in alium finem, præter Deum: non eſt autem contra naturam ipſius ordinare amorem creaturæ in amorem creatoris, tanquam in finem vltimum, & amicum ſupremum: cùm etiam Deus omnem amorem, etiam amicitiæ, erga creaturam ordinet ad ſe tanquam ad finem vltimum, & obiectum principale.

36. Dico 2. Non repugnat actum charitatis, & cuiuſlibet alterius virtutis, actu diſtincto peccati venialis extrinſecè vitiari. Hanc aſſertionem ſequitur Coninck de actibus ſupernaturalibus diſp. 3. num. 142. eamque probabilem cenſet Suarez de actibus humanis tract. 3. diſp. 8. ſect. 1. n. 15. vbi vtramque contradictionis partem probabiliter defendit. Et à fortiori hæc aſſertio ſequitur ex ſententia Caietani ſuprà relata; nec non ex opinione eorum, qui docent, poſſe actum electionis bonum imperari ab intentione mala. Fundamentum aſſertionis eſt: quoniam non repugnat, eundem actum imperatum habere intrinſecam bonitatem ex proprio obiecto, & ſimul participare extrinſecam malitiam ex actu imperante. Igitur non repugnat, actum charitatis, vel alterius virtutis extrinſecè vitiari ab actu imperante venialiter tantùm malo. Antecedens probo: nam actus imperatus non accipit intrinſecam malitiam actus imperantis, cùm non referatur intrinſecè in obiectum ipſius: nec actus imperans tollit, vel inficit intrinſecam bonitatem actus imperati, cùm nec ipſe, nec obiectum malum ipſius ingrediatur obiectum actus imperati, qui tendit in ſuum dumtaxat obiectum honeſtum. Igitur poterit actus imperatus accipere intrinſecam honeſtatem à ſuo proprio obiecto honeſto, in quod tantùm ipſe tendit, etiamſi extrinſecè imperetur ab actu imperante malo. Quoniam hic, ſicut non tollit, vel mutat obiectum actus imperati; ita nec tollit, vel mutat intrinſecam bonitatem ipſius, quæ deſumitur ex proprio obiecto & motiuo.

37. Dices. Hoc ipſo, quòd actus imperans refert actum imperatum in extrinſecum finem malum, talis finis fit circumſtantia obiecti actus imperati, ac proinde ingreditur ipſius obiectum. Reſpondeo negando antecedens. Etenim vt ingrediatur obiectum, vel fiat circumſtantia obiecti, debet ipſe actus imperatus aliquo modo tendere in talem finem prauum: atqui actus imperatus nullo modo, iuxta ſecundam noſtram aſſertionem, tendit in finem actus imperantis, ſed ſiſtit in ſuo dumtaxat obiecto honeſto, & ſolùm ad finem malum extrinſecè refertur per actum imperantem. Vnde tota malitia talis obiecti intrinſecè tantùm eſt in actu imperante; in imperato autem nonniſi extrinſecè, quatenus moraliter componit ex intentione operantis vnum actum moralem cum actu imperante.

38. Confirmatur: nam omnes cum S. Thoma prima ſecundæ q. 19. art. 7. admittunt, poſſe actum imperatum honeſtum, per intentionem conſequentem, vel concomitantem extrinſecè ordinari in finem malum: ergo in eundem ordinari poterit per intentionem antecedentem. Conſequentia probatur, quia neutra intentio mutat obiectum actus imperati, ſed tam antecedens quàm conſequens comparatur ad actum imperatum vt cauſa extrinſeca impellens. Ergo ſicut intentio conſequens, vel concomitans ſupponit actum imperatum terminatum ad ſuum obiectum honeſtum tantùm, & non ad finem extrinſecum malum: ita intentio antecedens ſupponit actum imperatum terminandum ad ſuum obiectum honeſtum, nulloque pacto ad finem extrinſecum malum: cùm vi antecedentis intentionis actus imperatus non neceſſariò intrinſecè ordinetur in obiectum ipſius actus imperantis, ſed permittatur ferri in ſuum dumtaxat obiectum honeſtum, in eoque ſiſtere: ſolùmque antecedens intentio ſit extrinſeca cauſa applicans & inclinans voluntatem ad actum virtutis eliciendum: quæ ſemel applicata ipſa poſtea iuxta regulam prudentiæ & virtutis, cuius actum elicit, in obiectum virtutis tendit. Non ſecus ac eadem voluntas timore ſeruili temporalis damni antecedenter mota, fertur in obiectum Chriſtianæ pœnitentiæ, iuxta leges & regulas talis virtutis.

39. Dices. Eſto per neutram intentionem voluntas intrinſecè ordinetur per actum imperatum in finem actus imperantis: attamen per intentionem antecedentem malam imperatur medium bonum, quod nullam proportionem habet ad conſequendum finem malum. Implicat autem, vt quis adhibeat medium, nullam proportionem connexionemve habens cum fine, quem efficaciter intendit. Sed contrà: tum quia hoc ipſum inconueniens reperitur in intentione conſequente ſeu concomitante: nam etiam per hanc ordinatur medium bonum in finem malum. Tum quia poteſt in medio bono conſiderari aliqua vtilitas ſeu realis, ſeu apparens ad finem malum conſequendum, ratione cuius poterit voluntas moueri ad tale medium adhibendum. Exempli cauſa, poteſt ambitioſus apprehendere, quòd ad dignitates temporales conſequendas multum conducat, eſſe in gratia & amicitia Dei. Ex qua apprehenſione poteſt ſibi imperare actum charitatis erga Deum, non quidem illum intrinſecè dirigendo

Coninck. *Suarez.* *Caietanus.* *S. Thomas.*

Digitized by Google

gendo ad temporales dignitates conſequendas, vt prima ſententia dicebat: ſed intrinſecè & immediatè illum ad ſolum Deum dirigendo, extrinſecè tantùm ex tali actu ſuum finem ſperando.

40. Nec refert, quòd actus charitatis reipſa non conducat ad temporales dignitates ambitioſè conſequendas, cùm Deus non auxilietur homini ex prauo fine operanti: tum quia ſufficit, vt ipſe ambitioſus apprehendat id ſibi conducere. Tum quia eſto Deus non auxilietur ambitioſo ad temporales dignitates ex prauo fine aſpiranti, negari tamen non poteſt, Deum, vniuerſaliter loquendo, eſſe magis propitium ac propenſum erga iuſtum & amicum, quàm erga peccatorem & inimicum, & conſequenter ad illum iuuandum ad temporales dignitates conſequendas, non quidem propter malum finem, propter quem nec ipſe ambitioſus formaliter intendit & ſperat ſe à Deo iuuandum; ſed propter alios fines bonos & honeſtos, quos Deus ipſe intendit; nec non propter ipſum actum charitatis, quem erga Deum elicit.

41. *Obijcies* 1. Implicat actum externum ex ſuo obiecto bonum ex praua intentione imperatum retinere ſuam obiectiuam bonitatem. Exempli cauſa implicat, actum Eleemoſinæ ex inani gloria imperatum retinere obiectiuam honeſtatem, quam intrinſecè habet ex ſubleuatione egeſtatis proximi: ergo etiam implicat, actum internum ex obiecto ſuo honeſtum, ex praua intentione imperatum, retinere obiectiuam ſuam honeſtatem.

42. Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſcriminis: quoniam actus externus completam rationem virtutis habet ab actu interno imperante, à quo habet, vt ſit liber: quæ ratio eſſentialiter requiritur ad actum virtutis. Actus autem internus totam rationem completam virtutis habet à ſuo obiecto, & principio proximè influente, quod non eſt actus imperans, qui tantùm eſt cauſa extrinſecè applicans & inclinans, ſed ipſa voluntas libera; quæ adhuc poſito actu imperante, poteſt actum imperatum elicere, vel non elicere: nam adhuc poſito actu imperante, in poteſtate ipſius eſt, illum tollere, & actum imperatum non elicere. Vnde nullam rationem intrinſecam virtutis accipit actus internus imperatus ab actu imperante, ſed extrinſecam dumtaxat denominationem per moralem coniunctionem cum illo.

43. *Obijcies* 2. Si poſſet actus virtutis vitiari malitia extrinſeca peccati venialis, poſſet etiam vitiari malitia extrinſeca mortalis. Reſpondeo negando ſequelam. Et ſanè de actu principali charitatis erga Deum, manifeſtum eſt: cùm apertam contradictionem inuoluat, vt quis Deum ſuper omnia diligat, & ſimul voluntatem habeat illum grauiter offendendi: nam hoc ipſo non eſſet dilectio Dei ſuper omnia, quæ ad minimum dicit propoſitum nolendi grauiter Deum offendere. Maior difficultas eſt de actibus charitatis minùs principalibus, & adhuc maior de cæteris virtutum actibus, an poſſint conſiſtere cum actuali intentione lethaliter praua. Et quidem certum eſt, eos non poſſe cum tali intentione eſſe meritorios ſaltem de condigno. An verò retinere poſſent honeſtatem ex proximo obiecto: ex vna parte videtur non poſſe: nam omnis actus, vt ſit honeſtus, debet ſaltem non includere poſitiuam auerſionem ab vltimo fine. Ex alia parte videtur poſſe: cùm actualis auerſio ab vltimo fine non tollat intrinſecam honeſtatem ex proprio obiecto, ſicut nec eam tollit auerſio habitualis: cùm poſſit peccator, etiam cognoſcens ſe eſſe in peccato, multos actus honeſtos elicere: ergo etiam cum actuali auerſione à Deo, poſſet aliquem honeſtum actum virtutis elicere. Ego neutram huius quæſtionis partem determinare audeo, ſed eam prudenti Lectoris arbitrio relinquo.

44. Ad fundamentum primæ ſententiæ negatur antecedens. Nam quando extrinſeca circumſtantia finis terminat intrinſecè actum imperatum, tranſit in obiectum, conſtituendo vnum cum obiecto actus imperati, fitque intrinſeca circumſtantia ipſius, proinde nequit voluntatem mouere vt honeſtum formaliter, & rationi conforme: nam quod mouet, eſt illud idem, quod terminat: ſed totum id, quod terminat talem actum, eſt prauum, cùm ſit totum ex obiecto & circumſtantia compoſitum: ergo totum, quod mouet, eſt etiam malum, & rationi diſſonum.

45. Ad vtramque confirmationem, negandum eſt, in tali caſu voluntatem moueri poſſe ad actum charitatis eliciendum ob rationem aſſignatam: quia quando circumſtantia praua integrat obiectum virtutis, conſtituendo vnum integrum ac totale obiectum, non poteſt voluntatem mouere ſecundùm regulam prudentiæ, & conformitatem ad rectam rationem: nam hæc requirunt, vt obiectum ſit ab omni praua circumſtantia purum.

46. Ad primum & ſecundum ſecundæ ſententiæ patet ex dictis: cùm nullum ſit abſurdum, hominem per vnum actum ex ſuo obiecto honeſtum mereri, & per alium ex prauo fine malum demereri: ſicut per actum charitatis ad gratiam ſanctificantem ſe proximè diſponere; & per actum peccati venialis ad illam non ſe diſponere. In quo caſu vti peccatum veniale non impedit intrinſecam bonitatem actus charitatis, ita nec infuſionem gratiæ iuſtificantis, quæ actui charitatis promittitur.

47. Ad tertium concedo, actum charitatis eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, ad eumque eliciendum neceſſarium eſſe auxilium per Chriſtum: negandum tamen eſt, tale auxilium conferri prauæ intentioni, vel intuitu illius; ſed actui charitatis eiuſque intuitu, qui bonus eſt, & dignus tali auxilio per Chriſtum.

Digitized by Google

SECTIO III.

Quinam actus charitatis ſint magis meritorij?

48. NOn reuocatur in controuerſiam apud Catholicos, an charitatis actus, præſertim in iuſto ſint meritorij vitæ æternæ, cùm id de omnibus operibus bonis expreſsè definiat Tridentinum ſeſſ. 6. can. 32. Cuius veritatis fundamentum eſt: quoniam omnes actus charitatis à iuſto eliciti habent conditiones omnes ad meritum æternæ vitæ requiſitas. Nam primò omnes ſunt ex obiecto & motiuo honeſti. Secundò liberè, & à viatore eliciti. Tertiò, in gratia per Chriſtum facti: quæ ſunt conditiones ad meritum apud Deum requiſitæ. Aliqua difficultas eſſe poſſet de actibus ſimplicis complacentiæ, vel diſplicentię. Verùm cùm hi ſint etiam ex eodem obiecto charitatis honeſti, & liberè à Viatore, & in gratia per Chriſtum facti, nam etiam ad hos, vtpote ſupernaturales quoad ſubſtantiã, vt ſuppono, requiritur gratia per Chriſtũ; non eſt, cur etiam hi non ſint in iuſtis meritorij incrementi gratiæ & gloriæ.

Concilium Trident.

49. Sola ſupereſt inter Catholicos concertatio, quinam charitatis actus ſint magis meritorij. Et primò conueniunt communiter Doctores, cæteris paribus, actus, qui verſantur immediatè circa Deum, eſſe magis meritorios: & inter eos, qui ſunt efficaces & obedientiales. Primum conſtat: quoniam ij actus charitatis ſunt magis meritorij, qui nobiliori ac perfectiori modo verſantur circa ſuum primarium obiectum, magiſque aſſimilantur actibus diuinæ charitatis: huiuſmodi ſunt, qui immediatè verſantur circa Deũ, in quem feruntur propter ipſum Deum directè & immediatè applicatum.

50. Dices. Actus charitatis circa proximum continet amorem Dei, & inſuper addit amorem proximi; ergo eſt perfectior, magiſque meritorius. Reſpondeo, bifariam poſſe actu charitatis proximum diligi; vno modo directè & immediatè proximum, indirectè & mediatè Deum: Secundò, directè & immediatè Deum, & propter Deum proximum vt aliquid Dei. Priori modo perfectior eſt actus, qui immediatè & directè verſatur circa ſolum Deum, quia perfectiſſimo modo verſatur circa illum, quàm qui directè & immediatè circa proximum, indirectè verò & mediatè circa Deum. Probatur, quoniam prior actus eſt proxima diſpoſitio ad iuſtificationem; non eſt autem poſterior. Poſteriori autem modo concedendum eſt, perfectiorem eſſe actum extenſiuè, ac proinde magis meritorium, qui verſatur immediatè & directè circa Deum, & proximum vt aliquid Dei: cùm talis actus includat perfectiſſimum amorem Dei, per directam & immediatam tendentiam in illum, & inſuper amorem proximi.

51. Secundum clarũ eſt: nam actus efficaces & obedientiales perfectiori modo tendũt in Deum, quàm inefficaces & per modum ſimplicis dumtaxat complacentiæ: quoniam illi tendunt in Deum vt diligibilem ſuper omnia, cùm virtute illorum homo ſit paratus ſuperare quamcunque difficultatem, quæ in ſeruandis præceptis diuinis occurreret: hi verò ſolùm tendunt in Deum vt diligibilẽ ſimpliciter: vi quorum actuum homo non eſt paratus ſuperare omnes difficultates, quæ in præceptis ſeruandis occurrerent. Quod etiam à poſteriori conſtat: nam priores actus ſunt proxima diſpoſitio ad iuſtificationem, non autem poſteriores.

52. Conueniunt 2. Doctores, actus proſecutionis, cæteris paribus, eſſe perfectiores magiſque meritorios, quàm actus fugæ: tum quia actus proſecutionis immediatè verſantur circa bonum, quod eſt per ſe & primarium obiectum charitatis; fugæ autem circa malum, quod eſt per accidens & ſecundarium obiectum. Actus autem eò eſt perfectior, quò principalius virtutis obiectum attingit: tum quia actus proſecutionis ſunt iuxta primariam inclinationem charitatis, fugæ autem iuxta ſecundariam. Etenim vnaquæque virtus primariò inclinat ad proſequendũ bonum ſibi proportionatum, ſecundariò verò ad deteſtandum & fugiendum malum ſibi contrarium: nam ad primum inclinat per ſe, & independenter à ſecundo, ad ſecundùm per accidens, & dependenter à primo. Vnde illud reperitur etiam in actu fugæ, qui verſatur circa malum propter bonum; hoc nonniſi in actu fugæ. Eſt enim inclinatio virtutis perſimilis inclinationi naturæ, quæ primariò & per ſe eſt in bonum ſibi conueniens, ſecundariò & per accidens in fugam mali ſibi contrarij.

53. Dixi, *cæteris paribus:* nam etiam in his ſeruanda eſt proportio: perfectior quippe eſt efficax deteſtatio peccati contra Deum commiſſi, quàm ſimplex tantùm complacentia de bonitate Dei: cùm illa ſit proxima diſpoſitio ad iuſtificationem, non autem hęc. Comparanda igitur eſt ſimplex complacentia de bono Dei, vel proximi cum ſimplici diſplicentia de oppoſito modo eorundem: nec non efficax proſecutio boni Dei, vel proximi cum efficaci fuga & deteſtatione oppoſiti mali eorundem. Vnde efficax amotio mortis à proximo eſt perfectior magiſque meritoria, quã procuratio alterius boni temporalis, quantò vita eſt homini charior, quã quodcunque aliud bonum temporale. Demũ in mea ſententia non ſolùm cõparanda eſt proſecutio efficax cum efficaci fuga oppoſiti mali, ſed etiam proſecutio efficax actu conferens bonum cum efficaci fuga actu malum tollente: cùm in mea ſententia actualis collatio boni augeat, cæteris paribus, voluntatẽ ipſam benefaciendi. Quare perfectior eſt amotio mortis à proximo, quàm amor vitæ eiuſdem proximi, etiamſi ex vi talis amoris

Digitized by Google

amoris actu conferretur vita proximi ſi ab amante ipſo conferri poſſet: quia nimirum perfectior eſt ipſa actualis liberatio à morte, quàm pura voluntas efficax conferendi vitam.

54 Dices. Perfectior, cæteris paribus, eſt actus contritionis, quàm dilectionis Dei: tum quia illa in omniũ, hæc nonniſi in multorum ſententia, eſt proxima diſpoſitio ad iuſtificationem: tum quia qui contritionem elicuit, non tenetur ad iuſtificationem conſequendam, dilectionem etiam elicere. Contrà verò, qui dilectionem Dei elicuit, tenetur, ſi peccata occurrant, ad iuſtificationẽ obtinendam, etiam contritionem elicere: ergo perfectior eſt contritio, quàm dilectio, cùm aliquid in ordine ad iuſtificationem poſſit ſola contritio, quod non poteſt ſola dilectio. Tum quia in cõtritione præter dilectionem Dei ſuper omnia, eſt etiam deteſtatio peccati, quæ nõ eſt in ſola dilectione.

55. Reſp. Negando antecedens. Ad cuius primam probationem, negandum eſt, illam ſententiam, quę negat, dilectionẽ efficacem Dei eſſe proximam diſpoſitionem ad iuſtificationem, eſſe probabilem, vt ſuppono ex 8. tomo de virtute pœnitentiæ.

56. Ad 2. Reſp. id non prouenire ex maiori cõtritionis perfectione, ſed ex peculiari præcepto, quod peccator habet formalem pœnitentiam agendi de commiſſis peccatis: quæ formalis pœnitentia, cùm nonniſi eminenter contineatur in actu dilectionis Dei, tenetur poſt dilectionem, ſi peccata occurrant, illam formaliter habere: ſicut etiã tenetur alia pręcepta formaliter & actu adimplere, quando adimplenda occurrunt.

57. Ad 3. Reſp. ſolam dilectionem Dei eſſe perfectiorem, quàm ſit deteſtatio peccati cum ipſa dilectione, quam cõtritio includit, ex modo, quo dilectio fertur in ſuũ obiectum & motiuum formale. Nã hæc tendit in ipſam bonitatem Dei directè & immediatè applicatam; contritio autem indirectè & mediatè, cùm directè & immediatè tendat in peccatum vt deteſtandum, indirectè verò & mediatè in bonitatem Dei. Præterea ipſa formalis deteſtatio peccati eminenter continetur in actu efficacis dilectionis Dei. Vnde maioris claritatis cauſa, diſtinguendus eſt duplex modus, quo peccator poteſt Deũ diligere, & peccatum deteſtari: vti etiã ſuprà diſtinximus de duplici actu charitatis, quo proximus diligi poteſt. Vnus eſt, immediatè & directè deteſtando peccatum, mediatè verò & indirectè diligendo Deũ. Alter eſt, immediatè & directè diligendo Deum, & ex dilectione Dei mediatè & indirectè deteſtando peccata. Non prior, ſed hic poſterior eſt perfectior, ſaltem extenſiuè, ſola dilectione Dei: quia præter dictã & immediatam dilectionem Dei, includit indirectã & mediatam deteſtationem peccatorum.

58. His prædeclaratis tanquam communiter admiſſis, grauis concertatio inter Scholaſticos ſupereſt de dilectione inimici & amici, vtra ſit perfectior magiſque meritoria apud Deum.

Richardus
Capre…
Caietanus.
Bannez.
Suarez.
Valentia
Turrianus
Franc.
Syluij.

59. Prima ſententia affirmat, dilectionem amici natura ſua eſſe perfectiorem magiſq́ meritoriam. Eſt Richardi in 3. diſt. 30. art. 1. q. 3. Capreoli qu. vnica, art. 1. concl. 8. & ad argumenta Durandi contra 8 concl. Caietani 2 2 q. 27. art. 7. Bannez ibidẽ dub 2. Valentiæ diſp. 3. q. 5. pun. 3. Suarez de charitate diſp. 2. ſect. 3. Turriani diſp. 78. dub. 2. Franciſci Syluij in citatam qu. S. Thomæ. Quæ ſententia multis probari ſolet argumentis, quæ tamen omnia ad hoc vnum reducuntur. Eò perfectior magiſq́; meritorius eſt actus, quò perfectioris eſt obiecti, perfectius autem obiectum eſt amicus, quàm inimicus: igitur perfectior magiſq́; meritorius eſt amor amici, quàm inimici. Maior patet, nam ſicut ex obiecto actus habet ſuam perfectionem, ita ex perfectiori obiecto maiorem accipit perfectionem: ſed quò actus eſt in ſubſtantia ſua perfectior, eò magis eſt meritorius. Minor probatur: nam maior multiplexq́; ratio diligibilitatis eſt in amico, quã in inimico: quoniam amicus amatur vt nobis magis coniunctus; nec ſolùm titulo charitatis, vt inimicus, ſed etiam gratitudinis, iuſtitiæ, pietatis, aliarumq́; virtutum.

60. Confirmatur 1. Peius eſt odium amici, quàm inimici: ergo melior eſt dilectio amici, quàm inimici. Antecedens patet; nam eò peius eſt odium, quò eſt contra maiorem bonitatem, maiuſq́ue debitum amandi bonitatem: Vnde quia odium Dei eſt contra ſummam bonitatem, ſummumq́; debitum amandi illum, eſt omnium peſſimum. Atqui maior bonitas eſt in amico, maiuſq́ue debitum illum diligendi, cùm amicum diligere debeamus vt nobis magis coniunctum, & ob plures titulos, quàm teneamur diligere inimicum.

61. Confirmatur 2. Ille actus eſt perfectior, qui eſt conformior inclinationi virtutis. Atqui amor amici eſt conformior inclinationi charitatis: ergo eſt perfectior amore inimici. Maior clara eſt: quoniam actus, qui conformior eſt inclinationi virtutis, eſt magis proprius ipſius virtutis. Minor probatur: nam ille actus eſt conformior inclinationi virtutis, qui principaliùs reſpicitur ab ipſa virtute: amicus autem, cùm ſit perfectius obiectum, magiſq́; coniunctum diligenti, principaliùs reſpicitur à charitate.

Durand.
Argentin
Gabriel.
Coninck
Malderi
Bonauet

62. Secunda ſententia docet, dilectionem inimici eſſe perfectiorem, magiſq́; meritoriam coram Deo. Eſt Durandi in 3. diſt. 30. quæſt. 2. Argentinæ art. vltim. Gabrielis quæſt. 1. Coninck diſp. 24. dub. 8. Malderi 2 2. qu. 27. art. 7. Bonauentura in 3. diſt. 30. art. & quæſt. vlt. vtramque ſententiam problematicè defendit. Pro cuius controuerſiæ deciſione,

63. Dicendum eſt, dilectionem inimici, cæteris paribus, eſſe perfectiorem, magiſq́ue meritoriam, quàm dilectionẽ amici.

ci. Aſſertio hæc eſt conformior doctrinæ & menti S. Thomæ 2. 2. quæſt. 17. art. 7. vbi docet, dilectionem inimici eſſe perfectiorem ex parte motiui & rationis formalis diligendi, quæ eſt Deus: quia dilectio inimici procedit ex fortiori dilectione Dei, quippe quę ſe extendit ad difficiliora & repugnantia naturæ: *Sicut*, inquit, *virtus ignis tantò eſt fortior, quantò comburere poteſt materiam minùs combuſtibilem*: contrà verò dilectionem amici eſſe perfectiorem ex parte obiecti diligibilis: quoniam amicus eſt melius obiectum, nobiſque magis coniunctum, ac proinde eminentior materia dilectionis. Atqui perfectior, magiſque meritorius eſt actus, qui procedit ex motiuo & ratione formali diligendi perfectiori, quàm qui procedit ex meliori obiecto diligibili: ergo cæteris paribus perfectior eſt dilectio inimici, quæ procedit ex perfectiori dilectione Dei, quæ eſt motiuum & ratio formalis diligendi; quàm dilectio amici, quæ eſt ad obiectum diligibile perfectius, magiſque proportionatum dilectioni. *S. Thomas.* Minor eſt eiuſdem S. Th. in 3. diſt. 30. quæſt. 1. art. 3. vbi ſic ſcribit: *Si ergo comparemus dilectionem amici & inimici, quantum ad terminos ſiue obiecta, cùm obiectum magis competens dilectioni, ſit amicus, quàm inimicus: ſic meliùs eſt, diligere amicum, quàm inimicum. Si verò comparemus duas prædictas dilectiones ad principium, quod eſt voluntas: ſic vbi eſt maior conatus voluntatis, ibi oportet eſſe maius meritum, quia quantò eſt maior conatus voluntatis, tantò eſt feruentior voluntas de fine, propter quem attentat illud, quod ſecundùm ſe eſt ſibi magis repugnans quamuis ſit magis remiſſa quandoq; circa illud, ad quod magis conatur. Meritum autem conſiſtit ex hoc, quòd voluntas ad finem afficitur. Et ideo* (concludit) *ſi comparemus actus talium dilectionum, dilectio inimici eſt magis meritoria in quantum huiuſmodi, quia ſecundùm quod huiuſmodi exigit maiorem conatum, & maiorem feruorem circa finem, quamuis dilectio amici ſit magis intenſa circa obiectum.* Eſt igitur in ſententia S. Thomæ dilectio inimici, etiamſi ſit remiſſior, perfectior & magis meritoria, quàm dilectio amici, quia procedit ex feruentiori fortiorique dilectione finis, quàm dilectio amici, quæ procedit ex meliori bonitate obiecti: cùm ad rationem meriti plus conferat perfectio finis, quàm obiecti.

64. Quæ ratio, quia fundamentalis eſt, ſic ampliùs explicatur. Illa dilectio natura ſua, ac cæteris paribus, eſt ſimpliciter perfectior, magiſque meritoria apud Deum, quæ eſt magis appretiatiua vltimi finis: atqui dilectio inimici eſt magis appretiatiua vltimi finis: ergo. Maior patet: nam omnis actus virtutis eatenus eſt perfectus & meritorius, quatenus tendit in vltimatum finem, ſaltem virtualiter: ergo eò erit perfectior magiſque meritorius, quò erit vltimi finis magis appretiatiuus. Ideò enim dilectio Dei ſuper omnia, quantumuis remiſſiſſima, eſt perfectior magiſque meritoria, quàm quicunque alius intenſiſſimus charitatis actus, quia eſt magis appretiatiua Dei vltimi finis. Minor probatur: nam illa dilectio eſt magis appretiatiua finis, quæ ad plura & difficiliora media ſe extendit: ideò enim dilectio, qua quis efficaciter ſtatuit vitare omnia peccata tam mortalia, quàm venialia propter Deum, eſt magis appretiatiua Dei, quàm quæ tantùm vitare ſtatuit mortalia, quia ad plura & difficiliora media ſe extendit. Atqui dilectio Dei, quæ ſe extendit etiam ad inimicos, ad plura & difficiliora ſe extendit, quàm quæ, tantùm ſe extendit ad amicos: ergo ex natura ſua eſt fortior & feruentior, & conſequenter magis meritoria.

65. Confirmatur 1. Qui propter Deum diligit inimicos, vi talis actus paratus eſt diligere etiam amicos: qui autem propter Deum diligit amicos, vi talis actus non eſt paratus diligere etiam inimicos. Sicut qui propter Deum ſtatuit vitare peccata venialia, vi talis actus paratus eſt vitare etiam mortalia; non autem contrà, qui propter Deum ſtatuit vitare mortalia, vi talis actus paratus eſt vitare etiam venialia: cùm medium facile includatur in difficili, non contrà.

66. Confirmatur 2. Ille actus eſt magis meritorius, cuius ratio diligendi innititur ſoli charitati: ſed ratio diligendi inimicum innititur ſoli charitati: ergo eſt magis meritorius. Maior patet, nam potiſſima ratio meriti fundatur in charitate: ergo actus, qui fundatur in ſola charitate, ex natura ſua eſt magis meritorius. Minor probatur. quoniam ex parte inimici nulla poteſt eſſe ratio allectiua ad diligendum illum, niſi ſola charitas: cùm tamen ex parte amici multæ aliæ rationes à charitate diuerſæ ad amandum alliciant: magis autem meritorius eſt actus virtutis vt quatuor, Exempli cauſa, procedens ex ſolo motiuo charitatis, quàm aliùs intenſus etiam vt quatuor non ex ſolo motiuo charitatis procedens, ſed ex alijs etiam à charitate diuerſis. Nam ſicut motiuum charitatis quoad rationem meriti ſuperat reliqua: ita quò actus plures gradus habet de motiuo charitatis, eò eſt magis meritorius, quàm alius, qui minùs habet de motiuo charitatis.

67. Eandem doctrinam docent Patres. Chryſoſtomus Hom. 18. in 5. caput Matth. *Chryſoſt.* amorē inimici appellat ſupernā Chriſtianæ Philoſophiæ cacumen. Auguſtinus in Enchiridio cap. 73. *Auguſtin.* *Minùs*, inquit, *magnum eſt erga eum eſſe beneuolum ſiue beneficum, qui tibi mali nihil fecerit. Illud multò grandius & magnificentiſſimæ bonitatis eſt vt tuum quoque inimicum diligas.* Quod opus appellat perfectorum atque filiorum Dei proprium. Gregorius 9. Moralium capite 13. *Gregorius.* *Conditoris*, inquit, *auribus maximè illa oratio commendatur, quæ pro inimicis quoque intercedere nititur.* Bernardus ſerm. feriæ *Bernardus.*

quartæ

Digitized by Google

quartæ Hebdomadæ pœnoſæ explicans illa verba Chriſti: *Maiorem charitatem nemo habet* &c. Ita Chriſtum alloquens ſcribit: *Tu maiorem habuiſti Domine, ponens eam pro inimicis.* Idem paſſim docent reliqui Patres. Quin Chriſtus ipſe Matthæi 5. adhortans nos ad æmulandum Cœleſtis Patris charitatem, præcipit nobis tanquam opus perfectioris charitatis, vt inimicos diligeremus, eiſq; benefaciamus. *Matth.* 5.

68. Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ, diſtinguenda eſt maior: eò perfectior eſt actus, quo perfectioris eſt obiecti materialis, nego; quò perfectioris eſt obiecti formalis ſeu motiui, concedo. Eſto igitur amicus ſit perfectior quoad obiectum materiale charitatis, eſt tamen inimicus perfectior quoad obiectum & motiuum formale, cùm tota ratio ipſum diligendi ſit motiuum charitatis fortioris magiſque appretiatiuæ Dei. Ex quo patet ad probationem Minoris: etenim licet plura motiua virturum concurrant ad dilectionem amici, ſolùm tamen motiuum charitatis concurrens ad dilectionem inimici præeminet reliquis omnibus motiuis, modò in vtraque dilectione ſint cætera paria.

69. Ad primam Confirmationem, negatur conſequentia. Etenim, vt rectè ratiocinatur Durandus, peius eſt non reſtituere mutuum, quod debes, quàm non elargiri de tuo, quod non debes: & tamen melior eſt magiſque meritorius actus, quo elargiris de tuo, quàm quo mutuum reſtituis. Ratio verò eſt, quia non ſemper maior, aut minor perfectio actus ſpectatur penes maius, aut minus debitum, ſed penes rationem & motiuum formale operandi perfectius, vel minùs perfectum. Quia igitur perfectius motiuum formale habet dilectio inimici, quàm amici, quia licet vtraque habeat pro obiecto vltimato Deum, tamen illa habet Deum vt magis appretiabilem, ideò perfectior, magiſque meritoria eſt, quàm amici dilectio. *Durandus.*

70. Ad ſecundum Confirmationem, diſtinguenda eſt Minor: amor amici eſt conformior inclinationi Charitatis ex parte obiecti diligibilis, concedo: eſt conformior inclinationi Charitatis ex parte rationis formalis diligendi; nego: nam hoc eſt ipſe Deus ſuper omnia appretiabilis, cui conformior eſt dilectio inimici, quia per hanc magis appretiatur Deus, quàm ſit dilectio amici.

SECTIO IV.

A quo producatur maior illa intenſio in actu charitatis, quando excedit intenſionem habitus?

71. EST hæc difficultas cõmunis reliquis etiam actibus virtutum, cũ reliqui etiam actus virtutum procedere poſſint intenſiores ſuis habitibus: illam tamen ſpecialiter de actu charitatis proponimus, vt ſit etiam communis cum actibus, quos beati in Patria eliciunt, in qua non manent omnes virtutes infuſæ, vti certũ eſt de virtute infuſa fidei, & in aliquorum ſententia etiam de Spe, cùm tamen Charitas in omnium ſententia maneat in Patria. Cæterùm ſupponit quæſtio, actus charitatis, quemadmodũ & reliquos ſupernaturales actus effectiuè procedere ab habitibus infuſis in homine iuſto, in quo ſunt omnes habitus infuſi. Quo poſito emergit præſens difficultas, à quo actus intenſior habitu producatur.

72. PRIMA ſententia affirmat, huiuſmodi maiorem intenſionem in actu procedere ab incremento habitus, quod in eodem inſtanti datur iuſto in præmium ipſiuſmet actus, tãquam meriti de condigno. Ita Bannez 2.2.q.24.dub.2. ad 7. Cuius fundamentum eſt, quia non repugnat, duas cauſas eſſe ſibi inuicem cauſas in eodem inſtanti, ſecundùm diuerſum genus cauſæ. Igitur poterit in eodem inſtanti incremẽtum habitus eſſe cauſa efficiens intenſioris actus, & ſimul actus moralis ac meritoria cauſa ipſius incrementi habitus. *Bannez.*

73. SECVNDA ſententia docet, maiorem illam intenſionem in actu effici ab auxilio extrinſeco. Ita Doctiſſimi aliqui recentiores, inter quos eſt Suarez. Quorum fundamentum eſt: quia non poteſt effectus perfectior procedere à cauſa principali imperfectiori: ſed habitus infuſus eſt cauſa principalis actus; ergo non poteſt intenſior actus procedere ab habitu infuſo remiſſiori. *Suarez.*

74. TERTIA ſententia aſſerit, produci ab ipſo habitu infuſo charitatis remiſſiori, poſita meliori tantũ applicatione obiecti. Ita Turrianus 2.2.diſp.77.dub.2. quod etiã docuit Vaſquez 1.2.diſp.80.cap.1. de habitu acquiſito, qui quamuis remiſſior poteſt in eius ſententia intenſiorem actum producere. Fundamentum huius ſententiæ aſſignabitur infrà. Nunc pro totius propoſitæ controuerſiæ explicatione, *Turrianus.* *Vaſquez.*

75. DICO 1. Implicat intenſionem actus effectiuè produci ab incremento habitus collato in præmiũ eiuſdem actus. Fundamentum, quoniam implicat principium meriti

Digitized by Google

merit cadere ſub meritum: igitur implicat incrementum habitus eſſe principium efficiens intenſioris actus, & ſimul prœmium eiuſdem actus. Antecedens probatur: quia principium meriti debet à Deo decerni ante ipſum meritũ præuiſum abſolutè futurum, cùm debeat decerni vt principium effectiuũ ipſius: ergo non poteſt decerni propter ipſũ meritum: nam adhoc vt decernatur propter ipſum meritum, debet meritum in præſcientia Dei pręcedere vt abſolutè futurum: quia cùm meritũ ſit cauſa moralis mouens Deum ad conferendũ prœmium, cumq; cauſa moralis meritoria non moueat voluntatē prœmiantis, niſi præuiſa vt abſolutè futura, non poterit Deus propter meritum decernere prœmium, niſi præuiſo merito vt abſolutè futuro. Implicat autem, vt præuideatur meritum abſolutè futurum, non pręſuppoſitis omnibus cauſis exiſtentiæ futuræ à Deo abſolutè decretis: quia ſicut nullus effectus poteſt eſſe futurus, niſi præſuppoſitis omnibus cauſis à Deo decretis; ita nec præuideri vt abſolutè futurus, niſi ſuppoſitis ijſdem cauſis à Deo decretis.

76. Dico 2. Poteſt intenſior actus produci ab habitu remiſſiori. Fundamentum. Poteſt cauſa principalis æquiuoca remiſſior quoad virtutem producere effectum intenſiorem. Quiuis autem hàbitus infuſus eſt cauſa principalis æquiuoca reſpectu ſuorum actuum: ergo poterit habitus infuſus remiſſior producere actum intenſiorem. Maior probatur: nam cauſa æquiuoca eſt perfectior quoad entitatem ſuo effectu: ergo etiamſi ſit remiſſior, poterit illum intenſiorem producerę: quia intenſior effectus imperfectior quoad entitatem, eminenter continetur in cauſa remiſſiori perfectioris quoad entitatem. Cuius ratio eſt: quoniam entitas perfectior eſt efficacior ad producendum, cùm virtus producendi ſequatur entitatem: ergo remiſſior entitas perfectior cōtinet virtutem producendi efficaciorem. Minor verò probatur: nam habitus infuſus eſt diuerſæ ſpeciei & entitatis, & non imperfectioris ſuo actu; ergo perfectioris. Maior liquet, tum quia habitus infuſus eſt inſtar potentiæ, quæ eſt diuerſæ ſpeciei à ſuis actibus: tum quia eſt productiuus actuum ſpecie diuerſorum: tum quia habitus infuſus producitur à ſolo Deo, actus verò etiam à potentijs. Minor conſtat ijſdem ferè argumentis: nam & potentia perfectior eſt ſuo actu; & cauſa principalis productiua plurium effectuum ſpecie diuerſorum, eſt perfectior ſingulis.

77. Ex his infertur 1. Poſſe ab habitu infuſo remiſſiori produci actum intenſiorem, vel ex meliori tantùm applicatione obiecti, vel ex maiori conatu & concurſu potentiæ Fundamentum, quia cùm in habitu infuſo remiſſiori non deſit virtus ad intenſiorem actum producendum; cumque ex meliori applicatione obiecti, & maiori conatu & concurſu potentiæ, à qua omnes habitus in operando pendent, efficaciùs operetur, ex meliori applicatione obiecti, & maiori conatu & concurſu potentiæ habitus remiſſior intenſiorem producet actum.

78. Infertur 2. Ab habitu charitatis in Patria produci amorem beatificum intenſiorem, quàm ſit ipſe habitus. Fundamentum, quia habitus charitatis in Patria operatur ſecundùm totum ſuum poſſe & virtutem productiuam: ſed eius virtus productiua ſe extendit ad actum intenſiorem, quàm ſit ipſa: ergo de facto producit illum intenſiorem ſe: alioqui non produceret, quantum eſt productiuus: ac proinde non operaretur iuxta, ſed infra ſuum poſſe. An autem idem ſit dicendum de reliquis habitibus infuſis moralibus, pendet ex alia quæſtione, an tales habitus neceſſariò operentur in Patria: nam ſi neceſſariò operantur, vti probabile eſt de habitibus, qui verſantur circa Deum vt finem *Cui*, cuiuſmodi ſunt habitus infuſi Religionis, obedientiæ, gratitudinis, & ſi qui ſunt alij, ſemper producunt actus intenſiores ſe. Si verò liberè operantur, non neceſſariò ſemper producunt actus intenſiores ſe, cùm in modo producendi pendeant à libera voluntate beati. Sola difficultas eſt de habitu luminis gloriæ, qui viſionem beatificam neceſſariò producit ſecundùm totum ſuum poſſe, an illam producat intenſiorem ſe. Verùm hoc dubium pendet ex alia quæſtione, an viſio beata ob peculiarem ſuam perfectionem ſit perfectior lumine gloriæ. De qua difficultate diſputatum eſt in 1. tomo Noſtri Theologici curſus diſputatione 9. ſectione 11.

79. *Obijcies.* Si habitus infuſus ex meliori tantùm applicatione obiecti producere poteſt actum intenſiorem ſe, ſequitur, quòd ex meliori applicatione obiecti idem habitus producere poſſit actum intenſiorem & intenſiorem in infinitum: quod videtur excedere finitam virtutem habitus. Concedunt nonnulli ſequelam: quia quando duæ cauſæ conueniunt ad eundem effectum producendum, quò magis augetur vna, eò altera ſit ad producendum efficacior: & quia applicatio obiecti, & conatus potentiæ conueniunt ad eundem actum producendum, quò magis illa augetur, eò magis virtus productiua habitus ſit fortior, & ad producendum eundem actum efficacior.

80. Verùm neganda eſt potiùs ſequela: quia cùm virtus productiua habitus ſit finita, non poterit ex meliori & meliori applicatione obiecti in infinitum, intenſiorem & intenſiorem ſemper actum producere. Habet igitur habitus infuſus determinatam vim producendi, quam dum totam in actum explicauit, non poteſt intenſiorem producere, etiamſi ei meliùs & meliùs obiectum applicetur. Ratio eſt:

quia applicatio obiecti non auget intrinſecam vim productiuam habitus. Vnde cùm dicitur, ex meliori applicatione obiecti intenſior actus ab habitu producitur, intelligendum eſt, quouſque perueniatur ad terminum intrinſecum virtutis ſecundum quem cum optima applicatione obiecti, habitus infuſus eſt productiuus ſui actus. Hinc deducitur, ſi Deus perfectiorem clarioremque viſionem ſui producat in beato, debere proportionaliter etiam habitum charitatis intendere, vt beatus connaturaliter eliciat amorem beatificum perfectiori viſioni commenſuratum.

81. Ad fundamentum primæ ſentent. quidquid ſit, an poſſint duæ cauſæ ſeſe mutuò cauſare in diuerſo genere cauſæ, negandum tamen eſt, id accidere poſſe in merito & prœmio, ob rationem aſſignatam: quia nimirum prœmium in ipſo decreto Dei ſupponit meritum abſolutè futurum, ac proinde principium effectiuum ſui. Vnde ſi prœmium eſſet principium meriti, ſupponeretur à Deo decretum, antequam præuideretur meritum vt effectus ipſius. Ad fundamentum 2. ſentent. conſtat ex ſecunda noſtra aſſertione.

SECTIO V.

An actus Charitatis viæ ſit eiuſdem rationis ſpecificæ cum actu Charitatis Patriæ?

82. SOLAM quæſtionem inſtituimus de actu charitatis, nam de habitu, extra controuerſiam eſt, illum & ſpecie & numero eſſe eundem in Patria, qui fuit vltimò in via. Dixi, *qui fuit vltimò in via*: quia qui per peccatum amittitur, non reuiuiſcit idem numero, & per conſequens non erit idem numero habitus charitatis in Patria, qui ſemper fuit in via, ſed ſolus ille, qui fuit vltimò in via. Hanc veritatem definiſſe videtur Paulus 1. Corinth. 13. vbi docet, charitatem nunquam excidere: quod cùm intelligi non poſſit, quòd illa nunquam excidat in hac vita, vbi frequenter per peccatum mortale excidit, intelligi debet, quòd nunquam excidat in alia, ſi vſque ad mortem illa cum homine perſeuetet. Eandem veritatem colligunt Patres ex alijs verbis Apoſtoli eiuſdem capitis, quibus concludit, charitatem eſſe maiorem fide & Spe: aſſerentes, ideo ab Apoſtolo charitatem dici maiorem, quia reliquis duabus ceſſantibus, ea ſola in Patria perſeuerat. Et ratio eſt: quia cùm idem habitus ſit futurum principium amoris beatifici in Patria, non eſt, cur is debeat in morte corrumpi, & alius

1. Cor. 13.

poſtea numero diuerſus in ingreſſu beatitudinis produci: præſertim cùm hic idem deſeruiturus ſit animabus ſanctis in ſtatu Purgatorij, vbi multos actus fidei, Spei, & charitatis eliciunt. Confirmatur: quia quod ſemel Deus produxit, nunquam corrumpit, niſi ad exigentiam alicuius cauſæ naturalis: atqui nulla cauſa naturalis exigit corruptionem habitus charitatis in eo, qui cum illo ex hac vita migrat: quia cùm ille ſubiectetur in voluntate, quæ incorruptibilis eſt, non poteſt corruptionem exigere defectu ſubiecti.

83. Suppono etiam tanquam probabiliùs, hunc habitum non fore intenſiorem in Patria, quàm fuit vltimò in via. Maior hæc probabilitas conſtat ex eo, quòd omne augmentum charitati debitum non differatur vſque ad ingreſſum beatitudinis, ſed ſtatim detur in hac vita, vt ex 8. tomo ſuppono: cumque ex alia parte poſt hanc vitam nullum ſit amplius tempus promerendi, apertè ſequitur, eundem habitum ſecundùm eandem intenſionem, qui fuit in morte, perſeueraturum æternum in Patria.

84. Ex hoc ſuppoſito euidenter ſequitur, intenſiorem habitum charitatis eſſe in aliquo viatore, quàm ſit in aliquo comprehenſore. Etenim cùm idem habitus ſecundùm eandem intenſionem perſeueret in comprehenſore, qui vltimò fuit in viatore, cumque intenſior habitus charitatis ad mortem vſque perſeueret in vno viatore, quàm in alio, intenſior erit in aliquo viatore, quàm in aliquo comprehenſore. Quin addo, ſemper intenſiorem habitum charitatis eſſe in quouis viatore adulto in fine vitæ, quàm ſit in quouis comprehenſore cum ſola gratia Baptiſmali defuncto: eò quòd ſemper adultus iuſtus, præter habitum charitatis in Baptiſmo ſuſceptum, habet incrementum eiuſdem per bona opera acquiſitum. Quod incrementum, etſi cum ipſo habitu in Baptiſmo ſuſcepto per peccatum perdatur, iterum tamen per pœnitentiam recuperatur, per quam vt citato tomo 8. probo, reuiuiſcit tota gratia præcedens cum omnibus habitibus infuſis illam conſequentibus. His igitur ſuppoſitis, ſola controuerſia ſupereſt de actu ipſo charitatis, an ſit eiuſdem ſpeciei cum actu charitatis Patriæ.

85. PRIMA ſententia affirmat, eos non modò eſſe eiuſdem rationis ſpecificæ, ſed etiam poſſe eſſe eiuſdem rationis numericæ: quippe cùm poſſit idem numero actus in via inchoatus ſine interruptione continuari in Patria. Ita Suarez de habitu charitatis Suarez. diſputatione 3. ſectione 3. qui tanquam probabiliſſimum docet, de facto Deiparam ſuum amoris actum, quo in Deum in hac vita ferebatur, per mortem non interrupiſſe, ſed illum eundem numero in Patria continuaſſe, licet neceſſariò & perfectius.

86. SECVNDA ſententia aſſerit, eos eſſe

eſſe eiuſdem rationis ſaltem ſpecificæ, ſolumque differre accidentaliter ſicut imperfectum & perfectum intra eandem ſpeciem. Eſt Richardi in 3. diſtinctione 31. articulo 3. quæſtione 2. Bannez 2. 2. quæſtione 24. articulo 8. Medinæ 3. parte, quæſtione 19. articulo 3. & 4. & videtur expreſſa ſententia S. Thomæ 1. 2. quæſtione 67. articulo 6. præcipuè ad 2. vbi docet, actum charitatis in via & in Patria habere idem obiectum, quod eſt Deus ſecundùm ſe, eſto cognitio viæ & Patriæ, quibus obiectum charitatis applicatur, ſint diuerſæ, eo quòd charitas non habet pro obiecto cognitionem, ſed rem ipſam cognitam, quæ eadem eſt per vtramque cognitionem repræſentata. Et 2. 2. quæſtione 25. articulo 1. vt ſuprà vidimus ſectione 1. huius diſputationis, cenſet omnes actus vnius ſpecie habitus eſſe eiuſdem ſpeciei inter ſe. Ex quo infert, actum charitatis erga Deum, & erga proximum eſſe eiuſdem rationis ſpecificæ. Potiſſimum fundamentum huius ſententiæ eſt. Quia idem eſt obiectum formale charitatis viæ & Patriæ: actus autem ſpecificantur ex obiecto formali: ergo idem ſpecie actus charitatis erit viæ & Patriæ. Maior probatur: nam obiectum formale charitatis eſt Deus ſecundùm ſe, qui ſemper eſt idem ſiue abſtractiuè, ſiue intuitiuè cognitus: cognitio autem eſt pura conditio, non ratio ſpecificans actum voluntatis.

Richardus. Bannez. Medina. S. Thomas.

87. Tertia ſententia docet, eos eſſe diuerſæ ſpeciei. Hanc docent Scotus in 3. diſtinctione 31. quæſtione vnicâ, Capreolus in 1. diſtinctione 1. quæſtione 3. ad 3. Adami contra quartam concluſionem, quod eſt circa finem totius quæſtionis: Caietanus 1. parte quæſtione 82. articulo 2. in fine. Ferrarienſis 3. contra gentes capite 62. ad 2. Scoti: Coninck de actu charitatis diſputatione 23. dub. 3. Pro qua ſententia citat etiam Dionyſium Carthuſianum, quem ipſe videre non potui. Pro cuius ſententiæ reſolutione,

Scotus. Capreolus. Caietanus. Ferrarienſ. Coninck. Dionyſius Carthuſ.

88. Dico 1. Repugnat, vt idem numero charitatis actus cœptus in via perſeueret in Patria. Duplex conſiderari poteſt numerica vnitas in actu charitatis. Vna moralis, altera phyſica: de vtraque intelligitur aſſertio. Quoad priorem clarum eſt, nec Suarez ipſe negat: nam actus charitatis via eſt liber, in Patria neceſſarius: ergo aliam numericam vnitatem moralem habet vnus, atque alter, cùm diuerſa vnitas moralis oriatur ex ratione liberi, atque ex ratione neceſſarij.

99. Contrarium huic primæ aſſertionis parti docet Scotus in 1. diſtinctione 1. quæſtione 4. §. *contra tertium articulum*, vbi docet actum charitatis viæ & Patriæ non diſcriminari penes hanc moralem differentiam: putat enim, vtrumque actum tam viæ, quàm Patriæ, liberè elici à voluntate informata habitu charitatis, eo quòd vterque ſit à potentia eſſentialiter libera. Cæterùm viſio, & non viſio, ex parte obiecti reſpectu voluntaris ſe habent vt maior approximatio paſſi ad agens, quæ non diuerſificat actum quoad neceſſitatem, ſed ſolùm quoad intenſionem. Verùm hæc Scoti doctrina impugnata eſt præcedente tomo: nec videtur cohærens cum alia doctrina, quam idem Scotus loco ſuprà citato tradit, nempè quòd ex maiori, vel minori approximatione obiecti ad potentiam varientur actus. Ex quo principio ibidem probat, actum charitatis viæ & Patriæ eſſe diuerſæ ſpeciei, eo quòd vnus habeat obiectum abſens ænigmatica cognitione fidei applicatum, alter præſens intuitiua viſione præſentatum.

Scotus.

90. Probatur eadem aſſertio quoad poſteriorem partem de vnitate phyſica hoc pacto. Implicat, eos actus eandem habere phyſicam vnitatem numericam, qui diuerſas habent proprietates phyſicas: ſed actus charitatis viæ & Patriæ habent diuerſas proprietates phyſicas: igitur implicat eos habere eandem phyſicam vnitatem numericam. Maior patet, cùm nequeant ex eadem phyſica vnitate numerica oriri diuerſæ proprietates phyſicæ: quemadmodum nequeunt ex eadem phyſica vnitate ſpecifica oriri diuerſæ proprietates phyſicæ. Minor, in qua tantùm eſt difficultas, probatur, nam amor Patriæ, cùm ſequatur ex claro & intuitiuo iudicio de infinita æſtimabilitate diuinæ Maieſtatis in ſe viſę contrahit quandam appretiationem de Deo, quam impoſſibile eſt contrahi ex amore vię, qui tantùm ſequitur ex obſcuro & ænigmatico iudicio æſtimabilitatis diuinæ Maieſtatis per fidem tantùm creditæ. Amor enim appretiatiuus commenſuratur practico iudicio, à quo proximè regulatur: cùm igitur longè maius ſit iudicium, quod beatus, quàm quod viator de Deo habet, longè etiam magis appretiatiuus erit amor, quo beatus, quàm quo viator Deum amat. Quod patet à poſteriori: quoniam vi amoris Patriæ beatus non ſolùm neceſſitatur ad vitanda omnia peccata mortalia, ſed etiam ad amplectendum illud, quod magis Deo gratum acceptumque putatur. Et quamuis poſſit viator talem actum amoris erga Deum elicere, vi cuius non ſolùm paratus ſit vitare omnia mortalia ac venialia, ſed etiam amplecti quod Deo gratius acceptiuſque fuerit: adhuc tamen ſemper longè perfectior magiſque appretiatiuus erit amor, quem beatus elicit erga Deum. Nam eò perfectior quoad appretiationem eſt amor, quò ex perfectiori iudicio æſtimabilitatis perſonę amatę procedit. Nec refert, quòd obſcurum iudicium fidei ſit æquè certum, atque eſt euidens, quod beatus habet de æſtimabilitate Dei: quia maior appretiatio in amore non tantùm ſequitur ex maiori certitudine, ſed etiam ex maiori euidentia & charitate rei amatę.

91. Quòd autem maior hæc appretiatio

ſit

ſit perfectio conſtituens amorem indiuidualiter ſaltem diuerſum ab alio, in quo tanta rei amatæ appretiatio non reperitur, probatur: quia illa non conſiſtit in maiori intenſione actus, cùm poſſit actus remiſſior eſſe magis appretiatiuus; quàm alius intenſior, vt patet in amore quo amamus Deum, & bona noſtra temporalia, quæ intenſiùs plerumque amamus, quàm Deum ipſum, cum tamen Deum magis appretiatiuè diligamus: ſed conſiſtit hæc appretiatio in quadam perfectione, quæ ſecundùm totam ſuam entitatem diuerſa eſt ab ea, quæ eſt in alio actu minùs appretiatiuo. Quò fit, vt implicet, eundem numero actum amoris viæ perſeuerare in Patria, cùm debeat de minùs appretiatiuo mutari in magis appretiatiuum: quæ mutatio, cùm fieri nequeat abſque mutatione totius entitatis vnius actus in entitatem alterius, implicat perſeuerare eundem numero actum: ſicut perſeuerare poſſet idem numero, ſi hæc perfectio tantùm conſiſteret in maiori intenſione: quia intenſio non variat numericam vnitatem præcedentium graduum eiuſdem actus quibus ſuperadditur, ſed tantùm auget entitatem actus per nouos gradus ſuperadditos.

92. Dico 2. Dilectio viæ ſpecie differt à dilectione Patriæ. Hanc ſpecificam differentiam deſumit Coninck ex diuerſa appretiatione increatæ bonitatis, quam hi actus ſortiuntur ex diuerſo iudicio obſcuro fidei, & claro viſionis. Verùm ex hoc non videtur, niſi indiuidualem tantùm differentiam poſſe deſumi: ſicut amor ſequens iudicium æſtimans Deum eſſe diligendum ſuper omnia peccata tam mortalia, quàm venialia, non diſcriminatur ſpecie, ſed ſolùm indiuidualiter ab amore ſequente iudicium, æſtimans Deum eſſe diligendum ſuper omnia peccata mortalia tantùm. *Coninck.*

93. Probabiliùs igitur reliqui citati authores hoc ſpecificum diſcrimen inter amorem viæ & Patriæ deſumunt ex diuerſo modo, quo increata bonitas per fidem applicatur in via, & per viſionem in Patria: etenim in via applicatur tantùm mediatè, & vt relucens in creaturis tanquam in ſuis effectis; in Patria verò immediatè & ſecundùm ſe. Quòd autem hæc diuerſitas applicationis ſufficiat ad diſtinguendum vnum amorem ab alio ſpecie, probatur. Quod ſpecificat actum voluntatis, non eſt res ſecundùm perfectionem, quam habet in ſe, ſed ſecundùm perfectionem, quæ per cognitionem voluntati proponitur: Atqui ſecundùm diuerſam perfectionem Deus proponitur voluntati per cognitionem fidei in via, & per viſionem in Patria: igitur diuerſus eſt amor, quo voluntas in illum tendit in via, & in Patria. Maior patet: quia voluntas nequit ferri, niſi in id, quod ſibi ab intellectu proponitur, & ſecundùm rationem, quâ ſibi proponitur: ergo nequit ferri in rem ſecundùm ſe, ſeu ſecundùm perfectionem, quam res habet in ſe, ſed ſecundùm perfectionem, quam ſibi ab intellectu proponitur. Minorem oſtendo: nam perfectio, ſecundùm quam Deus per cognitionem fidei in via voluntati proponitur, non eſt ipſa increata perfectio ſecundùm ſe, ſed vt in creaturis relucens: quæ autem in Patria per viſionem proponitur, eſt ipſa perfectio increata Dei prout in ſe exiſtit: igitur ſecundùm aliam perfectionem Deus vt diligendus per fidem applicatur in via, & per viſionem applicatur in Patria. Confirmatur. Amor eſt vitalis inclinatio, & tranſcendentalis ordo ad obiectum amatum: inclinatio autem & ordo variatur iuxta formalem varietatem extremorum: cùm igitur varia ſint formaliter extrema amoris viæ & Patriæ, cùm illius ſit bonitas increata vt relucens in creaturis; huius vt exiſtens in ſe, varius quoque erit vitalis ordo & inclinatio in Deum amatum in via, & in Patria.

94. Fauet huic noſtræ ſententiæ B. Auguſtinus qui lib. 1. retract. capite 7. retractat hanc propoſitionem, quam alibi docuit: *cùm ipſum, quem cognoſcere volumus, hoc eſt Deum, priùs plena charitate diligamus, meliùs*, inquit, *diceretur ſincera, quàm plena: niſi fortè putaretur charitatem Dei non futuram eſſe maiorem, quando videbimus, eum facie ad faciem. Erit enim tunc plenior, imò pleniſſima, ſcilicet per ſpeciem.* Hæc Auguſtinus: qui non ſolùm videtur intelligere de plenitudine accidentali & intenſiua, ſed ſubſtantiali & ſpecifica: alioqui multi viri ſancti in hac vita intenſiorem habent charitatem, quàm aliqui in Patria: cùm multi viri ſancti in hac vita habeant actum charitatis commenſuratum quoad intenſionem habitui, qui intenſior eſt habitu charitatis multorum beatorum, ſaltem eorum, qui cum ſola gratia Baptiſmali ex hac vita deceſſerunt. Cùm igitur etiam de his intelligatur Auguſtini authoritas; cumque de his intelligi non poſſit de plenitudine charitatis quoad maiorem intenſionem tantùm, neceſſariò intelligenda erit de plenitudine quoad ſpecificam intenſionem. *Auguſtin.*

95. Dices. Etiam amor viæ vltimatè tendit in ipſam bonitatem increatam Dei ſecundùm ſe: non enim ſiſtit in ſola bonitate Dei relucente in creaturis, ſed ea mediante vlteriùs tendit in ipſam bonitatem diuinam ſecundùm ſe: ergò ex hoc diſcrimine nulla habetur ſpecifica diſtinctio inter dilectionem viæ & Patriæ.

96. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: amor viæ vltimatè tendit in ipſam bonitatem Dei ſecundùm ſe ſignatè, concedo; exercitè, nego. Quod autem actum voluntatis ſpecificat, non eſt obiectum ſignatum,

gnatum, ſed exercitum. Maior conſtat: nam id tantùm exercitè actum voluntatis terminat, quod per cognitionem proponitur: per cognitionem autem viæ non proponitur bonitas increata, vt in ſe exiſtens, ſed vt in creaturis relucens: ergo hæc tantùm exercitè terminat amorem viæ. Minor prioris Syllogiſmi probatur: quia quod actum voluntatis ſpecificat, eſt illud, quod eundem actum immediatè terminat: id autem non eſt obiectum ſignatum, quod voluntas vellet ſuo actu attingere; ſed exercitum, quod actu attingit. Confirmatur. Quod actum contritionis ſpecificat, non eſt obiectum ſignatum, quod eo actu vellet voluntas attingere, ſed obiectum contritionis exercitum. Igitur quod actum amoris ſpecificat, non eſt obiectum ſignatum, quod voluntas vellet attingere; ſed exercitum, quod actu attingit. Conſequentia conſtat à paritate rationis. Antecedens probatur: nam ſi ſolùm obiectum ſignatum ad actum contritionis ſufficeret, poſſet quis ſolo actu attritionis extra ſacramentum iuſtificari: quia poſſet ſignatè tantùm ferri in obiectum contritionis, exercitè verò in ſolum obiectum attritionis. Vt ſi quis inuincibiliter putaret ſe in obiectum contritionis tendere, re ipſa tamen tenderet in ſolum obiectum attritionis. Talis enim ſignatè haberet obiectum contritionis, exercitè verò obiectum attritionis.

97. Ad 1. ſententiam Suarez patet ex prima noſtra aſſertione: cùm nequeat idem actus charitatis numero inchoatus in via perſeuerare in Patria. *Suarez.*

98. Ad fundamentum 2. Negandum eſt, idem eſſe obiectum formale exercitum dilectionis viæ, & Patriæ, vt ſuprà oſtenſum eſt. Vnde licet idem Deus materialiter ſit obiectum amoris viæ & Patriæ, non eſt tamen idem ſecundùm eandem rationem formalem applicatus: cùm hic nobis applicetur ſecundum bonitatem in creaturis relucentem, in Patria ſecundùm bonitatem in ſe ipſa exiſtentem. Vltro etiam concedo, cognitionem, eſſe puram conditionem reſpectu actus voluntatis: nego tamen rem ipſam, quæ cognitione proponitur, eſſe conditionem, ſed rationem formalem. Eſto igitur cognitio obſcura viæ, & clara Patriæ ſint tantùm conditiones reſpectu dilectionis viæ & Patriæ; perfectiones tamen per huiuſmodi cognitiones propoſitæ, non ſunt conditiones, ſed rationes formales ſpecificantes actum viæ & Patriæ.

99. Quòd attinet ad authoritatem S. Thomæ, mihi certum non eſt, quid ipſe in hac re ſenſerit, cùm videam Thomiſtas ipſos inter ſe diſcrepantes. Adde, quòd licet in citatis locis videatur contra nos, in alijs tamen videtur pro nobis, præcipuè 2. 2. quæſtione 24. articulo 7. ad 3. vbi docet, diuerſam eſſe quantitatem charitatis viæ, quæ ſequitur cognitionem fidei à quantitate charitatis Patriæ, quæ ſequitur viſionem apertam. Porrò pro quantitate ibi intelligit non diuerſitatem quoad intenſionem, ſed quoad perfectionem quæ diuerſæ rationis eſt in vno, atque in alio actu charitatis, vt patet ex ipſius verbis: docet enim, quantumcunque in ſuo ordine creſcat charitas viæ, nunquam attingere poſſe charitatem Patriæ, ob diuerſam rationem perfectionis, quæ in vtroque actu reperitur: *ſicut linea*, inquit, *quantumcunq; creſcat, non attingit quantitatem ſuperficiei.* Verùm quia hic locus explicari poſſet de diuerſitate tantùm indiuiduali, ideò mihi ſimpliciter in hac re Angelici Doctoris mens omnino perſpecta non eſt. *S. Thomas.*

DISPV-

DISPVTATIO XXVII.

De præcepto Charitatis erga Deum.

SECTIO I.

An, quale, & quotuplex ſit præceptum diligendi Deum?

1. NON reuocatur à Doctoribus in dubium, an de diligendo Deo extet præceptum; omnes namque vt certum ſupponunt hoc præceptum, latum eſſe Deut. 6. vbi cùm initio capitis Moſes dixiſſet Populo Iſraëlitico: *Hæc ſunt præcepta & ceremoniæ atque iudicia, quæ mandauit Dominus Deus veſter vt docerem vos, & faciatis ea in terra*: primum præceptum quod ſeruandum proponit, eſt de diligendo Deo: *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Hoc ipſum præceptum confirmat Chriſtus Dominus Matth. 22. vbi interrogatus à legis Doctore, quodnam mandatum ſit in lege magnum: Reſpondet: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & in tota anima tua, & in tota mentè tua. Hoc eſt maximum & primum mandatum.* Quod etiam ratio ipſa demonſtrat, quæ vnumquemque obligat, ad diligendum præ omnibus, & ſuper omnia eum, à quò & bona cuncta accepimus, & hactenus maiora ſperamus. Vnde conſtat, hoc præceptum eſſe iuris diuini naturalis: quod non obſcurè indicat Paulus ad Rom. 1. vbi inexcuſabiles appellat mortales: *quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt.* Confirmatur: nam ius naturæ obligat filios ad ſuos paretes diligendos: ergo à fortiori idem ius naturæ obligabit ad diligendum Deum, à quo omnia bona & & naturalia, & ſupernaturalia accepimus.

Deut. 6. *Matth. 22.* *Rom. 1.*

2. Hanc eandem veritatem confirmat Scotus in 3. diſt. 27. q. vnica §. *quantum ad ſecundum dico*: hoc diſcurſu: tenetur homo habere aliquē actum ſtudioſum; ergo maximè circa vltimum finem, ex cuius bonitate redundat omnis bonitas in actum. Cùm igitur Deus ſit vltimus finis, ex cuius bonitate redundat omnis bonitas in actus humanos, tenetur homo aliquem actum ſtudioſum elicere circa hunc finem. Antecedens eſt manifeſtum lumine naturæ. Prior conſequentia conſtat: quia finis eſt primum mouens, ergo qui honeſtè mouetur per actus circa media, priùs honeſtè mouendus eſt per actus circa finem, ſine cuius appetitione nequimus appetere media. Quoniam verò hic Scoti diſcurſus non concludit de amore charitatis & amicitiæ erga Deum vltimum finem, ſed ad ſummū de amore concupiſcentię, quo eundem Deum vt finem & bonum noſtrum nobis amamus, ideò ad hoc ipſum probandum aliam rationem ibidem ſubnectit. Ratio naturalis oſtendit, naturæ intellectuali eſſe aliquod ſummè diligendum, cùm in omnibus actibus & obiectis eſſentialiter ſubordinatis, ſit aliquod ſupremum, & conſequēter etiam in actibus & obiectis diligibilibus ſit aliqua ſuprema dilectio, ſupremumq́ue diligibile. Atqui ratio naturalis euidenter oſtendit, præter Deū nō eſſe aliud ſummè diligendum: ergo ſolum Deum dictat eſſe ſummè diligendum: ergo diligendū amorè amicitiæ propter ſe, & non tantùm amore concupiſcentiæ propter nos ipſos. Hęc vltima conſequentia probatur: tum quia alioqui voluntas non conformaretur recto dictamini rationis, dictantis, ſummum bonum eſſe ſummè diligendum: atqui non ſummè diligitur Deus amorè concupiſcentiæ, cùm poſſit perfectiùs diligi amore amicitiæ. Tum quia ratio naturalis dictat, hoc ſummum diligibile eſſe diligendū ſupra omne aliud diligibile, cùm dictet eſſe diligendum vt totū vniuerſale, in quo virtute & eminenter continentur omnia bona particularia: ergo dictat eſſe diligendum ſupra ipſummet diligentem: non diligeretur autem ſupra ipſum diligentē, ac proinde ſupra omne diligibile, ſi diligeretur ſolo amore concupiſcentiæ propter ipſum diligentem: cùm ſemper perfectiùs ametur is, propter quem bonum amatur, quàm bonum ipſum quod amatur: quia ille amatur vt finis, hoc vt medium.

Scotus.

3. Cæterùm hoc præceptum de diligendo Deo non ponitur expreſsè in Decalogo, in quo primum pręceptum eſt de colendo Deo; quod propriè ad virtutē Religionis ſpectat, quę diſtincta virtus eſt à charitate: quoniam, vt docet S. Th. 2. 2. q. 44. a. 1. ad 3 Præceptum de diligendo Deo, ſicut & præceptum de diligendo proximo, includitur in omnibus præceptis Decalogi: cùm omnia pręcepta Decalogi ordinētur ad dilectionem Dei & proximi, tanquā media ad finem, iuxta illud Chriſti

S. Thomas.

Matth. 22. ſti Domini Matt. 22. *In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet & Propheta.*

4. His vt certis poſitis, controuerſia non leuis inter Doctores inſurgit, an præter præceptum ſupernaturale de diligendo Deo authore ſupernaturali, quod obligat omnes, qui notitiam habent de Deo authore bonorum ſupernaturalium, detur etiam præceptum naturale de diligendo Deo authore bonorum naturalium, quod ſaltem obliget eos, qui nullam notitiam habent de Deo authore bonorum ſupernaturalium. Hæc quæſtio non habet locum apud illos, qui non diſtinguunt dilectionem amicitiæ Dei finis naturalis, & ſupernaturalis: ſed omnem dilectionem amicitiæ circa Deum, ſiue vt finem naturalem, ſiue vt finem ſupernaturalem, cenſent eſſe quoad ſubſtantiam ſupernaturalem, ac proinde omne præceptum de diligendo Deo eſſe ſupernaturale: ſiquidem omne præceptum eſt de actu ipſo dilectionis Dei, qui quoniam ſupernaturalis eſt quoad ſubſtantiam, omne præceptum de diligendo Deo erit ſupernaturale. Niſi fortè quis diſtinguat hoc ipſum præceptum de actu dilectionis ſupernaturalis, in præceptum dictatum lumine naturali, & in præceptum dictatum lumine ſupernaturali, quod eſſet hoc præceptum diſtinguere ſolùm in ordine ad notitiam, non autem in ordine ad executionem.

5. Prima ſententia negat, dari præceptum naturale de diligendo Deo authore naturæ diſtinctum à præcepto Religionis: eſt Bannez 2. 2. quæſt. 44. art. 1. dub. 1. concl. 2. probat primò Probabile eſt, dilectionem naturalem Dei non eſſe ſpecialem virtutem: ergo probabile eſt, de ea non eſſe ſpeciale præceptum. Antecedens probatur, cùm nuſquam Ariſtoteles talis virtutis meminerit. Secundò. Nulla dilectio Dei, præter charitatem, eſt amicitia Dei: ergo naturalis dilectio Dei non obligat: quia ſi obligaret, obligaret ſolùm ratione amicitiæ noſtri erga Deum. Tertiò. Vbi non eſt ſpecialis difficultas non eſt ſpecialis virtus, ac proinde ſpeciale præceptum, quod ſolùm datur de virtutibus habentibus ſpecialem difficultatem. Sed in diligendo Deo non eſt ſpecialis difficultas, cùm tota difficultas ſit tantùm in aſſecutione, ac proinde in exercitio tantùm mediorum, quibus Deum aſſequimur, non autem in ipſo amore vltimi finis. Quartò. Nequit dari præceptum de actu impoſſibili: impoſſibilis autem eſt dilectio naturalis Dei abſque ſpeciali auxilio Dei: igitur impoſſibile eſt præceptum de dilectione naturali Dei. Conſequentia probatur: quia nequit actus eſſe naturalis, ad quem neceſſarium eſt auxilium ſpeciale: ergò ſi ad dilectionem Dei authoris naturæ neceſſarium eſt auxilium ſpeciale, nequit talis dilectio eſſe naturalis. Minorem ſuppono ex præcedente tomo, vbi probaui, non poſſe hominem in hoc ſtatu naturæ lapſæ viribus proprijs, abſque ſpeciali auxilio per Chriſtum efficaciter diligere Deum, etiam vt authorem naturæ.

Bannez. Ariſtoteles.

6. Secunda ſententia affirmat, dari præceptum naturale de diligendo Deo authore naturæ diſtinctum à præcepto Religionis: colligitur ex S. Thoma 1. 2. q. 100. a. 3. ad 1. vbi aſſignans rationem, cur hæc duo præcepta charitatis erga Deum & proximum, non contineantur in Decalogo: *dicendum*, inquit, *quòd illa duo præcepta ſunt prima & communia præcepta legis naturæ, quæ ſunt per ſe nota rationi humanæ, vel per naturam, vel per fidem.* Quibus apertè concedit, hæc duo præcepta obligare etiam in ſtatu naturæ, in quo nulla eſſet cognitio fidei, per ſolam cognitionē legis naturalis. Id ipſum docet 2. 2. quæſt. 26. art. 3. vbi duplicem diſtinguit amorem creaturæ erga Deum, alterum fundatum in communicatione naturæ, alterum fundatum in communicatione gratię & ſupernaturalis beatitudinis: & 1. p. q. 60. a. 5. ad 4. Eandem ſententiam docent Scotus in 3. diſt. 27. Durandus diſt. 29. q. 2. Capreolus diſt. 27. quæſt. vnica art. 1. concl. 3. Valentia 2. 2. diſp. 3. quæſt. 4. pun. 2. in fine: Turrianus diſp. 97. dub. 1. Suarez diſp. 5. de præceptis charitatis ſect. 1. concl. 2. & reliqui ferè Theologi. Pro qua,

S. Thomas. Scotus Durandus Capreolus Valentia Turrianus Suarez.

7. Dico 1. Præter præceptum ſupernaturale de diligendo Deo ſuper omnia vt fine & authore ſupernaturali, datur etiam præceptum naturale de diligendo Deo ſuper omnia vt authore & fine naturali diſtinctum à præcepto Religionis. Potiſſimum fundamentum huius aſſertionis deſumitur à paritate, hoc pacto. Præter præceptum ſupernaturale Religionis de cultu exhibendo Deo vt principio & authori bonorum ſupernaturalium, datur præceptum ſupernaturale charitatis de diligendo Deo fine & authore bonorum ſupernaturalium: ergo præter præceptum naturale Religionis de cultu exhibendo Deo vt principio & authori bonorum naturalium, datur etiam præceptum naturale de diligendeo Deo fine & authore bonorum naturalium. Antecedens admittunt aduerſarij. Conſequentiam ſic probo. Non minùs creatura intellectualis per communicationem bonorum naturalium ordinatur ad Deum tanquam ad finem naturalē, quā per communicationē bonorum ſupernaturalium ordinatur ad eundem tanquam ad finem ſupernaturalem: ergo ſi ad Deum finem ſupernaturalem non ſufficienter ordinatur per præceptum Religionis ſupernaturalis, ſed requiritur etiam præceptum dilectionis ſupernaturalis: neque ad eundem vt finem naturalem ſufficienter ordinabitur per præceptum Religionis naturalis, ſed neceſſarium quoque erit præceptum dilectionis naturalis.

8. Confirmatur. Ideò ſolum præceptum Religionis ſupernaturalis non ſufficienter inſtruit & munit creaturam circa

Deum finem ſupernaturalem, quia præceptum Religionis inſtruit & munit tantùm circa media ad finem; creatura autem intellectualis non ſolùm eget inſtrui & muniri circa media ad finem, ſed etiam circa ipſum finem, ex cuius bonitate & amore debet ad media ipſa eligenda moueri. Sed etiam præceptum Religionis naturalis ſolum inſtruit & dirigit creaturam intellectualē circa media ad finem: nec minùs creatura eget inſtructione & directione finis naturalis, ex cuius bonitate & amore naturali debet ad media eligenda moueri. Igitur ſi in ordine ad finem ſupernaturalem, prçter prçceptum de medijs exequendis neceſſarium fuit præceptum de fine ipſo propter ſe diligendo, etiam in ordine ad finem naturalem, præter præceptum de medijs exequendis, neceſſarium fuit præceptum de fine ipſo propter ſe diligendo.

9. Confirmatur 2. Non minùs recta ratio naturali lumine inſtructa dictat, Deum eſſe ſuper omnia diligendum vt finem naturalem, quàm eadem ratio diuina fide illuſtrata dictet, eundem Deum eſſe ſuper omnia diligendum vt finem ſupernaturalem: ergo non minùs voluntas per dictamen rationis naturalis obligatur ad diligendum Deum finem naturalem, quàm per dictamen fidei ſupernaturalis obligetur ad diligendum Deum vt finem ſupernaturalem. Antecedens patet, quia naturali lumine euidens eſt, diligendum eſſe eum, à quo tanta bona naturalia accepimus; & quidem ſuper omnia, cùm diligendus ſit vt totum vniuerſale continens in ſe omnia bona particularia, quæ ab ipſo eſſentialiter pendent. Conſequentia verò probatur, cùm non minùs naturale dictamen rationis obliget creaturam circa ſuum finem naturalem, quàm ſupernaturale dictamen fidei obliget eandem circa finem ſupernaturalem.

10. Dico 2. Qui ſufficientem notitiam habet legis ſupernaturalis, obligatur ad dilectionem Dei finis ſupernaturalis: neque huic præcepto ſatisfacit per dilectionem Dei finis naturalis: tametſi præcepto naturali de diligendo Deo fine naturali ſatisfiat per actum dilectionis Dei finis ſupernaturalis. Primum conſtat: nam Deus diligendus eſt amore perfectiſſimo ſuper omnia; ergo ſecundùm omnes perfectiones, quibus per fidem cognoſcitur: igitur non ſolùm diligendus eſt vt finis naturalis ſecundùm perfectiones naturales, ſed etiam vt finis ſupernaturalis ſecundùm perfectiones ſupernaturales.

11. Secundùm conſtat tum à poſteriori: nam amor Dei finis naturalis non eſt vltima diſpoſitio ad iuſtificationem in eo, qui ſufficientem notitiam habet legis ſupernaturalis, vti eſt amor Dei finis ſupernaturalis, vt ex præcedente tomo ſuppono. Tum à priori: quia non eſt perfectiſſimus, neque ſuper omnia ille amor, qualis eſſe debet amor erga Deum, vt infrà oſtendam, qui non fertur in omnes perfectiones, quas in Deo cognoſcit. Igitur per amorem, qui tantùm fertur in Deum finem naturalem, non ſatisfit præcepto de diligendo Deo fine ſupernaturali ab eo, qui ſufficientem notitiam habet de Deo fine ſupernaturali.

12. Tertiùm probatur: quoniam dilectio Dei finis ſupernaturalis eminenter continet dilectionem Dei finis naturalis: ergo qui diligit Deum vt finem ſupernaturalem ſatisfacit præcepto de diligendo Deo fine naturali. Conſequentia patet: quia rectè ſatisfit præcepto per actum, qui perfectiori modo verſatur circa præceptum. Antecedens conſtat: nam Deus vt principium & author naturæ neceſſariò præſupponitur ad ſe ipſum vt principium & authorem gratiæ & gloriæ: & conſequenter dilectio Dei finis ſupernaturalis eminenter includit dilectionem eiuſdem vt finis & authoris naturalis.

13. Ex dictis infertur 1. Ethnicum, qui nullam notitiam habet de Deo fine ſupernaturali, ſatisfacere præcepto de diligendo Deo per actum dilectionis naturalis. Conſtat, quia nemo tenetur ad impoſſibile: impoſſibilis autem eſt dilectio Dei finis ſupernaturalis ei, qui nullam notitiam habet Dei finis ſupernaturalis, cùm impoſſibile ſit voluntatem ferri in incognitum. Cæterùm, an talis dilectio in homine gentili ſit ſufficiens diſpoſitio ad iuſtificationem, conſtat ex ijs, quæ in præcedente tomo docuimus.

14. Infertur 2. Etiamſi non fuiſſet latum præceptum de diligendo Deo fine ſupernaturali, adhuc hominem obligatum fuiſſe ad diligendum Deum finem ſupernaturalem, ſufficienti ipſius notitia poſita. Ratio, quia quę ſunt de iure diuino naturali, per ſe obligant independenter à præcepto poſitiuo Dei: atqui præceptum de diligendo Deo fine ſupernaturali, ſufficienti ipſius cognitione poſita, eſt de iure diuino naturali: ergo independenter à prçcepto poſitiuo Dei obligat hominem de fine ſupernaturali ſufficienter inſtructum. Maior patet: quia quæ ſunt de iure diuino naturali ex ſe includunt obligationem: ergo vt obligent, non egent extrinſeco præcepto poſitiuo. Minor probatur: nam poſita ſufficienti notitia Dei finis ſupernaturalis, ratio naturaliter dictat, Deum eſſe ſuper omnia diligendum vt finem & authorem ſupernaturalem, non minùs quàm poſita notitia Dei finis naturalis, eadem ratio dictat, Deum eſſe ſuper omnia diligendum vt finem naturalem.

15. Petes. Si hoc præceptum obligat ex ſe, cur peculiari lege præſcriptum nobis eſt? Reſpondeo tum ad maiorem certitudinem: tum propter Idiotas, vt nullam ignorantiam prætendant. Quemadmodum omnia præcepta Decalogi ex ſe obligant, independenter à lege poſitiua Dei: ad maiorem tamen certitudinem, nec non

ad

ad tollendam omnem ignorantiam peculiari lege Dei præcepta nobis ſunt.

16. Ad 1. Argumentum primæ ſententiæ negatur antecedens, quis enim negabit, dilectionem Dei finis naturalis eſſe actum honeſtum, & conſequenter alicuius virtutis; non charitatis, cùm hæc pro motiuo habeat Deum finem ſupernaturalem: neque alterius virtutis, cùm nulla alia virtus habeat pro motiuo formali Deum propter ſe naturali lumine cognitum. Ad authoritatem Ariſtotelis, negandum eſt, illum nuſquam huius virtutis meminiſſe: meminit enim tum libro 8. Eth. capite 12. & libro 16. capite 8. cùm docuit, inter homines & Deum eſſe amicitiam, non æqualitatis, ſed excellentiæ: tum eodem libro 10. capite 7. & 8. cùm naturalem hominis felicitatem aſſignauit contemplationem de honeſtis, diuiniſque rebus, non excluſa operatione voluntatis, quæ circa præſtantiſſimum obiectum, qui Deus eſt, amando verſatur. *Ariſtoteles.*

17. Ad 2. Primò negandum eſt, inter nos & Deum dari non poſſe amicitiam naturalem, vt conſtat ex diſputatione 25. ſectione 3. Secundò, eſto talis amicitia ſaltem de facto, non detur, datur tamen ex parte noſtra dilectio Dei finis naturalis, cuiuſcunque tandem virtutis ſit iſte actus, ad quem ex præcepto naturali tenemur.

18. Ad 3. Eſto nulla ſit ſpecialis difficultas, ac proinde nec ſpeciale præceptum de diligendo Deo amore ſimplicis complacentiæ: eſt tamen ſpecialis difficultas, atque adeo ſpeciale præceptum de diligendo Deo amore efficaci & obedientiali, qualis ad obſeruantiam huius præcepti requiritur. Quemadmodum nec datur præceptum de ſimplici complacentia Dei finis ſupernaturalis, ſed de efficaci & obedientiali dilectione eiuſdem: cùm non minùs præcepto naturali teneamur amare Deum ſuper omnia vt finem naturalem, quàm præcepto ſupernaturali teneamur amare Deum ſuper omnia vt finem ſupernaturalem.

19. Quartum argumentum ad ſummum probat, non poſſe hoc præceptum ſeruari ſolius naturæ viribus, ſed neceſſarium eſſe aliquod auxilium indebitum ordinis naturalis, ſaltem pro hoc ſtatu naturæ corrupæ, quod vltro cõcedimus: cũ nequeamus in hoc ſtatu potentia morali, qualis requiritur ad expeditam potentiam operandi, diligere Deum vt finem naturalẽ ſuper omnia, aliquo auxilio nobis indebito. Cæterùm cùm hoc auxilium non debeat eſſe in entitate ſupernaturale, non ſequitur, dilectionem Dei ex illo elicitam non fore quoad ſubſtantiam naturalem. Vnde ſequitur, huiuſmodi auxilium neceſſarium etiam fuiſſe homini in pura natura conſtituto, cùm etiam homo in pura natura conſtitutus habuiſſet difficultates, quas habet in natura lapſa: nam hæ potiſſimum naſcuntur ex rebellione appetitus inferioris contra ſuperiorem, quæ rebellio eadem fuiſſet in pura natura, cùm hæc fundetur in ipſa intrinſeca conſtitutione hominis conſtantis ex appetitu ſenſitiuo, & rationali.

SECTIO II.

Quid nobis per præceptum Deut. datum præcipiatur, & num illud adimpleri poſſit in hac vita?

20. Qvoad priorem quæſtionem nonnulli putarunt, nullum internum actum dilectionis per hoc mandatum nobis præcipi, ſed obſeruantiam duntaxat præceptorum, quæ in Decalogo præſcribuntur. Probatur ex verbis Chriſti, Ioannis 14. *Si diligitis me, mandata mea ſeruate.* Quibus dilectionem ſui Chriſtus explicat per mandatorum obſeruantiam. Vnde Chryſoſtomus Homil. 74. in hunc locum, ita ſcribit: *hæc eſt dilectio, credere, & parere dilecto.* Expreſſiùs id docuit Bernardus ſerm. 50. in Cantica his verbis: *Eſt charitas in actu, eſt & in affectu: & de illa quidem, quæ operis eſt, puto datam eſſe legem hominibus, mandatumq; formatum: nam in affectu quis ita habeat vt mandatur? ergo*, vt ibidem hic Sanctus Pater concludit, *illa mandatur ad meritum, iſta in præmium datur.* Quam ſententiam infrà probar tum ex præcitato loco Ioannis. 14. vbi præceptum de diligendo Deo Chriſtus explicat per obſeruantiam mandatorum: tum ex Lucæ 6. vbi præceptum de diligendis inimicis idem Chriſtus explicat per externa opera beneficentiæ: *Diligite*, inquit, *inimicos veſtros: mox, ait* Bernardus, *de operibus infert: Benefacite his, qui oderunt vos.* Et ad Rom. 12. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitit, potum da illi: & hic*, idem Bernardus ſubdit, *de actu habes, non de affectu.* *Ioan. 14.* *Chryſoſt.* *Bernard.* *Luc. 6.* *Rom. 12.*

21. Verùm communis Theologorum ſententia, quam Scholaſtici cum Magiſtro in 3. diſtinctione 27. & Thomiſtæ cum Angelico 2. 2. quæſtione 44. articulo 4. tradunt, Eſt per hoc mandatum, nobis præcipi actum ipſum internum dilectionis Dei. Et ſanè non potuit clariùs hæc veritas in præcepto exprimi. Quid enim aliud illa verba ſignificant. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima*: ſiue, vt habetur Marci 12. *Ex tota mente tua, & ex tota virtute tua*: quàm, vt *Magiſter. S. Th.* *Marc. 12.*

Digitized by Google

illa explicat Magiſter, *ex toto intellectu, & ex tota voluntate?* *vt,* quemadmodum Auguſti- *Auguſt.*
nus lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 22. ait, *Omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipſa, quæ confers: & cùm ait,* vt idem Doctor ſubiungit, *toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ noſtræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, vt alia re velit frui, ſed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit.* Eadem veritas tanquam certa
Trident. ſupponitur à Tridentino ſeſſ. 6. cap. 6. vbi explicans actus, quibus peccator ad iuſtificationem ſe diſponit, potiſſimum ponit dilectionem Dei.

22. Hanc eandem veritatem, euidenter ratio ipſa demonſtrat: cùm non minùs debeatur Deo internus affectus charitatis per dilectionem exhibitus, quàm externum opus per obſeruantiam reliquorum præceptorum: quin ex oppoſita ſententia ſequitur, fruſtraneè nobis habitum charitatis infundi: nam hic datur propter internum actum dilectionis: ergo ſi hic neceſſarius non eſt, neque neceſſarius erit habitus charitatis. Conſequentia patet: quoniam fruſtraneus eſt habitus, qui ad nihil deſeruit. Antecedens probatur: nam habitus charitatis non datur ad hominem ſanctificandum, cùm ad hunc effectum ſufficiat gratia ſanctificans: neque ad reliqua præcepta ſeruanda, cùm ad ea ſufficiant reliquæ virtutes infuſæ: neque ad imperandum actus aliarum virtutum. Nam vel hoc imperium eſſet neceſſarium, vt virtutes ipſæ poſſent ſuos actus exercere: & hoc non, cùm ipſæ per ſe ſufficientes ſint ſuos actus exercere, vt conſtat de Fide & Spe, quæ abſque vllo charitatis imperio in peccatore ſuos actus exercent: vel vt ipſimet reliquarum virtutum actus eliciantur propter Deum. At hoc ipſo ponitur internus actus dilectionis Dei vt neceſſarius ad ſalutem. Falſum igitur eſt, ad ſalutem ſufficere obſeruantiam reliquorum præceptorum. Etenim ideò neceſſarium eſt charitatis imperium, quia actus ipſe charitatis neceſſarius eſt: cùm nihil aliud ſit charitatis imperium, quàm ipſemet charitatis actus propter Deum elicitus. Vel demum hoc imperium charitatis eſſet neceſſarium ad condignificanda opera iuſti: at ad hoc ſufficit gratia habitualis ſanctificans, quæ eſt forma condignificans omnia opera ſupernaturalia iuſti.

23. Præterea ex hac ſententia ſequitur, poſſe peccatorem extra Sacramentum iuſtificari abſque actu contritionis, vel dilectionis Dei, ſolo actu attritionis, vel alterius virtutis,
Trident. contra Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. vbi de ſola contritione charitate perfecta docet, eam extra Sacramentum Pœnitentiæ, peccatorem reconciliare eum Deo: attritionem verò, eademque ratio eſt de reliquis virtutum actibus, hanc vim non habere. Sequela probatur: quoniam ad iuſtificationem extra Sacramentum ſufficit efficax propoſitum obſeruandi omnia præcepta ad ſalutem neceſſaria: ergo ſi ad ſalutem dilectio Dei neceſſaria non eſt, poterit peccator per ſolum propoſitum ſeruandi reliqua præcepta, abſque interno actu dilectionis Dei, vel ad ſummum per propoſitum illum exercendi, (ſiquidem in hac ſententia hoc non eſt medium neceſſarium ad ſalutem) extra Sacramentum iuſtificari.

24. Ad teſtimonium autem Chriſti pro contraria ſententia adductum. Reſpondeo aſſignari à Chriſto obſeruantiam mandatorum, non quòd ea ſola, excluſa charitate ſufficiat: ſed tanquam ſignum veræ dilectionis erga ſe: vera enim dilectio ex operibus cognoſcitur. Cùm enim vera dilectio Dei includere debeat efficax propoſitum eius mandata ſeruandi, rectè ex horum obſeruantia illa colligitur. Eundem ſenſum habent verba Chryſoſtomi.

24. Difficilior eſt Bernardi authoritas: ve- *Bernardus.*
rùm ſi totus eius ſermo attentè legatur, non eſt, cur tanto authore tanquam ſuo Patrono contraria ſententia glorietur. Non enim abſolutè negat, nullum actum internum charitatis eſſe in præcepto, ſed ſolùm illum, qui in puro affectu conſiſtit, & ad externa opera non ſe extendit, qui beatorum eſt proprius. Diſtinguit igitur triplicem affectionem, *quam caro gignit, quam ratio regit, & quam condit Sapientia. Prima quidem,* inquit, *affectus dulcis ſed turpis: ſecunda ſicca, ſed fortis: vltima pinguis & ſuauis eſt. Igitur per ſecundam opera fiunt, & in ipſa charitas reſidet, non illa affectualis, quæ ſale Sapientiæ condita pingueſcens, magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini, ſed quædam potiùs actualis: quæ etſi nondum dulci illo amore ſuauiter reficit, amore tamen amoris ipſius vehementer accendit.* Hæc Bernardus. Qui apertè admittit in hac vita affectum charitatis erga Deum, non tamen in eo ſolo animus quieſcit, ſed per eum ad externa etiam opera ſe extendit.

25. Quoad poſteriorem quæſtionem. Aliqui putant, non poſſe hoc præceptum, prout in lege traditur, in hac vita perfectè adimpleri, ſed in alia. Ita Magiſter in 3. diſt. 27. *Magiſter.*
Bonauentura, Scotus & alij ibidem: nec non *Bonauent.*
S. Thomas ſecunda ſecundæ q. 44. art. 6. & *Scotus.*
cum eo Bañez, Valentia diſp. 3. q. 19. de *S. Thomas.*
præcepto charitatis punct. 1. Probant 1. ex *Bannez.*
Auguſtino de perfectione iuſtitiæ contra Cœ- *Valentia.*
leſtium in reſponſione ad 16. ratiocinatio- *Auguſt.*
nem. *Charitas,* inquit, *quæ in his tribus maior eſt, non auferatur, ſed augeatur, & impleatur, cõtemplata quod credebat, & quod ſperabat indepta. In qua plenitudine charitatis præceptum illud implebitur:* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. *Nam cùm eſt adhuc aliquid carnalis concupiſcentiæ, quod vel continendo frænatur, non omni modo ex tota anima diligitur Deus.* Idem docet de Spiritu & litera c. vlt.

26. Secundò ex Bernardo ſerm. 50. in *Bernardus.*
Cantica ſuprà citato: vbi de hoc præcepto loquens, hæc ſcribit: *quomodo ergo iubenda fuit, quæ implenda nullo modo erat? aut ſi placet tibi*

magis de affectuali datum fuiſſe mandatum, non inde contendo, dummodo acquieſcas & tu mihi, quod minimè in vita iſta ab aliquo homine poſſit, vel poterit adimpleri. Idem docet tract. de diligendo Deo. Tertiò, idem probatur ex verbis præcepti: nam Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente diligere, eſt omnes animi vires & potentias ad illum diligendum applicare, quod in hac vita ob corporis, & proximi neceſſitates, eſt impoſſibile.

27. Alij verò arbitrantur, præceptum hoc, etiam vt in lege exprimitur, poſſe in hac vita perfectè adimpleri. Ita Richardus in 3. diſt. 27. att. 8. qu. 2. Coninck diſp. 24. dub. 2. concl. 3. Syluius 2. 2. quęſt. 44. art. 6. & alij. *Quæ ſententia probabilior eſt & ſequenda:* tum quia contraria fauet hęreticis noſtri temporis, qui putant, præcepta Dei eſſe impoſſibilia, vt ex can. 18. ſeſſionis 6. Concilij Tridentini colligitur. Tum maximè quoniam charitas Patriæ datur nobis in præmium: pæmium autem ſupponit perfectam præceptorum adimpletionem: ergo charitas Patrię non poteſt eſſe perfecta præcepti adimpletio, cùm hęc ſupponatur, vt propter eam detur charitas Patrię. Tum quia nequit præceptum adimpleri actu neceſſario, cuiuſmodi eſt amor beatificus: non enim præceptum datur de actibus neceſſarijs, ſed de liberis. Vltimò confirmatur hæc ſententia ex vero ſenſu illorum verborum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua:* non enim hæc ſignificant, vt aduerſarij autumant, quòd homo ſemper debeat eſſe in continua dilectione Dei, ſuaſque potentias omnes & vires applicatas habere ad hanc dilectionem perpetuandam, vti habent Beati in Patria: ſed quòd nihil debeat admittere contrarium amori Dei: ita vt toto corde, tota anima, & mente Deum diligere, aliud non importet, quàm non duplici ſeu diuiſo corde, partim ad ipſum, partim ad creaturas conuerſo, per amorem diuino contrarium, ſed ſimplici & puro affectu erga Deum, non miſto cum alio affectu amori diuino contrario. Hanc ex poſitionem tradunt Maldonatus in 22. caput Matt. & Vaſquez 1. 2. diſp. 194. cap. 3. in fine, eaque apertè colligitur ex Deut. 30. vbi poſtquam Moſes hoc præceptum populo ſeruandum propoſuiſſet, addidit hęc verba: *mandatum hoc, quod ego tibi præcipio hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cælo ſitum, vt poſſis dicere: quis noſtrum valet ad cælum aſcendere, vt deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare poſitum, vt cauſeris, & dicas: quis ex nobis poterit transfretare mare & illud ad nos vſque deferre, vt poſſimus audire, & facere quod præceptum eſt, ſed iuxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.*

Richardus. Coninck. Syluius. Trident. Maldonat. Vaſquez. Deuter. 30.

28. Ad authoritatem Auguſtini & Bernardi, reſpondendum eſt, eos intelligendos eſſe non de adimpletione præcepti, quà præceptum eſt formaliter, quo pacto vt probatum eſt, in hac tantùm vita adimpleri poteſt, cùm in hac tantùm vita ſeruari poſſit actu libero, vti adimplenda ſunt pręcepta: ſed de adimpletione præcepti ſpecificatiuè, quatenus eſt de dilectione Dei, quæ non conſiderata ſub ratione præcepti adimplendi ab homine, ſed ſub ratione affectus Deo debiti, nequit perfectè in hac vita adimpleri: cùm nequeamus in hac vita tantùm, ac tam perfectè Deum diligere, quantum iuxta noſtram poſſibilitatem diligibilis eſt: nam etiamſi vellemus moraliter non poſſemus in hac vita ob corporis & proximi neceſſitates, ſecundùm totam noſtram virtutem eum diligere. Ex dictis patet quis ſit verborum præcepti ſenſus.

SECTIO III.

Quando hoc præceptum obliget, & num ſuppleri poſſit alio actu, vel ſuſceptione alicuius Sacramenti?

29. Diſputabimus hic de præcepto affirmatiuo charitatis: nam de negatiuo, quod eſt de non odio habendo Deum, conſtat, illud ſemper obligare: nec vllum fingi poſſe tempus, in quo non obliget, cùm ſemper odium Dei ſit per ſe intrinſecè malum, ac proinde ſemper illicitum ac prohibitum. De affirmatiua igitur varia ſunt Theologorum placita, quando illud obliget.

30. Affirmant aliqui, illud obligare, quotieſcunque aliud quodcunque præceptum obligat. Quorum fundamentum eſt, quia nullum aliud pręceptum abſque charitate adimpleri poteſt. Hæc ſententia falſum aſſumit principium. Quis enim dicet, ad ſeruandum pręceptum Ieiunij quadrageſimalis, annuę cōfeſſionis, Paſchalis cōmunionis, neceſſarium eſſe actū dilectionis erga Deum? alioqui quoties quis aliquod pręceptum tranſgrederetur, duplicis foret pręcepti tranſgreſſor.

31. Alij obligare dicunt, cùm quis per ſuſceptionem Baptiſmi Chriſtianam Religionem profitetur: eò quòd tunc ratione Chriſtianæ militiæ, cui nomen dat, tenetur per actum charitatis ſe Deo dicare. Hæc ſententia vera eſt, non ex eo, quòd ad Baptiſmum accedat, ad quem dignè ſuſcipiendum ſufficit attritio, ſeu amor concupiſcentię: ſed ex eo quòd de rebus ad Chriſtianam Religionem ſpectantibus inſtructus, teneatur, vt infrà oſtendam, per actum dilectionis ad Deum vltimum finem ſe conuertere.

32. Alij hoc præceptum obligare putant, cùm quis ad Martyrium rapitur, vel quodcunque aliud Heroicum opus inchoandum ſuſcipit. Quoad Martyrium hanc ſententiam veram arbitror, non ex eo præciſè, quo quis Martyrium ſubit, ad hoc enim ſufficit attritio cum Sacramento Pœnitentiæ: ſed ex eo quòd quis per Martyrium hanc vitam finit. Cæterùm falſum eſt, illud obligare, quotieſcunque

Digitized by Google

cunque aliquis Heroicum opus aggreditur: ad hoc enim ſat eſt actus Religionis, quo quis ad tale opus aggrediendum petit à Deo neceſſarium auxilium.

33. Alij illud obligare cenſent feſtis diebus: aiunt enim, hoc præceptum de diligendo Deo eſſe ab Eccleſia determinatum ad hoc tempus: ſicut ad tempus Paſchale eſt ab Eccleſia determinatum præceptum diuinum de Sacra Synaxi. Sed contrà, quia nullibi de hac determinatione fit mentio, cùm tamen fieri deberet, vti fit de Euchariſtię ſuſceptione. Sufficienter igitur quis Sabbatha ſanctificat, ſi exequatur ea, quæ iuxta Eccleſiæ præceptum præſcribuntur.

34. Alij demum obligare docent, quoties quis inſigne aliquod beneficium à Deo accipit: quod probabile quidem eſt, haud tamen certum, cùm adhuc ſufficere poſſit virtus gratitudinis, per quam beneficatus de accepto beneficio Deo gratias agat. Pro huius controuerſiæ ſolutione,

35. Diſtinguenda eſt, vti in præcepto Fidei, & Spei ſuprà diſtinximus, duplex obligatio; Altera per ſe, ratione ipſiuſmet charitatis: Altera per accidens, ratione alterius virtutis à charitate diſtinctæ. Diſtinguendum prætereà eſt triplex tempus, initium, finis vitæ, & reliquum intermedium tempus inter initium & finem vitæ. Quibus adnotatis,

36. Dicendum eſt primò, hoc præceptum initio vitæ obligare omnes, poſtquam ſufficienter de Myſterijs Chriſtianæ Religionis inſtructi fuerint. Hæc aſſertio certiſſima mihi eſt: nam ſi eſt tempus, quo hoc pręceptum obligat, eſt, quando homo ſufficienter de rebus Chriſtianę Religionis inſtructus, tenetur ſe ad Deum vltimum finem efficaciter conuertere per actus Fidei, Spei, & Charitatis,
Heb. 11. iuxta illud Apoſtoli ad Hebræos 11. *Oportet accedentem ad Deum credere, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Etenim licet his verbis non fiat expreſſa mentio charitatis, ſubintelligitur tamen, cùm debeat homo cùm primum per fidem agnoſcit Deum authorem ſupernaturalis beatitudinis, in eumque ſperat ſe cum eius auxilio ipſum conſecuturum, etiam actu dilectionis in eum ferri.
Concilium Trident. Vndę Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. dum diſpoſitionem peccatoris ad iuſtificationem deſcribit, ſtatim poſt actus Fidei & Spei, numerat actum dilectionis Dei. Et ratio deſumitur ex ipſo dictamine rationis diuina fide illuſtratę. Hæc enim, poſita fide quòd Deus ſit vltimus finis noſter, & author bonorum omnium, neceſſariò dictat, hunc eſſe ſuper omnia diligendum.

37. Nec poteſt hic actus differri vſque in finem vitæ: quia cùm ſit moraliter neceſſarius ad ſtabiliendum hominem in via Dei & in perfecta obſeruantia diuinorum pręceptorum, debet initio vitę formari, quando de eodem formantur actus Fidei, & Spei: cùm non minùs actus charitatis, quàm Fidei & Spei, ſint initio vitę ad animum erga Deum perfectè ſtabiliendum neceſſarij. Cæterùm non eſt hoc tempus Metaphyſicè accipiendum, vt ſtatim atque homo vſum rationis attingit, teneatur hunc actum elicere: hoc enim tanquam improbabile pręcedente Tomo contra Thomiſtas refutauimus; ſed moraliter, vt habeat aliquam latitudinem, etiam poſtquam homo fuerit ſufficienter de Myſterijs noſtrę Religionis edoctus: quæ temporis latitudo relinquitur prudentis arbitrio.

38. Dicendum 2. Hoc præceptum obligare in fine vitæ, quando vrget articulus, vel periculum mortis, hęc etiam aſſertio mihi eſt certiſſima, quam omnes admittunt. Fundamentum eſt, quia hoc etiam tempore ratio diuina fide illuſtrata dictat, actu charitatis diligendum eſſe ſuper omnia Deum vt finem vltimum, quem mox conſequendum ſperamus. Confirmatur: nam certum eſt, hoc præceptum aliquando obligare: non eſt autem veroſimile, illud ſemel duntaxat initio vitę obligare: ergo ſaltem pręter initium obligabit in ipſo fine vitę, quando homo maximè debet ſe coniungere Deo per gloriam.

39. Dixi, *quando vrget articulus, vel periculum mortis:* quia hoc pręceptum non ſolùm obligat in vero, ſed etiam in probabili periculo mortis, ac proinde non ſolùm in articulo, ſed etiam in periculo mortis. Cęterùm vti de initio vitę ſuprà diximus, non eſt articulus, ſeu periculum mortis Metaphyſicè accipiendum, ſed moraliter, vt nimirum non ſtatim atque articulus, vel periculum mortis apprehenditur, præceptũ charitatis obliget, ſed intra aliquam temporis latitudinem, intra quam homo probabiliter eſt victurus, & ad actum dilectionis erga Deum moraliter expeditus.

40. Dicendum 3. Pręter hæc duo tempora, probabiliſſimum etiam eſt, hoc præceptum ſubinde obligare ad ſui obſeruantiam. Fundamentum, quia non videtur è dignitate tanti præcepti tamque neceſſariò connexi cum dictamine rationis diuina fide illuſtratę, vt ad hæc duo tantùm tempora limitetur. Cæterùm quæ hæc tempora ſint & quando aſſignanda, difficile eſt definire, ſed prudentis arbitrio & proprię vniuſcuiuſque conſcientiæ relinquenda. Nam quòd aliqui aſſignant ſingulos annos, non videtur probabile; & multò minùs, quoties ſubit cogitatio de obligatione huius pręcepti: nam alicui poſſet ſingulis diebus, alicui contrà nunquam in vita huiuſmodi cogitatio occurrere.

41. Dicendum 4. Per accidens hoc pręceptum obligare, quoties obligat præceptum contritionis. Obligat autem præceptum contritionis. Primò, quoties quis tempore annuę confeſſionis non habet copiam confeſſarij. Secundò, quando ad dignam adminiſtrationem, vel ſuſceptionem Sacramenti requiritur ſtatus gratię, & aliàs vel non eſt copia confeſſarij, vel non tenetur quis per Sacramentum Pœnitentiæ ſe in ſtatu gratię reponere. Nam tunc, cùm ex vna parte ſit neceſſarius ſtatus gratiæ, & ex alia aliud mediũ non ſuppetat, tenetur illud arripere. Fundamentũ aſſertionis eſt: quia cõtritio eſſentialiter includit

Digitized by Google

includit dilectionem Dei ſuper omnia, cùm ſit dolor de peccatis propter Deum ſummè dilectum. Ex quo ſequitur, huic præcepto de diligendo Deo ſuper omnia ſatisfieri per actum contritionis. Cæterùm, an hæc dilectio Dei in actu contritionis incluſa dicenda ſit formalis, an virtualis, pertinet ad modum loquendi: cùm alioqui certum ſit, peccati deteſtationem in actu contritionis vltimatè terminari ad Deum propter bonitatem ipſius, cùm ſit deteſtatio & fuga peccati ex complacentia Dei. Tertiò obligat hoc præceptum per accidens, quoties dilectio Dei apprehenditur vt medium neceſſarium ad aliquam tentationem ſuperandam.

42. Atque hæc quoad priorem quæſtionem. Quoad poſteriorem verò, an huic præcepto ſatisfieri poſſit per actus aliarum virtutum, vel per ſuſceptionem alicuius Sacramenti, Ratio dubitandi eſſe poteſt: quoniam, ſicut ſuprà docuimus, poteſt per Sacramentum Pœnitentiæ cum ſola attritione ſatisfieri præcepto contritionis: ita poterit per ſuſceptionem eiuſdem, vel per ſumptionem Euchariſtiæ, cum ſolo actu fidei & Spei ſatisfieri præcepto de diligendo Deo ſuper omnia. Ad quam difficultatem ſoluendam,

43. Dicendum eſt 5. Non poſſe per actus aliarum virtutum, nec per ſuſceptionem alicuius Sacramenti huic præcepto ſatisfieri. Prior aſſertionis pars patet: quia cùm dilectio Dei ſuper omnia ſit actus omnium perfectiſſimus, in nullo alio actu alterius virtutis, poterit formaliter, aut eminenter, vel virtute contineri: ac proinde nullo alio actu alterius virtutis poterit huic præcepto ſatisfieri: cùm nequeat præcepto ſatisfieri, niſi per actum, qui vel formaliter, vel eminenter, aut virtute præcepti actum continet.

44. Poſterior eiuſdem aſſertionis pars probatur: quoniam nullum conſtat Sacramentum eſſe inſtitutum ad ſupplendum defectum amoris Dei ſuper omnia: ſicut conſtat, inſtitutum eſſe Sacramentum ad ſupplendam perfectam Pœnitentiam & deteſtationem de peccatis. Conſtat enim per Sacramentum Baptiſmi, & Pœnitentiæ, cum ſola attritione de peccatis, hominem iuſtificari: extra quæ Sacramenta, niſi homo perfectam habeat pœnitentiam & deteſtationem per veram contritionem de ſuis peccatis, non iuſtificatur. Igitur hæc Sacramenta ſupplent defectum perfectæ pœnitentiæ, quæ alioqui ad peccatorum remiſſionem neceſſaria foret. Non habemus autem aliquod Sacramentum, quod vi ſuæ inſtitutionis ſit ordinatum ad ſupplendum defectum perfectæ dilectionis erga Deum: cùm nullum Sacramentum ſit, quo abſque dilectione Dei ſuſcepto, ab obſeruantia huius præcepti liberemur: ſed quocunque Sacramento abſque dilectione Dei ſuſcepto, ſemper manemus hoc præcepto obligati, quàmdiu illud per verum actum amoris Dei non adimplemus. Confirmatur: nam ſi aliquod eſſet Sacramentum, quod defectum amoris Dei ſuppleret, nunquam homo teneretur in hac vita Deum amare, ſed poſſet per huiuſmodi Sacramentum talem defectum amoris ſupplere: Conſequens nemo Theologorum admittit.

45. Cæterùm aſſignanda eſt diſparitas, cur ad ſupplendum præceptum perfectæ pœnitentiæ, quæ ad iuſtificationem peccatorum iuxta legem ordinariam requiritur, inſtitutum ſit peculiare Sacramentum, non ſit autem inſtitutum ad ſupplendum defectum perfecti amoris erga Deum. Ratio verò eſt: quoniam Pœnitentia per ſe requiritur ad retractanda ac deteſtanda peccata: poſſunt autem peccata retractari ac deteſtari etiam actu Pœnitentiæ imperfectæ: Amor autem erga Deum requiritur propter ipſummet amorem erga Deum. Nequit autem eſſe amor erga Deum, niſi per actum amoris Dei: igitur poteſt per aliquod Sacramentum perfecta Pœnitentia ſuppleri, non poteſt autem per Sacramentum ſuppleri amor erga Deum. Maior prioris Syllogiſmi patet: nam ſi quis foret conſcius, ſe nullum commiſiſſe peccatum, ad nullum actum interioris pœnitentiæ, quæ in dolore & deteſtatione commiſſi peccati conſiſtit, teneretur. Dixi, *Interioris pœnitentiæ*: nam diuerſa eſt ratio de pœnitentia exteriori, quæ adhuc nullo commiſſo peccato obligaret: ſicut obligaret Sacramentum Baptiſmi, etiam qui nullum haberet peccatum, neque originale, neque perſonale. Minor eiuſdem Syllogiſmi probatur: nam tam efficaciter, quantum eſt ex parte peccatoris, retractatur ac deteſtatur peccatum per actũ attritionis, quàm per actum contritionis: cùm æquè impoſſibile ſit retinere affectum peccati cum actu attritionis, atque cum actu contritionis, niſi quòd per contritionem peccatum retractatur ac deteſtatur ex motiuo nobiliori. Maior poſterioris Syllogiſmi conſtat: nam finis præcepti charitatis eſt, amare Deum ſuper omnia: igitur hoc præceptum per ſe obligat ad ipſum amorem Dei ſuper omnia exercẽdum. Minor eiuſdem Syllogiſmi clara eſt: quia amor Dei nequit eſſe, niſi per ipſum actum amoris erga Deum: igitur quicunque alius actus, qui non ſit amor Dei, non poterit ſupplere ipſum amorem Dei, qui ad hoc præceptum ſeruandum requiritur. Poteſt autem actus, qui non eſt perfecta pœnitentia, ſupplere defectum perfectæ pœnitentiæ, quia etiam actus, qui non eſt perfecta pœnitentia, poteſt eſſe pœnitentia ſufficienter deteſtatiua ac retractatiua commiſſi peccati, ob quam retractationem ac deteſtationem neceſſaria eſt pœnitentia.

46. Dices: Ergo nec ſupplebitur dilectio Dei per actum contritionis: quia neque contritio eſt formalis dilectio Dei. Reſpondeo negando Conſequentiam: nam eſto contritio non ſit formalis, eſt tamen virtualis dilectio Dei, cùm ſit deteſtatio & fuga peccati, quatenus eſt offenſa Dei, propter ipſum Deũ ſummè dilectum. Vnde vltimatè includit dilectionem Dei. Nec ideò non dicitur formalis dilectio Dei, quia eam non includit, ſed

quia præter eam includit etiam fugam & deteſtationem peccati, tanquam proximum obiectum materiale, vltimatè propter Deum tanquam propter motiuum formale: proindè elicitur ex eodem motiuo, ex quo elicitur dilectio ipſa formalis. Sicut actus fugæ, quo deteſtamur malum amici, qua malum amici eſt, eſt verus actus amicitiæ, quia elicitur ex complacentia amici, tanquam ex motiuo vltimato. Vnde non minùs eſt amor amicitiæ, quàm ſit amor ipſe formalis, quo proſequimur bonum amico, propter complacentiam ipſius amici. Ratio verò eſt: quia tam fuga mali, quàm proſecutio boni vltimatè ſpecificatur ex bonitate perſonæ, ex cuius complacentia iſti actus eliciuntur, & propter cuius bonum & cauſam exercentur. Vnde ſicut actus, quo proſequimur bonum amico, non obſtante quòd immediatè feratur in bonum concupitum, dicitur actus amicitiæ, quia ſpecificatur ex complacentia perſonæ, cui tale bonum concupiſcimus: ita actus, quo deteſtamur malum amico, non obſtante quòd immediatè feratur in fugam mali, dicitur actus amicitiæ, quia ſpecificatur ex complacentia perſonæ, propter quam tale malum deteſtamur ac fugimus.

DISPVTATIO XXVIII.

De præcepto Charitatis erga proximum.

SECTIO PRIMA.

An, & quale ſit præceptum Charitatis erga proximum?

1. DAri præceptum charitatis erga proximum, de fide eſt, vt conſtat Matt. 22. vbi Chriſtus poſt explicatum præceptum de diligendo Deo, ſtatim proponit præceptum de diligendo proximo: *Secundum,* inquit, *etiam ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* In quorum duorum præceptorum obſeruantia, ait, totam legem & Prophetas pendere. Quibus oſtendit, æquè vno atque altero homines obligari: licet præceptum de diligendo Deo ſit *maximum & primum mandatum,* vt ipſemet Chriſtus ibidem docet. Et Ioannis 13. *Hoc eſt,* inquit Chriſtus, *mandatum meum, vt diligatis inuicem, ſicut ego dilexi vos.* Quod idem Euangeliſta confirmat in prima ſua canonica cap. 4. *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Idem præceptum iiſdem verbis datum fuit in veteri lege Leuit. 19. *Diliges amicum tuum ſicut teipſum:* eſt autem amicus noſter, omnis proximus noſter. Fundatur autem hoc præceptum in vnitate eiuſdem naturæ humanæ, & capacitate eiuſdem gloriæ, in qua vti conueniunt, & capaces ſunt omnes, ita ſeſe diligere tenentur omnes. Idem præceptum fuit in Angelis Viatoribus, cùm eadem ſit illorum ac noſtri ratio, quoad naturæ vnitatem, & æternæ beatitudinis capacitatem.

Matth. 22. *Ioan.* 13. 1. *Ioan.* 4 *Leuit.* 19.

2. Ex his colligitur, hoc præceptum non ſolùm eſſe iuris poſitiui diuini, ſed etiam naturalis: nam adhuc poſitiuo iure præciſo, obligaretur homo ad diligendum proximum ſuũ ſicut ſeipſum: cùm hoc præceptum fundetur in duobus illis principijs naturæ lumine omnibus notis: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris:* &, *Quæ tibi vis fieri, alteri facias.* Quæ principia authoritate ſua confirmauit Chriſtus Dominus Matth. 7. *Omnia ergo,* inquit, *quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Et Lucæ 6. *Prout vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter.* Vnde non ſolùm hoc præceptum obligat Chriſtianos, ſed etiam Gentiles: Obligaſſetq; homines etiam in pura natura conſtitutos, tametſi ad illud perfectè ſeruandum neceſſarium fuiſſet aliquod auxilium naturæ indebitum, cùm non valeat homo per nudas naturæ vires cum ſolo generali concurſu Dei, abſque aliquo auxilio extraordinario naturæ indebito, in omni caſu & occaſione hoc præceptum adimplere. Nam ſaltem non valet illud adimplere, quando contra illud vrget grauis tentatio, ad quam ex puro motiuo virtutis ſuperandam natura, vt ex præcedente Tomo ſuppono, non eſt moraliter potens. Dixi, *ex puro motiuo virtutis:* nam ex motiuo vitij, non reuocatur in litem: quo pacto gentilis ex vitioſo motiuo propriæ gloriæ propagandæ mortem oppeteret pro liberatione Patriæ.

Matth. 7. *Luca* 6.

3. His vt certis conſtitutis, duæ reſtant hic enodandæ difficultates: Vna eſt, an ſemper præcepto naturali de diligendo proximo ſatisfacere valeamus per præceptum ſupernaturale. Altera, An vi huius præcepti teneamur ad aliquem actum internum charitatis erga proximum: an verò huic præcepto ſatisfacere poſſimus per ſolos actus externos miſericordiæ ac beneficentiæ, quando neceſſitas & ratio poſtulat.

Digitized by Google

4. Quoad primam difficultatem, Affirmatiua pars ſequitur ex dictis diſp. præcedente ſect. 1. vbi oſtendimus, per obſeruantiam pręcepti ſupernaturalis, de diligendo Deo fine & authore ſupernaturali, nos ſatisfacere præcepto naturali, de diligendo eodem fine & authore naturali: tametſi non è contrà per obſeruantiam præcepti naturalis, de diligendo Deo fine & authore naturali, ſatisfacimus præcepto ſupernaturali, de diligendo eodem fine & authore ſupernaturali. Conſimili ratione per obſeruantiam præcepti ſupernaturalis, de diligendo proximo in ordine ad finem & bona ſupernaturalia, ſatisfacere poſſumus præcepto, de eodem diligendo in ordine ad finem & bona naturalia: contrà verò per obſeruantiam præcepti naturalis, de diligendo proximo in ordine ad finem & bona naturalia, non ſatisfacimus præcepto ſupernaturali, de eo diligendo in ordine ad finem & bona ſupernaturalia. Ratio eſt: quoniam finis naturalis eſſentialiter præſupponitur ad finem ſupernaturalem: contrà verò finis ſupernaturalis non eſſentialiter præſupponitur ad finem naturalem. Igitur qui proximum diligit in ordine ad finem ſupernaturalem, neceſſariò etiam illum diligit in ordine ad finem naturalem, ab ipſo fine ſupernaturali eſſentialiter præſuppoſitum, cùm hic alius non ſit, quàm ipſius proximi natura, ac naturalia eius bona, quæ ſimul coamantur cum ipſis bonis ſupernaturalibus. Contrà verò, qui proximum diligit in ordine ad finem & bona naturalia, non neceſſariò eundem diligit in ordine ad finem & bona ſupernaturalia, cùm hęc non præſupponantur ad bona naturalia, ſed potiùs ſuperaddantur illis. Præterea poſſumus ipſa bona naturalia proximo amare & procurare in ordine ad finem ſupernaturalem: non poſſumus autem bona ſupernaturalia eidem proximo amare & procurare vltimatè propter ipſius finem naturalem, cùm hic ſit peruerſus ordo diligendi proximum.

5. Dices. Non ſolùm tenemur amare & procurare proximo bona ſpiritualia in ordine ad finem ſupernaturalem, ſed etiam bona temporalia in ordine ad finem naturalem: ergo non ſemper ſatisfacimus præcepto naturali de diligendo proximo in ordine ad finem & bona naturalia, diligendo illum in ordine ad finem & bona ſupernaturalia.

6. Reſpondeo negando conſequentiam: nam poſſumus ea ipſa bona naturalia proximo amare & procurare in ordine ad finem ſupernaturalem: ac proinde poſſumus actu charitatis ſupernaturalis ſatisfacere præcepto naturali de optandis & procurandis bonis naturalibus proximo. Vnde maioris declarationis ergo, bifariam intelligi poteſt, præceptum naturale adimpleri præcepto ſupernaturali diligendi proximum, vno modo deſiderando & procurando illi ſolùm bona ſpiritualia in ordine ad finem ſupernaturalem: alio modo bona ipſa naturalia ac temporalia illi amando ac procurando in ordine ad finem ſupernaturalem. Non in priori, ſed in poſteriori ſenſu aſſerimus, præcepto naturali ſatisfieri per pręceptum ſupernaturale diligendi proximum. Ratio, quoniam in priori ſenſu non ſatisfacimus naturali debito, quo aſtringimur ad ſub ueniendum proximo de bonis temporalibus, per ſolam procurationem bonorum ſpiritualium: Cui tamen debito rectè ſatisfacimus, procurando ei bona temporalia propter ipſum finem ſupernaturalem, vt per ſe patet: quoniam debitum procurandi bona temporalia proximo non obligat nos, vt hæc bona ei velimus & procuremus ex motiuo amoris naturalis: ſed poſſumus, & quidem perfectiùs ea velle & procurare ex motiuo amoris ſupernaturalis: cùm hoc debitum non aſtringat, niſi ad opus externum benificentiæ, ex quocunque tandem honeſto motiuo illud imperetur. Ac proinde in hoc tantùm ſenſu poſſumus per obſeruantiam præcepti ſupernaturalis ſatisfacere pręcepto naturali, de ſubueniendo proximo in bonis temporalibus, cùm hæc eadem bona temporalia ei velle ac procurare valeamus ex fine & motiuo ſupernaturali, ac proinde ex præcepto amoris ſupernaturalis.

7. Quoad ſecundam difficultatem Bannez ſecunda ſecundæ q. 44. art. 2. dub. 2. Valentia diſp. 3. q. 19. punct. 2. Turrianus diſp. 98. dub. 2. Franciſcus Syluius citata q. 44. art. 7. §. *quæritur ſecundo*, & alij affirmant, vi huius præcepti nos teneri ad amandum aliquando proximum actu interiori charitatis: neque huic præcepto ſatisfieri per ſolum dumtaxat opus externum alio ex motiuo imperatum.

8. Probant 1. ex verbis Chriſti Ioannis 13. vbi eo modo Chriſtus præcipit nos diligere proximum, atque ipſe diligit nos: ſed ipſe diligit nos non tantùm opere externo, ſed etiam actu interno charitatis: ergo eodem modo & nos debemus proximum diligere. Idem colligitur ex alijs verbis Chriſti, quibus præcipimur proximum diligere ſicut nos ipſos: atqui nos ipſos diligere tenemur non ſolùm externo, ſed etiam interno charitatis actu; ergo & proximum.

9. Secundò. ex præcepto charitatis tenemur diligere proximum in ordine ad finem ſupernaturalem vitæ æternę: non poſſumus autem in ordine ad finem ſupernaturalem vitę æternę illum diligere, niſi interno actu charitatis. Maior eſt certa: etenim ſi illum diligere tenemur in ordine ad bona & finem naturalem, à fortiori eum diligere tenemur in ordine ad bona & finem ſupernaturalem. Minor probatur, quia non poſſumus in proximo diligere bonitatem ſupernaturalem, niſi propter ipſam bonitatem increatam Dei, cuius tanquam participatio amatur ipſa bonitas ſupernaturalis proximi: tenemur igitur interno actu charitatis proximum diligere, cùm nequeat ipſius ſupernaturalis bonitas propter bonitatem increatam Dei diligi, niſi actu interno charitatis.

10. Tertiò. Tenemur pręcepto charitatis non ſolùm externo, ſed etiam interno actu

diligere

diligere Deum ſuper omnia: ergo eodem interno actu tenemur diligere proximum. Antecedens conſtat ex tota diſp. præcedente. Conſequentia probatur: tum quia actus, quo diligimus Deum, cùm ſit efficax, ſe extendit, etiam ad bona extrinſeca Dei diligenda propter ipſum Deum, & conſequenter ad diligendum proximum vt bonum Dei: tum quia, cùm ſit obedientialis, ſe extendit ad ſeruanda omnia præcepta propter Deum, inter quæ potiſſimum eſt præceptum diligendi proximum in ordine ad finem ſupernaturalem.

11. Quartò. Tenentur filij non ſolùm externo opere, ſed etiam interno actu ſuos parentes aliquando diligere; quemadmodum & parentes ſuos liberos, & ſubditi ſuos ſuperiores, & vice verſa: ergo & vnuſquiſque ſuum proximum; cùm non minùs charitas aliquando interno actu obliget omnes ad diligendum proximum ſuum, quàm pietas obliget filios, & obſeruantia ſubditos ad ſuos parentes ſuperioreſque diligendos.

12. Quintò. Naturali debito tenemur opus externum conformare actui interno: ſed aliquando tenemur externum opus beneficentiæ erga proximum exercere: ergo tunc tenemur idem opus externum conformare actui interno: ergo non ſolùm tenemur aliquando ad opus externum, ſed etiam ad actum internum charitatis

Scotus. Suarez. Coninck. Lorca. 13. Scotus in 3. diſt. 30. q. vnica §. *quantum ad hoc:* Suarez diſp. 5. de præceptis charitatis ſect. 4. Coninck diſp. 24. dub. 4. Lorca apud eundem, & alij negant, vi huius præcepti nos teneri ad actum internum charitatis, ſed ſolùm ad opus externum beneficentiæ, quando neceſſitas vrget, & præceptum obligat.

14. Hæc ſententia probabilior eſt, quam Bernardus. expreſsè tradit Bernardus Serm. 50. in Cantica, vbi: *De illa,* inquit, *quæ operis eſt, puto datam eſſe legem hominibus, mandatumque formatum:* A fortiori hanc eandem ſententiam docent, qui internum actum charitatis negant eſſe neceſſarium in adimplendo præcepto de diligendo Deo ſuper omnia. Eaque non obſcurè colligitur ex illis verbis Chriſti Mat. 7. Matth. 7. Luc. 6. & Lucę 6: *Quæcunque vultis, vt faciant vobis* Bernardus. *homines, & vos facite illis.* Vbi vt Bernardus citato loco notauit, non de interno affectu, ſed de externo opere Chriſtus nos inſtructos eſſe voluit ad hoc pręceptum ſeruandum: procul dubio alludés ad illud axioma naturæ lumine notũ: *Quod tibi vis, alteri facias:* quod non de interno, ſed de externo opere intelligendum eſſe Bernardus ibidem teſtatur.

15. Probatur autem hæc ſententia primò. Vi huius præcepti non obligamur diligere proximum aliter, vel pluſquam nos ipſos: atqui nos ipſos non tenemur diligere actu interno charitatis; ergo nec proximum. Maior conſtat ex ipſis verbis pręcepti: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Minor probatur, quia nullus tenetur ſiue temporalia, ſiue ſpiritualia atque æterna bona ſibi velle & procurare ex proprio & rigoroſo motiuo charitatis erga ſeipſum, quod eſt ea ſibi velle & procurare ex complacentia bonitatis & dignitatis propriæ perſonæ: ſed ſufficit, ſi ea velit ac procuret ex motiuo ſupernaturalis Spei, vt ſibi bona & vtilia ad vitam æternam. Ergo pariter vt quis ſatisfaciat pręcepto de diligendo proximo ſicut ſeipſum, non eſt neceſſe, vt hæc bona illi amet & procuret ex motiuo charitatis, ſed ſufficit, ſi ei amet & procuret ex quocunque alio honeſto motiuo.

16. Probatur 2. Finis huius præcepti eſt bonum proximi: Atqui ſolùm opus externum beneficentiæ cedit in bonum proximi: ergo hoc tantùm cadit ſub præceptum. Maior patet: nam finis huius præcepti eſt, vt mutuò ſeſe homines iuuent ad ſupernaturalem finem conſequendum. Minor probatur, quoniam affectus internus non poteſt eſſe vtilis proximo, niſi vel quatenus eſt principium externæ beneficentiæ, vel quatenus poteſt eſſe imperatorius alicuius boni apud Deum: neutram ob cauſam neceſſariò elici poſtulat ex motiuo charitatis. Non ob primam: quoniam vt ſit principium externæ beneficentiæ ſufficit, vt ex quocunque motiuo eliciatur vt per ſe patet. Non ob ſecundam: cùm poſſit ex quocunque alio honeſto motiuo elicitus eſſe impetratorius apud Deum, cùm omnis virtutis actus, præſertim ſupernaturalis, à iuſto elicitus, ſit impetratorius apud Deum.

17. Confirmatur, quia poteſt quis pro proximo Deum orare, vt ei ſpiritualia dona concedat ex motiuo ſupernaturalis Spei, quatenus proximus apprehenditur vt nobiſcum coniunctus, vel quatenus ex tali bono proximo impetrato augetur ſpirituale bonum noſtrum. nam, cùm talis actus ſit, vtpote honeſtus & ſupernaturalis, meritorius apud Deum, erit etiam apud eundem impetratorius, ſi reliquis ad impetrandum conditionibus non careat.

18. Probatur 2. Si hoc præceptum obligaret ad actum internum charitatis, obligaret ad hunc actum eliciendum erga omnes homines: falſum autem eſt, nos teneri ad eliciendum internum actum charitatis erga omnes homines: ergo. Sequela Maioris probatur: nam ſi hoc præceptum non limitatur ad opus externum beneficentiæ, quando proximus indiget noſtra opera, ſed per ſe extenditur etiam ad actum internum, teneremur aliquando illum elicere erga omnes homines: cùm neque ad illum eliciendum requiratur proximi neceſſitas; neque maior ratio aſſignari poſſit erga vnos, atque erga alios homines. Minor probatur: nam modò quis ſit paratus ſubuenire proximo, quando ipſius opera indiget, non tenetur ad amplius: alioqui multi damnarentur, vel ex eo, quòd huiuſmodi internum actum charitatis erga omnes homines non elicuerit: quod durum eſt & improbabile.

19. Ad argumenta oppoſitæ ſententię. Ad primum ductum ab authoritate Chriſti Reſpondeo, ex neutris verbis Chriſti id colligi: non ex prioribus, ſiquidem ijs ſubſtantiam

tantùm præcepti de benefaciendo ſuo tempore proximo nobis præſcribere voluit, non autem modum, quo ipſe nos diligit. Quemadmodum cùm nobis præcepit diligendum proximum ſicut nos ipſos, non præcepit, vt eadem obligatione, qua tenemur nos ipſos, teneamur & proximum diligere: ſed ſubſtantiam dumtaxat præcepti erga proximum nobis præſcripſit. Non ex poſterioribus verbis: cùm nec nos ipſos, vt oſtenſum eſt, teneamur interno actu charitatis diligere: ſed ſufficit, ſi nos ipſos diligamus actu Spei ſupernaturalis.

20. Ad 2. Neganda eſt minor: quippe cùm poſſimus proximum diligere in ordine ad vitam æternam etiam ex motiuo ſupernaturalis Spei, vt ſuprà probatum eſt. Concedo autem, nos non poſſe proximum diligere in ordine ad vitam æternam, niſi actu charitatis, ſi ſiſtendum ſit in bono proximi, vt bonum proximi eſt. Cęterùm non tenemur vltimatè ſiſtere in bono proximi, vt bonum proximi eſt, cùm poſſimus hoc ipſum bonum proximi velle & procurare proximo vltimatè propter bonum ſpirituale noſtrum: ac proinde vi huius præcepti non tenemur illum diligere actu interno charitatis, ſed externo tantùm beneficentię, quo illi vrgente neceſſitate bona temporalia, ac ſpiritualia procuremus.

21. Ad 3. Negatur conſequentia. Non enim ex vi efficacis dilectionis Dei tenemur eodem actu diligere proximum, quo diligimus ipſum Deum. Nec ſi teneremur, teneremur illum diligere amore amicitiæ, ſed ad ſummum concupiſcentiæ: quippe qui teneremur illum diligere tanquam bonum Dei: ac proinde actu interno ſolùm Deum tenemur diligere amore amicitię, proximum verò amore concupiſcentię. Ex his patet ad primam probationem conſequentiæ. Ad ſecundam Reſpondeo, ex ea tantùm ſequi, vi efficacis dilectionis Dei nos teneri ad concipiendum propoſitum ſeruandi pręcepta iuxta modum, quo præcepta ipſa obligant. Cùm autem probatum ſit, præceptum diligendi proximum per ſe non obligare ad internum actum charitatis, ſed ad externum dumtaxat opus beneficentiæ, vi efficacis dilectionis Dei per ſe tantùm ſequitur, nos teneri ad formandum propoſitum de tali opere externo beneficentiæ ſuo tempore erga proximum exercendo.

22. Ad 4. Concedo, tam filios erga parentes, & ſubditos erga Superiores; quàm parentes erga filios, & Superiores erga ſubditos teneri vnà cum opere externo ad aliquem actum internum virtutis: nego tamen, eos teneri ad determinatum actum virtutis, ſed poſſe ex quocunque virtutis motiuo hęc officia tam à Superioribus erga inferiores, quàm ab inferioribus erga Superiores exhiberi. Non enim virtute pietatis tenetur filius externa obſequia exhibere parenti, ex motiuo pietatis; nec ſubditus externam obedientiam præſtare Prælato ex motiuo obedientię, ſed poſſe ex quocunque alio honeſto motiuo ea præſtare. Pari modo concedendum eſt, vnumquemque virtute charitatis erga proximum teneri, vnà cum opere externo beneficentię ad aliquem actum internum virtutis: Negandum tamen eſt, teneri ad determinatum actum charitatis, ſed poſſe tale opus ex quocunque honeſto motiuo exhibere. Vnde retorqueo argumentum: nam ſicut non tenetur Prælatus tempore neceſſitatis ſubuenire Subdito ex motiuo charitatis, ſed vel ex motiuo miſericordiæ, vel iuſtitiæ: ita nec ad pręceptum charitatis erga proximum ſeruandum vnuſquiſque tenetur, ex motiuo charitatis ei ſubuenire, ſed poſſe ex quouis alio honeſto motiuo illi ſuccurrere.

25. Ad 5. Concedo, omnem actum externum virtutis conformandum eſſe cum aliquo interno virtutis: nego tamen, conformandum eſſe cum eo actu interno virtutis, ad quem tanquam materia ſpectat actus ipſe externus: ſed ſufficit, ſi conformetur cum aliquo alio actu alterius virtutis. Etenim cùm opus externum de ſe indifferens ſit, vt à varijs actibus internis virtutis imperari poſſit, idem opus externum exhiberi poterit ex alio atque ex alio actu.

24. De tempore autem, quo hoc præceptum obligat, varia ſunt Theologorum placita. Etenim qui putant, hoc præceptum obligare ad actum internum, etiamſi nullo ſit opus externo, cohærenter docere debent, illud aliquando obligare ad talem actum internum eliciendum, eſto nullo ſit opus externo. Quocirca Bannez pręcitato loco concl. 4. *Bannez.* cenſet, illud obligare ſemel ſaltem in anno. Alij nullum certum tempus aſſignare poſſe aiunt, ſed relinquendum prudentis arbitrio.

25. Qui verò docent, hoc præceptum per ſe non obligare, niſi ad opus externum beneficentiæ, faciliùs poſſunt tempus aſſignare, nempe quoties proximus eſt in aliqua neceſſitate temporali, vel ſpirituali, in qua noſtra opera iuuari poſſit. Legatur S. Thomas ſecunda ſecundę q. 25. art. 8. vbi *S. Thomas.* docet, ad præceptum charitatis erga proximum ſufficere, vt ſecundùm præparationem animi ſimus parati ad ſuccurendum proximo, quando neceſſitas occurreret.

SECTIO II.

An ſit peculiare præceptum diligendi ſeipſum?

26. PRima ſententia negat: videtur eſſe S. Thomæ ſecunda ſecundæ q. 44. *S. Thoma.* art. 3. vbi inquirens, an duo tantùm pręcepta charitatis Dei, & proximi ſufficiant: reſpondet affirmatiuè: idque in reſponſione ad primum confirmat authoritate Auguſtini, qui *Auguſt.* lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 23. negat,

præter

Digitized by Google

præter hæc duo præcepta, dari tertium ſeipſum diligendi: *Cùm ergo,* inquit, *quatuor ſint diligenda: vnum, quod ſupra nos eſt; Alterum, quod nos ſumus; Tertium, quod iuxta nos eſt; Quartum, quod infra nos eſt. De ſecundo & quarto*, nempe de nobis, & corpore noſtro, *nulla præcepta danda erant.* Confirmatur, quia nullibi tale præceptum extat.

27. Fundamentum huius ſententiæ eſt: quoniam præcepta non dantur de ijs, ad quæ ſumus à natura ipſa inclinati & determinati, cuiuſmodi eſt amor ſui, ad quem vnuſquiſque à natura determinatur: adeo vt etiam qui ſeipſos interficiunt, nonniſi amore ſui ſe interficiant, ad vitandas nimirum moleſtias, quas per mortem declinare putant. Cùm igitur præcepta ad hoc dentur, vt homines inducantur, ac moraliter cogantur ad operandum, quod præcipitur: cumque homines non egeant, vt ad ſeipſos diligendos inducantur ac moraliter cogantur, cùm ad id ſint per ſeipſos à natura propenſi ac determinati, non fuit neceſſarium præceptum ad ſeipſum diligendum, ſed potiùs, vt S. Doctor citato loco ad primum docet, neceſſarium fuit præceptum de modo, quem vnuſquiſque debet in ſeipſo amando ſeruare. *S. Thomas.*

28. SECVNDA ſententia affirmat, eſſe præceptum ſeipſum diligendi, tam dilectione naturali quàm ſupernaturali: Eſt Bannez ſecunda ſecundæ q. 44. art. 3. Vbi etſi neget, neceſſarium fuiſſe hoc præceptum in lege exprimi, tamen ſupponit illud eſſe. Clariùs id affirmat Turrianus diſp. 98. dub. 3. Sylvius eodem art. 3. colligiturque ex ipſis verbis, quibus proximi dilectio præcipitur: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum:* vbi dilectio ſui præſupponitur ad dilectionem proximi, tanquam regula, ad inſtar cuius diligendus eſt proximus. Pro cuius controuerſiæ explicatione. *Bannez. Turrianus Sylvius.*

29. Notandum, præceptum eſſe duplex; Alterum poſitiuũ: Alterum naturali lege præſcriptum. Si quæſtio ſit de præcepto poſitiuo à lege præſcripto. Dicendum eſt cum prima ſententia, nullum eſſe peculiare præceptum diligendi ſeipſum: idque efficaciter probant authoritates & rationes pro prima ſententia adductæ. Nec obſtant citata verba Chriſti pro ſecunda ſententia, in quibus dilectio ſui ſupponitur ad proximi dilectionem: quia illa ſupponitur non vt lege præcepta, ſed vt à natura inſerta, vt mox declarabo.

30. Si verò quæſtio ſit de præcepto à natura inſito: dicendum eſt cum ſecunda ſententia, eſſe peculiare præceptum diligendi ſeipſum, tam dilectione naturali in ſtatu naturæ, quàm dilectione ſupernaturali in ſtatu gratiæ, non tamen ex peculiari virtute charitatis naturalis, aut ſupernaturalis. Primum docet Bernardus tract. de diligendo Deo, vbi loquendo de amore ſui: *Præcepto,* inquit, *non indicitur, ſed naturæ inſeritur.* Idque à fortiori conſtat ex præcepto, quo tenemur proximum diligere: nam ideò tenemur proximum diligere, quia eſt nobis in natura & beatitudine coniunctus: ſed magis ſumus nos ipſi nobis, quàm ſit nobis coniunctus proximus: igitur magis tenemur nos ipſos, quàm proximum diligere: nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis. *Bernardus.*

31. Confirmatur. Peccat quis ſine cauſa exponendo ſe periculo mortis vel corporalis, vel ſpiritualis: ergo peculiari præcepto tenetur ſuam vitam corporalem ac ſpiritualem conſeruare. Antecedens admittitur ab omnibus. Conſequentia quoad vitam corporalem patet: nam ſæpe nullum aliud in tali periculo amittendi vitam corporalem interuenit periculum tranſgrediendi aliud præceptum, quàm ipſummet propriam vitam conſeruandi: ergo non poteſt tunc aliunde talis vitæ expoſitio eſſe mala, niſi quia eſt contra naturale præceptum propriam vitam honeſtè conſeruandi. Quoad vitam ſpiritualem oſtenditur: nam ſi quis in peccato exiſtens ex honeſta aliqua cauſa exponeret ſe periculo moriendi cum tali peccato, eo ipſo nouum peccatum committeret, non ex eo quòd tranſgrederetur naturale præceptum de conſeruanda vita corporali, cùm illam, vt ſupponitur, ex honeſta cauſa exponeret: ergo ex eo tantùm, quòd tranſgrederetur præceptum de conſeruanda vita ſpirituali æterna, quam in eo caſu non deberet periculo exponere, etiamſi iuſtam cauſam haberet exponendi vitam corporalem.

32. Secundum conſtat: nam etiam in ſtatu naturæ homo peccaret, abſque honeſta cauſa exponendo ſe periculo amittendi vitam: igitur etiam in ſtatu naturæ homo haberet naturale præceptum ſeipſum diligendi dilectione naturali.

33. Tertium probatur: nam poſito ſtatu gratiæ, cum ſufficienti notitia ipſius, tenetur homo ſe in ea finaliter ſaltem conſeruare, ne abſque illa ex hac vita decedat: igitur tenetur dilectione ſupernaturali ſeipſum in hoc ſtatu gratiæ diligere. Conſequentia probatur: nam dilectio vitæ ſupernaturalis, vti eſt dilectio gratiæ in ordine ad finem ſupernaturalem, eſt ſupernaturalis, vt ex ſuprà diſputatis conſtat.

34. Quartum, quod vi præcepti, quo tenemur nos ipſos diligere, non teneamur peculiari virtute charitatis, ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis, nos diligere, probatur tum à paritate, qua præcedente ſect. oſtendimus, vi præcepti, quo tenemur proximum diligere, nos non teneri ad illum diligendum ex ſpeciali virtute charitatis, ſed poſſe ex motiuo cuiuſcunque alterius virtutis hoc præceptum adimplere: tum quia ex vi talis præcepti nos non tenemur, niſi ad conſeruandam in nobis vitam corporalem, & ſpiritualem animi: atqui vtramque in nobis conſeruare poſſumus abſque ſpeciali actu charitatis, vel naturalis, vel ſupernaturalis: ergo ex vi huius præcepti non tenemur nos ipſos diligere, ex ſpeciali virtute charitatis naturalis, aut ſupernaturalis. Maior conſtat; cùm hic ſit finis præcepti diligendi nos ipſos. Minor oſtenditur: quia

poſſumus

poſſumus omnia nobis præſtare, quæ neceſſaria ſunt tam ad conſeruationem materialis vitæ corporis, quàm ſpiritualis animi per alios actus virtutum. Etenim poſſumus & temporalia ad vitam corporalem, & ſpiritualia ad vitam ſupernaturalem neceſſaria nobis intendere & procurare vel ex virtute Spei ſupernaturalis, vel ex virtute charitatis erga Deum.

35. Dices. Hoc ipſo, quòd iſta nobis diligimus propter Deum ex charitate dilectum, ea ex charitate noſtri nobis diligimus: cùm non poſſimus ea propter Deum nobis diligere, niſi eodem actu charitatis diligamus ſimul & nos ipſos. Vnde S. Thomas ſecunda ſecundæ q. 25. art. 4. docet hoc ipſo, quòd quis ex charitate diligit Deum, ex conſequenti diligit ea, quę ſunt Dei, inter quæ eſt ipſe homo, qui diligendo ex charitate Deum, diligit conſequenter ſeipſum vnà cum Deo. Quam doctrinam explicans Caietanus: *Diligit ergo*, inquit, *ſe quis ex propria charitatis ratione vt amicum Dei.* S. Thomas. Caietanus.

36. Reſpondeo dupliciter poſſe hæc nobis propter Deum diligere; vno modo, quatenus ſunt bona glorioſa & honorifica Deo, vti diriguntur reliqua creata: & ſic nos amamus vnà cum ipſis bonis amore concupiſcentiæ, Deum vero amore charitatis & amicitiæ: non ſecus ac amore concupiſcentiæ amamus bona amico, ipſum verò Amicum amamus amore amicitiæ & charitatis: ac proinde ex iſto modo amandi hæc bona propter Deum, minimè ſequitur, eo ipſo nos amare nos ipſos amore charitatis; ſed ſolùm concupiſcentiæ. Alio modo, amando illa vt bona & vtilia nobis propter Deum indirectè tantùm & in obliquo amatum: quo pacto hæc eadem amare poſſumus proximo vt bona & vtilia proximo, propter Deum indirectè tantùm, & in obliquo dilectum: & tunc fateor, tali actu nos non poſſe diligere Deum ex charitate, quin ſimul eodem charitatis actu nos ipſos diligamus. Verùm quia non eſt neceſſe, vt vi huius præcepti hoc modo nos diligamus, neque vi eiuſdem præcepti neceſſarium erit, vt nos actu charitatis diligamus. Atque de hoc modo diligendi nos ſimul cum Deo explicandus eſt S. Thomas. S. Thomas.

37. Ex his patet ad authoritatem Auguſtini pro prima ſententia adductam: intelligenda enim eſt de præcepto poſitiua lege præſcripto, vt ex contextu apparet: ſtatim enim ſubdit: *Quantumuis enim homo excidat à veritate, manet illi dilectio ſui, & dilectio corporis ſui: fugax enim animus ab incommutabili lumine omnium Regnatore id agit, vt ipſe ſibi regnet & corpori ſuo. Et ideò non poteſt, niſi & ſe, & corpus ſuum diligere.* Hæc Auguſtinus, quibus manifeſtè oſtendit, ſe, cùm præceptum diligendi ſeipſum negat, non negare illud, prout eſt vnicuique à natura inſitum, ſed prout eſt lege poſitiua præſcriptum. Pari modo intelligendus eſt S. Thomas pro eadem ſententia citatus. Auguſt.

SECTIO III.

An ſit præceptum diligendi inimicos?

38. Prima ratio dubitandi pro negatiua parte eſt: quoniam non tenemur diligere eos, qui nobis contrarij & aduerſi ſunt. Vnde licitum eſt iniuſtè nos inuadentes occidere. Atqui inimici ſunt maximè nobis contrarij & aduerſi: non igitur tenemur eos diligere.

39. Secunda ratio dubitandi. Non tenemur parcere hoſtibus, ſed licitè poſſumus, eos in iuſto bello interficere: ergo non tenemur inimicos diligere.

40. Tertia ratio dubitandi. Non tenetur offenſus offendenti iniuriam remittere, ſed eam iuſtè poteſt apud competentes iudices proſequi.

41. Quarta ratio dubitandi. Inimicitia eſt malum morale; eſt enim voluntarium odium ab vna perſona conceptum contra aliam: atqui non tenemur malum morale diligere, ſed potiùs odiſſe: ergo non tenemur inimicos diligere, alioqui teneremur diligere, quod malum & peccatum eſt.

42. Quinta ratio dubitandi. Vel præceptum diligendi inimicum eſt naturale, vel poſitiuum. Non naturale, tum quia alioqui illud fuiſſet in veteri lege, in qua tamen licitum erat inimicum odiſſe, iuxta illud Chriſti Domini Matt. 5. *Audiſtis, quia dictum eſt, diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum.* Tum quia alioqui illud notum fuiſſet gentilibus, cùm tamen multi ex illis putarunt, eſſe actum virtutis, de inimicis vlciſci, vt ſenſit Cic. lib. 1. de officijs tit. *de Iuſtitia: Iuſtitia*, inquit, *primum munus eſt, ne cui quis noceat, niſi laceſſitus iniuria:* & infrà: *Qui non defendit, nec obſiſtit iniuriæ, ſi poteſt, tam eſt in vitio, quàm ſi parentes, aut amicos, aut Patriam deſerat.* Idem ſenſerunt alij. Non poſitiuum: cùm ex nulla Chriſti lege illud colligatur: nam verba, quæ Chriſtus citato loco Matt. 5. ſtatim ſubiungit: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros: benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos:* non continent præceptum ſed conſilium, tum quia, vt communiter docent Theologi, Chriſtus in lege Euangelica nulla noua tulit præcepta, præter præcepta Sacramentorum: tum quia ſubſequentia verba: *Vt ſitis filij Patris veſtri, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos:* ſatis indicant, illa non præcipere, ſed conſulere: cùm non ſit præceptum, ſed conſilium, perfectionem cœleſtis Patris æmulari. Vnde concludit ibidem Chriſtus: *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Et quod caput eſt, ita hæc verba interpretatur Auguſtinus in Enchiridio cap. 73. vbi ſic ſcribit: *Illud multò grandius, & magnificen-* Matth. 5. Cicero. Auguſt.

Digitized by Google

gnificentiſſima bonitatis eſt, vt tuum quoque inimicum diligas, & ei, qui tibi malum vult, & ſi poteſt, facit, tu bonum ſemper velis, faciaſque cùm poſſis. Poſt quæ ita concludit: *ſed quoniam perfectorum ſunt iſta filiorum Dei, quo quidem ſe debet omnis fidelis extendere, & humanum animum ad hunc affectum orando Deum, ſecumque agendo luctandoque perducere: tamen quia hoc tam magnum bonum tantæ multitudinis non eſt, quantam credimus exaudiri, cùm in oratione dicitur:* Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris *procul dubio verba ſponſionis huius implentur, ſi homo, qui nondum ita profecit, vt iam diligat inimicum &c.* Quibus apertè oſtendit, non eſſe ſub præcepto, ſed tantùm ſub conſilio, inimicum diligere: cùm dicat, hoc eſſe tantùm perfectorum filiorum Dei, non autem multitudinis imperfectorum, qui tamen exaudiuntur, cùm orant: *Dimitte nobis debita noſtra* &c.

43. Sexta ratio dubitandi, quia cùm ſit hoc ſeruatu difficillimum, vt quotidiana experientia docet, non eſt credendum fuiſſe à Chriſto, qui non ad difficultandam, ſed ad facilitandam ſalutis viam venit, vt ipſemet teſtatur Ioannis 10. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant,* tam arduum præceptum hominibus impoſitum fuiſſe.

Ioan. 10.

Magiſter ſententiarū.

44. Nonnulli quos refert Magiſter in 3. diſt. 30. putarunt, inimicos diligere, eſſe tantùm ſub præcepto impoſitum viris perfectis, reliquis verò imperfectis, eſſe tantùm ſub conſilio. Quæ ſententia, vtpote ſine vllo fundamento aſſerta, à Magiſtro exploditur, cum quo reliqui Scholaſtici conſentiunt.

S. Thomas.

45. Eſt igitur communis & concors Theologorum ſententia cum Magiſtro præcitato loco, & S. Thoma ſecunda ſecundæ qu. 25. art. 8. & 9. Diligere inimicos, non eſſe conſilium, ſed præceptum. Colligitur ex allatis verbis Chriſti, & ſimul ex cauſa, quam ibidem aſſignat, *Vt ſitis,* inquit, *filij Patris veſtri.* Qui igitur Dei filius per gratiam eſſe cupit, inimicos diligat oportet. Idem præceptum non modò de non odio habendo, ſed etiam de benè faciendo inimico expreſsè habetur in veteri lege Leuit. 19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo. Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ Ciuium tuorum.* Exod. 23. *Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo.* Et Prouerb. 25. quo teſtimonio vtitur etiam Paulus ad Romanos 12. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitierit, da ei aquam bibere.*

Matth. 5. *Leuit. 19.* *Exodi 23.* *Prouerb. 25.* *Rom. 12.*

Hilarius.

46. Eadem Chriſti verba de præcepto explicant communiter Patres. Hilarius in Matthæum canon. 4. ad finem: *Diligi,* inquit, *inimicos, fides præcipit, & petulantes humanarum mentium motus publicæ charitatis frangit affectu, non ſolùm iram ab vltione depellens, ſed etiam in amorem mitigans iniurioſi.* Expreſsè Chryſoſtomus Homil. 18. in Matthæum verba Chriſti de diligendis inimicis, appellat præcepta: *Perſpexiſti,* inquit, *celſitudinem Philoſophicæ, & idcircò tam claro eſt digna præmio, quia tam magno eſt ſubiecta præcepto.* Hieronymus eadem Chriſti verba explicans non modò aſſerit ea eſſe præceptiua, ſed etiam contra hæreticos, qui contrarium aſſerunt, ea defendit: *Multa,* inquit, *præcepta Dei imbecillitate ſua, non ſanctorum viribus æſtimantes, putant eſſe impoſſibilia, quæ præcepta ſunt: & dicunt ſufficere virtutibus, non odiſſe inimicos: cæterùm diligere plus præcipi, quàm humana natura patiatur. Sciendum eſt ergo,* concludit hic Sanctus Pater, *Chriſtum non impoſſibilia præcipere, ſed perfecta.* Gregorius Homil. 37. in Euangelica ita ſcribit: *Sed percontari libet, quomodo parentes, & carnaliter propinquos præcipimur odiſſe, qui iubemur & inimicos diligere?* Eandem doctrinam confirmat Concilium Agathenſe ſub Symmacho Papa celebratum, quod cap. 31. tanquam tranſgreſſores diuini præcepti publicè excommunicari iubet eos, qui inimicitias deponere, & ad pacem redire noluerint.

Chryſoſt. *Hieronym.* *Gregorius.* *Concilium Agathenſe.*

Plato. *Demoſthenes.* *Seneca.* *Valerius Maximus.*

47. Eandem veritatem vel ipſo naturæ ductu nouerunt gentiles Philoſophi. Plato, vt de eo teſtatur Apuleius de dogmate Platonis: Sapientem dicebat non modò inferre, ſed nec quidem referre oportere iniuriam. Demoſthenes à quodam iniurijs laceſſitus, dixiſſe fertur: *Nolim tecum in hoc genus certaminis deſcendere, in quo qui vincitur, ipſo victore melior eſt.* Seneca de ira cap. 33. *Non vt in beneficijs,* inquit, *honeſtum eſt, merita meritis repenſare, ita iniurias iniurijs: illic vinci, turpe eſt: hic vincere, inhumanum.* Qui & aliquando interrogatus, quomodo in aula conſecutus eſſet ſenectutem: reſpondiſſe dicitur: *Iniurias accipiendo, & gratias de ipſis agendo.* Valerius Maximus lib. 4. *Speciosius,* inquit, *iniuriæ beneficijs vincuntur, quàm mutui odij pertinacia penſantur.* idem ſenſerunt illuſtriores antiquitatis Philoſophi.

48. Vltimò accedit ratio. Nam vel loquimur de hoc præcepto, prout vetat odium erga inimicum: & ſic euidens eſt, tale odium eſſe malum, & rationi diſſentaneum, ac proinde præcepto prohibitum. Vel loquimur de hoc præcepto, prout mandat inimicum diligi: & hoc etiam eſt naturali lumini conforme, quod dictat, in neceſſitate non ſolùm ſubueniendum eſſe amico, ſed etiam inimico: cùm naturæ lumini conforme ſit, in neceſſitatibus ſubueniendum eſſe omnibus, qui nobiſcum in eadem natura & beatitudine participant: non enim homo propter ſe tantùm, ſed propter alios etiam iuuandos creatus eſt, vt rectè citato loco de officijs ratiocinatur Tullius. Confirmatur: nam poſitiuo amore præcipimur diligere noſtrum proximum; ergo & inimicum, cùm etiam inimicus ſit noſter proximus.

Cicero.

49. Dubitatur, quo gradu certitudinis, ſit certa hæc aſſertio de diligendis inimicis. Alij putant eſſe de fide: alij tantùm certam authoritate Patrum & Scholaſticorum. Sed diſtinguendum eſt: nam quoad odium, quod hoc præceptum erga inimicum prohibet, de fide eſt, illud eſſe malum & præcepto prohibitum:

Suarez. bitum: quod docet Suarez de charitate diſp. 5. ſect. 5. aſſertione 1. & conſtat ex illis verbis Chriſti Matt. 18. in fine: *Sic Pater meus* *Matth. 18.* *cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Quoad amorem verò, quòd ſint tempore neceſſitatis inimici diligendi, puto etiam eſſe de fide: nam verba Chriſti Domini hoc apertè indicant, & Patres ipſi, qui communiter illa exponunt in ſenſu præceptiuo, vt ſuprà vidimus. Porrò quotieſcunque Patres & Scholaſtici vnaminiter conſpirant in aliquam veritatem, tanquam in ſacra Sriptura contentam, illam reddunt de fide certam.

50. Ex dictis infertur, quidnam vi huius præcepti teneamur inimicis præſtare. Nam primò tenemur odium contra illos non concipere, vel conceptum ſtatim deponere. Secundò, tenemur eſſe parati ad illis ſuccurrendum, quoties temporalis, vel ſpiritualis neceſſitas vrſerit, eo modo, quo tenemur ſuccurrere amicis, & reliquis hominibus: cùm vi huius præcepti æquè teneamur in neceſſitate ſuccurrere omnibus eiuſdem naturæ & beatitudinis nobiſcum comparticipibus. Tertiò, communiter docent Doctores, nos teneri eos à communibus beneficijs non excludere, vt à publicis orationibus, quæ pro tota Eccleſia funduntur, à communibus bonis, quæ toti Reipublicæ conferuntur. Verùm cum Tur- *Turrianus.* riano dicendum eſt: Si talis excluſio fiat ſine ſcandalo, ſi nimirum interno dumtaxat affectu inimicus à communi beneficio excludatur, nec beneficium ipſum, à quo inimicus excluditur, ſit ei titulo aliquo debitum, non erit contra hoc præceptum, illum excludere. Vnde poſſum orare pro omnibus, non orando pro inimicis, quando non teneor meas preces fundere pro tota Eccleſia. Idem poſſum dare mille pro redimendis centum captiuis, inter redimendos non includendo inimicum. Ratio, quia ſicut vi huius præcepti non ſemper tenemur pro inimicis vel orare, ſed ſolùm quando noſtra oratio cenſetur pro ipſorum ſalute neceſſaria: vel eos à captiuitate redimere: ita nec ſemper ſit, contra hoc præceptum, eos vel ab oratione, vel à communi aliquo beneficio excludere, niſi quando tenemur noſtram orationem, vel beneficium pro omnibus offerre. Et ſic intelligendi ſunt Doctores, cùm dicunt, nos non poſſe vi huius præcepti à communibus beneficijs inimicos excludere: alioqui ſicut aliquando poſſumus alias perſonas, ita & inimicos excludere ab huiuſmodi beneficijs.

51. Quartò. Diſceptant Theologi, an vi huius præcepti teneamur externa ſigna charitatis & vrbanitatis inimicis exhibere, ſicut ſunt publicæ ſalutationes, & collocutiones. Et communiter docent, nos teneri hæc publica ſigna eis exhibere; non tamen illos ad familiaritatem & amicitiam admittere: ſicut nec ad eam tenemur alios admittere: cùm vi huius præcepti non magis teneamur erga inimicos, quàm erga quoſcunque alios. Hinc fit, vt ſi ſalutatus ſit ſuperior, non teneatur inimicum reſalutare, niſi ſit periculum ſcandali.

52. Diſputant quintò, quinam ex inimicis teneatur prior pacem reconciliationemve petere. Reſpondent communiter, qui priùs offendit: niſi aliter ſit grauiùs offenſus, vel dignitate ſuperior. Verùm in his non poteſt certa regula præſcribi, ſed perpendendæ ſunt circumſtantiæ omnes in particulari.

53. Ad primam rationem dubitandi diſtinguenda eſt Maior: non tenemur diligere, qui ſunt nobis contrarij, quatenus contrarij nobis ſunt formaliter, concedo; quatenus nobis coniuncti, & comparticipes ſunt eiuſdem naturæ & beatitudinis, nego. Vnde non tenemur inimicos diligere, vt inimici nobis ſunt formaliter, ſic enim potiùs eos tenemur odiſſe, cùm teneamur in ijs odiſſe, quod malum & peccatum eſt, vti eſt eorum contra nos inimicitia. Ad probationem Maioris, concedendum eſt, licitum eſſe vnicuique, iniuſtum inuaſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere. Negandum verò eſt, non eſſe inimicos diligendos. Ratio, quia ius conſeruandi propriam vitam præualet iuri conſeruandi vitam proximi: ac proinde licitum eſt, in caſu iniuſtæ inuaſionis, ad propriam vitam conſeruandam, inuaſorem occidere: quia tunc non occidimus illum, vt eiuſdem naturæ & beatitudinis comparticipem, ſed vt nobis contrarium & aduerſum: vnde neque tunc licitum eſt, illum occidere ex motiuo odij, ſed conſeruationis propriæ vitæ.

54. Ad ſecundam rationem dubitandi, negatur conſequentia: nam licitum eſt hoſtes in iuſto bello occidere propter bonum commune, quæ eſt pax publica, intuitu cuius tantùm poſſunt hoſtes in bello occidi, non autem ex odio. Nec obſtat, quòd reipſa non poſſit iuſtum bellum ex vtraque parte conſiſtere, proinde peccare eos contra hoc præceptum, qui iniuſtum bellum gerunt: nam ſufficit, vt bellum ſit ex vtraque parte iuſtum putatiuè, vt ex materia de bello ſuppono.

55. Ad tertiam rationem dubitandi, multa diſtinguenda ſunt, quæ veniunt ſub nomine remiſſionis iniuriæ, & Chriſtianæ reconciliationis. Primum eſt depoſitio interni odij. Secundum externa ſigna depoſitionis talis odij. Tertium admiſſio inimici ad amicitiam & familiarem collocutionem. Quartum ceſſio iuris de damno paſſo vel in bonis, vel in perſona. Primum eſt omninò neceſſarium. Secundum eſt etiam neceſſarium, quatenus per hæc ſigna inimico conſtet de interno odio depoſito, & alijs ad ſcandalum vitandum. Tertium non eſt neceſſarium, etiamſi ante offenſam offendens fuerit nobis amicus & familiaris: quia non ad plus tenemur erga inimicum, quàm erga quoſcunque alios: atqui nullum tenemur vi huius præcepti in ſpecialem amicitiam admittere; ergo nec inimicum. Excipio caſum, quando talis non admiſſio ad priſtinam amicitiam & familiare colloquium eſſet, vel inimico occaſio non deponendi odium, & non reconciliandi ſe cum offenſo, vel alijs ſcandalum, quòd

nolit

nolit offenſus ex corde odium contra offendentem deponere: in vtroque enim caſu, & ad fratrem lucrandum, & ad ſcandalum vitandum obligat charitas.

56. Quoad quartum, duplex eſſe poteſt iuris ceſſio; Altera de recompenſa damni ab inimico illati: Altera de exigenda pœna apud competentes iudices delicto debita. Priori iuri non tenetur offenſus cedere, ſed poteſt, & interdum tenetur illud exigere, ſi non ratione ſui, ſaltem ratione ſuorum, qui talis iuris ceſſione defraudarentur bonis ſibi debitis. Nec ſemper, tenetur offenſus cedere poſteriori iuri, ſed poteſt illud iuſtè proſequi apud competentem iudicem, vel propter publicum bonum, vt grauia & publica delicta puniantur; vel ad propriam famam honoremve tuendum, ſi nimirum mors offendentis cenſeatur moraliter neceſſaria pro fama & honore ab offenſo iniuſtè ſublato, reſarciendo. Etenim ſi ad propriam famam honoremve tuendum licitum eſt, iniuſtum inuaſorem priuata authoritate occidere, licitum quoque erit, ad eandem famam honoremve tutandum offendentis mortem à publica authoritate exigere. Semper tamen cauendum eſt, ne offenſus ad hæc procuranda moneatur ex motiuo odij, & vindictæ contra inimicum. Quocirca ſemper in praxi, quoad fieri poteſt, conſulendum eſt, vt offenſus vnà cum odio ius etiam exigendi pœnas contra inimicum deponat, cùm vix hæc moraliter fieri poſſint abſque aliquo occulto vindictæ odio.

57. Vnum ſupereſt hic practicum dubium, de quo nonnunquam fui à doctiſſimis viris interrogatus, An liceat offenſo ab offendente pœnam aliquam delicto proportionatam, priuata authoritate ſumere, ad futuram cautelam. Et ſanè certum eſt primò, id non licere inuito ipſo offendente: cùm offenſus ius non habeat ab inuito offendente pœnam ſumere propria authoritate contra iuris ordinem, quo ſtatuitur pœnam exigendam eſſe à publica authoritate. Certum eſt ſecundò, non poſſe etiam conſentiente offendente, offenſum pœnam mortis, vel mutilationis alicuius membri ab offendente ſumere: nam quoad hæc nullus ſubditur priuatæ authoritati, ſed tantùm publicæ, cùm nullus priuata authoritate ius habeat in vitam & membra hominis. Sola igitur difficultas eſt de aliqua pœna, vel in bonis externis, in quæ plenum ius habet offendens; vel de aliqua pœna corporali citra mutilationem membrorum, conſentiente ipſo offendente, vel ijs, qui offendentis curam gerunt.

58. Ex vna parte non videtur id licere: cùm ſemper illicitum ſit, publicum ordinem turbare, qui ſtatuit, huiuſmodi pœnas nonniſi publica authoritate exequendas eſſe: ergo nec ipſo offendente conſentiente, id licitum eſſe poterit: cùm nec offendens licitè conſentire poſſit in publici ordinis tranſgreſſionem. Ex alia verò parte id licere videtur ex benigna interpretatione legis ac publicæ authoritatis, quæ in tali caſu ad ſedandas inter ciues diſcordias facultatem concederet. Nam ſicut nonnulla ob communem Reipublicæ pacem permittit publica poteſtas, quę tamen vrgente parte puniret: ita ob eandem communem Reipublicæ pacem, eadem publica poteſtas id cenſetur permittere. Vtra huius propoſiti dubij pars probabilior ſit, & in praxi ſeruanda, iudicandum relinquo prudenti Lectori. Illud tamen pro certo habeto niſi euidentes circumſtantiæ pro affirmante parte interueniant, ſemper ſtandum eſſe pro publica iuris authoritate.

59. Ad quartam rationem dubitandi Reſpondeo, ex ea tantùm ſequi, nos non teneri, imò nec debere inimicos diligere, qua inimici ſunt formaliter, quod vltro concedimus, vt ex ſolutione primæ rationis conſtat, non autem qua eiuſdem naturę & beatitudinis conſortes nobiſcum ſunt.

60. Ad quintam Maldonatus in quintum caput citatum Matt. verſu 21. aſſerere videtur, præceptum hoc de diligendis inimicis eſſe poſitiuum, cùm doceat, illud eſſe à Chriſto in lege Euangelica latum, cùm antea in veteri non fuerit. Verùm quæ à nobis ſuprà in Confirmationem huius pręcepti allata ſunt, non ſolùm probant, illud fuiſſe in veteri lege, ſed etiam eſſe iuris naturalis: cùm ius naturale dictet, hominem paratum eſſe debere tempore neceſſitatis ſuccurrere omnibus, etiam inimicis, ad quod tantùm per ſe obligat præceptum de diligendis inimicis.

61. Vnde ad primam probationem, nego hoc præceptum non fuiſſe in veteri lege, vt ſuprà oſtenſum eſt. Cæterùm dictum Chriſti non intelligitur, quòd ex legis præſcripto aliquando licitum fuerit inimicum odiſſe, ſed ſolùm ex aliquorum Phariſæorum interpretatione, qui ex eò quod in lege ſcriptum legebant: *Diliges amicum tuum ſicut teipſum:* malè inferebant: *Et inimicum tuum odio habebis:* cùm aliàs hæc verba nullibi ſcripta legantur. ad quod inſinuandum non dixit Chriſtus, *Legiſtis*, quaſi in lege ſcriptum, ſed *audiſtis*, nempe ab aliquibus legem malè interpretantibus dictum.

62. Ad ſecundam probationem, negandum eſt, etiamſi hoc præceptum ſit iuris naturalis, illud debuiſſe eſſe notum omnibus gentilibus: ſed ſat eſt, ſi notum fuerit aliquibus. Quia cùm non ſit iuris naturalis per modum primi principij, ſed per modum concluſionis ex primis principijs recta ratiocinatione deductæ, non ſtatim, & ab omnibus cognoſcitur. Argumenta verò, quæ probant, Chriſti verba, quibus hoc pręceptum explicauit, fuiſſe tantùm conſultiua, neganda ſunt. Ad primum, eſto Chriſtus pręter præcepta Sacramentorum, nullum aliud in lege Euangelica tradiderit, negandum tamen eſt, hoc de diligendis inimicis fuiſſe tantùm conſilium, ſed præceptum, non nouum, ſed antiquum, clariùs tamen & diſtinctiùs explicatum. Ad ſecundum nego verba, quę ibidem Chriſtus ſubiungit, probare, hoc

Suarez. bitum: quod docet Suarez de charitate diſp. 5. ſect. 5. aſſertione 1. & conſtat ex illis ver- Matth. 18. bis Chriſti Matt. 18. in fine: *Sic Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Quoad amorem verò, quòd ſint tempore neceſſitatis inimici diligendi, puto etiam eſſe de fide: nam verba Chriſti Domini hoc apertè indicant, & Patres ipſi, qui communiter illa exponunt in ſenſu præceptiuo, vt ſuprà vidimus. Porrò quotieſcunque Patres & Scholaſtici vnanimiter conſpirant in aliquam veritatem, tanquam in ſacra Sriptura contentam, illam reddunt de fide certam.

50. Ex dictis infertur, quidnam vi huius præcepti teneamur inimicis præſtare. Nam primò tenemur odium contra illos non concipere, vel conceptum ſtatim deponere. Secundò, tenemur eſſe parati ad illis ſuccurrendum, quoties temporalis, vel ſpiritualis neceſſitas vrſerit, eo modo, quo tenemur ſuccurrere amicis, & reliquis hominibus: cùm vi huius præcepti æquè teneamur in neceſſitate ſuccurrere omnibus eiuſdem naturæ & beatitudinis nobiſcum comparticipibus. Tertiò, communiter docent Doctores, nos teneri eos à communibus beneficijs non excludere, vt à publicis orationibus, quæ pro tota Eccleſia funduntur, à communibus bonis, quæ toti Reipublicæ conferuntur. Verùm cum Tur- Turrianus. riano dicendum eſt: Si talis excluſio fiat ſine ſcandalo, ſi nimirum interno dumtaxat affectu inimicus à communi beneficio excludatur, nec beneficium ipſum, à quo inimicus excluditur, ſit ei titulo aliquo debitum, non erit contra hoc præceptum, illum excludere. Vnde poſſum orare pro omnibus, non orando pro inimicis, quando non teneor meas preces fundere pro tota Eccleſia. Idem poſſum dare mille pro redimendis centum captiuis, inter redimendos non includendo inimicum. Ratio, quia ſicut vi huius præcepti non ſemper tenemur pro inimicis vel orare, ſed ſolùm quando noſtra oratio cenſetur pro ipſorum ſalute neceſſaria: vel eos à captiuitate redimere: ita nec ſemper ſit, contra hoc præceptum, eos vel ab oratione, vel à communi aliquo beneficio excludere, niſi quando tenemur noſtram orationem, vel beneficium pro omnibus offerrę. Et ſic intelligendi ſunt Doctores, cùm dicunt, nos non poſſe vi huius præcepti à communibus beneficijs inimicos excludere: alioqui ſicut aliquando poſſumus alias perſonas, ita & inimicos excludere ab huiuſmodi beneficijs.

51. Quartò. Diſceptant Theologi, an vi huius præcepti teneamur externa ſigna charitatis & vrbanitatis inimicis exhibere, ſicut ſunt publicæ ſalutationes, & collocutiones. Et communiter docent, nos teneri hæc publica ſigna eis exhibere; non tamen illos ad familiaritatem & amicitiam admittere: ſicut nec ad eam tenemur alios admittere: cùm vi huius præcepti non magis teneamur erga inimicos, quàm erga quoſcunque alios. Hinc fit, vt ſi ſalutatus ſit ſuperior, non teneatur inimicum reſalutare, niſi ſit periculum ſcandali.

52. Diſputant quintò, quinam ex inimicis teneatur prior pacem reconciliationem vę petere. Reſpondent communiter, qui priùs offendit: niſi aliter ſit grauiùs offenſus, vel dignitate ſuperior. Verùm in his non poteſt certa regula præſcribi, ſed perpendendę ſunt circumſtantiæ omnes in particulari.

53. Ad primam rationem dubitandi diſtinguenda eſt Maior: non tenemur diligere, qui ſunt nobis contrarij, quatenus contrarij nobis ſunt formaliter, concedo; quatenus nobis coniuncti, & comparticipes ſunt eiuſdem naturæ & beatitudinis, nego. Vnde non tenemur inimicos diligere, vt inimici nobis ſunt formaliter, ſic enim potiùs eos tenemur odiſſe, cùm teneamur in ijs odiſſe, quod malum & peccatum eſt, vti eſt eorum contra nos inimicitia. Ad probationem Maioris, concedendum eſt, licitum eſſe vnicuique, iniuſtum inuaſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere. Negandum verò eſt, non eſſe inimicos diligendos. Ratio, quia ius conſeruandi propriam vitam præualet iuri conſeruandi vitam proximi: ac proinde licitum eſt, in caſu iniuſtæ inuaſionis, ad propriam vitam conſeruandam, inuaſorem occidere: quia tunc non occidimus illum, vt eiuſdem naturæ & beatitudinis comparticipem, ſed vt nobis contrarium & aduerſum: vnde neque tunc licitum eſt, illum occidere ex motiuo odij, ſed conſeruationis proprię vitæ.

54. Ad ſecundam rationem dubitandi, negatur conſequentia: nam licitum eſt hoſtes in iuſto bello occidere propter bonum commune, quę eſt pax publica, intuitu cuius tantùm poſſunt hoſtes in bello occidi, non autem ex odio. Nec obſtat, quòd reipſa non poſſit iuſtum bellum ex vtraque parte conſiſtere, proinde peccare eos contra hoc præceptum, qui iniuſtum bellum gerunt: nam ſufficit, vt bellum ſit ex vtraque parte iuſtum putatiuè, vt ex materia de bello ſuppono.

55. Ad tertiam rationem dubitandi, multa diſtinguenda ſunt, quę veniunt ſub nomine remiſſionis iniuriæ, & Chriſtianę reconciliationis. Primum eſt depoſitio interni odij. Secundum externa ſigna depoſitionis talis odij. Tertium admiſſio inimici ad amicitiam & familiarem collocutionem. Quartum ceſſio iuris de damno paſſo vel in bonis, vel in perſona. Primum eſt omninò neceſſarium. Secundum eſt etiam neceſſarium, quatenus per hæc ſigna inimico conſtet de interno odio depoſito, & alijs ad ſcandalum vitandum. Tertium non eſt neceſſarium, etiamſi ante offenſam offendens fuerit nobis amicus & familiaris: quia non ad plus tenemur erga inimicum, quàm erga quoſcunque alios: atqui nullum tenemur vi huius præcepti in ſpecialem amicitiam admittere; ergo nec inimicum. Excipio caſum, quando talis non admiſſio ad priſtinam amicitiam & familiare colloquium eſſet, vel inimico occaſio non deponendi odium, & non reconciliandi ſe cum offenſo, vel alijs ſcandalum, quòd

nolit

nolit offenſus ex corde odium contra offendentem deponere: in vtroque enim caſu, & ad fratrem lucrandum, & ad ſcandalum vitandum obligat charitas.

56. Quoad quartum, duplex eſſe poteſt iuris ceſſio; Altera de recompenſa damni ab inimico illati: Altera de exigenda pœna apud competentes iudices delicto debita. Priori iuri non tenetur offenſus cedere, ſed poteſt, & interdum tenetur illud exigere, ſi non ratione ſui, ſaltem ratione ſuorum, qui talis iuris ceſſione defraudarentur bonis ſibi debitis. Nec ſemper, tenetur offenſus cedere poſteriori iuri, ſed poteſt illud iuſtè proſequi apud competentem iudicem, vel propter publicum bonum, vt grauia & publica delicta puniantur; vel ad propriam famam honoremve tuendum, ſi nimirum mors offendentis cenſeatur moraliter neceſſaria pro fama & honore ab offenſo iniuſtè ſublato, reſarciendo. Etenim ſi ad propriam famam honoremve tuendum licitum eſt, iniuſtum inuaſorem priuata authoritate occidere, licitum quoque erit, ad eandem famam honoremve tuendum offendentis mortem à publica authoritate exigere. Semper tamen cauendum eſt, ne offenſus ad hæc procuranda moueatur ex motiuo odij, & vindictæ contra inimicum. Quocirca ſemper in praxi, quoad fieri poteſt, conſulendum eſt, vt offenſus vnà cum odio ius etiam exigendi pœnas contra inimicum deponat, cùm vix hæc moraliter fieri poſſint abſque aliquo occulto vindictæ odio.

57. Vnum ſupereſt hic practicum dubium, de quo nonnunquam fui à doctiſſimis viris interrogatus, An liceat offenſo ab offendente pœnam aliquam delicto proportionatam, priuata authoritate ſumere, ad futuram cautelam. Et ſanè certum eſt primò, id non licere inuito ipſo offendente: cùm offenſus ius non habeat ab inuito offendente pœnam ſumere propria authoritate contra iuris ordinem, quo ſtatuitur pœnam exigendam eſſe à publica authoritate. Certum eſt ſecundò, non poſſe etiam conſentiente offendente, offenſum pœnam mortis, vel mutilationis alicuius membri ab offendente ſumere: nam quoad hæc nullus ſubditur priuatæ authoritati, ſed tantùm publicæ, cùm nullus priuata authoritate ius habeat in vitam & membra hominis. Sola igitur difficultas eſt de aliqua pœna, vel in bonis externis, in quæ plenum ius habet offendens; vel de aliqua pœna corporali citra mutilationem membrorum, conſentiente ipſo offendente, vel ijs, qui offendentis curam gerunt.

58. Ex vna parte non videtur id licere: cùm ſemper illicitum ſit, publicum ordinem turbare, qui ſtatuit, huiuſmodi pœnas nonniſi publica authoritate exequendas eſſe: ergo nec ipſo offendente conſentiente, id licitum eſſe poterit: cùm nec offendens licitè conſentire poſſit in publici ordinis tranſgreſſionem. Ex alia verò parte id licere videtur ex benigna interpretatione legis ac publicæ authoritatis, quæ in tali caſu ad ſedandas inter ciues diſcordias facultatem concederet. Nam ſicut nonnulla ob communem Reipublicæ pacem permittit publica poteſtas, quę tamen vrgente parte puniret: ita ob eandem communem Reipublicæ pacem, eadem publica poteſtas id cenſetur permittere. Vtra huius propoſiti dubij pars probabilior ſit, & in praxi ſeruanda, iudicandum relinquo prudenti Lectori. Illud tamen pro certo habeto niſi euidentes circumſtantiæ pro affirmante parte interueniant, ſemper ſtandum eſſe pro publica iuris authoritate.

59. Ad quartam rationem dubitandi Reſpondeo, ex ea tantùm ſequi, nos non teneri, imò nec debere inimicos diligere, qua inimici ſunt formaliter, quod vltro concedimus, vt ex ſolutione primæ rationis conſtat, non autem qua eiuſdem naturę & beatitudinis conſortes nobiſcum ſunt.

60. Ad quintam Maldonatus in quintum caput citatum Matt. verſu 21. aſſerere videtur, præceptum hoc de diligendis inimicis eſſe poſitiuum, cùm doceat, illud eſſe à Chriſto in lege Euangelica latum, cùm antea in veteri non fuerit. Verùm quæ à nobis ſuprà in Confirmationem huius pręcepti allata ſunt, non ſolùm probant, illud fuiſſe in veteri lege, ſed etiam eſſe iuris naturalis: cùm ius naturale dictet, hominem paratum eſſe debere tempore neceſſitatis ſuccurrere omnibus, etiam inimicis, ad quod tantùm per ſe obligat præceptum de diligendis inimicis.

61. Vnde ad primam probationem, nego hoc præceptum non fuiſſe in veteri lege, vt ſuprà oſtenſum eſt. Cæterùm dictum Chriſti non intelligitur, quòd ex legis præſcripto aliquando licitum fuerit inimicum odiſſe, ſed ſolùm ex aliquorum Phariſæorum interpretatione, qui ex eò quod in lege ſcriptum legebant: *Diliges amicum tuum ſicut teipſum:* malè inferebant: *Et inimicum tuum odio habebis:* cùm aliàs hæc verba nullibi ſcripta legantur. ad quod inſinuandum non dixit Chriſtus, *Legiſtis*, quaſi in lege ſcriptum, ſed *audiſtis*, nempe ab aliquibus legem malè interpretantibus dictum.

62. Ad ſecundam probationem, negandum eſt, etiamſi hoc præceptum ſit iuris naturalis, illud debuiſſe eſſe notum omnibus gentilibus: ſed ſat eſt, ſi notum fuerit aliquibus. Quia cùm non ſit iuris naturalis per modum primi principij, ſed per modum concluſionis ex primis principijs recta ratiocinatione deductæ, non ſtatim, & ab omnibus cognoſcitur. Argumenta verò, quæ probant, Chriſti verba, quibus hoc pręceptum explicauit, fuiſſe tantùm conſultiua, neganda ſunt. Ad primum, eſto Chriſtus pręter præcepta Sacramentorum, nullum aliud in lege Euangelica tradiderit, negandum tamen eſt, hoc de diligendis inimicis fuiſſe tantùm conſilium, ſed præceptum, non nouum, ſed antiquum, clariùs tamen & diſtinctiùs explicatum. Ad ſecundum nego verba, quę ibidem Chriſtus ſubiungit, probare, hoc

Digitized by Google

hoc fuiſſe tantùm conſilium: ſed potiùs indicant, fuiſſe præceptum, vt à nobis ſuprà oſtenſum eſt. Ad tertium ductum ab authoritate Auguſtini, reſpondet Magiſter citata diſt. 30. illum intelligendum eſſe de perfecta dilectione inimicorum: quo pacto inimicos diligere, non eſt omnium, ſed paucorum: alioqui ipſemet lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 30. ſub præcepto diligendi proximum expreſsè docet comprehendi inimicum his verbis: *Nullum exceptum eſſe* (intellige à proximi nomine) *cui miſericordia denegetur officium, quis non videat? quando vſque ad inimicos etiam porrectum eſt, eodem Domino dicente: Diligite inimicos veſtros.* Et poſt pauca concludit, nomine proximi intelligi omnem hominem: *Manifeſtum eſt*, inquit, *omnem hominem proximum eſſe deputandum.*

Auguſt. Magiſter.

63. Ad ſextam & vltimam rationem dubitandi Reſpondeo cum Hieronymo ſuprà citato, Chriſtum impoſſibilia non præcepiſſe, ſed perfecta, *quæ fecit*, inquit, *David in Saul & Abſalon: Stephanus quoque Marthyr pro inimicis lapidantibus deprecatus eſt: & Paulus anathema cupit eſſe pro perſecutoribus ſuis. Hæc etiam Chriſtus Ieſus & docuit & fecit.* Cæterùm ſi quæ præcepta Dei difficilia videntur, ea facilia redduntur ope & auxilio ipſius gratiæ. Etenim, vt docet Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 11. *Deus iubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuuat vt poſſis.*

Hieronym. Trident.

DISPVTATIO XXIX.

De Ordine Charitatis.

SECTIO PRIMA.

An in Charitate ſit aliquis ordo, & qualis ille ſit?

Magiſter. S. Thomas. Auguſt.

1. Esse in charitate aliquem ordinem conſtans eſt Theologorum ſententia tam cum Magiſtro in 3. diſtinct. 29. quàm cũ Angelico 2. 2. q. 26. Quem ordinem egregiè expreſſit Auguſtinus lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 27. his verbis: *Ipſe eſt autem, qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat, quod non eſt diligendum; aut non diligat, quod eſt diligendum; aut ampliùs diligat, quod minùs eſt diligendum, aut æquè diligat, quod vel minùs, vel ampliùs diligendum eſt; aut minùs, vel ampliùs, quod æque diligendum eſt.* Hæc Auguſtinus, qui partim eodem cap. partim in ſequentibus enucleatiùs explicat, quid non ſit diligendum, quid diligendum, quid ſupra omnia, quid æquè, quid magis, quid minùs diligendum. Rationem huius ordinis aſſignat citata q. art. 1. S. Thomas: quoniam, vbi eſt aliquod principium, à quo reliqua pendent, & ad quod omnia diriguntur, ibi neceſſe eſt aliquem ordinem eſſe prioris & poſterioris. Atqui in charitate eſt aliquod principium, à quo omnia quoad rationem diligibilitatis pendent, & in ordine ad quod cætera diliguntur: ergo in charitate eſt aliquis ordo prioris & poſterioris. Maior conſtat: nam vbi eſt aliquod principium, ibi eſt prioritas principij, & poſterioritas eorum, quæ ſunt à principio. Minor probatur: nam in charitate eſt Deus diligendus vt vltimus finis, & reliqua propter ipſum. Porrò finis in practicis ſe habet vt principium: ac proinde datur in charitate principium, quod eſt Deus, à quo reliqua quoad diligibilitatem pendent.

S. Thomas.

2. Cæterùm dupliciter hic ordo in charitate explicari poteſt, phyſicè, & moraliter: præcipuè hic illum explicamus moraliter in ordine ad obligationem. Quia verò moralis pendet à phyſico, priùs explicandum eſt, quid ſit hic ordo phyſicus in charitate.

3. Duplex autem conſiderari poteſt phyſicus ordo in charitate, obiectiuus, & ſubiectiuus. Obiectiuus eſt, vt vnum obiectum ſit magis, aut minùs, aut æquè diligibile iuxta maiorem, minorem, vel æqualem diligibilitatem. Quę maior, minor, vel ęqualis diligibilitas attenditur penes maiorem, minorem, vel æqualem bonitatem ipſius obiecti diligibilis. Subiectiuus eſt ipſa phyſica inclinatio & propenſio charitatis ad ſua obiecta diligenda, iuxta ordinem, quo ſunt diligenda. Etenim ſicut quæuis natura non tantùm phyſicè inclinat ad ſuas proprietates, ſed etiam ad eas habendas ordine quodam: natura enim intellectualis priùs exigit habere intellectum, quàm voluntatem, quia illum exigit vt principium cognoſcitiuum, quod in operando præcedit volitiuum; hunc vt principium appetitiuum, quod in operando ſequitur cognoſcitiuum. Ita charitas non tantùm phyſicè inclinat ad diligenda ſua obiecta, ſed etiam ad ea diligenda eo ipſo ordine, quo ſunt diligibilia, vt priùs ſeu potiùs inclinet in Deum,

Digitized by Google

tanquam in vltimum finem, minùs verò & poſteriùs in creaturas diligibiles propter Deum. Cùm enim ordo, qui in obiectis eſt, attingi debeat ab ipſo habitu charitatis, debet etiam in ipſa charitate ſupponi ordo ad obiecta: quia cùm habitus detur propter obiecta attingenda, dari debet cum ea inclinatione & propenſione in obiecta, cum qua obiecta ipſa exigunt attingi, alioqui habitus non proportionaretur obiecto, propter quod datur: ſiquidem non ſolùm datur ad attingendum obiectum, ſed etiam ordinem in obiecto. Vt patet in potentijs, inſtar quarum ſunt habitus infuſi, quæ non ſolùm phyſicè inclinant in ſua obiecta, ſed etiam cum quodam ordine. Intellectus enim Angelicus, & animi ſeparati priùs ſeu primariò inclinat ad intelligendam propriam ſubſtantiam, tanquam obiectum ſibi intimius, & magis commenſuratum, ſecundariò verò ad reliqua obiecta à ſe diſtincta. Eodem modo voluntas priùs inclinat ad diligendum bonum proprij ſuppoſiti, tum ad diligendum priuatum bonum aliorum.

4. Nec obſtat, quòd habitus charitatis ſit vna ſimplex qualitas: tum quia etiam potentia eſt vna ſimplex qualitas, & tamen in ſua obiecta inclinat cum ordine vnius ab alio: tum quia inclinare cum ordine vnius ab alio, nil aliud eſt, quàm inclinare cum dependentia vnius ab alio: atqui poteſt habitus perfici ab vno obiecto per dependentiam ab alio: ſicut habitus electiuus perficitur à medijs per dependentiam à fine: igitur poteſt habitus in obiecta inclinare cum ordine vnius ab alio, etiamſi ſit ſimplex qualitas. Confirmatur, Charitas creata eſt quædam participatio charitatis increatæ: ſed charitas increata vna ac ſimpliciſſima inclinat primariò ad ſe, ſecundariò ad creaturas: ergo etiam charitas creata, quamuis ſimpliciſſima, primariò inclinare poteſt in Deum, & ſecundariò in creaturas.

5. Ex dictis infertur, eundem phyſicum ordinem reperiri in habitu Spei infuſæ, quæ primariò inclinat in Deum, tanquam in obiectum principale, ſecundariò in reliqua, tanquam in obiectum minùs principale.

6. Nonnulla difficultas eſt de habitu fidei infuſę, an etiam hæc primariò inclinet in Deum, ſecundariò in reliqua obiecta creata. Ratio dubitandi eſt, quoniam fides non credit vnum obiectum materiale propter aliud, ſed omnia propter primam veritatem teſtificantem, tanquam propter rationem formalem credendi: ergo in obiecta materialia non inclinat cum dependentia vnius ab alio, ſicut inclinat Spes & charitas.

7. Nihilominus dicendum eſt, etiam fidem infuſam phyſicè inclinare primariò in Deum, tanquam in obiectum materiale principale, ſecundariò verò in reliqua obiecta creata. Ratio eſt, quia etiam fides infuſa eſt quædam participatio cognitionis diuinæ, quę ſeipſum, & reliqua à ſe cognoſcit: ergo ſicut cognitio diuina primariò inclinat ad cognoſcendum ſe, ſecundariò verò ad cognoſcenda reliqua à ſe: ita & fides infuſa primariò inclinat ad credendum Deum tanquam obiectum principale, ſecundariò verò ad credenda reliqua tanquam obiectum minùs principale.

8. Ad rationem dubitandi. Eſto fides infuſa omnia obiecta credat propter primam veritatem teſtificantem, tanquam propter rationem formalem credendi: negandum tamen eſt, in vnum obiectum materiale non inclinare principaliùs, quàm in aliud, non quidem tanquam in rationem formalem credendi, ſed tanquam in obiectum materiale creditum: nam cùm hæc maior inclinatio concedenda ſit in cognitione diuina erga ſuum obiectum primarium ac magis principale; cumque nulla appareat repugnantia, quin illa poſſit per habitum fidei nobis communicari, non eſt, cur illam negemus: præſertim cùm hoc modo meliùs ſaluetur inclinatio habitus in ſua obiecta, propter quæ infunditur.

9. Dices. Quando vnum attingitur dependenter ab alio, non poteſt illud attingi, quin attingatur & aliud, dependenter à quo illud attingitur. Ergo ſi omnia obiecta creata creduntur dependenter à Deo, tanquam ab obiecto primario, nullum poterit obiectum creatum credi, quin ſimul credatur cum illo Deus: quod falſum eſt: quia poſſum credere aliquod obiectum creatum, & tamen eo ipſo actu non credere Deum vt obiectum materiale principale.

10. Reſp. Antecedens eſſe verum, quando vnum attingitur dependenter ab alio tanquam à ratione formali attingendi: non autem, quando vnum attingitur dependenter ab alio, tanquam ab obiecto materiali magis principali. Ratio diſcriminis eſt: quia ratio formalis reperiri debet in omni actu, cùm ſit ratio ſpecificatiua habitus: nullus autem actus procedere poteſt ab habitu quin procedat ſpecificatus à ratione formali ſui habitus. Ratio verò materialis etiam principalis, cùm non ſit ſpecificatiua habitus, non debet reperiri in omni actu.

11. Explicato, quid ſit phyſicus ordo in charitate, explicandum nunc eſt, quid ſit moralis ordo in eadem charitate, de quo hic potiſſimùm diſputamus. Porrò moralis ordo in charitate nihil aliud eſt, quàm morale debitum, quod in operantem inducit hic idem phyſicus ordo charitatis. Quo fit, vt non tantùm ſub præceptum cadat charitas erga Deum, ſeipſum, & proximum, ſed ipſe etiam ordo charitatis, vt nimirum Deus, diligendus ſit ſuper omnia, diligẽs ſupra proximum, vnus proximus magis ſeu potiùs quàm alius, iuxta regulas infrà tradendas. Atque hæc de ordine charitatis in communi: ſupereſt de ordine charitatis in particulari, in quo maior eſt difficultas, quem per ſequẽtes ſectiones explicabimus.

SECTIO II.

An, & quo pacto Deus ſit ſuper omnia diligendus?

12. DE fide eſt, Deum ſuper omnia diligendum eſſe, vt conſtat ex verbis ipſis præcepti: & Chriſtus ipſe apertè declarauit Matt. 10. illis verbis: *Qui amat Patrem, aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus:* &, *Qui inuenit animam ſuam, perdet illam,* nempe propter me, quia nimirum Chriſtus amandus eſt ſupra propriam vitam. Quod & ratio ipſa euidenter demonſtrat: nam Deus diligendus eſt vt vltimus finis, reliqua verò propter Deum tanquam propter vltimum finem. Atqui finis diligendus eſt ſupra ea, quæ propter finem diliguntur, cùm ſuam diligibilitatem habeant à fine propter quem diliguntur.

Matth. 10.

13. Tota difficultas eſt de modo, quo debeat Deus ſuper omnia diligi. Tripliciter autem poteſt Deus ſuper omnia diligi, Obiectiuè, Intenſiuè, Appretiatiuè, ſeu Prælatiuè. Obiectiuè ſuper omnia diligi, eſt diligi iuxta bonitatem, quam obiectum in ſeipſo habet: quæ quia in Deo excedit omnem aliam bonitatem, qui illam in Deo diligit, dicitur Deum ſuper omnia obiectiuè diligere, cùm in nullo alio obiecto tanta bonitas, quanta in Deo eſt, diligenda ſit. Quò fit, vt non liceat diligere alium Deum. Intenſiuè ſuper omnia diligi, eſt diligi ſecundùm omnem intenſionem actus, qua creatura Deum diligere poteſt. Appretiatiuè, ſeu Prælatiuè ſuper omnia diligi, eſt, ita diligi, vt ipſius amori nullius alterius rei amor præferatur. His prædeclaratis, grauis controuerſia inter Theologos inſurgit, quo ex his modis debeat Deus ſuper omnia diligi. Et quòd debeat diligi ſuper omnia *Obiectiuè*, in confeſſo eſt apud omnes, cùm nulli creaturæ licitè poſſimus tantum bonum velle, quantum velle debemus Deo, cùm Deo debeamus velle beatitudinem infinitam, Deoque eſſentialem, cuius nulla creatura eſt capax. Sola igitur controuerſia reſtat, de reliquis alijs duobus modis

14. PRIMA ſententia affirmat, diligendum eſſe ſuper omnia Intenſiuè & Appretiatiuè, ſeu vt Scotus loquitur Intenſiuè & Extenſiuè. Ita Scotus in 3. diſt. 27. quæſt. vnica §. *dico igitur:* Durandus in 4. diſt. 17. quæſt. 4. num. 4. Petrus Sotus lect. 15. de Pœnitentia. Eadem ſententia tribuitur Adriano in 4. quæſt. 2. de Pœnitentia, & Quodl. 5. art. 3. niſi quòd hic author velit, quòd Deus ſit diligendus intenſiſſimo actu, quo poteſt à creatura diligi: à reliquis verò ſolùm eſſe diligendum intenſiùs, quàm quæuis alia res creata. Potiſſimum fundamentum huius ſententiæ eſt: nam Deus diligendus eſt ſuper omnia: ergo non tantùm ſuper omnia appretiatiuè, ſed etiam intenſiuè. Conſequentia probatur: quia ſi non eſſet diligendus ſuper omnia etiam intenſiuè, non eſſet diligendus ſuper omnia ſimpliciter, cùm ſaltem non eſſet diligendus ſupra illum gradum intenſionis, quo ſupra creaturas diligi poſſet. Confirmatur, nam intenſio actus proportionari debet perfectioni obiecti: igitur quo obiectum eſt perfectius, eò actus circa illud debet eſſe intenſior. Atqui Deus eſt omnium diligibilium perfectiſſimus: ergo & actus circa illum debet eſſe omnium intenſiſſimus.

Scotus. Durandus. Sotus. Adrianus.

15. SECVNDA ſententia docet, Deum diligendum eſſe ſuper omnia tantùm Appretiatiuè, ſeu Prælatiuè, non autem intenſiuè: eſt communis Theologorum. *Quæ vera eſt & ſequenda*: cuius potiſſimum fundamentum eſt, quoniam præcepta debent eſſe de rebus moraliter poſſibilibus, & quoad fieri poteſt, certis: ſi autem ſub præceptum non tantùm caderet dilectio Dei, ſed etiam intenſio dilectionis, non eſſet hoc præceptum moraliter poſſibile ac certum: ergo. Maior conſtat: quia præcepta debent eſſe accommodata naturæ, & modo ordinario operandi hominum, qui nonniſi circa moraliter poſſibilia, & certa fertur. Minor probatur: nam aut hæc intenſio, quæ ſub præceptum cadit, eſt ſumma, quæ eſſe poteſt cum ordinario auxilio Dei homini collato, aut ſaltem maior quæcunque alia, quæ circa creaturas ab eodem homine elicitur, aut elici poteſt. Vterque modus reddit præceptum ſeruatu moraliter impoſſibile, & ſemper dubium relinquit operantem de ipſius impletione. Nam prior modus requirit ſummum conatum potentiæ, qui ob multas, ac varias huius vitæ occupationes, ferè nunquam ab homine adhibetur: nec ſi adhibeatur, poteſt homo moraliter eſſe certus, quod illum adhibuerit. Poſterior eandem inuoluit difficultatem, quòd nimirum ſemper homo debeat eſſe anxius, an intenſiori actu amauerit Deum, quam vllam creaturam. Adde, quod ſatis per ſe abſurdum videtur, quòd qui Deum amat vt 8. filium verò vt 9. hoc præceptum non ſeruet, ſeruet autem qui Deum amat vt 2. filium verò vt vnum, ex eo quòd primus intenſiùs amet filium quàm Deum; ſecundus verò intenſiùs Deum, quàm filium, cùm tamen longè feruentiorem actum erga Deum exerceat primus, quàm ſecundus.

16. Supereſt explicandum, quid ſit dilectio Dei Appretiatiua ſuper omnia. Eſt autem dilectio Dei appretiatiua ſuper omnia, quæ ita fertur in Deum, vt præ ipſo diligens paratus ſit quodcunque aliud bonum contemnere. Quo fit, vt talis dilectio eſſentialiter ſit comparatiua, quia præfert Deum in amore omnibus alijs amabilibus. Cæterùm non eſt neceſſe, vt ſemper hæc comparatio ſit explicita & formalis, ſed ſatis eſt, ſi ſit implicita & virtualis, vt cùm vi huius dilectionis homo eſt paratus omnia potiùs perdere, quàm per peccatum mortale

Deum

Digitized by Google

Deum deſerere. Sicut eadem dilectio Dei dicitur implicitè & virtualiter includere deteſtationem omnium peccatorum, quia vi talis dilectionis homo eſt paratus omnia peccata, quæ menti occurrerint, deteſtari. Porrò non omnis dilectio appretiatiua Dei ſuper omnia eſt eiuſdem perfectionis & gradus: eſt enim alia aliâ perfectior. Nam quæ fertur in Deum appretiatiuè ſuper omnia, tam quæ cadunt ſub præceptum, quàm quæ cadunt ſub conſilium: quæque non ſolùm efficax eſt ad euitanda quæcunque mortalia, ſed etiam venialia, perfectior eſt ea, quæ tantùm eſt appretiatiua ſuper omnia, quæ tantum cadunt ſub præceptum, quæque ſolùm efficax eſt ad euitanda mortalia. Vnde cùm dicitur dilectio Dei appretiatiua ſuper omnia, non neceſſariò intelligitur ſuper omnia ſimpliciter, ſed ſolùm ſuper omnia, quæ amicitię Dei aduerſantur, cuiuſmodi ſunt omnia peccata mortalia.

17. Quòd autem dilectio appretiatiua ſuper omnia diſtinguatur à dilectione intenſiua, clarũ eſt: quoniam poſſum aliquod obiectum intenſiùs, minùs tamen appretiatiuè diligere: & vice verſa, aliquod magis appretiatiuè, minùs tamen intensè amare, vt parens intenſiùs amat filium minorem, magis verò appretiatiuè maiorem: nam ſi alterutro deberet orbari, mallet orbari minore, quàm maiore. Et ratio eſt, quia ex diuerſis cauſis deſumitur intenſio, atque appretiatio in actu. Vnde interdum augeri poſſunt cauſę intenſionis, non auctis cauſis appretiationis, & vice verſa: ac proinde interdum augeri poteſt intenſio in actu, non aucta appretiatione in eodem, & è conuerſo. Antecedens probatur: nam cauſæ intenſionis eſt maior conatus potentiæ, melior applicatio obiecti, perfectior concauſa, pauciora impedimenta potentiam retardantia: cauſa verò appretiationis eſt maior ac melior æſtimatio obiecti. Sed creſcere poſſunt cauſæ intenſionis, etiamſi non creſcat maior ac melior ęſtimatio obiecti: quia poſſum circa idem obiectum magis conari, meliorem habere applicationem, perfectiorem concauſam, pauciora impedimenta retardantia, etiamſi de eodem maiorem ac meliorem ęſtimationem non habeam. Et è contra, meliorem poſſum de obiecto ęſtimationem habere, etiamſi circa idem maiorem conatum non habeam, nec meliorem applicationem, aut perfectiorem concauſam, vel pauciora impedimenta. Igitur poſſumus aliquod obiectum magis intensè, & minùs appretiatiuè; & contrà, magis appretiatiuè, & minùs intensè diligere.

18. Confirmatur, nam omnis appretiatio naſcitur ex iudicio comparatiuo vnius præ alio: ex eo enim quod iudico, vnum eſſe melius ac perfectius alio, in amore præfero vnum alteri. Intenſio verò non naſcitur ex iudicio comparatiuo vnius præ alio, ſed ex maiori conatu & influxu potentiæ in actum, qui eſſe poteſt abſque iudicio comparatiuo vnius præ alio, ſed per meliorem dumtaxat eiuſdem obiecti applicationem, & principij comproductiui perfectionem.

19. Quòd autem ſola dilectio appretiatiua ſuper omnia ſufficiat ad implendum præceptum charitatis erga Deum, etiamſi remiſſiſſima ſit. Probatur: quoniam ea dilectio ad implendum præceptum charitatis ſufficit, quæ Deum in amore præfert omnibus rebus creatis: talis autem eſt dilectio appretiatiua Dei ſuper omnia: ergo. Minor patet ex natura ipſa huius dilectionis. Maior probatur: nam ea dilectio ad implendum hoc præceptum ſufficit, vi cuius diligens paratus eſt omnia potiùs perdere, quàm Deum vel per vnum peccatum mortale deſerere: atqui hoc pręſtat hæc dilectio, vt probatum eſt: ergo.

20. Quòd autem talis dilectio eſſe poſſit, etiamſi in gradu remiſſiſſima ſit, conſtat ex iactis principijs: quoniam poſſumus talem æſtimationem de Deo habere, vt propter increatam ſuam bonitatem præferendus ſit in amore omnibus rebus creatis, & tamen nonniſi remiſsè in talem actum tendere. Cùm enim remiſſio, vel intenſio actus proximè pendeat ex minori, vel maiori influxu potentiæ, cumque poſſit potentia circa idem obiectum eodem modo applicatum, minori, vel maiori influxu tendere, poterit appretiatiuè diligere Deum ſuper omnia etiam actu remiſſiſſimo.

21. Quòd autem vi huius præcepti ad nullam certam dilectionis intenſionem teneamur, conſtat ex dictis: cùm nec vſpiam ſit talis intenſio nobis præcepta, nec ex aliquo principio reuelato deducatur, neque conformis ſit ſuaui prouidentiæ Dei, qui ſolet præcepta ſuis creaturis præſcribere, quoad fieri poteſt, moraliter certa, ne operans ſit in continua anxietate de præcepti obſeruatione.

22. Ad fundamentum primæ ſententiæ negatur conſequentia. Ad cuius probationem Reſpondeo, ſi ly ſuper omnia ſimpliciter importet ſuper omnia tam quæ cadunt ſub præceptum, quàm ſub conſilium, negandum eſt, Deum vi huius præcepti diligendum eſſe ſuper omnia ſimpliciter, cùm vi huius præcepti non teneamur ad ſeruanda conſilia, ſed tantùm præcepta. Si ly ſuper omnia ſimpliciter, importet tantùm omnia ea, quæ diuinæ amicitię aduerſantur, concedendum eſt Deum, vi huius præcepti diligendum eſſe ſuper omnia ſimpliciter. Vnde negandum eſt, certam intenſionem in actu dilectionis eſſe ſub præcepto, ſed tantùm ſub conſilio. Ad confirmationem diſtinguendum eſt antecedens: debet intenſio actus proportionari perfectioni obiecti neceſſariò & ſub pręcepto, nego, liberè & ſub conſilio, concedo.

SECTIO III.

An naturaliter inclinemur ad diligendum Deum plus quàm nos ipſos?

23. Certum eſt, vi charitatis nos inclinari ad diligendum Deum ſupra nos ipſos. Etenim cùm charitas creata ſit quędam participatio charitatis increatæ, qua Deus ſeipſum diligit; cumque Deus ſeipſum ſuper omnia diligat, conſequens eſt, vt etiam charitas creata ad Deum ſuper omnia diligendum inclinet, ac proinde ſupra nos ipſos. Cæterùm controuerſia non modica inter Theologos eſt, an etiam natura inclinet ad diligendum Deum plus quàm nos ipſos.

24. Prima ſententia, negat: eſt Bonauenturæ in 3. diſt. 29. quæſt. 2. ad primum & quæſt. 4. ad vltimum Gabrielis q. vnica, Coninck diſp. 24. de ordine charitatis dub. 3. & aliorum. Quam Coninck probat his argumentis. Primò. Experientia conſtat, nos magis ferri in amorem noſtri, quàm Dei. Secundò. Si naturaliter magis inclinaremur ad amandum Deum, quàm nos ipſos, non eſſet neceſſaria nobis gratia ad diligendum ſuper omnia Deum, cùm nihil faciliùs nobis ſit, quàm naturę inclinationem ſequi. Tertiò. Sequeretur tam hominem, quàm Angelum in ſtatu innocentiæ poſitum nunquam peccaturum: cùm maximè naturale ſit tam Angelo, quàm homini, in ſtatu innocentię poſito rectam naturæ inclinationem ſequi. Confirmatur. Si rationi conſentaneum eſſet, & nobis à Deo pręciperetur, vt ſemper faceremus id, ad quod à natura magis inclinamur, certum moraliter foret, nullum hominem in eo euentu peccaturum: ergo nec Angelus, aut homo in ſtatu innocentię conſtitutus, ſi naturaliter in eo magis ad Deum, quàm ad ſeipſos diligendum inclinati forent. Quartò. Sequeretur, hominem in pura natura conſtitutum dilecturum Deum ſuper omnia, nec non omnia eius præcepta ſeruaturum: cùm nulla ſit opus gratia ad faciendum id, ad quod natura magis inclinamur. Quintò. Sequeretur, non fore actum heroicum in Angelo, vel homine, malle æternis pœnis cruciari, quàm vel vnum peccatum mortale admittendo æterna felicitate naturali frui. Sicut de facto non eſt opus heroicum, ex duobus grauiſſimis malis illud eligere, à quo natura minùs abhorret. Atqui hæc ſemper minùs abhorret ab eo, quod contrariatur bono, ad quod minùs inclinatur. Igitur ſi natura magis inclinat ad amandum Deum, quàm ſeipſam, ſequeretur, quòd magis inclinaret ad fugiendum peccatum, quàm ad vitandam æternam pœnam: ac proinde minùs abhorreret ab huiuſmodi pœna, quàm à peccato.

Bonauent. Gabriel. Coninck.

25. Secunda ſententia affirmat, naturaliter nos magis inclinari ad diligendum Deum, quàm nos ipſos. Eſt communior inter Theologos, quam expreſsè docent S. Thomas prima parte quæſt. 60. art. 5. prima ſecundæ q. 109. art. 3. & ſecunda ſecundæ quęſt. 26. art. 3. Richardus in 3. diſt. 29. art. 1. quęſt. 2. ad tertium, Scotus diſt. 27. quęſt. vnica §. *iſtis igitur rationibus*: Durandus diſt. 19. quęſt. 2. Caietanus prima parte quęſt. 60. citata art. 5. Bannez ſecunda ſecundæ quæſt. 26. citata art. 3. dub. 1. Syluius eodem art. Valentia diſp. 3. quęſt. 4. pun. 2. Suarez de charitate diſput. 1. ſect. 5. Malderus, & alij. *Quæ ſententia vera & eſt ſequenda.*

S. Thomas. Richardus. Scotus. Durandus. Caietanus. Bannez. Syluius. Valentia. Suarez. Malderus.

26. Probatur 1. Nam alioqui charitas non perficeret, ſed deſtrueret naturam, quippe quę inclinaret ad oppoſitum, ad quod natura ipſa inclinat: natura enim inclinaret ad amandum magis ſe quàm Deum, charitas contrà, ad amandum magis Deum, quàm ſe. Confirmatur. Inclinatio naturę eſt à Deo, cùm ſit vel ipſa natura, vel proprietas neceſſariò conſequens naturam: abſurdum autem eſt, Deum dediſſe talem inclinationem naturæ, quæ ipſius amori ſuper omnia aduerſetur. Nam quæ Deus ipſe ex ſe immediatè producit, intendit cum ordine ad ea ad quæ per ſe ordinantur: ergo ſi natura per ſe inclinaret ad diligendum ſe magis quàm Deum, intenderet Deus naturam cum ordine ad huiuſmodi amorem, qui cùm ſit inordinatus & peruerſus, non poteſt à Deo intendi. Nec eſt eadem ratio vel de appetitu ſenſitiuo, qui per ſe inclinat ad delectabile, vel de potentia libera, quæ ſæpe inclinat ad malum: nam neque inclinatio ad delectabile eſt per ſe mala, cùm ſit ad conſeruandam naturam ſenſitiuam: accidit autem propter coniunctionem cum alijs circumſtantijs, vt interdum actualis inclinatio in obiectum delectabile ſit mala. Nec potentia libera per ſe inclinat ad malum determinatè, ſed eſt indifferens ad vtrumlibet, & à Deo potiùs datur ad bonum, & nonniſi ex peruerſa electione creaturæ applicatur ad malum. Inclinatio autem ad diligendum ſe ſupra Deum, eſt per ſe, & ſemper mala; nec indifferens ad vtrumlibet, ſed determinata ad vnum, cùm non ſit proprietas libera, ſed neceſſaria.

27. Probatur 2. Natura rationalis naturaliter inclinat ad iudicandum Deum eſſe ſupra ſeipſam diligendum: ergo non poteſt in ea eſſe naturalis inclinatio ad amandum ſe ſupra Deum. Antecedens patet: nam recta ratio naturaliter dictat, ſummum bonum, cuiuſmodi eſt Deus, eſſe ſummè diligendum; ac proinde ſuper omnia, & conſequenter ſupra ſeipſam. Conſequentia verò probatur: nam naturalis inclinatio voluntatis non debet eſſe cōtraria naturali inclinationi intellectus: eſſet autem contraria, ſi naturaliter inclinaret ad diligendum ſe magis quàm Deum, vt per ſe patet.

Digitized by Google

ſe patet. Minor probatur: quia cùm iſtæ potentiæ ſint per ſe ſubordinatę, & vna in operando pendeat ab alia, non eſſent rectè inſtitutæ, ſi vna naturaliter inclinaret ad oppoſitum eius, ad quod inclinaret altera. Vnde ſi intellectus naturaliter inclinaret ad iudicādū Deum eſſe ſuper omnia diligendū, voluntas autem contrà naturaliter inclinaret ad diligendum ſe ſupra Deum, ex vna parte deberet voluntas ſequi iudicium intellectus, vt naturalem regulam ſibi à Deo datam: ex alia parte poſſet illud non ſequi, ſed naturalem ſuam inclinationem, quæ cùm ſit à Deo, licitè poſſet illam ſequi.

28. Tertiò probatur à priori. Ad illud magis ac potiùs amandum naturaliter inclinamur, à quo magis ac potiùs noſtrum eſſe pendet: magis autem ac potiùs noſtrum eſſe pendet à Deo, quàm à nobis ipſis: igitur magis ac potiùs naturaliter inclinamur ad amandum Deum, quàm nos. Maior patet: quoniam ad illud magis ac potiùs natura inclinat, quod eſt magis perfectiuum & conſeruatiuum proprij eſſe. Minor probatur: quoniam in Deo tanquam in vniuerſali bono continetur omne bonum particulare, ac proinde etiam bonum noſtrum: in bono autem noſtro non continetur bonum Dei: ſicut in bono totius continetur bonum partis, in bono autem partis non continetur bonum totius. Qua de cauſa pars naturalis inclinat ad exponendum ſe periculo deſtructionis ſui propter conſeruationem totius, quia adhuc deſtructa in ſe, manet in toto: deſtructo autem toto, nulla ratione manet in ſe. Ita quia creatura ſecundùm ſuum eſſe continetur in Deo tanquam in cauſa vniuerſali, à qua eſſentialiter pendet, Deus autem ſecundùm ſuum eſſe non continetur in creatura, naturaliter creatura inclinat ad conſeruandum magis ac potiùs eſſe diuinum, quàm proprium. Vnde dato caſu, quòd deberet vel creatura, vel Deus deſtrui, creaturą naturaliter inclinaret potiùs ad deſtructionem ſui, quàm Dei: quia deſtructo Deo, deſtrueretur ipſa non ſolùm formaliter & in ſe, ſed etiam cauſaliter & in Deo, tanquam in cauſa & toto eminentiali: deſtructa autem ipſa in ſe, adhuc maneret cauſaliter & eminenter in Deo à quo iterum formaliter reproduci poſſet. Sicut in caſu, quo aut deberet tota Reſpublica perire cum omnibus ſuis ciuibus, aut vnus tantū: naturaliter hic ciuis inclinaret ad perniciē propriā, potiùs quàm totius Reipublicæ: quia pereūte tota Republica, periret etiam ipſe: pereunte autem ipſo, non periret Reſpublica, in qua conſeruaretur tanquam pars politica in ſuo toto politico, tum per memoriam ſui apud ciues, & amicos, tum per conſanguineos & affines.

Ariſtoteles. 29. *Obijcies* 1. Ariſtotelicum illud axioma: ***Amicabilia ad alterum veniunt ex amicabilibus ad ſe:*** ergo naturalis amor in Deum venit ex naturali amore noſtri: ergo creatura naturaliter magis amat ſe, quàm Deum. Reſpondeo negando vltimam conſequentiam: nam ex hoc ipſo, quòd naturalis amor Dei fundetur in naturali amore noſtri, creatura naturaliter diligit plus Deum, quàm ſeipſam: quia ex naturali dilectione ſui oritur, vt creatura ſeipſam magis diligat in Deo, tanquam in toto cauſali & eminentiali, in quo, adhuc in ſeipſa formaliter deſtructa, conſeruaretur, quàm in ſeipſa tanquam in parte, quę ſine Deo nullo pacto conſeruari poſſet.

30. *Obijcies* 2. Ex eo quòd creatura naturaliter inclinet ad amandum Deum vt totum, & ſeipſam vt partem, non ſequitur, naturaliter inclinari ad amandum magis Deum, quàm ſeipſam. Nam tunc ſolùm ſequeretur, quando amando ſeipſam magis quàm Deum, ſequeretur deſtructio Dei: ſed ex eo quòd creatura amet ſe magis quàm Deum, non ſequitur deſtructio Dei: ergo ex hoc non ſequitur, quòd debeat naturaliter magis diligere Deum quàm ſeipſam. Maior probatur: nam ideò naturaliter inclinat ad amandum magis Deum, quàm ſeipſam, quia magis ipſa conſeruatur in Deo, quàm in ſeipſa: ergo eatenus naturaliter inclinat ad amandum magis Deum, quàm ſeipſam, quia amando ſeipſam magis quàm Deum, deſtrueretur Deus, & conſequenter ipſamet contenta in Deo.

31. Reſpondeo negando ſequelam. Etenim ad hoc vt creatura naturaliter inclinet ad amandum magis Deum, quàm ſeipſam, non ſequitur, vt per maiorem amorem ſui deſtrui poſſit Deus, ſed ſat eſt, ſi reipſa creatura quoad ſuum eſſe magis pendeat à Deo, quàm à ſeipſa, cùm hæc naturalis inclinatio fundetur in ipſa eſſentiali dependentia creaturæ à Deo, in quo perfectiùs conſeruatur, quàm in ſeipſa.

32. *Obijcies* 3. Quæcunque creatura naturaliter amat, amat quatenus ſibi aliquo modo coniuncta ſunt: ergo naturaliter ſeipſam magis amat, quàm Deum. Antecedens patet: nam ratio amandi alia à ſe, eſt vnio & ſimilitudo in natura. Conſequentia verò probatur: nam creatura magis eſt ſibi vnita, quàm ſit ſibi vnitus Deus, cùm ipſa ſit ſibi vnita per identitatem, Deus autem per creationem & conſeruationem.

33. Reſpondeo negando conſequentiam: Ad cuius probationem, eſto creatura ſit magis vnita ſibi formaliter & identicè: nego tamen eſſe ſibi magis vnitam virtute. Cùm enim creatura magis in ſuo eſſe pendeat à Deo, quàm à ſeipſa, cùm implicet ſine Deo conſeruari, magis virtute eſt ſibi vnitus Deus, quàm ſibi ipſa: & conſequenter magis inclinat ad diligendum Deum, ſine cuius influxu & virtute nequit in ſuo eſſe conſeruari.

34. Ad argumenta primæ ſententiæ. Primum ductum ab experientia ſolùm probat, nos actu elicito, non autem innato, magis ferri in amorem noſtri, quàm Dei: quod prouenit ex eo, quòd melius efficaciuſque apprehendamus bonum noſtrum, quàm Dei. Cùm enim ad amandum non ſufficiat appetitus innatus, ſed neceſſaria quoque ſit apprehenſio

Digitized by Google

rei amabilis, à qua proximè regulatur amor; cumque ſępè magis efficaciuſque apprehendamus bonum, ad quod minùs, quàm ad quod magis naturaliter inclinamur, ſæpe accidit, vt vehementiùs feramur in bonum, ad quod minùs, quàm ad quòd magis naturaliter inclinamur. Etenim quæ maior inclinatio, & naturalis appetitus, quàm ad conſeruationem ſui? cùm tamen ſæpè quis ex vehementi apprehenſione mali ſeipſum interficiat. Nam licet natura inclinet ad fugiendum malum vt ſibi contrarium, ad illud tamen fugiendum, non inclinat cum deſtructione ſui, cùm potiùs fuga mali ſit propter conſeruationem ſui.

35. Ad ſecundum negatur ſequela. Etenim licet non ſit neceſſaria gratia, in actu primo inclinemur ad diligendum Deum ſupra nos ipſos, eſt tamen neceſſaria, vt in actu ſecundo meliùs efficaciuſque apprehendamus Deum eſſe magis diligendum, quàm nos ipſos. Cùm enim, vt dictum eſt, ad amandum non ſufficiat naturalis appetitus & inclinatio, ſed neceſſariò etiam requiratur apprehenſio rei amabilis, cumque non ſemper apprehenſio rei amabilis ſit iuxta naturalem inclinationem ipſius amantis, neceſſaria erit gratia, vt apprehenſio ſit iuxta naturalem inclinationem, quam habemus de diligendo Deo ſupra nos ipſos. Ad illud quod dicitur, nihil eſſe nobis facilius, quàm ſequi naturæ inclinationem, verum eſt, quando inclinatio elicita conformatur innatæ, & nulla alia admiſcetur naturæ contraria: ſecus quando inclinatio elicita eſt contraria innatę, vel quando cum elicita conſentanea innatæ admiſcetur aliqua contraria naturę: nam maior, vel minor facilitas in operando proximè oritur ex maiori, vel minori inclinatione elicita, quæ fundatur in meliori, vel minùs meliori apprehenſione obiecti.

36. Ad tertium Negatur ſequela. Nam etiam in ſtatu innocentiæ, tum propter varia obiecta, quę in eo etiam ſtatu tam ab homine, quàm ab Angelo meliùs efficaciuſque apprehenſa, vehementiùs eos impuliſſent ad priuatum amorem ſui, quàm Dei: tum propter innatam libertatem creaturę eſſentialiter coniunctam cum naturali mutabilitate, quæ non ſemper efficaciùs conſiderat ea, quę conſideranda ſunt.

37. Ad confirmationem, negatur pariter ſequela. Cùm enim, vt ſępè dictum eſt, facilitas in operando proximè non oriatur ex appetitu innato, ſed elicito fundato in meliori efficaciorique apprehenſione obiecti, cumque ſæpè meliùs efficaciuſque apprehendamus obiecta, ad quæ minùs, quàm ad quę magis innato appetitu inclinamur, non ſequitur, ſi Deus pręciperet nobis vt ſemper faceremus id, ad quod innato appetitu magis inclinamur, certum fore, nos nunquam peccaturos: cùm non ſemper certum foret, nos ſemper meliùs efficaciuſque apprehenſuros ea, ad quæ magis inclinamur. Adde, quòd frequenter cum ijs, ad quæ magis inclinamur, apprehendimus aliqua contraria naturę, vt mox explicabo.

38. Ad quartum. Neganda etiam ſequela: cùm multò magis in pura natura omni auxilio indebito deſtituta occaſio fuiſſet, & propter obiectorum varietatem, & propter hominis libertatem, naturali mutabilitati coniunctam, & meliùs efficaciuſque apprehendendi ea, ad quæ innato appetitu minùs inclinamur, & ea meliùs efficaciuſque apprehenſa contra naturale debitum & innatam inclinationem actu proſequi.

39. Ad quintum. Negatur ſequela: nam licet natura magis inclinet ad amandũ Deum, quàm ſeipſam, cùm ad ſeipſam inclinet vt partem, ad Deum vt totum, à quo eſſentialiter pendet: quia tamen in caſu propoſito vnà cum bono Dei natura apprehendit malum ſui, abſque deſtructione Dei, Heroïcus actus eſt, eligere æternas pœnas, potiùs quàm offendere Deum, ex qua offenſa non ſequeretur deſtructio Dei: ſicut Heroicus actus eſt, eligere mortem à Tyranno intentatam, potiùs quàm Deum negare. Ratio eſt, quia in huiuſmodi caſibus cum dilectione Dei, quæ conformis eſt inclinationi naturali, ſimul apprehenditur deſtructio ſui, quæ contraria eſt naturæ, ad quam ſuperandam requiritur gratia Dei. Etenim in eo dumtaxat caſu natura viribus proprijs poſſet præ dilectione Dei eligere deſtructionem ſui, quando apprehenderet ex offenſa Dei deſtructum iri Deum, quia tunc ex deſtructione apprehenſa Dei apprehenderetur deſtructio ſui, tam formaliter & in ſe, quàm eminenter & in cauſa. Sicut tunc ciuis naturaliter eligeret mortem præ amore ſuæ Reipublicæ, quando ex non electione ſuæ mortis periret tota reſpublica, & cum Republica ipſemet: non autem quando ex non electione ſuæ mortis tota Reſpublica non periret.

40. Confirmatur. Etenim nemo negabit, naturam intellectualem naturaliter eſſe inclinatam ab bonum honeſtum: verùm ſi hoc ſimul apprehendatur vt contrarium naturæ ſenſitiuæ, Heroïcum actum eſſe, proſequi honeſtum, contempto bono ſenſibili. Cùm igitur naturalis propenſio ad diligendum Deum ſupra nos ipſos ſit tantùm in parte rationali, non in parte ſenſitiua, ſequitur, quòd quando dilectio Dei apprehenditur vt contraria parti ſenſitiuæ, egeamus peculiari gratia ad diligendum Deum, ſpreto bono ſenſibili noſtro, præſertim cùm ex non dilectione Dei non apprehendatur deſtructio Dei, in quo caſu homo naturaliter ſine ſpeciali gratia eligeret dilectionem Dei, etiam vt contrariam proprię naturæ ſenſitiuę: cùm in tali caſu maius bonum ipſius hominis eſſet, ipſo formaliter deſtructo, eminenter & cauſaliter manere in Deo, vtpote à quo reproduci poſſit, quàm deſtructo Deo, nec formaliter in ſe neque eminenter manere in cauſa.

Digitized by Google

SECTIO IV.

An ex charitate teneamur magis nos ipſos, quàm proximum diligere?

41. HÆc comparatio fieri poteſt circa triplex genus bonorum, quorum capax eſt homo, ſpiritualium ad vitam æternam conducentium, corporis, & Fortunæ. De omnibus intelligitur præſens quæſtio. Dixi, *ad vitam æternam conducentium:* ad differentiam bonorum ſpiritualium, quæ ad vitam æternam non conducunt, vt ſunt ſcientiæ naturales, & virtutes politicæ.

42. Quoad primum genus bonorum, communis ſententia Theologorum eſt, nos debere magis nos ipſos, quàm proximum diligere. Hanc docent Scholaſtici cum Magiſtro in 3. diſt. 29. & Thomiſtæ cum Angelico ſecunda ſecundæ quæſt. 26. art. 4. Quam citato loco in argumento *Sed contrà* colligit ex ipſis verbis præcepti, quibus modus diligendi proximum deſumitur ex dilectione ſui tanquam ex regula: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Porrò regula ſemper eſt prior & potior regulato: ergo prior & potior eſt dilectio ſui, quàm proximi. Quam deductionem deſumpſit S. Thomas ex Auguſtino de mendacio cap. 6. vbi ex verbis præcepti colligit ſeipſum diligendum eſſe plus quàm proximum: *Nam & ipſa*, inquit, *dilectio proximi ex ſua cuiuſuis dilectione terminum accepit.*

Magiſter. S. Thomas. *Auguſt.*

43. Nonnulla difficultas eſt in aſſignanda efficaci ratione. Aliqui hanc aſſignant. Quælibet res poſt inclinationem ad Deum, tanquam ad ſummum & vniuerſale bonum, maximè inclinat ad ſeipſam: ergo etiam charitas poſt inclinationem ad Deum, tanquam ad ſummum & vniuerſale bonum, maximè inclinat ad dilectionem ſui; ergo maximè ad dilectionem ſubiecti, in quo eſt: cùm non diligat ſeipſam ſolùm in abſtracto, ſed etiam in concreto, & conſequenter cum ſeipſa diligat etiam ſubiectum, cum quo facit vnum concretum. Confirmant. Charitas communicat ſuum effectum formalem ſubiecto, cui ineſt: atqui effectus formalis charitatis eſt coniungere hominem cum Deo: ergo primariò hunc effectum communicat ſubiecto, cui ineſt. Ita Suarez diſp. 1. de charitate ſect. 4. num. 8.

Suarez.

44. Sed contrà: nam charitas maximè inclinat ad diligendum Deum, & ad ea magis, quæ magis placent Deo: fieri autem poteſt, vt aliquod bonum proximi magis placeat Deo, quàm bonum proprium noſtrum: ergo tunc charitas magis inclinabit ad diligendum tale bonum proximi, quàm proprij ſubiecti. Maior conſtat ex diſputatis. Minor probatur: nam ſi Deus alicui habenti charitatem proponeret hunc caſum, vt vel per actû dilectionis Dei ſibi promereretur ſibi æternam gloriam, ab eadem gloria cæteris omnibus & Angelis, & hominibus excluſis: vel potiùs per actum dilectionis proximi, reliqui omnes & Angeli, & homines eſſent æterna gloria coronandi, ſe ſolo, abſque ſuo tamen peccato, ab eadem excluſo: procul dubio in tali caſu charitas potiùs inclinaret ad diligendum proximum, quàm ſeipſum, cùm longè maior gloria & honor redundaret in Deum ex gloria & beatitudine omnium hominum & Angelorum, quàm ex ſua ipſius tantùm. Atqui charitas magis inclinat ad ea, quæ ſunt magis glorioſa & honorifica Deo: ergo in tali caſu homo, ratione charitatis, magis inclinaret ad dilectionem proximi, quàm ſui. Et fortè in hoc ſenſu Paulus ad Rom. 9. protulit illa verba: *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis:* nimirum eligens pro ſalute omnium ſuorum fratrum carere gloria, abſque propria tamen culpa. *Rom. 9.*

45. Atque vt vis huius rationis magis appareat, idem caſus proponatur alicui beato. Sanè nullum eſſet dubium, quin potiùs beatus eligeret per actum dilectionis erga proximum, mereri gloriam & beatitudinem omnibus hominibus & Angelis, vtpote redundaturam in maiorem honorem & gloriam Dei, quàm per actum dilectionis erga ſe, gloriam & beatitudinem ſibi. Quis enim neget, in tali caſu beatum prælaturum gloriam & beatitudinem omnium hominum & & Angelorum, ne Deum priuaret tot tantiſque obſequijs, priuatæ gloriæ & beatitudini propriæ? ergo non ſemper charitas magis inclinat ad dilectionem proprij ſubiecti, quàm alieni. Conſequentia patet, quia charitas Patriæ & charitas Viæ eſt eadem, & conſequenter eandem habet propenſionem erga Deum, & ea, quæ magis placent Deo.

46. Sanctus Thomas ſecunda ſecundæ q. 26. art. 4. Hanc aſſignat rationem. Charitas fundatur in dilectione æternæ beatitudinis: vnde Deum diligimus tanquam principium beatitudinis, nos ipſos vt participes æternæ beatitudinis, proximum vt ſocium eiuſdem beatitudinis: conſociatio autem eſt ratio dilectionis ſecundùm quandam vnionem in ordine ad Deum. Atqui maior eſt vnitas, qua homo eſt ſibi vnus, quâ vnio, qua proximus eſt ſibi coniunctus: ergo potiùs homo ex charitate diligit ſeipſum, vt participē æternæ beatitudinis, quàm proximum, quia ſeipſum diligit per vnitatem, proximum verò per coniunctionem cum eadem beatitudine. *S. Thomas.*

47. Sed neque hæc ratio ſatisfacit: tum quia contra hanc eandem vrget argumentum ſuprà factum: tum quia non aſſignat, quod in charitate eſt potiſſimum: non eſt autem in charitate potiſſima ratio diligendi proximum, conſociatio ipſius in eadem beatitudine, ſed bonitas increata Dei, quæ eſt potiſſimũ & principale motiuũ charitatis, tam noſtri, quã proximi. Vnde in caſu ſuprà formato

teneremur

Digitized by Google

teneremur magis diligere proximum, quàm nos ipſos, non propter conſociationem in eadem beatitudine, quæ in eo euentu ceſſaret, ſed propter maiorem complacentiam diuinæ bonitatis, quæ in eo caſu magis glorificaretur & exaltaretur per gloriam & beatitudinem tot hominum & Angelorum, quàm per priuatam tantùm gloriam & beatitudinem vnius noſtræ perſonæ.

48. Efficacior ratio huius rei ſumenda eſt ex natura ipſa charitatis, quæ poſt Deum magis inclinat ad ea, quæ magis placent Deo. Atqui de lege ordinaria magis placet Deo, vt homo proprijs actibus ſeipſum perficiat in ordine ad Deum, quàm proximum: ergo ex natura charitatis de lege ordinaria homo tenetur magis diligere ſeipſum, quàm proximum. Maior eſt manifeſta in beatis qui vi charitatis ſemper tendunt in id, quod apparet gratius Deo: cùm igitur eadem ſit charitas Beatorum, & Viatorum, eadem etiam erit ratio vtrorumque. Minor probatur, tum quia hoc eſt innatum vnicuique, vt prima ac potior cura ſit ſui ipſius, cùm vnumquodque magis inclinet ad perfectionem conſeruationemque ſui eſſe, quàm alterius, niſi conſeruatio alterius redundet in maius bonum totius: quia tunc ex amore, quo pars fertur in totum, fertur etiam in bonum alterius, quatenus redundat in bonum totius. Sed vi charitatis nunquam homo comparatur ad proximum vt pars ad totum, niſi quando maior perfectio proximi redundat in maius bonum Dei: quia cùm ſolus Deus, & non proximus, ſit bonum vniuerſale, ſolùm quando maior perfectio proximi redundat in maius bonum honoremque Dei, tenetur homo vi amoris, quo magis fertur in bonum totius, quàm partis, diligere magis proximum, quàm ſeipſum. Tum quia vnuſquiſque cùm ſit dominus ſuorum actuum, non ſit autem dominus actuum ſui proximi, certiùs conſtantiuſque poterit ſeipſum, quàm proximum perficere, & per conſequens certiùs conſtantiuſque intendere & procurare honorem & gloriam Dei, quæ ex minori perfectione propria, quàm quæ ex maiori perfectione proximi, in Deum redundat.

49. Dixi, *de lege ordinaria*: quia per caſus extraordinarios, poteſt, vt ſuprà vidimus, maior perfectior proximi per noſtros actus procurata, Deo magis placere, quàm minor perfectior propria. Verùm quamdiu nobis certò non conſtat, quòd maior perfectior proximi per noſtros actus procurata, Deo magis placeat, quàm minor perfectio noſtra, vi præcepti naturalis, magis tenemur ad procurandam minorem perfectionem nobis, quàm maiorem proximo: idque ex eo, quòd ad proximum non comparemur vt pars ad totum, vti comparamur ad Deum: ac proinde ſolùm quando nobis certò conſtat, maiorem perfectionem proximi per noſtros actus procuratam, magis placere Deo, vi charitatis nos teneri magis diligere proximum, quàm nos ipſos.

50. Dices. Charitas de ſe ſemper inclinat ad diligenda magis ea, quæ Deo magis placent: ſed Deo ſemper magis placet maior, quàm minor perfectio: ergo charitas de ſe ſemper inclinat ad magis diligendam perfectionem maiorem proximi, quàm minorem noſtram. Reſpondeo negando vniuerſaliter Minorem: magis quippe Deo placet minor perfectio propria proprijs actibus comparata, quã maior perfectio proximi noſtris actibus procurata. Eſto maior perfectio proximi magis Deo placeat ipſiuſmet proximi actibus acquiſita, quàm minor perfectio propria noſtriſmet actibus comparata. Ratio huius eſt, quia Deo non ſolùm placet perfectio, ſed ordo ipſe comparandi perfectionem: & quia rectus ordo comparandi perfectionem eſt, vt vnuſquiſque magis ſuam, quàm proximi perfectionem procuret, Deo magis placet etiam minor perfectio propria, proprijs actibus comparata, quàm maior proximi alterius ſtudio procurata. Sicut magis Deo placet, vt ego in meipſo vitem vel leue peccatum veniale, quàm admittendo vel vnum peccatum veniale, ſim cauſa impediendi in proximo multa grauia mortalia: eo quòd Deo non ſolùm placet, vt vitentur peccata, ſed ordo ipſe vitandi peccata, vt vnuſquiſque magis, priùs, ac potiùs conetur peccata in ſeipſo vitare, quàm in proximo, iuxta illud Chriſti Domini Mat. 7. *Hypocrita eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere feſtucam de oculo fratris tui.* Vnde in caſu, quo mentiendo eſſemus cauſa impediendi multa peccata mortalia in proximo, vi charitatis potiùs teneremur non mentiri, & permittere multa peccata in proximo, quàm mentiendo illa impedire. Ratio, quia nunquam charitas poteſt inclinare ad procurandam perfectionem proximo per medium illicitum, vti eſt peccatum. *Matth. 7.*

51. Ex dictis infertur 1. Charitatem non ſolùm magis inclinare ad dilectionẽ proprij, quàm alterius ſubiecti, in ijs, quæ cadunt ſub præceptum, ſed etiam in ijs, quæ cadunt ſub conſilium: cùm ſemper charitas ex natura ſua magis inclinet ad perfectionem propriam, ſiue illa ſit ſub præcepto, ſiue ſub conſilio, quàm ad perfectionem alienam, niſi quando certò conſtet, alienam magis placere Deo. Eſt autem hoc corollarium intelligendum cæteris paribus: nam quando perfectio propria eſt tantũ ſub conſilio, aliena verò ſub precepto, eique ad ſalutem neceſſaria, vi charitatis tenemur priuare nos maiori perfectione ſub conſilio, vt ſubueniamus proximo quoad perfectionẽ ſub præcepto, eique ad ſalutem neceſſariam. Vnde periclitante ſalute animi, imò & vita corporis meorum parentum, teneor priuare me maiori perfectione Religionis, quæ tantùm eſt ſub conſilio, quàm illos in tali periculo relinquere, ſi aliter eorum neceſſitati ſuccurrere non poſſim. Conſimili ratione magis teneor ad ſubueniendum proximo in ſpiritualibus, vel corporalibus neceſſitatibus, quàm propriæ vocare contemplationi.

52. Infertur 2. Si quis iniuſtè inuaſus proba-

probabiliter timet, ne moriatur cum peccato mortali, quod iam commiſit; nec putat probabiliter actum contritionis ſe eliciturum, non ſolùm poteſt, ſed etiam vi charitatis tenetur cum moderamine inculpatæ tutelæ, iniuſtum inuaſorem occidere, ſi aliter corporalem mortem vitare non poſſit, vt ſe ab æterna damnatione eripiat.

53. Infertur 3. Vi charitatis nos teneri ad magis diligendum Chriſtum, quàm nos ipſos. Ratio, quia Chriſtus includit Deum: ergo qua ratione tenemur diligere magis Deum, quàm nos ipſos, eadem tenemur diligere magis Chriſtum, quàm nos ipſos. Maior difficultas eſt, an teneamur magis diligere Chriſti humanitatem, quàm nos ipſos. Ratio maioris difficultatis eſt, quoniam Chriſti humanitas, vt præſcindit à perſona verbi, non includit Deum. Nihilominus dicendum, nos vi charitatis teneri ad diligendam magis Chriſti humanitatem, etiam vt præciſam à verbo: tum quia etiam vt præciſa à Verbo, eſt natura verbi: Vnde ſi in aliquo loco replicaretur abſque vnione ad Verbum, non deſineret etiam ibi eſſe natura Verbi: quoniam vt ſit natura Verbi, ſufficit, vt alicubi ſit perſonaliter vnita Verbo. Porrò vt natura Verbi eleuatur ad participandam eandem dignitatem cum perſona Verbi, ac proinde diligenda eſt plus quàm nos ipſi. Sicut propter eandem rationem eleuatur ad participandam eandem adorationem cum perſona Verbi. Tum maximè quoniam humanitas Chriſti, etiam conſiderata vt præciſa à Verbo, eſt primum & vniuerſale principium meritorium totius gratiæ & gloriæ, à quo omnis gratia & gloria tam hominum, quàm in mea ſententia, Angelorum, pendet: igitur diligenda eſt tanquam totum vniuerſale principium meritorium gratiæ, gloriæ, ac totius eſſe ſupernaturalis.

54. Difficilior quęſtio eſt de B. Virgine, an etiam ipſa vi charitatis ſit diligenda ſupra nos ipſos. Ratio quęſtionis eſt, quoniam B. Virgo non eſt bonum vniuerſale, à quo tanquam à toto in aliquo genere pendeant bona particularia reliquorum iuſtorum, ſed ſolùm eſt pars nobiſcum particeps eiuſdem glorię & beatitudinis ſupernaturalis. His tamen non obſtantibus,

55. Dicendum eſt, etiam B. Virginem vi charitatis diligendam eſſe ſupra nos ipſos: quod inſinuat Coninck diſp. 25. n. 43. & 61. *Coninck.* dum ſolam Deiparam inter omnes creaturas excipit ab illo communi præcepto diligendi ſe magis, quàm proximum. Fundamentum eſt: quoniam B. Virgo, qua ratione fuit verum principium generatiuum Chriſti, fuit etiã verum principium productiuum vniuerſalis boni meritorij totius gratiæ & gloriæ: ac proinde diligenda eſt vt mediatum ſaltem principium productiuum totius eſſe ſupernaturalis gratiæ & glorię tam hominum, quàm Angelorum. Confirmatur: nam ſicut humanitas Chriſti, etiam vt ratione præciſa à Verbo, diligenda eſt ſupra nos ipſos, eo quòd ſit immediatum principium vniuerſale meritorium totius gratię & gloriæ: ita B. Virgo, vt Mater Chriſti diligenda eſt ſupra nos ipſos, eo quòd ſit mediatum ſaltem principium vniuerſale meritorium totius gratię & gloriæ: nam producendo nobis Chriſtum, produxit nobis vniuerſale principium meritorium totius gratiæ & gloriæ.

56. Quoad ſecundum, & tertium genus bonorum, communis etiam ſententia Doctorum eſt, hominem teneri magis ſeipſum, quàm quamlibet priuatam perſonam diligere: contrà verò communitatem, vel perſonam publicam, quæ communitati perutilis eſt, magis quàm ſeipſum. Priorem aſſertionis partem colligit Auguſtinus citato cap. 6. *Auguſt.* de mendacio, ex verbis ipſis præcepti, quæ nõ minùs intelligenda ſunt, de bonis corporis & fortunæ, quàm animi, cæteris paribus. Vnde doctrinæ regulam in præcepto nobis præſcriptam excedere docet, qui pro temporali vita proximi ſuam perdit. Ratio autem aſſertionis deſumitur ex ipſo ordine charitatis, qui ſeruandus eſt etiam in bonis corporis & fortunæ, vt cæteris paribus magis, ac potiùs ea debeamus diligere ac procurare nobis, quàm proximo, cùm non minùs in bonis corporis & fortunę, quàm animi, inſitum ſit vnicuique à natura, vt prima ac potior cura ſit ſui ipſius. Quocirca S. Thomas ſecunda ſecundæ q. 64. art. 7. docet, hominem teneri *S. Thomas.* ſuæ vitæ magis, quàm alienę prouidere. In hac inſita naturę inclinatione fundatur libera illa facultas, quam recta ratio vnicuique concedit ad ſeipſum defendendum, licitè ac iuſtè poſſe cum moderamine inculpatæ tutelæ, iniuſtum inuaſorem occidere. Idem dicendum eſt de charitate, quæ naturam non deſtruit, ſed perficit.

57. Dixi *cæteris paribus:* nam ſi cætera paria non ſint: poterit, & ſæpe debebit homo maius, aut certius bonum corporis, vel fortunæ proximi minori, aut dubio bono proprij corporis, vel fortunæ præferre: vt ſi mors proximi ſit certa, propria autem dubia, poterit vt proximum liberet à certa morte, ſeipſum exponere dubio amittendi propriam vitam. Eadem eſt ratio de bonis fortunæ.

58. Cæterùm notandum, aliquando hominem non teneri ſub præcepto propriam vitam conſeruare, ſed æquè licitè poſſe illam vel conſeruare, vel perdere. In quo euentu vtrumlibet ei licitum erit. Vulgaris caſus eſt: non tenetur homo eum ea difficultate, quam in membri alicuius abſciſſione experitur, vitam conſeruare. Similis caſus foret, ſi filius iniuſtè inuaderetur à proprio parente: non teneretur tunc ad propriam vitam tuendam parentem, etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere, propter naturalem horrorem, quem natura ſentit in proprio parente necando: ſed poſſet in eo caſu permitti ſe à parente occidi. Quin multi cum Victoria *Victoria.* apud Suarez diſput. 9. de ordine charita- *Suarez.* tis ſect. 3. docent, licitè poſſe quempiam à

quouis

quouis iniuſtè inuaſum permitti ſe occidi, potiùs quàm propriam vitam defendendo, alium occidere: quod etiam probabile cenſet Suarez ſtando in lege charitatis.

59. Poſteriorem aſſertionis partem docet S. Thomas ſecunda ſecundæ q. 26. art. 3. & 4. ad tertium & cum eo cæteri ferè Theologi, cum Auguſtino Tomo 1. in Regula 3. vbi docet, bona communia anteponenda eſſe proprijs: in quo ſenſu, explicat dictum illud Pauli primę ad Corinth. 13. *Charitas non quærit quæ ſua ſunt*. Vnum legi Richardum in 4. diſt. 15. art. 2. q. 5. negantem hoc eſſe neceſſitatis ſeu præcepti, ſed perfectionis tantùm ſeu conſilij, idem tribuitur Syluestro Verbo *Eleemoſina*. Qui tamen authores explicandi ſunt extra caſum extremæ neceſſitatis. Fundamentum aſſertionis eſt: quoniam ſemper bonum totius eſt præferendum bono partis: atqui bonum cōmunitatis eſt bonum totius, bonum verò priuati hominis eſt bonum partis: igitur ſemper illud præferendum eſt huic. Maior conſtat ex diſputatis. Minor probatur: nam communitas reſpectu hominis priuati comparatur vt totum ad partem. Eadem ratio eſt de perſona, ex cuius ſalute pendet Reipublicæ incolumitas.

S. Thomas. Auguſt. 1. Cor. 13. Richardus. Syluester.

60. Difficultas eſt, an licitè poſſit homo propriam vitam exponere pro vita alterius priuati hominis. Negant aliqui his argumentis 1. Homo non eſt dominus ſuę vitæ: ergo non poteſt eam morti exponere, niſi propter communem vtilitatem. Antecedens ſupponitur. Conſequentia probatur, quia de rebus, quarum dominium non habemus, non poſſumus ob quamcunque cauſam ad libitum diſponere, ſed ob cauſam dumtaxat communis vtilitatis. Secundò Nunquam licitum eſt contra ordinem charitatis agere: ordo autem charitatis eſt, vt homo magis propriam, quam alienam vitam conſeruet: igitur nunquam licebit propriam pro aliena vita morti exponere. Maior patet: quoniam ordo charitatis eſt ab ipſo Deo, non minùs quàm charitas ipſa: ergo non minùs Deus vult, vt ſeruetur charitas, quàm ordo ipſe charitatis: ſicut quia ab ipſo eſt natura & ordo naturæ, non ſolùm ipſe vult, vt ſeruetur natura, ſed etiam ordo naturæ. Minor conſtat ex verbis præcepti, quibus præcipimur proximum diligere ſicut nos ipſos: atqui propriam vitam pro vita proximi exponendo, magis diligeremus proximum, quàm nos ipſos. Tertiò. Prima cura demandata eſt vnicuique propriæ vitæ tuendæ.

61. Contrà verò affirmant alij, licitum eſſe, pro alterius vita conſeruanda propriam morti exponere. *Quę ſententia probabilior eſt:* eamque docet S. Thomas in 3. diſt. 29. q. vnica art. 5. ad tertium his verbis: *Tradere ſeipſum morti propter amicum, eſt perfectiſſimus actus virtutis: vnde hunc actum magis appetit virtuoſus, quàm vitam propriam corporalem*. Eandem ſequuntur plerique Theologi. Et quod caput eſt, illam expreſsè tradidit Ariſtotele 9. Eth. cap. 8. vbi. *Verum*, inquit, eſt, *quod de probo viro dicitur, cum amicorum cauſa, & Patrię multa agere, etiamſi pro ipſis mors fuerit oppetenda*. Et ratio id etiam oſtendit: quoniam, vt S. Thomas, & Ariſtoteles ipſæ ratiocinantur, qui mortem pro amico, vel benefactore oppetit, non plus vitam corporalem amici quàm ſuam, ſed potiùs bonum virtutis in ſeipſo magis diligit, quàm vitam corporalem propriam: quia qui pro amico vel benefactore mortem oppetit, illam oppetit ad ſeruandam honeſtatem virtutis amicitiæ, vel gratitudinis, ex cuius motiuo mortem oppetit. Quò fit, vt licitum non ſit, ex motiuo conſeruandæ vitę corporalis in proximo, mortem oppetere: cùm vi huius motiui potiùs homo teneatur propriam, quàm alienam vitam conſeruare: ſed ex altiori motiuo alicuius virtutis, cuius honeſtas præualeat amori propriæ vitæ.

S. Thomas. Ariſtoteles.

62. Confirmatur. Etenim nemo negabit, licitè poſſe filium pro conſeruanda vita parentis mortem oppetere: ergo etiam pro amico, vel inſigni aliquo benefactore. Conſequentia probatur: nam ſi ſemel licitum eſt, pro virtute propriam vitam pro aliena morti exponere, non erit maior ratio, cur id non ſit licitum ſemper, cùm ſemper honeſtas virtutis præualeat amori temporalis vitæ. Vnde tunc magis, vt Ariſtoteles & S. Thomas docent, homo ſeipſum diligit, cùm propter honeſtatem virtutis temporalem vitam perdit. Ariſtoteles. S. Thomas.

63. At negant aliqui, eſſe actum virtutis, propriam vitam pro alijs morti exponere, cùm hic potiùs ſit actus prodigalitatis. Sed contrà: alioqui neque licitum eſſet, illam exponere pro vtilitate publica. Quemadmodum igitur licitum eſt, illam pro publica vtilitate exponere, eo quòd honeſtas, quæ in publica vtilitate reperitur, honeſtat actum, qui alioqui ex ſe honeſtus non eſſet: ita honeſtas, quæ reperitur in virtute tuenda, honeſtat actum, qui alioqui ex ſe honeſtus non eſſet. Vnde falſum eſt, huiuſmodi actum eſſe peccatum prodigalitatis, cùm nitatur honeſto motiuo virtutis. Neque ex eo quod opponitur conſeruationi propriæ vitæ, ceſſat eſſe honeſtum & virtuoſum: quia non tenemur vitam conſeruare cum læſione virtutis. Etenim ſi non tenemur illam conſeruare cum peculiari difficultate & horrore naturæ: à fortiori nec tenebimur illam conſeruare cum præiudicio & læſione virtutis, cùm altioris ordinis ſit bonum virtutis, quàm bonum naturæ ac propriæ vitæ: proinde licitè poſſumus illud huic præferre.

64. Cęterùm cauendum eſt, quod Sapienter aduertit Suarez diſp. 9. de ordine ſeruando in præcepto charitatis ſect. 3. in fine, ne quis directa ac poſitiua actione concurrat ad ſuam mortem: nam hoc nunquam eſt licitum, ne quidem ob publicam vtilitatem, cùm ſit intrinſecè malum: ſed tantùm permiſſiuè ſe habere, vel non impediendo, cùm poſſit: vt cùm quis iniuſtum Suarez.

inuaſorem

Digitized by Google

inuaſorem non impedit, ne ſibi vitam auferat: vel non adhibendo medium, quod poſſet ad vitam conſeruandam: vt cùm quis naufragus arripere poſſet tabulam, in qua ſaluaretur, & non arripit, ſed illam permittit arripi à ſocio naufrago. Notat autem ibidem Suarez, non poſſe hunc, ſi tabulam iam arripuerit, & in ea inſiſtat, illam alteri cedere: nam tunc poſitiuè ſe ipſum demergeret, & ad propriam mortem cooperaretur: poſſet tamen, vt ego puto, permittere, vt alter à ſe illam rapiat, non reſiſtendo ei, cùm poſſet: non ſecus ac iniuſtè inuaſus permittere poteſt, vt inuaſor vitam ſibi eripiat, illi non reſiſtendo, cùm poſſet.

65. Præterea aduertendum eſt, ne is, qui pro priuato homine ſuam vitam exponit, aliunde teneatur pro bono & vtilitate aliorum propriam vitam conſeruare. Qua de cauſa non licet Patri familias, qui ſuos alere debet, vel ſuperiori, aut cuicunque perſonæ publicæ, quæ aliorum curam habet, ſuam vitam pro vita priuatæ perſonæ, exponere.

66. Tandem, quod de expoſitione proprij corporis dictum eſt, proportionaliter intelligendum eſt de expoſitione bonorum externorum, vt ea tantùm pro bonis communicatis exponere teneamur, non autem pro bonis priuatæ perſonæ: tametſi licitè poſſit quis ſua exponere pro conſeruandis bonis priuatæ perſonæ ad conſeruandam amicitiam, vel aliam virtutem, vt ſuprà de expoſitione propriæ vitæ diximus: dummodo talia bona non ſint neceſſaria pro ſuſtentatione propriæ familiæ, vel aliarum perſonarum, quarum cura nobis incumbit.

67. Ad argumenta oppoſitæ ſententiæ. Ad 1. Neganda eſt conſequentia: alioqui neque poſſet homo ſuam vitam exponere pro vtilitate communi, quia neque quando illam exponit pro vtilitate communi, exponit vt Dominus: ſed ideò poteſt licitè illam exponere, etiamſi non ſit Dominus illius, quia honeſtas, quæ in communi vtilitate ſeruanda reperitur honeſtat talem actum, qui alioqui ex ſe honeſtus non eſſet: ergo etiam honeſtas, quæ in tuendo bono virtutis relucet, poterit talem actum honeſtare, qui alioqui ex ſe honeſtus non eſſet: eſto in neutro actu homo ſuam vitam exponat vt Dominus.

68. Ad 2. Neganda eſt Minor, eiuſque probatio: falſum namque eſt, vt oſtendimus, qui ſuam vitam pro aliena exponit ad conſeruandam honeſtatem alicuius virtutis, magis alium, quàm ſe ipſum diligere: ſed potiùs ſe ipſum magis diligere ſecundùm eſſe virtutis, quàm ſecundùm eſſe naturæ, quod licitum eſt, cùm ſit bonum altioris ordinis.

69. Ad 3. Reſpondeo, vnicuique primam curam demandatam eſſe ad ſe ipſum ſuamque vitam conſeruandam ſine læſione tamen & præiudicio virtutis: cùm non minùs vnicuique mandata ſit cura conſeruandi in ſe virtutem, quàm propriam vitam: ergo quando alterutra periclitanda foret, licitè & honeſtè poteſt homo, ne virtus periclitetur, vitam periculo exponere.

SECTIO V.

An iuxta ordinem charitatis ſemper teneamur maius bonum proximi præferre minori proprio?

70. Hactenus charitatis ordinem conſiderauimus, comparando æqualia & eiuſdem rationis bona proximi cum proprijs noſtris, vt ſpiritualia cum ſpiritualibus, temporalia cum temporalibus. Supereſt, vt ordinem charitatis conſideremus, comparando maius diuerſæque rationis bonum proximi cum minori proprio noſtro, vt bonum proximi ſpirituale cum temporali proprio corporis: & rurſus bonum corporis proximi cum bono proprio fortunæ.

71. Communis ſententia Theologorum eſt, maius præſtantiuſque bonum proximi præferendum eſſe minori minuſque præſtanti bono proprio. In hac aſſertione vniuerſaliter intellecta omnes conueniunt, cùm rectus ordo charitatis inclinet, vt ſemper illud bonum, quod magis accedit ad diuinum, ſit præferendum bono, quod minùs accedit ad Diuinum. Eſt enim charitas creata participatio charitatis increatæ, quæ hunc ordinem erga ſua obiecta maximè ſeruat: cui etiam accedit recta ratio, quæ hoc ipſum dictat.

71. Ex hac regula vniuerſali deducuntur hæ particulares. Prima eſt. Bonum ſpirituale proximi anteponendum eſt bono proprio corporis. Secunda. Bonum corporis proximi præferendum eſt alicui bono fortunæ proprio. Ratio vtriuſque regulæ eſt: quoniam bonum ſpirituale proximi ex natura ſua longè maius præſtantiuſque bonum eſt bono proprij corporis: ſicut & bonum corporis proximi maius præſtantiuſque eſt aliquo bono fortunæ proprio. Dixi, *aliquo bono fortunæ*: quia

quia cùm bona fortunæ ſint neceſſaria ad conſeruandum bonum corporis, non ſemper bonum corporis proximi præferendum eſt cuilibet bono proprio fortunæ, ſed alicui, nempe illi, quod neceſſarium non eſt ad conſeruandum bonum proprij corporis. Vnde ad ſaluandam vitam corporalem proximi non teneor profundere meas opes, quæ neceſſariæ ſunt ad mei, meorumque corporis ſuſtentationem.

73. Maior difficultas eſt, quando, & in quibus caſibus ex præcepto charitatis obligemur vitam proprij corporis exponere pro vita ſpirituali proximi, & bona fortunæ pro vita corporali eiudem. Etenim quòd tale præceptum ſit, indubitatum eſt apud Doctores: colligiturque ex 3. capite Epiſtolæ 1. Ioannis: *Et nos*, inquit, *debemus pro fratribus animas ponere.* Quod idem Apoſtolus confirmat exemplo Chriſti, qui ſuam vitam dedit pro ſalute hominum: *Quoniam*, ſubdit, *ille animam ſuam pro nobis poſuit.* Idem docet Auguſtinus de mendacio capite 6. his verbis: *Temporalem planè vitam ſuam pro æterna vita proximi non dubitabit vir Chriſtianus amittere. Hoc enim præceſſit exemplum, vt pro nobis Dominus ipſe moreretur.* Et ratio id etiam demonſtrat: nam charitas colligat homines tanquam membra in vnum corpus Myſticum, ratione cuius myſticæ colligationis tenetur vnum membrum alteri in neceſſitate ſuccurrere, & minus bonum proprium pro maiori præſtantiorique bono alterius exponere: ſicut in corpore naturali pars ignobilior exponit ſe periculo pro conſeruatione nobilioris. Sola igitur difficultas eſt de tempore, quando hoc præceptum obligat.

1. Ioan. 3.

Auguſtin.

74. Et quidem certum eſt illud obligare in extrema neceſſitate æternæ ſalutis. Nam ſi quod tempus eſt, in quo illud obligat, eſt quando proximus eſt in manifeſto periculo amittendi vitam æternam: nec poteſt alia via illi ſuccurri, quàm cum certo & euidenti periculo amiſſionis propriæ vitæ corporalis. Velut ſi non poſſet vel moribundus puer Baptizari, niſi cum euidenti periculo Baptizantis, vel adultus peccator mox moriturus ad iuſtificantem gratiam ſe diſponere, niſi per ſacramentalem abſolutionem Sacerdotis: Vterque in his caſibus teneretur cum manifeſto periculo amittendi propriam vitam proximo ſuccurrere. Nam etſi poſſit adultus peccator actu contritionis ſe ad gratiam diſponere, ac proinde non videatur laborare extrema neceſſitate: ob difficultatem tamen & incertitudinem, quæ eſt in eliciendo huiuſmodi actu, & ob alias circumſtantias, quæ hominem in repentina morte minùs idoneum reddunt ad talem actum concipiendum, moraliter cenſeretur eſſe in extrema neceſſitate ſalutis: non enim hæc extrema proximi neceſſitas conſideranda eſt Metaphyſicè, ſed moraliter.

75. Cæterùm diligenter aduertendum eſt, ne vita corporalis noſtra, eademque ratio eſt de bonis fortunæ, neceſſaria ſit pro ſalute ſpirituali aliorum, vt dum illam morti exponimus pro ſalute æterna vnius, eadem ſalute priuemus multos, qui ope noſtra iuuari poſſent. Vnde non licet, ſi vnus tantùm eſſet Sacerdos in aliquo oppido, è cuius temporali vita pendeat ſalus æterna omnium, aut multorum oppidanorum, ſuam vitam corporalem exponere pro ſalute æterna vnius, etiam extremè laborantis. Quod tamen intelligendum eſt, quando aliunde non poſſet de alio Sacerdote tali oppido prouideri, vt eſſet in Iaponia, vbi pauciſſimi ſunt Sacerdotes, & cum magna difficultate poſſunt propter Tyrannicam perſecutionem aliunde aduocari.

76. Perpendendum quoque erit, an ſit certa ſpes, vt cum tali periculo noſtræ vitæ cum fructu ſubuenturi ſimus proximo in extrema neceſſitate æternæ ſalutis verſanti: an potiùs dubia & incerta ſit ſpes illi cum fructu ſubueniendi: quia tunc non tenemur corporalem vitam euidenti mortis periculo exponere pro dubia tantùm & incerta ſalute proximi. Ob eandem cauſam non tenemur cum euidenti periculo mortis proximo ſuccurrere, niſi quando eſt in manifeſto periculo, ne ex hac vita diſcedat ſine gratia, vel tunc, vel etiam poſt aliquod tempus, poſt quod cenſetur certò moraliter in peccato moriturus. Vnde ſemper perpendendæ ſunt circumſtantiæ in particulari: & in caſibus dubijs operandum eſt, iuxta quod practicum iudicium prudenter dictauerit. Notat præterea Valentia, neminem ex præciſo præcepto charitatis teneri ad inquirendas huiuſmodi proximi neceſſitates. Dixi, *ex præciſo præcepto charitatis*: nam qui ex iuſtitia tenentur, vti ſunt animarum Paſtores, tenentur ſuarum ouium neceſſitates inquirere, vt eis ſuccurrãt: nam adhoc etiam ſe extendit eorum obligatio. Valentia.

77. Vltimò notandum eſt, non dici in extrema neceſſitate, verſari qui voluntariè exponit ſe periculo æternæ damnationis: proinde nos non teneri cum periculo noſtræ vitæ eis ſuccurrere. Vnde non teneor, vt proximum liberem ab æterna morte, permittere me ab illo iniuſtè inuadente occidi. Ratio eſt, quia tunc tantùm homò dicitur verſari in extrema neceſſitate ſalutis, ac proinde illi ſuccurrendum, etiam cum manifeſto periculo propriæ vitæ, quando non habet medium, vel ſaltem nonniſi cum maxima difficultate euadendi periculum æternæ damnationis: at qui alium iniuſtè inuadit habet facile medium tale periculum euadendi, deſiſtendo ab iniuſta inuaſione

ſione : igitur talis non dicitur verſari in extrema neceſſitate : proinde non teneor cum periculo propriæ vitæ ei ſuccurrere.

68. Sed adhuc controuerſum eſt, an non tantùm in extrema, ſed etiam in graui neceſſitate teneamur æternam proximi vitam temporali vitæ propriæ anteferre. Non deſunt qui hoc affirment. Verùm communis Doctorum ſententia negat. Ratio, quia ſummum bonum, quod inter temporalia à Deo Optimo Maximo habemus, eſt vita corporis : vnde nonniſi in extrema neceſſitate æternæ ſalutis tenemur illam pro proximo exponere : quando nimirum proximus alia via non poteſt ab æterna damnatione liberari, quàm per iacturam noſtræ vitæ temporalis : in ſola autem extrema neceſſitate non poteſt proximus alia via, quàm media noſtra morte temporali ab æterna damnatione liberari: ergo in ea tantùm ex charitate tenemur cum iactura noſtræ vitæ temporalis illum ab æterna damnatione eripere. Maior probatur : quoniam charitas cum tanta difficultate, quanta eſt, temporalem vitam propriam morti exponere, non obligat, niſi quando aliud medium non ſuppetit ab æterna damnatione proximum liberandi. Minor oſtenditur : nam in omni alia neceſſitate, præter extremam, proximus habet alia media, licet difficilia, ab æterna damnatione ſe liberandi. Cæterùm ſi periculum non ſit amittendi propriam vitam, aut notabile aliquod bonum fortunæ, charitas ſub præcepto obligat ad ſubueniendum proximo etiam in graui neceſſitate ſpiritualis ſalutis conſtituto.

69. Atque hæc ſeruanda ſunt ijs, qui ſolo præcepto charitatis erga proximum adſtringuntur. Qui verò vltra præceptum charitatis, obligantur etiam præcepto iuſtitiæ ad ſpiritualem ſalutem proximi procurandam, vti ſunt Epiſcopi, Parochi, & omnes Superiores ſpirituales erga ſuos ſubditos, non ſolùm tenentur cum manifeſto periculo vitæ temporalis proximo ſuccurrere in extrema, ſed etiam in graui neceſſitate conſtituto, vt communis fert Doctorum opinio. Nam ad hoc ipſum ſe aſtrinxerunt ex officio, quod acceptarunt. Vnde ſemper inter eos & ſubditos interuenit tacitus quidã contractus, illos in graui etiam neceſſitate in ſpiritualibus iuuandi, etiam cum manifeſto periculo propriæ vitæ. Nam ad hunc finem accipiunt ſtipendia, honoris ſaltem & reuerentiæ. Quo fit, vt non poſſint, ingruente neceſſitate, officio Paſtoris renunciare, cùm maximè pro tali tempore ſit eis collatum officium, & ab ipſis tacitè acceptatum. Sicut non poteſt miles ingruente prælio, militiæ renuntiare, cùm ad hunc finem ſit conductus. Cæterùm non tenentur ſuperiores per ſe ipſos, ſed poſſunt per alios neceſſitatis tempore ſuis ſubditis prouidere: cùm ex vi officij non teneantur, niſi ſufficienter illis prouidere : ſufficienter autem illis prouidetur, ſi per alios idoneos miniſtros ijs prouideatur.

SECTIO VI.

Qualis ordo charitatis ſeruandus ſit inter ipſos proximos.

80. Explicato ordine charitatis, qui ſeruari debet inter nos & proximum in bonis tam ſpiritualibus animi, quàm temporalibus corporis & fortunæ, explicandus eſt ordo, qui ſeruari debet inter proximos ipſos: quibus nimirum magis, ac potiùs in neceſſitate ſuccurrendum ſit. Cæterùm, vt rectè hic ordo in praxi ſeruetur, habenda eſt ratio omnium circumſtantiarum, quæ ad illum concurrunt. Nam ſæpè cauſa, quæ ex vno capite eſt potior in vno, compenſatur, aut etiam ſuperatur ex alio capite, & titulo in alio. Quo fit, vt licet ex vno titulo vnus ſit præferendus alteri, ſpectatis tamen omnibus, potiùs alter præferendus ſit huic. Porrò conditiones, à quibus hic ordo Charitatis in praxi pendet, præcipuæ ſunt hæ. Prima, maior aut minor coniunctio proximi per ſanctitatem cum Deo. Secunda, maior aut minor proximi authoritas & vtilitas in ordine ad alios. Tertia, arctior aut minùs arcta coniunctio proximi cum ipſo diligente : quæ quadruplex eſſe poteſt, carnalis in ſanguine, ciuilis, ſeu politica in Patria, ſocialis in officio, moralis in amicitia fundata. Quarta, maior aut minor neceſſitas, in qua proximus verſatur. Quinta, quantitas, aut qualitas boni, quo proximus periclitatur. Sexta, maior aut minor Spes proximum iuuandi. Septima, maior aut minor damni irreparabilitas. Omnes enim hæ conditiones diligenter perpendendæ atque examinandæ ſunt ad rectum charitatis ordinem in praxi ſeruandum. Quibus omnibus perpenſis, illi magis ac potiùs ſuccurrendum eſt, in quo plures grauioreſque tituli præualent. Atque hæc ſit vniuerſalis regula. Ad particulares autem ſtatuendas,

81. Dico 1. Cæteris paribus, magis ac potiùs ſuccurrendum eſt perſonæ, cuius conſeruatio redundat in maius & vniuerſalius bonum multorum. Fundamentum conſtat ex dictis : quoniam cæteris paribus, ſemper publicum & vniuerſalius bonum præferendum eſt priuato & particulari:

Digitized by Google

ergo, cæteris paribus, ſemper ſuccurrendum eſt perſonæ, cuius conſeruatio redundat in maius atque vniuerſalius bonum multorum: nam tunc mediatè ſaltem anteponitur bonum publicum & vniuerſale priuato & particulari. Dixi, *cæteris paribus*: quia ſi bonum publicæ perſonæ ſit temporale, priuatæ verò ſpirituale, iuxta vniuerſalem regulam, præferendum eſt bonum ſpituale, etiam priuatæ perſonæ, bono temporali perſonæ publicæ.

82. Dico 2. Cæteris paribus, quò proximus eſt coniunctior diligenti, eò magis ac potiùs ei ſuccurrendum eſt. Regula eſt Auguſtini lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 28. *Omnes*, inquit, *homines æquè diligendi ſunt. Sed cũ omnibus prodeſſe nõ poſſis, his potius conſulendum eſt, qui pro locorum, vel temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quaſi quadam ſorte iunguntur:* & colligitur ex Paulo 1 ad Timoth. 5. vbi præcipit Apoſtolus habendam eſſe curam ſuorum, ſed maximè domeſticorum. Fundamentum conſtat ex dictis: nam poſt Deum, & publicum bonum, vnuſquiſque ex charitate inclinatur ad ſe ipſum magis, quàm ad alios diligendum: ergo vi eiuſdem charitatis ad eos magis inclinamur, qui ſunt magis nobis coniuncti. Etenim ſi regula diligendi proximum eſt dilectio ſui, quò magis proximus per coniunctionem accedit ad ipſum diligentem, eò magis ac potiùs eſt diligendus: hoc enim pacto diligens magis ſe ipſum diligit in proximo.

Auguſtin. — 1. Tim. 5.

83. Ex aſſignata regula infertur 1. Cæteris paribus, præferendos eſſe conciues exteris: & inter conciues, collegas non collegis, amicos non amicis, carne iunctos carne non iunctis, benefactores non benefactoribus, ſibi commiſſos cæteris, qui ſuæ curę cõmiſſi non ſunt, ſanctos & iuſtos iniuſtis & peccatoribus, propter coniunctionem cum Deo, quam habent iuſti, & carent peccatores.

84. Infertur 2. Inter carne iunctos, parentem præferendum eſſe cæteris omnibus, Matri, quæ teſte S. Thoma 2. 2. quæſtione 26. articulo 10. ad generationem prolis ignobiliùs concurrit, nempe vt principium paſſiuum materiam ſubminiſtrans, Pater verò vt principium actiuum. Vnde ad Patrem, non ad Matrem ſpectat prolis cura. A fortiori præferendus eſt fratri, qui nullo pacto ad generationem concurrit. Nonnulla difficultas eſt de filio, & vxore, an etiam his præferendus ſit parens.

S. Thomas.

85. De filio negant aliqui: eo quòd filius ſit coniunctior parenti, quàm parens filio: tum quia filius, teſte Ariſtotele 8. Eth. 12. eſt quaſi alter ipſe in filio propagatus. Vnde Parentes filios amant vt ſeipſos, vt ibidem docet Ariſtoteles. Tum quia, vt idem Philoſophus ait, certior eſt Pater de ſuo filio, quàm filius de ſuo parente. Tum quia, vt Apoſtolus docet 2. ad Corinth. 12. Non filij parentibus, ſed parentes filijs theſaurizare debent.

Ariſtoteles. — 2. Cor. 12.

86. Affirmant verò alij, inter quos Bannez, Suarez diſputatione 9. de charitate ſect. 4. Valentia diſputatione 3. quæſt. 4. punct. 5. Coninck diſputatione 25. dub. 9. concl. 6. tum quia pater eſt principium, filius effectus: principium autem ſe habet vt totum, effectus verò vt pars: totum autem ſemper eſt magis diligendum, quàm pars: quia in toto continetur pars, non autem totum in parte. Tum quia maiora, diuiniora, diuturnioraque beneficia filius accipit à Patre, quàm Pater à filio: nam à patre accipit eſſe, quod eſt maximum ac diuinum beneficium; diuturniorem amorem, nam, vt ibidem teſtatur Ariſtoteles, Pater ſtatim ac filius naſcitur, amat illum; filius autem nonniſi progreſſu temporis parentem incipit amare.

Bannez. Suarez. Valentia. Coninck. — Ariſtoteles.

87. Diſtinguunt alij, iuxta naturæ inclinationem, magis diligendum eſſe filium, ad quem natura inclinat tanquam ad partem ex ſe deciſam: iuxta inclinationem charitatis & rectæ rationis, magis diligendum eſſe Patrem, à quo maiora ac diuiniora beneficia accipimus. Ita Bonauentura in 3. diſtinctione 29. quæſtione 4. *Quæ ſententia probabilior eſt:* quam docet S. Thomas 2. 2. quæſtione 26. articulo 9. iuxta quam ſimpliciter dicendum, in extrema neceſſitate præferendum eſſe Patrem Filio: quod expreſsè docent Ariſtoteles citato lib. 8. Eth. cap. vlt. vbi ſic concludit: *Atque idcirco non licere Filio Patrem abdicare, Patri autem Filium licere videretur:* & rationem aſſignat: *reddere enim*, inquit, *oportet eum qui debet: at quiquid fecerit filius nihil dignum, collatis beneficijs fecis: quare ſemper debet.* Et S. Thomas 2. 2. quæſtione 31. articulo 3. ad 4 *In neceſſitatis*, inquit, *articulo magis liceret deſerere filios, quã Parentes.* Priorem aſſertionis partem probant argumenta primæ ſententiæ. Teſtimonium autem Apoſtoli intelligendum eſt extra caſum neceſſitatis, extra quem tantùm debent parentes theſaurizare filij, non filij parentibus. Poſteriorem verò confirmant rationes ſecundæ ſententiæ. Nam ipſa recta ratio dictat, in extrema neceſſitate præferendum eſſe benefactorem beneficiato: cùm igitur parens ſit poſt Deum maximus, noſter benefactor, cui, vt ex præcitatis verbis Philoſophi vidimus, nunquam condignam gratiam referre poſſumus, præferendus eſt in extrema neceſſitate filio, qui tantùm eſt beneficiatus. Nec refert, quòd filius ſit nobis magis natura coniunctus: quoniam huic maiori coniunctioni in natura præualet maiorum beneficiorum acceptio. Ob eandem rationem Mater præferenda eſt in extrema neceſſitate filio, cùm etiam à Matre accipiamus eſſe, quod non accipimus, ſed potiùs damus filio.

Bonauent. S. Thomas. — Ariſtoteles. — S. Thomas.

88. Cæterùm

88. Cæterùm non arbitror mortaliter peccaturum, qui in extrema neceſſitate filium parenti præferret: quia poſſet ſe conformare alteri ſententiæ, quæ ſua probabilitate non caret: maximè cùm hic exceſſus ordinis non ſit notabilis, vt conſtat ex varietate opinionum. Quæ regula diligenter notanda eſt in cæteris caſibus, in quibus non apparet notabilis exceſſus: tunc enim vnum alteri præferre, non eſt grauiter lædere ordinem charitatis. Atque hæc de filio reſpectu Parentis.

89. De Vxore verò poſſet aliquis iudicare, eam præferendam eſſe Parenti ex illo *Geneſ. 2.* Geneſ. 2. *Relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ.* Quod etiam confirmat Chriſtus *Matth. 19.* Matth. 19. Et Paulus ad *Ad Epheſ. 5.* Epheſ. 5. vbi docet, vxorem diligendam eſſe à viro, ſicut ſe ipſum: ſic enim in fine capitis concludit: *Vnuſquiſq; vxorem ſuam ſicut ſe ipſum diligat.* Præterea lib. 3. Eſdræ *3. Epheſ. 5.* cap. 4. dicitur homo diligere vxorem ſuam magis quàm Patrem aut matrem. Confirmatur: quoniam, iuxta diuina oracula, magis eſt cōiuncta vxor viro, quā Pater Filio: nam illi ſunt duo in carne vna, in qua tamen non ſunt Filius & Pater.

90. Communis tamen Theologorum *Magiſter S. Thomas.* ſententia cum Magiſtro in 3. diſt. 29. & Doctore Angelico 2. 2. quæſt. 26. art. 11. docet, in extrema neceſſitate, Patrem, matrem, & Filium præferendos eſſe vxori. Quem charitatis ordinem Magiſter colligit ex *Hieronym. Ambroſius.* Hieronymo, & Ambroſio: *Poſt omnium,* inquit ille, *Patrem Deum, Carnis quoque pater diligatur, & Mater, & filius, & filia. Primò,* inquit iſte, *Deus diligendus eſt; ſecundò parentes; inde filij; poſt domeſtici.* Et ratio quoad parentes conſtat: quia parentes diligendi ſunt vt principium noſtri eſſe; vxor tantùm vt ſocia, & conprincipium prolis: potior autem amor debetur principio noſtri eſſe, quàm conprincipio prolis, cùm maius ſit bonum noſtrum eſſe, quod à parentibus accipimus, quā eſſe prolis, propter quam vxorem amamus.

91. Quoad filios oſtenditur: quia filios amamus vt partem noſtri eſſe, quod eis per generationem communicamus, & per quos nos ipſos propagamus: vxorem autem vt conprincipium talis propagationis: maius autem bonum noſtrum eſt, ipſum *eſſe* noſtrum in filio propagatum, quàm conprincipium huius propagationis, cùm magis intrinſecum ſit nobis *eſſe* noſtrum in filio propagatum, quàm conprincipium huius propagationis. Eſt igitur in ſententia Hieronymi, & Ambroſij primo loco pater, ſecundo mater, tertio filius, quarto vxor di- *Caietanus.* ligenda. Tametſi Caietanus 2. 2. quæſt. 26. art. 11. putet, vxorem præferendam eſſe filio: eo quòd vxor diligitur vt conprincipium generationis prolis, quod eſt quid nobilius. Sed eſto conprincipium generationis ſit nobilius ſecundùm ſe, quia tamen extrinſecum eſt, contrà verò filius ratione ſubſtantiæ, quam accipit à Patre, eſt magis idem cum parente, ſimpliciter hæc coniunctio prævalet: licet hic exceſſus non videatur notabilis, ac proinde non grauiter peccaret qui aliter faceret.

92. Primum teſtimonium Geneſis S. Thomas explicat de derelictione Patris & *S. Th.* matris, & adhæſione cum vxore quoad habitationem, propter copulam carnalem, non autem quoad neceſſaria vitæ, ſiue temporali, ſiue æternæ, & Spirituali ſubminiſtranda.

93. Secundum teſtimonium Apoſtoli explicat de dilectione, non quoad æqualitatem, alioqui magis debet vnuſquiſque ſe ipſum diligere, quàm quamcunque aliam priuatam perſonam: ſed de dilectione quoad ſimilitudinem: vt ſicut homo diligit ſe ipſum, ita ex hac dilectione ſui debet vxorem ſibi coniunctam diligere.

94. Tertium teſtimonium ex citato libro Eſdræ erutum, neque illud Canonicum eſt, cùm nonniſi primus & ſecundus Eſdræ liber Canonicus ſit, vt definit Concilium Tridentinum in Decreto de Canonicis ſcriptoribus: nec tam docet, quid fieri debeat, quàm quid de facto fiat: cùm potiùs huiuſmodi amor tanquam peruerſus ibidem damnatur: ſtatim enim textus ſubiungit: *Et multi dementes facti ſunt propter vxores ſuas: & ſerui facti ſunt propter illas* &c.

95. Ad confirmationem autem diſtinguendum eſt, iuxta ſuprà aſſignatam diſtinctionem de maiori coniunctione quoad habitationem, & toti vnionem copulamque carnalem, non quoad ſanguinis vinculum & neceſſitudinis debitum.

96. Mouet Caietanus præcitata quæſt. 26. art. 8. dubium: An Pater Spiritualis præferendus ſit carnali, filiuſque Spiritualis filio carnali. Et reſpondet affirmatiuè, *Caietanus* putatque eſſe ſententiam ſancti Doctoris, qui explicans in ſecundo argumento authoritatem Ambroſij, docentis filios ſpirituales præferendos eſſe filijs carnalibus, id verum eſſe docet de ijs, quæ ſpectant ad Spiritum: ergo ſentit S. Thomas in ſpiritualibus Filium *S. Thomas* Spiritualem præferendum eſſe carnali, ſicut & Patrem Spiritualem Patri carnali. Idque præter authoritatem Ambroſij lib. 1. de offi- *Ambroſius* cijs cap. 7. qui de filijs Spiritualibus hæc ſcribit: *Neque enim minus vos diligo, quos in Euangelio genui, quàm ſi coniugio ſuſcepiſſem. Non enim vehementior eſt natura ad diligendum, quàm gratia. Plus certè diligere debemus, quos perpetuò nobis cùm putamus futuros, quàm quos in hoc tantùm ſæculo:* Confirmat ratio ipſa: nam generatio Spiritualis eſt nobilior carnali, cùm fundetur in gratia, quæ antecellit naturam: eſtque, vt Ambroſius docet, perpetua, quia durat etiam in alia vita. Eandem ſententiam ſequitur Valentia diſputatione 3. *Valentia* quæſtione 4. puncto 5. §. *Tertio ſequitur:* pro qua citat Originem Homil. 3. in *Origenes* Cantica.

97. Communis tamen ſententia aliorum eſt, tam Patrem carnalem, in extrema neceſſitate præferendum eſſe Patri Spirituali, quàm filium carnalem filio ſpirituali. Et ſanè in ijs, quæ pertinent ad conſeruationem vitæ corporalis, id expreſsè docet S. Thomas ſuprà citatus, & cum eo reliqui Theologi. In ijs verò, quæ pertinent ad vitam ſpiritualem eadem eſt ratio: cùm non minùs, ratione pietatis, teneatur filius in extrema neceſſitate ſubuenire parenti in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, cùm ad vtrumque officium ſe extendat obligatio filij erga parentem. Par maior obligatio in vtroque genere eſt in parente erga filium carnalem, quàm ſit erga filium ſpiritualem in extrema neceſſitate: cùm non minùs filius per generationem accipiat à Patre carnali animam rationalem, quàm corpus; & conſequenter non minùs debeat à patre carnali in ijs, quæ pertinent ad animam, quàm quæ pertinent ad corpus ſibi in extrema neceſſitate prouideri: igitur non minus præferendus eſt filio ſpirituali in ſpiritualibus, quàm in corporalibus.

S. Thomas.

98. Cæterùm Origenes, Ambroſius, & S. Thomas pro contraria ſententia citati explicandi ſunt extra caſum neceſſitatis, in quo ſolùm tam Pater, quàm Filius ſpiritualis præferendus eſt Patri ac Filio carnali.

Origenes Ambroſius S. Thomas.

99. Ad rationem verò Reſp. In obligatione charitatis non tam attendendam eſſe coniunctionem nobiliorem, quàm intimiorem cum ipſo diligente: cùm hæc ſit norma diligendi proximum. Intimior autem eſt coniunctio in natura & ſanguine, quia fundatur in participatione eiuſdem ſubſtantiæ, per naturalem generationem phyſicè communicatæ, quàm in gratia, quæ fundatur in donis ſupernaturalibus moraliter duntaxat à Deo impetratis. Præterea naturalis coniunctio eſt firmior ac ſtabilior, quia fundatur in natura, quæ nunquam mutatur. Nec refert, quòd filiatio, vel paternitas ſpiritualis manſura ſit in alia vita: nam etiam in alia vita manſura eſt filiatio & paternitas naturalis: cùm hæ fundentur in natura per generationem communicata, vel ſuſcepta, quæ in alia vita permanet cum eadem relatione paternitatis & filiationis: alioqui vel non eſſet nunc in cœlis Chriſtus filius Virginis, vel Virgo Mater Chriſti.

100. Et hæc quidem veriora ſunt de Patre & Filio ſpirituali, inter quos nulla intercedit obligatio iuſtitiæ, ſed tantùm charitatis: cuiuſmodi eſſet qui alium per ſuam induſtriam & diligentiam ad fidem, aut ad vitam ſpiritualem conuertiſſet. Maior difficultas eſt de Patre & Filio ſpirituali, inter quos præter debitum charitatis, intercedit etiam titulus iuſtitiæ, qualis eſt inter paſtores animarum & ſubditos, eorum curæ commiſſos: an etiam tunc debeat Pater ſpiritualis in extrema neceſſitate præferre Filium carnalem Filio ſpirituali, de quibus videtur præcipuè loqui Caietanus. Maior ratio dubitandi pro negatiua parte eſt: quoniam arctiori vinculo tenetur talis Pater ſpiritualis in ijs, quæ ad ſalutem pertinent, ſuccurrere Filijs ſpiritualibus, quàm carnalibus: quia illis tenetur titulo iuſtitiæ, ad quam ex officio ſe obligauit & propter quam ſtipendium accepit. Vnde ex contractu videtur ad id ſe obligaſſe: his autem ſolùm tenetur titulo charitatis. Confirmatur, nam extra caſum extremæ neceſſitatis, maior eſt obligatio erga Filium ſpiritualem, quàm erga carnalem: ergo etiam in extrema neceſſitate.

101. Nihilominus dicendum eſt, etiam de his intelligendam eſſe datam doctrinam, de quibus ſpecialiter illam etiam intelligunt Suarez, Coninck, alijque recentiores Theologi. Et ratio eſt, quoniam obligatio Filij erga parentem, ſicut & parentis erga Filium carnalem præualet cuicunque obligationi etiam ſtrictiſſimæ iuſtitiæ, ratione naturalis vinculi, quo Pater & Filius carnalis per phyſicam generationem colligantur. Quod patet à poſteriori: nam in æquali extrema neceſſitate conſtitutis Filio carnali, & creditore, tenetur Pater potiùs ſuccurrere Filio, quàm creditori: eademque, vel maior ratio eſt de patre in eadem extrema neceſſitate cum creditore conſtituto. Igitur ſicut in tali caſu vinculum paternæ charitatis præualet vinculo iuſtitiæ, qua quis aſtringitur erga creditorem: ita in omni alio caſu idem vinculum præualebit cuicunque vinculo iuſtitiæ.

Suarez. Coninck.

102. Vnde ad rationem dubitandi, negandum eſt, in extrema neceſſitate magis obligare titulum iuſtitiæ paſtoris erga ſubditum, quàm charitatis Patris erga Filium, vel Filij erga patrem carnalem. Neque eſt nouum, in aliquo caſu magis obligare vnam virtutem, quæ tamen ex ſuo genere eſt minùs obligatiua, quàm aliam, vt patet de charitate erga ſe ipſum, quæ in extrema neceſſitate plus obligat, quàm quicunque titulus iuſtitiæ. Eſt & alia ratio, cur in extrema neceſſitate magis obliget charitas, quàm iuſtitia: quia in extrema neceſſitate ceſſat titulus iuſtitiæ, cùm in eo caſu fiant omnia communia: contra verò titulus charitatis tunc maximè obligat. Vnde nec potuit paſtor animarum ſeſe obligare ad præferendum tempore neceſſitatis ſubditum ſibi in ſpiritualibus commiſſum Filio, vel Patri carnali: cùm non poſſit ſe obligare contra debitum ordinem charitatis. Sicut nec poteſt ſe obligare, vt in eadem extrema neceſſitate alios ſibi præferat: cùm non ſit in noſtra poteſtate huiuſmodi ordinem, qui eſt iuris diuini naturalis, inuertere. Eadem ratione in pari neceſſitate hic teneretur potiùs fratri, vel vxori ſuccurrere, quàm ſubdito propriæ curæ commiſſo.

103. Ad Confirmationẽ, neganda eſt conſequentia; quoniam extra caſum extremæ neceſſitatis, obligatio charitatis ſaltem ſtri-

Digitized by Google

cta & rigoroſa ceſſat, cùm tamen extra caſum extremæ neceſſitatis, non ceſſet ſtricta & rigoroſa obligatio iuſtitiæ Paſtoris erga ſubditum: nam etiam extra caſum extremæ neceſſitatis, ex iuſtitia ſe obligat Paſtor ad ſuccurrendum ſuis ouibus: ac proinde cùm non ſit extra caſum extremæ neceſſitatis, eadem obligatio charitatis, ſit autem eadem obligatio iuſtitiæ; cumque in extrema neceſſitate maior ſit obligatio charitatis, quàm iuſtitiæ, potior erit ratio, cur in extrema neceſſitate teneatur homo præferre Filium & Patrem carnalem ſpirituali, non autem extra hunc caſum.

104. Ex his emergit dubium, quod proponit Coninck: an etiam ſuperior Religionis debeat in extrema neceſſitate ſpirituali præferre Filium carnalem Filio ſpirituali ſibi in Religione ſubdito. Ad quod reſpondet hic author negatiuè. Mouetur ex eo, quoniam coniunctio Religioſi cum ſuo ſuperiore eſt maior, & arctior, quàm ſit filij carnalis cum parente: quia Religioſus relinquit patrem, & matrem, & quidquid in mundo habet, imò & propriā voluntatē, vt ſe ipſum Religioni mācipet: igitur Religio debet illi ſuccedere loco patris, matris, & omnium. Atqui à patre & matre carnali fuiſſet in extrema neceſſitate cuicunq; alteri prælatus: ergo etiam à ſuperiore Religionis, qui ei loco Patris ſuccedit, debet in extrema neceſſitate ſpirituali præferri proprio filio carnali eiuſdem. Contrà verò idem author ſentit de patre carnali, nempè in pari neceſſitate extrema ſpirituali præferendum eſſe à ſuperiore Religionis cuicunque Religioſo ſuæ Religionis: eo quòd coniunctio filij carnalis cum parente ſit maior arctiorque ratione accepti beneficij, quàm coniunctio cum Religioſo ſibi ſubdito. Quod probat, quia in extrema neceſſitate tenetur ad tēpus egredi Religionem, vt ei ſuccurrat, ſi aliter non poteſt.

Coninck.

105. Reliqui verò authores vniuerſaliter docent, tam parentes, quàm filios carnales in extrema neceſſitate ſpirituali anteponendos eſſe quibuſcunq; filijs ſpiritualibus. Ita Richardus in 3. diſt. 29. art. 1. quæſt. 9. Bannez 2. 2. quæſt. 26. art. 8. dub. 2. Syluius ibid. quæſt. 2. Suarez diſp. 9. de charitate ſect. 4. Valentia, Malderus, & alij. Sequiturq; ex noſtris iactis principijs. Nam coniunctio patris erga filium, & filij erga Patrem, poſt vnitatem ſui cum ſe ipſo, eſt maior quacunque alia coniunctione, cùm fundetur in communicatione, & acceptione eiuſdem naturæ. Nec poteſt Religioſus huic obligationi, ex tam naturali arctoque vinculo conſurgenti renunciare. Vnde non modò filius ad ſuccurrendum in extrema neceſſitate parenti, ſed etiam parens ad ſuccurrendum in eadem neceſſitate filio tenetur à Religione egredi, ſi aliter non poteſt illi ſuccurrere. Confirmatur: quoniam, vt rectè Bannez, coniunctio cum vltimo fine eſt communis ad omnes proximos, cùm omnes in eundem finem conditi ſimus: & præterea erga Patrem & filium intercedit ſpecialis obligatio fundata in communicatione eiuſdem naturæ, quæ à nulla poteſt coniunctione ſuperari.

Richardus. Bannez. Syluius. Suarez. Valentia. Malderus. Bannez.

106. Ad fundamentum autem Coninck. Reſp. Primò, illud plus probare, quàm intendat: cùm non ſolùm probet à Superiore Religionis præferendum eſſe Religioſum ſubditum filio, ſed etiam parenti carnali, quod negat Coninck: nam Religio non ſolùm ſuccedit loco parenti, ſed etiam loco filij. Reſp. Secundò Religionem ſuccedere loco parentis & filij, ſeruato ſemper debito charitatis ordine, qui cùm ſit diuini iuris, non poteſt à nobis immutari. Notant autem plerique noſtræ ſententiæ authores, non eſſe mortale talem ordinem inuertere: cùm oppoſita ſententia ſua probabilitate non careat.

107. Ad complementum præſentis materiæ diſputant Scholaſtici cum Magiſtro in 3. diſtinctione 29. & Thomiſtæ cum Angelico 2. 2. quæſtione 26. articulo 8. & quæſtione 31. articulo 3. An aliquando licitum ſit, amicos præponere ſanguine iunctis. Lorca apud Coninck diſputatione 25. numero 157. putat, licitè poſſe abſque peccato ſaltem mortali, amicos & benefactores præponere fratribus, & reliquis inferiori conſanguinitatis gradu iunctis, ſoloſque conſanguineos & affines in primo gradu, cuiuſmodi ſunt parentes, filij, & vxores, præferendos eſſe alijs. Probat ex illo Prouerb. 18. in fine: *Vir amabilis*, ſiue vt Hieronymus legit, *Vir amicabilis*, vel vt in Hebræo habetur, *Vir amicorum ad Societatem magis amicus erit, quàm frater.* Sed efficaciùs probari poſſet ex illo Eccleſ. 6. *Amico fideli nulla eſt comparatio.* Vbi amico fideli videtur Scriptura præponere cæteros homines, etiam ſanguine iunctos. Idque etiam probat authoritas Valerij Maximi lib. 4. cap. 7. à Sancto Thoma 2. 2. quæſtione 26. articulo 8. in primo argumento relati, qui docet, amicitiæ vinculum prævalidum eſſe, neque vlla ex parte conſanguineis viribus inferius. Quod etiam confirmat exemplum Pyladis & Oreſtes, quorum alter pro altero mori voluit.

Magiſter. S. Thomas. Lorca. Prouerb. 18. Hieronym. Eccleſ. 6. Valerij Maximi. S. Thoma.

108. Verùm non eſt à communi Theologorum ſententia recedendum, qui cum Magiſtro, & S. Thoma citatis locis vniuerſaliter docent, in pari neceſſitate ſemper ſanguine iunctos præferendos eſſe ſanguine non iunctis, vbi ſpecialis ratio non obſtiterit: eo quòd conſanguineorum coniunctio per ſe intimior eſt & firmior, cùm fundetur in natura, quæ de ſe ſtabilior eſt quacunque alia coniunctoine.

Magiſter. S. Thom.

109. Vnde ad 1. Teſtimonium Prouer. Reſpondet S. Thomas, illud eſſe intelligendum quoad maiorem duntaxat familiaritatem, quam ſæpe cum amico habemus, magis frequentiuſque vtendo illius, quàm fratris, colloquio & conſilio, non autem

quoad

quoad maiorem obligationem, in ſuccurrendo illi magis, quàm fratri in neceſſitate poſito.

110. Secundum non intelligitur de quouis amico, ſed de ſingulari & inſigni, qui ſimul ſit maximus noſter benefactor, vt indicat nomen ipſum *fidelis*. Quo pacto intelligenda eſt etiam citata authoritas Valerij, & exemplum de Pylade & Oreſte.

111. Conſentiunt igitur communiter Theologi, non quemuis amicum, ſed aliquem, qui præclara & inſignia in nos beneficia contulit, ac proinde non titulo puræ amicitiæ, ſed inſignis benefactoris præferri poſſe fratri, imò interdũ filio; quin etiam parenti, ſi parens notabiliter fuit contra filium crudelis & impius, nullumque aliud, præter ipſum eſſe, quod per generationem ei communicauit, beneficium præſtitit. Contrà verò amicus frequenter à morte cum periculo ſuæ vitæ & bonorum diſpendio amicum liberauit. Ita Bannez 2. 2. quæſtione 26. articulo 8. dub. 1. Suarez de charitate diſputione 9. ſectione vlt. numero 15. citatque Victoriam in manu ſcriptis, Coninck ſuprà citatus, Valentia diſputatione 3. quæſtione 4. puncto 5. poſt 5. Corollar. & alij. Notant autem ijdem authores, ne quidem in tali caſu nos teneri, ſed ſolùm licite poſſe amicum præferre parenti in extrema neceſſitate. Ratio, quia vel ſolum ipſum beneficium, quod à parente per generationem accepimus, præualet cuicunque beneficio ab alijs accepto: cùm beneficium à parenti nobis communicatum conſiſtat in ipſo primo eſſe. cùm tamen quodcunque aliud beneficium ſupponat primum eſſe, ſolumque illud conſeruet, & quidem quoad eſſe corporis tantùm, non autem quoad eſſe æternum animi, quod etiam à parente accepimus. Ex alia verò parte non tenemur, ratione crudelitatis, & impietatis erga nos parentem in extrema neceſſitate deſerere: ergo tali crudelitate & impietate non obſtante, adhuc poſſumus in extrema neceſſitate illum præferre inſigni amico & benefactori noſtro.

Bannez. Suarez. Victoria. Coninck. Valentia.

112. Ex dictis infert Suarez, poſſe in extrema neceſſitate filium præferri parenti, ſi parens innocentem filium aggrediatur: quia tunc ad defenſionem innocentis filij occidi poteſt pater, ſi aliter innocens filius ab iniuſta morte liberari nequeat.

Suarez.

SECTIO VII.

An idem ordo Charitatis maneat in Patria qui fuit in via?

113 PRIMA ſententia affirmat: eſt Durandi in 3. diſtinctione 31. quæſtione 6. ad 3. & diſtinctione 29. quæſtione 4. Probatur 1. non eſt diuerſa charitas viæ & Patriæ: ergo nec diuerſus ordo Charitatis viæ & Patriæ. Antecedens conſtat ex illo Pauli 1. ad Corint. 13. *charitas nunquam excidit*. Conſequentia probatur: quia hic ordo fundatur in natura ipſa charitatis, quæ in Patria non mutatur. Secundò. Etiam in Patria manet ordo naturalis originis & conſanguinitatis: ergo etiam in Patria manet ordo charitatis erga conſanguineos. Antecedens patet, nam hic fundatur in natura per originem transfuſa, quæ in Patria non mutatur, vt conſtat de Beata Virgine, quæ etiam in Patria retinet relationem maternitatis erga Chriſtum. Conſequentia probatur: nam hic ordo non inuoluit imperfectionem, alioqui non poſſet charitas in illum inclinare, cùm nequeat charitas inclinare in id, quod imperfectionem inuoluit: in Patria autem manet quidquid imperfectionem non inuoluit. Tertiò. In Patria manet ordo diligendi ſe ipſum pluſquam alios, etiam ſanctiores: ergo etiam manet ordo diligendi ſibi coniunctiores. Antecedens admittitur ab omnibus. Conſequentia probatur: quia qui ſunt ſanguine iuncti magis accedunt ad ipſum diligentem: ergo ab eo ſunt magis diligendi, cùm magis participent rationem ipſam diligendi.

Durand.

114. SECVNDA ſententia communis aliorum negat, ordinem charitatis in Patria manere eundem inuariatum quoad omnia; nam in Patria illi poſt ſe ipſum magis ac potiùs diligendi ſunt, qui per maiorem ſanctitatem & gloriam ſunt magis coniuncti Deo, per nobiliorem participationem gratiæ & donorum ſupernaturalium, ratione quorum beati fiunt quaſi magis conſanguinei Deo. Ita S. Thomas 2. 2. quæſt. 26. art 13. & cum eo Thomiſtæ omnes. Pro cuius explicatione,

S. Thomas.

115. DICO 1. In patria manet ordo charitatis diligendi Deum ſuper omnia, non tantùm appretiatiuè, vt hic; ſed etiam intenſiuè: Intenſiùs quippe beatus diligit Deum, quàm ſe ipſum, aut quamlibet aliam creaturam. Quoad amorem appretiatiuum, patet,: nam ſi hic homo, ratione charitatis diligit Deum ſuper omnia appretiatiuè, multo magis illum ſuper omnia appretiatiuè diliget in Patria, vbi hic amor

maximè

Digitized by Google

maximè erga Deum perficitur. Quoad amorem verò intenſiuum ſuper omnia diſtinguendus eſt duplex amor, quo beatus ſe ipſum, & reliquos diligit. Vnus eſt beatificus, quo Deum, & ſe ipſum, reliquoſque beatos in Deo viſos amat eodem amore, quo amat Deum ipſum: Atque hic cùm ſit vnus idemque amor in Deum, ſe ipſum, & reliquos beatos, non poteſt eſſe intenſior erga Deum, quàm erga ſe ipſum & reliquos beatos, cùm ſecundùm totam ſuam intenſionem tendat in omnes, licet in Deum tanquam in principium & fontem omnis bonitatis, in ſe autem & reliquos beatos tanquam in participes bonitatis: quod eſt amare Deum plus appretiatiuè & obiectiuè, non autem intenſiuè. Quemadmodum nec Deus amat ſe plus intenſiuè, quàm nos, licet, amet ſe plus appretiatiuè, & obiectiuè, cùm eodem actu ſe, & nos diligat.

116. Alter amor eſt non beatificus, quo beatus, ſe, & reliquos diligit. Atque de hoc amore loquitur aſſertio noſtra. Nam ſiue hic comparatur cum amore beatifico, quo Deum clarè viſum amamus, ſiue cum amore libero, quo eundem Deum abſtractiuè cognitum diligimus, ſemper eſt quoad intenſionem remiſſior, quàm ſit quicunque amor erga Deum. Et ſanè ſi comparetur cum beatifico, luce clarius eſt, hunc intenſiorem eſſe tam amore quo cæteros beatos, quàm quo nos ipſos diligimus; tum quia reliquos beatos amore non beatifico amamus liberè, Deum autem neceſſariò: intenſior autem, cæteris paribus, eſt amor neceſſarius, quàm liber. Tum maximè, quoniam Deum amore beatifico diligimus vt clariſſimè nobis propoſitum per viſionem beatam: Porrò idem charitatis habitus intenſiùs fertur in obiectum meliùs clariuſque propoſitum, vt ſuprà oſtendimus: igitur idem charitatis habitus intenſiùs fertur in Deum per viſionem beatam clariſſimè propoſitum, quàm in proprium ſubiectum, cæteroſque beatos, non ita clarè per notitiam extra verbum applicatos. Hinc ſequitur, Deum intenſiùs diligi à Beato amore beatifico, quàm non beatifico: quia amore beatifico diligitur vt applicatus per viſionem intuitiuam: amore verò non beatifico vt applicatus per notitiam abſtractiuam. Probabilius etiam eſt, vt non ſolùm amore beatifico, ſed etiam non beatifico beatus diligat Deum, quàm vel ſe ipſum, vel alios beatos: quia ſemper in Deum fertur tanquam in maius ac præſtantius bonum.

117. Dices. Si habitus charitatis fertur in Deum clarè viſum ſecundùm totum ſuũ poſſe, non poterit per alium actum ferri vel in Deum abſtractiuè cognitum, vel in alios beato. Sequela probatur: quia ſi tota virtus impenditur in actu dilectionis beatificæ, nulla alia remanet pro alijs actibus dilectionis. Confirmatur: quoniam implicat ex ipſis terminis, vt charitas totã ſuam virtutem explicet in amore beatifico, & nihilominùs adhuc poſſit alios actus non beatificos elicere, non minùs quàm implicat, vt cauſa naturali producat adæquatum ſuum effectum, & adhuc poſſit alium effectum ſimul producere: nam hoc eſſet producere, & non producere adæquatum ſuum effectum.

118. Reſp. Negando ſequelam. Ratio, quia charitas fertur in Deum clarè viſum ſecundùm totum ſuum poſſe, quod exercere poteſt intra genus amoris beatifici, non autem intra aliud genus extra amorem beatificum. Vt conſtat de ipſa voluntate beati, quæ cum eodem habitu charitatis nequit intenſiorem, vel alium actum beatificum elicere; nam etiam voluntas beati ſecundùm totum ſuum poſſe fertur in Deum clarè viſum: cùm tamen eadem potentia poſſit alios dilectionis actus extra beatificum elicere. Ad confirmationem, nego vllam eſſe implicantiam, vt cauſa totum ſuum adæquatum effectum intra vnum genus producat, & nihilominus virtutem retineat producendi effectum alterius generis, vt patet in adducto exemplo de voluntate ipſa. Et confirmatur vlteriùs: alioqui non potuiſſet Chriſtus per actum charitatis erga Deum mereri, quia non poterat mereri per actum charitatis beatificum, quia illum neceſſariò eliciebat: ergo ſi præter actum beatificum, non potuiſſet alium actum amoris erga Deum elicere, non potuiſſet per actum amoris erga Deum mereri.

119. Dico 2. Beatus vi charitatis, poſt Deum, ſe ipſum magis diligit tam appretiatiuè, quàm intenſiue, non autem obiectiuè. Prior pars patet: quoniam hic ordo eſt intrinſecus charitati, quæ idcirco à Deo datur, vt primo & per ſe proprium ſubiectum cum Deo coniungat, tanquam cum vltimo fine: quippe quæ datur vt perfectiua naturæ: natura autem per ſe magis inclinat ad perfectionem conſeruationemve proprij eſſe: igitur charitas datur, vt per ſe primò perficiat proprium ſubiectum, illud coniungendo cum Deo vltimo fine: ergo talis ordo manet in Patria, cùm ſit inſeparabilis à charitate. Ex his infertur, vnumquemque beatum quoad vnionem charitatiuam cum Deo, virtualiter ſaltem, ſe ipſum præferre cuilibet alteri beato: excipio Chriſtum, eiuſque ſanctiſſimam Matrem, vt ex ſuprà diſputatis conſtat.

120. Poſterior pars probatur: nam cæteris paribus ſemper intenſiùs ferimur in ea, ad quæ maiorem habemus à natura propenſionem. Atqui, vt probatum eſt, ex vi charitatis maiorem propenſionem habemus ad coniungendum nos ipſos, quàm proximum noſtrum, cum Deo vltimo fine. Igitur ex vi charitatis nos ipſos intenſiùs diligimus, quàm proximum noſtrum. Maior probatur: quoniam vbi maior eſt propenſio naturæ, ibi maior eſt impetus; nam hic

proportionatur

Digitized by Google

proportionatur illi vt actus ſecundus primo: ergo vbi eſt actus primus vehementior, eſt etiam actus ſecundus intenſior.

121. Poſtrema pars conſtat: nam Beati quoad amorem ſimplicis complacentię conformant ſe diuino beneplacito, obiectiuè volendo vnicuique illud bonum, quod vnuſquiſque ex diuina ordinatione conſecutus eſt. Ergo obiectiuè vnus beatus non vult ſibi maius bonum, quàm de facto habet, & conſequenter obiectiuè non diligit ſe plus, quàm alterum beatum, qui maius bonum ex diuina ordinatione habet, ſed potiùs obiectiuè magis diligit alium, in quo maius bonum agnoſcit. Confirmatur: quoniam in Patria ceſſat omnis obligatio ſeipſum, vel alios magis ac magis in ordine ad Deum perficiendi: ex qua obligatione naſcitur, vt ſemper ex vi charitatis maius bonum nobis, quàm alijs velle, ac procurare debeamus, remanente tantùm immutabili ordine diuinæ prouidētiæ, vt vnuſquiſque tantum, & non maius bonum in æternum poſſideat, quantum in hac vita comparauit. Quo fit, vt tale bonum tam in nobis, quàm in reliquis beatis ſolùm maneat vt obiectum ſimplicis complacentiæ, non vt obiectum efficacis deſiderij & intentionis. Vnde contra ordinem diuinæ prouidentiæ vnus beatus obiectiuè vel ſibi, vel alteri maius bonum vellet, quàm de facto habet.

122. Petes. An ſaltem beatus poſſit ſibi, vel alijs beatis maius bonum ſub conditione, quam de facto habet, velle. Reſp. Poſſe, ſi id ſit iuxta beneplacitum Dei; ſecus, ſi non ſit iuxta beneplacitum Dei. Nam neque ſub conditione beatus velle poteſt aliquid, quod non ſit aliquo modo iuxta beneplacitum Dei. Quo fit vt non poſſit beatus velle ſibi, aut alijs maius bonum naturæ, quod tantùm pendet ex beneplacio Dei; poſſit tamen velle ſibi, & alijs maius bonum, quod potuit per merita conſequi: cùm tale bonum ſub conditione deſiderare, ſit iuxta beneplacitum Dei, qui voluntatem antecedenrem habet, vt quiuis beatus maius bonum fuerit per merita conſecutus, quàm de facto conſecutus eſt.

123. Dico 3. In beatis non omnis omnino charitatis ordo inter ſanguine, vel alia honeſta ratione iunctos ceſſabit: ſemper tamen maior coniunctio cum Deo in Patria præualebit cuiuſcunque alteri coniunctioni in natura, vel alia inferiori ratione fundatæ. Aſſertio hæc eſt expreſsè S. Thomæ 2. 2. quæſt. 26. citata art. 13. in fine corporis: vbi, *Continget*, inquit, *in Patria*, *quod aliquis coniunctum pluribus modis diliget*. Cuius rationem aſſignat: *Non enim*, ait, *ceſſabunt ab animo beati honeſtæ dilectionis cauſæ, tamen omnibus iſtis rationibus præfertur incomparabiliter ratio dilectionis, quæ ſumitur ex propinquitate ad Deum* Quibus apertè ſignificat, adhuc in Patria, aliquem ordinem charitatis inter iunctos ſeruari, licet coniunctio cum Deo ſemper ſit prępualitura cuicunque alteri coniunctioni.

S. Thomas.

124. Ratione verò probatur prior aſſertionis pars: quia cùm etiam in Patria maneant honeſtæ cauſæ coniunctionis fundatæ vel in origine vel in beneficijs in hac vita acceptis, manebit etiam aliquis charitatis ordo inter coniunctos vt nimirum, cæteris paribus, plus diligamus eos, qui nobis ſunt origine, vel beneficijs coniuncti, quàm alios: nam qui ſunt nobis origine, vel beneficijs coniuncti, non ſolùm diligimus tanquam nobiſcum in eadem beatitudine conſortes, ſed etiam vt noſtros conſanguineos, & benefactores: quo titulo non diligimus reliquos, qui ſanguine, & beneficijs nobiſcum coniuncti non ſunt. Quo fit, vt amor terminatus ad coniunctos, ſit, cæteris paribus, appretiatiuè maior, quàm amor ad reliquos terminatus. Vnde ſi in Patria eſſet aliquis beatus, qui æqualem gloriam & ſanctitatem haberet cum Deipara, Chriſtus tanquam filius virginis, plus amaret & honoraret propriam Matrem, quàm talem beatum: eo quòd Matrem non ſolùm amaret & honoraret, vt ſibi in eadem gloria conſortem, ſed etiam vt principium generatiuum ſuæ humanitatis.

125. Poſterior aſſertionis pars oſtenditur. Etenim ea coniunctio maior ac potior eſt in Patria, quæ eſt propria Patriæ: atqui coniunctio beatorum cum Deo eſt propria Patriæ: ergo hæc eſt maior ac potior quæuis alia in Patria. Minor patet: nam cœleſtis Reſpublica, beatorum maximè, cōſiſtit in glorioſa coniunctione animorum cum Deo. Maior probatur: nam coniunctio propria Patriæ eſt omnium nobiliſſima, quippe quæ conſiſtit in coniunctione mentis in Deum, per præſtantiſſimos actus viſionis & dilectionis Dei, & per participationem naturæ, ac beatitudinis diuinæ: ergo præualere debet cuicunque alteri inferiori coniunctioni. Quo fit, vt vnus beatus vi charitatis plus diligat & honoret alium ſanctiorē ſibi ſanguine non coniunctum, quàm beatum minùs ſanctum ſibi ſanguine coniunctum.

126. Ad 1. Primæ ſententiæ, negatur conſequentia: nam licet maneat eadem charitas in Patria, quæ fuit in via, non tamen manet eadem immediata ſubiectio, & ſuperioritas, ac proinde eadem obligatio, quæ ex huiuſmodi immediata ſubiectione, & ſuperioritate in via oriebatur. Etenim in Patria omnes immediatè ſubijciuntur Deo, ceſſantibus priuatis ſubiectionibus tam filiorum ad parentes, quàm ſubditorum ad ſuperiores: loco quarum ſuccedit immediata ſubiectio omnium beatorum ad Deum tanquam ad primum principium & fontem omnium bonorum.

127. Ad 2. Concedo, in Patria manere ordinem naturalis originis ac proinde aliquem ordinem charitatis erga ſanguine iunctos: negandum tamen eſt, huiuſ-

modi

modi ordinem in Patria præualere ordini coniunctionis ad Deum; quia cùm hic in Patria ſit potiſſimus, eſt omnibus præferendus. Quarè dicendum eſt, manere ordinem charitatis erga ſanguine iunctos in Patria abſolutum, cùm etiam in Patria maneat titulus originis & conſanguinitatis: non tamen manere eundem ordinem charitatis erga ſanguine iunctos prælatiuum ad alios coniunctiores Deo, vti erat in via: cùm in Patria titulus coniunctionis ad Deum præualeat cæteris omnibus titulis.

128. Ad 3. Negatur conſequentia. Ratio diſcriminis eſt: quoniam fundamentum diligendi ſe ipſum præ alijs manet in Patria, in qua tamen non manet fundamentum diligendi conſanguineos præ alijs ſanctioribus ac Deo coniunctioribus. Nam fundamentum diligendi ſe ipſum præ alijs, eſt ipſa naturalis inclinatio charitatis, quæ ad hunc finem datur à Deo, vt per ſe primò coniungat ſubiectum cum ipſo Deo vltimo fine. Fundamentum verò diligendi conſanguineos præ alijs, etiam ſanctioribus & Deo coniunctioribus, eſt tum immediata ſubiectio inferiorum ad ſuperiores, & prælatio ſuperiorum ad inferiores, tum neceſſitas prouidendi ſibi, & alijs de rebus ad vitam, & ſalutem neceſſarijs: quæ omnia ceſſant in Patria.

129. DICES. Implicat, vt variato obiecto, maneat idem habitus circa tale obiectum: ergo implicat, vt variato ordine charitatis in Patria, maneat idem habitus charitatis. Conſequentia patet: quia ordo eſt obiectum charitatis: nam hæc non ſolùm tendit ad ſuum obiectum, ſed etiam ad ordinem ſuorum obiectorum; tendit enim ad Deum ſuper omnia, ad proprium ſubiectum præ cæteris, ad vnum proximum præ alio, iuxta maiorem coniunctionem, cum ipſo diligente. Antecedens probatur: quoniam obiectum eſt ſpecificatiuum habitus: variato autem ſpecificatiuo, implicat manere idem ſpecificatum, cùm ſpecificatiuum det ordinem & eſſentiam ſpecificato, quæ manere non poteſt eadem variato ſpecificante.

130. Reſp. Diſtinguendo antecedens: implicat, vt variato obiecto formali, maneat idem habitus, concedo: implicat, vt variato obiecto materiali, maneat idem habitus, nego. Ratio eſt: quoniam eo tantùm variato variatur habitus, à quo habitus ſpecificatur: Porrò habitus non ſpecificatur ab obiecto materiali, ſed à formali: igitur eo tantùm variato variatur habitus. Atqui variato ordine inter proximos, non variatur obiectum formale, ſed tantùm materiale charitatis. Nam ordo formalis in charitate eſt, magis appretiatiuè tendere in ea, quæ ſunt magis placitâ Deo. Etenim cùm obiectum formale charitatis ſit bonitas Dei, ordo formalis eiuſdem erit, magis ac potius tendere in ea, quę ſunt magis placita Deo. Hic autem ordo in Patria non mutatur: nam ille idem ordo magis diligendi coniunctiores cum ipſo diligente in via, materialiter tantùm mutatur in Patria: quippe qui mutatur in ordinem magis diligendi coniunctiores Deo. Cæterùm in via magis placet Deo, vt ordo coniunctionis cum ipſo diligente præferatur: in Patria contra magis placet Deo, vt ordo coniunctionis cum ipſo Deo præferatur cæteris: idque propter diuerſas cauſas viæ & Patriæ: ac proinde perſeuerante eodem ordine formali, variato tantùm ordine materiali, propter variationem cauſarum, perſeuerabit idem habitus charitatis in Patria, qui fuit in via.

SECTIO VIII.

An poſſit habitus Charitatis inclinare in obiectum re ipſa malum, putatiuè tantùm bonum & gratum Deo?

131. HANC controuerſiam apud nullum authorem agitatam reperio: digna tamen eſt Scholaſtico examine, ad altiùs penetrandam naturam & inclinationem habitus charitatis.

132. PRIMA ratio dubitandi pro negatiua parte eſt. Nequit habitus fidei infuſæ inclinare in obiectum re ipſa falſum, putatiuè tantùm verum, & à Deo reuelatum: ergo neque habitus charitatis infuſæ in obiectum re ipſa malum, putatiuè tantùm bo- & gratum Deo. Antecedens conſtat ex diſp. 2. ſect. 7. Conſequentia probatur: nam ideò non poteſt habitus fidei infuſæ inclinare in obiectum re ipſa falſum, putatiuè tantùm verum, quia alioqui non eſſet virtus intellectualis, de cuius eſſentia eſt, vt non poſſit eſſe falſa: ergo neque habitus charitatis infuſæ eſſet virtus appetitiua, ſi inclinare poſſet in obiectum reipſa malum & ingratum Deo.

133. SECVNDA ratio dubitandi ſumitur ex habitu Spei infuſæ, quæ nequit inclinare, niſi in bonum re ipſa tale: ergo neque charitas infuſa niſi in bonum re ipſa exiſtens. Confirmatur, quia nequit Spes alium vltimum finem ſperare, quàm Deum: ergo neque charitas alium vltimum finem diligere, quàm Deum.

134. TERTIA ratio dubitandi. Nequit habitus re ipſa inclinare in oppoſitum eius, ad quod de ſe eſt inſtitutus: ſed habitus charitatis de ſe eſt inſtitutus ad diligendum obiectum re ipſa bonum & gratum Deo: ergo nequit inclinare in obiectum re ipſa malum & ingratum Deo. Maior patet: quia nulla forma de ſe inclinare poteſt in oppoſitas &

contrarias

Digitized by Google

contrarias proprietates. Minor probatur: tum quia habitus charitatis infuſæ eſt participatio charitatis increatæ, quæ non niſi in obiectum re ipſa bonum & gratum Deo inclinare poteſt. Tum quia quiuis habitus habet aliquod determinatum obiectum, à quo ſpecificatur: atqui hoc in habitu charitatis non eſt obiectum re ipſa malum, & ingratum Deo, ſed re ipſa bonum & gratum Deo: ergo obiectum re ipſa malum & ingratum Deo non poterit eſſe obiectum charitatis, cùm non poſſit idem habitus habere plura obiecta oppoſita & contraria inter ſe.

135. Confirmatur, ſi habitus charitatis inclinaret in obiectum putatiuè tantùm bonum, ſequeretur eundem habitum ſimul inclinare & non inclinare in idem obiectum: conſequens eſt falſum; ergo & antecedens. Minor patet: nam quatenus inclinaret in idem obiectum, haberet ſuam ſpecificationẽ ab illo: quatenus non inclinaret in illud, non haberet ſuam ſpecificationem ab illo: ergo ſimul haberet, & non haberet ſuam ſpecificationem ab eodem obiecto, quod implicat, vt per ſe patet. Sequela maioris probatur: nam idem habitus inclinaret in obiectum putatiuè tantùm bonum & gratum Deo: idem habitus non inclinaret in idem obiectum, ſi repræſentaretur, vti eſt re ipſa malum, & ingratum Deo. Pro explicatione propoſitæ controuerſiæ,

136. Dicendum eſt, charitatem infuſam non ſolùm inclinare in obiectum re ipſa bonum, & gratum Deo, ſed etiam probabiliter tantùm putatum tale, eſto re ipſa tale non ſit. Fundamentum huius aſſertionis deſumitur ex diuerſitate virtutis moralis & intellectualis. Nam hæc per ſe primò reſpicit conformitatem cognitionis cum obiecto ſecundùm ſe; illa verò conformitatem operationis cum recto appetitu, mediante practico iudicio rationis. Igitur poteſt virtus moralis inclinare in obiectum probabiliter tantùm putatum bonum & honeſtum, eſto non poſſit virtus intellectualis inclinare in obiectum putatiuè tantùm verum. Conſequentia elucet, quoniam in vero tantùm putatiuo non ſaluatur obiectum formale virtutis intellectualis, quæ eſt conformitas cognitionis cum obiecto ſecundùm ſe: ſaluatur autem in bono probabiliter tantùm putato, obiectum formale virtutis moralis, quæ eſt conformitas operationis cum appetitu recto. Nam vt hic ſit rectus & honeſtus, non eſt neceſſe, vt ſit conformis obiecto ſecundùm ſe, ſed ſufficit, vt ſit conformis practico iudicio rationis, hic & nunc prudenter dictantis, hoc eſſe bonum & honeſtum. Antecedens colligitur ex fine, ad quem hæ virtutes ordinantur. Nam intellectualis ordinatur ad repræſentandas & exprimendas res ſecundùm ſe: ergo intrinſecus finis ipſius eſt, repræſentare res, vti ſunt in ſe: igitur non eſt virtus intellectualis, quæ rem non repræſentat, vti eſt in ſe, cùm deuiet ab intrinſeco fine, propter quem omnis virtus intellectualis inſtituta eſt. Moralis autem per ſe ordinatur ad mores dirigendos & inſtruendos: diriguntur autem & inſtruuntur mores, dum illi conformantur cum appetitu recto per prudens dictamen rationis regulato: nam tunc ſunt recti & honeſti mores, quando conformãtur cum ſua proxima regula, quæ eſt prudens dictamen rationis. Cùm enim homo non habeat, nec habere poſſit euidentiam de rebus, ſufficiens regula ipſius ad rectè honeſtèque operandum, non eſt bonum re ipſa tale, ſed prudenter iudicatum tale.

137. Confirmatur. Obiectum virtutis moralis non eſt bonum ſecundùm ſe, ſed per cognitionem apprehenſum. Contrà verò obiectum virtutis intellectualis non eſt verum apparens, ſed re ipſa exiſtens. Omnis autem virtus tunc cenſetur rectè & iuxta ſuas operari, quando attingit ſuum obiectum, ad quod attingendum eſt ordinata. Ergo tunc virtus moralis rectè & iuxta ſuas regulas operatur, quando fertur in bonum honeſtum prudenti ratione putatum tale, ad quod attingendum omnis virtus moralis per ſe ordinatur. Contrà verò tunc rectè, & iuxta ſuas regulas operatur virtus intellectualis, quando attingit verum non apparens, ſed re ipſa tale, ad quod attingendum omnis virtus intellectualis per ſe ordinatur. Nam ad id per ſe ordinatur virtus, ad quod ordinatur potentia, quam ad operandum iuuat: atqui potentia intellectiua, quam ad operandum iuuat virtus intellectualis, per ſe ordinatur ad attingendum verum re ipſa tale: potentia verò appetitiua, quam ad operandum iuuat virtus moralis, per ſe ordinatur ad bonum prudenti iudicio rationis putatum.

138. Ad primam rationem dubitandi, negatur conſequentia. Ratio diſcriminis conſtat ex dictis: quoniam fides infuſa eſt virtus intellectualis, cuius formale obiectum eſt conformitas cum re ipſa ſecundùm ſe, à qua ſi deficiat, deficit à ratione virtutis intellectualis, cùm deficiat à fine, propter quem eſt inſtituta. Sicut deficit ſcientia à ratione intellectualis virtutis, hoc ipſo quòd deficit à conformitate cum re ipſa ſecundùm ſe & degenerat potiùs in opinionem, quæ vel ex eo non eſt virtus intellectualis, vt teſtatur S. Thomas 1. 2. quæſt. *S. Thomas.* 55. art. 4. quia poteſt eſſe falſa: cùm de ratione virtutis ſit, non poſſe à ſuo obiecto deficere. Eſt enim virtus, vt cum Auguſtino *S. Auguſt.* à S. Thoma ibidem definitur, *qualitas, qua nullus malè vtitur*. Charitas verò eſt virtus moralis, cuius formale obiectum eſt bonum honeſtum vt prudenter iudicatum tale: à quo obiecto nunquam deflectere poteſt charitas, quia nunquam tendere poteſt in obiectum, quod non ſit prudenter iudicatum honeſtum.

139. Ad ſecundam rationem dubitandi deductam ex habitu Spei infuſæ, neganda

eſt

eſt conſequentia. Ratio diſcriminis eſt: quoniam Spes Theologica immediatè regulatur à fide infuſa: hæc autem, vt probatum eſt, nequit inclinari, niſi in verum exiſtens, & à Deo reuelatum: igitur neque Spes infuſa inclinari poteſt, niſi in bonum diuina fide creditum: ergo ſi hoc no poteſt non eſſe re ipſa verum, neque illud poterit non eſſe re ipſa bonum. Minor conſtat ex dictis. Maior probatur: quoniam Spes infuſa in ſuum obiectum inclinat cum ſumma certitudine & infallibilitate, quia in illud inclinat tanquam à Deo promiſſum: non poteſt autem cum ſumma certitudine & infallibilitate, in obiectum inclinare, niſi vt fide diuina creditum, vt per ſe patet. Charitas autem non ſemper immediatè regulatur à fide infuſa, ſed à prudentia, quæ quatenus habitus practicus intellectualis inclinare poteſt in verum probabiliter tantùm putatum. Vt ſi quis probabiliter iudicaret, in extrema neceſſitate præferendum eſſe filium parenti, vel maius obſequium Dei fore, in ſæculo manere, quàm Religionem ingredi.

140. Ad confirmationem. Reſp. Dupliciter iuxta duplicem ſententiam. Nam iuxta ſententiam, quæ negat, de vltimo fine dari poſſe ignorantiam inuincibilem, negandum eſt, tam ſpem, quàm charitatem inclinari poſſe in alium vltimum finem, quàm Deum. De Spe ratio eſt manifeſta: quia Spes inclinat in obiectũ, vt fide diuina propoſitum: nequit autem fides diuina proponere obiectum re ipſa falſum, vt ex ſuprà diſputatis conſtat. De charitate verò probatur: nã obiectũ charitatis eſt vltimus finis ſuper omnia diligibilis per prudentẽ rationẽ propoſitus: at hoc ipſo, quòd de Deo non datur ignorantia inuincibilis, nequit alius à Deo per prudentem rationem proponi, vt vltimus finis ſuper omnia diligibilis: igitur non poteſt in tale obiectum inclinare charitas, quoniam hæc non inclinat niſi in obiectum inclinater propoſitum.

141. Iuxta aliam verò ſententiam, quæ admittit ignorantiam inuincibilem, ſaltem ad breue tempus de Deo, neganda eſt conſequentia. Et ratio diſcriminis eſt: quoniam Spes Theologica immediatè regulatur ex iudicio fidei infuſæ de obiecto ſupernaturali conſequibili ex infallibili promiſſione diuina; cumque nequeat fides infuſa inclinare in obiectum re ipſa falſum, putatiuè tantùm verum, nequit Spes Theologica inclinare in vltimum finem putatiuè tantùm verum, cùm nequeat tale obiectum proponi fide diuina. Charitas verò cùm immediatè non reguletur ex iudicio fidei diuinæ, ſed prudentię; cumq; poſſit prudentia infuſa, quatenus eſt virtus intellectualis practica proponere obiectũ re ipſa falſum, probabiliter tantùm putatum verum, poterit charitas Theologica, iuxta hanc ſententiam, inclinare in vltimum finem probabiliter tantùm putatum, eſto non poſſit Spes infuſa. Ex his infertur poſſe actum charitatis, qui circa talem finem verſatur, iuxta hanc ſententiam, eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, cùm poſſit elici ex ipſo habitu ſupernaturali charitatis: non poſſe autem actum Spei, qui circa eundem finem putatiuè tantùm verum verſatur, eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, cùm elici non poſſit ab habitu ſupernaturali Spei.

142. Dices. At neque Spes Theologica immediatè regulatus à fide infuſa, ſed à practico iudicio prudentiæ: vt patet cum quis ſperat ſe conſecuturum æternam beatitudinem: non enim æterna beetitudo proponitur ſperanti vt conſequenda fide infuſa, ſed practico duntaxat iudicio prudentię: cùm de fide non ſit, Deum conceſſurum ſperanti donum finalis perſeuerantiæ, quod neceſſarium eſt, vt beatitudo ipſa proponatur ſperanti, vt fide diuina ab ipſo conſequenda.

143. Reſp. Diſtinguendo antecedens: Spes Theologica regulatur ex practico iudicio prudentiæ tantùm, & non etiam ex fide infuſa, nego. Etenim duo in obiecto Spei Theologicæ conſideranda ſunt, in quæ Spes ipſa Theologica tendit, poſſibilitas beatitudinis, & futuritio eiuſdem: primum omnino pendet à fide infuſa, qua proponitur ſperanti beatitudo vt poſſibilis acquiſitu ex infallibili promiſſione diuina, qua conſtat, Deum beatitudinem omnibus promiſiſſe, & ad eam conſequendam proportionata media præparaſſe. Secundum pendet à practico tantùm iudicio prudentiæ, quo ſperans beatitudinem ſibi proponit non ſolùm vt conſequibilem ex infallibili promiſſione Dei, ſed etiam vt conſequendam ex proprijs meritis in gratia diuina fundatis. Vtrumque iudicium concurrit ad actum Spei Theologicæ; primum de obiecto vt conſequibili fundatum in ſola promiſſione diuina: ſecundum de obiecto vt conſequendo, fundatum in practico iudicio prudentiæ. Eſto igitur Spes Theologica non reguletur à fide infuſa ratione obiecti, vt conſequendi proprijs meritis in gratia fundatis; regulatur tamen à fide infuſa ratione obiecti, vt conſequibilis ex promiſſione Dei. Vnde ſicut poſſibilitas beatitudinis neceſſariò ſupponitur ad futuritionem ipſius; ita iudicium poſſibilitatis beatitudinis neceſſariò præſupponitur ad iudicium de futuritione eiuſdem: & conſequenter ſemper iudicium fidei in actu Spei præſupponitur ſaltem virtualiter ad iudicium prudentię.

144. Ad 3. Rationem dubitandi, negatur Minor: eſt enim charitas per ſe inſtituta ad diligendum, quod ſecundùm prudentem rationem iudicatur bonum, & gratum, acceptumque Deo. Nam cùm charitas ſit habitus appetitiuus dependens in operando à practico iudicio rationis, obiectum ipſius non eſt id, quod reipſa bonum, honeſtumque eſt, ſed quod iuxta prudens iudicium rationis

tionis putatur bonum & honeſtum: ac proinde non debet ipſa inclinare in bonum vt tale ſecundùm ſe, ſed vt prudenter iudicatum à ratione. Vnde ſi vnus prudenter iudicaret in extrema neceſſitate præferendam eſſe vitam coporalem proximi vitæ propriç, idque gratius fore Deo: contrà verò alius iudicaret, propriam vitam præferendam eſſe vitæ proximi, idque gratius fore Deo: ad vtrumque per ſe inclinaret charitas: quia in vtroque haberet ſuum obiectum formale, quod eſt bonum vt prudenter iudicatum magis gratum Deo. Quo fit, vt variatio, quæ hic interueniret, tantùm eſſet materialis, non formalis. Quod vlterius explicatur hoc exemplo. Imponat Deus præceptum Petro, vt in extrema neceſſitate prçferat externum hominem proprio Parenti, ſtatim charitas inclinabit ad præferendum huiuſmodi hominem proprio Parenti: cùm tamen, ſublato tali præcepto, eadem charitas inclinat ad præferendum proprium parentem cuicunque alteri. Quemadmodum præcedente tomo diximus, charitatem in beato per ſe inclinare ad diligendum Deum: poſito tamen prçcepto, vt beatus ceſſet ab amore Dei, eadem charitas ſtatim inclinaret ad ceſſandum ab amore Dei: eo quòd tunc ceſſatio ab amore Dei proponeretur vt gratior & acceptior Deo, quod eſt formale obiectum charitatis. Siue igitur quod proponitur vt magis diligendum propter Deum, ſit re ipſa tale, ſiue tantùm per prudentem rationem iudicatum tale, ad illud per ſe inclinat charitas, tanquam ad proprium obiectum. Ad priorem probationem Minoris, negandum eſt, etiam charitatem increatam non inclinare in bonum, vt dictatum à practico iudicio diuino. Cçterùm quia iudicium diuinum falli non poteſt, iudicando tanquam magis diligibile, quod magis diligibile nō eſt, ſemper obiectum charitatis diuinæ eſt, quod re ipſa, & non tantùm putatiuè eſt magis bonum & gratum Deo. Ad poſteriorem verò, concedo charitatem habere determinatum obiectum: nego tamen illud eſſe bonum à parte rei exiſtens, ſed vt prudenti ratione propoſitum.

145. Ex his colligitur, quid dicendum ſit ad confirmationem. Nam ex ea tantùm ſequeretur, eundem habitum inclinare, & non inclinare pro diuerſis temporibus & ſubiectis in idem obiectum materiale, non autem inclinare, & non inclinare in idem obiectum formale, vt manifeſtis exemplis ſuprà declaratum eſt. Et Confirmatur in habitu fidei infuſæ: nam idem habitus fidei nō inclinaret in obiectum putatiuè tantùm à Deo reuelatum: idem verò habitus inclinaret in idem obiectum re ipſa à Deo reuelatum. Si enim ante diuinam reuelationem proponeretur obiectum tanquā à Deo reuelatum, ad illud non inclinaret habitus infuſus fidei: facta verò reuelatione, in illud idem inclinaret idem habitus fidei. Pari ratione, ſi idem obiectum proponatur tanquam malum & ingratum Deo, in illud non inclinat charitas: idem autem propoſitum tanquam bonum & gratum Deo, in illud idem inclinat charitas. Ratio omnium eſt: quia poteſt idem obiectum materiale modò proponi ſub formali motiuo habitus, modò ſub oppoſito motiuo eiuſdem: habitus autem non inclinat in obiectum materiale, niſi propter motiuum formale: ergo poterit vnus idemque habitus modò inclinare, modò non inclinare in idem obiectum propoſitum ſub diuerſis oppoſitiſque motiuis.

DISPVTATIO XXX.

De Miſericordia.

POST charitatem diſputandum eſt de miſericordia, propter affinitatem, quam habet cum ipſa charitate. Qua propter S. Thomas 2. 2. quæſt. 30. de miſericordia agit poſt charitatem. Quin aliqui, vt infrà videbimus, illam à charitate non diſcriminant. Diſputant de hac virtute Scholaſtici cum Magiſtro in 4. diſt. 46. & Thomiſtæ cum Angelico Doctore 1. p. quæſt. 21. & 2. 2. quæſt. 30. præcit. De eadem tractant Patres, quam miris laudibus extollunt Baſilius in Pſalmum 44. Chriſoſtomus multis in locis, præſertim Homil. 48. in 13. caput Matth. vbi miſericordiam nuncupat *cor virtutum*: quia ſicut abſque corde nequit viuere animal, ita nec ſine miſericordia, anima: & in peculiari homil. de miſericordia, quæ habetur tomo 5. circa finem, miſericordiam vocat, *ſalutis præſidium, fidei ornamentum, propitiationem peccatorum*: nam, *hæc eſt*, inquit, *quæ iuſtos probat, ſanctos roborat, Dei cultores oſtentat, cuius exercitium lætum efficit Dominum, placatum exhibet Chriſtum*; & homil. 6. in 1. Epiſt. ad Timoth. opus miſericordiæ appellat *proprium opus Dei*, cui homines ſimillimos reddit. Lactantius Firmianus de diuinis Inſtit. Miſericordiam, ait eſſe, Innocentiæ proximam: *Jlla enim*, inquit, nempe Innocentia, *ma*

S.Thomas.

Magiſter S.Thomas. Chryſoſt. Baſilius.

lum non facit, & hæc, videlicet Miſericordia, *bonum operatur : illa incboat iuſtitiam : hæc complet.* Hilarius in Pſal. 51. circa finem, docet, ipſa opera iuſtitiæ miſericordiæ virtute deſtituta ad beatitudinis meritum non ſufficere. Ambroſius lib. 1. de officijs cap. 11. *Bona*, inquit, *miſericordia, quæ & ipſa perfectos facit, quia imitatur perfectum Patrem. Nihil tam commendat Chriſtianam animam, quàm miſericordia :* vbi multa in laudem huius virtutis. Auguſt. lib. 9. de ciuit. cap. 5. vbi & Stoicos repræhendit, quòd miſericordiam è virtutum choro excludebant, & Ciceronem laudat, quòd in Iulio Cæſare inter omnes virtutes miſericordiam maximè commendat : qui in oratione pro Ligario hoc de miſericordia encomium ſcriptum reliquit : *Nulla de virtutibus plurimis admirabilior, nec gratior miſericordia: homines enim ad Deos nulla re propiùs accedunt, quàm ſalutem hominibus dando.* Leo ſerm. 2. de aſcenſione Domini in fine : *Nihil validius eſt*, inquit, *contra Diaboli dolos, quàm benignitas miſericordiæ, largitas charitatis, per quam omne peccatum aut declinatur, aut vincitur :* & ſerm. 5. de collectis de hac virtute differens : *Verùm*, inquit, *hæc tanta eſt, vt ſine illa cætera etſi ſint, prodeſſe non poſſint.*

Hilarius. Ambroſius. Auguſtin. Cicero. Leo.

SECTIO I.

Quid ſit Miſericordia?

Ariſtoteles. 1. MISERICORDIAM Ariſtoteles definit 2. Rhetor. cap. 8. *Triſtitiam de malo propinquo in indignum pati quod ipſe putat ſe, vel aliquem ſuorum paſſurum.* Auguſt. ſuprà citatus : *Alienæ miſeriæ in noſtro corde compaſſionem, quâ vtique ſi poſſimus, ſubuenire compellimur* : S. Thomas 2. 2. quæſt. 30. art. 1. præter hæc addit, vt hoc malum ſit inuoluntarium : vnde à motiuo miſericordiæ excludit culpam, quæ maximè voluntaria eſt, proinde non miſerationis, ſed punitionis eſt motiuum. Quanquam ex alio cap. culpa eſt motiuum miſericordiæ, quatenus eſt contra rectitudinem naturæ rationalis cui opponitur : ſic enim non tam conſideratur vt voluntaria homini, illam committenti, quàm vt contraria naturæ, illam patienti. Nam rectè Auguſtinus. 13. de Trinitate cap. 5. *Vel ſola*, inquit, *mala voluntate quiſq; miſer efficitur, ſed miſerior poteſtate, quâ deſiderium malæ voluntatis impletur.*

Auguſtin. S.Thomas. Auguſtin.

2. Cæterùm triſtitia quæ in definitione ponitur, non eſt eſſentialis miſericordiæ : alioqui non poſſet hæc virtus eſſe in Deo & beatis, in quos nulla cadit triſtitia : cùm tamen in eis vera ſit erga mortales miſericordia, vt concedunt tam Scholaſtici cum Magiſtro in 4. diſt. 46. quàm Thomiſtæ cum Angelico 1. p. quæſt. 21 art. 3. Eſt igitur triſtitia ſolùm accidens miſericordiæ, quod poteſt adeſſe & abeſſe, integra ſuperſtite natura huius virtutis, quæ in ſola promptitudine voluntatis ad ſubleuandam proximi miſeriam eſſentialiter conſiſtit. Vnde etiam ſi quis nullã de proximi miſeria triſtitiam concipiat, modò illius egeſtatem efficaciter ſubleuare velit, eamq́ue de facto ſubleuet, verum miſericordiæ actum exercet. Naturaliter tamen, prout hæc virtus ab homine viatore exercetur, præter voluntatem ſubleuandi, includit diſplicentiam de modo alterius : quæ diſplicentia præcedere ſolet ipſam voluntatem ſuccurrendi proximo. Nam ideò mouemur ad ſuccurrendum proximo, quia illius miſeria nobis diſplicet.

Magiſt. S.Thom.

3. Eſt autem hæc diſplicentia in homine duplex; altera in voluntate; altera in appetitu ſenſitiuo, quæ eſt medium, quo natura ipſa vtitur, ſi non ad tollendam, ſaltem ad mitigandam proximi miſeriam. Magnum quippe ſubleuamen eſt, habere, qui nobis in malis compatiantur. Vnde ad miſericordiam pertinet, vt quando re ipſa non poſſumus, affectu ſaltem proximi miſeriam ſubleuemus. Quod in ijs malis maximè præſtandum eſt, quæ propria virtute à proximo propellere non poſſumus : in quibus ſaltem affectu debemus proximo ſuccurrere, per externa ſigna ei noſtrum de ipſius miſeria conceptum dolorem oſtendendo. Nam quemadmodum natura ad proprium malum leniendum vtitur lacrymis ac gemitibus, alijſq́ue affectibus : ita ſimilibus affectibus vti debemus ad mitigandum proximi malum. Quo fit, vt miſericordia in homine duplici conſtet habitu ; altero in voluntate, qui illam incliinet & facilitet ad ſubueniendũ proximo : altero in appetitu ſenſitiuo, qui illum moderetur, ne in compaſſione concipienda vel excedat, vel deficiat : vt enim prioris eſt, voluntatem inclinare ad ſubueniendum proximo, quando, & quomodo oporteat : ita poſterioris munus erit, appetitum moderari, ne plus, minuſue, quàm deceat, proximo compatiatur.

4. Nonnulla difficultas eſt, an iſte habitus moderatiuus paſſionis pertineat ad miſericordiam, an potiùs ad aliquam aliam virtutem. Ratio dubitandi eſt : quoniam miſericordia eſt ad alterum, pertinetq́ue ad iuſtitiam poteſtatiuam : hic verò habitus non eſt virtus ad alterum, ſed ad ſe, cùm ſit moderatiuus proprię paſſionis. Cõfirmatur, nam etiam liberalitas, & quæuis virtus iuſtitiæ, alieni iuris adæquatiua, eget paſſionum moderamine, ne circa ſuum obiectum vel excedat, vel deficiat : & tamen nemo dicet, habitum moderatiuum paſſionum pertinere ad virtutem iuſtitiæ, ſed vel ad fortitudinem, vel ad temperantiam, quæ tantùm verſantur in moderandis pro-

tionis putatur bonum & honeſtum: ac proinde non debet ipſa inclinare in bonum vt tale ſecundùm ſe, ſed vt prudenter iudicatum à ratione. Vnde ſi vnus prudenter iudicaret in extrema neceſſitate præferendam eſſe vitam coporalem proximi vitæ propriȩ, idque gratius fore Deo: contrà verò alius iudicaret, propriam vitam præferendam eſſe vitæ proximi, idque gratius fore Deo: ad vtrumque per ſe inclinaret charitas: quia in vtroque haberet ſuum obiectum formale, quod eſt bonum vt prudenter iudicatum magis gratum Deo. Quo fit, vt variatio, quæ hic interueniret, tantùm eſſet materialis, non formalis. Quod vlterius explicatur hoc exemplo. Imponat Deus præceptum Petro, vt in extrema neceſſitate prȩferat externum hominem proprio Parenti, ſtatim charitas inclinabit ad præferendum huiuſmodi hominem proprio Parenti: cùm tamen, ſublato tali præcepto, eadem charitas inclinat ad præferendum proprium parentem cuicunque alteri. Quemadmodum præcedente tomo diximus, charitatem in beato per ſe inclinare ad diligendum Deum: poſito tamen prȩcepto, vt beatus ceſſet ab amore Dei, eadem charitas ſtatim inclinaret ad ceſſandum ab amore Dei: eo quòd tunc ceſſatio ab amore Dei proponeretur vt gratior & acceptior Deo, quod eſt formale obiectum charitatis. Siue igitur quod proponitur vt magis diligendum propter Deum, ſit re ipſa tale, ſiue tantùm per prudentem rationem iudicatum tale, ad illud per ſe inclinat charitas, tanquam ad proprium obiectum. Ad priorem probationem Minoris, negandum eſt, etiam charitatem increatam non inclinare in bonum, vt dictatum à practico iudicio diuino. Cȩterùm quia iudicium diuinum falli non poteſt, iudicando tanquam magis diligibile, quod magis diligibile nó eſt, ſemper obiectum charitatis diuinæ eſt, quod re ipſa, & non tantùm putatiuè eſt magis bonum & gratum Deo. Ad poſteriorem verò, concedo charitatem habere determinatum obiectum: nego tamen illud eſſe bonum à parte rei exiſtens, ſed vt prudenti ratione propoſitum.

145. Ex his colligitur, quid dicendum ſit ad confirmationem. Nam ex ea tantùm ſequeretur, eundem habitum inclinare, & non inclinare pro diuerſis temporibus & ſubiectis in idem obiectum materiale, non autem inclinare, & non inclinare in idem obiectum formale, vt manifeſtis exemplis ſuprà declaratum eſt. Et Confirmatur in habitu fidei infuſæ: nam idem habitus fidei nó inclinaret in obiectum putatiuè tantùm à Deo reuelatum: idem verò habitus inclinaret in idem obiectum re ipſa à Deo reuelatum. Si enim ante diuinam reuelationem proponeretur obiectum tanquã à Deo reuelatum, ad illud non inclinaret habitus infuſus fidei: facta verò reuelatione, in illud idem inclinaret idem habitus fidei. Pari ratione, ſi idem obiectum proponatur tanquam malum & ingratum Deo, in illud non inclinat charitas: idem autem propoſitum tanquam bonum & gratum Deo, in illud idem inclinat charitas. Ratio omnium eſt: quia poteſt idem obiectum materiale modò proponi ſub formali motiuo habitus, modò ſub oppoſito motiuo eiuſdem: habitus autem non inclinat in obiectum materiale, niſi propter motiuum formale: ergo poterit vnus idemque habitus modò inclinare, modò non inclinare in idem obiectum propoſitum ſub diuerſis oppoſitiſque motiuis.

DISPVTATIO XXX.

De Miſericordia.

POst charitatem diſputandum eſt de miſericordia, propter affinitatem, quam habet cum ipſa charitate. Qua propter S. Thomas 2. 2. quæſt. 30. de miſericordia agit poſt charitatem. Quin aliqui, vt infrà videbimus, illam à charitate non diſcriminant. Diſputant de hac virtute Scholaſtici cum Magiſtro in 4. diſt. 46. & Thomiſtæ cum Angelico Doctore 1. p. quæſt. 21. & 2. 2. quæſt. 30. præcit. De eadem tractant Patres, quam miris laudibus extollunt Baſilius in Pſalmum 44. Chriſoſtomus multis in locis, præſertim Homil. 48. in 15. caput Matth. vbi miſericordiam nuncupat *cor virtutum*: quia ſicut abſque corde nequit viuere animal, ita nec ſine miſericordia, anima: & in peculiari homil. de miſericordia, quæ habetur tomo 5. circa finem, miſericordiam vocat, *ſalutis præſidium, fidei ornamentum, propitiationem peccatorum*: nam, *hæc eſt*, inquit, *quæ iuſtos probat, ſanctos roborat, Dei cultores oſtentat, cuius exercitium lætum efficit Dominum, placatum exhibet Chriſtum*; & homil. 6. in 1. Epiſt. ad Timoth. opus miſericordiæ appellat *proprium opus Dei*, cui homines ſimillimos reddit. Lactantius Firmianus de diuinis Inſtit. Miſericordiam, ait eſſe, Innocentiæ proximam: *Illa enim*, inquit, nempe Innocentia, *malum*

S. Thomas.

Magiſter S. Thomas. Chryſoſt. Baſilius.

lum non facit, & hæc, videlicet Miſericordia, *bonum operatur: illa inchoat iuſtitiam; hæc complet*. Hilarius in Pſal. 51. circa finem, docet, ipſa opera iuſtitiæ miſericordiæ virtute deſtituta ad beatitudinis meritum non ſufficere. Ambroſius lib. 1. de officijs cap. 11. *Bona*, inquit, *miſericordia, quæ & ipſa perfectos facit, quia imitatur perfectum Patrem. Nihil tam commendat Chriſtianam animam, quàm miſericordia*: vbi multa in laudem huius virtutis. Auguſt. lib. 9. de ciuit. cap. 5. vbi & Stoicos repræhendit, quòd miſericordiam è virtutum choro excludebant, & Ciceronem laudat, quòd in Iulio cæſare inter omnes virtutes miſericordiam maximè commendat: qui in oratione pro Ligario hoc de miſericordia encomium ſcriptum reliquit: *Nulla de virtutibus plurimis admirabilior, nec gratior miſericordia: homines enim ad Deos nulla re propiùs accedunt, quàm ſalutem hominibus dando*. Leo ſerm. 2. de aſcenſione Domini in fine: *Nihil validius eſt*, inquit, *contra Diaboli dolos, quàm benignitas miſericordiæ, largitas charitatis, per quam omne peccatum aut declinatur, aut vincitur*: & ſerm. 5. de collectis de hac virtute differens: *Verùm*, inquit, *hæc tanta eſt, vt ſine illa cætera etſi ſint, prodeſſe non poſſint*.

Hilarius. Ambroſius. Auguſtin. Cicero. Leo.

SECTIO I.

Quid ſit Miſericordia?

1. MISERICORDIAM Ariſtoteles definit 2. Rhetor. cap. 8. *Triſtitiam de malo propinquo in indignum pati quod ipſe putat ſe, vel aliquem ſuorum paſſurum*. Auguſt. ſuprà citatus: *Aliena miſeria in noſtro corde compaſſionem, quâ vtique ſi poſſimus, ſubuenire compellimur*: S.Thomas 2.2. quæſt. 30. art. 1. præter hæc addit, vt hoc malum ſit inuoluntarium: vnde à motiuo miſericordiæ excludit culpam, quæ maximè voluntaria eſt, proinde non miſerationis, ſed punitionis eſt motiuum. Quanquam ex alio cap. culpa eſt motiuum miſericordiæ, quatenus eſt contra rectitudinem naturæ rationalis cui opponitur: ſic enim non tam conſideratur vt voluntaria homini, illam committenti, quàm vt contraria naturæ, illam patienti. Nam rectè Auguſtinus 13. de Trinitate cap. 5. *Vel ſola*, inquit, *mala voluntate quiſq; miſer efficitur, ſed miſerior poteſtate, quâ deſiderium malæ voluntatis impletur*.

Ariſtoteles. Auguſtin. S.Thomas. Auguſtin.

2. Cæterùm triſtitia quæ in definitione ponitur, non eſt eſſentialis miſericordiæ: alioqui non poſſet hæc virtus eſſe in Deo & beatis, in quos nulla cadit triſtitia: cùm tamen in eis vera ſit erga mortales miſericordia, vt concedunt tam Scholaſtici cum Magiſtro in 4. diſt. 46. quàm Thomiſtæ cum Angelico 1. p. quæſt. 21 art. 3. Eſt igitur triſtitia ſolùm accidens miſericordiæ, quod poteſt adeſſe & abeſſe, integra ſuperſtite natura huius virtutis, quæ in ſola promptitudine voluntatis ad ſubleuandam proximi miſeriam eſſentialiter conſiſtit. Vnde etiam ſi quis nullâ de proximi miſeria triſtitiam concipiat, modò illius egeſtatem efficaciter ſubleuare velit, eamque de facto ſubleuet, verum miſericordiæ actum exercet. Naturaliter tamen, prout hæc virtus ab homine viatore exercetur, præter voluntatem ſubleuandi, includit diſplicentiam de modo alterius: quæ diſplicentia præcedere ſolet ipſam voluntatem ſuccurrendi proximo. Nam ideò mouemur ad ſuccurrendum proximo, quia illius miſeria nobis diſplicet.

Magiſt. S.Thom.

3. Eſt autem hæc diſplicentia in homine duplex; altera in voluntate; altera in appetitu ſenſitiuo, quæ eſt medium, quo natura ipſa vtitur, ſi non ad tollendam, ſaltem ad mitigandam proximi miſeriam. Magnum quippe ſubleuamen eſt, habere, qui nobis in malis compatiantur. Vnde ad miſericordiam pertinet, vt quando re ipſa non poſſumus, affectu ſaltem proximi miſeriam ſubleuemus. Quod in ijs malis maximè præſtandum eſt, quæ propria virtute à proximo propellere non poſſumus: in quibus ſaltem affectu debemus proximo ſuccurrere, per externa ſigna ei noſtrum de ipſius miſeria conceptum dolorem oſtendendo. Nam quemadmodum natura ad proprium malum leniendum vtitur lacrymis ac gemitibus, alijſque affectibus: ita ſimilibus affectibus vti debemus ad mitigandum proximi malum. Quo fit, vt miſericordia in homine duplici conſtet habitu: altero in voluntate, qui illam incliinet & facilitet ad ſubueniendũ proximo: altero in appetitu ſenſitiuo, qui illum moderetur, ne in compaſſione concipienda vel excedat, vel deficiat: vt enim prioris eſt, voluntatem inclinare ad ſubueniendum proximo, quando, & quomodo oporteat: ita poſterioris munus erit, appetitum moderari, ne plus, minuſue, quàm deceat, proximo compatiatur.

4. Nonnulla difficultas eſt, an iſte habitus moderatiuus paſſionis pertineat ad miſericordiam, an potiùs ad aliquam aliam virtutem. Ratio dubitandi eſt: quoniam miſericordia eſt ad alterum, pertinetque ad iuſtitiam poteſtatiuam: hic verò habitus non eſt virtus ad alterum, ſed ad ſe, cùm ſit moderatiuus propriæ paſſionis. Cõfirmatur, nam etiam liberalitas, & quæuis virtus iuſtitiæ, alieni iuris adæquatiua, eget paſſionum moderamine, ne circa ſuum obiectum vel excedat, vel deficiat: & tamen nemo dicet, habitum moderatiuum paſſionum pertinere ad virtutem iuſtitiæ, ſed vel ad fortitudinem, vel ad temperantiam, quæ tantùm verſantur in moderandis pro-

Digitized by Google

prijs paſſionibus. Igitur etiamſi miſericordia egeat moderamine paſſionum, ne circa ſuum obiectum excedat, aut deficiat, habitus tamen huiuſmodi paſſionum moderatiuus non pertinebit ad virtutem miſericordiæ, quæ eſt ſpecies quædam iuſtitiæ per ſe ordinata ad alterius ius exæquandum ſed ad aliquam virtutem ex his, quæ verſātur in proprijs paſſionibus moderandis.

5. Dicendum nihilominus eſt, hunc habitum paſſionum moderatiuum non pertinere ad aliam virtutem, ſed ſubordinari eidem virtuti miſericordiæ, cum eaque componere vnum habitum perfectum. Fundamentum eſt: quoniam hic idem habitus paſſionis moderatiuus non ſiſtit tantùm in propria paſſione moderanda, ſed vlteriùs per ſe tendit ad proximi miſeriam ſubleuandam: nam hanc ipſam paſſionem moderatur, vt illam dirigat ad proximi miſeriam ſubleuandam, cùm, vt ſuprà diximus, miſericordis ſit, non ſolùm proximi miſeriam re ipſa propellere, ſed etiam affectu mitigare ac delinire: & per conſequens non ſolùm habitus alienæ miſeriæ ſubleuatiuus, ſed etiam eiuſdem mitigatiuus, pertinet ad virtutem miſericordiæ.

6. Vnde diſpar eſt ratio de alijs virtutibus ad alterum, quæ etiam egent, ne circa proprium obiectum excedant, aut deficiant, paſſionum moderamine: nam aliæ virtutes non vtuntur ipſa paſſione moderata, vt proprium obiectum integrè ac perfectè attingant: cùm nec liberalitas, nec quæuis alia virtus alieni iuris adæquatiua à miſericordia diuerſa vtitur ipſa paſſione ad ſuum obiectum perfectè attingendum, ſed illud perfectè attingit mera actione externa alieni iuris adæquatiua: & ſolùm moderatio paſſionis requiritur, ne talis actio alieni iuris adæquatiua impediatur, vel retardetur. In miſericordia autem ipſamet paſſio moderata adhibetur vt ſubleuatiua, ſeu mitigatiua proximi miſeriæ, quæ non ſolùm tollitur per externam Eleemoſynæ largitionem, ſed etiam mitigatur ac lenitur per internum compaſſionis affectum. Vnde in ipſo habitu paſſionis moderatiuo includitur reſpectus & ordo ad alienam miſeriam, tanquam ad obiectum miſericordiæ: qui tamen reſpectus & ordo non includitur in habitu paſſionum moderatiuo ad obiectum liberalitatis, vel alterius virtutis alieni iuris adęquatiuæ: cùm nec fortitudinis, nec temperantiæ habitus, qui in proprijs paſſionibus moderandis verſatur per ſe dirigatur ad alienum ius adæquandum, ſed ſolùm ad componendum ſubiectum circa proprias paſſiones. Quo fit, vt etiamſi nullum eſſet ius alterius adæquandum, adhuc iſtæ virtutes per ſe eſſent neceſſariæ ad proprias paſſiones componendas: contrà verò ſi nulla eſſet proximi miſeria ſubleuanda, nullus neceſſarius foret habitus propriæ paſſionis circa alienam miſeriam moderatiuus.

7. Dices, moderari paſſiones appetitus per ipſum habitum miſericordiæ exiſtentem in voluntate: igitur, præter habitum in voluntate exiſtentem, non eſt neceſſarius alius habitus in appetitu ſenſitiuo. Sed contrà: nam primò eodem modo dici poſſet, nullum dari habitum paſſionum moderatiuum in appetitu ſenſitiuo, ſed omnes paſſiones ipſius moderari per habitus exiſtentes in voluntate. Secundò, quia non eſt maior ratio, cur ex frequentatione actuum voluntatis, alienæ miſeriæ ſubleuantium, gignatur in ipſa voluntate habitus alienæ miſeriæ ſubleuatiuus, & ex frequentatione actuum appetitus ſenſitiui, propriæ paſſionis circa alienam miſeriam moderantium, non gignatur habitus etiam in ipſo appetitu ſenſitiuo propriæ paſſionis circa alienam miſeriam moderatiuus. Solùm igitur imperatiuè habitus miſericordię in voluntate exiſtens moderatur paſſiones appetitus ſenſitiui, non autem eliciriuè, quo pacto eas moderatur ſolus habitus in appetitu ſenſitiuo exiſtens. Cæterùm in quo hic habitus cōſiſtat, in ſpeciebus ne ſenſitiuis meliùs ordinatis, auctis, ac radicatis, an in aliqua alia qualitate diſtincta, controuerſia vniuerſalis eſt de omnibus habitibus acquiſitis, de qua alibi: ſicut an detur habitus materialis infuſus ſubordinatus miſericordiæ infuſæ exiſtenti in voluntate, pendet ex illa quæſtione vniuerſali, an in appetitu ſenſitiuo dentur huiuſmodi habitus materiales ſupernaturales, de qua ſequenti tomo, ſi vitam & otium nobis Deus conceſſerit.

8. *Obijcies*. Si proximi miſeria perfectè ſubleuatur non ſolùm per externam Eleemoſynę largitionem, miſeriæ ſubleuatiuam, ſed etiam per internam compaſſionem, eiuſdem miſeriæ mitigatiuam, ſequitur, nec Deum, nec Angelos poſſe perfectam miſericordiam erga nos exercere, cùm nequeant Deus & Angeli huiuſmodi compaſſionis affectum erga nos exercere. *Reſp.* Negando ſequelam. Etenim quod homo facit per compaſſionis affectum & triſtitiam, Deus & Angeli altiori modo præſtant per internas mentis illuminationes, quibus miſeros certiores reddunt de interno affectu & charitate, qua eorum miſeriæ ſubueniunt: cùm etiam Deo & Angelis miſeria noſtra diſpliceat, licet ſine vlla triſtitia & dolore.

9. Ex dictis infertur 1. in Chriſto Domino fuiſſe integram virtutem miſericordiæ quoad vtrumque habitum, & ſpiritualem in voluntate, & materialem in appetitu ſenſitiuo: de quo conſtat ex lacrymis, quas miſerationis affectu fudit ſuper Ieruſalem Lucę 19. & mortem Lazari, Ioannis 11. Quem habitum ſenſitiuum vnà cum ipſo corpore reſumpſit in Reſurectione: nam ſicut cum corpore reſumpſit reliqua accidentia, permanentia quæ antea habebat, ita & ſpecies atq; habitus exiſtentes in appetitu ſenſitiuo. *Luca. 19. Ioan. 11.*

10. Infertur 2 In animabus ſeparatis manere tantũ habitũ ſpirituale͂, vti in eiſdem manent reliqui habitus & accidentia ſpiritualia, quæ cum ſtatu beatitudinis, vel damnationis non repugnant: haud tamen in eis manere habitum ſenſitiuum, qui vnà cum corpore corrumpitur. An autem talis habitus ſit ſaltem in beatis vnà cum corpore reliquiſque accedentibus humanum corpus ornantibus reparandus, dubium eſt: affirmatiua tamen pars videtur probabilior, à paritate reliquorum accidentium humanum corpus ornantium ac perficientium. At inquies, numquam beati ſunt tali habitu vſuri, cùm numquam compaſſuri ſint cum triſtitia. Sed eſto, non ſint eo vſuri ad compatiendum cum triſtitia alijs, ſunt eo vſuri ad reminiſcendos actus compaſſionis, quos in hac mortali vita erga proximũ exercuerunt: cùm in mea ſentẽtia habitus acquiſiti conſiſtãt in ſpeciebus auctis ac perfectis, ac frequentatis actibus relictis.

SECTIO II.

An miſericordia ſit virtus à charitate diſtincta?

11. QVOD ſit virtus, eſt de fide: quippe quæ à Chriſto recenſetur inter virtutes, quibus Regnum cœlorum conſequimur. Et ratio id etiam demonſtrat, cùm ipſius obiectum ſit honeſtum, & maximè rationi conſonum. Controuerſia non leuis eſt, an diſcriminetur à charitate proximi.

Coninck. Bannez. 12. PRIMA ſententia negat: eſt Coninck diſp. 26. dub. 4. concl. 4. ad quàm inclinat Bannez 2. 2. quæſt. 30. art. 3. dub. 1. Probatur 1. Ex diuinis oraculis, quæ proximi charitatem cum miſericordia confundunt, illamque ſemper explicant per opera miſericordiæ. Ita Chriſtus Dominus *Luc. 10.* Lucæ 10. interrogatus à quodam legis perito, quid neceſſarium foret ad vitam æternam conſequendã? reſpondit illi, ſi præceptũ charitatis Dei & proximi ſeruaueris. Explicans autem Chriſtus charitatem proximi, illam per opera miſericordiæ explicat, vocatque miſericordiam. Idem docent *Iacobi 2. 1. Ioan. 3.* Iacobus in ſua Canonica cap. 2. & Ioannes Epiſt. 1. cap. 3. Secundò conſtat ratione. Eiuſdem virtutis eſt, velle bonum proximo, & oppoſitum malum ab eo auerſari: ſed charitatis eſt, velle ac procurare bonum proximo: ergo eiuſdem charitatis erit, contrarium malum ab eo auerſari ac propellere. Confirmatur 1. Eadem virtute charitatis nobis & bonum diligimus, & malum auerſamur: ergo eadem ſimiliter virtute charitatis & bonum proximo diligimus, & malum ab eo auerſamur. Confirmatur 2. Dolere de peccato, quatenus malum Dei eſt, actus eſt charitatis: ergo dolere de malo proximi, quatenus malum proximi eſt, erit actus charitatis erga proximum.

13. SECVNDA ſententia, *quæ probabilior eſt*, affirmat: eſt communior inter Theologos: eamque manifeſtè docet S. Thomas 2. 2. quæſt. 30. præcipuè art. 3. ad 4. *S. Thomas.* vbi miſericordiam appellat virtutem moralem: & art. 4. ad 2. vbi miſericordiam non ſolùm diſtinguit à dilectione Dei, ſed etiam proximi. Efficaciùs illam docet quæſt. 31. art. 1. in corpore, & ad vlt. vbi miſericordiæ diuerſum aſſignat motiuum à motiuo charitatis, quod rectè notauit Caietanus *Caietanus.* præcitata quæſt. 30. art. 3. ibiq; Syluius. *Syluius.*

14. Eandem ſententiam expreſſit Apoſtolus ad Coloſſ. 3. vbi poſtquam Coloſſenſes exhortatus fuerat ad miſericordiam, *Coloſſ. 3.* aliaſque virtutes, ita tandem concludit: *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Quibus apertè diſtinguit miſericordiam à charitate, quam tanquam apicem & Reginam omnium virtutum vltimo loco recenſet. Quòd autem hic Apoſtolus non tantùm loquatur de charitate erga Deum, ſed etiam erga proximum expreſsè docet Anſelmus, qui præci- *Anſelmus.* tata verba explicans: *Si verò*, inquit, *mens charitate ducitur, & proximi dilectione conſtringitur, cùm tentationum motus quilibet motus ſuggeſſerint, obicem ſe illis ipſa dilectio opponit, & naſcentia in corde vitia reprimit.* Idem colligitur ex Hieronymo, dum expli- *Hieronym.* cans, quæ ſit hæc charitas, ad quam Apoſtolus Coloſſenſes exhortatur: *ſuper hæc omnia*, inquit, *eſt charitas: quia omnem, quem diligimus, ſuſtinemus: & non omnem, quem ſufferimus, diligimus.*

15. Secundò probatur ratione. Ea virtus diſtinguitur ab alia, quæ diuerſum habet motiuũ: miſericordia diuerſum habet à charitate motiuũ: igitur ab ea diſtinguitur. Maior elucet, quoniã motiuum eſt conſtitutiuum, & ſimul diſtinctiuum vnius virtutis ab alia. Minor probatur: nam motiuum charitatis eſt bonum, quatenus eſt perfectiuum ſuppoſiti, cui illud volumus & procuramus, quod S. Thomas prænotata quæ- *S. Thomas.* ſtione 31. art. 1. vocat bonum ſub communi ratione boni. Motiuum autem miſericordiæ eſt bonum, quatenus eſt ſubleuatiuum alterius mali: vt ſic enim nouam induit rationem formalem, ſufficientem ad ſpecificandam diſtinctam virtutem. Idem quippe bonum, ſi ametur proximo vt perfectiuum ipſius, fundat charitatem & amicitiam, quæ reſpicit bonum amici, quà bonum amici eſt, ſub nullo certo titulo limitatum: ſi ametur vt recompenſatiuum beneficiorum, fundat gratitudinem; ſi vt adæquatiuum iuris legalis, iuſtitiam; ſi ex decentia & conuenientia perſonæ largientis, liberalitatem; ſi vt ſubleuatiuum egeſtatis alterius, miſericordiam. Sicut idem bonum volitum Deo, quà bonum Dei eſt, nullo certo titulo limitatum, fundat charitatem erga Deum: idem volitum vt recompenſatiuum

communi non ſolùm voluntas noſtra nullam habet difficultatem, ſed naturaliter etiam ad illud propendet tanquam ad obiectum proprium, quod proprijs actibus attingere poteſt. Obiectum verò miſericordiæ, præſertim ſupernaturalis, cùm ſit extra ſphæram ſuæ natiuæ virtutis, indiget diſtincto habitu ad illud attingendum. Neque ad id ſufficit habitus charitatis, cùm hic non ſe extendat extra ſuum obiectum formale, quod eſt bonum proximi vt perfectiuum ſuppoſiti, non vt ſubleuatiuum miſeriæ.

SECTIO III.

Quotuplex ſit miſericordia, & an ſit omnium virtutum perfectiſſima?

23. QVOAD primum quæſitum, dicendum eſt, duplicem eſſe miſericordiam; alteram acquiſitam & naturalem quoad ſubtantiam; alteram infuſam & ſupernaturalem quoad eſſentiam. Aſſertio hæc à nemine negatur ex ijs, qui nobiſcum admittunt miſericordiam à charitate condiſtinctam. Fundamentum aſſertionis eſt: quoniam ſicut duplex datur motiuum miſericordiæ, alterum naturale regulatum à dictamine luminis naturalis; alterum ſupernaturale regulatum à dictamine luminis ſupernaturalis: ita duplex virtus ſpecificata ab hoc duplici motiuo, altera naturalis acquiſita; altera ſupernaturalis infuſa. Confirmatur, quia ſicut datur duplex miſeria, altera, quæ ſit priuatio perfectionis ac felicitatis naturalis; altera, quæ ſit priuatio perfectionis ac felicitatis ſupernaturalis; ita & duplex virtus ſubleuatiua huius duplicis miſeriæ, altera quoad ſubſtantiam naturalis ſubleuatiua miſeriæ & egeſtatis naturalis; altera ſupernaturalis ſubleuatiua miſeriæ & egeſtatis ſupernaturalis. Vnde ſicut miſericordia naturalis non ſe extendit ad motiuum miſericordiæ naturalis: cùm vnaquæque virtus contineatur intra limites ſui obiecti formalis.

24. Porrò miſericordia ſupernaturalis infunditur vnà cum reliquis habitibus infuſis, augeturque meritoriè per actus etiam aliarum virtutum in homine iuſto, non autem in peccatore, in quo talis habitus vnà cum reliquis, fide & ſpe exceptis, demeritoriè deperit. Miſericordia verò naturalis augetur phyſicè per actus naturales, non ſolùm in iuſto, ſed etiam in peccatore, in quo per peccatum non amittitur, vti nec cæteri habitus acquiſiti. An autem præter habitum ſupernaturalem infuſum, detur habitus miſericordiæ ſupernaturalis acquiſitus, genitus ex actibus ſupernaturalibus miſericordiæ, pendet ex illa quæſtione vniuerſali, an ex frequentatione actuum ſupernaturalium gignatur in nobis habitus quoad ſubſtantiam ſupernaturalis, diuerſus ab habitu infuſo eorundem actuum ſupernaturalium: de qua diſputabimus tomo VIII. Atque hæc quoad primum quæſitum.

25. Quoad ſecundum S. Thomas 2. 2. quæſt. 30. art. 4. affirmat, miſericordiam ſecundùm ſe eſſe omnium virtutum maximam, non autem reſpectu habentis. Nam ſi habens ſuperiorem habeat, ei melior eſt charitas, qua coniugitur Deo ſuperiori, quàm miſericordia, qua ſubleuat defectus inferiorum. In Deo autem, qui ſuperiorem non habet, & melior, & maior eſt miſericordia. Quam S. Thomæ doctrinam, quia perdifficilis eſt, ita explicat Caietanus in hunc articulum. Illa virtus dicitur maxima ſecundùm ſe, quæ maximam in ſe exigit perfectionem: illa verò dicitur maxima reſpectu habentis, quæ habentem reddit maximè perfectum. Cæterùm miſericordia dicitur maxima, non quia maximè perfectum reddit habentem, nam potiùs charitas reddit habentem maximè perfectum, ratione perfectiſſimi obiecti, in quod tendit: ſed quia, cùm ſit ſubleuatiua miſeriæ ſimpliciter, exigit in ſe perfectionem actus puri. Nam ſicut miſericordia ſubleuatiua alicuius miſeriæ exigit in ſubleuante vt ſit immunis à tali miſeria, quam debet ſubleuare: ita miſericordia ſimpliciter exigit in ſubleuante, vt ſit immunis ab omni miſeria ſimpliciter, & quia omnis potentialitas, cui ſubiecta eſt omnis creatura, eſt quædam miſeria, ideò miſericordia ſimpliciter exigit, vt miſericors ſit immunis ab omni potentialitate, quam debet ſubleuare, ac proinde exigit, vt ſit actus purus: quam perfectionem nulla alia virtus per ſe exigit: proinde ſola miſericordia conſiderata ſecundùm perfectionem, quàm ipſa exigit in ſubleuante, eſt omnium virtutum maxima: propter quod proprium Dei dicitur miſereri, & miſerando ſuam omnipotentiam manifeſtare, quæ in pura actualitate fundatur. Hanc Caietani explicationem communiter ſequuntur Thomiſtæ: etſi aliqui putent, illam non eſſe ad mentem S. Doctoris.

S. Thomas. *Caietanus.*

26. Verùm acriter illam impugnat Suarez diſp. 4. de miſericordia ſect. 3. Primò, quia charitas eſt fôs miſericordiæ: ergo perfectior. Secundò, quia non ſolùm creaturæ eſt melior charitas, quia per eam coniungitur Deo, ſed etiam ipſi Deo: cùm melius ſit Deo, ſummo amore ſibi coniungi, quàm aliorum miſereri. Tertiò. Nobilius eſt obiectum charitatis, eiuſque actus, quàm miſericordiæ. Quartò. Non minùs charitas eſt benefactiua, quàm ſit miſericordia ſubleuatiua: ergo non minùs ſumma charitas eſt infinitè benefactiua, quàm ſumma miſericordia infinitè ſubleuatiua, & conſequenter *Suarez.*

ter non minùs vna quàm alia requirit actum purum infinitè perfectum ac patentem. Quintò, nam adhuc charitas excedit miſericordiam, quia per charitatem Deus communicat maius bonum actu infinitum, cùm per charitatem communicet increatam ſuam naturam per productionem tertię perſonę: per miſericordiam autem nonniſi bonum creatum, idq; ſemper actu finitum, cùm nequeat omnem potentialitatem à creatura tollere. Præterea docet, quòd niſi miſericordia ſuperet fidem & ſpem, cùm non includat imperfectionem, quam hæ virtutes includunt, propter quod in Deo eſt miſericordia, non autem fides & ſpes: ſimpliciter tamen in nobis fides & ſpes ſuperant miſericordiam, obiecti nobilitate ac dignitate.

27. Verùm hæ Suarez rationes non obſtant; quo minùs cum Caietano dicamus, miſericordiam ſecundùm ſe conſideratam eſſe perfectioré omnibus virtutibus Theologicis, etiam ipſa charitate. Quare prima ratio tantùm probat, charitatem eſſe ordine priorem, non autem perfectiorem miſericordia. Secunda ſolùm probat de actibus, non de virtutibus ipſis ſecundū ſe. Etenim comparando charitatem & miſericordiam in ordine ad actus, melius eſt Deo, ſummo amore ſibi coniungi, quàm aliorum miſereri: quia illa eſt perfectio intrinſeca Deo, hęc extrinſeca. Comparando verò eas in ordine ad perfectiones, quas ſecundū ſe exigunt in ſubiecto, in quo ſunt, maiorem perfectionē ex ſuo formali conceptu exigit miſericordia ſimpliciter, quàm charitas ſimpliciter: quoniam miſericordia ſimpliciter per ſe requirit in Deo actum purum, quem non requirit charitas ſimpliciter: ſiquidem hæc poſſet eſſe ſumma, etiamſi non eſſet actus purus. Vnde materialiter tantùm ſumma charitas in Deo ſupponit actum purum, nō autem formaliter, & ex ſuo proprio conceptu, vti ſupponit ſumma miſericordia. Nā hæc non poſſet eſſe ſumma, niſi eſſet ſubleuatiua omnis miſeriæ poſſibilis, ac proinde niſi ipſa immunis eſſet ab omni potentialitate. At verò illa poſſet eſſe ſumma, etiamſi non eſſet purus actus, modò eſſet communicatiua totius bonitatis, quam in ſe habet. Puritas igitur actus in miſericordia ſimpliciter importatur formaliter & conſtitutiuè, quia importatur per ordinem ad ſuum proprium obiectum: in charitate autem ſolùm materialiter, cùm non importetur per ordinem ad obiectum, ſed ad ſubiectum, in quo reperitur. Ad tertium vltro concedit Caietanus, miſericordiam excedi à charitate ratione actus & obiecti.

28. Ad quartum, negatur vtraque Cōſequentia: nam adhuc charitas eſſet ſumma, ſi tantū eſſet communicatiua totius bonitatis, quam in ſe includeret: non eſſet autem ſumma miſericordia, ſi finitam tantùm perfectionem includeret: quia miſericordia dicitur ſumma, eo quòd ſit ſubleuatiua omnis miſeriæ poſſibilis, quæ cùm ſit infinita, non diceretur miſericordia ſimpliciter ſumma, ſi non poſſet omnem miſeriam tollere. Charitas autem dicitur ſumma, per communicationem totius perfectionis, quā habet in ſe: ergo ſi finitam tantùm haberet perfectionem, eamq́ue totam communicaret, diceretur ſumma.

29. Quintum argumentum probat tātùm de actu & termino charitatis, non autem de ipſa virtute ſecundùm perfectionē, quam formaliter exigit per ordinem ad ſuū obiectum. Neq; ex eo quòd charitas in Deo ſit communicatiua infinitæ perfectionis, & productiua tertiæ perſonæ, ſequitur, quòd ſit actus purus: quia poſſet communicare infinitam perfectionem in certo genere: miſericordia verò ſumma ſimpliciter, cùm debeat eſſe ſubleuatiua omnis omnino miſeriæ, nequit eſſe limitata ad certum genus perfectionis, ſicut nec miſeria, cuius ipſa eſt ſubleuatiua, limitatur ad certum genus. Atque hæc vera tantùm ſunt de ſumma miſericordia, prout reperitur in ſolo Deo, non autem prout reperitur in nobis, in quibus ſemper eſt imperfecta ad certum genus perfectionis limitata. Quare in nobis non modò perfectior eſt charitas, quia per eam coniungimur Deo, ſed etiam fides & ſpes: nam etiam per has virtutes coniungimur Deo, per fidem & ſpem inchoatiuè, per charitatem conſummatiuè.

30. Ratio diſcriminis eſt: quoniā charitas dicitur ſumma potiſſimùm ex affectu, quo eſt ſui ipſius communicatiua quo fit vt ad ſummam charitatem ſat eſſet, ſi eſſet communicatiua totius perfectionis quam poſſet ſummus amans communicare: vnde ſi infinitam in vno tantùm genere cōmunicare poſſet, talis charitas diceretur ſumma, quia eſſet communicatiua tantæ perfectionis, quantam ſummus diligens poſſet communicare. At verò miſericordia dicitur ſumma ex virtute ſubleuatiua omnis omnino miſeriæ; quo fit vt etiamſi ſubleuarit omnem miſeriam quam ſummus miſericors poſſet, ſi tamen non eſſet ſubleuatiuus omnino miſeriæ non diceretur talis miſericordia ſumma ſimpliciter, quia hæc deſumitur per ordinem ad miſeriam ſubleuabilem.

Digitized by Google

DISPVTATIO XXXI.

De Eleemoſyna.

Magiſter. S.Thomas. 1. DE Eleemoſyna diſputāt Scholaſtici cū Magiſtro in 4. diſt. 15. & 16. Thomiſtę cū ſuo præceptore 2. 2. qu. 32. Et Summiſtæ verbo *Eleemoſyna.* Quam miris encomijs extollūt nō modò Patres, verum & ipſa ſacra oracula, *Tobia. 4.* quippe Tobiæ 4. *Eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras:* & c. 12. *Elemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam, & vitam æternam.* *Eccleſ. 3. Daniel. 4.* Eccleſiaſtici 3. *Eleemoſyna reſiſtit peccatis.* Danielis 4. Eleemoſyna dicitur redimere hominē à peccatis: *Actor. 10* Actor. 10. Cornelij Eleemoſyna, dum adhuc gētilis eſſet, dicitur aſcendiſſe in conſpectūm Dei: propter quam meruit ab Angelo moneri, vt Petrū Apoſtolorū Principē adiret, à quo de rebus fidei inſtructus baptizaretur. *Matth. 25.* Et Matt 25. Chriſtus Dominus vocat benedictos à ſuo patre eiſq; regnū cæleſte poſſidendū tradit, qui in hac vita miſericordes fuerūt in ſubleuāda pauperū miſeria, Eleemoſynis, alijſq; miſericordię operibus. Quod attinet ad Patres, nullum opus magis deprædicāt, quàm hoc. *Chryſoſt.* Chriſoſtomus in fine homiliæ 31. in 12. caput Geneſis: *Nihil,* inquit, *prorſus ita nos eximere poteſt à gehenna ignis atque largitas Eleemoſinarum:* & Homil. 34. in 13 caput eiuſdem Geneſis, de Eleemoſyna diſſerens: *Nullum omnino aliud bonum ſic poterit,* inquit, *reſtinguere peccatorum noſtrorū incendiū, vt Eleemoſyna largitas: iſta & peccatorum noſtrorum abolitionem operatur,* & magnam *nobis fiduciā conciliat, & præparat, vt ineffabilibus illis bonis frui tunc liceat:* & Homil. 19. in 2. Epiſt. ad Corinth. *Iuſtos, ait, facit Eleemoſyna, peccata quaſi ignis conſumens:* quam & cum Apoſtolo *gratiam* appellat Homil. 16. in eandē Epiſt. ad Corinth. & *magnum bonum,* quo Deum ipſum nobis debitorem conſtituimus; & *torquem auream,* initio expoſitionis Epiſtolæ ad Philipp. & Homil. 32. ad Hebræ. *Dei amicam eiq; propinquam,* omnium gratiarum impetratricē, peccatorum expultricem, reginā virtutum, cui cæli portæ aperiuntur, nulluſq; cæleſtiū ianitorū ei audet dicere: *Quæ tu es, vel vnde? ſed omnes eam è regione ſuſcipiunt:* homines ſimiles Deo facit: aliaſq; laudes illi ibidem tribuit. Multa etiam de hac virtute habet *Auguſtinus.* Auguſtinus in Enchiridio à capite 69. & deinceps. *Leo.* Leo Papa Eleemoſynam præfert ieiunio ſerm. 3. de Ieiunio Pentecoſtes, quam ſerm. 2. de Collectis appellat remediū humanæ infirmitati diuinitus datum ad delenda peccata. *Ambroſius* Ambroſius ſerm. 30 de Eleemoſyna explicans verba illa Chriſti Lucæ 11. *Date Eleemoſynā, & omnia munda ſunt vobis.* Eleemoſynam vocat, vnam ac ſolam virtutem, quæ *cunctorum eſt Redemptio peccatorū.* Paribus laudibus illam celebrant reliqui Patres, quorum ſingulorum teſtimonia longum eſſet in medium afferre. Cæterùm nos Scholaſtico more ea de hac virtute diſputabimus, quæ ad ipſius naturā proprietateſq; explicandas maximè conducunt.

SECTIO I.

Quotuplex ſit Eleemoſyna, & cuius virtutis actus.

2. DVPLICEM diſtinguunt Theologi Eleemoſynam, corporalem, & Spiritualem: illa ſubuenimus corporis proximi neceſſitatibus, hac animi. Vtraq; rectè diuiditur in ſeptem ſpecies, his duobus verſibus contentas.

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora.

Quæ priori verſu, ad corporales, quæ poſteriori, ad ſpirituales proximi neceſſitates ſubleuandas pertinent. Cuius diuiſionis ſufficientiam eleganter aſſignat S. Thomas 2. 2. *S. Thom* quæſt. 32. art. 2. qui & omnes alias adhunc duplicem ſeptenarium numerum reducit. Ex his, quę ad animam ſubleuandā ordinantur præferendæ per ſe ſunt ijs, quę aptę ſunt ad corporis miſeriam propellendam, niſi in caſu, vt ſapienter notauit S. Thomas 2. 2. cit. *S. Thoma* quæſt. 32. art. 3. Nam in caſu, quo proximus eſſet in extrema neceſſitate corporali, in qua ſi ei non ſubueniretur, eſſet in periculo mortis, magis tunc ſuccurrendum ei eſſet in neceſſitate corporali, quàm ſpirituali: eo quòd ſubleuatus à neceſſitate corporali ſubleuari poſſet à ſpirituali. In æquali verò periculo conſtituto ſuccurrendum potiùs erit in neceſſitate ſpirituali, ſi nimirum nō ſit ſpes ampliùs illi ſuccurrendi in tali ſpiritus neceſſitate. Atque hæc quoad primum.

3. Pro explicatione ſecundi, Notandum: Eleemoſynā per ſe importare opus alterius miſeriæ ſubleuatiuum: quod in miſericordia corporali ſemper eſt aliqua actio externa ſubleuatiua illius miſeriæ, in cuius ſubleuationem impenditur: in ſpirituali verò aliquādo eſt ſola actio interna, qualis eſt mentalis

talis oratio ad Deum facta pro proximi indigẽtia. Quæritur igitur, cuius virtutis actus ſit illud opus, quod in proximi ſubleuationem impenditur. Ratio dubitandi eſt, quia poteſt idẽ opus eſſe obiectum pluriũ virtutũ, ac proinde non neceſſariò erit actus miſericordiæ: nam plerumq; quod eſt obiectũ virtutis, eſt eiuſdem virtutis actus, vt ſunt opera externa miſericordiæ, quæ ſimul ſunt obiectũ alicuius virtutis, & actus eiuſdem: eo quòd illam terminant vt obiectũ, & ſimul formaliter cõſtituunt cum interno actu eiuſdem vnum actum perfectũ virtutis, ex interno & externo conflatum. Cùm igitur poſſit eadem pecuniæ largitio, exempli cauſa, facta pauperi elici ex motiuo liberalitatis, pœnitentiæ, aut charitatis, non apparet, quo pacto illa per ſe ſit actus miſericordiæ. Pro qua re,

4. Duplex diſtinguẽda eſt bonitas in quouis opere miſericordiæ; altera deſumpta ex intrinſeco fine, ad quem cauſandum ſuapte natura ordinatur, vt eſt ſubleuatio egeſtatis in pecuniæ largitione, triſtitiæ mitigatio in opportuna & prudẽti conſolatione afflicto exhibita. Altera deſumpta ex fine extrinſeco ad quem ex intentione operantis dirigitur: qualis eſſet honeſtas pœnitentiæ aut liberalitatis, ad quam ipſam externã pecuniæ largitionẽ operans dirigeret. Priorem bonitatem opus Eleemoſynæ habet ex ſe, ratione cuius per ſe dicitur materia & actus ſolius miſericordiæ: Poſteriorem ex intentione operãtis, ex cuius ordine & imperio eſſe poteſt materia cuius libet virtutis.

5. Primum probatur, quoniam illud opus per ſe eſt propria materia & actus alicuius virtutis, ad cuius finem conſequendũ eſt neceſſarius: atqui omnia opera, quæ ſuapte natura ſunt ſubleuatiua egeſtatis ac miſeriæ proximi, ſunt neceſſaria ad conſequendũ finẽ miſericordiæ, quæ per ſe reſpicit proximi egeſtatẽ & miſeriã vt ſubleuandã. Igitur omnia huiuſmodi opera ſunt per ſe propria materia & actus ſolius miſericordiæ, cùm nulla alia virtus reſpiciat proximi miſeriã vt ſubleuandã. Confirmatur. Ideò exterior actio alterius iuris adæquatiua per ſe eſt propria materia & actus ſolius iuſtitiæ, quia ſuapte natura eſt adæquatiua alterius iuris: ergo ideò externũ opus Eleemoſynæ pe ſe eſt materia & actus ſolius miſericordiæ, quia ſuapte natura eſt ſubleuatiuum proximi miſeriæ.

6. Secundũ verò cõſtat: quia poteſt operãs ad conſequendũ finẽ vnius virtutis adhibere vt mediũ actum alterius virtutis: vt ad conſequendũ finẽ pœnitentiæ, quæ eſt diuini iuris per peccatum læſi reſarcitio, adhibere vt mediũ actum miſericordiæ, vel liberalitatis. Igitur ex intentione operantis materia, quæ per ſe eſt propria ſolius miſericordiæ, fieri poteſt materia cuiuſcunq; alterius virtutis, cùm nulla ſit virtus, ad cuius finẽ conſequẽdũ adhiberi nõ poſſint opera miſericordiæ. Nam vel eſt virtutis circa Deum, & ſic omne opus miſericordiæ exerceri poteſt in obſequiũ Dei: vel eſt circa proximũ: & cùm omne opus miſericordiæ per ſe tendat in bonum proximi, quodlibet opus miſericordiæ ordinari poteſt ad conſequendum finem virtutis verſantis erga proximũ: vel eſt circa ſe ipſũ, propriaſq; paſſiones, ad quas moderãdas adhiberi poſſũt opera miſericordiæ: vt ad moderandũ nimium affectum pecuniæ adhiberi poteſt Eleemoſynæ largitio: ad moderandũ affectũ iræ, vel acediæ adhiberi poteſt feruens ac prudens conſolatio erga afflictos, & ſic de cæteris.

7. Cæterùm aduertendũ eſt, dupliciter poſſe opus miſericordiæ ex intentione operãtis adhiberi ad cõſequendũ finẽ alterius virtutis; vno modo tãtùm imperatiuè, alio modo etiã elicitiuè. Imperatiuè tantùm adhibetur, quãdo opus ipſum miſericordiæ elicitur ex proprio tãtũ motiuo miſericordiæ, licet imperetur ex motiuo alterius virtutis: velut ſi pœnitẽtia imperet actũ Eleemoſynæ eliciẽdũ ex virtute miſericordiæ. In quo caſu duæ concurrũt virtutes, altera imperans, eliciens altera: & conſequenter huiuſmodi actus duplicem participabit honeſtatem, vnam intrinſecã ex virtute eliciente; alterã extrinſecã ex virtute imperãte: quæ ſimul opus externũ eliciat ex proprio motiuo, tunc eadem virtus erit imperãs & eliciẽs: vt ſi pœnitẽtia ex ſuo proprio motu reſarciendi ius diuinũ læſum eliciat actũ Eleemoſynæ, eadẽ virtus pœnitẽtiæ erit ſimul imperans & eliciens externum opus miſericordiæ. Vnde in tali caſu opus externũ Eleemoſynæ nonniſi honeſtatẽ virtutis pœnitentiæ participabit, cùm nonniſi ſola virtus pœnitẽtiæ concurrat ad tale opus externũ, quæ ſimul eſt imperans & eliciens.

8. Ex dictis infertur 1. non eſſe opus Eleemoſynæ, vel quod clericis ſoluitur pro Miſſæ celebratione, vel quod Parochiæ impẽditur pro ſuo officio obeundo: cùm hæc potiùs ſint eis debita vt ſtipendia. Vnde etiamſi iſti ex proprio patrimonio haberent, quo ſe ſuſtentarẽt, adhuc eis debita eſſent huiuſmodi ſtipendia. Quod ſignũ eſt, hæc eis nõ deberi titulo Eleemoſynæ ac miſericordiæ, quæ ſolũ proximi egeſtatem vt ſubleuãdam reſpicit, ſed titulo iuſti ſtipendij. Secus dicendum de ijs, quæ dãtur Religioſis mendicãtibus, cùm hi ſint verè pauperes. Nec refert, quòd paupertatem amplexi ſunt voluntariè, cùm hoc non obſtet veræ paupertati, cæterùm intelligendum id eſt de ijs, quæ huiuſmodi Religioſis dantur titulo Eleemoſynæ ad ſubleuandam eorum paupertatem, non autẽ quæ eis dantur titulo gratitudinis, vel ſtipendij ob acceptum aliquod beneficium.

9. Infertur 2. Magis meritorium eſſe opus Eleemoſynæ, quod non ſolùm elicitur ex motiuo miſericordiæ ſed etiam imperatur ex motiuo pœnitentiæ, vel alterius virtutis: nam eò opus eſt magis meritorium apud Deũ, quò pluriũ virtutum honeſtatem participat: quod autem elicitur ab vna virtute, & imperatur ab alia, non ſolùm participat honeſtatem virtutis elicientis, ſed etiam honeſtatem virtutis imperantis: quippe quod

pe quod cum vtriuſq; virtutis actu componit vnum integrum opus humanum perfectius.

10. Infertur 3. Quemlibet actum virtutis non ſolùm imperari poſſe à charitate, ſed etiam à quacunque alia virtute Fundamentum eſt, quia licet imperare ex officio actus virtutum, illius tantùm virtutis ſit, quæ pro obiecto habet earundem finem, cuiuſmodi eſt ſola charitas; quæ quia pro obiecto habet Deum vltimum finem, ex officio imperare poteſt actus omnium virtutum, cùm omnium virtutum actus ſint media ad ſuum obiectum conſequendum: tamen non repugnat, vt vnaquæque virtus imperet actus aliarum virtutum, iiſque vtatur vt medijs ad ſuum finem conſequendum: quemadmodum interdum Spes imperat actum charitatis ad æternam gloriam, quæ eſt ipſius obiectum, conſequendam.

11. Dices. Nequit virtus inferior ſe extendere in actum virtutis ſuperioris, cùm illum non contineat intra ſuam ſphæram: ergo nequit virtus inferior imperare actum virtutis ſuperioris. Reſp. Negando conſequentiam. Vt enim virtus inferior imperet actum virtutis ſuperioris, neceſſe non eſt, vt attingat obiectum formale ipſius, cùm non debet illum imperare ex motiuo illius virtutis, cuius eſt actus proprius, ſed ex motiuo ſuo proprio. Spes enim cùm imperat actum charitatis, non imperat illum ex motiuo charitatis, ſed ex motiuo proprio conſequendæ æternæ gloriæ vt ſibi bonæ: charitas verò eſt, quæ poſtea ex ſuo proprio motiuo elicit actum charitatis imperatum à virtute Spei.

SECTIO II.

Quos effectus ſpirituales per ſe operetur Eleemoſyna in anima largientis?

12. Præsens quæſtio oritur ex ſuprà adductis teſtimonijs ſcripturæ & Patrum, qui vt vidimus, Eleemoſynæ tribuunt remiſſionem peccatorum, liberationem à morte æterna, collationem gratiæ & amicitiæ Dei, nec non promiſſionem futuræ gloriæ. Ex alia verò parte huiuſmodi effectus nō videntur competere poſſe Eleemoſynę, cùm ipſa non ſit actus dilectionis Dei, neq; hunc neceſſariò præſupponat, cuius tantùm eſt, extra ſacramenta hominē vltimò diſponere ad remiſſionem peccatorum per iuſtificantē gratiam infallibiliter conſequendam. Tota igitur præſentis quæſtionis difficultas erit in aſſignando modo, quo huiuſmodi effectus Eleemoſyna operetur in anima largientis.

13. Prima opinio, ſeu error non modò infallibiliter verum vni ac ſoli Eleemoſynæ ſuprà enumeratos effectus tribuit. Hunc errorem tacito nomine quorundam hæreticorum refert Auguſtinus lib. 21. de Ciuitate cap. 22. Fundabantur hi hæretici primò in illo Iacobi 2. *Iudicium ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam. Qui ergo fecerit,* nempe miſericordiam, inquiebant iſti, vt priori loco citatus Auguſtinus refert, *quamuis mores in melius non mutauerit, ſed inter ipſas ſuas Eleemoſynas nefariè ac nequiter vixerit, iudicium illi cum miſericordia futurū eſt, vt aut nulla damnatione plectatur, aut poſt aliquod tempus ſiue paruum, ſiue prolixum ab illa damnatione liberetur.* Secundò hunc errorem probabant ex forma iudicandi Chriſti Domini: in qua Matth. 25. ſola mentio fit de operibus miſericordiæ, propter quæ ſola, ſicut homines præmiantur, ita propter ſolam eorundem operum omiſſionem ijdem damnantur. *Auguſtin.* *Iacobi 2.* *Matth. 25.*

14. Tertiò, probabāt ex illis verbis Chriſti Matth. 6. *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra: ſi autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Hocipſum in quotidiana oratione Dominica iubemur petere: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Ex quo loco ſic, teſte Auguſtino, argumentabantur iſti hæretici. *Non dixit Dominus, magna, vel parua, ſed dimittet vobis Pater veſter peccata veſtra, ſi & vos dimiſeritis hominibus. Ac per hoc,* inquit Auguſtinus, *putant etiam eis, qui perditè vixerint, donec claudant diem vitæ huius extremum, per hanc orationem qualiacunque, quantacunq; fuerint, omnia quotidie peccata dimitti, ſicut ipſa quotidie frequentatur oratio, ſi tantùm modò cuſtodiſſe meminerint, vt quando ab eis veniam petunt, qui eos peccato qualicunq; læſerunt, ex corde dimittant.* Quartò probari poteſt ex illo Lucę 11. *Date Eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Quibus verbis videtur Chriſtus ſoli Eleemoſynę tribuere virtutem mundandi ac dignificandi cętera opera, quę ab homine fiunt. *Matth. 6.* *Auguſtin.* *Luc. 11.*

15. Verùm hunc errorem tanquam apertā hęreſim, vtpote contra manifeſta ſacrę Scripturæ oracula, refutat Auguſtinus citato libro cap. 27. cumque euidenter confutat Chriſtus Dominus Lucæ 11. vbi Phariſæos reprehendit, quòd etſi decimam partem omnium ſuorum bonorum pro Eleemoſyna darent, reliqua tamen opera charitatis erga proximum & Deum omittebant. *Væ vobis,* inquit, *Phariſæis, qui decimatis mentam & & rutam, & omne olus, & præteritis iudicium & charitatē Dei. Hæc autem, ſubiungit* Chriſtus, *oportuit facere, & illa non omittere.* Quibus verbis Chriſtus præponit opera charitatis Eleemoſinnæ, quæ ſine illa nihil prodeſt ad vitam æternam. Chriſto conſentit Paulus 1. ad Corinth. 13. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Eundem errorem confutant illa verba *Auguſtin.* *Luc. 11.* *1. Cor. 13.*

Luc. 13. Chriſti Lucæ 13. *Si Pœnitentiam non egeritis, omnes ſimul peribitis.* Igitur ſola opera miſericordiæ abſque charitate & pœnitentia ad ſalutem conſequendam non ſufficiunt.

16. In eandam veritatem conſpirant Patres, qui quamuis Eleemoſynæ vim remittendi peccata tribuant, reliqua tamen opera non excludunt, quin primum opus miſericordiæ, à quo incipere debet peccator, vt reconciliationem cum Deo mereatur, aiunt eſſe, miſereri animæ ſuæ, iuxta Eccleſ. 30. illud Eccleſiaſtici 30. *Miſerere anima tuæ placens Deo. Nam qui ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit?* Eccleſiaſtici 14. *Qui enim veraciter,* Eccleſ. 14. Gregorius. inquit B. Gregorius 19. Moralium cap. 20. *proximis miſericordiam facere ſtudent, ſibi ipſis priùs debuerant miſereri. Qui ergo miſereri vult proximo, à ſe trahat neceſſe eſt originem miſerendi. Scriptum eſt enim:* Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. *Quomodo ergo alteri miſerendi plus eſt, qui adhuc iniuſtè viuendo ſit impius ſibi etiam ipſi?*

Auguſtin. 17. Sed audiamus Auguſtinum de verbis Domini Serm. 30. de hac re prolixè diſputantem. *Quid eſt*, inquit, *facite miſericordiam? Sed intelligis, à te incipe. Quomodò enim es miſericors alteri, ſi crudelis ſis tibi? Audi, facite veram Eleemoſynam. Quid eſt Eleemoſina. Miſericordia. Audi Scripturam:* Miſerere animæ tuæ placens Deo. *Fac Eleemoſynam: Miſerere anima tua. Redi ad conſcientiam: mendicat à te anima tua: redi ad conſcientiam, & ibi inuenis mendicantem animam tuam, inuenis egentem, inuenis pauperem, inuenis ærumnoſam, inuenis fortè nec egentem, ſed egeſtate obmuteſcentem. Nam ſi mendicat, eſurit iuſtitiam. Quando inuenis animam tuam talem, intus in corde tuo ſunt illa; fac priùs Eleemoſynam: da illi panem. Quem panem? Si Phariſæus interrogaret, diceret illi Dominus: fac Eleemoſynam cum anima tua. Hoc enim illi dixit, ſed ille non intellexit, quando illis enarrauit Eleemoſynas, quas faciebant: & putabant latere Chriſtum, & ait illis: noui quid facitis, decimatis mentam, & anetū, ciminum, & Rutam. Sed ego alias Eleemoſynas loquor: Contemnitis iudicium & charitatem. In iudicio & charitate fac Eleemoſynam cum anima tua. Quid eſt iudicium? Reſpice, & inueni, diſplice tibi, pronuncia in te. Et quid eſt charitas? Dilige Dominum in toto corde tuo, tota anima tua, tota mente tua: Dilige proximum tanquam te ipſum, & feciſti miſericordiam priùs cum anima tua in conſcientia tua. Hanc autem Eleemoſynam ſi prætermittis, de quanto vis dona, quantumuis retrahe de fructibus tuis, non decimas, ſed dimidias: nouem partes da, & vnam tibi dimitte. Nihil facis, quando tecum non facis. & tecum pauperes.* Hæc Auguſtinus, qui eadem habet in Enchiridio cap. 75. 76. & 77. Hanc eandem veritatem manifeſta ratio conuincit: quia cum Eleemoſyna conſiſtere poteſt affectus peccati, & auerſio à Deo: non eſt autem dignus amicitia Dei, qui lubens & volens manet auerſus à Deo.

10. Loca autem Scripturæ in oppoſitum citata ſolùm probant, opera miſericordiæ in Scriptura commendari, non quòd ſola ſufficiant, ſed quòd per ſe cum alijs iuuent ad impetrandam miſericordiam apud Deum, iuxta illud Matth. 5. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Matth. 5. Nec ſolùm à Chriſto in iudicio ad æternam pœnam damnantur, qui omiſerunt opera miſericordiæ, ſed etiam qui alia peccata patrarunt, vt conſtat ad Galat. 5. vbi homines Galat. 5. à regno Dei excluduntur propter alia peccata. De ſolis autem operibus miſericordiæ Chriſtus mentionem fecit, vt hanc virtutem magis apud homines commendaret, tanquam ad genus humanum conſeruandum valde neceſſariam.

19. Secundum locum Matth. 6. explicat Auguſtinus præcitato libro 21. de ciuitate cap. 27. de remiſſione venialium. Matth. 6. Auguſtin. Sic enim ſcribit: *Nam etiam ipſa verba tanti Magiſtri & Domini noſtri vigilanter intuenda ſunt: non enim ait: Si dimiſeritis peccata hominibus, & Pater veſter dimittet vobis qualiacunq; peccata*, ſed ait, peccata veſtra. *Quotidianam quippe orationem docebat & iuſtificatis vtique Diſcipulis loquebatur. Quid eſt ergo*, peccata veſtra, *niſi peccata, ſine quibus nec vos eſtis, qui iuſtificati & ſanctificati eſtis? Vbi ergo illi, qui per hanc orationem occaſionem perpetrandorum quotidie ſcelerum quærunt, Dominum ſignificaſſe etiam magna peccata, quoniam non dixit, dimittet vobis peccata parua, ſed peccata veſtra? Ibi nos conſiderantes, qualibus loquebatur*, & audientes dictum, peccata veſtra, *nihil aliud debemus exiſtimare, quàm parua, quoniam taliū iam non erāt magna. Veruntamē nec ipſa magna, à quibus omnino mutatis in melius moribus recedendum eſt, dimittuntur orantibus, niſi fiat, quod ibi dicitur:* ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. *Si enim minima peccata, ſine quibus non eſt etiam vita iuſtorum, aliter non remittuntur: quantò magis multis & magnis criminibus inuoluti, etiamſi ea perpetrare iam deſinant, nullam Indulgentiam conſequuntur, ſi ad remittendum alijs, quod in eos quiſque peccauerit, inexorabiles fuerint: cùm dicat Dominus: Si autem non dimiſeritis hominibus peccata, neque Pater veſter dimittet vobis.* Hactenus Auguſtinus, qui expreſsè ſignificat, per citata verba intelligi tantùm venialia: Nec mortalia nobis dimitti per ſolam condonationem, qua nos peccata proximo dimittimus, niſi etiam moribus per pœnitentiam in melius mutatis.

20. Tertius locus Lucæ varias habet explicationes, Aliqui recentiores apud Maldonatum ex Græco legendum putant: Maldonat. *Datis Eleemoſynam*, indicatiuè, non imperatiuè. Quaſi diceret Chriſtus: cùm ſitis pleni rapina, ex rebus tamen malè acquiſitis aliquam Eleemoſinam facientes, ſatis vos putatis eſſe mundos. Verùm hæc expoſitio non cohæret ſubſequentibus verbis, quibus

Phariſæorum

Digitized by Google

Phariſæorum Eleemoſynas Chriſtus approbat, dum ait, illas non oportuiſſe omitti, ſed illis debuiſſe opera charitatis ſuperaddi. *Phila.* Theophylactus apud Maldonatum, ideo cenſet Eleemoſyna reliqua omnia opera mundari, quia Eleemoſyna eſt opus charitatis, quam qui habet, omnia ipſius opera munda ſunt. Sed contrà, tum quia, vt ex dictis conſtat, Eleemoſyna per ſe eſt opus miſericordię à charitate diſtinctę: tum quia ad ſummum erit opus charitatis erga proximum, quod non ſufficit ad iuſtificationem, ac proinde ad munda & condigna reddenda reliqua opera, nam adhoc requiritur charitas erga Deum. *donat.* Maldonatus putat, per hęc verba Chriſtum ſolùm ſignificare voluiſſe, meliorem eſſe Eleemoſynam, quàm quamcunque externam lotionem, quam ad ſeipſos mundandos frequenter adhibebant Phariſęi. Cęterùm *uſt. a.* Auguſtinus præcitatis locis, Beda, & reliqui Patres intelligunt, vt vidimus, de Eleemoſyna, quę includit miſericordiam erga ſeipſum, ac proinde quę non excludit reliqua opera charitatis ad perfectam miſericordiam erga ſeipſum neceſſaria.

21. Secvnda opinio cenſet, prędictos effectûs ab Eleemoſyna in anima largientis operari ex ſpeciali priuilegio Dei, ad inſtar quo illos operatur Martyrium. Hæc ſententia inſinuatur à *Bannez.* Bannez pręcitata q. art. 4. quam ipſe plus quàm temerariam appellat. Et meritò, ſi intelligatur de ipſa etiam remiſſione peccatorum: nam hęc extra Sacramenta remittere, eſt ſolius Dei charitatis opus. Nec eſt eadem ratio de Martyrio, cui ex Scripturis & Patribus conſtat, promiſſam eſſe peccatorum remiſſionem, ſi ſaltem cum ſupernaturali attritione ſit coniunctum, vt VII. Tomo diſp. 12. ſect. vlt. oſtendo: quam tamen peccatorum remiſſionem non conſtat promiſſam eſſe Eleemoſynæ. Nec obſtant Scripturæ & Patres, qui remiſſionem peccatorum Eleemoſynę tribuunt: nam id intelligunt per modum impetrationis, vt ex iiſdem Scripturis & Patribus colligitur, & ex infrà dicendis, magis conſtabit.

22. Tertia ſententia eſſe poteſt, ſaltem remiſſionem pœnę temporalis à condonatis peccatis relictę eſſe effectum, quem Eleemoſyna ex diuina promiſſione infallibiliter operatur in anima largientis. Hanc inſinuat *Marſilius.* Marſilius in 4. q. 11. art. 3. ad 2. argumentum ante 2. dubiũ: vbi docet, Eleemoſynam factam in peccato mortali, non prodeſſe ad meritum vitæ æternę, prodeſſe tamen ad conſecutionem bonorum temporalium, vel pœnę temporalis ſolutionem: tametſi hunc effectum hic author tribuat cuiuis operi bono: quin cenſet, huiuſmodi opera bona, etiam in peccato facta, valere ad mitigandas pœnas inferni. *Scotus.* Sequitur ex ſententia Scoti qui in 4. d. 15. q. 1. ar. 4. & alibi docet, quolibet opere ſatisfactorio, etiam extra charitatem facto, remitti pœnam temporalem à præteritis peccatis condonatis relictam: quin eam remitti putat per ſolam ſatiſpaſſionem: Vnde docet eam remitti in damnatis per ſatiſpaſſionem, quàm ibi patiuntur. Probari autem poſſet hęc ſententia iis Scripturę & Patrum teſtimoniis, quibus Eleemoſyna dicitur à peccatis liberare: nam ſaltem hoc verificari debet de remiſſione pœnarum, quę ex condonatis peccatis relictæ ſunt. Cùm enim hę ſint reliquię peccatorum, Eleemoſyna eas remittens, dici poteſt peccata remittere. Vnde Cyprianus Ser. 1. de Eleemoſyna, Ambroſius Serm. 31. de eadem, & Leo Serm. 2. de collectis illã comparant Baptiſmo. *Cyprianus. Ambroſius. Leo.* *Sicut*, inquit, *Cyprianus lauacro aquæ ſalutaris gehennæ ignis extinguitur, ita Eleemoſynis & operibus iuſtis delictorum flamma ſopitur. Eleemoſina*, ait Ambroſius, *extinguit peccata, ſicut aqua Baptiſmi gehennæ extinguit incendium.* Ergo concludit glorioſus hic Doctor, *Eleemoſyna quodammodo animarum alind eſt lauacrum, vt ſi quis fortè poſt Baptiſmum humana fragilitate deliquerit, ſuperſit ei, vt iterum Eleemoſynis emundetur:* quin ipſi baptiſmo illam pręfert: ſic enim ſubdit: *niſi quod ſalua fide dixerim, indulgentior eſt Eleemoſyna, quàm lauacrum: lauacrum enim ſemel*, inquit, *datur, & ſemel veniam pollicetur: Eleemoſynam autem quoties feceris, toties veniam promereris.* Vnde vtrũque miſericordię fontem nuncupat. Demum Leo: *Scientes*, inquit, *Leo.* *præter illud regenerationis lauacrum, in quo vniuerſarum abluta ſunt maculæ peccatorum, hoc remedium infirmitati humanæ diuinitùs eſſe donatum, vt ſi quid culparum in hac terrena habitatione contrahitur, Eleemoſynis deleatur.* Nec obſtat, quòd qui Eleemoſinam facit, ſit in peccato: quoniam vt in VII. & VIII. Tomo oſtendam, peccator eſt capax remiſſionis pœnę temporalis

23. Hęc ſententia ſua probabilitate non caret, ob tot Scripturarum, & Patrum authoritates, quę plus aliquid videntur Eleemoſynæ tribuere, quàm reliquis bonis operibus: cùm igitur hoc intelligi non poſſit de ipſa remiſſione peccatorum, intelligi ſaltem debet de remiſſione pœnarum à condonatis peccatis relictarum, quas ex ſpeciali priuilegio Eleemoſyna remittit, idque in commendationem huius virtutis, vt ad eam exercendam animentur mortales, tanquam ad opus humano generi apprimè neceſſarium. Iuxta quam ſententiam explicari poteſt authoritas Cypriani, Ambroſij, & Leonis: *Cypriani Ambroſii Leo.* vt allata comparatio Eleemoſinę cum Baptiſmo ſolùm intelligatur quoad remiſſionem pœnę temporalis ex peccatis remiſſis relictæ, non quoad ipſam peccatorum remiſſionem, vt ex ipſorum verbis facilè colligitur: nam & Cyprianus hanc virtutem non ſoli tribuit Eleemoſynæ, ſed reliquis etiam operibus iuſtitię, quamuis reliqua opera iuſtitiæ in peccato facta, hoc priuilegium non habeant remittendi peccatori pœnas temporales relictas ex præteritis peccatis condonatis: & Ambroſius non ſimpliciter, ſed quodammodo, vt ipſe ait, Eleemoſynam comparat Baptiſmo. Præfert autem illam Baptiſmo: quoniam hæc iterari poteſt, non autem baptiſmus, vt ipſemet ſe explicat.

explicat. De eadem temporalis pœnæ remiſſione explicari poteſt iuxta hanc ſententiam B. Leo.

24 QVARTA igitur & communis Theologorum ſententia docet, huiuſmodi ſpirituales effectus per Eleemoſynam operari diſpoſitiuè, quatenus peccatorem diſponit, non quidem infallibiliter, vt contritio, aut obedientialis dilectio Dei; ſed vt plurimum, quatenus de congruo impetrat à Deo auxilia, quibus peccator paulatim ſe diſponat, vel ad actus contritionis, & dilectionis Dei, quibus etiam extra Sacramenta iuſtificetur, vel ad aliquod Sacramentum mortuorum recipiendum. *S. Thomas.* Ita S. Thomas in 4. diſt. 15. q. 2. art. 2. & reliqui ferè Scholaſtici.

25. Probatur hæc communis ſententia quoad ſingulas ſuas partes. Et primò, quod aliquo modo hos effectus operetur Eleemoſyna, ſatis efficaciter oſtendunt citatæ authoritates Scripturæ & Patrum. Quòd verò tantùm diſpoſitiuè, & non formaliter, patet: quoniam Eleemoſyna non eſt ipſa forma remiſſiua peccatorum: hanc enim vim in puro homine viatore habet ſola gratia habitualis, vt in præcedente Tomo oſtendi. Quod non infallibiliter, conſtat tum experientia multorum, qui etiamſi largas fecerint Eleemoſynas, quia tamen prauos mores in meliùs non mutarunt, iuſtificationem conſecuti non ſunt: tum quia hoc eſt opus ſolius contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia, qui tantùm actus extra Sacramenta vim habent peccatorem perfectè conuertendi ad Deum. Vnde eædem Scripturæ ac Patres, qui Eleemoſinæ peccatorum remiſſionem tribuunt, reliqua opera non excludunt, vt ſuprà vidimus in confutatione primi erroris.

Cyprianus. 26. Quare Cyprianus de lapſis ad finem, iuſtificationem, quam alibi Eleemoſynæ tribuerat, tribuit Pœnitentiæ: *Si precem*, inquit, *toto corde quis faciat, ſi veris pœnitentiæ lamentationibus, & lacrymis ingemiſcat ſi ad veniam delicti ſui Dominum iuſtis & continuis operibus inflectat, miſereri talium poteſt, qui & miſericordiam ſuam protulit dicens: Cum conuerſus ingemueris, tunc ſaluaberis* &c. *Ambroſius.* Ambroſius ſcribens ad virginem lapſam, non aliunde docet, illam ſui criminis veniam ſperare debere, quàm ex virtute pœnitentiæ, quam ſolam ait eſſe neceſſariam: *ſolum & vnicum*, inquit, cap. 8. *tentandum eſt remedium, illud quod diuina vox per Ezechielem miſeris porrigit: Pœnitudo enim neceſſaria eſt, ſicut vulneratis ſunt neceſſaria medicamina.* Et infrà: *Nec aliud remedium*, inquit, *conſtitutum eſſe poſt Baptiſmum, quàm Pœnitentiæ ſolatium.* *Baſilius.* Baſilius in regulis breuioribus interrogatione 271. vbi cùm iuxta Chriſti verba docuiſſet, Eleemoſyna peccata mundari, ita concludit: *Non quod per ſe iſta ad mundationem ſufficiant, cùm principaliter opus ſit miſericordia Dei, & ſanguine Chriſti, in quo & aliorum omnium redemptionem habemus, ſi in vnoquoque dignos reſipiſcentiæ fructus fecerimus.* *Auguſt.* Auguſtinus in Enchiridio cap. 75. & 77. fruſtra ait, ſibi de ſalute blandiri, qui largas faciunt Eleemoſynas, & per opera pœnitentiæ animæ ſuæ non miſerentur.

27. Ex his conſtat, quam falsò aliqui docuerint, omnes, qui Eleemoſynas faciunt, infallibiliter iuſtificationem conſecuturos. Verùm, quòd ſaltem vt plurimum eam conſecuturi ſint, ſi impedimentum non opponant, ſuadent citatæ authoritates, cùm non alio modo poſſint iuxta hanc communem Doctorum ſententiam, recenſiti effectus Eleemoſynæ tribui, quàm quòd ex diuina promiſſione plerumque qui Eleemoſynas faciunt, ſint à Deo illuminandi, vt tandem à peccatis reſipiſcant, & dignos faciant pœnitentiæ fructus: idque ex ſingulari affectu, quo Deus, ob publicam hominum vtilitatem Eleemoſynæ opera præ alijs, quæ peccatorem non iuſtificant, proſequitur, iuxta illud Oſeæ 6. & Matth. 9. *Miſericordiam volo non ſacrificium* *Oſe. 6. Matth. 9.* Quod non obſcurè colligitur ex illis verbis, quæ Cornelio Centurioni dixit Angelus Act. 10 *Orationes tuæ, & Eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei.* *Act. 10.* Quibus verbis videtur Deus ſingulariter motus fuiſſe ad Cornelium iuſtificandum, propter ipſius Eleemoſynas orationi coniunctas. Quod etiam indicauit Chriſtus Matth. 5. illis verbis: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*: *Matth. 5.* quibus ſpecialiter ſuam miſericordiam promittit illam exercentibus cum proximo ſuo.

SECTIO III.

An, & quo iure eroganda ſit Eleemoſyna?

28. NOmine Eleemoſynæ hic intelligimus quodlibet opus miſericordiæ, ſiue corporale, ſiue ſpirituale. Eſt enim Eleemoſyna nomen deriuatum à verbo Græco ἐλεέω, quod Latinè miſereor ſignificat. Hac igitur nominis notione poſita.

29 Quoad primùm de fide eſt, Eleemoſynam eſſe ſub præcepto ex natura ſua ad mortale obligante. conſtat ex Matth. 25. *Matth. 25.* vbi ex ſententia Chriſti iudicis ad æternum ignem damnantur, qui in hac vita omiſerunt exercere opera miſericordiæ: *Eſuriui enim*, inquit Chriſtus, *& non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non dediſtis mihi potum* &c. Nemo autem pœnam æternam ignis meretur, niſi propter peccatum mortale. Igitur omittere Eleemoſynā, aliquando eſt mortale, adeoque eius largitio aliquando obligat ad mortale.

30. Quoad ſecundum: Eleemoſyna eſt ſub triplici præcepto, diuino, humano, & naturali. De diuino conſtat tū citato loco Mat. 25. tū Deut. 15. *Præcipio tibi*, inquit Deus, *vt aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum verſatur in terra.* *Deut. 15.* Et Eccleſiaſtici 4. *Eccleſ. 4.*

Eleemoſynam

Digitized by Google

Eleemoſynam pauperis ne defraudes. Quam pauperis Eleemoſynam infrà appellat debitum: *Redde*, inquit, *debitum tuum.* Quòd autem hoc præceptum natura ſua obliget ſub mortali, apertè colligitur tum ex citato teſtimonio Matth. tum ex prima canonica *Ioannis 3* Ioannis 3 *qui habuerit*, inquit, *ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Atqui ſolum peccatum mortale charitatem Dei tollit: ergo.

31. Quòd ſit ſub præcepto humano colligitur tum ex prima ad Timotheum 6. *1. Tim. 6.* *Diuitibus*, inquit Apoſtolus, *huius ſaculi pracipe, facilè tribuere, communicare &c.* tum ex collectis, quas Apoſtoli inſtituerunt ad pauperes ſuſtentandos, quarum mentionem facit Paulus primæ ad Corinth. 16. *1. Cor. 16.* *De collectis autem*, inquit, *qua fiunt in ſanctos, ſicut ordinaui Eccleſijs Galatia, ita & vos facite:* tum ex Concilio Turonenſi II. cap. 2. *Concilium Turonenſe.* vbi ſtatuitur, *vt vnaquaque ciuitas pauperes & egenos incolas alimentis competentibus paſcat ſecundùm vires:* tum ex cap. *Fratrem noſtrum* diſt. 86. *Gregorius.* vbi Gregorius ſcribit Epiſcopo Deſiderio, vt Marianum qui ex monacho factus fuerat Epiſcopus, moneat, vt Eleemoſynas pauperibus largiatur: tum ex cap. *paſce* eadem diſt. *Paſce*, inquit, *fame morientem: quiſquis enim paſcendo hominem ſeruare poteris; ſi non paueris, fame occidiſti.*

32. Naturale verò præceptum Eleemoſynæ euidenter indicat ratio ipſa naturalis, quæ in periculo mortis, vel alicuius grauis morbi, aut notabilis mali iuuandum proximum dictat, quando ſine periculo eiuſdem mali iuuari à nobis poteſt. Fundatur autem hoc naturale dictamen in conſeruatione naturæ humanę, ad quā conſeruandam omnes tenentur. Ex quo originem ducunt vniuerſaliſſima illa principia: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris:* &, *Quod vis vt tibi fiat, alteri facias.* Confirmatur, nam omnia hæc temporalia condita ſunt propter hominis conſeruationem: igitur conſeruatio vitæ hominis præferenda eſt bonis temporalibus: ergo vrgente caſu, in quo vita proximi periclitatur, iuuanda eſt ac ſubleuanda bonis temporalibus.

33. Eandem veritatem confirmant Patres, qui frequenter docent, Eleemoſynam eſſe ſub præcepto. *Baſilius.* Baſilius Serm. contra diuites auaros, poſtquam Eleemoſynam appellauit *præceptum & mandatum manifeſtum*, & auaros, qui Eleemoſynam non erogant egeſtatem patientibus, fures alienorumque raptores, ſermonem his verbis concludit: *Eſurientis eſt panis, quem tu retines: nudi eſt veſtis, quam in arca cuſtodis, diſcalceati calceus, qui apud te marceſſit: egentis argentum, quod tu in terram fodis. Denique tot affers iniurias hominibus, quot deſeris, cùm iuuare poſſis.* *Chryſoſt.* Chryſoſtomus Homil. 4. in ſecundum caput ad Epheſ. docet, huius præcepti trangreſſoribus præparatum eſſe ignem ęternum: ſic enim concludit: *Magnitudo itaque peccati huius, cum diabolo gehennam ingredi facit. Va ſiquidem Eleemoſinam non facienti: nam ſi in veteri*, inquit, *iſtud teſtamento fuit*, (intellige præceptum) *multo magis in nouo, vbi omnia proijcere iubemur.* & Homil. 6. in ſecundam ad Timotheum, non propter aliud ait damnatas fuiſſe fatuas illas virgines, Matth. 25. quàm propter defectum miſericordię: *non*, inquit, *virginibus inceſtus, non adulterij, non inuidia, non liuoris, non ebrietatis, non infidelitatis, aut peruerſa fidei crimen inuritur, ſed olei tantùm defectus, quia ſcilicet miſericordiam non exercuerant: id quippe ſignificat oleum.* Propter eundem defectum, *ſuprema damnationis*, inquit, *ſententiam luent, quibus dicitur: Diſcedite maledicti in ignem aternum.* Vnde concludit: *Vides certè, vt Eleemoſyna, ſola neglecta, gehenna ignibus tradat?* Ambroſius lib. de Nabute Iezraëlita cap. 12. *Ambroſius* *Non de tuo*, inquit, *largiris pauperi, ſed de ſuo reddis.* Et paulò poſt: *Debitum*, inquit, *reddis, non largiris indebitum.* Vbi multa de Eleemoſyna ſcitu digna. Hieronymus ad Hedibiam quæſt. 1. *Hieron.* *Si plus*, inquit, *habes, quàm tibi ad tuum victum veſtitumque neceſſarium eſt, illud eroga, & in illo debitricem eſſe te noueris.* Auguſtinus in Pſal. 147. *Auguſt.* in illa verba: *Quoniam confortauit vectes*, vt ipſe legit, *portarum tuarum*: ita ſcribit: *ſuperflua diuitum, neceſſaria ſunt pauperum. Res aliena poſſidentur, cùm ſuperflua poſſidentur:* quoniam ex pręcepto Dei, vt ibidem teſtatur, ea tenemur pauperibus erogare. B. Leo Serm. *Leo.* 2. de collectis Eleemoſinam appellat *familiare mandatum:* & Serm. 5. in fine: *Apoſtolicum inſtitutum:* & Serm. 4. ait, Eleemoſynam eſſe pretium regni cœleſtis, ſine qua, vt Serm. 5. docet, nulla virtus prodeſſe poteſt: cuius vel vnius neglectus homines collocat à ſiniſtris æterni Iudicis, eoſque addicit perpetuę morti. Idem paſſim docent reliqui Patres, quos longum eſſet ſingillatim referre.

34. Cæterùm hoc præceptum aliqui referunt ad ſeptimum Decalogi: *Non furaberis:* quoniam, vt ex Patribus vidimus, quoddam genus furti videtur, non ſuccurrere neceſſitatem patientibus: S. Thomas verò ſecunda ſecundę q. 32. prænotata art. 5. ad 4. & in 4. diſt. 15. q. 2. art. 1. ad quartam quęſt. & alij ad quartum pręceptum, *Honora Parentes: eò quòd*, inquit S. Thomas, *omnis ſubuentio pro-* *S. Thomas* *ximi reducitur ad praceptum de honoratione Parentum:* quoniam ex Apoſtolo prima ad Timot. 4. *1. Tim. 4.* *Pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vita, qua nunc eſt, & futura.* Sub pietate autem comprehenditur Eleemoſynę largitio.

Digitized by Google

SECTIO IV.

Quando præceptum Eleemoſynæ obliget?

35. DVo pręſupponit hoc pręceptum, vt obliget, facultatem in dante, & neceſſitatem in recipiente: alterutra enim ſublata, nequit hoc præceptum obligare, cùm nec obligari poſſimus ad id, quod præſtare non poſſumus, nec obiecto miſericordię ſublato, quę eſt miſeria, in proximi neceſſitate fundata, miſericordiæ actum exercere valeamus. Triplex autem diſtinguitur neceſſitas in proximo, extrema, grauis, & communis. Extrema eſt, cùm vita, honor, ſtatus, aut quodcunque aliud maximum proximi bonum manifeſtè periclitatur. Grauis eſt, vel cùm tantùm probabiliter hęc proximi bona periclitantur, vel periculum non eſt de maximo proximi bono, ſed de aliquo dumtaxat notabili. Communis eſt, quam communiter pauperes patiuntur. Facultas verò donandi, cùm fundetur in bonis donantis, diſtinguenda erit iuxta varietatem bonorum ipſius donantis. Porrò bona donantis aut ſunt neceſſaria naturę, aut perſonę, aut neutri. Neceſſaria naturę ſunt ea, ſine quibus propria ipſius, ſuorumque vita ſuſtentari non poteſt. Neceſſaria perſonæ ſunt, quæ ad perſonæ ſeu ſtatus dignitatem conſeruandam requiruntur. Superflua vtrique ſunt, ſine quibus tam natura, quàm perſonæ dignitas conſeruari poteſt. His prædeclaratis, vt certa ab incertis ſeiungamus, & in quo punctum difficultatis conſiſtat, aperiamus.

36. Certum primò eſt, neminem teneri ad Eleemoſynam, etiam extremè indigenti erogandam de bonis ad ſuam, ſuorumque vitam ſuſtentandam neceſſarijs, niſi is, qui extremè indiget, ſit perſona publica. Hoc ſecundum conſtat, cùm ſemper publicum bonum præferendum ſit priuato. Quod intelligendum eſt de bono eiuſdem rationis: nam ſi bonum publicum, quod periclitatur, ſit bonum temporale, vel fortunæ, malum verò, quod priuata perſona ſubueniendo bono publico incurrit, ſit æternum, vel vitæ, non tenetur. Quoniam eadem charitas, quæ dictat, bonum commune præferendum eſſe priuato, ſimul dictat, bonum proprium altioris ordinis non eſſe periculo exponendum propter bonum commune inferioris ordinis. Primum probatur: quoniam præceptum de eroganda Eleemoſyna extremè indigenti fundatur in præcepto charitatis: hæc autem per prius ac magis obligat erga ſe, ſuóſque, quàm erga alios, vt ex ſuprà diſputatis conſtat: ergo in caſu, quo quis æquè extremè ipſe, ac ſui indigent, non tenetur alteri cum periculo ſui, ſuorumque ſuccurrere. Dixi *æquè extremè*: in quo caſu nulla eſt difficultas: an autem ſi ipſe, vel ſui grauiter tantùm egeant, teneatur ſuccurrere extremè indigenti, diſtinctione opus eſt. Nam vel hæc grauis neceſſitas eſt de probabili periculo vitæ ſuæ, aut ſuorum, aut deiectionis è ſublimi ſtatu nunquam recuperando, vel de amiſſione alicuius alterius notabilis boni. Si ſit tantùm grauis poſterioris generis, abſque dubio tenetur, etiam cum amiſſione talis boni, extremè indigenti ſuccurrere. Si ſit neceſſitas prioris generis, pendet ex vniuerſalibus regulis ſuprà aſſignatis de ordine charitatis: an euidens malum proximi ſit propulſandum cum probabili periculo proprij. In quo diligenter expendenda eſt probabilitas periculi, & qualitas mali, cui ego me expono, extremè indigenti ſuccurrendo. Nam tanta poteſt eſſe probabilitas, & exceſſus mali, cui ego me expono, vt non tenear cum tanto periculo proximo extremè indigenti ſuccurrere. Dixi, *vt non tenear:* nam an licitè poſſim, etiam cum euidenti periculo propriæ vitæ, priuatæ perſonæ extremè indigenti ſuccurrere, pendet ex illa quæſtione: an poſſit quis propriam vitam licitè exponere pro vita alterius, quam quæſtionem reſoluimus in prædicta diſp. de ordine charitatis.

37. Certum eſt ſecundò, omnes teneri de ſuperfluis naturę & perſonæ extremè indigēti ſubuenire: nam ſi in aliquo caſu hoc præceptum obligat, in hoc caſu obligat, in quo & ex parte recipientis eſt extrema neceſſitas, & ex parte dantis ſumma facultas cum nullo periculo dantis naturę, aut ſtatus.

38. Certum eſt tertiò, ſuccurrendum eſſe etiam de ſuperfluis naturæ, quando & proximus eſt in euidenti periculo mortis, & per talem Eleemoſinæ largitionem ſtatus largientis non patitur notabiliter. Nam tunc charitas obligat, præferendum eſſe maximum bonum proximi, cuiuſmodi eſt ipſius vita, alicui minori bono proprio, qualis eſt aliqua parua diminutio proprij ſtatus.

39. Certum eſt quartò, neminem teneri, neque de ſuperfluis ſtatus, ſaltem ſub mortali, ſingulis pauperibus communem neceſſitatem patientibus ſubuenire. Eſſet enim nimis graue pręceptum, ſi ſingulis pauperibus Eleemoſynam petentibus quis teneretur Eleemoſynam erogare. Dixi *ſingulis:* nam an ſaltem ſit præceptum de eroganda Eleemoſyna huiuſmodi pauperibus in communi, vt ſaltem illa aliquibus aliquando eroganda ſit, res eſt ſub controuerſia, de qua mox.

40. Tres igitur remanent ſub controuerſia difficultates. Prima: An ſuccurrendum ſit proximo graui tantùm neceſſitate preſſo, & quibus ex bonis. Secunda: an extremè indigenti ſubueniendum ſit etiam cum amiſſione proprij ſtatus. Tertia: An ſit præceptum ad mortale obligans faciendi Eleemoſynam de ſuperfluis ſtatus, eſto nulla ſit neceſſitas extrema, vel grauis proximi.

41. Quoad primam difficultatem, negant Alenſis 4. p. q. penult. memb. 1. Gabriel in 4. diſt. 16. q. 4. art. 2. pręceptum Eleemoſynæ obligare ſaltem ad mortale, extra neceſſitatem extremam, quę eſt, cū proximus eſt in periculo vitę. Dubitāt Durandus in 4. diſt. 15. quæſt. 6. *Alenſis.* *Gabriel.* *Durandus.*

Antoninus. quæſt. 6. Antonius 2. p. tit. 1. cap. 24. §. quarto. Affirmant verò reliqui Theologi tum in 4. diſt. 15. tum ſecunda ſecundæ quæſt. 32. Ioannes Medina. Nauarrus. Toletus. & Caſiſtæ verbo *Eleemoſina*, nec non Ioannes Medina Codice de Eleemoſyna quæſt. 3. Nauarrus in ſua Summa cap. 24. num. 9. Toletus lib. 7. de ſeptem peccatis mortalibus S. Thomas. cap. 35. S. Thomas varius eſt in hac materia: nam in Summa quæſt. 32. citata, art. 5. videtur ad primam ſententiam inclinare: docet enim, vt Eleemoſinæ præceptum obliget, duo requiri, & ſuperfluum ex parte dantis, & extremam neceſſitatem ex parte recipientis: vnde in fine corporis concludit: *Sic ergo dare Eleemoſynam de ſuperfluo eſt in præcepto: & dare Eleemoſynam ei, qui eſt in extrema neceſſitate. Alias autem Eleemoſynas dare eſt in Concilio.* In 4. verò diſt. 15. quæſt. 2. art. 1. ad vltimam quæſtionem, & Quodlibeto 8. quæſt. 6. art. 12. communem ſententiam affirmantem docet. Pro cuius difficultatis ſolutione,

42. Dicendum eſt, ſub præcepto ad mortale obligante ſubueniendum eſſe proximo graui neceſſitate preſſo de ſuperfluis perſonæ. Matth. 25. Aſſertio colligitur 1. ex Matth. 25. vbi Chriſtus propter tranſgreſſionem huius præcepti, homines damnat ad pœnam æternam: non eſt autem probabile, à Chriſto ſolùm damnari ob tranſgreſſionem de non ſubueniendo extremè indigentibus: nam cùm hæc extrema neceſſitas aut nunquam, aut rariſſimè contingat, nulli, aut pauciſſimi propter illius tranſgreſſionem damnantur, cùm tamen ex ſententia Chriſti multi ob trangreſſionem huius præcepti ſint damnandi. Ad quam multitudinem inſinuandam nullius alterius peccati, quàm huius Chriſtus mentionem facit. Secundò colligitur 1. Ioan. 3. ex illis verbis primę Ioannis 3. *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Atqui non ſolùm cenſetur neceſſitatem habere, qui extrema, ſed etiam qui graui premitur neceſſitate. Tertiò, eam manifeſtè indicant Patres, qui ad Eleemoſynam erogandam ſolùm exigunt ſuperfluum in dante, & neceſſitatem in recipiente, iuxta illud Luc. 11. Lucæ 11. *Quod ſupereſt, date Eleemoſynam.*

43. Eadem aſſertio probatur ratione: quoniam non ſolùm ex charitate tenemur ſubuenire proximo in euidenti, ſed etiam in dubio periculo vitæ: nec tantùm in bonis animi & corporis, ſed etiam fortunæ, honoris, famæ, ſtatus, cæterorumque temporalium bonorum, quando ſine magno noſtro incommodo id facere poſſumus. Atqui hoc ipſo, quòd abundamus ſuperfluis naturæ & perſonę, ſine magno noſtro incommodo poſſumus noſtrum proximum in huiuſmodi bonis iuuare: nam quæ ſunt ſuperflua naturæ & perſonæ, neque ſunt neceſſaria ad ſuſtentationem vitæ, neque ad conſeruationem ſtatus & dignitatis: igitur lege charitatis tenemur ea impendere ad ſubleuandam grauem neceſſitatem proximi. Et ſanè de ſuperfluis perſonæ ſeu ſtatus, res videtur manifeſta, nos ex pręcepto teneri ad ea impendenda etiam in graui neceſſitate proximi, ſiue hæc neceſſitas conſiſtat in malis animi, vel corporis ſub dubio tantùm incurrendis, ſiue in reliquis damnis fortunæ. Atque in hoc ſenſu meritò Suarez diſput. 7. Suarez. de præcepto Eleemoſynæ ſect. 3. num. 6. in fine, oppoſitam ſententiam appellat practicè improbabilem, nec ſecuram in conſcientia.

44. Maior difficultas eſt, an etiam ſub præcepto teneamur, hanc grauem neceſſitatem proximi ſubleuare ex ſuperfluis tantùm naturæ, neceſſarijs tamen ad ſtatus conſeruationem. In quo caſu perpendendę ſunt circumſtantiæ, & comparandum damnum, quod ego in dignitate perſonæ & ſtatus patior cum damno, quod paſſurus eſt proximus, ſi graui neceſſitate preſſus à me non iuuetur. Nam ſi æquale vtriuſque eſt damnum, vel etiam paulò maius ex parte proximi neceſſitatem patientis, non teneor tunc ex ſuperfluis naturæ cum æquali meo damno illi ſubuenire: cùm ordinata charitas dictet, in æquali damno mihi potiùs, quàm alteri ſubueniendum eſſe. Si verò damnum, quod paſſurus eſt proximus, ſi à me non iuuetur ſit longè maius, vel altioris ordinis, velut magnæ famæ & honoris, meum autem pecuniæ, nec in magna quantitate, tunc cenſeo hominem obligari, etiam de ſuperfluis naturæ proximo ſubuenire: nam ſi lege charitatis tenemur pro tuenda vita proximi bona inferioris ordinis impendere: ex eadem charitatis lege tenebimur pro fama & honore eiuſdem conſeruando minora bona impendere: niſi fortè hęc ipſa inferiora bona ſint neceſſaria ad meam, meorumque famam honoremve conſeruandum, ſiue pro præſenti, ſiue pro futuro: hæc enim omnia conſideranda ſunt.

45. Cæterùm ad ſcrupulos tollendos notant communiter Doctores primò nos non teneri huiuſmodi egenos inquirere, vt cum S. Thoma ſecunda ſecundę quæſt. 33. S. Thomas. art. 2. ad 4. docent reliqui Theologi, niſi fortè id nobis ex aliquo officio incumbat, vti incumbit Prælatis erga ſuos ſubditos, & ijs, qui conſtituti ſunt diſpenſatores in Eleemoſynis erogandis: ſed ſatis fuerit, eos iuuare, qui nobis occurrunt, & probabilia ſigna ſuæ neceſſitatis oſtendunt, nec vllus ſit alius, qui probabiliter ſit opem laturus. Nec refert, quòd talis habeat conſanguineos diuites, qui poſſint, & debeant illi ſuccurrere: nam ſi mihi certò conſtat, illum à nemine fore iuuandum, etiamſi arctiori vinculo debeat ab alijs iuuari, ex charitate teneor, ei ſuccurrere: ſicut teneor ei ſuccurrere in extrema neceſſitate conſtituto, eſto habeat alios, qui ſtrictiori iure tenentur illi ſuccurrere, ſi mihi certò conſtet, à nemine fore iuuandum. Nec eſt neceſſe, vt talis actu à me petat, ſed ſufficit, vt quacunque probabili via mihi

Digitized by Google

nota ſit ipſius neceſſitas.

46. Secundò notant, vt hęc neceſſitas ſiue grauis, ſiue extrema obliget, eam non debere oriri ex praua aliqua voluntate. Non enim teneor dare centum aureos ei, qui vult ſe occidere, niſi ei dem centum aureos; vel qui ex auaritia non vult neceſſaria medicamenta pro graui ſua infirmitate coemere: cùm hæc non ſit neceſſitas, ſed prauitas, quę non debet homini ſuffragari. Diſtinguit tamen Suarez diſput. 7. de præcepto Eleemoſynę ſect. 1. num. 7. niſi hic prauus affectus originem ducat ex vehementi aliqua paſſione: quia tunc moraliter cenſetur eſſe in neceſſitate: ſicut eſſet in neceſſitate is, qui ex inſania ſiue amentia hoc faceret. Huiuſmodi enim affectus in vehementi paſſione fundati ſunt quędam inchoata amentia: nam ſicut hæc conſiſtit in lęſione organorum, ita illi in turbatione & confuſione eorundem, quę turbatio & confuſio non ſinit hominem rectè diſcurrere, proinde illum conſtituit in aliqua neceſſitate, cùm homo non ſit perfectè liber ad huiuſmodi paſſionem ſuperandam.

Suarez.

47. Tertiò notant, vt tenear cum aliquo meo damno extremæ, vel graui neceſſitati proximi ſuccurrere, debere me eſſe probabiliter ſaltem certum, per talem actum miſericordiæ efficaciter proximum fore iuuandum: alioqui ſi non ſit ſpes, me tali actu ipſius neceſſitati ſubuenturum, non teneor cum meo damno illi ſubuenire.

48. Quartò notant, nos teneri ad ſuccurrendum proximo de ſuperfluis naturæ & perſonæ, ne ſuam famam, vel ſtatum amittat, non autem quando famam vel ſtatum amiſit: quia tunc non tenemur, vt bene aduertit Vaſquez opuſc. de Eleemoſyna, cap. 1. dub. 3. niſi fortè iniuſtè detineatur in tali ſtatu infamationis & dehonorationis, & per noſtram opem poſſit ſuam famam & honorem recuperare: quia tunc ius retinet ad ſuum honorem recuperandum: ac proinde ex charitate teneor, ſi abſque ęquali meo damno proximum iuuare poſſum ad illum recuperandum: ſecus verò ſi vel omnino famam & honorem amiſit, vel iuſtè in tali ſtatu infamationis & dehonorationis detineretur.

Vaſquez.

49. *Obijcies* 1. Iuxta hanc ſententiam plurimi diuites, qui huiuſmodi neceſſitatibus proximi non ſuccurrunt, damnarentur, quod videtur durum. Secundò. Non tenemur ſuccurrere nobis, niſi in extrema neceſſitate: ergo nec proximo, cùm magis teneamur ſuccurrere nobis, quàm proximo. Antecedens conſtat, quia poſſumus nobis permittere aliquod graue damnum in fama, honore, aut bonis fortunę: ergo idem permittere poſſumus proximo, ei non ſuccurrendo.

50. Reſpondeo ad primum. Si hoc videtur durum, quia eſt difficile ſeruatu, audiant Chriſtum Marci 10. & Lucę 18. *Facilius eſt, Camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in Regnum Dei.* Nec propterea poſſunt iuſtè expoſtulare, quippe qui ea conditione à ſummo conditore Deo hæc bona acceperunt, vt in extremis & grauibus neceſſitatibus eſſent omnibus communia. *Si* verò durum videtur, quòd ſine ſufficienti fundamento id aſſeratur, præiudicium facit, qui hoc dicit, tot ſacræ Scripturæ oraculis, & ſanctorum Patrum teſtimonijs, qui id, vt oſtendimus, manifeſtè docent.

Marci 10. *Luc.* 18.

51. Ad ſecundum negatur conſequentia: etenim cùm homo ſit perfectus Dominus ſuorum bonorum, famæ & fortunæ, poteſt abſque peccato permittere aliquod damnum in his ſibi inferri: cùm autem non ſit dominus bonorum proximi, non poteſt abſque peccato in graui neceſſitate permittere, vt proximus notabile aliquod damnum in ijs patiatur. Sicut poſſum permittere, vt mea domus comburatur, quia ſum dominus illius: non poſſum autem permittere, vt domus proximi comburatur, illi non ſuccurrendo, dum poſſum, quia illius dominus non ſum.

52. Quoad ſecundam difficultatem nonnulli affirmant, ſuccurrendum eſſe proximo extremè indigenti, etiam cum amiſſione ſtatus, cùm ſemper vita proximi præferenda ſit quibuſcunque bonis fortunæ, vtpote altioris ordinis. Alij, inter quos Emmanuel Sà verbo *Eleemoſyna* 5. Coninck diſput. 27. dub. 8. concl. 4. & 6. id negant. Quæ ſententia *longè probabilior eſt*: quia nemo tenetur cum tanto ſui damno vitam proximi ſeruare: cùm nec teneatur propriam vitam cum amiſſione ſui ſtatus tueri: cùm longè grauius ſit homini, miſeram ducere vitam cum ſui ſtatus deiectione, quàm, integro ſtatu manente, mortalem hanc vitam finire. Confirmatur, quia licet vita comparata cum diuitijs ſecundùm ſe ac phyſicè conſiderata ſit bonum altioris ordinis; moraliter tamen, & ſecundùm æſtimationem hominum, quatenus hæ ſunt cauſa magni ſplendoris, honoris, & nominis in poſteros propagandi, pluris æſtimantur, quàm vita ipſa, quæ breui annorum circulo clauditur. Ex quo colligit citato loco Coninck, non teneri diuitem vel pro vita captiui redimenda, magnam pecuniæ ſummam expendere, vel pro infirmo ſanando exquiſitos medicos, medicinaſque exquirere cum notabili pecuniæ ſumptu.

Emmanuel Sà. *Coninck.* *Coninck.*

53. Quoad tertiam difficultatem: Prima ſententia affirmat: Ita Caietanus ſecunda ſecundę quæſt. 32. art. 5. & in ſumma verbo *Eleemoſyna* & Tomo II. tract. 5. de præcepto Eleemoſynæ, vbi docet, iure naturę vnumquemque teneri, quæ ſuę naturę & ſtatui ſuperfluunt, erogare pauperibus communem neceſſitatem patientibus, non determinatè, his, aut illis, ſed quibus ipſe pro ſuo arbitrio iudicauerit eroganda: vnde docet, ſolùm extremè indigenti nos teneri ad erogãdam Eleemoſynam determinatè ex ſuperfluis etiam naturæ. Quare duplicem hic

Caietanus.

author

author aſſignat huius præcepti radicem; Alteram ex parte recipientis, quæ eſt extrema neceſſitas obligans omnes etiam de ſuperfluis naturæ: Alteram ex parte dantis, quę eſt ſuperfluitas naturæ & ſtatus. Ne autem videatur multos diuites, qui & naturæ, & ſtatus ſuperfluis abundantes, ea pauperibus non diſpenſant, damnare, docet ſtatum vniuſcuiuſque nō cōſiſtere in indiuiſibili, ſed habere latitudinem, ſpectatis omnibus, quæ ad ſtatus ſplendorem & dignitatem non modò conſeruandam, ſed etiam augendam concurrunt, vel concurrere poſſunt. Vnde quę fortè præſenti ſtatui cenſerentur ſuperflua, non cenſebūtur ſuperflua pro futuro ſtatu digniori, ad quem licitum eſt vnicuique aſcendere. Spectanda eſt etiam proles, & familia futura, nec non caſus, qui probabiliter humanitùs accidere poſſunt, cæteraque omnia, quæ pręſentem ſtatum poſſunt mutare.

Bannez. 54. Eandem ſententiam ſequuntur Bannez ſecunda ſecundę quęſt. 32. art. 6. dub. 1. *Nauarrus.* & 2. Nauarrus in ſumma cap. 24. numero 5. qui addit, huiuſmodi non teneri donando, ſed huic præcepto ſatisfacere ſolùm commodando vel mutuando. Sed ante omnes hanc *Richardus.* ſententiam docuit Richardus in 4. diſt. 15. art. 2. quęſt. 2. Fundamentum huius ſententiæ eſt: quoniam hæc bona, quę creata ſunt à Deo vt communia omnibus, appropriata ſunt ſingulis lege & iure gentium, quod vt iuſtum ſit, debuit cum hac tacita ſaltem conditione illa ſingulis appropriare, vt ſuperflua naturę & ſtatus hoc ipſo fierent communia cęteris hominibus egentibus. Eandem ſententiam confirmat illud Chriſti *Luc. 11.* teſtimonium, Lucæ 11. *Quod ſupereſt, date Eleemoſynam.*

55. Secvnda ſententia affirmat, præceptum miſericordię ſub mortali obligare diuites de ſuperfluis ſui ſtatus Eleemoſynas facere, etiam communem neceſſitatem patientibus, non quidem ſingulis, & determinatè, vti obligat in extrema, & graui neceſſitate, ſed in communi & indeterminatè. *Bellarm.* Ita Bellarminus lib. 3. de bonis operibus in *Valentia.* particulari cap. 7. Valentia ſecunda ſecundæ diſput. 3. quęſt. 9. punct. 4. §. *quæ ſint controuerſa circa tempus, quo obligat præceptum* *Syluius.* *Eleemoſynæ:* Syluius quęſt. 32. art. 6. qu. 2. *Suarez.* Suarez diſp. citata ſect. 3. Coninck concl. *Coninck.* 3. alij.

56. Probatur 1. Hęc ſententia ex diuinis oraculis, quę abſolutè pręcipiunt, vt diuites ex ſuis ſuperfluis Eleemoſynas faciant, nulla mentione facta de graui neceſſitate proximi. *Luc. 11.* Lucæ 11. *Quod ſupereſt, date Eleemoſynam:* Lu*Luc. 3.*cæ 3. *Qui habet duas tunicas det non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat:* Per duas autem *Hieronym.* tunicas ſignificantur, vt S. Hieronymus Epiſt. ad Hedibiam quæſt. 1. explicat, ſu*1. Ad Timoth. vlt.*perflua: prima ad Timotheum vlt. *Diuitibus huius ſæculi præcipe, facile tribuere, communi*care &c. Lucæ 12. *Stulte hac nocte repetunt à* *Luc. 12.* *te animam tuam, & quæ paraſti, cuius erunt? ſic eſt,* concludit ibi Chriſtus, *qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues.* Ex quo loco colligit Auguſtinus libro 55. Homiliarum *Auguſt.* Homil. 7. Diuites vel ob ſolum peccatum non erogandi pauperibus ſuperflua damnari. *Nulli*, inquit, *violentiam facere, non de cuiuſquam vicini agris, non limite perturbato, non ſpoliato paupere, non circumuento ſimplici, ſed tantummodo vbi proprios fructus reconderet, cogitabat. Audite quid audierit, qui tenaciter ſeruabat ſua:* ſtulte, hac nocte repetetur à te anima tua, hæc quæ paraſti, cuius erunt? *Si ſeruaueris, tua non erunt: ſi erogaueris, tua erunt.* Idem ibidem docet de Euangelico illo epulone, Lucæ 16. Non ob aliam nimirum *Luc. 16.* cauſam illum damnatum fuiſſe, niſi quia quæ ſibi ſupererant, pauperibus non deſtribuebat: *Hac enim*, inquit, *apertè de illo dictum eſt, quòd immiſericors erat, non quia aliena rapuit, ſed quia de proprijs erogare noluit.* Eandem ſententiam confirmat difficultas, ob quam, teſte Chriſto Marci 10. & Lucæ *Marci 10.* 18. Diuites intrant in regnum Dei. *Luc. 18.*

57. Secundò probatur ex Patribus, qui diuites Eleemoſynas non facientes appellant raptores, fures, aliena retinentes, nulla mentione facta de graui, vel extrema neceſſitate proximi, ſed ſolùm quod ſuperflua pauperibus non erogent, vt ſuprà vidimus. Legatur Ambroſius cit. lib. de Nabute Iezraëlita cap. *Ambroſius* 12. *Quod enim*, inquit, *commune eſt in omnium vſum datum, tu ſolus vſurpas? omnium eſt terra, non diuitum.* Quibus verbis glorioſus hic Doctor radicem tangit huius obligationis, quam diuites habent ſuperflua pauperibus, etiam communem neceſſitatem patientibus erogandi: quia nimirum hæc bona condita ſunt ab authore Deo tanquam communia omnibus hominibus, ſoloque iure gentium appropriata ſunt certis quibuſque perſonis: quod gentium ius præiudicare non debet legi diuinæ prouidentiæ, qua ſtatuit hæc bona vt media ad præſentem vitam hominum tranſigendam.

58. Tertiò confirmat Suarez. Lædere vir*Suarez.*tutem miſericordiæ in materia graui, eſt peccatum graue: ſed qui ſaltem virtuale propoſitum habet nunquam communes neceſſitates pauperum de ſuperfluis ſui ſtatus ſubleuandi, lædit virtutem miſericordiæ in materia graui: ergo peccat grauiter. Maior conſtat, quoniam miſericordia eſt in præcepto, vt ſuprà probatum eſt: ergo quando omittitur in materia graui, læditur grauiter. Minor probatur: nam licet hæc, vel illa particularis neceſſitas non ſit per ſe grauis, omnes tamen collectiuè ſumptæ faciunt materiam grauem. Sicut furari mille nummos à diuerſis, aut diuerſis temporibus conſtituit materiam furti grauem, eſto non ſit grauis reſpectu ſingulorum: ita licet negare Eleemoſynam huius, vel illi pauperi communem dumtaxat neceſſitatem patienti, ſit materia leuis; negare tamen omnibus, & ſemper, eſt materia grauis, vel reſpectu totius communitatis, quæ grauiter cenſetur lædi in

Digitized by Google

ſuis membris, vel reſpectu vnius eiuſdemque pauperis, qui quotidie per annum communi tantùm neceſſitate preſſus Eleemoſynam peteret.

59. Tertia ſententia abſolutè negat, eſſe præceptum, ſaltem ad mortale obligans, etiā de ſuperfluis ſtatus Eleemoſynam communem tantùm neceſſitatem patientibus erogare: ſed eſſe tantum conſilium, vel ad ſummum nonniſi ad veniale obligans. Præcipuum huius ſententiæ fundamentum eſt: quia non debemus nouum præceptum imponere ad mortale obligans, vbi de eo expreſsè non conſtat: Atqui de tali præcepto nullibi expreſsè conſtat, cùm omnes citatæ authoritates commodè explicari poſſint de obligatione erogandi Elemoſynam in grauibus dumtaxat & vrgentibus neceſſitatibus.

60. In hac controuerſia ita velim pauperibus eſſe prouiſum, per frequentes & largas diuitum Eleemoſynas, vt interim nolim diuites nouo peccandi laqueo irretire, eos ſub mortali obligando ad ſuperflua communibus pauperibus eroganda: cùm neque authores ipſi contrariæ ſententię ita ſuam ſententiam defendant, vt oppoſitam tanquam improbabilem damnent. Quare,

61. Dicendum eſt 1. Nimis rigidam eſſe primam ſententiam: ac proinde vel ex hoc cap. improbandam. Nam ex ea ſequitur primò, toties contra hoc præceptum peccare diuites, quoties ſuperflua ſui ſtatus prodigaliter profundunt in donationes parum honeſtas & neceſſarias: quia in hac ſententia profundunt, quæ iure naturæ ſunt debita pauperibus. Sequitur ſecundò, non poſſe diuites ſuperflua ſui ſtatus impendere in fabricam templorum, vel in alios pios vſus ad diuinum cultum ſpectantes: quia non poſſumus, quæ iure naturæ debentur pauperibus, in alios vſus diſtrahere: ſicut non poſſumus, quæ iure naturæ ſunt debita extremè indigentibus, ad alia pia opera applicare: nam iuxta hanc ſententiam eodem modo ſunt debita ſuperflua ſtatus pauperibus communibus, ac ſuperflua naturę extremè indigentibus: niſi quòd illa non ſint debita huic vel illi determinatè, vti hæc extremè indigenti: quod non obſtat, quo minùs peccet diues ſuperflua ſui ſtatus ad alios vſus applicando, quàm ad communes pauperum neceſſitates ſubleuandas. Quia licet in poteſtate diuitis ſit ſuperflua ſui ſtatus huic, vel illi applicare: in poteſtate tamen ipſius in hac ſententia non eſt, ea omninò è communi pauperum neceſſitate ſubtrahere, ac proinde ea in alios pios vſus cum præiudicio pauperum diſtrahere.

61. Dicendum 2. Longè probabiliorem eſſe ſecundam ſententiam, eamque ſemper in praxi proponendam ac pro viribus ſuadendam, vt illam non leuiter inſinuant argumenta & authoritates, pro ea adductæ: adhuc tamen tertiam ſententiam ſua probabilitate non carere, tum ob authoritatem tot Doctorum, qui illam docent: tum quia facilè ſolui poſſunt omnia argumenta pro ſecunda ſententia allata, quæ explicari poſſunt de grauibus dumtaxat pauperum neceſſitatibus.

62. Ad primum igitur argumentum ſecundæ ſententiæ concedendum eſt, diuina oracula & Patres diuitibus pręcipere, vt de ſuperfluis Eleemoſynas faciant, ſed ſuppoſita in pauperibus ſufficiente neceſſitate, quæ non eſt ſola communis, ſed grauis & vrgens. Quanquam negari non poteſt, quin aliquando Patres in commendanda Eleemoſyna excedant, idque in commendationem tam eximiæ ac perneceſſariæ virtutis, cuiuſmodi eſt miſericordia. Concedendum præterea eſt, omnia, hæc bona procreata eſſe à ſupremo authore Deo, vt ſint communia omnibus, eaque poſtea communi lege ac iure gentium appropriata eſſe ſingulis: negandum tamen eſt, vel contra diuinam prouidentiam, vel contra ius gentium grauiter peccare eos, qui ſuperflua ſui ſtatus communibus pauperibus non deſtribuunt: alioqui non poſſent ea impendere in fabricam templorum, vel alios pios vſus ad Dei cultum pertinentes, vt ſuprà oſtenſum eſt. Fuit igitur lex iſta diuinæ prouidentię, vt omnia hæc bona communia eſſent omnibus, tantùm permiſſiua, non autem præceptiua: aliàs non potuiſſent hæc communi lege ac iure gentium certis appropriari perſonis. Tandem potuit ius gentium æquum eſſe ac iuſtum, ſi in grauibus tantùm neceſſitatibus hæc bona manerent, vt antea, communia omnibus: cùm in grauibus dumtaxat neceſſitatibus homines huiuſmodi bonis indigeant ad propriam vitam, propter quam hæc condita ſunt, alendam ac ſuſtentandam.

63. Ad diſcurſum verò Patris Suarez negãda eſt Minor. Etenim cùm virtus miſericordiæ per ſe ordinetur ad alienam miſeriam ſubleuandam, tunc tantùm cenſetur grauiter hęc virtus lædi, quando proximo in graui neceſſitate non ſubuenitur. Vnde non tam habenda eſt ratio quantitatis bonorum, quæ ſuperfluunt ex parte dantis, quàm magnitudinis miſeriæ eius, qui ſubleuandus eſt. Vnde ad probationem Minoris, negandum eſt, omnes prædictas neceſſitates, etiam collectiuè ſumptas conſtituere materiam grauem obligantem ad mortale: alioqui, vt ſæpe dictum eſt, nec liceret, ea expendere in alia pia opera, vti non licet in alia pia opera impendere, quę tenemur graui neceſſitate preſſis erogare. Ratio verò eſt, quia neque collectiuè ſumptę prædictę neceſſitates conſtituunt vel ſingulos pauperes, vel omnes in graui neceſſitate: nam tam ſinguli, quàm omnes, abſque erogatione meorum bonorum, habent, vnde ſuam vitam alant ac ſuſtentent per communes Eleemoſynas aliorum. Alioqui ſi ex mea ſuperfluorum non erogatione orīretur grauis aliqua neceſſitas vel in aliquo paupere, vel in tota communitate, tunc ſub præcepto teneret *Suarez.*

mea

mea ſuperflua communibus pauperibus erogare, non tam propter communem neceſſitatem, quàm propter grauem, quæ ex negatione erogationis meorum ſuperfluorum naſceretur. Quod tunc eſſet, quando, exemplo meo, reliqui diuites ſuperflua non erogarent communem neceſſitatem patientibus: nam tunc pauperes deſtituerentur ordinarijs Eleemoſynis, & conſequenter à communi neceſſitate tranſirent in grauem.

64. Dices. Ea ipſa doctrina, quæ aſſerit, probabile eſſe, diuites non teneri ſuperflua ſui ſtatus erogare in communes neceſſitates pauperum, per ſe eſt inductiua grauis neceſſitatis: quia cùm poſſint diuites tuta conſcientia, hanc ſententiam ſequi, poſſent eas omnes amplecti, ac proinde deſtitui pauperes in ſuis communibus neceſſitatibus ab omnibus. Reſpondeo negando antecedens: falſum namque eſt, hanc ſententiam per ſe inducere grauem neceſſitatem in communibus pauperibus: ſed per ſe tantùm docere, quid obligationis, vel non obligationis ſit, ſpectatis omnibus circumſtantijs, inter quas vna eſt, vt ex mea non erogatione reliqui diuites non ſint idem facturi: nam tunc vel propter hanc circumſtantiam teneor ſub præcepto ſuperflua, etiam in communes pauperum neceſſitates, erogare.

65. Nec eſt eadem ratio de eo, qui parum à ſingulis furando, grauem ſurripuit à multis materiam, quia præceptum iuſtitiæ obligat ad reſtituendam materiam grauem alienam, à quocunque tandem illa iniuſtè accepta ſit. At præceptum miſericordiæ non obligat, niſi in graui neceſſitate proximi. Vnde ſi omnes neceſſitates collectiuè ſumptæ non conſtituant proximum in graui neceſſitate, quia nimirum, proximus ſemper habet, vnde ſe ſuſtentet, & à quo ſufficienter ſibi ſubueniatur, non faciunt obiectum graue obligans ad mortale. Vt enim omnes communes neceſſitates collectiuè ſumptæ conſtituerent vnam grauem, deberent egeni in omnibus collectiuè ſumptis non habere, quæ neceſſaria eſſent ad grauem ipſorum neceſſitatem ſubleuandam. Atqui ſupponimus abſque erogatione huius, vel illius diuitis, ſingulos & omnes Reip. pauperes, habere ab alijs, quæ neceſſaria ſunt ad ſubleuandam ſuam grauem neceſſitatem.

SECTIO V.

An præceptum Eleemoſynæ obliget ex iuſtitia?

66. Prima ſententia affirmat. Eſt Caietani ſecunda ſecundæ quæſt. 118. art. 3. qui non modò id affirmat reſpectu extremè indigentis, ſed etiam reſpectu communium pauperum, quando quis abundat ſuperfluis ſtatus. Quam ſententiam docere videtur S. Thomas tum quæſt. cit. art. 4. ad ſecundum vbi affirmat, ex debito legali eroganda eſſe bona pauperibus, *vel propter periculum neceſſitatis, vel propter ſuperfluitatem habitorum*. Porrò debitum legale, vt idem S. Doctor explicat eadem ſecunda ſecundæ quæſt. 80. art. vnico, eſt illud, ad quod ſoluendum lege aſtringimur: *& tale*, inquit, *debitum propriè attendit iuſtitia:* diſtinguiturque à debito morali, quod vt ibidem docet, fundatur in ſola honeſtate virtutis: tum quæſt. 13. de malo art. 2. ad quartum, vbi poſtquam ſibi obiecerat, auaritiam contrariari iuſtitiæ, retinendo, quæ erogari deberent pauperibus, idque authoritate S. Baſilij aſſerentis, iniuriam facere proximo, qui ei in neceſſitate non ſuccurrit. Reſpondet, concedendo in tali caſu auaritiam opponi iuſtitiæ, iuxta quam doctrinam docet intelligendam eſſe authoritatem Baſilij. Eandem ſententiam ſequuntur aliqui recentiores apud Coninck diſp. 27. de Eleemoſyna dubio 7. eamque cum Sarmiento expreſsè docet Layman lib. 1. tract. 2. cap. 3. num. 8. & lib. 3. tract. 3. parte prima cap. 1. num. 7. ad finem.

Caietan. *S. Thom.* *Coninck.* *Sarmient.* *Layman.*

67. Quam ſententiam probant 1. ex Patribus, qui, vt ſuprà vidimus, diuites ſuperflua non erogantes pauperibus, appellant raptores, atque aliena retinentes. Vnde Auguſtinus in Pſal. 147. in illum verſiculum: *Confortauit vectes*, vt ipſe legit, *portarum tuarum:* Ita ſcribit: *Quære quantùm tibi dederit Deus, & ex eo tolle, quod ſufficit. Cætera quæ ſuperflua iacent, aliorum ſunt neceſſaria. Superflua diuitum, neceſſaria ſunt pauperum. Res alienæ poſſidentur, cùm ſuperflua poſſidentur.* Idem docent Baſilius ſuprà citatus, cæterique Patres. Secundò, ſic argumentatur Caietanus: ea ex iuſtitia debemus, ad quæ ſoluenda cogi poſſumus Iudicis ſententia: Diuites cogi poſſunt iudicis ſententia ad eroganda ſuperflua pauperibus: ergo ea ex iuſtitia debent pauperibus. Minorem ſaltem reſpectu extremè indigentium amplectuntur omnes: Maior probatur, quia nemo ex iudicis ſententia cogi poteſt ad eroganda, quæ ſua ſunt. Tertiò, vrgente neceſſitate omnia ſunt communia: ergo,

Auguſt. *Baſilius.* *Caietan.*

ergo, vrgente neceſſitate, hæc bona iure naturæ debentur indigentibus: Antecedens admittunt omnes: nam hac conditione inducta fuit iure gentium appropriatio bonorum, vt tempore neceſſitatis ea manerent omnibus communia, alioqui non potuiſſet talis lex eſſe iuſta. Conſequentia verò probatur: quoniam, vrgente neceſſitate, hæc bona reuoluuntur in priſtinum ſtatum, in quo erant ante appropriationem, in quo nullius erant propria, ſed omnium communia.

68. Secvnda ſententia negat, etiam tempore extremæ neceſſitatis, hoc præceptum obligare ex iuſtitia, ſed tantùm ex miſericordia & charitate. Et reliquorum Doctorum communis: *quæ probabilior eſt & vera.* Videatur Syluius quæſt. 32. art. 6. quær. 3. Eaque duplici nititur fundamento, Primò à poſteriori, ſi præceptum ſubueniendi proximo, etiam in extrema neceſſitate obligaret ex iuſtitia, teneretur qui potuit ſubuenire, & non ſubuenit, ad omnia damna, quæ propter talem neceſſitatem proximus incurrit: falſum eſt autem hoc: ergo falſum eſt, præceptum ſubueniendi proximo etiam in extrema neceſſitate obligare ex iuſtitia. Minor eſt communis Theologorum, & infrà magis conſtabit. Maior probatur: nam omnis debitor ex iuſtitia, ſi ſuo tempore, dum potuit, non reſtituit, quæ debebat, tenetur ad omnia damna, quæ creditor ob negatam ſibi reſtitutionem paſſus eſt: cùm hic ſit vera cauſa moralis alterius damni.

Syluius.

69. Secundò à priori: ideò hoc præceptum in extrema neceſſitate obligaret ex iuſtitia, quia in extrema neceſſitate omnia hæc bona deuoluerentur ad priſtinum ſtatum, in quo erant ante diuiſionem rerum. Arqui hoc falſum eſt: ergo & id, vnde hoc ſequitur. Maior eſt potiſſimum contrariæ ſententiæ fundamentum. Minor probatur: nam ſi in extrema neceſſitate hæc bona fierent communia, vt antea erant, ſtatim poſſeſſor illorum priuaretur dominio, quod in ea antea habebat. Falſum autem eſt, in extrema neceſſitate diuites priuari dominio bonorum, quæ ſibi, & propriæ familię ſuperfluunt: igitur falſum eſt, in extrema neceſſitate hæc bona fieri communia omnibus, & ſub nullius Dominio. Maior conſtat: nam ſi fierent communia, vt erant antea, fierent ſub nullius dominio, vt erant antea. Minor probatur, quia ſi vrgente extrema neceſſitate proximi, diuites priuarentur dominio bonorum, quæ ſibi & familię ſuperfluunt, ſequeretur, ea non poſſe eo tempore validè donari, aut mutuari, ſed donata, aut mutuata reſtituenda eſſe extremè indigenti, in cuius dominium, vrgente neceſſitate, illa tranſierunt.

70. Dices 1. Ea fieri communia tempore dumtaxat neceſſitatis, qua ceſſante, redeunt ad priſtinum dominum. Sed contrà. Nam ſaltem ea non potuerunt validè donari, aut mutuari ipſo tempore neceſſitatis, cùm tempore neceſſitatis non fuerint ſub dominio poſſeſſoris, ſed communia omnibus. Quare ſi de illis diſpoſuit tempore egeſtatis proximi, diſpoſuit tempore, quo illa non erant ſub dominio ipſius: & conſequenter contractus de ijs eo tempore factus, inualidus fuit. Neque dicas, talem contractum validari, ceſſante extrema neceſſitate, qua elapſa omnia redeunt ad priorem dominum: tùm quia hinc tantùm ſequitur, ea redire ſub dominum prioris poſſeſſoris, quæ, ceſſante neceſſitate, manent apud ipſum, non autem quę tempore neceſſitatis fuerunt ab ipſo poſſeſſore alienata. Tum quia hoc ipſum arguit inualidum contractum factum de bonis ſuperfluis tempore neceſſitatis proximi: cùm iuxta hoc reſponſum debeant omnia bona eo tempore alienata redire ſub dominium prioris poſſeſſoris, ac proinde illa non poſſe tuta conſcientia ab eo, cui tali tempore donata ſunt, retineri. Sicut non poſſunt tuta conſcientia retineri bona, quæ filius donat de bonis paternis, dum manet ſub cura patris, etiamſi poſtea, fiat illorum dominus, niſi nouus accedat conſenſus, qui priorem donationem ratificet. Tum demum, quia ſaltem tales contractus manerent inualidi toto tempore, quo duraret proximi neceſſitas. Quò fit, vt in ſententia Caietani affirmantis, non modò in extrema, verùm etiam in communi neceſſitate, diuites ex iuſtitia teneri ſuperflua ſtatus erogare pauperibus, ſemper huiuſmodi contractus manerent inualidi, ſicut ſemper manent communes neceſſitates pauperum. *Caietanus.*

71. Dices 2. Etiamſi tempore neceſſitatis ſint omnia communia, ea tamen ſub nullius certum tranſire dominium, niſi apprehendantur: ſicut ante rerum diuiſionem ſub nullius erant certo dominio, ante quam fierent propria per ſingulorum apprehenſionem. Ergo etiamſi tempore neceſſitatis diuites ſuperflua ſui ſtatus pauperibus non largiantur, haud tamen teneri poſtea ad damna, quæ inde paſſi ſunt pauperes: quia licet huiuſmodi bona tempore neceſſitatis fuerint communia, non tamen fuerunt appropriata pauperibus neceſſitatem patientibus. Nemo autem tenetur ad damna proximi reſarcienda, niſi quæ ille patitur ex iniuſta detentione propriorum bonorum.

72. Sed contrà, nam hinc ſequitur, contra ipſos aduerſarios, non teneri ex iuſtitia diuites tempore neceſſitatis proximo ſuccurrere, ſed ſolùm ex miſericordia, vel charitate, cùm nemo ex iuſtitia teneatur dare, niſi quæ ſunt alterius propria. Vnde ſi neque tempore neceſſitatis ſuperflua diuitum fiunt egenorum propria, non tenentur diuites ex iuſtitia illa erogare pauperibus, cùm ęquè eo tempore ſint communia ſibi ac proximo. Sicut nec ante factam diuiſionem rerum, ſi quis non potuiſſet proximum in poſſeſſionem alicuius rei communis, non peccaſſet contra iuſtitiam, ſed vel contra charitatem,

ritatem, vel contra miſericordiam, ſi ea res fuiſſet alteri ad vitę ſuſtentationem neceſſaria.

73. Dices 3. Quiuis vrgente neceſſitate habet ius in bona ſuperflua alterius: ſed impedire hoc ius, eſt actus iniuſtitiæ: impeditur autem hoc ius hoc ipſo, quòd hæc bona tempore neceſſitatis non erogantur: ergo contra iuſtitiam facit, qui tempore neceſſitatis ſuperflua non erogat proximo. Reſpondeo, dupliciter poſſe hoc ius in extremè indigente impediri: Vno modo directè impediendo, ne extremè indigens ſuo vtatur iure capiendi, quæ pro ſuæ vitæ ſuſtentatione neceſſaria ſunt: Alio modo indirectè, non donando illi, quæ neceſſaria ſunt ad ipſius vitæ ſuſtentationem. Primo modo impedire, eſt contra iuſtitiam, quia eſt impedire ius ipſum, quod extremè indigens habet in huiuſmodi bona. Secundo modo eſt tantùm contra miſericordiam. Cuius diſcriminis ratio eſt, quia priori modo impedio in altero vſum legitimi iuris ac poteſtatis, quam habet capiendi, quæ ſibi neceſſaria ſunt pro vitæ ſuſtentatione. In poſteriori verò non impedio aliquod ius in proximo, ſed ſolùm non elargior, quod meum eſt, licet illi neceſſarium ad vitæ ſuſtentationem: proinde non eſt contra iuſtitiam, quæ directè tantùm verſatur circa alterius iuris læſionem, ſed contrà miſericordiam & charitatem, quæ obligat, ad ſubueniendum proximo in extrema, vel graui egeſtate conſtituto.

74. Confirmatur, nam qui directè impediret, ne naufragus tabulam arriperet, in quam ius habet propter ſuæ vitæ conſeruationem, peccaret contra iuſtitiam, impediendo illum, ne legitimo ſuo iure, quod poſſidet, vtatur. Qui verò habens duas tabulas, nollet vnam dare alteri, ſolùm peccaret contra miſericordiam & charitatem, non ſuccurrendo illi de vna, quam ſine æquali ſuo damno ei dare poſſet.

75. Ad argumenta primæ ſententiæ. Authoritatem S. Doctoris aliqui explicant de debito legali largo modo, quatenus lege aliqua eo aſtringi poſſumus: quo pacto non eſt proprium iuſtitiæ, ſed commune alijs etiam virtutibus, quæ ſunt ad alterum. Verùm quidquid ſit de mente S. Doctoris, qui ſi attentè legatur potiùs videtur in primam ſententiam inclinare, certè multi ex Thomiſtis nobiſcum ſentiunt, inter quos eſt Sotus lib. 5. de iuſtitia & iure quæſt. 3. art. 4. vbi expreſsè docet, nonniſi ex miſericordia & charitate hoc præceptum in extrema neceſſitate obligare. *S. Thomas.* *Sotus.*

76. Ad Patrum authoritatem Reſpondeo primò, eos in hoc præcepto explicando, aliquando vti exaggeratione, quod etiam notarunt Suarez, & Coninck. Secundò, appellari à Patribus raptores, & aliena retinentes, qui in extrema vel graui neceſſitate proximo de ſuperfluis naturæ, vel ſtatus non ſuccurrunt, propter ius, quod in huiuſmodi bona, vrgente neceſſitate, pauperes acquirunt. Cui iuri non reſpondet debitum iuſtitiæ in diuite, qui ſubuenire tenetur, ſed ſufficit debitum miſericordiæ ſtrictiſſimè obligans. *Suarez.* *Coninck.*

77. Ad argumentum Caietani reſpondet cit. loco Sotus, negando Maiorem: cùm non ſolùm iudex cogere poſſit Ciues ad debitum iuſtitiæ ſoluendum, ſed ad alias quoque virtutes ſeruandas, cùm ipſi ex tacito, vel expreſſo præſcripto Principis incumbat cura obſeruantiæ legum ac præceptorum quæ ad communem pacem & publicum bonum conſeruandum diriguntur. *Caietanus.* *Sotus.*

78. Ad tertium conſtat ex dictis, quo pacto tempore neceſſitatis omnia ſint communia, non propter ceſſationem dominij, ſed propter ius, quod ad vitam tuendam acquirunt egeſtate preſſi in bona ſuperflua diuitum: cui tantùm iuri non potuit lex de diuiſione bonorum præiudicare. Vnde, quod Nauarrus in ſumma cap. 17. num. 61. ad finem notauit, ly *eſſe omnia in neceſſitate communia*, receptæ Gloſſæ interpretantur, *eſſe communicanda*. *Nauarrus.*

SECTIO VI.

An ſatisfiat huic præcepto ſolùm mutuando, vel commodando?

79. ADrianus Quodl. 1. art. 2. & in 4. in materia de reſtitutione: Nauarrus in ſumma cap. 17. num. 61. & cap. 24. n. 5. & Toletus in ſumma lib. vlt. de ſeptem peccatis mortalibus cap. 37. affirmant, ſufficere tantùm mutuare, vel commodare. Quorum fundamentum eſt: quia per mutuum tollitur neceſſitas proximi: ergo per ſolum mutuum ſatisfit huic præcepto. Antecedens patet, quoniam per mutuum proximus ſufficienter ſuæ conſulit egeſtati. Conſequentia verò probatur, quia hoc pręceptum non obligat, niſi vrgente neceſſitate: ergo ea per mutuum, vel commodationem ſublata, non ampliùs obligat. Confirmatur. Si proximus extrema neceſſitate preſſus ex mutuo contraheret cum diuite, teneretur ad pinguiorem perueniens fortunam mutuum reſtituere: ergo ſi ipſemet diues ex mutuo contrahat cum eodem proximo in extrema neceſſitate poſito, tenebitur, cùm primùm poterit, acceptum mutuum reſtituere. Cęterùm addit ibidem Toletus ex communi ſententia omnium, ſi nolit proximus extrema egeſtate preſſus mutuum acceptare, ſubueniendum eſſe illi gratis, nec aſtringi poſſe ad mutuum acceptandum, niſi fortè ſit de magna pecuniæ ſumma, quam non tenetur diues gratis dare. *Adrianus.* *Nauarrus.* *Toletus.*

80. Ioannes Medina Codice de Eleemoſyna quęſt. 6. opinatur, ex ſuperfluis ſtatus *Medina.*

Digitized by Google

ſubueniendum eſſe proximo gratis, ex neceſſarijs verò ſtatus ſufficere, ſi ex mutuo illi ſubueniatur. Aliqui exiſtimant, in extrema tantùm neceſſitate ſubueniendum eſſe gratis, extra illam verò poſſe ex mutuo. Alij demum docent, Eleemoſinam gratis erogandam eſſe.

81. Pro cuius difficultatis ſolutione, notandum, hic duas inuolui quæſtiones: Altera eſt, an verè & propriè per mutuum ſatisfiat præcepto Eleemoſynæ: Altera, an in aliquo caſu liceat, vrgente neceſſitate, ſubuenire proximo mutuando, vel commodando. His notatis,

82. Dico 1. per mutuum Eleemoſynæ præcepto propriè non ſatisfit. Fundamentum eſt, quia Eleemoſyna propriè eſt liberalis donatio ad alienam egeſtatem ſubleuandam facta. Qui autem mutuò donat, non liberaliter donat, vt per ſe patet: ergo Eleemoſynam propriè non facit: & conſequenter non ſatisfacit præcepto Eleemoſynæ. Vnde non ſatisfaceret Hæres voluntati legantis, qui pro Eleemoſyna legauit mille aureos, ſi eos tantùm mutuaret. Confirmatur: non dicitur actum liberalitatis propriè exercere, qui donat mutuando: ergo nec actum Eleemoſynæ, qui liberalis eſſe debet, is, qui proximo ſubuenit mutuando. Legatur Syluius q. 32. art. 6. quær. 5.

Adrianus. 83. At occurrit Adrianus: ipſamet mutuatio tempore neceſſitatis facta eſt Eleemoſyna: ſicut ipſa mutuatio eſt aliqua liberalitas. Sed contrà: nam ſicut mutuò dare, non eſt propriè ac ſimpliciter liberaliter donare, ſed impropriè & ſecundùm quid, & ſolùm cum addito diminuente: ita ex mutuò ſubuenire proximo, non eſt ſimpliciter & propriè Eleemoſynam facere. Diuina autem oracula, & Sancti Patres præcipiunt, vt ſuprà vidimus, Eleemoſynam ſimpliciter: igitur non ſatisfacit præcepto Eleemoſynæ, prout à ſacris Scripturis & Patribus præſcribitur, ſolùm mutuando.

84. Dico 2. Interdum licitum eſſe, ſubuenire neceſſitatibus proximi ſolùm mutuando. Aſſertio probatur aſſignando caſus, in quibus id liceat. Primus eſt: ſi proximus hic in extrema, vel graui neceſſitate conſtitutus alibi habeat, vnde ſoluere poſſit. Secundus: ſi ſaltem ſpem habeat, ſe ad pinguiorem fortunam peruenturum. Tertius, ſi arte, quam callet, vel labore, quo valet, facilè ſoluere poſſit, quæ mutuò accepit. Quartus: ſi tantùm vſu, non autem dominio egeat rei, velut equo ad hoſtem fugiendum, gladio ad ſeipſum contra iniuſtum inuaſorem defendendum: tenetur poſtea elapſa neceſſitate rem pro neceſſario vſu acceptam domino reſtituere: niſi illa caſu periiſſet in ipſo vſu. Dixi *caſu:* quia ſi ex negligentia vtentis, tenetur ad æquiualens, ſi habeat, vnde poſſit. Quintus: quando ad neceſſitatem proximi ſubleuandam magna opus eſt pecuniæ ſumma. Sextus: quando ipſemet egeſtate preſſus ſponte petijt mutuum: quia tunc ceſſit proprio iuri, quod habebat in ſuperflua alterius, contentuſque fuit mutuo.

85. Ex dictis infertur 1. non poſſe extrema, vel graui egeſtate preſſis, qui re & ſpe ſunt pauperes, qui videlicet nec de præſenti, nec de futuro ſpem habent veniendi ad pinguiorem fortunam, ſuccurri mutuando, neque ſub conditione, ſi ad pinguiorem fortunam venerint, niſi in quinto caſu, quando magna opus eſſet pecuniæ ſumma.

86. Infertur 2. Non poſſe proximo ſubuenni mutuo, quando mutuatarius cum maxima ſui difficultate deberet mutuum reſtituere: nam hoc non tam eſſet, proximum à præſenti egeſtate liberare, quàm illum in alias anguſtias conijcere.

87. Infertur 3 Non poſſe licitè ſuccurri proximo graui neceſſitate laboranti cum abſoluta obligatione ad reſtituendum, etiamſi effulgeat ſpes ad lautiorem fortunam perueniendi, poſſe tamen cum obligatione conditionata, ſi ſtatum non mutauerit. Fundamentum eſt, quia præceptum charitatis de ſubueniendo proximo in corporalibus neceſſitatibus non debet præiudicare perfectiori bono ipſius, cuiuſmodi eſt ſtatus Religionis, ac voluntariæ paupertatis, cui præiudicaret abſoluta obligatio ad reſtituenda bona, quę tempore neceſſitatis accepit. Confirmatur, quia quod impenditur vt debitum ad propulſandum malum proximi, non debet eſſe impeditiuum maioris boni eiuſdem: alioqui mea Eleemoſina proximus non tam ſubleuaretur, quàm deprimeretur, cùm maius malum ſit, priuari ſpirituali bono Religionis, quàm ſubleuari in corporalibus neceſſitatibus.

88. Infertur 4. Peccare contra hoc præceptum illum, qui proximum ab iniuſta morte liberaret cum onere, vt ſe in perpetuum ſeruum traderet: cùm peior plerumque ſit perpetua ſeruitus, quàm ipſa mors.

89. Ad fundamentum Adriani, Nauarri, & Toleti, dicendum eſt, non ſat eſſe quocunque modo proximo egeſtate preſſo ſubuenire, ſed neceſſarium eſſe, illi ſubuenire modo à Chriſto & Patribus præſcripto; nempe Eleemoſina, quę eſt gratuita & liberalis donatio. Ad confirmationem, negatur conſequentia: nam quando proximus egeſtate preſſus ſponte mutuum petit, cedit iuri, quod à natura & Deo habet, accipiendi gratis.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO VII.

An vrgente neceſsitate liceat aliena ſurripere abſque obligatione reſtituendi?

90. PRIMA ratio dubitandi pro parte negante eſt authoritas capitis *Si quis* de furtis, vbi certa pœna ſtatuitur ijs, qui vrgente neceſſitate aliena ſurripuerint: *Si quis*, inquit, *propter neceſſitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, veſtem, vel pecus, pœniteat hebdomadas tres: & ſi reddiderit, non cogatur ieiunare.* Ergo nec vrgente neceſſitate licitum eſt aliena ſurripere, & ſi ſubrepta fuerint, reſtituenda ſunt. Conſequentia patet, quia quę ſub pœna prohibentur, licita eſſe non poſſunt, cùm ipſa prohibitione illicita fiant.

91. SECVNDA ratio dubitandi, quoniam, vt ex ſuprà probatis conſtat, quauis neceſſitate vrgente, non ceſſant particularia dominia perſonarum: ergo vrgente quacunque neceſſitate, non licebit ſurripere res alienas abſque obligatione reſtituendi. Conſequentia probatur, quia ſurripere alienum, eſt per ſe malum: ergo nunquam licet: & ſi ſubreptum fuerit, reſtituendum eſt, cùm ſemper res clamet ad proprium dominum. Vt autem in propoſita difficultate certa ab incertis ſeiungamus, & quòd apud authores controuerſum eſt, agitemus.

92. Supponendum tanquam certum primò, ſi præſenti egeſtate preſſus poſſit ſuas neceſſitates proponere ei, à quo iuuari poteſt, & probabiliter ſperet ſe ab eo iuuandum, licitè non poſſe clam, vel per vim, aliove iniuſto modo aliena ſurripere (quanquam hoc aliqui graue peccatum non putant, neque ad reſtituendum obligare). Ratio eſt, quia quando bono modo poteſt quis ſuæ neceſſitati ſubuenire, non debet iniquo, qualis eſt per vim, aut clam. Dixi, *& probabiliter ſperet:* quia ſi ſpem non habet, vt ſponte ſit ab eo iuuandus, licitè poterit clam ſurripere, præſertim ſi extrema prematur egeſtate, vt infrà conſtabit.

93. Sola difficultas eſſet, quando qui neceſſitate premitur, eſſet aliquis nobilis, quem puderet ſuam neceſſitatem alteri manifeſtare: an ſaltem in tali caſu liceat, clam aliena ſurripere ad tuendam propriam famam & honorem, qui per manifeſtationem talis egeſtatis notabiliter læderetur. *Coninck.* Negat Coninck diſput. 27. dubio 10. docetque huiuſmodi pudorem eſſe vincendum, nec excuſari, quin egeſtate preſſus teneatur ſuas neceſſitates manifeſtare ijs, à quibus iuuari poteſt.

94. Verùm oppoſitum longè probabilius videtur, quando per huiuſmodi manifeſtationem proximi fama & honor notabiliter læderetur: tum quia, vt ſuprà diximus, multi putant, hunc ordinem in extrema neceſſitate prætermittere, non eſſe peccatum mortale: vnde accedente rationabili cauſa, excuſaret etiam à veniali. Tum maximè: quoniam homo non minùs habet ius tuendi propriam famam & honorem, qui apud homines æſtimatur præ vita ipſa, quàm vitam: ergo ſi alia via non poteſt propriæ vitę, & famę ſimul conſulere, quàm per clandeſtinam ſurreptionem, licitè id facere poterit abſque vllo peccato. Confirmatur. Si alia via non poſſum meæ vitę ſuccurrere, quàm per clandeſtinam ſurreptionem, id licitum mihi eſt, vt omnes Doctores concedunt: ergo etiam quando alia via non poſſum proprio honori & famæ conſulere, quàm per clandeſtinam ſurreptionem, id licitum mihi erit. Igitur quando per manifeſtationem propriæ egeſtatis meus honor & fama notabiliter periclitatur, licitè poſſum per clandeſtinam ſurreptionem mihi conſulere: cùm, vt dictum eſt, non minùs ius habeam meliori via qua poſſum, tuendi meam famam & honorem, quàm vitam ipſam,

95. Supponendum vt certum 2. In extrema neceſſitate cuilibet licere, aliena ſurripere, ſi alia via non poſſit extremæ ſuæ neceſſitati ſuccurrere. Fundamentum, quoniam in extrema neceſſitate pręualet ius naturæ, quod omnes habent conſeruandi propriam vitam, cuicunque iuri, quod quiuis habet in bona, quę poſſidet: igitur ratione talis iuris quiuis poteſt in extrema neceſſitate conſtitutus à quocunque ſurripere, quę ad conſeruandam propriam vitam neceſſaria ſunt, ſi ea alia via habere non poſſit. Nec potuit huic iuri pręiudicare ius gentium, quod vt iuſtum fuerit, debuit cum hac expreſſa, vel tacita conditione bona communia certis perſonis appropriare, vt vrgente extrema neceſſitate, eadem manerent, vt antea, omnibus communia. Quo fit, vt non poſſit in tali caſu dominus rationabiliter eſſe inuitus, eo quòd cum hac tacita conditione bona, quæ poſſidet, accepit, vt in extrema neceſſitate fierent omnibus communia, vti erant ante appropriationem. Nec potuit hęc conditio per vllam poſitiuam legem, aut conſuetudinem tolli: cùm nulla poſitiua lex, aut conſuetudo pręualere poſſit contra ius naturę de conſeruanda propria vita, vt cum S. Thoma ſecunda ſecundę quęſt. 66. art. 7. & alibi omnes docent, & nos in ſequenti tomo. de iure & iuſtitia. *S. Thom*

96. Confirmatur, nam hoc ipſum ius naturæ, quod vnuſquiſque habet tuendi propriam vitam, firmatum eſt lege diuina, qua hæc bona temporalia condita ſunt propter ſuſtentationem vitę humanę. Igitur nulla lex poſitiua, aut conſuetudo poteſt tantùm ius, naturali ac diuina lege firmatum abrogare.

97. Ex his reſoluitur caſus, an cenſenda ſit in extrema neceſſitate puella, quæ niſi copiam ſui faciat, mox mox ob victus inopiam moritura eſt, ac proinde liceat in tali caſu aliena ſurripere. Negat præcitato loco Sotus: eo quòd, inquit, *nulla eſt neceſſitas, qua cogere poſſet illam, vt ſui copiam alteri faciat, alias conſenſus ille non eſſet peccatum, ſed perire potiùs debet, quàm delinquere.* Sed certè non video, cur iſta cenſenda non ſit in extrema verſari neceſſitate. Nam licet illa potiùs deberet famæ perire, quàm delinquere, quis tamen non videt, eam in extrema verſari neceſſitate, dum niſi ei ſuccurratur, vel fame perire debeat, vel cum honore, animi etiam ſalutem amittere? ſicut quis non dicet in extrema verſari neceſſitate eum, qui ab hæreticis captus, cogeretur vel Chriſtum Dei Filium negare, vel centum aureos ſoluere? nam licet talis deberet millies potiùs mori, quàm Chriſtum Dei Filium negare: attamen nemo negabit, hunc in extrema verſari neceſſitate, vel amittendæ vitæ corporis, vel animæ ſalutis perdendæ. Sotus.

98. Ex dictis infertur 1. non ſolùm poſſe, ſed etiam teneri extrema neceſſitate preſſum aliena ſuperflua ſurripere ad propriam vitam tuendam, eo quòd nullus ſit ſuæ vitæ Dominus, ac proinde nemini licet, iuri propriæ vitę tuendæ, & ex ſuperfluis aliorum bonis, quæ ius gentium in extrema neceſſitate facit omnibus communia, cedere. Nec eſt eadem ratio, quando quis vel permittit ſe occidi, ne occidatur alter, vel in æquali periculo ius ſuum cedit alteri, vel quando iuſtè eſt morti damnatus: nam in his caſibus licitè poteſt iuri tuendæ propriæ vitę cedere, vel ad vitandum æquale damnum proximi, vel ad exequendam iuſtam iudicis ſententiam.

99. Infertur 2. in caſibus, in quibus homo ad tuendam vitam aliena ſurripit, nullum propriè committi furtum, etiamſi Dominus ſit inuitus. Ratio eſt, quia furtum propriè eſt ſurreptio rei alienæ rationabiliter inuito Domino: Atqui in tali caſu non poteſt Dominus eſſe rationabiliter inuitus, qui cum hac conditione ex communi lege & iure gentium ſua bona poſſidet, vt in extrema neceſſitate, quæ ſuę ſuorumque naturæ ſuperfluunt, cedant in neceſſariam ſuſtentationem vitæ aliorum.

100. Infertur 3. in extrema neceſſitate non modò licitum eſſe ipſimet, qui ea premitur, ſed cuiuis, aliena ſurripere, vt extremè indigenti ſuccurrat, vt cum S. Thoma ſecunda ſecundę quęſt 66. art. 7. ad tertium, communiter docent Theologi: quin ſub præcepto tenetur id facere, quando citra periculum propriæ vitę id poteſt. Sicut qui citra periculum propriæ vitæ poteſt innocentem ab iniuſto inuaſore defendere, ſub præcepto tenetur id facere. Quod intelligitur, quando ipſe, qui aliena ſurripit, non habet, vt ex proprijs proximi neceſſitati ſubueniat, alioqui non poſſet aliena ſurripere, vt rectè cum Medina Codice de Eleemoſyna quæſt. 4. docent reliqui Doctores. S. Thomas. Medina.

101. Infertur 4. poſſe quempiam ad propriam vitam ſaluandam aliorum merces in mare proijcere nec teneri ad eas reſtituendas, ſi probabiliter illæ perituræ fuiſſent cum ipſis hominibus. His omnibus vt certis ſuppoſitis, duæ ſuperſunt quæſtiones inter Doctores controuerſæ: Vna eſt, an tantùm in extrema, an etiam in graui neceſſitate liceat aliena ſurripere? Altera, an quotieſcunque licitum eſt, aliena ſurripere, ſurripiens deobligatus maneat à reſtitutione bonorum, quæ ſurripit, etiamſi in lautiorem venerit fortunam?

102. Quoad priorem quęſtionem Caietanus ſecunda ſecundæ cit. q. 66. art. 7. Sotus lib. 5. de Iuſtitia & iure quæſt. 3. art. 4. Ioannes Medina Codice de Eleemoſyna prænotata q. 4. §. *redeundo igitur*, cenſent in ſola extrema neceſſitate id licere: putaturque ſententia S. Thomæ eadem quęſt. 66. Fundamentum eſt, quoniam etſi in ſententia Caietani, quiuis teneatur de ſuperfluis ſui ſtatus graues, imò & communes proximi neceſſitates Eleemoſynis ſubleuare, non tamen tenetur determinatè huius, vel illius neceſſitatem ſubleuare, vti tenetur in extrema, ſed ſolùm indeterminatè, quam ipſe ſubleuans pro ſuo arbitratu ſubleuare voluerit: ergo non poterit graui tantùm neceſſitate preſſus, inſcio inuitoque domino, de ipſius ſuperfluis in graui neceſſitate ſibi conſulere. Conſequentia probatur, quia non aliter poteſt quis aliena ſurripere vt ſuæ conſulat egeſtati, quàm quo teneretur is, cuius ſuperflua ipſe ſurripit. Atqui is non teneretur determinatè huius neceſſitati de ſuis ſuperfluis ſuccurrere: igitur contra iuſtitiam facit ſurripiendo ab hoc ſuperflua ſtatus, vt graui ſuæ egeſtati ſuccurrat. Maior probatur, quoniam ius, quod vrgente neceſſitate proximus acquirit in ſuperflua diuitis, oritur ex debito, quod diues habet in ſubleuandis proximi neceſſitatibus: igitur ſi diues nullum habet debitum ſubleuandi grauem neceſſitatem huius determinatè, nullum hic ius determinatè acquirit in ſuperflua huius diuitis: ac proinde, ſi ea inſcio inuitoque Domino ſurripit, iniuſtitiam committit. Confirmat Sotus, quoniam nullus cogi poteſt inuitus ad id, quòd ex ſola charitate tenetur: at nemo niſi ex ſola charitate tenetur ex ſuperfluis graui neceſſitati proximi ſubuenire. Caietanus. Sotus. Medina. S. Thomas.

103. Reliqui verò Theologi affirmant, non modò in extrema, ſed etiam in graui neceſſitate licitum eſſe, aliena ſuperflua ſurripere, vt ſuæ ſuccurrat neceſſitati: ita Angelus verbo *furtum* num. 36. Summa Roſella eodem verbo n. 10. Vaſquez opuſc. de Eleemoſyna cap. 1. dub. 7. Emmanuel Sà verbo *furtum* n. 1. Coninck ſuprà citatus, & alij quàm plurimi. Fundamentum eſt, quoniam, vt ſuprà oſtendimus, non ſolùm in extrema, ſed etiam in graui neceſſitate tenemur de ſuperfluis proximo ſubuenire, non tantùm in communi, vt Caietanus aiebat, ſed etiam in particulari, Angelus. Roſella. Vaſquez. Emmanuel Sà. Coninck. Caietanus.

Digitized by Google

particulari, huic, vel illi grauem neceſſitatem patienti: ergo etiam graui neceſſitate preſſus licitè poteſt aliena ſuperflua ſurripere, vt graui ſuæ neceſſitati ſuccurrat. Dixi *ſuperflua:* quoniam non licet ſurripere neceſſaria, vt propriæ conſulatur neceſſitati, cùm in æquali neceſſitate melior ſit conditio poſſidentis.

104. Ex his patet ad fundamentum aduerſariorum: nam primò falſum eſt, diuites non teneri ex ſuperfluis ſubleuare grauem neceſſitatem proximi determinatè, niſi fortè plures ſimul occurrant grauem neceſſitatem patientes, & non poſſit quis omnibus ſimul ſuccurrere. Tunc enim ſi omnes ſint in æquali neceſſitate, & non poſſit quis, niſi vni ſuccurrere, pro ſuo arbitratu poterit ſuccurrere ei, cui voluerit. Secundò, eſto quis non teneatur huic, vel illi determinatè ſuccurrere, adhuc graui neceſſitate preſſus licitè poterit aliena ſuperflua ab hoc, vel ab illo determinato diuite ſurripere, ſi alia via non poſſit, vt ſuę ſubueniat egeſtati: quod ſic oſtendo. Nam in caſu, quo plures eſſent extremè indigentes, & diues de ſuis ſuperfluis non poſſet omnibus ſuccurrere, ſed tantùm vni, tunc teneretur alicui indeterminatè, non minùs quàm teneretur alicui indeterminatè, ſi plures occurrerent graui neceſſitate preſſi, & non poſſet niſi vni tantùm ſuccurrere. Atqui in tali caſu licitè poſſet vnuſquiſque pręueniendo alios, eandem extremam neceſſitatem patientes, à tali diuite ſurripere, quę neceſſaria forent ad ſuam extremam neceſſitatem ſubleuandam: ergo id etiam licitè poterit vnus è multis, qui grauem tantùm neceſſitatem pateretur, cùm eadem ſit vtriuſque ratio.

105. Cæterùm Soti confirmatio, ſi quid probaret, probaret, quòd neque in extrema neceſſitate licitum foret, aliena ſurripere ad ſuam neceſſitatem ſubleuandam: cùm neque in extrema neceſſitate pręceptum Eleemoſynę obliget, niſi ex charitate, ſeu miſericordia, vt ipſemet ibidem concedit. Igitur ſi ad hoc ſeruandum in graui neceſſitate nemo à publica poteſtate cogi poteſt, neque cogi poterit ad illud idem ſeruandum in extrema. Quare falſa eſt Maior à Soto aſſumpta: ſiquidem, vt ſuprà oſtendimus, non ſolùm poteſt quis à publica poteſtate cogi ad ſoluendum id, quod ex iuſtitia debet; ſed etiam ad ſeruandum id, quod ex alijs virtutibus ad publicum bonum ſpectantibus ſeruare tenetur.

106. Quoad poſteriorem quæſtionem multi arbitrantur, ad reſtitutionem non teneri, qui rem ad ſuæ vitæ ſuſtentationem ſurripuit tempore extremę neceſſitatis, teneri tamen ſi eam ſurripuit extra tempus extremæ neceſſitatis: ita Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. §. *Sed numquid ſi poſt extremam neceſſitatem:* Richardus art. 5. q. 4. ad quintum, Gabriel q. 2. art. 2. Angelus verbo *furtum* num. 37. Summa Roſella eodem verbo num. 10. Quorum fundamentum eſt, quoniam in ſola extrema neceſſitate iure naturæ omnia fiunt communia: ergo qui in extrema neceſſitate rem alienam ſurripuit, iure ipſo naturæ, quod vnuſquiſque ſuam vitam tuendi habet, fecit rem illam ſuam, proinde non tenetur illam reſtituere. *Scotus. Richardus. Gabriel. Angelus. Roſella.*

107. Adrianus ſuprà citatus, Nauarrus in Summa cap. 17. num. 61. & 62. & Toletus in Summa lib. vlt. de ſeptem peccatis mortalibus cap. 36. docent, talem regulariter teneri ad reſtitutionem, vbi lautior arriſerit fortuna. Quorum fundamentum eſt, quia nullus tenetur ſua bona donare, vt proximi neceſſitatem ſubleuet, ſed ſufficit ea tantùm commodare, aut mutuare. Sed qui tempore extremę neceſſitatis aliena ſurripit, non aliter ea ſurripere poteſt, quàm quo ea tenetur dominus ipſe dare: ergo ſi dominus ipſe non tenetur ea gratis dare, nec poteſt alter ea gratis ſurripere. *Adrianus. Nauarrus. Toletus.*

108. Diſtinguit verò Medina Codice de Eleemoſyna quæſt. 6. Nam ſi extrema neceſſitate preſſus ſurripuit aliena ſuperflua ſtatui poſſidentis, non tenetur ea reſtituere: ſecus ſi ſurripuit neceſſaria ſtatui poſſidentis. Cæterùm conueniunt omnes, quòd ſi res ſubrepta ſit parui momenti, neminem teneri ad eam reſtituendam: eo quòd cenſeatur dominus illam in tali caſu gratis dediſſe. Notant prętereà, ſi quis vſu tantùm indiguit rei ſubreptæ, elapſa neceſſitate, teneri eam domino reſtituere: vt ſi quis indiguit equo ad hoſtem fugiendum, ceſſante poſtea neceſſitate, reſtituendus eſt equus domino. Sola difficultas eſt de rebus vſu conſumptibilibus, quæ ceſſante neceſſitate, non ampliùs extant, an eæ reſtituendæ ſint. *Medina.*

109. Dicendum autem eſt, in ijs caſibus, in quibus proximus iuuandus erat gratuita diuitis Eleemoſyna, ad reſtitutionem non teneri; teneri autem in ijs, in quibus poterat mutuo tantùm, vel commodato illi ſubueniri, ſiue neceſſitas fuerit grauis, ſiue extrema; ſiue ſubrepta fuerint ſuperflua, ſiue neceſſaria ſtatui. In quibus autem caſibus proximus iuuandus ſit gratis, in quibus verò poſſit mutuo, conſtat ex ſect. pręcedente. Fundamentum eſt, quoniam eo dumtaxat titulo, & non alio poteſt quis, vt ſuę neceſſitati ſuccurrat, aliena ſurripere, quo alter tenetur ea in tali neceſſitate dare: ergo quando alter tenetur ea gratis dare, non tenetur reſtituere: tenetur autem ea reſtituere, quando alter non tenetur illa gratis dare. Legatur Sotus lib. 4. de Iuſtitia & Iure quęſt. 7. art. 1. dub. vlt. qui immeritò pro ſententia Scoti citatur à Toleto. *Sotus.*

110. Ad fundamentum Scoti, & eius aſſeclarum, conſtat ex dictis, quo pacto vrgente extrema neceſſitate, omnia fiant communia, non quòd ea ceſſent eſſe ſub dominio poſſeſſoris, vt ſuprà probatum eſt, ſed quia iure naturæ ac diuino ea debentur indigentibus, qui eodem iure naturæ ac diuino poſſunt, ſi alia via non pateſcat,

teſcat, ea ſurripere, iiſque vti ad propriam neceſſitatem ſubleuandam. Quo fit, vt ſi neceſſitate elapſâ, res ſurrepta ſuperſit, reſtituenda ſit proprio domino, cùm nonniſi ad neceſſitatem propulſandam illa ſubripi potuerit.

111. Ad fundamentum Adriani, & aliorum, conſtat etiam ex dictis, aliquando diuites teneri ex ſuperfluis, vel naturæ, vel ſtatus gratis pauperum egeſtates ſubleuare: ac proinde in eo caſu non teneri, qui ea vrgente neceſſitate ſurripuit, reſtituere, nec placet diſtinctio Medinę. Nam ſiue quę ſurripiuntur ab extrema neceſſitate preſſo, ſint de ſuperfluis, ſiue de neceſſarijs ſtatus, modò ea iure naturæ ac diuino gratis eroganda ſint proximo, reſtituenda non ſunt: ſecus ſi non ſint gratis eroganda.

112. Ad priorem rationem dubitandi, Authores, qui cenſent, ſolùm in extrema neceſſitate licitum eſſe aliena ſurripere, facilè reſpondent, præcitatum Capitulum intelligi de graui tantùm neceſſitate. Authores verò noſtræ ſententię, qui etiam in graui neceſſitate id licitum putant, reſpondent, citatum Capitulum intelligendum eſſe de communi dumtaxat neceſſitate. Nec refert, quòd ibi dicatur propter neceſſitatem famis, aut nuditatis, cùm non omnis famis nuditatiſve neceſſitas cenſenda ſit grauis.

113. Ad poſteriorem rationem dubitandi, negatur conſequentia: nam eſto vrgente neceſſitate, res non fiant communes quoad dominium, cùm illud ſemper maneat ſub proprio domino: fiunt tamen communes quoad vſum, quatenus illę iure naturæ ac diuino cedunt in ſuſtentationem humanæ vitæ, propter quam ſunt à Deo conditæ.

SECTIO VIII.

An in pari neceſſitate teneatur debitor reſtituere ſuo creditori?

114. Certum eſt apud omnes, debitorem exiſtentem in extrema neceſſitate ſuę naturæ, vel ſuorum, non teneri reſtituere debitum ſuo creditori in eadem neceſſitate non exiſtenti: nam ſi in tali caſu poteſt debitor ſurripere à creditore, quæ ſibi neceſſaria forent ad ſuam, ſuorumque neceſſitatem propulſandam, à fortiori poterit ad eandem propulſandam illi debitum non reſtituere. Idem in noſtra ſententia dicendum, ſi debitor ſit tantùm in graui neceſſitate: tum quia communior probabiliorque ſententia docet, etiam in graui neceſſitate ſubueniendum eſſe proximo, ac proinde etiam in graui neceſſitate proximum ius habere ſurripiendi, quæ ſibi neceſſaria forent ad ſuam neceſſitatem ſubleuandam. Tum quia, eſto in graui neceſſitate homo non habeat ius vſurpandi aliena, habet tamen ius non reſtituendi debitum, vt propriæ ſuccurrat neceſſitati, cùm illi faueat conditio poſſidentis. Sola ergò difficultas ſupereſt, an in pari neceſſitate teneatur debitor reſtituere creditori.

115. Prima ſententia diſtinguit: ſi creditor priùs tempore, vel ſimul cum debitore in neceſſitatem incidit, tenetur debitor reſtituere: ſecus ſi priùs tempore in neceſſitatem incidit debitor: ita Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. §. *ad argumenta*, Richardus art. 5. qu. 4. ad quintum, Gabriel quæſt. 2. art. 2. Angelus verbo *reſtitutio* 3. num. 3. Probat primum Scotus: quia ſi priùs in neceſſitatem incidat creditor, res duplici titulo ſit creditoris, & titulo, quo antea erat ſua, & nouo titulo, quo ratione vrgentis neceſſitatis facta eſt ipſius: ac proinde duplici titulo eſt reſtituenda creditori, etiamſi debitor in eandem poſtea incidat neceſſitatem. Probat ſecundum, nam ſi ambo ſimul in egeſtatem incidant, nunquam creditor amiſit dominium, quod in talem rem habebat, quia nunquam talis res ratione neceſſitatis facta eſt ſub dominio debitoris, ſed ſemper manſit ſub dominio creditoris. Probat tertium: nam ſi priùs in egeſtatem incidat debitor, ratione talis neceſſitatis fit dominus rei: vnde etiamſi poſtea creditor in eandem incidat egeſtatem, non tenetur debitor eam reſtituere, cùm iam iure naturæ facta ſit propria debitoris.

Scotus. *Richardus.* *Gabriel.* *Angelus.*

116. Secunda ſententia aliter diſtinguit: nam vel manet eadem res ſpecie apud debitorem, vel non. Si manet eadem ſpecie, aut priùs debitor incidit in neceſſitatem, & tunc reſtituenda non eſt, etiamſi in eandem poſtea neceſſitatem incidat creditor: quoniam ratione neceſſitatis ab initio fecit illam ſuam vſque ad pinguiorem fortunam. Aut ſimul incidunt in eandem neceſſitatem: & tunc reſtituenda erit creditori, cùm hic nunquam ſuum dominium amiſerit. Ratio eſt, quia ſicut in tali caſu non liceret vſurpare rem ab alio, qui eadem neceſſitate premeretur, ita nec eam in pari neceſſitate retinere. Si autem non manet eadem res ſpecie, ſed vel conſumpta eſt, vel illius dominium à principio translatum fuit in debitorem per aliquem contractum: tunc non ſolùm ſi debitor priùs, ſed etiam ſi ſimul incidat in neceſſitatem, non tenetur illam reſtituere, quia eſt talis rei verus dominus: nullus autem tenetur in pari neceſſitate priuare ſe dominio rei, quam poſſidet. Quin etiamſi creditor priùs incidit in neceſſitatem, & debitor fuit in mora reſtituendi, ſi poſtea debitor in eandem incidat neceſſitatem, non tenetur rem reſtituere: quia licet peccauerit non reſtituendo, quando potuit & debuit, ſi tamen poſtea in neceſſitatem incidit, ratione neceſſitatis, iuſtè illam poſſidet. Ita Vaſquez opuſc. de Eleemoſyna dub. 9. *Vaſquez.*

117. Tertia ſententia docet, in pari neceſſitate nunquam debitorem obligari ad reſti-

ad reſtituendum debitum creditori, ſiue in eadem re ſpecie, ſiue in æquiualenti: eſt Caietani ſecunda ſecundæ quæſt. 62. art. 6. §. *in reſponſione ad quartum occurrit dubium:* Soti lib. 4. de iuſtitia & iure quæſt. 7. art. 1. §. *ad quartum argumentum*: Leſſij lib. 2. de iuſtitia & iure cap. 16. dub. 1. Coninck diſp. 27. dub. 10. & aliorum. Fundamentum eſt, quoniam in pari neceſſitate omnia ſunt communia: & ex alia parte præualet conditio poſſidentis: ergo in pari neceſſitate debitor, qui rem poſſidet, non tenetur illam reſtituere, quocunque modo ſiue licito, ſiue illicito res ad ipſum peruenerit. Nam ex quo incidit in neceſſitatem, iure naturæ, ac lege diuina ius in illam acquiſiuit: & licet etiam creditor in eandem rem ius habeat, quia tamen debitor cum iure habet etiam poſſeſſionem, poſſeſſio rem ipſi adiudicat. *Quæ ſententia longè probabilior eſt*. Vnde addit citato loco, Sotus, quòd etiamſi quis iuramento promiſerit, ſe rem reſtituturum, non teneri poſtea, vrgente neceſſitate, illam reſtituere: nam in tali iuramento ſubintelligitur tacita conditio, ſi in extremam, vel grauem non incidat neceſſitatem. Eadem doctrina extenditur ad ſubueniendum parentibus ac filijs: vt in pari neceſſitate potiùs teneamur parentibus, filijs, & vxori, vt docent, Sotus, Bannez, Syluius ſecunda ſecundę quæſt. 31. art. 3. Leſſius, & alij: quin Toletus lib. vlt. de ſeptem peccatis mortalibus cap. 39. illam extendit etiam ad fratres.

Caietanus. Sotus. Leſſius. Coninck. Sotus. Bannez. Syluius. Leſſius. Toletus.

118. Ex his patet ad argumenta Scoti: nam vrgente neceſſitate, non tam conſiderandum eſt ius poſitiuum, quàm naturale: ius autem naturale in pari neceſſitate ſemper fauet poſſidenti. Eodem modo reſpondetur ad argumentum Vaſquez: nam ſiue res ſit eadem ſpecie, ſiue æquiualens, cùm in extrema, vel graui neceſſitate non tam attendatur ius ac dominium poſitiuum, quàm naturale ac diuinum, & ius naturale ac diuinum potiùs illam adiudicet poſſidenti, non erit in pari neceſſitate creditori reſtituenda.

Vaſquez.

119. Ex quo patet, non eſſe eandem rationem de eo, qui in pari neceſſitate rem ab alio ſurriperet: quia tunc contra ius naturale ac diuinum ageret, deturbando alium à dominio & poſſeſſione rei, conijciendo illum in egeſtatem, quod nunquam licitum eſt. Qui autem rem, quam poſſidet, creditori non reſtituit, vtitur iure ſuo, quod à natura, & Deo habet, propriam vitam tuendi. Quemadmodum non licet naufragum è tabula, in qua inſidet, deturbare, vt tuæ vitę ſuccurras: licet autem tabulam, cui tu inſides, quam ab alio tempore naufragij commodato accepiſti, ei non reſtituere: ſecus, ſi ille tua actione ſit ad talem neceſſitatem coniectus: nam tunc etiam cum periculo propriæ vitæ teneris illum à tali neceſſitate eripere.

120. Quid ſi duo eandem rem ſimul arripiant, quæ ſufficiens non eſt ad vtriuſque vitam ſeruandam? Reſpondet Leſſius, rem eſſe ſorte adiudicandam, ſi vel diuidi non poſſit, vel diuiſa non ſufficiat ad vtriuſque vitam ſeruandam.

Leſſius.

121. Vnum hic ſupereſt dubium, an qui rem ex iuſtitia alteri debitam in neceſſitate conſumpſit, teneatur illam domino reſtituere, ſi ad pinguiorem fortunam venerit. Quod dubium, vt nouam afferat difficultatem, ſupponendum eſt, huiuſmodi hominem, quando rem alteri debitam in neceſſitate conſumpſit, fuiſſe re & ſpe pauperem: alioqui ſi tantùm re fuiſſet pauper, ex dictis conſtat, illum ad reſtitutionem teneri: quoniam in tali caſu non debebatur illi gratis miſeriæ ſubleuatio, ſed poterat fieri cum onere reſtitutionis. Ad quod dubium reſpondet Leſſius loco ſuprà citato, probabile eſſe, hunc ad reſtitutionem non teneri: Coninck verò loco prænotato omninò cenſet non teneri. Ratio, quia rem conſumpſit, quando eam ratione neceſſitatis iure naturę fecerat ſuam. Confirmat Coninck, quia ſi antequam incidiſſet in neceſſitatem, illam clam reſtituiſſet domino, potuiſſet poſtea, vrgente neceſſitate, illam clam ſurripere, vt propriæ conſuleret egeſtati: nec poſtea teneretur ad reſtitutionem.

Leſſius. Coninck.

122. Scotus verò ſuprà citatus, & reliqui ferè Doctores affirmant, hunc ad reſtitutionem teneri. *Quod probabilius eſt*: quoniam vrgens neceſſitas non abſtulit debitum antea contractum, ſed tantùm illud ſopiuit. Ratio, quoniam id tantùm ſatisfuit ad vrgentem neceſſitatem propulſandam: cùm neceſſitas non transferat dominium rei alienę, ſed ſolùm tribuat ius vtendi re, quantum opus ſit ad neceſſitatem ſubleuandam, qua ſubleuata, ſi melior arriſerit fortuna, reuiuiſcit priſtinum debitum.

Scotus.

123. Ex his patet ad rationem in contrarium adductam, cùm neceſſitas non tranſtulerit dominium rei alienę in poſſeſſorem, ſed ſolùm illius vſum tribuerit, quantum ſat fuit ad præſentem neceſſitatem tollendam. Ad confirmationem Coninck, neganda eſt paritas: nam ſi res reſtituta ſit ante neceſſitatem, reſtituens liberatus eſt à debito: vnde non poteſt illud poſtea, arridente lautiore fortuna reuiuiſcere, cùm iam fuerit antea per ſolutionem extinctum. Nec refert, quòd poſtea eadem res ſubrepta ſit tempore neceſſitatis, nam tempus neceſſitatis tribuit ius vtendi re abſque obligatione reſtitutionis, quando in neceſſitate conſtitutus eſt ſimul re & ſpe pauper. Si verò illa reſtituta non ſit, ſemper manet debitum reſtituendi, quod per neceſſitatem non tollitur, ſed ſopitur: vnde applaudente fortuna, reuiuiſcit, etiamſi quando res conſumpta eſt, homo erat re & ſpe pauper.

Digitized by Google

SECTIO IX.

Ex quibus bonis facienda ſit Eleemoſyna?

124. VT certa ab incertis ſeiungamus, Certum primò eſt, Eleemoſynam extremè indigenti faciendam eſſe ex ſuperfluis naturæ, non autem ex neceſſarijs naturæ ſuę aut ſuorum, niſi qui extremè indiget ſit perſona publica. Aſſertio hæc quoad omnes partes conſtat ex dictis. Etenim ſicut ordinata charitas dictat, vt priùs nobis, noſtriſque ſubueniamus, quàm externis: ita dum de publico & priuato bono agitur, eadem præſcribit, publicum pręferendum eſſe priuato.

125. Dices. Non licet neque propter publicam perſonam ſeipſum occidere: ſed qui publicæ perſonę de neceſſarijs naturæ ſuccurrit, ſeipſum occidit, auferendo, quæ ſibi neceſſaria ſunt ad vitæ ſuſtentationem. Confirmatur. Ideò non licet de neceſſarijs naturæ priuatæ perſonę extremè indigenti ſuccurrere, quia ſuccurrendo de neceſſarijs naturæ homo ſeipſum occideret, auferendo, quę ſibi neceſſaria ſunt ad vitæ ſuſtentationem.

126. Reſpondeo conceſsâ Maiori, cùm nunquam licitum ſit poſitiuè ac directè ſeipſum occidere, vt publicæ perſonæ, aut toti Reipub. mea morte ſuccurram: eo quòd directè ac poſitiuè, ſeipſum occidere, ſit intrinſecè malum, quod nequit alterius bono cohoneſtari. Neganda tamen eſt ſimpliciter Minor: nam qui de neceſſarijs naturę ſuccurrit publicę perſonæ, facit, quod tenetur, pręferendo bonum publicum bono priuato. Vnde actio illa, qua ſuccurritur perſonę publicæ ex neceſſarijs naturę, non tendit per ſe directè in priuationem propriæ vitæ, ſed in conſeruationem alienæ, quam in tali caſu teneor prę mea conſeruare.

127. Hinc patet ad confirmationem: nam reſpectu perſonę priuatæ, facio contra debitum naturæ & charitatis, præferendo vitam perſonæ priuatæ vitę propriæ: ac proinde indirecta mors, quæ ex tali actione ſequitur, imputatur mihi ad culpam. Contrà verò, quia reſpectu perſonæ publicæ facio iuxta debitum naturæ & charitatis, indirecta mors inde ſecuta mihi ad culpam non imputatur: cùm neque per ſe ſit intrinſecè mala, vti eſſet occiſio directè à me executioni mandata; nec ſequatur ex actione indebita, vti ſequitur in primo caſu, ſed potiùs ex actione debita, ad quam naturali, & diuino iure teneor.

128 Certum eſt ſecundò, faciendam eſſe Eleemoſynam ex ſuperfluis ſtatus grauem neceſſitatem patienti, non autem ex neceſſarijs ſtatus, niſi longè maius futurum ſit damnum, quod paſſurus eſt proximus in bonis ſtatus, ſi à me non ſubueniatur, quàm ſit damnum, quod ego per talem Eleemoſynam patior. Conſtat eadem proportione, qua præcedens aſſertio. Nam qua ratione non licet vitam priuatæ perſonæ anteferre vitæ propriæ: eadem ratione non licebit dignitatem perſonę priuatæ dignitati perſonę proprię anteponere. Quòd ſi damnum, in quod proximus incurrit, longè maius ſit damno, quod ego ei ſuccurrendo patior, charitas ipſa dictat, exiguum damnum meum poſtponendum eſſe magno damno proximi.

129. Certum eſt tertiò, in extrema neceſſitate & iuxta veriorem ſententiam, etiam in graui conſtituto, faciendam eſſe Eleemoſynam non ſolùm ex bonis proprijs, ſed etiam ex alienis, quando propria non ſuppetunt. Hæc etiam aſſertio conſtat ex dictis: nam quando propria bona ſuppetunt, Eleemoſyna facienda eſt ex his: quando verò propria non ſuppetunt, facienda erit ex alienis, vel quæ apud me manent obnoxia reſtitutioni, vel quæ ſunt apud alios, ea petendo, vel ſurripiendo, ſi alia via haberi non poſſint, vt proximo extremè, aut grauiter indigenti ſuccurram. Ratio eſt, quoniam in tali caſu omnia fiunt communia quoad ius ijs vtendi ad propriam vitam & perſonam conſeruandam.

130. Ex his oritur prima quæſtio, quam proponit Ioannes Medina Codice de Eleemoſyna quæſt. 4. An poſſit de alienis, qui proprijs abundat, extremè, vel grauiter indigenti ſuccurrere. Ratio dubitandi eſt, quoniam ſicut in tali caſu poteſt extremè, vel grauiter indigens ex bonis quorumcunque propriæ vitæ ac perſonæ conſulere: ita poſſet quis ex alienis, etiamſi proprijs abundet, extremè aut grauiter egenti ſuccurrere. Confirmatur, quoniam, vrgente neceſſitate, vnuſquiſque acquirit ius in bona ſuperflua omnium: ergo quiuis agens cauſam pauperis licitè ſuccurrere poterit de bonis ſuperfluis cuiuſcunque: nam eodem iure poteſt quis agere cauſam pauperis, quo pauper ipſe ſuam propriam cauſam ageret. Atqui pauper, vrgente neceſſitate, licitè poteſt è bonis ſuperfluis cuiuſcunque propriæ ſuccurrere neceſſitati: ergo idem facere poterit quicunque alter agens cauſam pauperis. *Medina.*

131. Dicendum tamen eſt, nullo pacto licere ex alienis bonis proximo ſubuenire, quando propria ſuppetunt: quod cum Medina communiter docent reliqui Doctores. Ratio eſt, quia nunquam licet de alienis bonis diſponere, rationabiliter inuito domino. Atqui in prædicto caſu diſponerem de alienis bonis, rationabiliter inuito domino: ergo non licet. Maior patet. Minor probatur: nam tunc tantùm cenſetur irrationabiliter inuitus dominus, quando nequit alia via proximi neceſſitati prouideri, quàm per bona ipſius: ſed quando mihi *Medina.*

Digitized by Google

propria bona ſuppetunt, poteſt alia via proximi neceſſitati prouideri, nempe proprijs meis bonis: ergo rationabiliter tunc erit inuitus dominus, ſi de ipſius bonis ad proximi egeſtatem ſubleuandam diſponerem. Confirmatur, quia ſicut rationabiliter eſſet inuitus dominus, ſi dum poſſem de proprijs meis bonis propriæ ſuccurrere neceſſitati, de alienis ſuccurrerem: ita rationabiliter erit inuitus dominus, ſi dum poſſum proximo de proprijs, ſubueniam de alienis.

132. Dices. Vrgente neceſſitate omnes tenentur de ſuperfluis proximo ſuccurrere: ergo iuxta debitum aliorum operor, ſi ſaltem ex parte ſuccurro proximo ex bonis alienis. Reſpondeo negando conſequentiam: nam eſto vrgente neceſſitate omnes teneantur proximo ſuccurrere, non tamen ſemper licitum eſt cuilibet de hoc debito diſponere, ſed ſolùm quando aliter nequit proximi neceſſitati ſuccurri.

133. Quæres, quis peccaret in caſu, quo multi poſſent, & nullus ſuccurreret. Reſpondeo, omnes: nam licet ſublata neceſſitate ab vno, reliqui liberentur à debito ſuccurrendi: quamdiu tamen illa non tollitur, omnes & ſinguli manent obligati ad ſuccurrendum, cùm non ſit maior ratio de vno, quam de alio.

134. Ad rationem dubitandi initio poſitam Reſpondeo retorquendo argumentum: nam ſicut quando poſſum mihi de meis bonis ſuccurrere, non licet de alienis: ita nec quando ego ipſe poſſum de meis bonis proximi neceſſitati ſuccurrere, licebit de alienis. Eatenus igitur vrgente neceſſitate licitè poſſum de alienis bonis proximo ſuccurrere, quatenus non poſſum de proprijs. Atque hinc patet ad confirmationem: nam eatenus acquiro ius in bona aliorum, quatenus non poſſum de proprijs, quibus ſuppetentibus, ceſſat ius in aliena, quòd tantùm conceditur in defectum propriorum. Ex dictis infertur, ad reſtitutionem teneri, qui proximi neceſſitatibus ſuccurrit ex bonis alienis, dum poteſt ex proprijs.

135. Secvnda quæſtio: An teneatur ad reſtitutionem, qui proximi neceſſitatem ſubleuat ex bonis alienis, dum non poteſt ex proprijs? Ad cuius quæſtionis ſolutionem reſpondendum eſt cum diſtinctione. Nam vel egeſtate preſſus ſubleuandus eſt gratis, vel commodato, aut mutuo. Si gratis: iterum diſtinguendum eſt: nam vel quæ erant reſtitutioni obnoxia debebantur in ſpecie creditori: & tunc nemo manet obligatus ad ea reſtituenda, ſi tempore neceſſitatis conſumpta ſunt. Ratio, quia vrgente neceſſitate ea facta fuerunt communia. Vnde ſiue ipſemet, qui ea poſſidebat, ſiue alius ad egeſtatem ſubleuandam conſumpſerit, naturali ac diuino iure manent libera à reſtitutione, quia ratione neceſſitatis facta fuerunt quoad vſum propria egentiũ. Vel nõ erant debita in ſpecie, ſed in æquiualenti: & tunc, quia quando tempore neceſſitatis data ſunt proximo ad eius egeſtatem ſubleuandam, erant ſub dominio poſſidentis, ea donando, non dedit vt aliena, ſed vt ſua, proinde à reſtitutione non ſit immunis: non ſecus ac, ſi ex proprijs ſibi, vel alteri ſubueniret: cùm reipſa huiuſmodi bona tempore neceſſitatis fuerint ſub dominio non creditoris, ſed debitoris ſeu poſſeſſoris. Quòd autem ea reſtituere non teneatur is, cui ad egeſtatem ſubleuandam data ſunt, ſi alioqui gratis erat ſubleuandus, conſtat: nam ſi is ſubleuatus eſſet ex bonis proprijs ſubleuantis, ad nihil obligatus fuiſſet: ergo nec ſi ſubleuatus fuerit ex bonis obnoxijs reſtitutioni tantùm in genere, cùm talia bona tempore neceſſitatis fuerint ſub dominio poſſidentis.

136. Si verò egeſtate preſſus poteſt mutuo, vel commodato ſubleuari, tunc ſemper ſubleuans manet obnoxius reſtitutioni proprio domino, ſiue quę tempore neceſſitatis dedit ad ſubleuandam egeſtatem proximi, fuerint in ſpecie, ſiue in æquiualenti debita creditori. Ratio, quia non alio titulo is potuit alterius bona in proximum tempore neceſſitatis transferre, quàm proprius dominus eo tempore obligatus fuiſſet. Sed, vt ſupponimus, proprius dominus obligatus non fuiſſet ea gratis, ſed mutuo, vel commodato proximo dare: ergo nec alter alio titulo poterit ea proximo dare. Ex hoc tamen non negamus, manere ad reſtituendum obligatum ipſummet proximum, qui huiuſmodi bonis ſubleuatus fuit, ſi ad pinguiorem venerit fortunam: manere autem obligatum non ei, cui bona reſtituenda erant, ſed ei, qui tempore neceſſitatis illa dedit. Cæterùm ſiue hic huiuſmodi bona reſtituat, ſiue non, ſemper qui dedit manebit obnoxius reſtitutioni proprio domino, à quo illa ſiue licitè, ſiue illicitè acceperat. Confirmatur, nam ſi ipſemet poſſeſſor ea bona conſumpſiſſet ad propriam egeſtatem ſubleuandam, non fuiſſet à reſtitutione liberatus, ergo neque ſi ea dediſſet alteri ad ſimilem egeſtatem conſimili modo ſubleuandam: cùm non potuerit alio titulo ea alteri conferre, quàm quo illa conferre obligatus fuiſſet ipſemet proprius dominus.

137. Cæterùm hæc intelligenda ſunt de Eleemoſyna ſub præcepto, non autem ſub conſilio elargienda. Non enim licitum eſt, ad Eleemoſynam ſub conſilio elargiendam, vel aliena capere, quando propria non ſuppetunt, vel reſtitutioni obnoxia pauperibus dare, præſertim ſi ea ſint in ſpecie creditori debita. Dixi, *præſertim ſi ſint in ſpecie:* nam ſi ſint tantùm in genere, ſeu in æquiualenti, tunc licitum erit, ex illis Eleemoſynam ſupererogationis facere, ſi periculum non ſit, ex huiuſmodi Eleemoſyna nos impotentes reddi ad reſtituendum.

SECTIO X.

An omittens ſubuenire extremè indigenti teneatur ad damna, quæ indigens ex tali non ſubuentione incurrit?

138. HIc duplex inuoluitur quæſtio: Vna eſt, an Eleemoſynam ipſam, quam tenebamur dare ad ſubleuandam extremam neceſſitatem proximi, elapſa neceſſitate teneamur indigenti reſtituere. Altera eſt, an ſaltem teneamur reſarcire damna, quæ ex negatione noſtræ ſubuentionis proximus incurrit.

139. Quoad priorem quæſtionem Doctores communiter negant, etiam ij, qui affirmant, peccare contra iuſtitiam, qui proximo extremè indigenti non ſuccurrunt: eo quòd licet præceptum hoc obliget ex iuſtitia, illud tamen non obligat, niſi tempore neceſſitatis, qua ceſſante, ceſſat pręcepti obligatio. Cæterùm hæc ſententia probabiliter deduci poſſet ex opinione eorum, qui docent, tempore neceſſitatis bona ſuperflua diuitũ iure naturę fieri ſub dominio egentium: nam ea ſemel facta propria egentium, ſemper erunt illorum propria. Dixi *probabiliter:* nam adhuc hi reſpondere poſſunt, elapſa neceſſitate huiuſmodi bona redire ad dominium prioris domini.

140. Quoad poſteriorem verò quæſtionem affirmatiua pars manifeſtè ſequitur ex eorum ſententia, qui ſentiunt, præceptum Eleemoſynæ in extrema neceſſitate obligare ex rigore iuſtitiæ: eamque cum Sarmiento expreſsè docet Layman lib. 3. tract. 3. p. 1. cap. 1. num. 7. ad finem. *Sarmiento. Layman.* Ratio, quia omnis obligatio ex rigoroſa iuſtitia obligat ad reſarcienda omnia damna, quæ ſequuntur ex culpabili mora reſtituendi bona ex rigoroſæ iuſtitiæ titulo debita. Confirmatur. Qui fame pereunti non ſuccurrit, dum poteſt, eſt moralis cauſa mortis ipſius: ergo & reliquorum damnorum, quæ ex negata Eleemoſyna incurrit. Antecedens probatur tum ex illo Ambroſiano relato cap. *Paſce* diſt. 86. *Ambroſius.* *Paſce fame morientem: quiſquis enim paſcendo hominem ſeruare poteris, ſi non paueris, occidiſti:* tum ex cap. *Non in inferenda* 23. quæſt. 3. vbi eiuſdem peccati reus declaratur *qui non repellit à ſocio iniuriam, ſi poteſt, & qui facit:* tum ex Innocentio III. cap. *Quanta* de ſententia excommunicationis, *Innoc. III.* qui eadem culpa damnat eos, qui poſſunt à violenta manus iniectione Clericum defendere, & non defendunt, & qui ipſas manus violentas inijciunt. Conſequentia verò probatur, quia non minùs diues eſt moralis cauſa damnorum, quæ proximus ex negata ſibi Eleemoſyna incurrit, quàm ipſius mortis: igitur ſi eſt moralis cauſa mortis, erit etiam moralis cauſa reliquorum damnorum: & conſequenter tenebitur ea ex iuſtitia reſarcire: nam quicunque eſt moralis cauſa damni alterius, incurrit debitum illud reſarciendi.

141. Negatiua tamen ſententia vti communior eſt inter Theologos, ita procul dubio verior ac probabilior. Quam docent Sotus lib. 5. de iuſtitia & Iure quæſt. 3. art. 4. *Sotus.* Adrianus citatus in 4. de reſtitutione: *Adrianus.* Nauarrus in ſumma cap. 24. num. 7. *Nauarrus.* Suarez de præcepto Eleemoſinæ diſp. 7. ſect. vltima *Suarez.* Vaſquez opuſc. de Eleemoſyna cap. 1. dub. 5. *Vaſquez.* Valentia ſecunda ſecundæ diſp. 3. qu. 9. punct. 4. *Valentia.* & alij. Fundamentum huius ſententię eſt oppoſitum eius, quo contraria ſententia nititur, nempe præceptum Eleemoſynæ non eſſe iuſtitiæ, ſed miſericordiæ, quæ ad reſtitutionem non obligat, & conſequenter nec ad damna, quæ ex eius tranſgreſſione ſequuntur. Quòd non ſit præceptum iuſtitiæ, conſtat ex ſect. 5. Quòd autem ſolum pręceptum iuſtitiæ obliget ad reſarcienda damna, quæ ex ipſius tranſgreſſione ſequuntur, eſt communis opinio Doctorum, conſtabitque ex Tomo ſequenti. Cuius ratio breuiter eſt, quoniam ad ea tantùm damna reparanda obligamur, quæ naſcuntur ex culpabili detentione rei alienæ. Atqui damna ſecuta proximi ex negatione Eleemoſynæ in extrema neceſſitate conſtituto, non naſcuntur ex culpabili detentione rei alienę: ergo ad ea reparanda non tenemur. Minor probatur, quoniam, vt ex ſuprà probatis conſtat, in extrema neceſſitate bona ſuperflua diuitum non tranſeunt in dominium egentium, ſed manent ſub dominio ipſorummet diuitum. Maior oſtenditur: nam ea tantùm damna tenemur reſarcire, quæ impedita fuiſſent per vſum & poſſeſſionem propriorum bonorum, quę dum iniuſtè detinemus, ſumus cauſa, vt ea damna ſequantur. Confirmatur, nam pauper ratione extremæ neceſſitatis ius tantùm acquirit, non dominium in bona ſuperflua diuitum. Ex ſolo autem iure ad rem vti non naſcitur debitum iuſtitiæ huiuſmodi rem alteri tradendam, ita nec obligatio reſarciendi damna, quæ ex non traditione talis rei naſcuntur.

142. *Obijcies.* Qui eſt conſtitutus diſpenſator bonorum in pauperes tenetur ad reparationem damnorum, quæ in pauperibus ſequuntur ex negatione talis Eleemoſynæ in neceſſitate debitę: ergo etiam diues tenetur ad reparationem damnorum, quæ in proximo ſequuntur ex negatione Eleemoſynæ in extrema neceſſitate debitæ.

143. Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſcriminis, quoniam diſpenſator non eſt dominus, ſed ipſi pauperes ſunt domini bonorum diſpenſandorum: & conſequenter damna, quæ ex negatione talium bonorum in pauperibus ſequuntur, ſequuntur ex iniuſta detentione propriorum bonorum: ac proinde tenentur diſpenſatores ad

huiuſmodi

huiuſmodi damna, quæ ex culpabili ipſorum detentione in pauperibus ſequuntur. Diuites verò quacunque proximi neceſſitate vrgente, ſemper retinent dominium ſuorum bonorum: ac proinde damna, quæ in proximo ex non ſubleuatione extremæ neceſſitatis ſequuntur, non ſequuntur ex iniuſta detentione bonorum ipſius proximi, & conſequenter à diuitibus reparanda non ſunt, vti reparanda ſunt à diſpenſatoribus. An autem qui docent, Eccleſiaſticos eſſe merè diſpenſatores, non dominos bonorum Eccleſiaſticorum, conſequenter docere debeant eos teneri ad damna, quæ pauperes incurrunt ex negatione talis Eleemoſynæ debitæ, diſputabimus Tomo ſequenti.

144. Ad argumenta oppoſitæ ſententiæ patet ex dictis. Falſum namque eſt, diuites teneri proximo extremè indigenti ex iuſtitia ſubuenire, ſed ex ſola miſericordia, quæ ad reſtitutionem non obligat. Ad Confirmationem, negatur antecedens. Etenim cùm mors, vel damnum proximi non ſequatur ex negatione Eleemoſynæ, tanquam ex negatione rei ipſius proximi proprię, non dicor propriè, moralis cauſa ipſius mortis, aut damni, niſi tantùm indirectè & per accidens, abſque vlla obligatione ad reſtitutionem. Quare teſtimonium Ambroſij intelligendum eſt de cauſa indirecta & per accidens, & quoad peccati imputationem, non quoad reſtitutionis obligationem. Secundum, & tertium teſtimonium explicat Gloſſa de eo tantùm, qui ex officio impedire poteſt, & non impedit.

SECTIO XI.

Quibus facienda ſit Eleemoſyna?

145. PRimò certum eſt, Eleemoſynam faciendam eſſe omnibus, qui ſunt verè pauperes, niſi maius pręceptum obſtet. Primum conſtat, quoniam, vt ſuprà probatum eſt, præceptum Eleemoſynæ eſt naturale, fundatum in debito, quod vnuſquiſque habet conſeruandi vitam proximi, ſi abſque æquali ſuo damno id poſſit. Vnde præceptum habemus à Deo diligendi proximum ſicut nos ipſos: nomine autem proximi, vt ſuprà oſtendimus, ſunt omnes eiuſdem naturæ nobiſcum participes, ſiue ſint iuſti ſiue peccatores, ſiue fideles, ſiue infideles, ſiue domeſtici, ſiue exteri, ſiue conciues, ſiue peregrini, ſiue amici, ſiue inimici, quos ex præcepto Chriſti tenemur etiam diligere, adeoque eorum neceſſitatibus ſuccurrere, imitantes cœleſtem Patrem, qui Solem ſuum oriri facit ſuper iuſtos & iniuſtos. Solùm Doctores excipiunt, quando ex noſtra Eleemoſyna pauperes occaſionem arripiunt peccandi. Etenim tunc ſeruandum eſt conſilium Auguſtini Epiſt. 48. ad Vincentium contra Donatiſtas *Auguſt.* non multò poſt initium. vbi, *Melius*, inquit, *eſt cum ſeueritate diligere, quàm cum lenitate decipere. Vtilius eſurienti panis tollitur, ſi de cibo ſecurus iuſtitiam negligebat, quàm eſurienti panis frangitur, vt iniuſtitia ſeductus acquieſcat.*

146. Dixi, *qui ſunt verè pauperes*: nam qui verè pauperes non ſunt, ſed fingunt ſe pauperes, non eſt eis Eleemoſyna danda: cùm in eis Eleemoſyna, quæ eſt liberalis donatio ad miſeriam ſubleuandam, locum non habeat. An autem qui Eleemoſynam ſub ficto nomine paupertatis extorquent ad reſtitutionem teneantur, conſtabit ſect. ſequenti.

147. Secundum probatur, quoniam vbi maius præceptum obſtat, ceſſat minus. Quare ceſſat hoc pręceptum primò, quando qui egeſtate premitur, eſt Reipub. hoſtis: vnde non licet, in iuſto bello hoſtibus extremè indigentibus cibaria ſubminiſtrare, licet autem tempore induciarum. Secundò, ſi ſit publicus latro & viatoribus infeſtus. Tertiò, ſi iuſtè ſit ad mortem fame damnatus: nam licet huic poſſem cibum ſubminiſtrare, ſicut & ipſe licitè capere, non tamen teneor, vti nec ipſe, vt iuſtæ me ſententiæ conformem. Quartò, ſi probabile ſit, me ab eo interficiendum: nam tunc ius tuendi propriam vitam præualet, cùm non tenear cum æquali damno alteri ſubuenire.

148. Secundò certum eſt, faciendam eſſe Eleemoſynam voluntariam paupertatem profitentibus, cuiuſmodi ſunt Religioſi mendicantes. Quod non ſolùm approbat vniuerſalis Eccleſiæ praxis, ſed etiam ratio ipſa demonſtrat: quia cùm hi continuò occupentur in orationibus, diuiniſque laudibus, non tenentur manuum labore victum ſibi comparare, cùm longè vtiliores ſint communitati ac Reipub. diuinis rebus vacando, quàm manuum exercitio cibum ſibi comparando.

149. Sola difficultas ſupereſt de ijs, qui arte & labore vitam ſuſtentare poſſunt, malunt tamen perpetuò mendicare: an ſit ijs Eleemoſyna largienda, quod intelligitur extra caſum extremæ, vel grauis neceſſitatis.

150. Affirmant Alenſis 4 p.q. 107. memb. *Alenſis.*
1. Medina Codice de Eleemoſyna q. 7. & *Medina.*
alij: tum quia id docuit Chriſtus Lucæ 6. *Luc. 6.*
illis verbis: *Omni petenti te, tribue*: tum quia Eleemoſynam petere, non eſt per ſe malum, ſed materia virtutis, tam reſpectu petentis, quàm reſpectu largientis: ergo vnicuique licitū eſt, illam petere, etiam extra ſtatum Religionis. Negant verò alij: tum quia legibus cautum eſt, vt tales homines tanquam Reipub. inutiles ac perniciosi relegentur: tum quia Eleemoſynam eripiunt veris pauperibus, qui nequeunt arte, & labore victum ſibi comparare.

151. Horum authorum litem componit Vaſquez opuſc. de Eleemoſyna cap. 3. dub. *Vaſquez.*
1. Syluius ſecunda ſecundæ qu. 32. art. 9. *Syluius.*
quær. 2. Nam vel iſti mendicato viuunt non cauſa fugiendi laborem, ſed amore paupertatis, & deſiderio perfectiùs imitandi Chriſtum,

Alexius. Ignatius. ſtum, vt fecerunt S. Alexius, & B. noſter Patriarcha Ignatius. qui adhuc in ſeculo exiſtentes, paternis bonis ablegatis, elegerunt mendicato vitam traducere. Et hi vti laudabiliter pauperem vitam delicijs anteponunt, ita laudabiliter ſunt piorum Eleemoſynis iuuandi. Nec tales cenſendi ſunt Reipub. inutiles, cui magis prodeſſe poſſunt exemplo, & virtute, quàm labore manuum. Vel mendicato viuunt tædio laboris, & deſiderio otij. Et hi meritò prohibendi ſunt, ne otioſam inutilemque vitam mendicato traducant, ſed potiùs à Magiſtratu cogendi, vt arte & labore victum ſibi quærant, cùm tales inutiles ſint Reipub. quam, vt membra, arte & labore iuuare tenentur, veriſque pauperibus, qui laborare non poſſunt, Eleemoſynas non præripere.

152. Ex his patet ad argumenta primæ ſententiæ: nam teſtimonium Chriſti intelligitur de omni eo, qui petit, abſque præiudicio boni publici. Ad rationem, eſto Eleemoſyna ex obiecto ſuo mala non ſit, poteſt tamen fieri mala ex circumſtantia, ſi nimirum petatur à quo petenda non eſt, vel fiat ab eo, à quo aut quando fieri non debet.

153. Dubium inter Doctores eſt: An poſſit Princeps, aut Reſpub. prohibere, ne vel pauperes peregrini admittantur, vel ne loci incolæ extra certos Reipub. fines Eleemoſynam petendo vagentur, quod ſemper intelligitur extra caſum neceſſitatis.

Sotus. Medina. Vaſquez. 154 Negat cum Soto, & Medina Vaſquez opuſc. de Eleemoſyna cap. 3. dub. 2. in cuius ſententiæ fauorem citat aliquas leges, quæ licitè permittunt pauperibus vbicunque ſibi Eleemoſynis victum quærere. *Carolus V. Philippus II.* In contrarium verò ſunt leges à Carolo V. & Philippo I. Hiſpaniarum Rege latæ, vt pauperes peregrini non admittantur, ne ciuitates & Reſpublicæ grauentur. Pro cuius dubij ſolutione,

155. Dicendum eſt, licitè poſſe Principem, aut Rempub. prohibere, ne vel peregrini pauperes ad Eleemoſynas admittantur, vel ne proprij ad aliena loca mendicando vagentur: quod expreſsè docet Layman lib. *Layman.* 2. tract. 3. cap. 6. Idque non ſolùm confirmant citatæ leges Caroli V. & Philippi II. ſed etiam duplex decretum duarum Synodorum Lugdunenſis ſecundæ, & Turonenſis *Concilium Lugdun. II. Concilium Turon. II. Baronius.* ſecundæ. In quarum prima, referente Baronio anno Chriſti 587. num. 4. ſancitum fuit, ne pauperes leproſi extra proprias ciuitates permitterentur vagari, ſed in vnaquaque ſufficientia alimenta eis ſubminiſtrarentur. In ſecunda verò vniuerſaliter de omnibus pauperibus ſtatutum fuit, vt in vnaquaque Ciuitate alerentur.

156. Eadem aſſertio probatur ratione: quia poteſt Princeps vel Reſpub. ne proprij pauperes patiantur, prohibere, ne peregrini admittantur: vel ne vna Reſpub. malè audiat apud aliam, eo quòd curam ſuorum pauperum non habeat, vetare ſuis pauperibus, ne in alienis locis mendicent, modò ipſa ſufficientia alimenta ſuis pauperibus prouideat, alioqui non poſſet id prohibere. Cæterùm etſi huiuſmodi leges licitæ eſſe poſſint, non videntur tamen expedire, quippe quæ ſpeciem præſeferunt crudelitatis & immiſericordiæ, præſertim apud Chriſtianos, quorum propria quaſi teſſera eſt liberalitas & miſericordia in pauperes & egenos. Vnde eſt illud apud Baronium anno *Baronius.* Chriſti 75. num. 5. Gentilis dictum: *quod nulla ſibi gens viſa eſſet, qua tanta liberalitate proſequeretur miſerabiles quaſque perſonas, perinde ac Chriſtiani.*

157. Vltimò in Eleemoſyna eroganda ſeruandus eſt ordo: in quo, vt citato loco notauit Medina, quatuor attendenda ſunt, *Medina.* neceſſitas, debitum, honeſtas, coniunctio: vt ſemper maiori neceſſitate preſſus præferendus ſit ei, qui minori premitur neceſſitate. Si omnes æquali neceſſitate premantur, ſuccurrendum eſt ei, cui Eleemoſyna eſt magis debita. Si verò in pari fuerint neceſſitate & debito, ei, qui magis eſt nobis coniunctus: & inter exteros, qui ſunt meliores ac ſanctiores, iuxta regulas de ordine charitatis ſuprà aſſignatas, cùm hic ordo fundetur in charitate.

SECTIO XII.

An qui ficto nomine paupertatis Eleemoſynas corrogauit teneatur eas reſtituere, & cui?

158. NEgant Sotus lib. 9. de Iuſtitia & iure quæſt. 7. art. 3. Coninck *Sotus. Coninck.* diſp. 27. dub. 6. concl. 6. Probat Sotus primò, quoniam ex contraria ſententia ſequitur, omnes Curatos & Epiſcopos, qui ficta ſanctitate ad has dignitates aſcenderunt, mala fide ſuas prębendas poſſidere, quin multas ipſorum functiones irritas eſſe & inualidas, vtpote ab illigitimo miniſtro proficiſcentes, quippe quibus validè conferri non potuit dignitas ob fictum motiuum, propter quod illis collata fuit. Secundò. Qui Eleemoſynam largitur, non largitur ſub conditione ſi is, qui petit, reipſa ſit pauper, ſed abſolutè donat propter Chriſtum: ergo etiamſi motiuum ſit falſum, valida erit Eleemoſyna propter Chriſtum facta.

159. Affirmant Alenſis 4. p. quæſt. 86. *Alenſis.* de reſtitutione memb. 3. art. 2. Altiſiodorenſis lib. 4. cap. de reſtitutione: Scotus in 4. *Altiſiodor. Scotus.* diſt. 15. quæſt. 2. *§. de tertio articulo:* Adrianus in 4. de reſtitutione: Caietanus in ſumma *Adrianus. Caietanus.* verbo *reſtitutio* cap. vlt. caſu 4. Angelus verbo *reſtitutio §. ſed quid de hypocrita:* Ioannes *Angelus.* Medina Codice de rebus reſtituendis quæſt. *Medina.* 24. Nauarrus in ſumma cap. 17. num. 107.

Vaſquez

Digitized by Google

Vaſquez. Vaſquez opuſc. de Eleemoſyna cap. 3. dub. vit. & alij. *Quæ ſententia vti communior, ita probabilior exiſtimanda eſt.*

160. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quoniam non ſubſiſtente ſubſtantiali motiuo, propter quod res donatur, inualida eſt donatio. Atqui ſubſtantiale motiuum, propter quod Eleemoſyna erogatur, eſt ſubleuatio alienæ paupertatis: ergo vbi non eſt vera paupertas, inualida eſt Eleemoſynæ largitio: & conſequenter qui eam, ementita paupertate, accipit ad reſtitutionem tenetur, cùm nullum in eam acquiſiuerit dominium. Maior conſtat, quoniam vt donatio, aut quicunque humanus actus ſit validus, debet eſſe voluntarius: vbi enim deeſt voluntarium, deeſt ſubſtantia ipſa actus humani: Nequit autem donatio eſſe voluntaria, ſi eius motiuum, propter quod fit, ignoretur: nam voluntarium, quod in actu requiritur, eſt propter ipſum motiuum, propter quod homo operatur, & bonorum ſuorum dominium transfert. Quòd autem ignorantia motiui cauſet inuoluntarium, aut ſaltem non voluntarium in actu, patet ex definitione voluntarij, quod eſſentialiter eſt à principio cognoſcente ſingula, vt illud definit Ariſtoteles in Ethicis. Minor primi Syllogiſmi eſt ipſa Eleemoſynæ definitio, quæ ſuapte natura dirigitur ad alienam egeſtatem ſubleuandam. Vnde qui Eleemoſynam facit, ſi velit miſericordiæ actum exercere, non poteſt ab hoc motiuo abſtrahere: alioqui non tam exerceret actum miſericordiæ, quàm alterius virtutis, ex cuius motiuo moueretur ad ſua bona largienda: quod quamdiu certò nobis non conſtat, ſupponendum eſt Eleemoſynam largientem moueri ex motiuo miſericordiæ, cuius propria materia eſt Eleemoſyna: non minùs quàm præſumendum eſt, ex motiuo iuſtitiæ moueri eum, qui exteriori actu alienum ius adæquat, niſi aliunde certò conſtet, eum alterius virtutis motiuo impelli.

Ariſtoteles.

161. Confirmatur. Qui donaret centum titulo gratitudinis tantùm putato, non valeret donatio: qui rependeret mille titulo mercedis tantùm putatæ, non ſubſiſteret retributio: Qui ſolueret aliquid pro voto, aut quocunque alio debito dumtaxat putato, voto aut debito non ſubſiſtente, inualida atque irrita eſſet ſolutio: ergo qui erogaret Eleemoſynam titulo ſubleuandæ paupertatis, paupertate non ſubſiſtente, inualida eſſet Eleemoſynæ largitio. Quorum omnium ratio à priori eſt, quoniam deficiente titulo, propter quem dominium transfertur, tranſlatio eſt nulla, cùm nullus actus humanus operari poſſit vltra intentionem operantis. Etenim cùm omnis actus humanus operetur ex intentione operantis, à quo ſuam vim & efficaciam ſortitur, deficiente intentione, propter quam actus elicitur, deficit eius virtus & efficacia. Deficit autem intentio operantis quoties deficit ſubſtantiale motiuum, propter quod operans ad operandum mouetur.

162. Ad primum argumentum Soti, neganda eſt ſequela. Etenim duplex motiuum diſtinguendum eſt in actu, vnum ſubſtantiale, ſine quo talis actus non ſubſiſtit; Alterum accidentale, ſine quo adhuc ſubſtantia actus ſubſiſtit. Priori tantùm motiuo non ſubſiſtente, inualidus eſt actus: quia priori tantùm motiuo non ſubſiſtente, deficit id, propter quod operans ad operandum mouetur. Non ſubſiſtente poſteriori motiuo, adhuc ſubſiſtere poteſt ſubſtantia actus, mediante quo operans ad operandum mouetur. Atqui ſubſtantiale motiuum, propter quod quæuis Eccleſiaſtica dignitas confertur, non eſt ſanctitas perſonę, ſed habilitas ad obeundum ſufficienter munus, ad quod talis dignitas per ſe ordinatur. Quæ habilitas & ſufficientia ſi adſit in perſona, cui Eccleſiaſtica dignitas confertur, valida erit dignitatis collatio, etiamſi reliqua accidentalia motiua deſint: eo quòd non aliter præſumitur Eccleſiaſtica dignitas conferri, quàm vt dignitas ipſa conferri poſtulat; neque aliam diſpoſitionem in ſubiecto requirere, quàm quam dignitas ipſa ſuapte natura exigit. Ergo etiamſi ſi quis Parochialem, Epiſcopalemve dignitatem obtineat ementita ſanctitate, modò habeat reliquas conditiones ad Parochialis, vel Epiſcopalis dignitatis munus ſufficienter obeundum, validè dignitatem accipit. Qui autem ementita paupertate Eleemoſynam comparat, non comparat illam cum ſubſtantiali requiſito ad actum Eleemoſynę, quæ eſt ſubleuatio alienæ paupertatis: adeoque non poteſt iuſto titulo illam retinere, cùm illius dominium non acquiſierit, defectu ſubſtantialis motiui, propter quod operans motus eſt ad Eleemoſynam elargiendam. Secus eſt de vero paupere, qui vt Eleemoſynam faciliùs obtineat, ſanctitatem, vel amicitiam cum largiente ſimulat. Nam etiamſi hic Eleemoſynam non obtinuiſſet, niſi ſanctitatem, vel amicitiam cum largiente mentitus fuiſſet, adhuc valida cenſenda erit Eleemoſyna, quia habet ſubſtantiale motiuum ad actum miſericordiæ requiſitum: ſolùmque ficta ſanctitas, vel amicitia fuit cauſa impulſiua, non finalis & motiua ad Eleemoſynam faciendam. Niſi fortè ementita ſanctitas, vel amicitia fuerit motiuum vberioris Eleemoſynæ largiendæ: nam tunc teneretur ad illum exceſſum, qui datus eſt intuitu fictæ ſanctitatis, vel amicitiæ, vt ibidem docet Vaſquez. Vaſquez.

163. Ad ſecundum, negatur antecedens: nam hoc ipſo, quòd Eleemoſynam largitur, præſumitur illam largiri iuxta conditiones ad actum Eleemoſynę ſubſtantialiter requiſitas. Vnde niſi aliunde conſtet, illum habuiſſe voluntatem donandi Eleemoſynam, etiam paupertate non ſubſiſtente, præſumendum eſt, eum dediſſe titulo & motiuo miſericordię ad proximi paupertatem ſubleuandam. Quæ regula ſeruanda eſt in omni actu humano, vt niſi aliunde conſtet ſemper operans pręſumendus eſt operari

iuxta

Digitized by Google

iuxta motiuum, quod requirit actus, quem exercet. Nec refert, quòd Eleemoſyna ordinetur ad Deum, tanquam ad finem vltimum: quoniam hic actus non neceſſariò tollit proprium motiuum Eleemoſynæ, quę eſt paupertatis ſubleuatio, ſed illud ſupponit: quemadmodum nullus actus imperans neceſſariò tollit proprium motiuum actus eliciti. Cùm igitur ordinatio Eleemoſynæ in Deum ſit actus imperans charitatis, non neceſſariò tollit proprium motiuum Eleemoſynæ, qui eſt actus elicitus ex motiuo miſericordiæ alienæ paupertatis ſubleuandæ. Dixi *non neceſſariò:* quia abſolutè poſſet virtus imperans tollere motiuum actus eliciti, eliciendo illum ex ſuo proprio motiuo virtutis imperantis, vt ſi ipſamet charitas, actum Eleemoſynę eliceret ex motiuo ſolius amoris diuini, nullo autem pacto ex motiuo paupertatis ſubleuandæ in proximo. In quo caſu valida eſſet Eleemoſyna. Verùm niſi id conſtet, ſemper, vt dictum eſt, præſumitur qui Eleemoſynam facit, illam facere ex motiuo proximo paupertatis ſubleuandæ: quia cùm hic ſit ordinarius modus operandi, nec operans teneatur ad alium modum, niſi aliunde conſtet, ſemper præſumitur operari iuxta ordinarium modum.

164. Supereſt alia controuerſia, cui nimirum reſtituenda ſit Eleemoſyna ficto titulo paupertatis acquiſita. Aliqui putant, reſtituendam eſſe ei, qui illam dedit, cùm illa manſerit ſub dominio dantis. Alij cenſent, illam dari poſſe veris pauperibus, eo quòd illa ex intentione largientis applicata manſerit veris pauperibus. Quæ poſterior ſententia probabilis eſt, & in praxi ſecura, quam cum multis citato loco ſequitur Vaſquez. *Vaſquez.* Quare liberum erit, aut proprio domino, aut veris pauperibus illam reſtituere.

SECTIO XIII.

Quinam poſſint Eleemoſynam facere?

165. QVæſtio non eſt, quinam poſſint in extrema, eademq; ratio in noſtra ſententia eſt de graui neceſſitate, Eleemoſynam facere: conſtat enim vrgente neceſſitate, non modò poſſe, ſed etiam teneri omnes ad Eleemoſynam faciendam. Etenim ſi vrgente proximi neceſſitate, tenemur aliena ſurripere, quando non ſuppetunt propria, vt proximi neceſſitati ſuccurramus, quantò magis tenemur omnes ex quibuſcunque bonis naturæ ſuperfluis proximo ſuccurrere? Solùm poſſet eſſe dubium, an ſi in extrema, vel graui neceſſitate haberemus bona, quæ tantùm eſſent ſub noſtro dominio, non autem ſub noſtra libera diſpoſitione, cuiuſmodi ſunt bona aduentitia, vel profectitia, quæ filius ſub cura parentis conſtitutus habet, quorum dominium tantùm eſt penes ipſum, non autem adminiſtratio, quæ ſpectat ad parentem: nec non bona, quę Scholaſtici Noſtræ Societatis habent ante factam renuntiationem, quorum etſi dominium ſit penes ipſos, eorum tamen diſpoſitio pendet à conſenſu Superiorum: An tunc liceat ex alienis bonis proximi neceſſitati ſuccurrere, vel potiùs teneamur ex ijs, quorum tantùm dominium habemus.

166. Ad quod dubium Reſpondeo cum Vaſquez opuſc. de Eleemoſyna cap. 4. *§. ſed poteſt eſſe dubium:* *Vaſquez.* non poſſe tunc nos ex bonis alienis, ſed ex bonis noſtro dominio ſubiectis, proximi neceſſitati ſuccurrere. Secus eſt de bonis, quorum nec dominium, nec liberam adminiſtrationem habemus, cuiuſmodi ſunt bona Religionis, quæ Religioſi ſubditi apud ſe habent, quorum nec dominium, nec diſpoſitio penes ipſos eſt. Quare liberum his erit proximo in extrema vel graui neceſſitate conſtituto ſubuenire, ſiue de bonis Religionis, ſiue de ſuperfluis aliorum, cùm æquè Religioſi ſubditi careant dominio & adminiſtratione bonorum Religionis, ac ſuperfluorum aliorum dominorum.

167. Quæſtio igitur propoſita intelligitur de ijs, qui extra caſum extremæ vel grauis neceſſitatis Eleemoſynam licitè facere poſſunt. De quibus vniuerſalis regula ſit, eos tantùm licitè poſſe Eleemoſynas facere, qui vel cum abſoluto dominio liberam etiam habent ſuorum bonorum adminiſtrationem, vel etiamſi dominio careant, abſolutam tamen habent de illis adminiſtrationem, non autem qui ſolùm dominium ſine adminiſtratione habent. Prior regulæ pars patet: nam hi habent omnes conditiones, quæ ad validam & licitam Eleemoſynam faciendam requiri poſſunt, quæ ſunt abſolutum dominium bonorum, & libera adminiſtratio eorundem.

168. Ex hac priori regulæ parte infertur 1. Licitè poſſe filios, etiam ſub patria poteſtate conſtitutos Eleemoſynam facere de bonis Caſtrenſibus, ſeu quaſi Caſtrenſibus. Caſtrenſia bona ſunt, quæ in militia, vel occaſione militiæ acquiruntur, cuiuſmodi ſunt ſtipendia militum, prædæ in militia ex hoſtibus captæ, Ducum ac Principum donatiua, dona ac munera omnia intuitu militiæ collata, ſtipendia ac donaria in Aula Principum acquiſita. Quaſi Caſtrenſia ſunt, quæ vel ex beneficio Eccleſiaſtico, vel ex publico officio Iudicis, Aduocati, Tabellionis, aut ex profeſſione alicuius artis liberalis comparantur: nam de his omnibus Filij non ſolùm habent dominium, ſed etiam liberam adminiſtrationem, legibus concedentibus.

169. Infertur 2. Licitè poſſe vxores Eleemoſynam facere primò, de bonis Paraphernalibus: ſunt autem bona Paraphernalia, quæ vxor vltra dotem accepit. Secundò, de bonis, quæ peculiari ſuo labore & induſtria, ſeruato domeſtico familiæ regimine, vxor ſibi comparauit. Quod intelligitur, vbi conſuetudo

Digitized by Google

non viget, vt omnia coniugum lucra ſint communia, vt in aliquibus Regionibus ſeruatur. Tertiò, de bonis pro ſua ſuſtentatione ſibi aſſignatis. Nam de his omnibus vxores non ſolùm habent dominium, ſed etiam liberam diſpoſitionem.

170. Infertur 3. Poſſe communitatem de bonis, quæ communiter, ſeu collegialiter poſſidentur, Eleemoſynam facere: ad quam faciendam non eſt neceſſarius conſenſus ſingulorum, ſed ſufficit maioris partis communitatis, vt habetur cap. *In cunctis,* de ijs quæ fiunt à maiori parte Capituli. Quin hoc ipſo, quòd talium bonorum adminiſtratio alicui certæ perſonæ committitur, eo ipſo cenſetur eidem commiſſa poteſtas ordinarias Eleemoſynas faciendi, cùm hæc ſpectet ad prudentem bonorum adminiſtrationem, quæ pauperum neceſſitates non excludit. Secus verò dicendum eſt de bonis communitatis, quæ diſtribuenda ſunt ſingulis: de his enim nequeunt fieri Eleemoſynæ, maiori tantùm parte communitatis conſentiente, ſed debent conſentire omnes, cùm omnes & ſinguli ad ea ius habeant accipiendi, quæ ſibi pro rata portione debentur.

171. Infertur 4. Poſſe meretrices de bonis ex meretricio, & Aſſaſſinos de bonis ex Aſſaſſinio, vel quocunque alio delicto acquiſitis, Eleemoſynas facere. Ratio omnium eſt, quia licet hæc bona iniqua actione acquirantur, acquiſita tamen manent ſub perfecto dominio & libera diſpoſitione acquirentis. Secus eſt de bonis, quæ acquiruntur pro iuſta actione, quam aliàs quis ex iuſtitia facere tenebatur, vt ſunt bona, quæ iudex accipit pro iuſta ſententia ferenda, quam aliàs ex iuſtitia ferre tenebatur. Nam ſicut hæc bona nō fiunt ſub dominio iudicis, ita nec de illis Eleemoſynas facere poteſt, ſed tenetur ea reſtituere proprio domino, à quo illa accepit.

172. Infertur 5. Non modò licitè poſſe, ſed etiam teneri Epiſcopos, ac beneficiatos de ſuperfluis reditibus Eccleſiaſticis Eleemoſynas facere. Nam ſiue hi ſint veri domini, ſiue tantùm diſpenſatores eorum, quæ ipſorum ſtatui ſuperfluunt, licitè poſſunt ea pauperibus erogare, cùm liberam de ijs adminiſtrationem habeant, quæ ad Eleemoſynam validè ac licitè faciendam ſatis eſt, vt infrà conſtabit.

173. Quòd autem teneantur de ijs Eleemoſynas facere, primò colligitur ex Concilio *Concilium Trident.* Trident. ſeſſ. 25. cap. 1. de reformatione, vbi prohibet, ne Epiſcopi, aut quicunque beneficiati, quod etiam ad Cardinales extendit, ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſvè ſuos augere ſtudeant, ſed ſi pauperes ſint, ijs vt pauperibus diſtribuant. Supponit igitur Concilium, ea diſtribuenda eſſe pauperibus, vel in alios pios vſus applicanda. Secundò, id confirmat communis Patrum authoritas, per multos canones explicata. Tertiò, officium ipſum, quod huiuſmodi perſonæ, præſertim Epiſcopi exercent, cùm ſint in Eccleſia Dei conſtituti Patres pauperum. Quò fit, vt non modò ijs incumbat cura ſubleuandi pauperes in extrema, vel graui tantùm neceſſitate poſitos, ſed etiam communem neceſſitatem patientes: nec ſolùm ipſorum cura eſt pauperibus, ſubueniendi ſed etiam eos inquirendi: nam hoc totum pertinet ad officium boni Paſtoris, ac Patris Spiritualis, cuiuſmodi eſt Epiſcopus reſpectu ſuorum ſubditorum.

174. Quartò. Id conuincit ratio ipſa. Quoniam cùm hæc bona ſint data Eccleſiæ non ſolùm ad perſonas diuino cultui applicatas alendas, ſed etiam ad pauperum neceſſitates ſubleuandas, vt conſtat ex vſu & conſuetudine primitiuæ Eccleſiæ, quæ tertiam partem horum bonorum applicabat pauperibus, cumque hæc bona cum eodem onere & conditione tranſeant ad Eccleſiaſticos, tenentur quæ ex ijs propriæ perſonæ ac ſtatui ſuperfluunt, erogare pauperibus. Quò fit, vt etiamſi non teneantur ſæculares ſuperflua ſui ſtatus in communes pauperum neceſſitates erogare, teneantur Epiſcopi & beneficiati, ob peculiares rationes aſſignatas. Sub eadem obligatione tenentur de bonis Eccleſiæ per teſtamentum Eccleſiaſticis perſonis conceſſum diſponere, vt nonniſi in Chriſti pauperes, vel in alios pios vſus ſuperflua legentur.

175. Poſterior regulæ pars, nempe quòd etiamſi careant dominio, modò liberam habeant bonorum adminiſtrationem, validè ac licitè poſſint de ijs Eleemoſynas facere, probatur: quoniam hoc exigit natura ipſa bonæ adminiſtrationis, vt ſe extendat ad omnes actus ex virtute debitos: cùm igitur Eleemoſyna ſit actus ex miſericordia debitus, ad eam etiam debet ſe extendere prudens ac recta adminiſtratio. Cæterùm bifariàm poteſt quis bonorum adminiſtrationem accipere, vno modo limitatam ad certam ſummam pro Eleemoſyna dandam: & tunc licitum non eſt, plus in pauperum neceſſitates impendere, quàm in ipſa adminiſtratione ſit expreſſum. Alio modo abſque vlla limitatione: & tunc licitum eſt, tantùm de ſuperfluis ſtatus in Eleemoſynas impendere, quantùm probabiliter cenſetur impenſurus fuiſſe ipſemet qui bonorum adminiſtrationis fuit auctor.

176. Ex hac poſteriori regulæ parte infertur primò, poſſe Superiores Religionum, quibus abſoluta bonorum Monaſterij adminiſtratio committitur, Eleemoſynas facere. Dixi, *quibus abſoluta*: vti illam habere ſolent Ordinarij Religionum Superiores: ſecus eſt de Procuratoribus, & Miniſtris, qui illam abſolutam non habent, ſed ad certam ſummam à ſuis ſuperioribus limitatam, quam licitè excedere nequeunt. Limitant aliqui hoc, niſi dum iter faciunt, vel extra Monaſterium ex licentia ſuorum Superiorum degunt. Aliàs omnis Eleemoſyna à Religioſis, abſque conſenſu ſaltem tacito ſui Superioris facta, inualida eſt, & reſtituenda, non Religioſo, à quo accepta fuit, ſed Monaſterio, ad quod prædicta Eleemoſyna ſpectabat: quòd declarauit

Clemens V. II. clarauit Clemens VIII. in Bulla de largitione munerum, quę incipit: Religioſæ congregationes. Et ratio id etiam demonſtrat: nam ei reſtituenda eſt, ad cuius dominium ſpectabat: atqui ea non ad particulare dominium eius, qui illam dedit, ſed Monaſterij ſpectabat: igitur ei reſtituenda eſt.

177. Infertur 2. Poſſe vxorem, abſente, vel amente marito, Eleemoſynas facere: nam tunc adminiſtratio bonorum reuoluitur ad vxorem: cum hoc diſcrimine, quòd rectè *Vaſquez.* notauit Vaſquez loco præcitato, vt in priori caſu tantùm & non plus in Eleemoſynas impendere poſſit, quantùm maritus ipſe impendere ſolitus eſt: in poſteriori verò abſque vlla limitatione, quantum ipſamet iudicauerit impendendum. Et ratio diſcriminis eſt, quoniam in priori caſu adhuc ius adminiſtrandi ſimpliciter manet apud maritum, tantùm vxor ſuccedit vt executrix tacitę, vel expreſſę voluntatis mariti. In poſteriori verò non ſolùm executio, ſed ipſum ius & poteſtas adminiſtrandi bona domeſtica reuoluitur in vxorem, eo quòd maritus per amentiam amiſerit ius & poteſtatem adminiſtrandi bona.

178. Infertur 3. Poſſe tutores de bonis pupillorum, quorum liberam adminiſtrationem habent, Eleemoſynas facere, non quidem extraordinarias, ſed communes & ordinarias: quemadmodum & vxores in bonum ſpirituale mariti: cùm ad id, ſi non actu elicito, ſaltem debito conſentire teneatur maritus.

179. Poſtrema regulæ pars probatur: nam ſolum dominium non ſatis eſt ad validè transferendum ius in alterum, niſi cum dominio ſit etiam poteſtas liberè diſponendi de bonis. Etenim cùm poteſtas diſponendi ſit diſtincta à dominio, ſiquidem manere poteſt dominium abſque poteſtate diſponendi, & è contrà poteſtas diſponendi abſque dominio, cumque ad ius transferendum præcipuè requiratur poteſtas diſponendi, defectu ſolius poteſtatis diſponendi poterit Eleemoſyna eſſe inualida.

180. Ex hac poſtrema regulæ parte infertur, inualidas eſſe Eleemoſynas, quas facit pupillus abſque conſenſu tutoris, vxor de bonis dotalibus abſque conſenſu mariti, Religioſus Societatis Ieſu de bonis, quorum dominium retinet, abſque conſenſu Superioris, prodigus ſub curatore conſtitutus abſque conſenſu ſui curatoris, filius-familias de bonis aduentitijs & profectitijs abſque conſenſu parentis: ſunt autem bona aduentitia, quæ obueniunt filio-familias ſucceſſione, vt ſunt bona materna defunctâ matre; donatione, propriâ induſtriâ, labore, lucro, fortunâ. Profectitia ſunt, quæ filio dantur intuitu Parentis, quæ tamen nec ſunt Caſtrenſia, nec quaſi Caſtrenſia. Ratio omnium eſt, quoniam ſolum dominium abſque poteſtate diſponendi non ſufficit ad ius transferendum. Ex his à fortiori ſequitur, nullam poſſe ſeruum Eleemoſynam facere de bonis ſui domini, cùm nec dominium, nec adminiſtrationem illorum habeat; poſſe tamen de bonis, quæ libera donatione acquiſiuit, vel quę ex certa ſibi aſſignata quotidiana portione ſuperſunt.

181. Vltimò dubium ſupereſt, an qui bona accepit cum poteſtate ea pauperibus diſpenſandi, poſſit ea ſibi, vel conſanguineis applicare, ſi verè pauperes ſint. Et ſanè certum eſt, ea in graui, & à fortiori in extrema neceſſitate tam ſibi, quàm quibuſcunque alijs applicare poſſe, etiam contradicente domino, qui ea diſpenſanda dedit: cùm in extrema vel graui neceſſitate non potuerit impedire ius naturale, quod vnuſquiſque habet in bona ſuperflua aliorum ad tuendam ſuam, ſuorumque vitam. Sola difficultas eſſet, an contradicente domino, teneretur diſpenſator ex proprijs ſuperfluis bonis extremæ vel graui neceſſitati pauperum ſuccurrere: Ad quam difficultatem Reſpondeo negatiuè, ſed adhuc eo contradicente, poſſe diſpenſatorem ex bonis ſibi pro pauperum neceſſitatibus aſſignatis, eorum extremæ vel graui neceſſitati ſuccurrere. Ratio eſt, quoniam in ipſa voluntate aſſignandi bona pro pauperibus includitur voluntas ea diſpenſandi pro extremè aut grauiter laborantibus. A qua voluntate irrationabiliter excluderentur extremè vel grauiter indigentes. Extra verò caſus extremæ vel grauis neceſſitatis, ſi dominus ipſe non determinauit perſonas, quibus diſpenſatio bonorum ſit facienda, nec expreſſe prohibuit, ne ea ſibi, vel conſanguineis applicaret, poſſe tam ſibi, quàm conſanguineis, ſi verè pauperes ſint, ea applicare, cùm ſub nomine pauperum veniat etiam ipſe, eiuſque conſanguinei.

182. Quæ hactenus de Eleemoſyna diximus, proportionaliter intelligenda ſunt de reliquis miſericordiæ operibus, tam corporalibus, quàm ſpiritualibus: quæ per eaſdem omnino leges & perpendenda & applicanda ſunt, nempe quando proximus cenſeatur in graui, vel extrema neceſſitate, vt in infirmitate, vel carcere viſitetur, vt à medico curetur, vt ab aduocato opportuno patrocinio iuuetur. &c, vel in communi tantùm, vt de reliquis etiam miſericordiæ operibus iudicium ferre poſſimus, quando eorum omiſſio cenſenda ſit graue, quando leue, quando nullum peccatum. Cæterùm aduertendum, in reliquis etiam miſericordiæ operibus interdum præter miſericordiæ, admiſceri etiam iuſtitię debitum, vt in Prælatis, qui ex iuſtitia tenentur tempore vrgentis neceſſitatis hęc opera exhibere: ſicut & Medici, atque aduocati, qui cõmuni Reipub. ſtipendio ad ſuam operam infirmis ac pauperibus præſtandam conducuntur. Hi enim pręter peccatũ immiſericordiæ, & iniuſtitiæ, quod committunt, tenentur etiam ad reſarcienda damna, quæ proximus, ex negata ſibi opera iuſtitiæ titulo ſibi debita paſſus eſt.

SECTIO

SECTIO XIV.

An, & quæ Eleemoſyna ſit ſatisfactoria, & an magis quàm oratio & ieiunium?

183. IN quouis opere bono duo conſiderari poſſunt, Ratio meriti, & ratio ſatisfactionis: primò reſpondet præmium vitæ æternæ, ſecundò remiſſio alicuius pœnæ, quam per peccatum incurrimus. Ratio meriti in omnium Catholicorum ſententia non reperitur niſi in actu à iuſto elicito: cùm nullus actus ſit dignus vita æterna, niſi in gratia factus, vt Tridentinum definit ſeſſ. 6. cap. 16. Ratio ſatisfactionis reperiri poteſt iuxta aliquorum ſententiam etiam in opere bono à peccatore elicito, non quidem reſpectu pœnæ æternæ, quæ nonniſi per infuſionem gratiæ remittitur cum ipſo peccato, ſed reſpectu pœnæ temporalis relictæ ex peccatis antea condonatis. *Concilium Trident.*

184. Porrò Scholaſtici in 4. diſt. 15. tria aſſignant opera ſatisfactoria, Eleemoſynam, orationem, ieiunium, quæ in gratia facta ſunt etiam meritoria vitæ æternę. Per Eleemoſynam, ſubintelliguntur omnia opera miſericordiæ tam corporalis, quàm ſpiritualis: per orationem actus omnes Religionis tam interni, quàm externi, vt templorum viſitationes, peregrinationes, proceſſiones, & ſimiles. Per ieiunium omnia opera corporis afflictiua, vt ſunt diſciplinæ, vigiliæ, humi cubationes, & cætera eiuſmodi. Præterea aliqua ex his ſunt ſub præcepto, aliqua tantùm ſub conſilio. His prænotatis,

185. DICO 1. Quæuis Eleemoſyna Chriſti nomine à iuſto facta non ſolùm eſt meritoria, ſed etiam ſatisfactoria. Aſſertio quoad priorem partem eſt de fide Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi: eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere:* ecce cauſa meritoria Regni cœleſtis, Eleemoſyna nomine Chriſti pauperibus facta. Ratio verò eſt, quoniam, vt Tridentinum præcitato loco definit, ad opus meritorium nil aliud requiritur, quàm vt ſit opus in Deo à iuſto factum: eſt autem opus in Deo factum, hoc ipſo quod à iuſto fit nomine Chriſti: igitur omnis Eleemoſyna nomine Chriſti à iuſto facta eſt meritoria æternæ gloriæ. *Matth. 25.* *Concilium Trident.*

186. Quoad poſteriorem partem eadem aſſertio conſtat ex omnibus ijs Scripturæ oraculis, quibus Eleemoſyna dicitur peccata redimere: redimit autem Eleemoſyna peccata, quatenus pro illis ſatisfacit. Fundamentum eſt: quia ſiue ad opus ſatisfactorium, præter bonitatem ex obiecto & acceptabilitatem ex perſona operante, requiratur etiam, vt ſit pœnale & afflictiuum ſubiecti, vt cum Durando in 4. diſt. 15. in ſecunda p. diſtinctionis q. 5. docent multi; ſiue ſufficiat, vt ſit tantùm opus virtutis reſarciens honorem & reuerentiam Deo debitam, quam peccator peccando à Deo ſubtraxit vt alij cum Scoto in 4. diſt. 15. q. 1. §. *de tertio* contendunt, in quauis ſententia Eleemoſyna à iuſto facta erit opus ſatisfactorium: quippe quæ & eſt actus virtutis miſericordię, & acceptabilis ratione perſonæ largientis, & pœnalitatem habet reſpectu ſubiecti, à quo ſubtrahitur aliquod bonum exhibendum in recompenſam diuini honoris læſi: ergo habet omnes conditiones ad rigidiſſimum opus ſatisfactorium requiſitas. *Durand.* *Scotus.*

187. Quòd autem aſſertio intelligi debeat de quauis Eleemoſyna tam corporali, quàm ſpirituali, conſtat: tum quia Chriſtus citato loco Matth. 25. quoduis opus miſericordiæ, ipſius nomine factum, aſſignat tanquam meritoriam cauſam cęleſtis gloriæ: tum quia quodlibet opus miſericordiæ nomine Chriſti à iuſto factum habet omnes conditiones ſuprà aſſignatas ad rigidiſſimam ſatisfactionem requiſitas: cùm ſit actus virtutis, acceptabilis ex perſona ſatisfaciente, nec non pœnalis tam ratione externæ actionis, quæ exhibetur in ſubleuationem alienæ miſeriæ, quàm ratione internæ compaſſionis, qua miſericors compatitur miſero. *Matth. 25.*

188. DICO 2. Non ſolùm Eleemoſyna ſub conſilio, ſed etiam ſub pręcepto eſt ſatisfactoria: eſt communis inter Theologos. Fundamentum, quoniam præceptum non tollit conditiones ad ſatisfactionem requiſitas: nam etiam Eleemoſyna ex præcepto debita, eſt opus miſericordiæ virtutis, Deo acceptabilis ratione perſonæ largientis, nec non pœnalis tum ratione actionis externæ, tum ratione compaſſionis internæ. Nec debitum tollit, quin opus ſatisfactorium acceptetur in recompenſam ſubtractæ reuerentię & honoris debiti Deo per peccatum læſo, vt conſtat in ſatisfactione humana, quæ etiamſi ſit debita ab offendente, non impedit, quò minùs acceptetur ab offenſo in recompenſationem iniuriæ ſibi illatæ.

189. Confirmatur. Ratio præcepti ac debiti non tollit, nec minuit rationem meriti: ergo nec rationem ſatisfactionis. Antecedens eſt de fide, & conſtat ex omnibus illis oraculis, in quibus promittitur Regnum Dei præcepta diuina ſeruantibus. Ioannis 15. *Si præcepta mea,* inquit, Chriſtus, *ſeruaueritis manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta ſeruaui, & maneo in eius dilectione.* Conſequentia verò probatur, quia non minùs debitum videtur eſſe contra rationem meriti, quàm contra rationem ſatisfactionis: igitur ſi illud non impedit, neque hanc impediet. *Ioan. 15.*

190. Maior difficultas eſt, an Eleemoſyna ex præcepto debita ſit magis ſatisfactoria, quàm ex conſilio. Medina Codice de Eleemoſyna q. 2. in affirmantem partem videtur *Medina.*

inclinare; eo quòd illa ſit melior & vtilior proximo. Verùm huius difficultatis ſolutio pendet ex vniuerſali illa controuerſia, an opus præceptum ſit magis meritorium & acceptum Deo, quàm opus conſilij, quam exactè examinare non eſt huius loci. Ad noſtrum propoſitum ſufficit, vt Eleemoſyna ſub præcepto ſit ſatisfactoria.

191. DICO 3. Directè, ac cæteris paribus, oratio & ieiunium ſunt magis ſatisfactoria, quàm Eleemoſyna. *Durandus. Vaſquez.* Ita Durandus in 4. diſt. 15. p. 2. q. 6. n. 7. quem ſequitur Vaſquez opuſc. de Eleemoſyna cap. 1. dub. 2. Fundamentum, quoniam illud opus eſt magis ſatisfactorium, quod eſt magis pænale, nam vel pænalitas eſt conditio eſſentialiter requiſita ad opus ſatisfactoriũ, ſine qua ſatisfactio eſt nulla, vel ſaltem auget vim valoremve ſatisfactionis. Atqui oratio & ieiunium directè, ac cæteris paribus, ſunt magis pænalia, quàm Eleemoſyna: nam illa affligit animum ſubmittendo illum Deo; hoc corpus, ſubtrahendo illi debitum cibum & potum, vel alio externo labore, aut mortificatione illud affligendo: Hæc tantùm ſubtrahit bona externa, quę ſubtractio non ita affligit hominem, ſicut opera, quæ immediatè verſantur circa animi, corporiſque caſtigationem.

192. *S. Thomas. Medina.* Oppoſitum docent S. Thomas in 4. diſt. 15. q. 2. art. 2. ad ſecundam quæſt. Medina paulò ante citatus, & alij: quorum fundamentum duplex eſt. Primùm, quia Eleemoſyna virtute continet vtrumque ieiunium & orationem; ieiunium, quatenus ſubtrahit externa bona, quibus recreari poſſet corpus; orationem, tum quia ipſa Eleemoſynæ largitio eſt quædam oblatio facta Deo: tum quia Eleemoſyna conſtituit debitorem ad orandum & ieiunandum ipſummet pauperem, cui erogatur. Secundùm, Ea opera ſunt magis ſatisfactoria, quę magis acceptantur à Deo: magis autem Deus acceptat Eleemoſynam, quàm orationem & ieiunium, quòd tanquam per ſe notum ſupponit Medina: ergo. Confirmatur. Eleemoſyna eſt magis meritoria apud Deum: ergo & magis ſatisfactoria. Antecedens conſtat, nam eò actus eſt magis meritorius, quò eſt nobilioris virtutis: ſed Eleemoſyna vel eſt actus miſericordię, vel charitatis: vtraque autem eſt nobilior virtus, quàm vel Religio, cuius actus eſt oratio; vel temperantia, cuius eſt ieiunium. Conſequentia probatur, nam quæ ſunt magis meritoria, ſunt magis accepta Deo, ac proinde ei magis ſatisfactoria.

193. Verùm primum fundamentum ſolùm probat, quòd Eleemoſyna indirectè & concomitanter, vt Durandus loquitur, poſſit *Durandus.* eſſe magis ſatisfactoria, quàm oratio & ieiunium; quatenus nimirum per Eleemoſynam conſtituitur debitor ad orandum & Ieiunandum pro largitore ille ipſe, qui eam accipit: non autem directè & formaliter; cùm directè & formaliter maior ſit pænalitas in oratione & ieiunio, quàm in Eleemoſyna, vt oſtenſum eſt. Secundum fundamentum cum ſua confirmatione tantùm probat, quòd Eleemoſyna magis accepterur à Deo in ordine ad præmium, non autem in ordine ad ſatisfactionem. Non enim hoc ipſo, quòd opus eſt magis meritorium, eſt etiam magis ſatisfactorium, cùm ex diuerſis capitibus creſcat meritum & ſatisfactio.

194. DICO 4. Probabile eſt, Eleemoſynam etiam à peccatore nomine Chriſti factam eſſe ſatisfactoriam alicuius pœnę temporalis ex præteritis peccatis condonatis relictæ. Hæc aſſertio colligitur ex Scoto in 4. *Scotus.* diſt. 15. q. 1. §. *de quarto dicitur*, vbi docet per quodlibet opus ſatisfactorium, etiam extra charitatem factum, remitti aliquam pœnam temporalem ex pręteritis peccatis condonatis relictam. Eadem colligitur ex Mar- *Marſilius.* ſilio in 4. q. 11. ar. 3. ad 2. ante ſecũdum dub. qui id etiam aſſerit, de omnibus operibus bonis extra charitatem factis. Et probari poteſt omnibus ijs Scripturæ, ac Patrum teſtimonijs, quæ Eleemoſynæ tribuunt remiſſionem peccatorum. Quæ peccatorum remiſſio, etſi intelligi poſſit per modum impetrationis, vt ſuprà in hac diſp. ſect. 2. oſtendimus: non repugnat tamen eam intelligi de ipſa remiſſione pœnæ temporalis ex præteritis peccatis condonatis relictę: ſic enim meliùs ſaluantur multæ authoritates, quæ hoc priuiligium ſpecialiter tribuunt Eleemoſynę. Nec eſt eadem ratio de reliquis operibus bonis, de quibus non habemus ad id probabiliter aſſerendum ſpeciales authoritates, Scripturæ ac Patrum.

Digitized by Google

DISPVTATIO XXXII.

De Correctione fraterna.

1. Meritò poſt Eleemoſynam, diſputationem inſtituimus de correctione fraterna, quæ eſt quædam ſpiritualis Eleemoſyna, quam fratri ad ad ſubleuandam, ſpiritualem ipſius animi miſeriam verbo impendimus. De Correctione fraterna diſputant Scholaſtici in 4. diſt. 19. Thomiſtæ cum Angelico 2. 2. q. 33. Canoniſtæ in caput *Nouit* de iudicijs, & in caput *Si peccauerit.* 2. q. 1. Summiſtæ verbo *Correctio.* Nos Theologico more de hac virtute examinabimus, quæ ad ipſius naturam & obligationem cognoſcendam apprimè conducunt.

Thomas.

SECTIO I.

An correctio fraterna ſit virtus, & cuius virtutis actus ſit?

2. Etſi hęc nomina *Correptio*, & *Correctio* diuerſam habeant ſignificationem, vt ex Auguſtino 1. de Ciuitate cap. 9. & Serm. 16. de verbis Domini colligitur; correptio enim ſolùm actum corripiendi & arguendi importat, etiam fratris emenda non ſecuta; correctio autem ipſam fratris emendationem: *Nolunt*, inquit, priori loco Auguſtinus, *plerumque corripere, cum fortaſſe poſſint aliquos corripiendo corrigere: Debemus*, ait in poſteriore loco, *amando corripere, non nocendi auiditate, ſed ſtudio corrigendi.* Etſi hæc nomina inquam diuerſam habeant ex prima ſua origine ſignificationem, vſus tamen obtinuit, vt pro eodem vſurpentur. Atque hęc quoad nomen. Quoad rem verò.

Auguſt.

3. Dico 1. Correptio fraterna eſt virtus. Aſſertio hęc eſt Theologica concluſio euidenti diſcurſu deducta ex altera præmiſſa de fide Matth. 18. vbi Chriſtus fraternam, correptionem nobis pręcipit: *Si peccauerit*, inquit, *in te frater tuus, vade, & corripe eum* &c. & ex altera naturę lumine nota, non poſſe nimirum Deum actum malum præcipere. Ex quibus pręmiſſis ſequitur hęc Theologica concluſio, quòd fratrem corripere, ſit actus virtutis. Quę concluſio vt explicata per euidentem propoſitionem naturalem erit de fide, vt conſtat ex regulis traditis diſp. 2. ſect. 6. Probaturque ratione. Actus fraternę correptionis eſt actus ſubleuatiuus ſpiritualis miſeriæ noſtri proximi: ergo eſt actus virtutis. Antecedens conſtat, nam obiectum fraternæ correptionis eſt peccatum proximi, quæ eſt maxima miſeria, ad quod tollendum hic actus dirigitur. Conſequentia probatur, quia non minùs virtutis actus eſt, procurare bonum proximo, quàm malum ab eodem tollere.

Matth. 18.

4. Dico 2. Fraterna correctio eſt actus miſericordię à charitate diſtinctę. Eſt omniũ, qui diſp. 30. ſect. 2. nobiſcum docent, miſericordiam eſſe virtutem à charitate diuerſam. Fundamentum, quoniam fraterna correptio habet obiectum formaliter diuerſum ab obiecto charitatis: ergo eſt virtus à charitate diſtincta. Conſequentia elucet, nam obiectum formale eſt ſpecificatiuum virtutis, & ſimul diſtinctiuum ipſius ab omni alia. Antecedens probatur, nam fraterna correptio reſpicit miſeriam ſpiritualem proximi vt ſubleuandam, & quamuis etiam charitas reſpiciat malum proximi vt auertendum, ex diuerſo tamen motiuo: nam hæc tendit ad auertendum malum ex motiuo amicitiæ, quo vult bonum proximo, quatenus proximi perfectiuum eſt; illa ex motiuo ſubleuãdi eius miſeriam. Vnde illa ſiſtit tanquam in vltimo motiuo in ipſa complacentia proximi; hæc in complacentia ipſius honeſtatis actus miſericordiæ, ex qua mouetur.

5. Dico 3. Fraterna correctio eſt actus ſpecie diuerſus ab Eleemoſyna corporali, & à quolibet alio actu ſubleuatiuo miſeriæ corporalis proximi. Fundamentum, quoniam hic actus habet motiuum formale diuerſum à quolibet alio actu ſubleuatiuo miſeriæ corporalis. Nam motiuum huius actus eſt, ſubleuatio miſeriæ ſpiritualis animi, quæ eſt altioris ordinis, quàm ſit quæcunque ſubleuatio miſeriæ corporis: ſicut enim miſeria ſpiritualis animæ lõgè peior eſt quacunque miſeria corporis: ita ſubleuatio miſeriæ ſpiritualis eiuſdem erit longè melior quacunque ſubleuatione miſeriæ corporalis. Atqui actus miſericordiæ ſpecificatur à miſeria proximi vt ſubleuanda: igitur correctio fraterna ſubleuatiua miſerię ſpiritualis animæ erit diuerſa ſpecie ab Eleemoſyna corporali, & quacunque alia operatione ſubleuatiua miſeriæ corporalis proximi.

6. Maior difficultas eſt, an ſubleuare Rempub. à miſeria, ſiue corporali, ſiue ſpirituali, in qua verſatur, ſit actus miſericordiæ. Ratio dubitandi eſt: quoniam Reipub. tenemur ex iuſtitia ſubuenire: ergo ſubleuare illam à miſeria, non erit actus miſericordiæ, ſed iuſtitiæ. Pro cuius difficultatis ſolutione,

7. Diſtinguendum eſt duplex debitum

Digitized by Google

erga Rempub. Alterum, quo aſtringuntur ij, qui eam ex officio conſeruare tenentur. Quod debitum cùm ſit fundatum in tacito, vel expreſſo contractu, quo tales perſonæ ſe obligarunt ad eam conſeruandam, & promouendam, qua de cauſa ſtipendia honoris ac dignitatis ab eadem Repub. acceperunt, eſt debitum iuſtitię, adeoque eos obligat ex iuſtitia. Alterum, quo tenentur omnes eiuſdem communitatis perſonæ, tanquam membra eiuſdem Myſtici corporis ei grauiter periclitanti, etiam cum æquali, imò cum maiori periculo propriorum bonorum temporalium ſuccurrere. Atque hoc debitum non excedit limites miſericordię, cum ipſius obiectum ſit miſeria Reipub. vt ſubleuanda, fundatum in ſolo debito morali, quod vnaquæque perſona habet, ſuccurrendi communitati in graui periculo conſtitutę, quamuis intra eandem rationem debiti moralis maximè obliget.

8. Confirmatur, nam ſicut circa eandem perſonam priuatam poteſt quis duplici titulo obligari, & iuſtitię, ſi is ex contractu vel quaſi contractu illam conſeruare ac defendere tenetur; & miſericordiæ, quo vnuſquiſque obligatur ſuo proximo periclitanti ſuccurrere: ita & circa communitatem: cùm non minùs erga vnam, quàm erga aliam duplex hic titulus ac debitum miſericordię & iuſtitiæ diſtingui poſſit. Nec minùs vna, quàm alia ſit vtriuſque prædicti iuris capax. An autem quando in vna eademque perſona duplex hoc debitum iuſtitię & miſericordiæ concurrit, omiſſio talis actus reponendus ſit in duplici ſpecie malitiæ, conſtabit ex infrà dicendis. Cęterùm notandum, fraternam correptionem regulariter per ſe tantùm dirigi ad priuatum, bonum fratris.

SECTIO II.

An fraterna correctio ſit ſub præcepto?

9. DIco 1. Fraterna correctio eſt ſub præcepto. Eſt communis Scholaſticorum in 4. diſt. 19. *S.Thomas.* S. Thomæ tum diſt. citata q. 2. art. 2. ad 1. q. tum 2. 2. q. 33. art. 2. *Ius Canonic.* Canoniſtarum in cap. *Nouit* de iudicijs, & caput, *Si peccauerit* 2. q. 1. Summiſtarum verbo *fraterna correctio*. Colligitur ex verbis *Matth. 18.* Chriſti Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum* &c. vbi verbum imperatiuum *Corripe* pręceptum importat. Vnde *Innoc. III.* Innocentius III. in citatum caput *Nouit*, appellat hoc *mandatum diuinum*. confirmat hoc *1. Theſſal. 5.* ipſum Apoſtolus 1. ad Theſſalonicenſes 5. *1. Tim. 5.* *Corripite inquietos*: & 1. ad Timotheũ 5. *Peccantes*, inquit, *coram omnibus argue, vt & cateri timorem habeant*. Idem pręceptum colligitur ex veteri teſtamento *Leuit. 19.* Leuitici 19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publicè argue illum, ne habeas ſuper illo peccatum*. Vbi peccati particeps cenſetur, qui ſuum proximum peccantem non arguit: & Eccleſiaſtici 19. *Eccleſ. 19.* *Corripe proximum, ne fortè non dixerit: & ſi dixerit, ne fortè iteret. Corripe amicum: ſæpè enim fit commiſſio.*

10. Idem ſentiunt communiter Patres. Auguſtinus Serm. 16. de verbis Domini: *Auguſt.* *Si neglexeris*, inquit, (intellige) *corripere peior es. Peior es tacendo, quàm ille committendo*: & de communi vita ſeu regula Clericorum. *Magis quippe ait, nocentes eſtis, ſi fratres veſtros, quos indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis.* Quòd confirmat exemplo Eleemoſynæ corporalis: *ſi enim*, ſubdit, *frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari, dum timet ſecari: nonne à te crudeliter ſiletur, & miſericorditer indicaretur? Quantò ergo potiùs*, ibidem concludit, *debes manifeſtare, ne deteriùs putreſcat in corde.* Ambroſius in Epiſto- *Ambroſius.* lam ad Epheſ. *inter catera*, inquit, *mandata, peccantes poſſe arguere, maxima libertatis eſt.* Quibus expreſsè ſignificat, officium arguendi peccatores eſſe inter mandata. Idem in Epiſtolam 1. ad Corinth. dixerat, peccatum vnius contaminare multos, ſed præcipuè eos, qui *cùm poſſunt arguere, diſſimulant*. Gregorius *Gregorius.* lib. 12. Regiſtri Epiſt. 31. *Iuxta ſaluatoris Domini*, inquit, *ſententiam, qua inter catera de peccante in ſe fratre pracipiendo*, ait, *ſi peccauerit* &c. Idem paſſim docent Reliqui Patres.

11. Probatur vltimò hęc ſententia ratione. Etenim ſi miſericordia nos obligat, vt proximo graui neceſſitate corporali laboranti ſuccurramus, quantò magis nos obligabit, vt ei grauem neceſſitatem ſpiritualem patienti ſubueniamus: cùm longè maius, periculoſiuſque ſit malum ſpirituale animæ, quàm corporis: nec minùs, *de proximo ſuo vnicuique mandauit Deus* Eccleſiaſtici 17. *Eccleſ. 17.* vt curam habeat ſalutis animi, quàm corporis.

12. Ex dictis infertur, hoc præceptum natura ſua obligare ad mortale, licet ob diuerſas circumſtantias interdum à peccato, ſaltem mortali excuſet. Primum patet, cùm ſit de materia graui: & conſtet à fortiori ex pręcepto Eleemoſynæ corporalis, quod, vt ſuprà oſtendimus, ex natura ſua obligat ad mortale. Secundùm conſtabit ex conditionibus, quas hoc præceptum requirit, vt obliget ſub mortali.

13. Sed dubitare quis poſſet, an ſit de fide, correctionem fraternam eſſe ſub præcepto. Negat Sotus lib. de tegendo ſecreto apud *Sotus.* Suarez diſp. 8. de præcepto correctionis fra- *Suarez.* ternæ ſect. 1. concl. 2. dum ait, non eſſe hæreticum, negare hoc ſpeciale præceptum. Oppoſitum docent Suarez loco præcitato, Va- *Valentia.* lentia 2. 2. diſp. 33. q. 10. punct. 2. & alij: & quidem verius, vt conſtat ex citatis teſtimonijs Scripturæ, accedente communi conſenſu Patrum, & Scholaſticorum.

14. Confirmatur. Hæreticum eſt, negare opera miſericordię corporalis eſſe ſub præcepto: ergo ſimiliter hæreticum erit, negare opera miſericordię ſpiritualis eſſe ſub pręcepto. Antecedens conſtat Matth. 25. vbi Chriſtus *Matth. 25.* æterna pœna ignis damnat eos, qui hæc opera

in hac

Digitized by Google

in hac vita omiſerunt. Non damnantur autem æterna pœna, niſi tranſgreſſores præceptorum. Conſequentia ſequitur à fortiori: etenim ſi ſunt in præcepto opera minoris vtilitatis & fructus, à fortiori erunt ſub præcepto opera maioris perfectionis & fructus erga proximum. Cæterùm etſi conſequentia hæc per diſcurſum deducta ex antecedente de fide ſit tantùm Theologica, explicata tamen tanquam virtualiter contenta in antecedente expreſsè reuelato erit de fide.

15. Contra hanc veritatem objiciebant aliqui hæretici apud Auguſtinum lib. de correptione & gratia cap. 2. & 3. contra quos hunc librum conſcripſit: Correptio adhibetur, vt homo à peccato corrigatur. Correctio autem peccati effectus eſt gratiæ, quam Deus dat cui vult: ergo fruſtra adhibetur. Sed negatur conſequentia: nam correptio diſponit ad recipiendam gratiam: quam diſpoſitionem præcipit nobis Deus, vt erga proximum exhibeamus, non ſecus ac nobis præcipit reliqua bona opera, quæ hominem ad gratiam recipiendam diſponunt. *Auguſt.*

16. *Obijcies* 2. Eatenus ſub præcepto tenemur ſuccurrere ſpirituali ſaluti proximi, quatenus proximus quoad ſpiritualem ſalutem eſt in graui vel extrema neceſſitate: atqui nunquam proximus poteſt eſſe in graui, vel extrema neceſſitate ſpiritualis ſalutis: ergo nunquam tenemur ſub præcepto illi quoad ſpiritualem ſalutem ſuccurrere. Maior conſtat: nam ideò non teneor ſuccurrere ſaluti proximi iniuſtè me inuadentis, permittendo me ab eo occidi, vt ſpirituali ſaluti ipſius conſulam, ſed poſſum propter meam defenſionem illum occidere, eſto ſciam eum fore damnandum, quia non eſt in neceſſitate, ſed in peruerſa voluntate. Minor probatur: quia quoad ſalutem ſpiritualem nemo poteſt eſſe in neceſſitate, cùm nemo ad peccandum neceſſitetur.

17. Reſp. conceſſa Maiori, diſtinguenda eſt Minor: nunquam poteſt eſſe in neceſſitate ſimpliciter, concedo: nunquam poteſt eſſe in neceſſitate ſaltem morali, quæ ad obligandum ſufficit, nego. Nec eſt par ratio de iniuſto inuaſore: nam huius ſpirituali ſaluti non poſſum conſulere, abſque maximo vitæ meæ damno: ſine quo ſi ei ſuccurrere poſſem, tenerer.

18. Dices. Charitas obligat, vt bonum ſpirituale proximi præferam bono temporali proprio: ergo etiam cum periculo propriæ vitæ teneor ſuccurrere ſpirituali ſaluti proximi. Vnde ſuprà docuimus, nos teneri ad baptizandum infantem de æterna vita periclitantem, etiam cum periculo propriæ vitæ temporalis. Reſpondeo nego, charitatem ſemper obligare ad præferendum bonum ſpirituale proximi bono temporali proprio: vt quando bonum ſpirituale proximi non eſt æternum, ſed temporale; vel quando proximus non eſt in neceſſitate, ſed in praua ac peruerſa voluntate, vt eſſet ille, qui me iniuſtè inuaderet.

19. Dico 2. Præceptum fraternæ correctionis non ſolùm eſt diuinum, ſed etiam naturale. Primum conſtat ex allatis teſtimonijs vtriuſque teſtamenti. Secundum probatur primo authoritate gentilium Philoſophorum, qui hoc præceptum agnouerunt. Ariſtoteles 4. Polit. docet, homines non ſolùm eſſe à pueritia inſtruendos, ſed etiam corrigendos. Seneca lib. de beneficijs: *Iniuſti iudicis*, inquit, *eſt, bene agentem non remunerare, & negligentem non corripere.* *Seneca.* Idem Philoſophus in Prouerbijs: *Amici vitia ſi feras*, inquit, *facis tua:* &: *Secreto admone amicos, palàm lauda:* item: *Bonis nocet, qui malis parcit:* & lib. de moribus: *vitia tranſmittit ad poſteros, qui præſentibus culpis ignoſcit.* *Ariſtoteles.* Et in Apophthegmatis legitur: *Caſtiganda ſunt proximi vitia, ne totus pereat damnandus.*

20. Secundò probatur ratione: nam ratio naturalis non minùs dictat ſubueniendū eſſe proximo in animi, quàm corporis neceſſitate conſtituto: igitur ſi naturale præceptum eſt, ſubuenire proximo in graui neceſſitate corporis conſtituto, præceptum quoque naturale erit, eidem ſuccurrere in graui neceſſitate animæ poſito.

21. Ex dictis infertur, non ſolùm Chriſtianos teneri ad corripiendos Gentiles, ſed etiam Gentiles ad corripiendos ipſos Gentiles, imò & Chriſtianos. Quia cùm hoc præceptum ſit naturale, tam Chriſtiani tenentur illud adimplere erga Gentiles, quàm Gentiles erga ipſoſmet Gentiles, & Chriſtianos: non minùs quàm tam Chriſtianus naturali præcepto tenetur ſuccurrere Gentili graui vel extrema neceſſitate corporali laboranti, quàm vnus Gentilis alteri Gentili, vel Chriſtiano eadem corporali neceſſitate preſſo.

22. Dices. Diſpar eſt ratio de neceſſitate corporali, & ſpirituali: nam illam tam Chriſtianus, quàm Gentilis naturali lumine apprehendit; hanc nonniſi Chriſtianus ſupernaturali lumine fidei illuſtratus: quo carens Gentilis nequit obligari ad hoc præceptum ſeruandum. Reſp. negando neceſſitatem ſpiritualem ſolo lumine fidei cognoſci: cùm enim naturaliter cognoſcatur, peccatum eſſe contra naturam rationalem, & in mea ſententia etiam contra Deum, naturali lumine notum, ac proinde dignum pœna, conſequenter naturaliter etiam cognoſcitur vt vera animi miſeria, impeditiuum naturalis ſaltem felicitatis, quæ cum peccato conſiſtere non poteſt: ac proinde materia miſericordiæ per fraternam monitionem à quocunque ſubleuabilis.

23. Cæterùm notat S. Thomas 2. 2 q. 33. *S. Thomas.* præcitata art. 2. ad 4. & cum eo reliqui Doctores, vi huius præcepti nos non teneri, imò nec debere vitam proximi inueſtigare, vt ipſius peccata corrigamus, ſed tantùm nos obligari ad corrigendos eos, qui nobis manifeſtè occurrunt: nam, vt ſapienter Auguſtinus *Auguſt.* Serm. 16. de verbis Domini initio: *Admonet nos*, inquit, *Dominus Noſter non negligere inuicem peccata noſtra, non quærendo quid reprehendas, ſed videndo quid corrigas.*

Digitized by Google

SECTIO III.

Quæ ſit materia præcepti correctionis fraternæ?

24. NOn quærimus hic, quæ ſit materia ſimpliciter correctionis fraternę: clarum enim eſt, materiam ſimpliciter fraternæ correctionis non ſolùm eſſe peccata mortalia, ſed quoſcunque defectus: nam quicunque defectus eſt miſeria creaturæ rationalis, ac proinde materia virtutis miſericordiæ: ſed ſolùm quærimus, quæ ſit materia præcepti correctionis fraternæ, quæ ſub mortali obliget ad fraternam correctionem adhibendam. Porrò tria ſunt, quæ poſſunt eſſe materia huius præcepti, peccatum mortale, peccatum veniale, & ignorantia inuincibilis de opere malo.

25. Dico 1. Omne peccatum mortale proximi, tam commiſſum & non emendatum, quàm ſub probabili periculo committendum, vel iterandum, eſt materia huius præcepti. Eſt communis Scholaſticorum, & colligitur ex illis verbis Chriſti Matth. 18. (*Matth. 18.*) *Lucratus eris fratrem tuum, Corripe ergo*, inquit, Auguſtinus (*Auguſt.*) præcitato Serm. 16. de verbis Domini, *inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum, quia perierat niſi faceres*. Ergo ſupponitur frater vel periiſſe, vt ab interitu ad vitam per fraternam correptionem reuocari poſſit, vel certè periturus, niſi correptionis anthidoto præmuniatur. Perit autem frater ſolo, & quouis peccato mortali, vt ſuppono. Ratio verò aſſertionis eſt, quia quodlibet peccatum mortale tam commiſſum & non emendatum, quàm ſub probabili periculo committendum, vel iterandum conſtituit proximum ſub graui neceſſitate amittendi ſalutem animi: ergo ex præcepto miſericordię tenemur illi ſubuenire, potiori ratione, quàm illi teneamur ſubuenire conſtituto in graui neceſſitate amittendi ſalutem corporis. Dixi, *non emendatum:* quia ſi conſtet, illud iam eſſe emendatum, vel breui ac ſuo tempore ab ipſo fratre emendandum, ceſſat hoc præceptum, quod per ſe dirigitur ad fratris emendam.

26. Dices. Etiamſi conſtet peccatum fratris eſſe emendatum, adhuc poterit eſſe materia correptionis in bonum aliorum, vt ex eiuſmodi correptione alij à ſimili peccato deterreantur. Reſpondeo argumentum tantùm probare, poſſe emendatum peccatum fratris eſſe materiam punitiuę ſeu vindicatiuæ iuſtitię, quę ſpectat publicum bonum communitatis, vt alij à peccatis deterreantur, dum vident ea publicè commiſſa publicè puniri, non autem materiam miſericordię, quę ſpectat priuatum bonum fratris: colligitur ex Gloſſa in Canonem *Si peccauerit in te* 2. q. 1. vbi docet, peccatum iam factum, intellige & emendatum, corripere, ſpectare ad ſolos Pręlatos, quibus incumbit corrigere ſuos ſubditos: corripere verò peccatum faciendum, eademque ratio eſt de facto nondum emendato, ſpectare ad omnes.

27. Dixi, *ſub probabili periculo committendum:* nam mera ſuſpicio non ſufficit, niſi ſit ſufficienti ratione fundata, vel in proxima occaſione peccandi, vel in ſigno aliquo externo committendi tale peccatum. Cùm enim corripere fratrem propter peccatum ſub periculo committendum, ſupponat grauem notam in fratre, vel prauæ voluntatis tale peccatum committendi, vel defectus virtutis ſuperandi occaſiones inducentes ad peccandum, non erit abſque ſufficienti ratione talis nota imponenda fratri.

28. Cæterùm controuerſia inter Doctores eſt, an materia huius præcepti ſit ſolùm peccatum contra ipſum corripientem commiſſum, an quodlibet aliud peccatum contra Deum patratum. Nonnulli putant, eſſe ſolùm peccatum contra corripientem commiſſum: idque probant ex ipſo textu, qui expreſsè loquitur de peccato contra corripientem, eumque Dominus adhortatur ad iniuriæ remiſſionem: *Si peccauerit*, inquit, *in te frater tuus*. Porrò in fratrem peccare idem eſt, ac peccare contra fratrem. Et inferiùs accedens Petrus ad Chriſtum dixit: *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* Nequit autem homo homini peccatum dimittere, niſi quoad iniuriam ſibi illatam. Idem conſtat ex Parabola, qua totum diſcurſum in eo cap. Chriſtus his verbis concludit: *Sic & Pater meus Cœleſtis faciet vobis ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris*. Idem confirmant verba Lucæ 17. (*Luc. 17.*) *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et ſi ſepties in die peccauerit in te, & ſepties in die conuerſus fuerit ad te, dicens pœnitet me, dimitte illi.* In eodem ſenſu prædicta verba explicant Baſilius (*Baſilius.*) interrogatione 232. Chryſoſtomus (*Chryſoſt.*) Homil. 61. in Matthæum. Hilarius (*Hilarius.*) canon. 18. in Matthęum. Hieronymus (*Hieronym.*) in eundem locum, & alij. *Ideò*, inquit Chryſoſtomus, *præcepit arguere ei, qui paſſus eſt iniuriam, & non alij: quia ille qui fecit iniuriam ab eo manſuetiùs ſuſtinet, & maximè cum ſolus eum corripit. Cùm enim qui vindictam expetere debebat, hic ſalutis videtur diligentiam habere, maximè hoc eum poteſt propitium facere. Iubet*, inquit, Hilarius *peccantem fratrem ab eo ſolo, in quem peccauerit corripi atque obiurgari. Si peccauerit in nos frater noſter*, ait Hieronymus, *& in qualibet cauſa nos læſerit, dimittendi habemus poteſtatem, imò neceſſitatem, quia præcipitur, vt debitoribus noſtris debita dimittamus. Si autem in Deum quis peccauerit, non eſt noſtri arbitrij.* Vnde aliqui authores huius ſententiæ ex his colligunt, hic non dari præceptum, ſed ſolùm conſilium de fratre corripiendo: ita quidam Bernardinus Areualenſis (*Bernardinus Areualenſis.*) apud Bannez (*Bannez.*) 2. 2. q. 33. art. 8. dub. 1.

29. Communis tamen Scholaſticorum ſententia in 4. diſt. 19. & S. Thomæ (*S. Thomas.*) 2. 2. q. 33. eiuſque interpretum eſt, omne peccatum

Digitized by Google

rum mortale eſſe materiam huius præcepti. Quod non obſcurè colligitur ex fine, quem Chriſtus in hoc præcepto intendit, quæ eſt peccatoris correctio & fratris lucrum, vt ipſemet Matth. 18 expreſſit, *Si te*, inquit, *audierit, lucratus eris fratrem tuum*. Probaturque ratione: nam quodlibet peccatum eſt maxima creaturæ rationalis miſeria, cùm illam auertat à Deo ſummo bono, beatiſſimoque fine. Atqui ex charitatis & miſericordiæ præcepto tenemur proximum à tanta miſeria eripere, præſertim quando id ſine magno noſtro incommodo præſtare poſſumus: igitur non ſolùm per fraternam correptionem tenemur illum corripere à peccato contra nos commiſſo, ſed etiam à quocunque alio, quòd illum à ſummo bono beatiſſimoque fine auertit.

Matth. 18.

30. Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ ductum ab authoritate Chriſti, qui ſolùm loqui videtur de peccato contra corripientem commiſſo, Reſpondent aliqui, negando aſſumptum: illudque *in te* explicant *coram te*, vt ſolùm per hæc verba Chriſtus explicare voluerit notitiam dumtaxat peccati corripiendi reſpectu corripientis, ſine qua notitia non licet, vt ſuprà oſtenſum eſt, fratrem de peccato arguere. Verùm etſi ſpectando hæc verba præcisè, hic ſenſus admitti poſſit, ſpectando tamen illa coniuncta cum reliquis, vix hæc explicatio admitti poteſt.

31. Reſpondent alij concedendo, citata loca intelligi de peccato contra corripientem: ijdem tamen aiunt, quodlibet peccatum coram corripiente commiſſum eſſe contra ipſum corripientem, quippe quem hoc ipſo offendit, quòd illum ſuo peccato ſcandalizat, eumque teſtem & approbatorem facit patrati ſui criminis.

Bannez. Turrianus.

32. Verùm probabiliùs cum Bannez 2. 2. q. 33. art. 8. dub. 1. Turriano diſp. 89. dub. 1. & alijs dicendum erit, Chriſtum in citatis locis exemplum tantùm attuliſſe de peccato contra corripientem commiſſo, præceptum tamen dediſſe de quouis peccato mortali: tum quia id multi Patres explicant, vt Anacletus Papa, vt refertur 24. q. 3. Canone *tam Sacerdotes: Tam Sacerdotes*, inquit, *quàm reliqui fideles omnes, ſummam debent habere curam de his, qui pereunt, quatenùs eorum redargutione aut corrigantur à peccatis, aut ſi incorrigibiles apparuerint, ab Eccleſia ſeparentur.* Auguſtinus Serm. 16. de verbis Domini: *Non ſolùm*, inquit, *quando in nos peccatur, ſed quando peccatur ab aliquo, vt ab altero neſciatur, in ſecreto debemus corripere, in ſecreto arguere* &c. Tum quia id colligitur à fortiori. Etenim ſi non obſtante, quòd per peccatum à fratre ſumus offenſi, illum corripere tenemur, vt eum lucremur: à fortiori tenebimur illum corripere, etiamſi per ipſius peccatum læſi non ſimus, vt ipſum lucremur. Prudenter igitur Chriſtus exemplum ſolùm dedit de peccato contra corripientem commiſſo, non quòd de hoc tantùm tenemur fratrem corripere, idque non vt illum lucremur, ſed vt ei iniuriam nobis illatam dimittamus, vt falsò nonnulli autumant: ſed quia difficilius eſt, corripere animo lucrandi illum, qui contra nos peccauit, quàm quemcunque alium: cùm iniuria ipſa corripientis animum naturaliter auertat, ne facilè inclinetur ad fratrem contra ſe peccantem per charitatiuam correptionem lucrandum.

Anacletus

Auguſt.

33. Ad authoritatem Patrum Reſpondeo primò multos ex ijs, qui citati ſunt, nobiſcum ſentire, vt Baſilius in ſua Ethica definitione 52. cap. 2. hoc præceptum intelligit de quouis peccato: *Non eſſe*, inquit, *tacendum erga eos, qui peccant, nec communicandum operibus infrugiferis tenebrarum, ſed magis eos redarguendos.* Hieronymus ibidem citatus, explicans quo fine in correctione fraterna ſint ex præſcripto Chriſti adhibendi teſtes, docet adhibendos eſſe ſtudio corrigendi fratrem, vt eius animam lucrifaciamus: qui finis militat in quouis peccato mortali.

Baſilius.

Hieronym.

34. Reſpondeo ſecundò Patres explicando citata loca Euangelij de ſolo peccato contra corripientem commiſſo, non negaſſe, Chriſtum correptionis præceptum dediſſe de quouis peccato mortali: ſed illud tantùm explicuiſſe de peccato contra corripientem commiſſo, vt ſe modo loquendi Chriſti conformarent.

35. DICO 2. Peccatum veniale non eſt materia huius præcepti, niſi quando eſt probabile periculum prolabendi in mortale. Eſt communis Doctorum. Ratio, quia nec per peccatum veniale commiſſum, & non emendatum perijt, nec per peccatum veniale probabiliter committendum, vel iterandum, periturus eſt frater. Atqui præceptum fraternæ correptionis ſolùm obligat, quando vel frater perijt, vel periculum eſt, ne pereat, vt ex prima aſſertione conſtat: ergo. Confirmatur. Inducere fratrem ad venialiter peccandum, non eſt mortale: ergo nec illum de veniali non corripere. Antecedens patet, cùm non magis peccet qui ad peccandum inducit, quàm ipſemet, qui ad peccandum inducitur. Conſequentia conſtat à fortiori, cùm magis ſit inducere ad peccandum, quàm peccantem non corripere.

36. Contra hoc ſenſerunt aliqui exiſtimantes hoc præceptum obligare ad corripienda venialia: tum quia Chriſtus eum, qui corripiendus eſt, vocat noſtrum fratrem: non eſt autem noſter frater qui mortaliter peccat, cùm per ipſum peccatum mortale deſinat eſſe frater. Tum quia ſub mortali tenemur eripere proximum à graui miſeria corporali: ſed peccatum veniale eſt grauius malum quacunque miſeria corporali: ergo.

37. Reſpondeo ad primum appellari fratres etiam peccatores, vt conſtat ex 2. ad Theſſalonicenſes 3. vbi monet Apoſtolus, Theſſalonicenſes, vt ſubtrahant ſe *ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionem datam.*

2. Theſſ. 3.

38. Pro ſolutione ſecundi argumenti variæ ſunt reſponſiones, vt videre eſt apud Bannez

Bannez.

Digitized by Google

nez 2. 2. q. 33. art. 2. dub. 2. Probabilior reſponſio eſt: eſto peccatum veniale ſit grauius malum quacunque miſeria corporali, eſt tamen diuerſæ rationis, propterea comparari non debet cum miſeria corporali, ſed cum miſeria ſpirituali, ſub cuius genere continetur: comparata autem cum miſeria ſpirituali non cenſetur graue malum.

39. Cæterùm dubitari poteſt, an ſaltem ſub peccato veniali teneamur proximum corripere de peccato veniali. Reſpondeo per ſe & regulariter neque ſub veniali nos teneri ad proximum corrigendum de peccato veniali. An autem in aliquo caſu, vel ſtatu teneamur, conſtabit ex infrà dicendis.

40. Ratio verò, cur peccata venialia non ſint materia præcepti correctionis fraternæ, ea eſt: quia cum peccata venialia ſint tam frequentia in vita humana, ſi ea teneremur etiam ſub veniali in proximo corrigere, valde difficilis redderetur conuictus humanus, amicitiaque ipſa ſæpè læderetur. Cæterùm inter Religioſos ad perfectionem Euangelicam tendentes poteſt peccatum veniale pręſertim deliberatum eſſe materia obligans ſub veniali. Nam hic ceſſat ratio aſſignata: quia cùm inter Religioſos huiuſmodi peccata non ſint ita communia, per eorum correptionem non redditur Religioſorum conuictus difficilis, nec eorum amicitia læditur. Atque hoc verum eſt inter ipſos Religioſos ſubditos. Maior autem obligatio incumbit Prælatis Religionum, qui vt cuſtodes regularis diſciplinę, interdum tenentur etiam ſub mortali venialia corrigere ac punire, videlicet quando omiſſio correctionis huiuſmodi peccatorum venialium tenderet in regularis diſciplinę deſtructionem, vel in alicuius regulæ ad perfectionem maximè vtilis abrogationem: ita Bannez 2. 2. q. 33. art. 2. dub. 2. Turrianus ibidem dub. 2. & alij. Quin etiam Religionum Superiores ex officio tenentur huiuſmodi peccata inquirere, vt ea corrigant ac puniant; ad quorum inquiſitionem non tenentur ſubditi. Poſſet etiam quis eſſe moraliter certus, quòd proximus de ſuo peccato veniali correptus emendaretur, nec talem correptionem ægrè ferret: ac proinde in tali caſu ſub veniali teneremur proximum de ſuo veniali peccato corripere.

Bannez. *Turrianus.*

41. Dico 3. Ignorantia inuincibilis poteſt eſſe materia huius præcepti, non quidem per modum correptionis, ſed conſilij ad mortale obligantis. hoc poſteriùs patet: nam materia correptionis eſt culpa: vbi autem eſt ignoratia inuincibilis, culpa eſſe non poteſt, vt per ſe patet: ergo præceptum correptionis locum habere non poteſt. Prius probatur: nam ignorantia, præſertim quæ eſt impeditiua multorum operum bonorum, & cauſatiua malorum, eſt maxima miſeria creaturæ rationalis: ergo eſt materia miſericordiæ, ac proinde per contrariam ſcientiam & conſilium ſubleuabilis: igitur in eam cadere poteſt præceptum ad mortale obligans. Ex his infertur 1. vnumquemque ſub mortali obligari ad tollendam à ſuo proximo inuincibilem ignorantiam eorum mediorum, quæ ad ſalutem conſequendam neceſſaria ſunt, cuiuſmodi eſt ignorantia baptiſmi, Sacramenti Pœnitentiæ, actus contritionis, & huiuſmodi. Ratio, quia per inuincibilem ignorantiam horum mediorum proximus eſt in neceſſitate ſalutis: ergo tenemur illi per oppoſitam ſcientiam ſuccurrere. Antecedens patet, quia ſine his medijs vel in re, vel in voto adhibitis, nulli contingit æterna ſalus: Atqui hæc inuincibiliter ignorata reipſa adhiberi non poſſunt. Eſt autem diſcrimen inter inuincibilem ignorantiam Sacramenti Baptiſmi & Cōfeſſionis, & actus contritionis: quòd adhuc inuincibiliter ignoratis Sacramentis Baptiſmi & Confeſſionis, poſſet quis ſaluari per actum contritionis: inuincibiliter autem ignorato actu contritionis, poſito quod nec reipſa ſuſcipere poſſet Baptiſmum & Confeſſionem, ſaluari non poſſet.

42. Infertur 2. Vnumquemque ſub mortali obligari ad ſuum proximum docendum de Myſterijs fidei, præſertim ſi non ſit alius, cui id ex officio incumbat. Conſtat eodem fundamento: nam per talem ignorantiam proximus eſt in neceſſitate æternę ſalutis: cùm nemo ſine fide, adeoque ſine notitia eorum, quæ ad fidem ſpectant, ſaluari poſſit. Dixi, *præſertim ſi non ſit alius, cui id ex officio incumbat:* nam ſi talis ſit, mihique probabiliter conſtet huiuſmodi officium ab eo præſtandum, ceſſat in me obligatio. Sicut ſi ſciam eſſe aliquem, qui proximo corporalem neceſſitatem patienti ſubuenire teneatur, mihique probabiliter conſtet, id ab eo præſtitum iri, non teneor illi ſubuenire.

43. Infertur 3. Sub mortali etiam nos teneri proximum inſtruere de præceptis tam naturalibus, quàm diuinis. Fundamentum, quia licet non omnia ſint ad ſalutem neceſſaria, accedenteque inuincibili ignorantia homo excuſetur ab obſeruatione eorum: quia tamen ſunt maximè ad ſalutem vtilia, ſæpeque contingit, vt ex obſeruantia eorum ad iuſtificationem diſponamur, ſine qua alias non diſponeremur, tenemur eorum ignorantiam per oppoſitam ſcientiam à proximo tollere, quando non eſt alius, qui eam tollere poſſit, & ſine incommodo noſtro tolli poſſet.

44. Maior difficultas eſt de ignorantia legis humanę Eccleſiaſticæ, vel Politicę, an ſub præcepto teneamur proximum de ea inuincibiliter laborantem, monere. Verùm diſtinguenda eſt duplex ignorantia inuincibilis, Iuris, & facti. Quoad priorem cenſeo eſſe debitum obligans ſub mortali. Moueor, quia contraria ſcientia plurimum conducit ad æternam ſalutem, eaque principium eſſe poteſt multorum bonorum operum, quæ hominem diſponerent ad ſalutem animi reipſa conſequendam, ſine quibus operibus contingere poſſet, vt animi ſalutem reipſa non conſequeretur. Quoad poſteriorem verò exiſtimo, non eſſe debitum, ſed conſilium, niſi

forte

Digitized by Google

fortè id, quod per ignorantiam inuincibilem legis humanæ omittitur, vergat in ſcandalum, vel in aliquam irreuerentiam Chriſtianæ Religionis. Eſt Bannez 2. 2. q. 33. art. 2. dub. 3. Ratio prioris partis eſt, quia leges humanæ non obligant cum tanto rigore: vt ſi ſciam proximum inuincibili ignorantia laborare de ieiunio Vigilię S. Ioannis Baptiſtę, non teneor illum de tali præcepto monere. Quod intelligitur reſpectu perſonæ priuatæ, non autem reſpectu Superioris, cui ex officio incumbit ſubditos inſtruere, & de quouis defectu contra legem monere. Ratio poſterioris partis probatur: nam ſcandalum & irreuerentia contra Chriſtianam Religionem vnumquemque obligat, vt adhibeat media, ne hęc ſequantur. Vt ſi aduertam proximum laborare inuincibili ignorantia Vigilię S. Ioannis Baptiſtæ, & ex hac ignorantia curare ſibi carnes parari cum ſcandalo aliorum, teneor illum de ieiunij præcepto inſtruere. Pari modo ſi laboret ignorantia inuincibili alicuius feſti, ex cuius ignorantia cum ſcandalo aliorum ſacrum omittat, vel opera ſeruilia exerceat, teneor illum de feſto monere.

Bannez.

SECTIO IV.

Quas conditiones requirat hoc præceptum, vt ad ſui executionem obliget?

45. PRIMA conditio, quam hoc præceptũ requirit, eſt practicè probabilis notitia de peccato proximi nondũ emendato. In quo diſcriminatur ab Eleemoſyna corporali, quę non requirit practicè probabilem notitiã egeſtatis proximi, ſed ſufficit quęcunque cognitio, etiam dubia de neceſſitate proximi. Ratio eſt: quia cum correptio etiam ſecreta contineat grauem obiurgationem, non eſt facienda, niſi certò moraliter conſtet de peccato non emendato proximi. Dixi, *practicè probabilis, vel certò moraliter:* quia non requiritur notitia euidens: alioqui rariſſimè hoc præceptum obligaret. Cæterùm intelligenda eſt hæc conditio de notitia moraliter certa, quando proximus non eſt in articulo, vel periculo mortis: nam tunc ratione periculi æternæ damnationis incurrendę, ſufficit quæcunque notitia etiam dubia ad fraternam correptionem faciendam. Hæc conditio colligitur ex illis Chriſti verbis: *Si peccauerit in te,* hoc eſt, vt multi explicant, *coram te,* ſeu *te ſciente & cognoſcente.*

46. SECVNDA conditio eſt probabilis ſpes de futura emendatione fratris: qua ceſſante, ceſſat hoc præceptum obligare, vt ſapienter aduertit S. Thomas 2. 2. q. 33. citata art. 6. vbi diſtinguens duplicem correptionem, Alteram ordinatam ad bonum commune; Alteram ad bonum priuatum ipſius delinquentis, docet, priorem ſemper faciendam

Thomas.

eſſe, etiamſi nulla ſit ſpes futuræ emendationis ipſius delinquentis: quia ſaltem habet principalem finem, quem talis correptio intendit, quæ eſt correctio & emendatio aliorum: Poſteriorem verò non eſſe faciendam, niſi ſpes ſit futurę emendationis ipſius delinquentis. Cuius optimam rationem ibidem aſſignat: quia quę ſunt ad finem, regulari debent ex ipſo fine: cùm igitur finis fraternæ correptionis ſit ipſa fratris emendatio, hac ceſſante, ceſſat correptionis pręceptum. Quò fit, vt ſi neque ſit ſpes publicæ emendationis, neque publica correptio facienda erit. Cæterùm hæc doctrina intelligenda eſt de correptione priuati erga priuatum, non autem Superioris erga ſubditum, quem ſæpè corripere tenetur, etiamſi nullam ſperet ex correptione emendationem: tum ne tacendo conſentire videatur in ſubditi peccatum: tum ne audaciam peccandi ſubditis ſubminiſtret, dum aduertunt ſua peccata à ſuperiore non puniri.

47. Occaſione huius conditionis mouent Doctores dubium: An adhibenda ſit correptio, quando propter meam correptionem proximus in plura grauioraque peccata prolapſurus eſt, cum ſpe tamen futuræ emendationis: An potiùs tunc relinquendus ſit ſine correptione, & cum probabili periculo damnationis æternę, licet cum paucioribus peccatis.

48. Ad quod dubium Reſpondet Coninck diſp. 28. dub. 6. cum hac diſtinctione. Si proximus ex mea correptione timetur aliquem innocentem occiſurus, vel publico bono nociturus, potiùs relinquendus erit ſine correptione, etſi defectu meæ correptionis ſit damnandus: quia non teneor cum tanto damno innocentis, vel publici boni proximo ſuccurrere. Si verò ex mea correptione ſolùm timeantur maiora peccata, & blaſphemiæ tantùm contra Deum, tunc adhibenda erit correptio, ſi ex ea probabiliter ſperatur corrigendus & ſaluandus, aliàs æternùm damnandus. Quia è duobus malis ſemper minus eligendum eſt. Minus autem malum eſt, non modò reſpectu proximi, ſed etiam reſpectu honoris & gloriæ Dei, quòd aliqua peccata in hac vita contra Deum à proximo committantur, & poſteà emendatus in æternum Deum laudet: quàm paucis peccatis in hac vita euitatis, multò plura & grauiora in æternum contra Deum ſit commiſſurus. Hæc reſponſio quoad vtraque partem cũ pręd̄icta ſententia apud me vera eſt: cùm non teneamur proximo ſuccurrere, niſi quando cenſetur conſtitutus in neceſſitate ſalutis: hic autem non tam cenſetur conſtitutus in neceſſitate ſalutis, quàm in praua & peruerſa voluntate nocendi alijs.

Coninck.

49. TERTIA conditio eſt, vt proximus ſit in neceſſitate noſtrę fraternę correptionis. Ratio eſt, quia cum fraterna correptio ſit ſubleuatio ſpiritualis miſerię proximi, vt obliget, requirit neceſſitatem in proximo: non ſecus ac, vt præceptum corporalis Eleemoſynę obliget

Digitized by Google

obliger, neceſſitatem requirit in proximo. Nam vbi non eſt neceſſitas, neque eſt periculum damni in proximo, & conſequenter nec debitum in nobis à periculo proximum eruendi.

50. Ex dictis infertur 1. Non eſſe proximum in neceſſitate noſtrę correptionis,ſi probabile ſit, illum ab alio corripiendum, niſi fortè ſim ipſius Superior, quia tunc ex officio mihi incumbit, illum corripere, niſi ſciam illum fructuoſiùs ab alio fore corripiendum.

51. Infertur 2. Non eſſe proximum in neceſſitate meæ correptionis, ſi probabiliter ſciam, illum eſſe pœnitentiam acturum. Quò fit, vt multi ab hoc præcepto excuſentur, ſi videant fratres peccantes, qui tamen ſoliti ſunt poſt peccatum pœnitentiam agere. Quare triplicem diſtinguere poſſumus neceſſitatem fraternę correptionis in proximo, Extremam, Grauem, & Communem. Extrema eſt, quando periculum eſt, ne proximus defectu noſtræ correptionis ſit æternum damnandus: Grauis, quando periculum eſt, ne proximus defectu noſtrę correptionis, vel diu ſit in peccato perſeueraturus, vel in alia peccata relapſurus: Communis, quando nec periculum eſt, ne proximus defectu noſtræ correptionis ſit in æternum damnandus, nec diutiùs in eodem peccato perſeueraturus, ſed debito tempore pœnitentiam acturus, nec interim in alia peccata relapſurus. In prima & ſecunda neceſſitate ſub pręcepto tenemur fraterna correptione proximo ſubuenire, non item in tertia. Omnia conſtant à paritate corporalis neceſſitatis, in qua ſub pręcepto non tenemur, niſi in graui & extrema neceſſitate illi ſuccurrere.

52. Sola difficultas eſt, an ſi probabiliter ſperem, proximum ſtatim mea correptione emendandum fore, aliàs non niſi poſt annum tempore vrgentis præcepti de confeſſione Sacramentali ſingulis annis facienda, tenear ſaltem ſub veniali illum corripere, præſertim ſi abſque vllo meo incommodo id facere poſſim. Ratio dubitandi pro negatiua parte eſt duplex. Prima, quia ſicut neque ſub veniali teneor ſtatim de proprio peccato pœnitentiam agere, ſed illam poſſum ad præſcriptum tempus differre: ita neque ſub veniali teneor proximum ſtatim corripere, ſi probabiliter certus ſum, illum ſuo tempore pœnitentiam acturum. Secunda: non teneor neque ſub veniali Eleemoſynam corporalem elargiri communem corporis neceſſitatem patienti: ergo neque Eleemoſynam ſpiritualem conferre proximo communem animi neceſſitatem patienti.

53. Nihilominus dicendum, ſaltem ſub veniali nos teneri, ſtatim proximum corripere, quãdo probabiliter certi ſumus de proximi emendatione. Ratio, quia charitas dictat, vt proximum iuuemus, quando id ſine vllo noſtro incommodo facere poſſumus. Nec eſt eadem ratio de nobis: tum quia nos ſemper ſumus Domini noſtrę voluntatis; non ſumus autem domini voluntatis proximi. Vnde fieri poteſt, vt proximus non ſit ſuo tempore pœnitentiam acturus, nec ego commoditatem habiturus, vt illum ſuo tempore de commiſſo peccato moneam. Tum quia ego cedere poſſum iuri meo, priuando me bono ſpirituali, quod acquirere poſſem ex pœnitentia, quam ſtatim poſt peccatum agerem, non poſſum autem cedere iuri alterius, quia iuris alterius non ſum dominus, vti ſum iuris mei. Nec euincit ratio ab Eleemoſyna corporali ducta: tum quia hæc non fit ſine aliquo incommodo dantis, cum ipſa Eleemoſynæ largitio ſit aliquod incommodum. Tum quia per talis Eleemoſynæ corporalis negationem proximus nullum ſubit notabile incommodum, aut periculum notabilis damni: per negationem verò fraternæ correptionis proximus & ſubit notabile incommodum ſpirituale, amiſſionem videlicet multorum meritorum, quæ ſibi cõparare poſſet, ſi ſtatim mea correptione emendaretur; & periculum æternæ damnationis, cùm nemo ſecurus ſit, ne inopina morte ex hac vita diſcedat.

54. Infertur 3. Dum proximus eſt in extrema vel graui neceſſitate, ſtatim hoc præceptum ſub mortali obligare, nec illud poſſe ad aliud tempus differri. Ratio, quoniam tunc ex vna parte concurrunt omnia ad correptionem faciendam, & ex alia parte periculum eſt, ne, ſi correptio differatur non ſit ampliùs ſpes futura vel correptionem adhibendi, vel cum debito fructu & vtilitate: quin etiamſi certi ſimus illam differendo, adhuc futuram, fructuoſam tenemur ad illam ſtatim faciendam, quando ſunt omnia requiſita poſita: niſi ex huiuſmodi dilatione ſperemus fratrem perfectiùs & conſtantiùs emendandum. Nec refert, quòd quis poſſit eſſe certus, quòd adhuc correptionem ad aliud tempus differendo, frater ſit corrigendus: tum quia cùm hęc certitudo non cadat in notitiam humanam, cùm ſit de futuris liberis, non poteſt per ſe tollere obligationem præcepti, quę nititur notitia humano modo habita. Tum quia quando ſunt omnes conditiones ad præcepti executionem requiſitæ in actu poſitæ, non poteſt omitti præceptum, niſi magna aliqua neceſſitas, vel notabilis vtilitas excuſet.

55. Infertur 4. Contra Caietanum in ſumma verbo *fraterna correctio*, non ſolùm contra hoc præceptum peccari, omittendo corripere, quando correptio iudicatur oportuna ac profutura corripiendo, ſed etiam quando ex culpabili negligentia omittitur conſideratio circumſtantiarum, quibus ea oportuna ac profutura videri poſſet. Quemadmodum non ſolùm peccatur contra pręceptum Eleemoſynæ corporalis, omittendo illam, quando iudicatur neceſſaria, ſed etiam quando ex culpabili negligentia omittitur perpenſio circumſtantiarum, quibus ea videri poſſet neceſſaria. Nam qui obligatur ad præceptum, obligatur ad comparandam notitiam, quæ ad præcepti executionem neceſſaria eſt. Vt qui obligatur ad ſacrum die feſto audiendum, obligatur ad comparandam notitiam Caietanus

de ipſo

de ipſo die feſto, in quo ſacrum eſt audiendum. Quare non ſolùm peccat contra præceptum de ſacro die feſto audiendo, qui ſciens & volens ſacrum omittit die feſto, ſed etiam qui culpabiliter negligit acquirere notitiam diei feſti, in quo ſacrum ſit audiendum.

56. QVARTA conditio eſt temporis, loci cæterarumque circumſtantiarum oportunitas, quæ omnes & ſingulæ diligenter perpendendæ ſunt, vt correptio futura ſit fructuoſa: vt videlicet non adhibeatur, vigente adhuc paſſione: vt ſecreto fiat: vt teſtes adhibeantur, qui magis ſperantur grati, & profuturi corripiendo: vt non deferatur Prelato, qui potiùs timetur corripiendum exacerbaturus, nec medelam peccato adhibiturus.

SECTIO V.

Quæ perſonæ obligentur hoc præcepto?

57. PRimò certum eſt, hoc precepto obligari omnes Prælatos, non ſolùm ad corripienda, ſed etiam ad inquirenda peccata ſuorum ſubditorum: eſt communis Theologorum. Ratio, quoniam hoc officium cum ipſo Superioratu accipiunt, vt ſuorum ſubditorum tam in communi, quàm in particulari peccata corrigant & emendent. Vnde non ſolùm ex præcepto miſericordiæ ſeu charitatis, vt reliquæ priuatæ perſonæ, ſed etiam iuſtitiæ, ratione taciti contractus inter ipſos & ſubditos, ſeu communitatem, tenentur ſubditorum peccata corrigere. Quo fit, vt duplici peccato peccent Superiores, & contra iuſtitiam, & contra miſericordiam, omittendo peccata ſubditorum corrigere, idque tenentur in confeſſione explicare, quando vtrumque præceptum ſeorſim ſumptum ſuperiorem obligaſſet. Quod dico, quia interdum ſuperior non obligatur ex præcepto miſericordiæ, ſed tantùm iuſtitiæ, vt ad inquirenda peccata ſubditorum non tenetur Superior ex præcepto miſericordiæ, ſed iuſtitiæ: cùm miſericordia non obliget, niſi ad corripienda peccata, quæ iuxta Chriſti & Patrum regulam, nobis manifeſta ſunt. Quò fit, vt ſemper præceptum miſericordiæ includat præceptum iuſtitiæ in Superiore, non contrà.

58. Certum eſt ſecundò, ad hoc præceptum, non ſolùm teneri Prelatos, ſed omnes eos, qui ad hoc officium præſtandum idonei ſunt, quique authoritate apud alios pollent: nam Eccleſiaſtici 17. *Vnicuique de proximo ſuo mandauit Deus.* Idque certiſſima ratione probatur: quoniam omnes tenentur diligere Deum & proximum: *In his enim duobus mandatis,* auctore Chriſto Matth. 22. *vniuerſa lex pendet & Prophetæ:* ergo ſicut tenemur ſuo tempore diligere Deum ſuper omnia, ita & proximum ſicut nos ipſos: ergo & illum à periculo æternæ mortis, quod per peccatum mortale incurrit, eripere.

Eccleſ. 17. *Matth.* 22.

59. Difficultas tantùm eſt, an ad hoc præceptum teneantur peccatores. Ratio dubitandi, quoniam peccatores videntur excludi ab hoc officio corripiendi alios Pſal. 49. *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum.* Matth. 7. vbi à Chriſto, tamquam Hypocritæ prohibentur alios reprehendere, qui in ſeipſis reprehenſibiles ſunt: *Hypocrita ejce primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejcere feſtucam de oculo fratris tui.* Quo teſtimonio nixus Auguſtinus lib. 2. de Sermone Domini in monte, magis verſus finem: *Accuſare,* inquit, *vitia, officium eſt bonorum virorum & beneuolorum: quod cùm mali faciunt, alienas partes agunt.* Et infrà: *Si autem cogitãtes noſmetipſos inuenerimus in eo eſſe vitio, in quo eſt ille, quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, neque obiurgemus, ſed tamen congemiſcamus.* Idem docet Iſidorus lib. 3. de ſummo bono cap. 32. *Non debet,* inquit, *vitia aliorum corrigere, qui eſt vitijs ſubiectus.* Idque probatur ratione. Nam qui laborat eodem vitio, quo alium reprehendit, ineptus eſt ad alios corripiendos: cùm nullam efficaciam habeat correptio, cui corripientis vita difformatur: nec authoritatem apud alios habere poſſit, qui eodem vitio, quo alium reprehendit, laborat. His tamen non obſtantibus,

Pſal. 49. *Matth.* 7. *Auguſt.* *Iſidorus.*

60. Communis ſententia Theologorum eſt, etiam peccatores hoc precepto obligari, præſertim quando proximus eſt in extrema, vel graui neceſſitate, vel probabilis ſpes affulget fratris emendæ. Fundamentum, quia ſicut peccator non eximitur ab obligatione aliorum præceptorum, ita neque ab obligatione huius. Vnde ſicut etiam in peccato exiſtentes tenemur opera corporalis miſericordiæ exercere, ita & ſpiritualis.

61. Cæterùm primum locum Pſalmi explicat Auguſtinus non de excluſione ab officio docendi atque inſtruendi, ſed de admonitione ſeipſum emendandi. Sic enim ſcribit: *Admonet illum, vt audiat, non vt deponat prædicationem, ſed vt aſſumat obedientiam.* Idque confirmat ex illo Matth. 23. *Quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite: Secundùm opera verò eorum nolite facere.* Vbi Chriſtus non prohibuit, ne Scribæ & Phariſæi peccatores populum docerent, ſed ne populus eorum mala opera imitaretur. Tum ex illo ad Philip. 1. *Siue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuncietur.* In ſecundo ſolùm prohibet Chriſtus, ne ex hypocriſi & animo oſtentandi nos, non autem ex charitate & affectu lucrandi fratrem, proximum reprehendamus, vt ex eius verbis apertè colligitur. Cæterùm Auguſtinus ibi non negat, debere peccatorem fraternam correctionem facere, ſed ſolùm negat, illum debere obiurgando ac reprehendendo, ſed potiùs congemiſcendo, vt ipſemet teſtatur, facere. Eodem modo explicatur Iſidorus.

Auguſt. *Matth.* 23. *Philip.* 1. *Auguſt.*

62. Ad rationem verò Reſpondeo, ex ea tantùm ſequi, peccatorem plerumque excu-

ſari ab officio corripiendi proximum, eo quòd defectu authoritatis & efficaciæ non ſit ſpes futurę emendationis. Quòd ſi vel affulgeat ſpes futurę emendationis, vel proximus verſetur in extrema, vel graui neceſſitate fraternæ correptionis, tenetur peccator illam adhibere.

63. Superest hic difficultas, an teneatur peccator pœnitentiam agere, quando ex ſua pœnitentia probabiliter ſperat fratrem correptum emendatum iri. Et ſanè ſi frater ſit in extrema neceſſitate ſpirituali, nulli dubium eſt, peccatorem teneri pœnitentiam agere, vt ſua correptione fratrem ab æterna damnatione liberet. idem cenſeo, ſi verſetur in graui neceſſitate, vel periculo amittendi æternam beatitudinem. Ratio, quoniam ſi ex præcepto charitatis tenemur ęternam ſalutem proximi pręferre temporali commodo, vel delectationi, quam ex licito opere bono capimus; à fortiori eam præferre tenemur temporali commodo vel delectationi, quam ex illicito opere malo percipimus.

64. Maior difficultas eſt, quando proximus non laborat extrema, aut graui neceſſitate ſpirituali: an tunc, ſi ex mea pœnitentia ſperatur eius correctio, teneor pœnitentiam agere, vt illum lucrifaciam. Negat cum Soto Bannez 2. 2. q. 33. art. 5. Quòd tamen ego diſtinguendum puto: nam vel corripiens habet curam corripiendi, vel non. Si non habet, tum cum Soto & Bannez cenſeo, illum non teneri extra caſum extremę vel grauis neceſſitatis pœnitentiam agere, vt fratrem corrigat. Si verò habet, exiſtimo eum teneri. Moueor, quoniam qui curam alterius gerit, non ſolùm tenetur illi procurare media neceſſaria, ſed etiam vtilia ad ſalutem conſequendam: ergo non ſolùm in graui & extrema, ſed etiam in communi neceſſitate, quando eſt certa ſpes emendationis, tenetur Superior pœnitentiam agere, & à peccato ſaltem externo ceſſare, vt ſpirituali ſubditi vtilitati conſulat. Dixi, *quando eſt certa ſpes:* nam ſi tantùm ſit dubia, vel pro vtraque parte probabilis, non videtur eſſe obligatio.

Sotus. Bannez.

65. Vltimò in quæſtionem vertitur, an corripiens teneatur fratrem corripere, non obſtante quocunque ſuo temporali incommodo. Negat. Victoria apud Bannez 2. 2. q. 33. art. 3. dub. vlt. Ratio, quia corripiens non tenetur fratrem corripere cum periculo propriæ vitæ: ergo non tenetur hoc pręceptum ſeruare cum quocunque ſuo temporali incommodo. Affirmant verò alij. Sed diſtinguendum eſt: nam ſi neceſſitas ſpiritualis proximi ſit extrema, & mea correptio ſit neceſſarium medium ad eam tollendam, vnuſquiſque tenetur, etiam cum periculo proprię vitę, illam adhibere: ita S. Thomas 2. 2. q. 33. art. 2. ad tertium & q. 26. art. 5. ad tertium & reliqui Theologi communiter. Ratio eſt, quia lege charitatis tenemur æternum bonum ſpirituale proximi pręferre temporali bono proprio.

Victoria. Bannez. S. Thomas.

66. Cæterùm etſi hæc doctrina veriſſima ſit, eius tamen executio multis titulis excuſari poteſt. Primò, quia poteſt quis eſſe dubius de propria ſalute, an nimirum ipſe ſit in ſtatu gratię: non enim tenemur cum dubio amittendæ propriæ ſalutis ęternę, proximo ſuccurrere. Secundò, quia poteſt fraternam correptionem inſinuare alteri, qui magis ad eam faciendam teneatur, vt ſi illa inſinuetur Epiſcopo, vel Superiori ipſius corripiendi. Tertiò, quia poſſet non eſſe certus de emenda proximi.

67. Si verò neceſſitas ſpiritualis proximi non ſit extrema, non tenetur corripiens cum periculo proprię vitę illum de peccato corripere, niſi ipſius ſpecialem curam gerat. Eſt communis & certa ſententia: quia nemo tenetur propriam vitam, quę inter temporalia eſt maximum bonum, certo periculo exponere, niſi quando proximus eſt in extrema neceſſitate amittendi ſalutem ęternam. Dixi, *niſi ipſius ſpecialem curam gerat:* nam hic ſtrictiori iure tenetur ſpiritualem ſalutem ſui ſubditis procurare, & in minori neceſſitate, quàm extrema, illis ſuccurrere, cùm id ipſius officium exigat. Dixi, *cum periculo propriæ vitæ:* quia cum periculo alicuius damni temporalis aliorum bonorum vnuſquiſque tenetur proximo in graui neceſſitate ſpirituali conſtituto, ſuccurrere: hoc enim poſtulat ordinata charitas.

68. Ex dictis ſoluitur quæſtio, quam citato loco proponit Bannez: An filius teneatur ſuccurrere parenti extrema neceſſitate corporali laboranti: an externo conſtituto in extremo periculo amittendi vitam æternam: vt ſi nimirum tam parens, quàm externus ſit in extrema neceſſitate corporali, ſed externus ſit in peccato mortali, parens verò in gratia, & ego non poſſim, niſi alterutri ſuccurrere: An lege charitatis tenear ſuccurrere parenti, an potiùs externo? Bannez docet, in tali caſu ſuccurrendum potiùs eſſe parenti, etiamſi alter cum vita temporali amittat æternam.

Bannez. Bannez.

69. Verùm diſtinguendum puto: nam ſi mihi certum eſſet, quòd meus parens eſſet in gratia, externus verò in peccato, potiùs in tali caſu teneor ſuccurrere externo, ne amittat vitam æternam, quàm Parenti, ne amittat temporalem: cùm longè maius bonum ſit, liberare proximum à morte æterna, quàm parentem à temporali. Adde, quòd liberando parentem à morte temporali præſenti, non ſum certus, quòd poſtea moriturus ſit in gratia, cùm tamen certus ſim, illum nunc in gratia moriturum. Si verò mihi dubium ſit, an meus parens ſit in gratia, ſuccurrendum potiùs erit parenti, cui ſtrictiori iure pluribuſuè titulis teneor.

SECTIO VI.

Quinam peccatores vi huius præcepti corrigendi ſint?

70. TRia ſunt genera peccatorum, de quibus poteſt eſſe controuerſia. Primum ſunt infideles: Secundò publici vſurarij, meretrices, & ſimiles. Tertiò Superiores. Quoad primum genus peccatorum ratio dubitandi eſt, quoniam hi non ſunt noſtri fratres, quos tantùm ex Chriſti præſcripto tenemur corripere. Confirmatur, nam contra iſtos non valent media à Chriſto præſcripta, quæ ſunt delatio ad Eccleſiam, ab eaque per excommunicationem ſeparatio, cùm infideles ad Eccleſiam non pertineant.

71. Nihilominus dicendum eſt primò, infideles eſſe corripiendos, quando de illis ſperatur emendatio. Fundamentum, quoniam etiam hi ſunt noſtri fratres, ratione participationis eiuſdem naturæ humanæ, & eleuationis ad eundem finem ſupernaturalis beatitudinis. Nec obſtat, quòd illis non poſſint applicari omnia media à Chriſto præſcripta: nam ſufficit, vt poſſint applicari aliqua, cuiuſmodi eſt ſecreta correptio inter ipſum corripientem & corripiendum, & obiurgatio coram vno vel altero teſte, ſi prior effectum non habuerit, & per poſteriorem ſperetur correctio. Ex his infertur, hoc præcepto teneri etiam gentiles ſeipſos corripere, cùm ſpes correctionis affulget, cùm ſit præceptum naturale obligans omnes, qui cognoſcunt peccatum eſſe contra naturam rationalem. Cæterùm quia diuerſarum Religionum homines difficilè corriguntur ab iis, qui diuerſam Sectam profitentur, vix præceptum hoc erga tales homines obligat, defectu probabilis ſpei emendationis.

72. Quoad ſecundum genus peccatorum ratio dubitandi eſt, quoniam multi ſunt publici peccatores, quos nullus corripit, & tamen de hoc nullus timoratæ conſcientiæ confitetur. Confirmatur, nam eorum correctio plùs cauſaret mali, quàm boni: ergo non eſt facienda: nam quando executio præcepti impedit maius bonum, quàm ſit illud, quod per executionem ipſius præcepti ſperatur, non obligat. Antecedens probatur: nam maius malum eſt, quòd nullæ ſint in ciuitate meretrices, vel vſurarij, quàm quòd ſint: quia illud occaſionem præbet adulteriis, & ſtupris, quæ maiora ſunt mala: hoc impedit egeſtatem multorum, qui niſi eſſent publici vſurarij, à quibus vſura pecuniam acciperent, non poſſent ſuis neceſſitatibus occurrere.

73. Sed Dicendum eſt ſecundò, publicos peccatores corripiendos eſſe, quando eorum correctio ſperatur futura. Ratio, quoniam etiam hi ſunt noſtri fratres, quos per correptionem lucrari poſſumus: ergo etiam hi, quando eorum correctio ſperatur futura, corripiendi ſunt. Quòd autem tales à nullo de facto corripiantur, non arguit, quòd non ſint capaces correptionis, ſed quia eorum emendatio non ſperatur probabiliter futura: nemo autem tenetur fratrem corripere, quando non affulget ſpes futuræ emendationis.

74. Ad confirmationem, negandum eſt, huiuſmodi peccatorum correctionem plus per ſe cauſaturam mali, quàm boni: tum quia etiamſi multi eorum corrigantur, nunquam deſunt alij, qui eadem publica peccata exerceant: Tum quia, etiamſi certum eſſet, omnes fore corrigendos, ex eorumque correctione aliquos occaſionem ſumpturos grauiora ſcelera perpetrandi, adhuc huiuſmodi peccatores corripiendi eſſent, ſi ex eorum correptione probabilis ſperaretur emendatio. Ratio, quia talis correptio per ſe non tendit ad commiſſionem grauiorum ſcelerum, quæ ſolùm per accidens, & ex malitia aliorum ſequuntur; ſed ad correctionem peccatorum, & lucrum fratrum.

75. DICES. Hoc ſolùm probat, poſſe huiuſmodi publicos peccatores corripi, non autem debere: eo quòd poſſet eorum non correctio compenſari declinatione grauiorum peccatorum, quæ ex eorum correctione probabiliter timentur futura. Reſpondeo quando æquè probabile eſſet, quòd ex eorum correctione grauiora ſecutura eſſent peccata, ac probabilis ſpes affulgeat de eorum futura emendatione, tunc puto, hoc præceptum non obligare. Verùm quandò probabiliter ſperatur eorum correctio, nec mihi conſtat de grauioribus peccatis, quæ per huiuſmodi occaſionem ſecutura ſunt, teneor corripere.

76. Quoad tertium peccatorum genus, contra Superioris authoritatem & reuerentiam illi debitam videtur, vt à ſubdito corripiatur. Confirmatur, nam correptio eſt quædam inflictio pœnæ, quam infligere non eſt ſubditi, ſed Superioris.

77. Verùm dicendum eſt tertiò, etiam Prælatos eſſe corripiendos, debita tamen cum modeſtia & reuerentia: ita S. Thomas 2. 2. q. 33. art. 4. & reliqui Scholaſtici. Vnde in aliquibus Religionibus aſſignatur Admonitor, cuius officium ſit, cum modeſtia & humilitate Superiorem monere de defectibus, qui in ipſo notantur. Ratio S. Thomæ eſt: quoniam omnes ij ſunt corripiendi, erga quos tenemur charitatem & miſericordiam exercere: at non ſolùm erga ſubditos, ſed etiam erga Superiores tenemur charitatem & miſericordiam exercere: ergo etiam Superiores ſunt corripiendi. Minor cum conſequentia conſtat. Maior probatur: nam habitus ſe extendit ad omnia ea, quæ ſub ipſius obiecto continentur. Atqui habitus charitatis & miſericordiæ non ſolùm ſe extendit *S. Thom.*

tendit ad ſubditos, ſed etiam ad Prælatos: ergo etiam eos tenemur ex charitate & miſericordia corripere: modeſtè tamen ob reuerentiam ei debitam, iuxta illud primę ad Timotheum 5. *Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt Patrem.* Quod etiam confirmat exemplum Pauli, qui, vt ipſe ait ad Galat. 2. Petro *in faciem reſtiti, quia reprehenſibilis erat.* Ex quo Pauli facto docet Auguſtinus Epiſt. 19. ad Hieronymum poſt medium, exemplum datum eſſe poſteris, vt Superiores *non dedignarentur, ſicubi fortè recti tramitem reliquiſſent, etiam à poſterioribus corrigi.* Et B. Gregorius relatus cap. *Sicut* ſecunda quæſt. 7. *Sicut*, inquit, *laudabile diſcretumque eſt, reuerentiam & honorem exhibere prioribus, ita rectitudinis, & Dei timoris eſt, ſi qua in eis ſunt, quæ indigent correctione, nulla diſſimulatione poſtponere: ne totum, quod abſit, corpus morbus inuadat, ſi languor non fuerit curatus in capite.* Et ibidem cap. *Paulus dicit*, explicatur pręcitata regula Apoſtoli ad Galat. 2. *Seniorem ne increpaueris: quæ tunc eſt obſeruanda, cùm culpa ſenioris ſuo exemplo non trahit ad interitum corda iuniorum. Vbi autem ſenior iuuenibus exemplum ad interitum præbet, ibi diſtincta increpatione feriendus eſt.*

1. Tim. 5. Galat. 2. Auguſt. Gregorius.

78. Ex his infertur, quando peccatum Prælati eſt ſcandaloſum, alioſque inducere poteſt ad idem faciendum, non tantùm priuatim, ſed etiam publicè corrigendum eſt. Nec refert, quòd Superiores non dicantur fratres, ſed Patres: nam in hoc ſunt fratres, atque adeo vt reliqui propter bonum ipſorum, & communitatis corripiendi ſunt.

79. Ad confirmationem, negandum eſt, correptionem eſſe pœnam punitiuam, quam infligere ſolius eſt Superioris; ſed correctiuam, quæ etiam ſubditos obligare poteſt erga ſuum Superiorem, vt ſuprà probatum eſt.

SECTIO VII.

An ordo fraternæ correptionis à Chriſto præſcriptus ſit ſub præcepto ſeruandus?

80. PRIMA ſententia negat: eſt eiuſdem Arcualenſis in ſpeciali tract. de correctione fraterna. Probatur primò. Si aſſignatus ordo eſſet in præcepto, nunquam liceret illum immutare: atqui ſępè licitum eſt, illum immutare: ergo in præcepto non eſt. Maior probatur, quia modus, qui in præcepto eſt, obligat ad ſui obſeruantiam: obligando autem ad ſui obſeruantiam, illicitam reddit immutationem ſui. Confirmatur. Vel hic ordo à Chriſto præſcriptus eſt iuris naturalis, vel poſitiui: vtriusve ſit, illicitum eſt, illum tranſgredi, ſi ſub pręcepto eſt: cùm nec liceat vnquam contra ius naturale operari, nec contra ius poſitiuum, tempore, quo obligat. Eſto igitur fraterna correptio non obliget ad ſemper, cùm ſit pręceptum affirmatiuum, quando tamen obligat, ſeruanda eſt iuxta Chriſti præſcriptum: ergo nunquam licebit, illam immutare, ſi in pręcepto eſt. Minor primi Syllogiſmi conſtat primò, quia non peccaret, ſi quis ante adhibitos teſtes fratris peccatum deferret Prælato, tum quia hoc docent Baſilius in regulis fuſiùs diſputatis cap. 46. *Quodcunque*, inquit, *peccatum ad præpoſitum referendum eſt, vel ab eo qui deliquit, vel ab ijs, qui illius ſunt conſcij:* & Auguſtinus in tertia regula, quę habetur circa finem primi Tomi: *Sed antequam alijs*, inquit, *demonſtretur, per quos conuincendus eſt, ſi negauerit, priùs Præpoſito debet oſtendi, ſi admonitus neglexerit corrigi:* tum quia hic ordo corripiendi fratrem, vt priùs ipſius peccatum manifeſtetur Prælato, quàm alijs, eſt efficacior, cùm nullus efficacior, quàm Pręlatus, valeat ſubditorum peccata corrigere: eſt etiam mitior, ipique delinquenti gratior, cùm vnuſquiſque malit à proprio Superiore, quàm ab alijs corrigi. Conſtat ſecundò, quia nullum ius naturale, aut diuinum læderet, qui omiſſa etiam ſecreta admonitione, peccatum immediatè deferret Pręlato: tum quia id præcipiunt hæreticę prauitatis inquiſitores, qui ſub anathematis cenſura ad ſe deferri iubent omnia peccata, quæ in eorum edicto continentur, prohibentque, ne ea alteri, quàm ipſis, manifeſtentur. Tum quia id ſanctè ac laudabiliter ſeruatur in multis religionibus, in quibus perpetua lege ſtatuitur, vt omnes errores & defectus ſubditorum, per quemcunque extra confeſſionem notati & obſeruati immediatè Superioribus manifeſtentur. Quam legem à ſummis Pontificibus approbatam, magno tum cum ſingulorum ſpiritus profectu, tùm cum totius communitatis emolumento ſeruat noſtra Societas vel ab ipſo ſuæ originis exordio. Quam ante ipſam ſeruarunt duæ Illuſtriſſimę Religioſorum familię, Dominicana, & Franciſcana, vt ex earum regulis conſtat. Quin oppoſita ſententia vt Religioni pernicioſa, & regularis diſciplinæ deſtructiuà definita fertur à S. Bonauentura in quodam Capitulo generali, vt refertur in Conſtitut. Generalibus Farinerij Ordinis Minorum cap. 7. Si autem ordo à Chriſto in fraterna correptione præſcriptus eſſet in præcepto, nulla lex contra illum iuſta ac licita eſſe poſſet, cùm nulla lex contra Chriſti præceptum iuſta ac licita eſſe queat.

Arcualẽſis. Baſilius. Auguſt. Bonauent. Farinerius.

81. Probatur 2. eadem ſententia: quia non apparet, propter quem finem adhibendi ſint teſtes, niſi vel ad infamandum fratrem, qui ſecreto peccauit, vel ad exponendum periculo ipſum corripientem. Etenim ſi frater ſecreto monitus non corrigitur, multò minùs corrigetur, ſi coram alijs moneatur: quin etiam poterit corripientem ipſum impoſtoris crimine arguere.

82. Pro-

82. Probatur 3. Vel peccatum fratris eſt ſecretum, vel publicum. Si publicum, non teneor fratrem publicè peccantem ſecreto monere, ſed poſſum, & ſæpè debeo, illius peccatum immediatè deferre ad Prælatum, vt ad aliorum cautelam illud publica pœna puniat. Si eſt priuatum, & iniurioſum mihi, aut alteri, etiamſi peccans priuata mea correptione emendetur, adhuc licitè poſſum illum apud Superiorem accuſare, vt condigna ſatisfactione mihi, vel alteri ſatisfaciat. Vt ſi quis ſecreto furatus ſit mihi, aut cuipiam alteri centum, etiamſi ſecreto à me monitus furtum reſtituat, & à peccato reſipiſcat adhuc iuſtè poſſum illum apud iudicem accuſare, vt pro illata iniuria, quam furando mihi, vel alteri intulit, ſatisfaciat. Nec ſat erit, vt ipſe, qui furatus eſt, velit pro illata iniuria ſatisfactionem rependere: nam hæc ſatisfactio fieri debet ex iuridica ſententia iudicis, cuius eſt pro qualitate, & quantitate delicti condignam pœnam taxare. Ergo etiamſi frater per ſecretam monitionem corrigatur, licitè poſſum illius peccatum Superiori deferre. Non igitur ordo in Euangelio præſcriptus eſt in præcepto: alioqui non poſſem fratrem poſt ſecretam monitionem correctum Prælato deferre.

83. Secunda ſententia affirmat: eſt communis Scholaſticorum in 4. diſt. 19. & *S. Thomas.* Thomiſtarum cum S. Thoma ſecunda ſecundę, quæſt. 33. art. 7. & 8. Eamque paſſim docent Patres: *Chryſoſt.* Chryſoſtomus Homil. 61. in *Hilarius.* Matthæum, Hilarius can. 18. in Matthęum, *Baſilius.* Baſilius ſuprà citatus, vt ex ipſius verbis in- *Ambroſius.* frà citandis patebit: Ambroſius Serm. 8. in *Auguſt.* Pſal. 118. Auguſtinus Serm. 16. de verbis *Hieronym.* Domini: Hieronymus in citatum locum *Innoc. III.* Matthæi, Innocentius III. cap. *Licet Heli* de Simonia docet, ante denunciationem præcedere debere charitatiuam correctionem. Quam regulam Euangelicam appellat: & in cap. *Cùm dilectus*, de accuſationibus, idem Pontifex ſtatuit, repellendos eſſe à denunciatione eos, qui ante monitionem delicta ad Superiorem deferunt. Pro explicatione præſentis controuerſiæ,

84. Dico 1. Non ſolùm correptio, ſed ordo ipſe correptionis à Chriſto præſcriptus cadit ſub præceptum. Fundamentum eſt: nam aliquis ordo in correptione fraterna ſub pręcepto ſeruandus eſt: atqui non alius ſub pręcepto cadere poteſt, quàm qui à Chriſto pręſcriptus eſt: ergo. Maior probatur, quoniam in correptione fraterna duo præcepta concurrunt, miſericordię de ſubleuanda ſpirituali proximi miſeria, & iuſtitiæ, de ipſius fama non lędenda: ergo is ordo ſub præcepto ſeruandus eſt, qui vtrumque pręceptum ſaluat. Antecedens conſtat. Conſequentia probatur: nam is ordo ſub præceptum cadit, qui neceſſarius eſt ad vtrumque præceptum ſeruandum. Minor probatur: quia nullus alius ordo, præter hunc à Chriſto aſſignatum, conſeruat cum præcepto miſericordiæ præceptum iuſtitię de illæſa ſeruanda fama proximi. Nam vel prætermiſſa prima admonitione inter ipſum corripientem & corripiendùm, occultum peccatum proximi manifeſtatur teſtibus, vel adhibita prima monitione ſecreta, & omiſſa ſecunda coram vno, vel duobus teſtibus, peccatum immediatè refertur ad Prælatum tanquam ad iudicem: atqui in neutro ordine ſeruatur pręceptum de indemnitate famæ proximi. Cùm in primo abſque neceſſitate (ſupponimus enim fratrem emendatum fuiſſe per monitionem ſecretam) illud manifeſtetur alijs, quibus erat occultum. In ſecundo abſque ſimili neceſſitete (ſiquidem ſupponimus fratrem probabiliter emendatum iri per monitionem coram vno vel altero teſte) defertur ad Prælatum, vt illud tanquam iudex puniat: nam, an liceat ad illum, ante monitionem factam coram vno vel altero teſte, ad Prælatum deferre tanquam Patrem, vt ſecreto corrigat & puniat, dicam infrà.

85. Cæterùm ex loco Matthæi denunciatio, quæ facienda eſt Prælato poſt correptionem ſecretam, vel coram vno vel altero teſte, intelligenda eſt de iuridica, non paterna, vt communiter Scholaſtici, præcipuè S. Thomas ſecunda ſecundę quęſt. 33. *S. Thomas* artic. 8. ad 4. & colligitur ex ipſis verbis Chriſti, dum ait, nunciandum eſſe Eccleſiæ, quam ſi non audierit, habendum eſſe tanquam Ethnicum & Publicanum, hoc eſt à communione fidelium per excommunicationem ſegregatum, vt paſſim ſacræ Scripturæ interpretes explicant. Excommunicatio autem, vt per ſe patet, eſt publicus Eccleſiaſtici iudicis actus. Hinc tamen non excluditur, quin denunciatio facienda ſit Superiori etiam vt Patri: imò primariò facienda eſt vt Patri, quia per hanc magis conſulitur famæ proximi. Quòd ſi hæc non profuerit, poterit Superior contra peccatum fratris procedere vt iudex. Non quòd per ſolam denunciationem ſibi factam vt Patri, ſtatim procedere poſſit vt iudex publicas pœnas imponendo: ſed per paternam denunciationem vlteriùs procedere poterit ad iuridicam per publicam inquiſitionem delicti, ad quam deſeruiunt teſtes, ſi fuerunt peccati conſcij. Solùm enim poſt paternam denunciationem, poteſt Superior denunciato minari excommunicationem ipſo facto incurrendam, ſi à peccato non deſiſtat: & tunc, vt benè notat Valentia ſuprà *Valentia.* citatus, illam priuatim incurret propter contumaciam, ſi à peccato non deſtiterit.

86. Ex his infertur, grauiter peccare eos, qui omiſſa ſecreta correptione, qua probabiliter ſperabatur frater corrigendus, occultum peccatum ipſius manifeſtat teſtibus, qui fratris peccatum ignorabant; vti & eos, qui fruſtra adhibita prima, & prætermiſſa ſecunda coram vno vel duobus teſtibus, coram quibus probabiliter ſperabatur

Digitized by Google

tur fratris correctio, illum deferunt Prælato tanquam iudici: cùm in vtroque caſu grauiter lædatur fama proximi per occulti peccati publicationem, abſque neceſſitate. Confirmatur: nam ſicut peccaret medicus corporalis, qui dum infirmum ſanare poſſet abſque graui læſione ipſius, ſanare vellet per medicinam grauiter infirmum lædentem: ita grauiter peccaret medicus ſpiritualis, qui dum fratrem ſpiritualiter ægrotantem ſanare poſſet abſque graui ipſius famæ læſione, illum ſanare vellet cum graui nota ipſius famæ.

87. Dico 2. Ordo fraternæ correptionis à Chriſto præſcriptus non eſt ita inuiolabiliter ſeruandus, vt nunquam ſit licitum illum tranſgredi, aliumque corripiendi modum adhibere, qui iuxta occurrentes circumſtantias efficacior iudicetur ad fratris correctionem. Eſt communis Scholaſticorum: & colligitur ex ijs Patribus, qui docent, interdum fratris peccatum immediatè deferendum eſſe ad Prælatum tanquam ad Patrem, qui meliùs & efficaciùs poſſit illum corrigere, vt apertè teſtatur Auguſtinus citata regula tertia. *Auguſt.* Fundamentum eſt: quia cùm finis huius præcepti, ordiniſque ſeruandi, ſit fratris correctio & emendatio; cumque interdum vel ob malitiam corripiendi, vel ob inhabilitatem corripientis poſſit ordo à Chriſto præſcriptus inefficax & inutilis iudicari, contrà verò alius efficax & vtilis cenſeri: tunc non ordo à Chriſto præſcriptus, ſed ille qui iudicabitur iuxta occurrentes circumſtantias futurus efficax & fructuoſus, adhibendus erit. Semper tamen cauendum eſt, vt cum minori, quà poteſt, famæ læſione ordo ſeruetur. Vnde ſi probabiliter putetur nil profutura, ſed potiùs obfutura priuata correptio, omittenda erit, & adhibenda monitio coram vno vel duobus teſtibus. Quòd ſi neque hęc ſperetur profutura, poterit vtraque prętermiſſa, adhiberi denunciatio apud Superiorem tanquam Patrem. Quòd ſi neque hæc profutura eſt, adhibenda erit denunciatio apud Superiorem tanquam iudicem, vt de occulto peccato fratris vlteriùs inquirat; habitaque ſufficienti notitia publica, illud per publicas cenſuras & pœnas puniat, vt ſaltem hoc modo frater à peccato reſipiſcat: cùm ſpiritualis ſalus ipſius procuranda ſit, etiam cum iactura proprię ipſius famæ, quando aliter fieri non poteſt. Quod intelligitur, quando frater eſt in extrema, vel graui neceſſitate ſalutis ſpiritualis: alioqui ſi vno tempore non videtur benè diſpoſitus, vt nonniſi cum iactura ipſius famæ à peccato ſit corrigendus, expectandum erit commodius tempus, quando abſque ipſius famæ iactura correctio ſperatur, vti faciunt prudentes ac periti medici, niſi fortè peccatum fratris vergat in detrimentum aliorum.

88. Ex dictis infertur, Chriſtum Dominum eum ordinem in correptione fraterna aſſignaſſe, qui cum minori iactura famę proximi plerumque effectum habere ſolet; haud tamen prohibuiſſe alium in caſu, quo non hic, ſed alius habiturus eſſet effectum. Quin hoc ipſum in ordine à ſe præſcripto implicitè intendit, vt nimirum ſi per hunc à ſe præſcriptum effectus non ſperetur, alius, quo probabiliùs effectus ſperatur, adhibeatur. Idque colligitur ex fine, quo hunc ordinem pręſcripſit, quæ eſt fratris correctio: ſicut ex eo, quòd exemplum dedit de ſolo peccato contra corripientem commiſſo, non excluſit alia, ſed ea incluſit ex fine, propter quem hoc præceptum tradidit: ita ex eo, quòd hunc ordinem præſcripſit, non excluſit alios, qui propter occurrentes circumſtantias cenſeri poſſent efficaciores & vtiliores ad finem fraternæ correctionis.

89. Dico 3. Ordo à Chriſto pręſcriptus obligat iure naturali, quando probabiliter cenſetur profuturus. Fundamentum, quia iure naturali tenemur ſubleuare ſpiritualem miſeriam proximi cum minori ipſius famæ iactura: ſed per hunc ordinem ſubleuamus ſpiritualem proximi miſeriam cum minori ipſius famæ iactura: ergo quando illum profuturum cenſemus, iure naturali tenemur adhibere. Quo fit, vt dum Chriſtus hunc ordinem pręſcripſit, nouum præceptum non ſtatuerit, ſed naturale dumtaxat explicauerit, illudque ſua authoritate confirmarit.

90. Dico 4. Ordo à Chriſto præſcriptus non ita iure naturali obligat, vt non poſſit ab hac obligatione ceſſare. Fundamentum, nam eatenus hic ordo à Chriſto præſcriptus obligat, quatenus debito iuſtitiæ tenemur proximi famam in ſubleuanda ipſius ſpirituali miſeria indemnem ſeruare; atqui poteſt proximus ob maius ſuum, vel alterius bonum, huic Iuri propriæ famę cedere: quâ iuris ceſſione factâ, ceſſat ordo à Chriſto præſcriptus obligare ad conſeruandam famam proximi in correptione fraterna. Maior conſtat ex dictis, cùm non ſit alius finis pręſcripti ordinis in correptione fraterna ſeruandi, quàm vt in fratre corrigendo indemnem quoad fieri poteſt eius famam ſeruemus. Minor ab omnibus conceditur cum S. Thoma ſecunda ſecundæ *S. Thom.* quęſt. 73. art. 4. ad 1. Nam ſiue homo ſit dominus, ſiue cuſtos & prudens tantùm conſeruator ſuæ famæ, poteſt ob maius ſuum, vel alterius bonum, huic iuri cedere. Et probatur: nam poteſt quis occultum ſuum peccatum ad maiorem ſui humiliationem, & in Spiritu profectum, Pręlato, imò & toti Eccleſiæ manifeſtare, vti fecit S. Auguſtinus, *Auguſt.* qui tredecim libros Confeſſionum ſcripſit, in quibus ſua peccata narrat: ergo idem peccatum poterit quicunque alter ex ipſius conſenſu Pręlato manifeſtare, cùm vnicuique licitum ſit ad bonum alterius cooperari. Confirmatur. Licitè poteſt quis iacturam aliquam in aliquo membro pati, vt reliquum corpus conſeruet: ergo ſimiliter

poterit

poterit quis aliquam iacturam in fama ſuſtinere, vt ſpiritualem vitam animæ ſecuriùs ac perfectiùs conſeruet. Quòd autem hac Iuris famę ceſſione factâ, ordo à Chriſto in fraterna correptione pręſcriptus non obliget, probatur: nam eatenus ille obligat, & in correptione ſeruandus eſt, quatenus proximus ius retinet in ſuam famam: ergo hoc licitè renunciato, non ampliùs obligat.

91. Ex dictis facilè ſoluuntur argumenta primæ ſententiæ. Ad primum, neganda eſt ſequela: nam fieri poteſt, vt propter occurrentes circumſtantias ordo in fraterna correptione à Chriſto pręſcriptus, vel non ſit ipſi fratri profuturus, vel alijs obfuturus, vel alius ordo ex conſenſu ipſius ſit magis ei profuturus: ergo in huiuſmodi caſibus ordo à Chriſto præſcriptus non obligat. Conſequentia clara eſt: quoniam nullum præceptum cum iactura maioris boni obligat: maioris autem boni iactura foret, ſi ordo à Chriſto præſcriptus in huiuſmodi caſibus ſeruaretur, vt per ſe patet.

92. Ad Confirmationem, concedendum eſt, ordinem à Chriſto præſcriptum eſſe iuris naturalis: negandum autem eſt, nunquam licitum eſſe, illum immutare: cùm non ſit ex ijs, quæ ſunt immutabilia, cuiuſmodi ſunt quædam Decalogi præcepta, de quibus ſuo loco; ſed ex ijs, quæ propter occurrentes circumſtantias mutari variarique poſſunt. Vt ſurreptio rei alienæ tempore grauis vel extremæ neceſſitatis licita eſt, quæ tamen extra hoc tempus licita non eſt. Iuxta hanc doctrinam intelligendi ſunt Patres, qui docent, interdum fratris peccatum ante teſtium adductionem nunciandum eſſe Superiori. *Baſilius.* Quanquam Baſilius pro prima ſententia citatus hoc non docet, ſed potiùs oppoſitum: ſic enim ſicribit: *Quodcunque peccatum ad Præpoſitum referendum eſt, vel ab eo, qui deliquit, vel ab ijs, qui illius ſunt conſcij, ſi ipſi illud emendare nequeant, iuxta quod à Domino præceptum eſt.* Hæc Baſilius, qui expreſsè fatetur, ordinem Chriſti ſeruandum eſſe. Nec obſtant verba illa, *vel ab eo qui deliquit:* nam ſemper delinquens habet poteſtatem ſuum peccatum manifeſtandi Prælato, vt ab eo paternè corrigatur.

93. Ad ſecundum, negandum eſt, nullum ius lædere illum, qui abſque cauſa vel omiſſa ſecreta admonitione, quam profuturam ſperabat, recurrit ad teſtes; vel prætermiſſa teſtium adductione, quam etiam profuturam ſperabat, occultum fratris peccatum denunciat Prælato vt iudici: nam lædit ius, quod frater habet in ſuam famam, quod in correptione Chriſtus, quoad fieri poteſt, ſeruatum vult. Vnde ad priorem probationem antecedentis, Reſpondeo propter circumſtantiam periculi, quod per ſe connexum eſt cum peccato hæreſis, ne alios inficiat, expedit, prætermiſſo ordine fraternæ correptionis à Chriſto præſcripto, ſtatim illud Patribus inquiſitoribus denunciare, vt tempeſtiuè prouideant, ne illud vlteriùs ſerpat. Eadem ratio eſt de ijs peccatis, quæ niſi ſtatim ad Superiorem deferantur, periculum eſt in mora, ne vel tota communitas, vel tertia aliqua perſona innocens maius damnum ſit paſſura, quàm ſit damnum ipſius, quod frater delatus in fama patitur.

94. Ad poſteriorem eiuſdem antecedentis probationem patet ex quarta aſſertione. Nam poſita voluntaria renunciatione iuris ad propriam famam, licitè poteſt vnuſquiſque de conſenſu ipſius fratris quodcunque eius peccatum extra confeſſionem cognitum denunciare Superiori vt Patri, ad maiorem eiuſdem fratris in ſpiritu profectum. Quare temerè Lorca apud Coninck diſput. 28. de correptione fraterna dubio 12. auſus eſt negare, poſſe ſtatui legem, quæ de conſenſu fratrum vnumquemque obliget ad ipſorum defectus extra confeſſionem notatos, prætermiſſa ſecreta admonitione, Superiori tanquam Patri immmediatè deferendos: eo quòd vnuſquiſque iure naturæ, iuxta Chriſti præceptum, priùs teneatur peccantem fratrem ſecretò monere, ſi talis monitio ſperatur profutura, quàm illum ad Superiorem deferre. *Lorca. Coninck.*

95. Temeritas autem huius authoris vel ex eo conuincitur, quod cùm hæc lex cum reliquis Noſtræ Societatis Conſtitutionibus confirmata & approbata ſit à quinque Summis Pontificibus, Paulo III. Iulio III. Gregorio XIII. Gregorio XIV. & Paulo V. per ſpeciales Bullas, auſus nihilominus ſit illam tanquam illicitam, iniuſtam, & inualidam damnare: contra duas Bullas Summorum Pontificium Gregorij XIII. & Gregorij XIV. in quibus expreſsè ſub pœnis excommunicationis latę ſententiæ, & inhabilitatis ad quęuis officia & beneficia, eo ipſo incurrendis prohibetur, ne quis Societatis inſtitutum, ne quidem ſub prętextu veritatis indagandæ, impugnare audeat. *Paulus I Iulius II Gregoriu XIII. Gregoriu XIV. Paulus V.* Verba Bullę Gregorij XIII. ſunt. *Et vt contradicentium audacia coërceatur, præmiſſas omnes & quaſuis alias illis ſimiles aſſertiones contra dicta Societatis inſtitutum, vel quomodolibet in illius præiudicium pronunciatas aut ſcriptas, falſas omninò & temerarias eſſe & cenſeri debere. Præcipimus igitur in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœnis excommunicationis latæ ſententiæ, nec non inhabilitatis ad quæuis officia & beneficia ſæcularia, & quorumuis ordinum regularia, eo ipſo abſque alia declaratione incurrendis (quarum abſolutionem Nobis & ſucceſſoribus noſtris reſeruamus) ne quis cuiuſcunque ſtatus, gradus & præeminentiæ exiſtat, dicta Societatis Inſtitutum, Conſtitutiones vel etiam præſentes, aut quemuis earum, vel ſupradictorum omnium articulum, vel aliud quid ſupradicta concernens, quouis diſputandi, vel etiam veritatis indagandæ quæſito colore, directè vel indirectè impugnare, vel eis contradicere audeat; di-*

tur fratris correctio, illum deferunt Prælato tanquam iudici: cùm in vtroque caſu grauiter lædatur fama proximi per occulti peccati publicationem, abſque neceſſitate. Confirmatur: nam ſicut peccaret medicus corporalis, qui dum infirmum ſanare poſſet abſque graui læſione ipſius, ſanare vellet per medicinam grauiter infirmum lædentem: ita grauiter peccaret medicus ſpiritualis, qui dum fratrem ſpiritualiter ægrotantem ſanare poſſet abſque graui ipſius famæ læſione, illum ſanare vellet cum graui nota ipſius famæ.

87. Dico 2. Ordo fraternæ correptionis à Chriſto præſcriptus non eſt ita inuiolabiliter ſeruandus, vt nunquam ſit licitum illum tranſgredi, aliumque corripiendi modum adhibere, qui iuxta occurrentes circumſtantias efficacior iudicetur ad fratris correctionem. Eſt communis Scholaſticorum: & colligitur ex ijs Patribus, qui docent, interdum fratris peccatum immediatè deferendum eſſe ad Prælatum tanquam ad Patrem, qui meliùs & efficaciùs poſſit illum corrigere, vt apertè teſtatur Auguſtinus citata regula tertia. Fundamentum eſt: quia cùm finis huius præcepti, ordiniſque ſeruandi, ſit fratris correctio & emendatio; cumque interdum vel ob malitiam corripiendi, vel ob inhabilitatem corripientis poſſit ordo à Chriſto præſcriptus inefficax & inutilis iudicari, contrà verò alius efficax & vtilis cenſeri: tunc non ordo à Chriſto præſcriptus, ſed ille qui iudicabitur iuxta occurrentes circumſtantias futurus efficax & fructuoſus, adhibendus erit. Semper tamen cauendum eſt, vt cum minori, qua poteſt, famæ læſione ordo ſeruetur. Vnde ſi probabiliter putetur nil profutura, ſed potiùs obſutura priuata correptio, omittenda erit, & adhibenda monitio coram vno vel duobus teſtibus. Quòd ſi neque hęc ſperetur profutura, poterit vtraque prętermiſſa, adhiberi denunciatio apud Superiorem tanquam Patrem. Quòd ſi neque hæc profutura eſt, adhibenda erit denunciatio apud Superiorem tanquam iudicem, vt de occulto peccato fratris vlteriùs inquirat; habitaque ſufficienti notitia publica, illud per publicas cenſuras & pœnas puniat, vt ſaltem hoc modo frater à peccato reſipiſcat: cùm ſpiritualis ſalus ipſius procuranda ſit, etiam cum iactura proprię ipſius famæ, quando aliter fieri non poteſt. Quod intelligitur, quando frater eſt in extrema, vel graui neceſſitate ſalutis ſpiritualis: alioqui ſi vno tempore non videtur benè diſpoſitus, vt nonniſi cum iactura ipſius famæ à peccato ſit corrigendus, expectandum erit commodius tempus, quando abſque ipſius famæ iactura correctio ſperatur, vti faciunt prudentes ac periti medici, niſi fortè peccatum fratris vergat in detrimentum aliorum.

Auguſt.

88. Ex dictis infertur, Chriſtum Dominum eum ordinem in correptione fraterna aſſignaſſe, qui cum minori iactura famę proximi plerumque effectum habere ſolet; haud tamen prohibuiſſe alium in caſu, quo non hic, ſed alius habiturus eſſet effectum. Quin hoc ipſum in ordine à ſe præſcripto implicitè intendit, vt nimirum ſi per hunc à ſe præſcriptum effectus non ſperetur, alius, quo probabiliùs effectus ſperatur, adhibeatur. Idque colligitur ex fine, quo hunc ordinem pręſcripſit, quæ eſt fratris correctio: ſicut ex eo, quòd exemplum dedit de ſolo peccato contra corripientem commiſſo, non excluſit alia, ſed ea incluſit ex fine, propter quem hoc præceptum tradidit: ita ex eo, quòd hunc ordinem præſcripſit, non excluſit alios, qui propter occurrentes circumſtantias cenſeri poſſent efficaciores & vtiliores ad finem fraternæ correctionis.

89. Dico 3. Ordo à Chriſto pręſcriptus obligat iure naturali, quando probabiliter cenſetur profuturus. Fundamentum, quia iure naturali tenemur ſubleuare ſpiritualem miſeriam proximi cum minori ipſius famæ iactura: ſed per hunc ordinem ſubleuamus ſpiritualem proximi miſeriam cum minori ipſius famæ iactura: ergo quando illum profuturum cenſemus, iure naturali tenemur adhibere. Quo fit, vt dum Chriſtus hunc ordinem pręſcripſit, nouum præceptum non ſtatuerit, ſed naturale dumtaxat explicauerit, illudque ſua authoritate confirmarit.

90. Dico 4. Ordo à Chriſto præſcriptus non ita iure naturali obligat, vt non poſſit ab hac obligatione ceſſare. Fundamentum, nam eatenus hic ordo à Chriſto præſcriptus obligat, quatenus debito iuſtitiæ tenemur proximi famam in ſubleuanda ipſius ſpirituali miſeria indemnem ſeruare; atqui poteſt proximus ob maius ſuum, vel alterius bonum, huic Iuri propriæ famę cedere: quâ iuris ceſſione factâ, ceſſat ordo à Chriſto præſcriptus obligare ad conſeruandam famam proximi in correptione fraterna. Maior conſtat ex dictis, cùm non ſit alius finis pręſcripti ordinis in correptione fraterna ſeruandi, quàm vt in fratre corrigendo indemnem quoad fieri poteſt eius famam ſeruemus. Minor ab omnibus conceditur cum S. Thoma ſecunda ſecundæ *S. Thom.* quęſt. 73. art. 4. ad 1. Nam ſiue homo ſit dominus, ſiue cuſtos & prudens tantùm conſeruator ſuæ famæ, poteſt ob maius ſuum, vel alterius bonum, huic iuri cedere. Et probatur: nam poteſt quis occultum ſuum peccatum ad maiorem ſui humiliationem, & in Spiritu profectum, Pręlato, imò & toti Eccleſiæ manifeſtare, vti fecit S. Auguſtinus, qui tredecim libros Confeſſionum ſcripſit, in quibus ſua peccata narrat: ergo idem peccatum poterit quicunque alter ex ipſius conſenſu Pręlato manifeſtare, cùm vnicuique licitum ſit ad bonum alterius cooperari. Confirmatur. Licitè poteſt quis iacturam aliquam in aliquo membro pati, vt reliquum corpus conſeruet: ergo ſimiliter

Auguſt.

poterit

poterit quis aliquam iacturam in fama ſuſtinere, vt ſpiritualem vitam animæ ſecuriùs ac perfectiùs conſeruet. Quòd autem hac Iuris famę ceſſione factâ, ordo à Chriſto in fraterna correptione pręſcriptus non obliget, probatur: nam eatenus ille obligat, & in correptione ſeruandus eſt, quatenus proximus ius retinet in ſuam famam: ergo hoc licitè renunciato, non ampliùs obligat.

91. Ex dictis facilè ſoluuntur argumenta primæ ſententiæ. Ad primum, neganda eſt ſequela: nam fieri poteſt, vt propter occurrentes circumſtantias ordo in fraterna correptione à Chriſto pręſcriptus, vel non ſit ipſi fratri profuturus, vel alijs obfuturus, vel alius ordo ex conſenſu ipſius ſit magis ei profuturus: ergo in huiuſmodi caſibus ordo à Chriſto præſcriptus non obligat. Conſequentia clara eſt: quoniam nullum præceptum cum iactura maioris boni obligat: maioris autem boni iactura foret, ſi ordo à Chriſto præſcriptus in huiuſmodi caſibus ſeruaretur, vt per ſe patet.

92. Ad Confirmationem, concedendum eſt, ordinem à Chriſto præſcriptum eſſe iuris naturalis: negandum autem eſt, nunquam licitum eſſe, illum immutare: cùm non ſit ex ijs, quæ ſunt immutabilia, cuiuſmodi ſunt quædam Decalogi præcepta, de quibus ſuo loco; ſed ex ijs, quæ propter occurrentes circumſtantias mutari variarique poſſunt. Vt ſurreptio rei alienæ tempore grauis vel extremæ neceſſitatis licita eſt, quæ tamen extra hoc tempus licita non eſt. Iuxta hanc doctrinam intelligendi ſunt Patres, qui docent, interdum fratris peccatum ante teſtium adductionem nunciandum eſſe Superiori. *Baſilius.* Quanquam Baſilius pro prima ſententia citatus hoc non docet, ſed potiùs oppoſitum: ſic enim ſcribit: *Quodcunque peccatum ad Præpoſitum referendum eſt, vel ab eo, qui deliquit, vel ab ijs, qui illius ſunt conſcij, ſi ipſi illud emendare nequeant, iuxta quod à Domino præceptum eſt*. Hæc Baſilius, qui expreſsè fatetur, ordinem Chriſti ſeruandum eſſe. Nec obſtant verba illa, *vel ab eo qui deliquit*: nam ſemper delinquens habet poteſtatem ſuum peccatum manifeſtandi Prælato, vt ab eo paternè corrigatur.

93. Ad ſecundum, negandum eſt, nullum ius lædere illum, qui abſque cauſa vel omiſſa ſecreta admonitione, quam profuturam ſperabat, recurrit ad teſtes; vel prætermiſſa teſtium adductione, quam etiam profuturam ſperabat, occultum fratris peccatum denunciat Prælato vt iudici: nam lædit ius, quod frater habet in ſuam famam, quod in correptione Chriſtus, quoad fieri poteſt, ſeruatum vult. Vnde ad priorem probationem antecedentis, Reſpondeo propter circumſtantiam periculi, quod per ſe connexum eſt cum peccato hæreſis, ne alios inficiat, expedit, prætermiſſo ordine fraternæ correptionis à Chriſto præſcripto, ſtatim illud Patribus inquiſitoribus denunciare, vt tempeſtiuè prouideant, ne illud vlteriùs ſerpat. Eadem ratio eſt de ijs peccatis, quæ niſi ſtatim ad Superiorem deferantur, periculum eſt in mora, ne vel tota communitas, vel tertia aliqua perſona innocens maius damnum ſit paſſura, quàm ſit damnum ipſius, quod frater delatus in fama patitur.

94. Ad poſteriorem eiuſdem antecedentis probationem patet ex quarta aſſertione. Nam poſita voluntaria renunciatione iuris ad propriam famam, licitè poteſt vnuſquiſque de conſenſu ipſius fratris quodcunque eius peccatum extra confeſſionem cognitum denunciare Superiori vt Patri, ad maiorem eiuſdem fratris in ſpiritu profectum. Quare temerè Lorca apud Coninck diſput. 28. de correptione fraterna dubio 12. auſus eſt negare, poſſe ſtatui legem, quæ de conſenſu fratrum vnumquemque obliget ad ipſorum defectus extra confeſſionem notatos, prætermiſſa ſecreta admonitione, Superiori tanquam Patri immmediatè deferendos: eo quòd vnuſquiſque iure naturæ, iuxta Chriſti præceptum, priùs teneatur peccantem fratrem ſecretò monere, ſi talis monitio ſperatur profutura, quàm illum ad Superiorem deferre. *Lorca. Coninck.*

95. Temeritas autem huius authoris vel ex eo conuincitur, quod cùm hæc lex cum reliquis Noſtræ Societatis Conſtitutionibus confirmata & approbata ſit à quinque Summis Pontificibus, Paulo III. Iulio III. Gregorio XIII. Gregorio XIV. & Paulo V. per ſpeciales Bullas, auſus nihilominus ſit illam tanquam illicitam, iniuſtam, & inualidam damnare: contra duas Bullas Summorum Pontificium Gregorij XIII. & Gregorij XIV. in quibus expreſsè ſub pœnis excommunicationis latę ſententiæ, & inhabilitatis ad quęuis officia & beneficia, eo ipſo incurrendis prohibetur, ne quis Societatis inſtitutum, ne quidem ſub prętextu veritatis indagandæ, impugnare audeat. Verba Bullę Gregorij XIII. ſunt. *Et vt contradicentium audacia coërceatur, præmiſſas omnes & quaſuis alias illis ſimiles aſſertiones contra dicta Societatis inſtitutum, vel quomodolibet in illius praiudicium pronunciatas aut ſcriptas, falſas omninò & temerarias eſſe & cenſeri debere. Præcipimus igitur in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœnis excommunicationis latæ ſententiæ, nec non inhabilitatis ad quæuis officia & beneficia ſæcularia, & quorumuis ordinum regularia, eo ipſo abſque alia declaratione incurrendis (quarum abſolutionem Nobis & ſucceſſoribus noſtris reſeruamus) ne quis cuiuſcunque ſtatus, gradus & præeminentiæ exiſtat, dicta Societatis Inſtitutum, Conſtitutiones vel etiam præſentes, aut quæuis earum, vel ſupradictorum omnium articulum, vel aliud quid ſupradicta concernens, quouis diſputandi, vel etiam veritatis indagandæ quæſito colore, directè vel indirectè impugnare, vel eis contradicere audeat; di-*

Paulus I. Iulius II Gregorius XIII. Gregorius XIV. Paulus V.

ſtrictiùs inhibentes, ne quis ſiue extra, ſiue intra dictam Societatem, niſi de illius Generalis, aut inferiorum Præpoſitorum licentia notationes, declarationes, gloſſas, vel ſcholia vlla ſuper præmiſſis facere, vel ea niſi quantum verba ipſa ſonant, interpretari, aut de eis diſceptare, ſeu ſcrupulum cuiquam inijcere, vel in controuerſiam aut dubium reuocare audeat quoquomodo; nec gloſſas, aut interpretationes ſiue impreſſas ſeu ſcriptas ad id pertinentes legere, docere, alijſque tradere, vendere, vel apud ſe retinere præſumat. Eadem verba, adiecta maiori declaratione, referuntur in Bulla Gregorij XIV. Quas Bullas, Si Lorca legiſſet, vti legere debuiſſet, nunquam hanc conſtitutionem tanquam Chriſti doctrinæ ac iuri naturali repugnantem damnare auſus fuiſſet.

96. Nec refert, quòd in citatis Bullis de huiuſmodi conſtitutione non fiat ſpecialis mentio: quia ſufficit, vt totum Religionis inſtitutum approbetur, in quo illa tanquam pars ſubſtantialis, vt declarauit quinta Congregatio Generalis Noſtræ Societatis Decreto 58. continetur: cùm non ſolùm contra Summi Pontificis authoritatem ſit, aſſerere quòd aliquod Religionis inſtitutum, ſecundùm ſe totum, ſed etiam quòd ſecundùm aliquam ſui partem eſſentialem, Euangelicę veritati repugnet.

Congregatio Generalis. Soc. Ieſu.

97. Sed quid ſi huius etiam conſtitutionis in aliqua Pontificis Bulla, ſaltem ſub nomine eorum, quę ſubſtantialia ſunt in noſtro inſtituto, mentio fiat? iam hoc ipſum oſtendamus Lorcæ. Conſtat per Bullam Confirmationis inſtituti Societatis Ieſu à Paulo V. editam anno 1606. pridie nonas Septembris, non modò Apoſtolica authoritate approbari & confirmari conſtitutiones omnes Noſtrę Societatis ab alijs Pontificibus approbatas & confirmatas, vel etiam decreta, ſtatuta, & ordinationes, quę inſtitutum, & Societatem Noſtram, eiuſque gubernandi rationem quomodolibet concernunt in Generalibus Congregationibus condita ſunt. Verba Bullæ ſunt: *Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, laudabile dicta Societatis inſtitutum Conſtitutiones* &c. *Nec non ſuprà dicta, & quæcunque alia decreta, ſtatuta, & ordinationes, quæ inſtitutum & Societatem huiuſmodi, illiuſque gubernandi rationem quomodolibet concernunt in Generalibus Congregationibus edita* &c. *Apoſtolica authoritate prædicta earundem tenore præſentium perpetuò approbamus & confirmamus, ac illis perpetuæ & inuiolabilis firmitatis, ac Noſtræ & Sedis Apoſtolicæ authoritatis robur adijcimus.* Inter alia autem decreta, vnum eſt 58. in V. Congregatione Generali Noſtræ Societatis editum, in quo declarantur ſubſtantialia Noſtri inſtituti, quod ſic habet: *Subſtantialia inſtituti ea in primis ſunt, quæ in formula ſeu regula Societatis Iulio III. Summo Pontifici propoſita, & ab eo, alijſque eius Succeſſoribus confirmata, continentur. Deinde, ea, ſine quibus illa aut nullo modo, aut vix conſtare poſſunt, cuiuſmodi ſunt. Primò, eſſe aliqua impedimenta eſſentialia in admittendo. Secundò, non eſſe neceſſarium, vt in dimittendo forma iudicialis ſeruetur. Tertiò, reddendam eſſe Superiori conſcientiæ rationem. Quartò, contentum eſſe debere vnumquemque vt omnia, quæ in eo notata fuerint, per quemuis qui extra confeſſionem ea acceperit, Superioribus manifeſtentur. Quintò, paratos eſſe omnes debere, vt ſe inuicem manifeſtent debito cum amore & charitate:* & alia his ſimilia. Quod decretum cùm fuerit vnà cum alijs in eadem V. Congregatione Generali tempore Clementis VIII. condita ſtatutis per ſpecialem Bullam à Paulo V. Apoſtolica authoritate approbatum & confirmatum, dubitari ampliùs non licebit de ipſius ęquitate & honeſtate: niſi quis velit tam expreſſæ Summi Pontificis authoritati, qui in approbandis confirmandiſque Religionis inſtitutis errare non poteſt, vt ſuprà oſtenſum eſt, obſtinatè contradicere.

Lorca.

Paulus V.

Clemens VIII.

Paulus V.

98. Eandem veritatem confirmat, id quòd refert Alphonſus Rodriquez è Societate Ieſu in tertia parte ſui exercitij ſpiritualis tract. 8. cap. 5. & indicat Suarez Tomo 4. de Religione libro 10. cap. 10. numero 1. circa finem, de quodam Sacerdote è Noſtra Societate dimiſſo, qui cùm in ſua Summa caſuum acriter hanc regulam ſugillaſſet, eamque tanquam Euangelicę doctrinæ directè repugnantem notaſſet, Reuerendus Pater Euerardus Mercurianus tunc Societatis Ieſu Præpoſitus Generalis Gregorium XIII. Pontificem maximum adijt ſuper hac iniuria expoſtulatum. Qui Pontifex, cùm & librum authoris, & Regulam Noſtram legiſſet, eamque accuratè examinaſſet, publicè declarauit, illam non modò Euangelicę doctrinæ non repugnare, verùm in ea Apoſtolicam quandam perfectionem contineri; ſimulque authoris cenſuram damnauit, eamque ex libro expungi iuſſit, vti illam reipſa expungi curauit per Cardinalem Sirletum. Nec dubito, quin ob eandem etiam cauſam idem Pontifex Bullam illam ediderit, in qua, vt ſuprà vidimus, omnibus prohibet, ne quouis diſputandi, vel etiam veritatis indagandæ quęſito colore, directè, vel indirectè inſtitutum Societatis, aut quemuis eius articulum impugnare audeat.

Alphonſus Rodriquez.

Suarez.

Euerardus Mercurianus.

Gregorius XIII.

Cardinalis Sirletus.

99. Mitiùs contra hanc eandem Societatis Conſtitutionem ſcribit Bannez ſecunda ſecundæ quæſt. 33. art. 8. dub. 2. §. *iam aliud, quàm in eadem Confirmatione obycitur.* Vbi etſi illam iuſtam & licitam exiſtimet, haud tamen eam expedire putat. Quòd iuſta & licita ſit, probat: *nam cùm vnuſquiſque,* inquit, *ſit dominus ſuæ famæ, licitum eſt illi, pro ſuo bono ſpirituali illam amittere apud quem voluerit, ſecluſo ſcandalo. Hoc enim non eſt diſpenſare in præcepto Euangelico, aut potiùs naturali ſeruandi illum ordinem, ſed eſt mutare materiam præcepti. Nam tota ratio*

Bannez.

illius

illius ordinis eſt, ne fiat iniuria fratri corripiendo, infamando ipſum plus quàm oportet, vt corrigatur & emendetur. At verò ſcienti & volenti non fit iniuria, quoniam ipſe dominus eſt propria fama. Quod etiam confirmat exemplo: nam *quemadmodum* ſubiungit, *qui commiſit homicidium ſecretiſſimum, poteſt ſemetipſum in publico tribunali accuſare, eſſet tamen illicitum alteri hoc facere: ita etiam poterit alteri concedere, vt ſe accuſet. Multò ergo* magis, concludit, *poterit aliquis renunciare iuri ſuo, quod habet, vt cum illo ſeruetur ordo correctionis fraternæ, ſed vnicuique ſcienti eius delictum liceat ſtatim denunciare Prælato, præſertim tanquam Patri.*

100. Quòd autem non expediat, probat hoc argumento: *Quoniam durum videtur, vt tota communitas Religionis profiteatur tantum rigorem, in cuius executione poſtea qui non fuerint valde perfecti, facilè perturbabuntur, videntes paſſim ſua delicta occulta nota eſſe Prælato.* Verùm quod durum & cauſa perturbationum viſum eſt Bannez, alijs doctiſſimis ac prudentiſſimis viris viſum eſt regularis diſciplinæ apprimè conſeruatiuum: nam & Bonauentura in Capitulo Generali, vt ſuprà vidimus, oppoſitum tanquam Religioni pernicioſum, & regularis diſciplinæ deſtructiuum damnauit: & in Conſtitutionibus Prædicatorum, quorum Religionem ipſemet Bannez profitetur, ſtatuitur, *ne vitia occultentur Prælato ſuo, quilibet denunciet, quæ viderit, vel audierit.* Et Innocentius III. cap. *qualiter & quando* 2. de accuſationibus, etſi ordinem Euangelicum in denunciatione contra perſonas ſæculares ſeruandum præcipiat, illum tamen contra perſonas regulares nequaquam neceſſariò ſeruandum putat: eo quòd *faciliùs*, inquit, *& liberiùs à ſuis poſſint adminiſtrationibus amoueri.*

Bannez.

Bonauent.

Innoc. III.

101. Nec obſtare debet, id, quod Bannez obijcit, eo quòd imperfecti, quibus plerumque abundat communitas, occaſionem ſumant inquietudinis & turbationis: tum quia multa alia ſunt in Religione difficilia, ex quorum obſeruantia imperfecti maioris inquietudinis & turbationis occaſionem ſumere poſſunt, quorum tamen executio non propterea non iudicatur regulari diſciplinæ expediens. Nam quid difficilius, quàm exacta trium votorum, præſertim obedientiæ, vt in Noſtra Societate præſcribitur, etiam cum proprij iudicij abnegatione, obſeruatio? Omitto municipales quaſi leges vnicuique Religioni proprias, vt apud Carthuſianos renunciare naturali iuri, quod vnuſquiſque habet conſeruandi propriam vitam ijs medijs, quæ omnibus naturę iure licita ſunt: cùm tamen ipſi ex propria regula profitentur, ſe nunquam carnes comeſturos, etiamſi eæ iudicentur neceſſariæ ad propriæ vitæ conſeruationem. Apud Religioſos S. Franciſci de Paula, qui peculiari voto obligantur ad nō comedendū toto vitæ tempore, infirmitatis dumtaxat excepta cauſa, niſi cibos quadrageſimales: neque in huiuſmodi regulæ obſeruantia admitti poſſe priuilegium comedendi oua & lacticinia, ſaltem in Regionibus & locis, in quibus hoc priuilegium conceditur omnibus. Et in Noſtra Religione quid difficilius, quàm vi regulæ obligari ſingulis annis, qui ſunt in gradu, bis verò in anno qui in gradu non ſunt, non modò defectus omnes, ſed internas etiam inclinationes, & naturales inordinatoſque appetitus Superiori manifeſtare. Item peculiari voto ligari de nulla vnquam neque intra, neque extra Religionem dignitate procuranda, vel prætendenda: & ſi quando virtute obedientiæ Summi Pontificis, qui ſolus poteſt ſub peccato Noſtris præcipere, vt, tali voto non obſtante, dignitatem extra Religionem accipiant, teneantur eo loco Præpoſitum Generalem habere, vt nunquam ipſius conſilium audire detrectent, quod ipſe Præpoſitus per ſe, vel per quemuis alium de Societate ſibi ſubſtituerit. Cùm tamen nemo hæc, & alia his ſimilia, propterea quòd obſeruatu difficilia ſunt, iudicet Religioni non expedire. Tum quia in Religione, in qua regularis obſeruantia viget, vti diuina gratia viget in noſtra, valde rarò & in pauciſſimis huiuſmodi caſus accidunt: vt propterea non ſit timendum, ne maior pars communitatis in executione huius regulæ perturbetur, cùm reuera qui huiuſmodi fræno indigent, rariſſimi ſint: & pro eis expedit, etiam cum aliqua animi turbatione, hoc ſalubri fræno cohiberi, præſertim cùm nulla eis iniuria fiat: ſiquidem in huius regulæ obſeruantiam à principio ſui in Religionem ingreſſus ſponte conſenſerunt: quem conſenſum poſtea bis in anno renouant, dum conſcientiæ rationem Superiori reddunt: à quo inter alia, an viuat in ſua Religione contentus, & quid de inſtituto Societatis ſentiat, ſpecialiter interrogatur.

Bannez.

102. Tum quia commune totius Religionis bonum, ad quod conſeruandum promouendumve præcipuè hæc regula dirigitur, præualere debet priuato incommodo paucorum, qui ex obſeruatione illius aliquam inquietudinis & turbationis occaſionem arripere poſſunt: præſertim cùm, vt dictum eſt, in Religione proprij inſtituti obſeruante, huiuſmodi defectus rariſſimi ſint. Adde, obſeruantiam huius regulæ maximè neceſſariam eſſe Noſtræ Societati, cuius cùm finis ſit, ſalutem animarum per varia officia & miniſteria procurare, nec non propter eundem finem diuerſa mundi loca peragrare, expedit, vt Alumni huius Religionis valde noti perſpectique ſint ſuis Superioribus, ne vel eos ad aliquod officium applicent, vel ad aliquem locum mittant, in quo periculum ſit, ne cum ſui & Religionis graui detrimento in ſpiritu naufragium faciant.

103. Tum demum, quoniam ſuauitas, qua hæc ipſa regula executioni mandatur, tanta

tanta eſt, vt nulli prudenti viro, ne dum Euangelicæ perfectionis ſtudioſo, eius obſeruantia grauis ac dura, cauſaque perturbationis eſſe poſſit. Suauitas autem hæc colligitur primò ex fine, quo hæc ad Superiorem denunciatio facienda eſt, nempe, *Ad maiorem in Spiritu profectum, & præcipuè ad maiorem ipſius ſubmiſſionem & humilitatem propriam*, vt regula ipſa loquitur. Secundò ex modo: *debito cum amore & charitate*, vt eadem regula præſcribit. Quæ verba cùm legiſſet Gregorius XIII. mirum in modum hanc regulam commendaſſe dicitur, vt præcitato locò refert Suarez. Tertiò ex modo, quo hæc denunciatio fit Superiori, non tanquam iudici, vt delatum iuridicè puniat, ſed tanquam Patri, vt paternè corrigat, vti declarat Congregatio ſexta Generalis in decreto 32. excuſo, & 49. manu ſcripto: & conſtat ex verbis regulę, quæ pro fine aſſignat proprium delati in ſpiritu profectum. Quo fit, vt per hanc regulam non tam ſublatus ſit ordo ſecretæ correptionis fraternæ, à qua iuxta Chriſti præſcriptum incipiendum eſt, quàm mutatus in ordinem ſecretæ correptionis paternæ: cùm etiam in hac correptione occultè delinquens ſecretò corrigi debeat à Prælato, qui, vt eadem congregatio decreto 33. declarat, nulli debet delatum reuelare, qui non poſſit prodeſſe fini, quem denunciatio paterna intendit, qui eſt profectus in ſpiritu ipſorum ſubditorum, & bonum commune Religionis. Quòd ſi ſecreta correptio Prælati non prodeſt, tunc iuxta Chriſti pręſcriptum, licitum erit, ad alios modos paternæ correptionis tranſire, vel corrigendo ſubditum coram vno vel duobus teſtibus, vel illum alteri Superiori eiuſdem delinquentis manifeſtare: vel quando hęc omnia non proſunt, induere perſonam iudicis, præſertim quando peccata ſunt vel in detrimentum boni communis, vel in damnum tertiæ perſonę. Quæ omnia fusè declarat prędicta Congregatio ſexta Generalis.

Gregorius XIII. *Suarez.* *Congreg. VI. General. Soc. Ieſu.*

104. Quartò colligitur ſuauitas executionis huius regulæ, tum quia non ſemper eius executio obligat: nam etſi ſemper licitum ſit, occultum fratris delictum extra confeſſionem cognitum Superiori manifeſtare ad finem fraternæ correctionis, non tamen hoc ſemper obligat, niſi vel quando delictum vergit in detrimentum Religionis, vel in damnum tertiæ perſonæ, vel in periculum recidiuæ, vel quando ſubditus ſpecialiter à Superiore interrogatur. Omnia hæc conſtant ex verbis pręcitati decreti 32. Congregationis VI. quibus diſtinguit, *licitè poſſe, & teneri*. Et concludit, quòd ſolùm in delictis, quæ vel in detrimentum boni communis, vel in damnum imminens tertiæ perſonæ vergunt, & eadem ratio eſt de duobus alijs poſtremis, tenetur quiſque immediatè vti denunciatione paterna manifeſtando illa Superiori. Tum quia ab hac paterna denunciatione non ſolùm eximuntur, qui defectus norunt notitia Sacramentali, ſed quacunque alia ſecreta conſilij ac directionis cauſa, vt citatum decretum 32. declarat. Tum demum, quoniam antequam hæc regula executioni mandetur, præcedit matura ipſius ab vnoquoque acceptatio: nam & illa oſtenditur Nouitijs initio ſui in Religionem ingreſſus, & ſingulis menſibus publicè legitur in refectorio, & bis ſaltem in anno in ratione conſcientię de ea à Superiore interrogantur.

105. Hactenus oſtendimus, & ni fallor ſatis euidenter, poſita renuntiatione iuris proprię famæ, conſtitutionem hanc non modò iuſtam & licitam eſſe, nulloque pacto Euangelicæ doctrinæ repugnare, verùm & Religioni expedire, tùm ad maiorem ſingulorum in ſpiritu profectum, tum ad maiorem cautelam, ſecuritatem, & prouidentiam erga commune bonum totius Religionis. Supereſt difficilior quęſtio, An ſine huiuſmodi renunciatione iuris propriæ famæ poſſit hæc conſtitutiò eſſe iuſta ac licita, eaque ad ſui obſeruantiam ſubditos obligare, etiam quando per ordinem à Chriſto pręſcriptum ſperaretur fratris correctio, antequam Prelato denunciaretur vt Patri. In qua difficultate,

106. Negant aliqui, id iuſtum ac licitum fore: ita Bannez 2. 2. q. 33. art. 8. dub. 2. pręcipuè ad 6. Valentia diſp. 3. de Correct. fraterna q. 10. pun. 5. §. *etſi autem prior illa ſententia*. Fundamentum, quoniam iure naturali tenemur, ſpiritualem proximi ſalutem procurare cum minori iactura aliorum temporalium bonorum ipſius proximi, adeoque cum minori iactura ipſius famæ, quę inter temporalia bona primas tenet: ergo numquam licebit abſque ipſius conſenſu eius occultum peccatum immediatè manifeſtare Prælato, etiam vt Patri, prætermiſſo ordine à Chriſto præſcripto. Conſequentia probatur, nam maior iactura famę eſt, illum prodere apud Superiorem, quàm apud alios, qui Superiores non ſunt. *Bannez.* *Valentia.*

107. Alij verò concedunt, vt Richardus in 4. diſt. 19. art. 3. q. 1. Angelus verbo *denunciatio* num. 10. & alij: quorum fundamentum eſt, quia non ſolùm per correptionem debet prouideri fratri, vt à peccato corrigatur, ſed etiam vt à recidiua referuetur: hoc autem efficaciùs fit per paternam monitionem Superioris: ergo licitum erit, etiam prætermiſſa ſecreta monitione, occultum peccatum fratris immediatè manifeſtare Superiori tanquam Patri. *Richardus.* *Angelus.*

108. Alij demum diſtinguunt, licitè non poſſe, prætermiſſa ſecreta monitione, occultum peccatum fratris immediatè ad Superiorem deferre; poſſe autem prætermiſſa correptione coram teſtibus, præſertim quando teſtes non ſunt conſcij occulti criminis fratris: ita Coninck diſp. 28. de fraterna correctione dub. 10. Fundamentum eſt idem, quo primi authores mouentur: quoniam iure naturali tenemur cum minori iactura famæ ſpirituali proximi ſaluti conſulere: igitur ſi per priuatam monitionem ſperatur fratris correctio, licitum non erit, ipſius occultum peccatum cum famæ iactura Superiori manifeſtare. *Coninck.*

Quòd

Quòd autem licitum ſit, poſt ſecretam monitionem ante teſtium adductionem, peccatum Superiori vt Patri manifeſtare, probatur: quia ſi teſtes non ſint conſcij peccati, æqualis famæ iactura erit, ſi illud immediatè reueletur Superiori vt Patri, atque alteri, qui peccatum non nouit. Pro cuius difficultatis ſolutione,

109. Dicendum eſt, licitam eſſe conſtitutionem, qua non ſolùm prætermiſſa correptione coram vno vel duobus teſtibus, ſed etiam inter ipſum corripientem & corripiendum, occultum peccatum fratris immediatè deferatur Superiori tanquam Patri, adhuc nulla præmiſſa renunciatione iuris propriæ famæ. Moueor hoc fundamento. Poteſt commune bonum totius Religionis, quod per obſeruantiam talis conſtitutionis futurum ſperatur, præualere priuato bono illius famæ, quam vnuſquiſque habet apud ſuum Prælatum: ergo poteſt talis conſtitutio licita eſſe, adhuc retento iure ad propriam famam. Conſequentia conſtat: nam ſemper licitum eſt, bonum commune præferre priuato: ergo licitè poterit Religionis, Superior ad quem ſpectat cura boni totius communitatis, ferre legem, qua ad meliùs conſeruandum promouendùve bonum totius Religionis ſubditi teneantur reuelare occulta peccata fratrum Superiori tanquam Patri, non obſtante naturali iure, quod vnuſquiſque habet in propriam famam.

110. Confirmatur: nam ob ſpem maioris boni ſpiritualis proximi, quæ eſt ipſius à peccato emendatio, licitum eſt cum aliqua iactura ipſius famæ illum manifeſtare duobus teſtibus vel Eccleſiæ: ergo ob ſpem maioris boni totius Religionis & communitatis licitum erit, cum aliqua iactura famæ eiuſdem illum manifeſtare Prælato.

111. Antecedens primi Enthymematis probatur, oſtendendo maius bonũ, quod per obſeruantiam talis conſtitutionis in totam Religionem redundat. Nam primò per huiuſmodi regulæ obſeruantiam ſubditi fiunt cautiores, ne facilè audeant talia peccata committere, ne ſuam famam, quam vnuſquiſque apud Superiorem conſeruatam cupit, amittant. Secundò, quia ſubditi cum maiori ſpe emendationis corripiuntur à ſuis Superioribus, quàm ab alijs. Tertiò, quia ſubditi non ſolùm poſſunt efficaciùs fructuoſiùſque à Superioribus corrigi, ſed etiam meliùs inſtrui, ob paternam curam, quam de ipſis habent, ne in ſimilia peccata in futurum relabantur.

112. Quartò certum eſt, poſſe Superiorem, non obſtante iure ſubditorum ad propriam famam, reſeruare ſibi iudicium peccatorum, quæ ſunt aliorum infectiua: atqui omnia ferè peccata ſubditorum ſunt infectiua aliorum, qui in eadem communitate viuunt: ergo licitè poterit ſibi reſeruare iudicium & ſecretam correptionem omnium peccatorum ſuorum ſubditorum. Maior conſtat ex perpetua & continua praxi Eccleſiæ, qua omnes Prælati ſibi reſeruant ſecretum iudicium eorum peccatorum, quæ ſunt magis ſcandaloſa populo & infectiua aliorum. Minor probatur: nam in Religione, in qua tanquam in Schola perfectionis vigent virtutes omnes, & regularis obſeruantia non ſolùm præceptorum, ſed etiam conſiliorum, omne peccatum graue ſcandaloſum eſt, & propter arctiſſimam coniunctionem mutuamque familiaritatem inter Alumnos eiuſdem Religionis, infectiuum aliorum, occaſionem præbens infirmis ſimilia peccata committendi.

113. Nec refert primò, quòd ſæpè peccatum fratris ſit occultum: nam in Religione, propter intimam coniunctionem & continuam conuerſationem, vix diu poſſunt occulta peccata celari.

114. Nec refert ſecundò, quòd poſſit eſſe aliquod peccatum occultum Religioſi non ſcandaloſum, nec infectiuum aliorum, nempe quòd mera fragilitate committitur: tum quia, vt dictum eſt, omne peccatum graue in Religione, in qua inſtituti obſeruantia viget, eſt ſcandaloſum: tum quia non pertinet ad ſubditos, ſed ad Superiores iudicare, quæ peccata ſint ſcandaloſa, quæ verò non. Vnde ſubditorum tantùm eſt, Superioris mandatum exequi, referendo ea immediatè Superiori.

115. Tota hæc noſtra doctrina conformis eſt doctrinæ S. Thomæ quodlibeto 11. art. vlt. vbi docet, quòd ſi ſciam, fratrem occultè peccantem meliùs corrigendum per Prælatum, quàm per me, licitè poſſim illum immediatè Prælato denunciare, prætermiſſa ſecreta correctione inter me & ipſum. Eſt etiam conformis ſententiæ eorum, qui affirmant, licitè poſſe ſubditum occultum peccatum fratris, etiam correctum & emendatum Superiori manifeſtare, ad maiorem ipſius cautelam, ne iterum in illud relabatur. S. Thomas.

116. Ex his patet ad fundamentum aliorum: nam eatenus naturali iure tenemur, iuxta Chriſti præſcriptum, cum minori iactura famæ, ſpirituali proximi ſaluti conſulere, quatenus hoc non impedit maius bonum, cuiuſmodi eſt bonum totius Religionis, quod futurum ſperatur per immediatam denunciationem ad Superiorem tanquam ad Patrem. Neque cum Chriſtus præſcripſit ordinem, qui in fraterna correptione regulariter ſeruandus eſt, prohibuit, ne alius ordo ſeruari poſſit, ſi alius ordo ſit maioris boni promotiuus. Sicut cùm per Eccleſiam præſcripſit, vt peccata ſemel ſubijciantur clauibus, non prohibuit, quin per aliquam legem licitè poſſint eadem peccata ſemel confeſſa iterum ſubijci clauibus, vti laudabiliter ſeruatur in noſtra Religione, in qua non ſolùm cùm quis primùm Religionem ingreditur, *debet Generalem totius vitæ confeſſionem apud aliquem Sacerdotem à Superiore aſſignatum facere, ſed ſexto quoque menſe eodem modo generaliter ab vltima inchoando confiteri,* ſicut & reliqui, qui in gradu ſunt, ſingulis annis. Solùm igitur voluit Chriſtus Dominus aſſignare regulam fraternæ correptionis, quæ communiter ac regulariter ab hominibus ſeruanda foret, interim

non

INDEX
LOCVPLETISSIMVS
OMNIVM QVÆ IN HOC IV. TOMO
CONTINENTVR.

PRIOR NVMERVS DISPVTATIONEM, POSTERior verò eiuſdem diſputationis numeros, in quos vnaquæque diſputatio à principio, ad finem vſque partita eſt, deſignat.

Actio, Actus.

ACtio eſt formalis communicatio eſſe termino. d.10.n.18
Tota actionis exigentia eſt propter terminum. ibidem.
Nulla certa intenſio, facilitas, aut duratio actus ſupernaturalis, eſt abſolutè neceſſaria. 17
Interdum actus eſt ſupernaturalis per extrinſecam duntaxat habitudinem ad agens ſupernaturale. num. 14.
Actus naturalis, & ſupernaturalis quando poſſunt circa idem obiectum formale verſari. 55
Cur nequeat actus naturalis & ſupernaturalis fidei verſari circa idem motiuum formale. ibid.
Specifica perfectio actuum deſumitur non tantùm ex motiuo formali, ſed etiam ex diuerſo principio productiuo, aliquando etiam ex modo tendendi. n.55.56.
Actus magis pendet à principio productiuo quoad entitatem, magis autem ab obiecto quoad ſpecificationem. 57
Actus gratiæ gratis datæ poteſt vitiari ex prauo fine. n.92 97
An actus imperatus habeat diſtinctam libertatem ab imperante. 105
Quomodo dignoſcendum an actus imperatus habeat diſtinctam libertatem ab imperante. ibid.
Actus imperatus potentia neceſſaria totam bonitatem moralem accipit ab imperante. 107
Actus imperatus neceſſarius intrinſecè vitiatur ex fine, & obiecto imperantis. 108
Actus liber non niſi extrinſecè vitiatur ex actu imperante. 108
Actus virtutis naturalis à ſupernaturali imperatus. poteſt eſſe diſpoſitio ad gratiam. 110
Actus neceſſarius & liber poſſunt ſimul ſtare de eodem obiecto. d.11.n.20
Poteſt idem actus elici ex motiuo ſcientiæ & fidei ſimul, qui tamen actus, non eſſet fidei, ſed ſcientiæ. n.62.64 65.
Actus ſupernaturalis ſemper fuit neceſſarius neceſſitate medij ad iuſtificationem adultorum. d.13.n.8.
Poteſt actus imperatus honeſtus per intentionem cõſequentem extrinſecè ordinari in malum finem. d.16 n.38.
Actus externus ex obiecto bonus, completam rationem virtutis habet ab actu interno imperante. num. 42
Actus virtutis licet vitiari poſſit malitia extrinſeca peccati venialis non tamen mortalis. 43
Perfectio actus magis æſtimanda eſt ex obiecto formali, quàm materiali. 68
An maior intenſio in actu proueniat ab incremento habitus, an ab auxilio extrinſeco. n.72.73
Poteſt intenſior actus produci ab habitu remiſſiori, idque vel ex meliori tantùm applicatione obiecti vel ex maiori conatu potentiæ. n.76.77
Actu elicito magis ferimur in amorem noſtri, quàm Dei, non autem innato. d 29 n.34
Amentia *perpetua æquiualet morti: ob eam poteſt Pontifex deponi.* d.6.n.249

Amicitia, Amor.

Quis ſit actus Amicitiæ & Charitatis. d.19.n.50
Quot modis poſſit alteri bonum intendi. 49
Amicitia ſui ad ſe ipſum eſſe non poteſt. 57
Duplex amor in quauis amicitia, vnus ad perſonam, alter ad bonum, quod perſonæ amatur. d.24 n.1.
In quouis amore amicitiæ triplex diſtingui poteſt obiectum, bonum quod amatur, ſubiectum cui amatur, ratio propter quam amatur. 10
Non omnis amor amicitiæ erga Deum habet idem motiuum formale. n.11.& ſeqq.
Amor amicitiæ erga Deum vt finem naturalem, eſt naturalis quoad ſubſtantiam: amor amicitiæ

erga Deum, vt finem ſupernaturalem, eſt ſupernaturalis quo ad ſubſtantiam, 20
Poteſt Deus ab homine lapſo amari amore amicitiæ naturali abſque gratia habituali, cum ſolo auxilio gratuito. d. 24. n. 13
Non omnis amor amicitiæ erga Deum eſt eiuſdem virtutis & efficaciæ. 24
Non implicat, vt aliquis ſit conuerſus ad Deum tanquam ad amicum, & auerſus ab eodem in diuerſo genere conuerſionis & auerſionis. 24
Quinque conditiones veræ amicitiæ. d. 25. n. 3
Amor ſui ipſius triplex concupiſcentiæ, charitatis & Beneuolentiæ. d. 24 n. 8
Inter Deum & homines eſt æqualitas ſupereminentiæ in ordine ad amicitiam. d. 25. n. 7
Inter Chriſtum vt hominem, & Deum, datur vera amicitia; non autem inter Chriſtum conſideratum vt Deum & Deum ipſum. 14
In amicitia ſupereminentiæ non opus eſt perfecta æqualitate & ſimilitudine. 15
Seruus vt ſeruus non poteſt habere amicitiam ad Dominum vt dominum, poteſt tamen vt homo. 18
In ſola gratia ſanctificante ſaluatur Amicitia inter nos & Deum. 34
Conſummata Amicitia patriæ inter nos, & Deum conſiſtit in viſione Beatifica, & mutuo amore Beatifico. 40
Dari poteſt inter nos & Deum amicitia naturalis, & in qua forma illa conſiſtat. 46. & ſeqq.
Stando in pura natura abſque vllo dono indebito, non eſt dabilis Amicitia naturalis inter nos & Deum. 55. 56
Illud Ariſtotelis: Amicabilia ad alterum veniunt ex amicabilibus ad ſe, quomodo intelligendũ. d. 29. num. 29.
Amor amicitiæ vel ſupponit, vel ponit ſimilitudinem inter amicos. d. 25. n. 28
Amor, quo infantes abſque Baptiſmo decedentes Deum diligunt vt authorem naturæ, non eſt amor Amicitiæ. d. 25. n. 33
Amor Dei vt finis naturalis non eſt vltima diſpoſitio ad iuſtificationem in homine Chriſtiano, ſecus eſt in Ethnico. d. 27. n. 11. & 13
Amor Beatorum duplex, Beatificus & non beatificus. d. 29. n. 115
Ab habitu charitatis in Patria producitur amor Beatificus intenſior ipſo habitu. d. 26. n. 78
Anathema à Concilio generali contrarium ſentientientibus fulminatum, quomodo intelligendum. d 8. n. 82.
Angeli viatores habuerunt eandem fidem nobiſcum quoad ſubſtantiam. d. 1. n. 77
Angeli toti Eccleſiæ myſteria credenda non proponunt; poſſunt priuatis perſonis proponere. d. 4. num. 7.
Angeli circa res naturales non diſcurrunt, non ex eo, quod illas cognoſcant per proprias ſpecies; ſed poteſt id etiam prouenire ex ſimplici apprehenſione obiecti quomodocunque cogniti. d. 9. n. 14
Angeli viatores habuerunt habitum fidei infuſum. d. 15. n. 43
Cognitio naturalis non erat in Angelo ſufficiens ad cognoſcenda dona ſupernaturalia ſibi à Deo infuſa. 47
Myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis Angelis Viatoribus reuelatum. 49. & ſeqq.
Fides Angelorum an eiuſdem ſit ſpeciei cum noſtra. 60
Animæ purgantes habent habitum fidei infuſæ. num. 62.
Animæ purgantes non habent euidentiam ſuæ beatitudinis, ſed ſolùm certitudinem. d. 22. n. 5.
Anima ſeparata retinens habitum ſpiritualem miſericordiæ, non autem materialem. d. 30. n. 10
Clemens V. declarauit animam rationalem eſſe veram corporis formam. d. 7. n. 73
Apoſtaſia non eſt ſpecies infidelitatis diſtincta. d. 16. n. 18.
Infideles Apoſtatæ cogi poſſunt ad ſeruandam fidem. d. 17. n. 16
Apoſtolica ſedes, & Apoſtolicus Præſes ſunt vnum, & idem. d. 7. n. 27
Arduum bonum eſt formalis ratio obiecti ſpei. d. 19. n. 6.
Relatiuum ad virtutem operantis & duplicem reſpectum includens. 7. ibid.
Aſſenſu vno eodemque poteſt intellectus ferri in obiectum formale, & materiale. d. 1. n. 50
Qualis aſſenſus ſit credere, hanc hoſtiam eſſe ritè conſecratam. d. 6. n. 170. 171. 172
Aſſenſus concluſionis non eſt propter ipſam certitudinem Concluſionis immediatè, ſed mediante ipſius connexione cum principio. d. 9. n. 9
Atheiſmus omnem tollit è rebus humanis prouidentiam. d. 3. n. 71
Authoritas infallibilis proponendi res fidei eſt in Petro eiuſque ſucceſſoribus. d. 6. n. 68
Auxilium ordinis naturalis non euehit potentiam à ſuo modo operandi naturali, ſed perficit illam intra eundem ordinem. d. 10. n. 52
Nullum auxilium attingit terminum excedentem ſuam ſphæram d. 20. n. 11

B.

Bannez non efficaciter probat actum fidei non poſſe elici ex fine naturali, aut prauo. d 10. n. 89
Reiicitur Bannez aſſerens regulam Societatis IESV de deferendis ſuperiori defectibus prætermiſſa ſecreta monitione cauſare turbationes, & inquietudinem in Religione. d. 32. n. 100. 101
Baptiſmus Paruulorum habetur ex traditione. d. 5. n. 10.
Quoad Baptiſmus ab Hæreticis collatus ſit validus, habetur traditione. d. 5. n. 11
An definitum ſit Baptiſmum etiam nunc nomine ſolius Chriſti collatum eſſe validum. d. 7. n. 47. 48.
Non baptizatus elicere poteſt verum actum fidei. d. 10. n. 76.
Baſileenſe Concilium, & Conſtantienſe non ſunt confirmata quoad omnia. d. 8. n. 105
Beata Virgo nunquam actualiter peccauit idque traditione habetur. d. 5. n. 15. & ſeqq.
Beatæ viſionis obiectum eſt Deus ſub ratione Deitatis. d. 1. n. 33
Poteſt homini actu rem credenti infundi clara viſio eiuſdem rei in Verbo, vt in prima veritate,

Digitized by Google

quæ eſſentialiter excluderet actum credendi circa idem obiectum. d.11.n.47
Beatus *poſſitne notitia veſpertina cognoſcere creaturas ex vi omnipotentia diuinæ abſtractiuè cognita?* 59
In Beatis ceſſat habitus fidei infuſa. d.15.n.67.
Habitus fidelitatis poſito quod ſit ſpecialis, non perſeuerat in Beatis. 73
In Beatis tam ante, quàm poſt reſurrectionem, eſt habitus infuſus ſpei. d.21.n.13
Beati habent verum & proprium actum ſpei reſpectu beatitudinis ſui corporis. 26
Actus, quo beati nobis beatitudinem appetunt, de facto videtur eſſe charitatis Dei, vel proximi. 29.
Beatus poteſt ſibi, vel alijs beatis maius bonum velle ſub conditione, ſi id ſit iuxta beneplacitum Dei. d.29.n.122
Beatificatio *quid ſit? & quo pacto differat à Canonizatione.* d.7.n.81.
Non eſt de fide, Pontificem errare non poſſe in beatificatione. d.7.n.98
Eſt tamen ita certum vt oppoſitum ſit temerarium, & ſcandaloſum. ibidem
Beatificatio eſt potiſſimum medium ad Canonizationem. 99
Beatificato *exhibetur cultus tanquam permiſſus, Canonizato tanquam debitus, & definitus.* 100
Beneficentia *quid? elici poteſt non ſolùm à charitate, ſed etiam ab alijs virtutibus.* d.26.n.5
Beneficia *non ſunt proxima ratio amandi Deum affectu amicitia, ſed gratitudinis.* d.24.n.33
Beneuolentia *qualis actus charitatis? differt ab amore amicitia.* d.26.n.2
Bonorum *communicatio qualis inter Deum, & homines.* d.25.n.22
Bona caſtrenſia & quaſi caſtrenſia quæ dicantur. d.31.n.168.
Paraphernalia bona, quæ ſint? 169
Quæ ſint bona aduentitia, quæ profectitia? 180

Canonizatio, Canonizare.

Quid ſit Canonizatio: & quo pacto differat à beatificatione? d.7.n.87
Ad ſummum Pontificem pertinet ſanctos Canonizare. 89
Olim Epiſcopi in ſuis duntaxat Prouincijs, & Diæceſibus ſanctos Canonizabant. 89
Primus, qui ſolemni ritu ſanctum Canonizauit, fuit Leo III. 90
Olim tacito Eccleſia conſenſu Canonizatio fiebat. ibidem.
Pontifex in Canonizatione ſanctorum errare non poteſt, idq; de fide non expreſſa, ſed probabiliter. n.91.92.93. & 103.
Decreta Canonizationum ſunt decreta de moribus. num.93.
Canonizatio ſanctorum cenſetur virtualiter reuelata in ſacra ſcriptura. 95
Eccleſia in Canonizandis ſanctis vtitur publica fama, teſtimonio Miraculorum, & teſtimonio iurato multorum. 95
Plures honores, & cultus exhibentur Canonizatis quàm Beatificatis. 100
Canonizatis poſſunt erigi templa; Beatificatis ſolum altaria. 100
Pontifex in Canonizatione vtitur teſtimonio humano, non vt motiuo credendi ſed vt conditione explicante teſtimonium diuinum. 102
Qui negaret Canonizatum eſſe in cœlis, non eſſet Hæreticus. 103
Cardinales, *etiam qui Epiſcopi non ſunt ius ſuffragij in Concilio habent.* d.8.n.25.26
Catechumenus *ſi deſerat fidem interiorem ſuſceptam, hæreticus eſt.* d.16.n.13
Cauſa *cauſa, eſt cauſa cauſati, quo pacto intelligendum.* d.2.n.247
Cauſa ſupernaturalis non influit niſi influxu ſupernaturali. d.10.n.13
Cœleſtinus *Papa explicatur.* d.7.n.51
Certitudo *duplex: alia quoad principia intrinſeca, alia quoad principia extrinſeca ſeu in cognoſcendo.* d.1.n.15
Moralis certitudo ſufficit ad obligandum vt aliquid credatur fide diuina. d.6.n.169
Certitudo neceſſaria maior eſt certitudine libera, ſed in eodem ordine. d.12.n.10
Certitudo actus vel habitus deſumenda eſt ex motiuo & lumine, quo obiectum nobis applicatur, non ex certitudine obiecti ſecundùm ſe. 11
Non quauis firmitas adhæſionis eſt propriè certitudo. 14

Charitas.

Cum charitate manent omnes virtutes infuſa. d.21.num.12.
Charitati quodlibet peccatum poſitiuè opponitur. num.28.
Omnes actus fidei & viſionis beatificæ cur eiuſdem ſunt ſpeciei, non autem ſpei, & Charitatis? d.14.n.43.
Charitas eſt aliquid creatum nobis inhærens. d.25.n.1.
Realiter diſtinguitur à gratia. idib.
Charitas eſt virtus. 1
Charitas eſt ſpecialis virtus theologica. 2
Charitas eſt virtus omnium præſtantiſſima, tum ex obiecto, tum ex modo tendendi, tum ex Imperio. 2
Charitas eſt verè amicitia inter nos & Deum. 5
Charitati conueniunt conditiones amicitia, quatenus includit gratiam ſanctificantem. 7
Charitas non eſt Amicitia inter nos & Deum excluſa gratia. 26
Secluſa gratia, non ponit ſufficientem ſimilitudinem ad amicitiam fundandam inter nos & Deum. 27
Charitas eſt ſolùm complementum proximè complens amicitiam inter nos & Deum. 34.38
Charitas amittitur quolibet peccato mortali. 58.
Charitas quo pacto à peccato mortali expellatur. 62. & ſeqq.
Charitas de facto nunquam eſt virtus informis. 68
Vi Charitatis inclinamur ad diligendum Deum ſupra nos ipſos. d.29.n.23
Idque naturaliter, & probatur multis. num.25 & ſeqq.
Charitas non ſolùm inclinat in obiectum re ipſa bonum

num, & gratum Deo ſed etiam probabiliter putatum tale. 136
Charitas non ſemper regulatur à fide infuſa, ſed à Prudentia. 139. 142
Charitas eſt prior ordine Miſericordia, non autem perfectione, quam in operante ſupponit. d.30 n.27
Charitas excedit Miſericordiam ratione actus & obiecti. 27
Diverſum motiuum eſt dilectionis Dei naturalis & ſupernaturalis. d. 10. n.55
Dilectio Dei vt finis ſupernaturalis eminenter continet dilectionem Dei, vt finis naturalis. d.27. n.12
Actus dilectionis erga Deum ſpecie differt ab actu dilectionis erga proximum. d. 24. n. 40
Dupliciter poteſt proximus propter bonitatem Dei amari, immediatè & directè; mediatè, & indirectè. 36
Poteſt amari bonum proximo, vt bonum proximi eſt, etiamſi illud vltimatè ametur vt bonum Dei. 37
Obiectum materiale Charitatis cui, & quod. 24. 1
Materiale obiectum cui charitatis & adaquatum attributionis eſt Deus. 2
Obiectum minus principale cui, eſt omnis creatura rationalis vt nobiſcum participatiua aterna Beatitudinis. 3
Charitate diligendi ſunt Angeli, Beati, Chriſtus vt homo, Viatores omnes etiam peccatores. 4
Omnia reliqua entia creata ſunt obiectum materiale quod Charitatis. 5
Peccata non ſunt obiectum charitatis. 6
Creatura intellectuales duplici amore charitatis diligi poſſunt; & amicitia vt finis cui, & concupiſcentia, vt bonum Dei. 7
Corpus proprium eſt obiectum charitatis. 9
Variato obiecto materiali Charitatis manet idem habitus charitatis, ſecus ſi varietur obiectum formale. d.29. n.130
Formalis ratio reſpectu charitatis vt amicitia Dei, eſt ipſa bonitas Dei, qua in ſe ipſo bonus, & Beatus eſt. d.24. n.31
Bonitas Dei eſt obiectum Charitatis non vt ſpeciale attributum eſt, ſed vt plenitudo omnium perfectionum, conſtituens Deum in perfectiſſimo actu ſumma Beatitudinis. 31
Deus non poteſt ſub ratione beantis aut iuſtificantis, vel quouis alio extrinſeco reſpectu ad creaturas, eſſe formale obiectum charitatis. 31
Beneficia non ſunt proxima ratio amandi Deum affectu amicitia, ſed gratitudinis. 33
Vnum eſt obiectum formale charitatis, qua Deus, & proximus diligitur. 34
Motiuum ſpei, & charitatis licet ſit vnum, non tamen eſt aqualiter applicabile omnibus obiectis. 43
Interdum formale obiectum habitus coniungitur cum aliqua circumſtantia, qua eſſentialiter actum variat, tribuens illi diſtinctam ſpeciem. n.41
Quos actus habeat charitas d.26. n. 1
Actus charitatis ſpecie inter ſe diſtinguuntur. n. 10. 11.
Actus charitatis non ſolùm eſt connaturaliter honeſtus, ſed etiam eſſentialiter. n.23. & ſeqq.
Actus charitatis non poteſt intrinſecè vitiari ex circumſtantia peccati venialis tanquam finis. poteſt tamen extrinſecè vt diſtinctio actu. n.30.36
Actus charitatis in iuſto ſunt meritorij vita aterna, idque de fide. n. 48
Actus charitatis ſimplicis complacentia vel diſplicentia ſunt meritorij vita aterna. ibid.
Actus charitatis verſantes circa Deum immediatè, ſicut, efficaces, obedientiales, & proſecutionis ſunt magis meritorij. n. 49. 41. 52
Dilectio inimici cateris paribus eſt perfectior dilectione amici. n. 63
Dilectio inimici eſt magis appretiatiua vltimi finis. n. 64
Intenſio actus charitatis prouenit ex meliori applicatione obiecti. n. 74. & ſeqq.
Non poteſt idem numero actus charitatis cœptus in via perſeuerare in Patria. n. 88
Dilectio via ſpecie differt à dilectione Patria. n. 92.
Duplex vnitas neceſſaria in actu charitatis, Phyſica & moralis. n. 88
Perfectiſſimus modus diligendi Deum eſt eum diligere propter bonitatem ipſam Dei. d. 24. n. 31
Vnus eſt habitus charitatis erga Deum & proximum. n. 49
Habitus charitatis eſt phyſicè intenſibilis à Deo, moraliter actibus Iuſti. diſt. 25. n. 1
Ab habitu charitatis in Patria producitur amor Beatificus intenſior ipſo habitu & cur? d. 26. n. 78.
Habitus charitatis ſpecie & numero eſt idem cum habitu charitatis in Patria. n. 87
Poteſt intenſior habitus charitatis eſſe in aliquo viatore, quàm in aliquo comprehenſore. num. 84.
Habitus charitatis eſt ſpecialis virtus. d. 25. num. 2.
Praceptum diligendi Deum colligitur ex ſcriptura. d. 27. n. 1
Praceptum diligendi Deum eſt iuris diuini naturalis. n. 1. & 2
Cur praceptum de diligendo Deo non ponatur expreſſè in Decalogo. n. 3
Eſt etiam praceptum naturale de diligendo Deo vt authore bonum naturalium. n. 4. & ſeqq.
Recta ratio naturaliter dictat Deum diligendum eſſe ſuper omnia. 9
Dilectio Dei vt finis naturalis non ſatis eſt ad implendum praceptum de diligendo Deo vt fine ſupernaturali. 10
Praceptum dilectionis Dei Deuteron. datum intelligitur de actu interno dilectionis Dei. 21
Praceptum dilectionis Dei prout in lege exprimitur, poteſt in hac vita perfectè ſeruari. 24
Praceptum dilectionis Dei obligat omnes, initio vita poſtquam ſatis de myſterijs fidei inſtructi fuerint, in fine vita, ſeu in articulo mortis, & in probabili periculo mortis. d.27. n.36. 38. 39
Obligat etiam alijs temporibus. 40
Per accidens verò obligat, quoties obligat praceptum contritionis. 42
An obliget quotieſcunque aliud quodcunque praceptum obligat? 31
An obliget cum quis in Baptiſmo Chriſtianam fidem profitetur. 32

An cum ad Martyrium quis rapitur. 33
An in feſtis diebus. 34
An cum inſigne aliquod beneficium à Deo quis accepit? 35
Non poteſt per actus aliarum virtutum, nec per ſuſceptionem alicuius ſacramenti huic præcepto ſatisfieri. 43
Non tenemur vi præcepti de diligendo Deo ad certam intenſionem. d.29 n.22
Datur præceptum diligendi proximum, idq; de fide. d.28.n.1
Hoc præceptum non ſolùm eſt Iuris poſitiui diuini, ſed etiam naturalis. 2
Præcepto naturali de diligendo proximo ſatisfacere poſſumus per præceptum ſupernaturale, & quot modis. n 4.6
Non tenemur vi præcepti de diligendo proximo ad actum internum charitatis, ſed ſolùm ad opus externum Beneficentiæ. 13. & ſeqq.
Quo tempore hoc præceptum obliget. 24
Datur præceptum naturale de diligendo proximo dilectione tam naturali, quàm ſupernaturali. 30
Diligere inimicos non eſt Conſilium, ſed præceptum, idque non ſolùm obligat perfectos, ſed etiam imperfectos. d.28.n 44. 45
Quid vi præcepti de diligendis inimicis teneamur inimicis præſtare? 50
An teneamur vi præcepti de diligendis inimicis, illis externa ſigna charitatis exhibere. 51
Datur ordo in charitate exhibenda. d.29.n.1
Quis ſit ordo phyſicus in charitate & quotuplex. 3
Quis ſit ordo moralis in charitate. 11
Deus diligendus eſt ſuper omnia appretiatiuè non intenſiuè. n. 14.15
Quid ſit appretiatiua dilectio Dei. 16
Quomodo differat ab intenſiua. 17
Naſcitur ex iudicio comparatiuo vnius præ alio. 18
Sufficit ad implendum præceptum charitatis. 19
Quoad bona ſpiritualia in ordine ad vitam æternam tenemur nos magis diligere, quàm proximos. 42
Magis Deo placet vt homo proprijs actibus ſe ipſum perficiat in ordine ad Deum, quàm proximum. 48. 50
Charitas magis inclinat ad dilectio proprij, quàm alterius ſubiecti. 51
Vi charitatis tenemur ad diligendum magis Chriſtum, & Beatam Virginem, quàm nos ipſos. 53. & ſeqq.
Quoad bona corporis & fortunæ, homo tenetur magis ſe ipſum diligere, quam quamlibet priuatam perſonam. 56
Communitatem aut perſonam publicam Reipublicæ vtilem magis tenemur diligere, quam nos ipſos, ibidem.
Licitum eſt pro alterius vita conſeruanda propriam morti exponere. 61. & ſeqq.
Maius bonum proximi præferendum eſt minori proprio. 71
Bonum ſpirituale proximi, præferendum eſt bono proprio corporis. 72
Bonum corporis proximi præferendum eſt alicui bono fortunæ proprio. ibid.
In quibus caſibus tenemur vi charitatis vitam proprij corporis exponere pro vita ſpirituali proximi. 73. & ſeqq.
An teneamur etiam in graui neceſſitate æternam vitam proximi præferre temporali vitæ propriæ. 78
In ſeruando ordine charitatis habenda eſt ratio circumſtantiarum. 80
Cæteris paribus magis ſuccurrendum eſt perſonæ, cuius conſeruatio redundat in maius & vniuerſalius bonum multorum. 81
Quo proximus coniunctior eſt diligenti, eò magis ei ſuccurrendum. 82
Magis ſuccurrendum eſt conciui, quàm externo, Collegæ, quàm non Collegæ, Amico, quàm non Amico; cæteris paribus parens præferendus Matri, filio vxori, & Fratri. 83. & ſeqq.
In extrema neceſſitate Pater Carnalis præferendus Patri ſpirituali, & filius carnalis filio ſpirituali. 97
An in pari neceſſitate ſemper præferendi ſint ſanguine coniuncti, non ſanguine iunctis. 107. 108
Ordo charitatis diligendi Deum ſuper omnia manet in Patria. 115
Beatus vi charitatis poſt Deum, ſe ipſum magis diligit appretiatiuè, & intenſiuè, non autem obiectiue. 119
In Beatis nón omnis omnino charitatis ordo inter ſanguine, aut alia honeſta ratione iunctos ceſſabit. 123
In Patria ſemper præualet ordo coniunctionis ad Deum. 125. 127
Non licet in bello iuſto hoſtibus extreme indigentibus cibaria ſubminiſtrare, licet autem tempore induciarum. 31. 147
Chriſtus adhuc ſuam Eccleſiam gubernat inuiſibiliter & mediatè. d.6.n. 45. 84
Chriſtus quomodo caput Eccleſiæ? 84
Compatitur ſecum aliud caput nempe Vicarium viſibile in terris. ibid.
Chriſtus non fixit ſedem Epiſcopalem Ieroſolymis, vt Petrus Romæ. 96
In Chriſto Domino eſt habitus Spei. d.22.n.13
In Chriſto fuit verus & proprius actus Spei circa immortalitatem ſui corporis, & Nominis exaltationem. 19
Chriſtus in reſurrectione reſumpſit habitum Miſericordiæ in appetitu ſenſitiuo reſidentẽ. d.30.n.9
Cognitio euidens quadruplex. d.11.n.11
Circulus vitioſus non eſt, probare Eccleſiam ex ſcriptura, & ſcripturam per Eccleſiam. d.6. n.53 54
In reuelatione fidei non committitur circulus. d.9.n.37. 39 45
Credere Deo dicenti quia verax eſt, & credere Deum veracem, quia ipſe dicit non eſt circulus. 45
Communio eſt de iure diuino, non autem communio ſub vtraque ſpecie. d.7.n.61

Concilium.

Concilium quid? d.8.n.1
Primis trecentis annis poſt Concilium Apoſtolorum nullum fuit concilium Generale vſque ad Concilium Nicænum. d.7.n.29

Concilia generalia quando neceſſaria ſunt. 35
Concilia Eccleſiaſtica ſunt de iure naturali, & Diuino. d.8.n.1
Conciliabulum quo pacto diſtinguatur à Concilio. 1
Conciliorum diuiſio. 2
Nullum Concilium eſt ſimpliciter neceſſarium ad cauſas fidei definiendas. 4
Concilium generale habet poteſtatem eligendi ſibi caput. 16
Concilium admittens aliquos, qui ſuffragio carent, aut excludens, qui ſuffragio gaudent, illegitimũ eſt, poſſet tamen a Pontifice legitimari. 42. & 43
Concilio illegitimo non aſſiſtit Spiritus ſanctus nec Conſiliarijs Pontificis, aſſiſtit tamen Pontifici, ut non niſi vera decernat. 45
Sola definitio Pontificis Concilio eſt infallibilis. 61
Interdum moraliter impoſſibile eſt cogere Concilium ad veritatem fidei definiendam. d 7 n 29
In omnibus Concilijs Generalibus primus locus datus eſt Legatis Romani Pontificis. d. 6. n. 102. & ſeq.
Conciliorum Generalium Catalogus, in quibus ſemper præſedit Pontifex vel per ſe, vel per ſuos legatos. 103. & ſeqq.
Concilium Generale indicere, eique præſidere non eſt Imperatoris, ſed ſolius Romani Pontificis. d.8 n.9. & ſeqq.
Concilia quædam conuocata ſunt ope & auxilio imperatorum, ſemper tamen authoritate Romani Pontificis. 13. & 14
Abſque authoritate Romani Pontificis nullum Concilium generale habet poteſtatem definiendi res fidei. 16
Pontificis Romani Præſidentia ſiue per ſe, ſiue per ſuos Legatos neceſſaria eſt ad Concilium generale. 53
Nullus habens ius ſuffragij ex officio, excludi poteſt ex Concilio. 36
Qui habent ex conſuetudine & priuilegio ius ſuffragij vi promulgationis generalis, etiam nulla facta ſpeciali mentione eorum, ad Concilium venire poſſunt. 37. 39
Ius ſuffragij in Concilio habent Prælati Eccleſiæ. 22. 23. 34
Epiſcopi Annulares ius ſuffragij in Concilio habent. 24
Cardinales, etiam qui Epiſcopi non ſunt ius ſuffragij in Concilio habent. 25 26
Nullus Epiſcopus vndecunque veniat, modo non ſit excommunicatus, aut Hæreticus à Concilio generali excludi poteſt. 36
Abbates, & Generales ordinum, qui non ex officio, ſed ex priuilegio, aut conſuetudine ius ſuffragij habent, poſſunt ad Concilium generale venire, vi ſolius vocationis generalis etiam nulla ſpeciali eorum facta mentione. 38
Ius ſuffragij habens poteſt loco ſui alium ſubſtituere ius ſuffragij non habentem, modo incapax non ſit. 55. 56
Laici in Concilio ius ſuffragij non habent, qui ſolùm vocantur vel ad defendendum Concilium vt Principes, vel ad miniſtrandum. 29
Nec ad Imperatores ſpectat de Religione iudicare: vt ipſi teſtantur Principes. d.6.n.36. & ſeqq.
Abbatibus, & Generalibus ordinum ex officio ius ſuffragij in Concilio non competit. d.8 n.27
Quo pacto Imperatores & alij Laici ſubſcribant Concilio Generali. 20
Ad Concilium Generale neceſſaria eſt vocatio Generalis omnium, qui ius ſuffragij habent, non eſt tamen neceſſum, vt talis vocatio ad ſingulos perueniat, modo ad eos moraliter peruenire poſſit. 33. 34. 35
Ad Concilium Generale varij vocari ſolent, non tamen omnes vocati ius habent ſuffragij. 17. 20
Ad Concilium Generale omnes vocandi ſunt, qui ius ſuffragij habent. 33. & ſeqq.
Ad Concilium Generale non requiritur vt omnes omnino, qui ius ſuffragij habent, conueniant, ſed ſatis erit, ſi præcipui ex toto orbe Chriſtiano conueniant. 48 51
Epiſcopi non impediti Canonico impedimento quod eſt vel corporis infirmitas, vel regis mandatum, tenentur vi iuramenti, quod in ſua conſecratione pontifici præſtant, ire ad Concilium Generale. 52
Concilium Generale in ſuis decretis procedit via iudiciali & definitiua, non ſolùm inquiſitiua, quod de omnibus, qui in Concilio ius ſuffragij habent, intelligitur. 58. 60
Forma, ordo, & Modus procedendi in Concilio Generali præſcribitur in Concilio Conſtant. 64
Concilium Generale ante Pontificis definitionem in materia fidei eſt fallibile ſumptum quoad maiorem eius partem, ſecus ſumptum quoad omnes omnino Patres. 71. 75
Certum certitudine fidei implicitè reuelata videtur, quòd Concilium Generale ſumptum quoad omnes omnino Patres in materia fidei errare non poſſit. 78. & ſeqq.
Concilium Generale neque tempore ſedis vacantis, neque depoſitionis Pontificis, aut ſchiſmatis poteſtatem habet infallibilem decidendi controuerſias fidei, aut leges vniuerſales condendi. 93
Concilium Prouinciale confirmatum à Papa rem facit certam de fide. 84
Concilium generale non eſt ſupra Papam. num. 94. & ſeqq.
Vide *Pontifex.*
Concluſio *ſequitur debiliorem partem, quomodo intelligendum.* d.2.n.211
Confiſcationem *bonorum incurrit hæreticus & quorum.* d. 18.n.29
Bona, quæ Hæreticus acquirit, poſt Iudicis ſententiam non confiſcantur. 29
Inter bona confiſcabilia hæreticorum cenſentur etiam iura & actiones. 31
Ad quẽ fiſcum bona Hæreticorum poſt Iudicis ſententiam deuoluantur. 37
In exequenda pœna confiſcandi bona Hæreticorum Eccleſia vtitur Iudice ſeculari vt Miniſtro. num. 53
Conſtantienſe *Concilium, & Baſileenſe non ſunt confirmata quoad omnia.* d.8.n.105
Conſuetudo *antiquorum in inceſſu.* d 6.n 82
Continẽtia *perfectiſſima in ſubiecto triplex.* 2.193
Contritio *ex motiuo ambitionis imperata non vitiatur intrinſecè, vitiatur autem actus ſtudij.* 10.108.

Contritio

Contritio an ſit perfectior dilectione Dei. d. 26. n. 54. & *ſeqq.*

Controuerſiæ *omnes in Eccleſia excitatæ deciſæ ſunt à Romano Pontifice.* d. 6. n. 18. & *ſeqq.*

Controuerſia de abrogatione legis Moſaicæ deciſa fuit in primo Concilio Apoſtolorum, ab ipſis Apoſtolis. 18

Controuerſia de celebratione Paſchatis ne in eandem diem cum Iudæis incideremus, deciſa eſt à Pio I. & Victore I. 19

Controuerſia de abſoluendis iis, qui poſt Baptiſmum lapſi ſunt, deciſa à Cornelio in Concilio Romano. 20

Controuerſia de non rebaptizandis ab Hæreticis Baptizatis deciſa à Stephano Pontifice Romano. 21

Correptio fraterna.

Correptio fraterna quid? d. 26. n. 9

Correptio, & correctio ex vſu prò eodem accipiuntur. d. 32 n. 2

Correptio fraterna eſt virtus. 3

Correptio fraterna eſt actus ſpecie diuerſus ab Eleemoſyna corporali & à quolibet alio actu ſubleuatiuo miſeriæ corporalis proximi. 5

An ſubleuare Rempublicam à miſeria corporali vel Spirituali, ſit actus Miſericordiæ, an Iuſtitiæ. d. 8. n. 6. & *ſeqq.*

Correptio fraterna regulariter ſolùm dirigitur ad bonum priuatum fratris. d. 32 n. 8

Duplex correptio fraterna, altera ad bonum commune, altera ad bonum priuatum fratris ordinata. 46

Correptio fraterna non eſt pœna punitiua, ſed correptiua. 29

Eſt actus Miſericordiæ à charitate diſtinctus. 4

Obiectum formale correptionis fraternæ eſt miſeria proximi vt ſubleuanda. 4

Obiectũ formale correptionis fraternæ diſtinguitur ab obiecto formali charit. ibid.

Correptio fraterna eſt ſub præcepto, idque videtur de fide. n. 9. & 13

Ex natura ſua obligat ad mortale. 12

Correptionis fraternæ præceptum non ſolùm eſt diuinum poſitiuum, ſed etiam naturale. 19

Vi huius præcepti non tenemur, nec debemus vitam proximi inueſtigare, vt ipſius peccata corrigamus, ſed ſolũ tenemur corripere defectus, qui nobis manifeſtè occurrunt. 23

Ad tollendam ignorantiam inuincibilem legis Eccleſiaſticæ, vel politicæ, an teneamur ex præcepto, an ex Conſilio? An ſimiliter ad tollendam ignorantiam inuiſibilem facti. 44

Vnuſquiſque obligatur ſub mortali ad tollendam à proximo ignorantiam inuincibilem eorum mediorum, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt. 41

Peccatur contra hoc præceptum non ſolùm omittendo, ſed etiam culpabiliter non conſiderando circumſtantias, ob quas videtur profutura correptio. 55

Non ſolùm Chriſtiani tenentur ad corripiendos gentiles, ſed etiam gentiles ad corripiendos ipſos gentiles, imò & Chriſtianos. 21

Nec ſolùm Prælati ſed omnes, qui ad hoc officium idonei ſunt. 57. 58

Quin etiam peccatores obligantur hoc præcepto. num. 60.

Tenetur peccator pœnitentiam agere, quando probabiliter ſperat, fratrem correptum ex ſua pœnitentia emendatum iri. 63

Si correptus ſit ſub cura corripientis, tenetur corripiens, ſi in peccato ſit pœnitentiam agere etiam in caſu communis tantùm neceſſitatis, ſi ex tali pœnitentia ſperat emendationem. 64

Tenetur peccator ad docendum Proximum de myſterijs fidei, ſi non ſit alius: cui ex officio incumbat. 42

Peccatum non ſolùm contra corripientem commiſſum, ſed etiam contra Deum patratum, eſt materia fraternæ correptionis. n. 28. & *ſeqq.*

Peccatum veniale non eſt materia huius præcepti, niſi quando eſt probabile periculum prolabendi in mortale. 35

Neque tenemur ſub veniali fratrem ob veniale corripere: per ſe & regulariter loquendo. 39

Inter Religioſos tamen poteſt eſſe obligatio ſub veniali. 40

Maximè hæc obligatio concernit Prælatos, qui interdum ratione diſciplinæ Religioſæ tenentur venialia corrigere etiam ſub mortali. ibid.

Tenentur inſuper inquirere. ibid.

Ignorantia inuincibilis poteſt eſſe materia huius præcepti. 41

Materia huius præcepti eſt commune peccatum mortale, tam commiſſum & non emendatum, quàm ſub probabili periculo committendum, vel iterandum. 25

Mera ſuſpicio ad fratrem corripiendum non ſufficit. 27

Conditiones requiſitæ ad hoc, vt præceptum correptionis fraternæ obliget. 45. *Requiritur primò probabilis notitia practica de peccato proximi nondum emendato.* 45. *Requiritur ſecundò probabilis Spes de futura emendatione fratris.* 46. *Requiritur tertiò vt proximus ſit in neceſſitate noſtra fraternæ correptionis.* 45. *Requiritur quartò temporis, loci, cæterarumque circumſtantiarum opportunitas.* 56

An adhibenda correptio, quando propter meam correptionem proximus in plura, & grauiora peccata prolapſurus eſt cum ſpe tamen futuræ emendationis: an verò relinquendus hinc correptione, & cum probabili periculo damnationis æternæ, licet cum paucioribus peccatis. 47. 48

Proximus non cenſetur eſſe in neceſſitate noſtra correptionis, ſi probabile eſt, eum ab alio corripiendum, vel ſi ſcio probabiliter illum pœnitentiam acturum. 50. 51

An teneamur fratrem corripere, ſi probabilis ſpes ſit, eum ſtatim mea correptione emendatum fore. 53

Dum proximus eſt in extrema, vel graui neceſſitate, præceptum hoc ſtatim obligat ſub mortali. 54

Si neceſſitas ſpiritualis proximi ſit extrema, & mea correptio ſit neceſſaria ad eam tollendam, teneor corripere illum etiam cum periculo propriæ vitæ, quod tamen limitatur. 65. 66

Secus ſi neceſſitas proximi non ſit extrema. 67
Corripiendi ſunt Infideles, quando de illis ſperatur emendatio. 71
Si parens, & ciuis externus in pari ſint neceſſitate extrema corporali, externus verò ſit in peccato mortali, & parens in gratia, cui potius ſit ſuccurrendum. 68. 69
Quinam peccatores vi huius præcepti corrigendi ſint. 70
Corrigendi ſunt infideles quando de illis ſperatur emendatio. 71
Corripiendi ſunt publici peccatores, nec non ſuperiores à proprijs ſubditis, debita tamen cum reuerentia. 73. 77
Ordo fraternæ correptionis à Chriſto præſcriptus eſt ſub præcepto ſeruandus. 84
Poterit hic ordo à Chriſto præſcriptus iuxta occurrentes circumſtantias mutari. 87
In quauis fraterna correptione habenda eſt ratio famæ proximi. 87
Ordo correptionis à Chriſto præſcriptus obligat iure naturali ſi probabiliter cenſeatur profuturus. 89
Poteſt tamen ab hac obligatione ceſſare. 90
Ordo Correptionis à Chriſto præſcriptus eatenus obligat, quatenus tenemur proximi famam indemnem ſeruare. 90
Cedente proximo iuri ſuæ famæ, ceſſat ordo à Chriſto præſcriptus obligare. 90
Ordo correptionis à Chriſto præſcriptus licet ſit iuris naturalis, non tamen eſt ex iis, quæ immutabilia ſunt, ſed ex ijs, quę variatione circumſtantiarum mutari poſſunt. 92
Triplex neceſſitas fraternę correptionis in proximo, extrema, grauis, communis. 51
Creatura rationalis naturaliter poſtulat aliquando operari bonum honeſtum. d.10.n.36
Donum creationis & conſeruationis non ſemper ſaluatur in creatura rationalis abſque congrua aliqua cogitatione ad honeſtum ordinis naturalis. 36
Creatura licet ſit magis ſibi vnita formaliter & identicè, non tamen eſt magis ſibi vnita virtute. d.29 n.33
Credere quid. d.2.n 187
Credere Myſteria reuelata ex malo fine, non eſt vnus actus ſed duo diſtincti. 243
Verum & credibile differunt. d.3.n. 12
Non repugnat aliquid eſſe credibile & ſimul falſum. 48
Credere Deo dicenti, quia verax eſt, & credere Deum veracem, quia ipſe dicit non eſt circulus. d.9.n.45
Credimus Deo, quia dicit ſe veracem eſſe, non quia nos naturaliter cognoſcimus ipſum eſſe verum. 45
Prauus affectus credendi non poteſt dici donum gratiæ. d.10.n.85
Proxima voluntas credendi non vitiatur intrinſece ex alia voluntate reflexa praua. 109. 116
Quomodo intelligendus Auguſtinus dum dicit quoſdam credere motiuo bonorum naturalium. num. 116.
Credere vt oportet ad ſalutem, & credere in Deum idem eſt. 46
Non ſufficit ad credendum re ipſa velle credere propter authoritatem Dei. 54
Vide fides.

D.

Damnati non habent fidem infuſam. d.15.n.65
In damnatis, nec habitus nec actus ſpei eſt. d.22.n.1
Debitor exiſtens in extrema neceſſitate ſua vel ſuorum natura non tenetur reſtituere debitum creditori in eadē neceſſitate non exiſtenti. d.31.n.114
Debitum erga Rempublicā; alterum iuſtitia, alterum Miſericordia. d.32.n.7
Ad demeritum non ſemper requiritur notitia præmij. d.13.n.22
Deſperatio de ſalute proximi non tollit Spem erga ſeipſum. d.19 n.46
Formaliter nō conſiſtit in actu intellectus; ſed voluntatis. d.21.n.35
Pro obiecto formali habet malum vt malum, pro materiali verò bonum. 36

DEVS.

Deus eſt principalis finis virtutum infuſarum. 1. 24
Deus reuelat rem, iuxta ſuam naturam, ac ſecundùm omnes proprietates. d.2.n.203
Deus non permittit vt in Eccleſia aliquid proponatur ſufficienter credibile, quod ab ipſo teſtatum non ſit: poteſt tamen id permittere in priuatis perſonis. 221
Quæ Deus producit vt à cauſis ſecundis determinatus, non producit vt cauſa particularis, ſed vniuerſalis. 229
Deus producit motionem in intellectu credentis determinatus ab ipſo intellectu credentis. 229
Deus poteſt concurrere ad practicum iudicium ſupernaturale, quo iudicatur hoc eſſe credendum fide diuina, eſto verum non ſit, non tamen ad ipſum aſſenſum fidei diuinæ. 235. & 239
Deus per nec ſe ipſum nec ſecūdùm potentiam abſolutam mentiri poteſt. 262
Deus producit entitatem phyſicam peccati vt cauſa vniuerſalis partialis. 282
Deus vt cauſa vniuerſalis non concurrit ad actum vt primo determinans, ſed vt determinatus à creatura. 282
Poteſt Deus vt ſupremus Dominus Innocentem occidere, non autem mentiri. 283
Deus non poteſt infundere habitum inclinantem ad falſum formaliter. d. 2. n. 168. & 301
Nequit Deus producere immediatè aliquid, cuius intrinſecum & primarium finem velle non poteſt. 305
Eſto ſolus Deus producere poſſet actum vitalem, non tamen producere poſſet aſſenſum falſum in nobis. 306
An & quo pacto Deum producere poſſit falſam apprehenſionem ſimplicem. 307
Deus non poteſt producere qualitatem inclinantem ad falſum in lapide, aut in alio ſubiecto, in quo ſuum effectum habere nequit. 311
An Deus vti poſſit verbis ambiguis, an etiam id poſſit homo. 318
Deus non tenetur impedire errorem priuatæ perſonæ

Digitized by Google

ortum ex falſa propoſitione obiecti credibilis ex peculiari incapacitate ipſius perſonæ. d. 3. n. 36. & 37.
Deus proximè poteſt proponere res fidei. d. 3 n. 2
In morali euidentia iudicij credibilitatis tenetur Deus ex peculiari prouidentia non permittere falſum. d. 9. n. 25
Deus alio modo mouet voluntatem, alio modo voluntas ſeipſam. d. 10. n. 74
Deus non mouetur ad dandam ſanctitatem ex praua actione miniſtri ſacramenti, vt tali, ſed vt inſtrumentum eſt à Chriſto inſtitutum. 112
Eos ſolùm habitus aufert Deus propter peccatum, qui ab ipſo tantùm immediatè pendent. d. 15. n. 141.
Deus non eſt nobis futurus quoad exiſtentiam, ſed in ratione obiecti. d. 19. n. 29
Deus dicitur charitas non ſolùm quia diligit nos, ſed etiam quia diligit ſeipſum. 57
An poſſit Deus reuelare damnationem reprobo. d. 23. n. 25.
An Iuſto. n. 28. 35
Poteſt Deus reuelare damnationem de potentia abſoluta: de potentia ordinaria non poteſt. n. 31. 37
An ſi Iuſto reuelet Deus ſuam damnationem propter futura peccata, repugnaret hoc ſapientiæ, aut Bonitati Diuinæ. 35 & ſeqq.
Sub diuerſa bonitate apprehenditur Deus à nobis, vt finis naturalis & ſupernaturalis. d. 24. n. 18
Deus ita amat multos, vt nihil de ſuo amore minuat erga ſingulos. d. 25. n. 11
Deus ſuper omnia diligendus eſt. d. 29. n. 12
Tripliciter poteſt Deus ſuper omnia diligi, obiectiuè, intenſiuè, appretiatiuè. 12
Perfectiſſimus modus diligendi Deum, eſt enim diligere propter bonitatem ipſam Dei. d. 24. n. 31
Dilectio inimici cæteris paribus eſt perfectior dilectione amici. d. 26. n. 63
Dilectio inimici eſt magis appretiatiua vltimi finis. 64
Dilectio viæ ſpecie differt à dilectione Patriæ. 92
Diſcredere, hoc eſſe à Deo reuelatum, aliud eſt ac non credere fide diuina. d. 2. n. 82
Stante certo iudicio de euidentia credibilitatis obiecti propoſiti, homo non poteſt poſitiuo actu diſcredere. d. 3. n. 22
Non eſt idem obiecto ſufficienter propoſito diſcredere, & non credere. 27
Ad diſcurſum requiritur, vt poſterior aſſenſus pendeat à priori, in genere cauſæ formalis obiectiuè. d. 9. n. 16
Diſplicentia ſimplex quid? d. 26. n. 7
Diſpoſitio connaturalis debet eſſe eiuſdem ordinis cum forma, ad quam diſponit. d. 10. n. 21
Donum creationis & conſeruationis non ſemper ſaluatur in creatura rationali abſque congrua aliqua cogitatione ad bonum honeſtum ordinis naturalis. 36
Donatio eſt inualida, non ſubſiſtente ſubſtantiali motiuo donationis. d. 31. n. 160
Deficiente titulo tranſlationis dominij, tranſlatio eſt nulla. 161
Ad validè transferendum ius in alterum, non ſat eſt dominium, ſed requiritur ſimul poteſtas liberè diſponendi de bonis. 129
Dubius in fide quomodo cenſeatur infidelis. d. 16. num. 3.
Dulia & latria ſunt diſtincti habitus. d. 24. n. 44

Eccleſia.

Eccleſia poteſt declarare explicitè aliquam veritatem fidei, implicitè contentam in propoſitione expreſſè reuelata. d. 1. n. 82
Veritatem ab Eccleſia definitam non tenemur, imò nec debemus credere propter teſtimonium Eccleſiæ, ſed propter teſtimonium Dei. d. 2. n. 199
Eccleſia ſua definitione non tribuit veritati definitæ nouum motiuum formale credibilitatis, ſed tantum declarat illud motiuum, quod vt reuelationis diuinæ antea factæ acceperat. 199
Eccleſia Euangelica non eſt diuerſa ab antiqua, ſed ſolùm facta eſt mutatio ſtatus perfectioris iuxta prophetarum vaticinia. d. 3. n. 66
Quid, & quot ſint Eccleſiæ notæ? 78. 80
Negant Hæretici Eccleſiam veram certis notis dignoſci poſſe. 78
Eccleſia vnde dicatur vna? 80
Sancta. num. 81. Catholica. num. 82. Apoſtolica. num. 83
Diſcrimen inter Eccleſiæ partem, & membrum. num. 81.
Eccleſia habet auctoritatem Iudicis controuerſiarum, & vnde id conſtet. d. 6. n. 51
Eccleſiæ eſt deſignare perſonã Pontificis; Dei eſt conferre poteſtatem. 203
Eccleſia declarans Pontificem hæreticum nullum actum iuriſdictionis exercet in illum. 261
Eccleſia poteſt aduerſus Pontificem iniuſtum inuaſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ ſe defendere. 263
Auctoritas Eccleſiæ eſt res credita, & conditio credendi; ſub diuerſo reſpectu. d. 9 n. 31
Eccleſia habet à Chriſto poteſtatem prædicandi Euangelium toti mundo. d. 17. n. 2
Imò & præceptum. 3
Error negantium in Eccleſia poteſtatem eſſe Hæreticos puniendi. d. 18. n. 1
In Eccleſia eſt poteſtas Hæreticos puniendi. 2
Eccleſiæ poteſtas duplex ſpiritualis & materialis. 2
Poteſtas puniendi Hæreticos per ſe reſidet in ſummo Pontifice, per communionem etiam in Epiſcopis. 6
Eccleſiæ teſtimonium quatenus eſt congregatio ſapientiſſimorum virorum infallibile de ſe non eſt, eſt tamen infallibile vt ſubſtat prouidentiæ diuinæ. d. 3. n. 35
Eccleſiæ regimen Monarchicum. d. 6. n. 67
Eccleſiaſticorum Doctorum ſumma concordia in rebus fidei. d. 3. n. 67
Effectus eſt intrinſecus ſuæ cauſæ in cognoſcendo, licet non in eſſendo. d. 2. n. 152. 153
Electores imperij ſeptem conſtituti ab Innocentio IIII. d. 6. n. 219
Electores Pontificis peccarent, validè tamen Hæreticum eligerent. 258

Eleemoſyna.

Eleemoſyna encomia. d.31.n.1

Eleemoſyna duplex, corporalis, & ſpiritualis: vtraque diuiditur in ſeptem ſpecies. 1. & 2

Eleemoſyna per ſe importat opus alterius miſeria ſubleuatiuum. 3

Soluere clerico pro Miſſa celebratione vel aliquid impendere Parocho pro officio, non eſt opus Eleemoſyna, ſed debitum & ſtipendium, ſecus de ijs, quæ dantur Religioſis mendicantibus. 8

Varij effectus à ſcriptura & Patribus Eleemoſyna aſſignantur. 12

Huiuſmodi effectus Eleemoſyna non operatur ex ſpeciali priuilegio Dei, vti Martyrium ſuos effectus operatur. 21

An Eleemoſyna infallibiliter operetur remiſſionem pœna temporalis relicta à peccatis remiſſis. 22

Eleemoſyna diſponit ad huiuſmodi effectus non infallibiliter, ſed vt plurimum, de congruo impetrando à Deo auxilia in ordine ad contritionem. 24. & ſeqq.

Ad Eleemoſynam ſub conſilio elargiendam non licet aliena capere, vel obnoxia reſtitutioni dare, ſi ſint in ſpecie creditori debita. 237

Eleemoſyna facienda eſt omnibus verè pauperibus, niſi maius præceptum obſtet. 145

Quæuis Eleemoſyna Chriſti nomine à Iuſto facta eſt meritoria vita æterna, & ſimul ſatisfactoria. 186

Non ſolùm Eleemoſyna ſub conſilio, ſed etiam ſub præcepto eſt ſatisfactoria. 188

Eleemoſyna à Peccatore nomine Chriſti facta, probabile eſt, quòd ſit ſatisfactoria alicuius pœna temporalis relicta ex præteritis peccatis condonatis. 194

Eleemoſyna eſt ſub præcepto obligante ad mortale, idque de fide. 28

Eleemoſyna eſt ſub triplici præcepto, diuino, humano, naturali. 30

Ad quod præceptum Decalogi hoc referendum ſit. 34

Vt hoc præceptum obliget duo prærequirit, facultatem in dante, & neceſſitatem in recipiente. 35

Nemo tenetur ad Eleemoſynam etiam extremè indigenti de bonis neceſſarijs natura, niſi indigens ſit perſona publica. d.31.n.36.124

Ex ſuperfluis natura perſonę ſubueniendum eſt extremè indigenti vi præcepti de Eleemoſyna. 37

Ex ſuperfluis natura ſuccurrendum eſt proximo conſtituto in euidenti periculo mortis. 38

Nemo tenetur ex ſuperfluis ſtatus, ſaltem ſub mortali ſingulis pauperibus communem neceſſitatem patientibus, ſubuenire. 39

Proximo graui neceſſitate preſſo ſubueniendum eſt de ſuperfluis perſona idque ſub mortali. 42

An etiam ex ſuperfluis natura, neceſſarijs tamen ad ſtatus conſeruationem, ſubueniendum ſit ſub mortali proximo grauiter indigenti, diſcutitur. 44. & ſeqq.

Cum amiſſione ſtatus nemo tenetur ſuccurrere proximo extremè indigenti. 52

Præceptum Eleemoſyna non obligat ex Iuſtitia, ſed tantùm ex Miſericordia & charitate. num. 68. & ſeqq.

Non ſatisfit præcepto Eleemoſyna per mutuum. num. 82.

Peccaret contra præceptum Eleemoſyna, qui proximum ab iniuſta morte liberaret cum onere vt ſe perpetuum ſeruum traderet. 88

Præceptum Eleemoſyna non obligat, niſi tempore neceſſitatis. 139

Non tenemur cibos ſubminiſtrare ijs qui iuſtè ad mortem fame damnati ſunt: nec illi, à quo timeo, quod me ſit interfecturus. 147

Triplex diſtinguitur neceſſitas in proximo, extrema, grauis, & communis. 35

Licitum interdū eſt ſubuenire proximi neceſſitatibus per mutuum. 84

In extrema neceſſitate cuilibet licet aliena ſurripere, ſi alia via non poſſit ſibi ſuccurrere. 95

Licitum eſt aliena ſurripere etiam in graui neceſſitate. 103

Qui poſſint licitè Eleemoſynam facere. 165

Illi ſolùm poſſunt licitè Eleemoſynam facere extra caſum extrema vel grauis neceſſitatis, qui vel cum abſoluto dominio habent etiam rerum adminiſtrationem, vel etiamſi dominio careant, abſolutam tamen de illis adminiſtrationem habent, non autem qui ſolum dominium ſine adminiſtratione. 167

Licitè poſſunt filij ſub Patria poteſtate conſtituti Eleemoſynam facere de bonis caſtrenſibus. num. 168.

Licitè poſſunt vxores Eleemoſynam facere, de bonis paraphernalibus, item de ijs, quæ ſuo labore, & induſtria ſibi compararunt, vti & de bonis pro ſua ſuſtentatione ſibi aſſignatis. 169

An poſſint Religioſi Eleemoſynam facere. 165

Poteſt communitas de bonis, quæ collegialiter poſſidet, Eleemoſynam facere. 170

Poſſunt meretrices de bonis meretricio delicto acquiſitis, & aſſaſini de bonis aſſaſinio comparatis, Eleemoſynam facere. 171

Poſſunt Epiſcopi, & Beneficiati, tenenturque de ſuperfluis redditibus Eccleſiaſticis Eleemoſynas facere. 121

Poſſunt Superiores Religionum de omnibus bonis Monaſterij nec non Procuratores & Miniſtri, ſed limitatè iuxta ſuperioris præſcriptum. 176

Poteſt vxor abſente vel amente Marito, poteſt tutor de bonis pupilli ordinarias Eleemoſynas facere. 177. 178

Accipiens bona cum poteſtate ea pauperibus diſpenſandi, poteſt in graui & extrema neceſſitate, ea tam ſibi quàm conſanguineis applicare etiam contradicente Domino. 181

Extra caſum extrema, vel grauis neceſſitatis ſi dominus non determinauit perſonas, quibus ſit diſpenſatio facienda, nec expreſſè prohibuit, ne ſibi vel conſanguineis applicarentur, poteſt ea tam ſibi, quàm conſanguineis applicare ſi verè pauperes ſunt. ibid.

Eleemoſyna inualida eſt, quàm facit pupillus abſque conſenſu Tutoris: vxor de bonis dotalibus abſque conſenſu Mariti; Religioſus Societatis Ieſu de bonis, quorum dominium retinet, abſque conſenſu

Superioris

Superioris; prodigus ſub curatore conſtitutus abſque conſenſu curatoris; filius familias de bonis aduentitijs, & profectitijs, abſque conſenſu Parentis. d. 31. n. 180

Non licet ex alienis bonis proximo ſubuenire, ſi propria ſuppetunt. 131

Quid ſi multi poſſent ſuccurrere & nullus ſuccurreret. an omnes peccarent. 133

Ordo ſeruandus in Eleemoſynis elargiendis vt ſemper attendenda ſit neceſſitas, debitum, honeſtas, coniunctio. 157

Vide *Charitas, Miſericordia.*

Epiſcopus *Romanus de facto eſt legitimus Petri ſucceſſor.* d. 6. n. 89. & ſeqq.

Epiſcopatus *Romanus, & primatus totius Eccleſiæ non ſunt duæ ſedes, aut duo Epiſcopatus, ſed vnus.* 142

Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis quoad ſubſtantiam poteſtatis Epiſcopalis, non autem quoad modum accipiendi hanc poteſtatem. 276

Poteſtas ordinis Epiſcopis immediatè confertur à Deo. 278

Ordo Epiſcopalis eſt de iure diuino, collatio tamen dignitatis Epiſcopalis immediatè fit à Pontifice. 280.

Quomodo Epiſcopi ſubſcribant Concilio generali. d. 8. n. 20. & 60.

Vide *Concilium, Pontifex.*

Errores *Græcorum.* d. 6. n. 31

Wicleffi, & Ioannis Huſſ. 33

Petri Ioannis, & Beguardorum, & Beguinarum. num. 32.

Lutheranorum, & Caluiniſtarum damnati in Concilio Tridentino. 34

Euangelici *prædicatores de facto proximè proponunt res fidei in Eccleſia.* d. 4. n. 3. 4

Vide *fides.*

Excommunicationem *ſolùm illi hæretici incurrunt, qui ſigna externo ſufficienter manifeſtatiuo interni erroris hæreſim declarant.* d. 18 n. 16

Ad incurrendam excommunicationem non ſufficit declaratio hæreſis, ſed neceſſaria eſt declaratio ipſius excommunicationis. 21

Excommunicatio lata contra Receptatores, defenſores, fautores hæreticorum, eſt diuerſa ab ea, quæ contra ipſos hæreticos lata eſt. 23

Receptator hæreticorum, ſi hæreticus ſit, duas contrahit excommunicationes. 23

Clericum hæreticum percutiens non incurrit excommunicationem latam contra percuſſores Clericorum. 64

Vide *hæreſis.*

Euidentia *Duplex, intrinſeca, & extrinſeca. d.* 2. *n* 150.

Euidentia duplex: Metaphyſica, & Phyſica. d. 3 *n* 8.

Veritates, quæ virtualiter continentur Euidentia Metaphyſica in articulis expreſſè reuelatis, poteſt & tenetur fidelis credere fide diuina etiam ante Eccleſiæ definitionem. 8

Quæ vero continentur ſolùm euidentia phyſica; non tenetur credere fide diuina ante Eccleſiæ propoſitionem. ibid.

Ad credendum fide infuſa neceſſaria non eſt vel euidentia in atteſtante, vel in miraculis euidenter cognitis, ſed ſufficit moralis. 33. & 34

Euidentia, & Ineuidentia in actu fidei & ſcientiæ non ſe excludunt eſſentialiter. d. 11. *n.* 19. 29. 30

Euidentia in atteſtante *quid? & quot modis eſſe poſſit?* d. 2. n. 107

Poſſibilis eſt notitia euidens: atteſtantis Dei abſque clara viſione eiuſdem idque duplici modo. n. 108. & ſeqq.

Euidentia in atteſtante non fuit neceſſaria in Eccleſia. 115

Poteſt ſtare cum fide. 131

Non tollit formale obiectum fidei. 133

Cum euidentia atteſtationis adhuc manet obſcuritas obiecti materialis fidei. 135

Non repugnat vno eodemque actu vi eiuſdem luminis euidenter cognoſcere teſtimonium Dei atteſtantis, & ſimul obſcurè rem atteſtatam. n. 139. & 140.

Teſtimonium Dei etiam euidenter cognitum non cauſat intrinſecam euidentiam rei atteſtatæ, & quare. 149. & 150

Euidentia in atteſtante eſt ſolùm euidentia extrinſeca, non intrinſeca, ſeu euidentia de modo, non de dicto. 151

Non tollit libertatem quoad exercitium. 152

F.

Facilitas *in operando proximè non oritur ex appetitu innato, ſed elicito.* d. 29. n. 35

Famę *proprio iuri cedere poteſt proximus ob maius ſuum, vel alterius bonum.* d. 32. n. 90

Fidelitatis *habitus infunditur ante characterem, poſt imperium efficax voluntatis mouentis intellectum ad aſſenſum Fidei.* d. 15. n. 107. 108

Fides.

Fidei variæ acceptiones. d. 1. n. 1

Obiectum fidei duplex, materiale, & formale. num. 2.

De eſſentia fidei eſt libertas quoad exercitium, non autem quoad ſpecificationem. d. 2. 159

Obſcuritas obiecti formalis eſt conditio eſſentialiter requiſita non ad quamcunque fidem, ſed ad noſtram. 103. 171

Fides quo pacto à dubitatione, ſuſpicione, opinione, & aſſenſu Theologico diſcriminetur. d. 10. n. 1

Fides explicita & implicita quæ? d. 13. n. 30

Fides acquiſita & humana.

Non omnis fides humana admittit dubium. d. 6. *num.* 166.

Fides humana nõ reſoluitur per diſcurſum in authoritatem dicentis. d. 9 n. 13

De ſupernaturalitate actus fidei quid ſenſerit Scotus. d. 10. n. 6

An fides acquiſita ad infuſam requiſita vitiari poſſit ex prauo fine. 114

An fides acquiſita ſit ſufficiens diſpoſitio ad iuſtificationem. 115

Fides humana & ſcientia naturalis de infallibilitate Dei non concurrunt ad aſſenſum fidei infuſæ vt ratio formalis, ſed vt conditio proxima. d. 1. n. 55. 57.

Non

Digitized by Google

Non poteſt homo fide acquiſita naturali aſſentiri reuelatis ex eodem motiuo formali, ex quo iiſdem aſſentitur fide infuſa ſupernaturali. d. 10. n. 46
Damnat Conc. Arauſicanum eos, qui dicunt, fidem qua in Deum credimus eſſe naturalem. 46
Quo pacto intellectus per aſſenſum fidei acquiſita determinetur ad aſſenſum fidei infuſa de eodem obiecto. 67
Habitus acquiſitus per actus fidei infuſa manet in Haretico. d. 15. n. 139. 140

Fides, Diuina, infuſa, Theologica.

Quid ſit fides infuſa & quo pacto ab aſſenſu Theologico diſcriminetur. d. 10. n. 1
Fides infuſa eſt participatio luminis Increati, ex quo oritur ſumma ipſius certitudo. d. 2. n. 189
Libertas quoad exercitium ſufficit ad fidem. 159
Fides ſubalternatur ſcientia ſuper naturali Beatorum. d 9. n. 19
Fides infuſa non poteſt corrumpi, quin corrumpatur ſpes: poteſt autem corrumpi ſpes non corrupta fide. d. 21. n. 32
Fides explicita & implicita qua? d. 13. n 30
Fides infuſa non poteſt inclinare in obiectum falſum propoſitum ſub teſtimonio Dei apparenti, neque in obiectum verum propoſitum ſub teſtimonio Dei tantùm putato. d. 2. n. 233
Fides Diuina non poteſt ferri in obiectum falſum, poſſunt, autem reliqua virtutes infuſa potentia appetitiua. 234
Fides infuſa non poteſt eſſe cauſa aſſenſus falſi quoad ſubſtantiam. 146
Nec eſt virtus practica intrinſecè, ſed tantùm extrinſecè propter imperium voluntatis. 251
Definitio fidei ab Apoſtolo tradita explicatur. d. 10. n. 2.
Fides eſt virtualiter practica formaliter ſpeculatiua. 113
Cur fides infuſa vitiari non poſſit, vel ex imperio naturali voluntatis elici? n 98. 121
Fides infuſa poteſt dici virtus moralis: non importàt conformitatem ad appetitum rectum. 118
Cur dicatur prima perfectio ſupernaturalis, qua nobis infunditur? n. 163. 164
Fides quo pacto diſcriminetur à ſpe. d. 15. n 69
Fides eſt regula qua ſpes Chriſtiana dirigitur. d. 21. num. 21.
Fides infuſa eſt diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem per intrinſecum ordinem ad illam. d. 10. n. 115
In ratione cognitionis virtuoſa & ſupernaturalis. num. 101. 103.
Poteſt eſſe ſine prudentia, & quare. 118
Aſſentitur rebus reuelatis non per diſcurſum, ſed per ſimplicem adhaſionem. d. 2. n. 46

Fides euidens in atteſtante.

Fides euidens in atteſtante differt à fide obſcura in atteſtante ſolùm per ſuper additam euidentiam. num. 165. 168.
Eſt vera Fides. 162
Sufficit ad meritum. n. 162. 163
Eſt diuerſa a fide noſtra ſubſtantialiter. n. 164
Differt à fide noſtra per exceſſum euidentia in atteſtante. 165
An talis fides dicenda ſit ſpecie differre à noſtra. vtrumque probabile. 166
Teſtimonium diuinum euidenter cognitum non vt effectus Dei, ſed vt teſtificatio Dei terminat aſſenſum fidei euidentis in atteſtante. 147
Cur poſita euidentia in atteſtante adhuc neceſſarium eſt imperium, voluntatis ad determinandum intellectum ad ipſum exercitium actus. d. 10. n. 68. 70.

Obiectum Materiale fidei infuſæ.

Obiectum materiale adæquatum fidei infuſa non eſt Deus tantùm. d. 1. n. 3 & 13
Sed omne reuelabile à Deo. n. 10. & 35
Omnis veritas ſiue neceſſaria, ſiue contingens, ſiue præſens, ſiue futura. 12
Obiectum materiale principale fidei non eſt actus meritorius, ſed Deus. n. 18. 21
Non ſub ratione ſaluatoris. n. 26. 36
Nec ſub ratione Glorificatoris. 28
Nec ſub attributo ſpeciali Miſericordia, aut prima veritatis. n. 29. 30
Sed eſt obiectum principale fidei ſub ratione deitatis. 33
Deitas in obiecto fidei eſt ratio formalis reſpectu obiectorum creatorum, ratio verò materialis reſpectu prima veritatis reuelantis. 34
Idem eſt obiectum materiale fidei via & patria. 23
Obiectum Fidei materiale ex parte credentis eſt aliquid complexum, non autem ex parte rei credita. 42
Quidquid eſt euidenter credibile quod ſit à Deo reuelatum, pertinet ad obiectum fidei diuina. d. 2. n. 201.
Obiectum fidei materiale, alterum cognoſcibile lumine naturali, alterum ſupernaturali. d. 13. num. 26.
Omnia, qua nobis fide reuelantur ordinantur ad Deum manifeſtandum vt ipſum perfectius cognoſcamus ac diligamus. d 1. n. 23. 32

Obiectum formale fidei infuſę.

Obiectum formale quid? d. 2. n. 1
Non eſt Deus ſub ratione Deitatis. num. 4 18. 19. 20.
Nec eſt habitus infuſus inclinans intellectum ad aſſentiendum reuelatis. n. 9. 26
Nec Deus ſub ratione prima veritatis vt intellectum illuminantis ad aſſenſum prabendum. n. 10. 31
Nec Deus ſub ratione ſupremi dominij. n. 12. 34
Neque authoritas diuina vt Eccleſiam regens & ſcripturam reuelans. n. 13. 35
Nec Deus vt verus tantùm in cognoſcendo. n. 14. 36
Nec vt verus tantùm in dicendo. n. 15. 36
Sed Deus ſub ratione prima veritatis infallibilis non ſolùm in cognoſcendo ſed etiam in dicendo eſt obiectum formale fidei infuſa. 16
Authoritas dicentis vt eſt obiectum formale fidei, duas includit perfectiones, ſapientiam, qua falli; & Bonitatem, qua fallere non poſſit. 16
Deus ingreditur obiectum formale fidei ſolùm materialiter: & licet Deitas ſit ſuprema ratio in eſſendo, non eſt tamen ſuprema ratio in mouen-

do, & in ratione obiecti formalis. d. 2. n. 19

Obiectum formale fidei non eſt teſtimonium Dei propter aliud teſtamentum Dei, nec propter diſcurſum, aut rationes humanas tanquam rationem formalem aſſentiendi, ſed ipſum teſtimonium Dei propter ſe, cognitum euidentia credibilitatis tanquam conditione præuia. 29

Euidentia credibilitatis obiecti reuelati non eſt ratio formalis, ſed præuia tantùm diſpoſitio ad credendum fide diuina. 29

Illuminatio Spiritus ſancti non eſt ratio formalis obiecti fidei, ſed cauſa tantùm efficiens mouens intellectum ad aſſentiendum teſtimonio Dei propter ipſum teſtimonium Dei. ibid.

Duplex ratio diſtinguitur in obiecto formali fidei, qua, & ſub qua: illa eſt prima veritas, hæc eſt reuelatio. 37

Reuelatio ingreditur rationem formalem obiecti fidei, etiam vt importat externam manifeſtationem internæ locutionis diuinæ. 40

Non eſt conditio, ſed ratio formalis aſſentiendi. num. 47.

Habet eandem certitudinem, quam habet ipſa prima veritas. 43

Authoritas Eccleſiæ non ingreditur rationem formalem obiecti fidei. 63

Eſt tamen ratio infallibiliter proponendi obiectum formale fidei. d. 9. n. 33. 46

Aſſertio Pontificis definientis nouam veritatem, vt aſſertio Dei per Pontificem teſtificata, ingreditur obiectum formale fidei; ſecus vt actus Pontificis aſſertionem proponentis. d. 2. n. 75

Eccleſiæ authoritas non eſt conditio ſimpliciter neceſſaria ad obiectum formale fidei, ſed tantùm de lege ordinaria. 76

Teſtimonium diuinum naturali euidentia cognitum non eſt obiectum formale fidei infuſæ. 143

Teſtimonium Dei tantùm putatum non poteſt eſſe obiectum formale fidei infuſæ. 218

Teſtimonium Dei euidenter cognitum, non vt effectus Dei, ſed vt teſtificatio eiuſdem, terminat aſſenſum fidei euidentis in atteſtante. 147

Obiectum formale fidei eſt ipſum purum teſtimonium Dei immediatè applicatum per internam illuſtrationem Spiritus ſancti. 209

Obiectum formale fidei excedit naturalem modum operandi intellectus creati. d. 10. n. 57

Manichæorum error circa illud ſc. nihil eſſe credendum niſi quod ratio ipſa oſtendit. d. 2. n. 2

Actus, aſſenſus fidei infuſæ.

Aſſenſus fidei in obiecta reuelata non eſt per diſcurſum, ſed per ſimplicem adhæſionem. d. 2. n 46

Aſſenſus in obiectum formale fidei eſt idem cum aſſenſu in obiectum materiale eiuſdem. 147

Poteſt intellectus eodem actu æquiualente duobus aſſentiri teſtimonijs Dei, vt eſt proprius effectus Dei, & eidem, vt eſt propria locutio eiuſdem. 148

Poteſt eſſe actus ex motiuo fidei & ſcientiæ ſimul, qui tamen non erit actus fidei, ſed ſcientiæ. 160

Credere quid? 187

Omnes aſſenſus fidei infuſæ ſunt æqualiter certi. num. 188.

Fidem veritati duplici habitu aſſentiri poſſumus, fidei, & Theologiæ. 209

Abſque peculiari Dei motione nequit homo aſſenſum fidei infuſæ elicere. 225

In obiecto fidei ratio materialis & formalis per modum vnius ſimul terminant eundem indiuiſibilem aſſenſum, licet materialis propter formalem. d. 9. n. 15. 47.

Aſſenſus fidei infuſæ nullum iudicium antecedens habet pro ratione formali obiectiua, ſed tantùm pro conditione præuia. n. 16. 31

In omni aſſenſu fidei interuenit diſcurſus virtualis, non autem formalis. 17

Authoritas diuina bifariam concurrere poteſt ad aſſenſum fidei. d. 10. n. 1

Actus fidei rectè diuiditur per credere Deo, credere Deum, & credere in Deum. 3

Non Baptizatus elicere poteſt verum actum fidei 26

Non poteſt homo fide acquiſita aſſentiri reuelatis ex eodem motiuo formali, ex quo iiſdem aſſentitur fide infuſa. 45

Ad aſſenſum fidei infuſę requiritur auxilium ſupernaturale quoad ſubſtantiam, non propter rationem obiectiuam ſupernaturalem, ſed propter modum operandi excedentem naturalem modum operandi intellectus. 53

Aſſenſus fidei infuſæ de potentia ordinaria pendet ex actuali imperio voluntatis tam quoad ſpecificationem, quàm quoad exercitium. 63

De potentia tamen abſoluta non repugnat aſſenſum fidei elici abſque imperio voluntatis, ſupplente Deo efficaciam imperij. 72

Non tamen talis aſſenſus eſſet meritorius. 74

Cur poſita euidentia in atteſtante, adhuc neceſſarium eſt imperium voluntatis ad determinandum intellectum ad ipſum exercitium actus. 68. 70

Primus aſſenſus fidei ante habitum elicitus eſt de congruo meritorius. 15

Aſſenſus purè naturalis, ne quidem remota diſpoſitio eſt ad fidem infuſam, ſed remotio tantùm impedimenti. 37

Illud imperium voluntatis, quod requiritur ad aſſenſum fidei acquiſitæ, non ſufficit ad aſſenſum fidei infuſæ. n. 65. 77

Quo pacto determinetur intellectus ad aſſenſum fidei infuſæ per aſſenſum fidei acquiſitæ de eodem obiecto reuelato. 67

Vt intellectus poſitiuè aſſentiatur myſterijs fidei, non ſufficit imperium negatiuum voluntatis. num. 71.

Repugnat de lege ordinaria, non autem de potentia abſoluta, actum fidei infuſæ elici ex imperio voluntatis ob motiuum naturalis honeſtatis, vel ob prauum finem. 82. & ſeqq.

An actus fidei infuſę poſſit fieri malus ex circumſtantia finis. 81. & ſeqq.

Quale imperium voluntatis requirat actus fidei infuſæ. 78. & ſeqq.

Vaſquez nō bene probat actum fidei infuſæ non poſſe elici ex fine naturali. 89

Ad actum fidei infuſæ neceſſarius eſt affectus credulitatis. 86

Cur actus fidei infuſę elici non poſſit ex fine naturali, aut prauo. n. 96. 97. 98

Actus fidei infuſa quid ſit in eſſe natura & in eſſe moris. d.10.n.149
Series actuum, qui ad aſſenſum fidei infuſa connaturaliter ſunt neceſſarij. n.169 170
An Deus poſſit immediatè mouere ad aſſenſum fidei ſpeculatiuum abſque vllo iudicio etiam ſupernaturali de credibilitate obiecti. 171
Series actuum ad fidem diuinam neceſſariorum variatur in fide putata. 173
Actus fidei in iuſto eſt meritorius de condigno augmenti gratię & gloria. 178
Actus fidei a peccatore elicitus de congruo eſt meritorius gratię iuſtificantis & remiſſionis peccatorum. 183
Actus & habitus fidei ſimul ſtare poſſunt cum habitu ſcientia naturalis. d.11.n.3
Actus fidei de potentia abſoluta ſtare poteſt cum actu cuiuſcunque ſcientia etiam experimentalis ſenſus extra viſionem beatam de eodem obiecto. n.16.25
Stare non poteſt cum notitia euidente in atteſtante de eodem obiecto. 38
Implicat aſſenſus fidei ſimul cum notitia intuitiua obiecti viſi in verbo, tanquam in prima veritate, non autem tanquam in cauſa. 41
Actus fidei infuſa gignunt habitum ſupernaturalem, qui ſolùm facilitat, non autem dat poſſe ſimpliciter. d.15.n.90
Cur gignere non poſſint ipſum habitum fidei. 89
Omnis actus fidei elicitur ab inhęrente principio intrinſeco, non autem omnis actus fidelitatis. num. 109.
Lumen, quo euidenter cognoſceretur res atteſtata, & quo ſimul res atteſtata crederetur propter ſolum teſtimonium extrinſecum Dei, non eſſet lumen fidei. d.2.n.144

Iudicium credibilitatis ad aſſenſum fidei infuſæ requiſitum

Iudicium credibilitatis non elicitur ab habitu fidei infuſa. d.3 n.108
Neque ab habitu prudentia infuſa. 111
Neque ab habitu prudentia acquiſita. 112
Neque ab habitu Theologia. ibid.
Neque à fide acquiſita. ibid.
Sed ab habitu ſcientia acquiſita naturalis. n.108. & ſeqq.
Iudicium credibilitatis eſt naturale quoad ſubſtantiam. 113
Interdum eſt ſupernaturale quoad modum. ibid.

Habitus fidei infuſæ.

Datur habitus infuſus fidei diſtinctus ab acquiſito. d.15.n.1.
Habitus fidei infuſę eſt ſpecialis participatio luminis increati, proinde nequit inclinare, niſi ad verum reale. d.2.n.231
Eſt eſſentialiter determinatus ad conformitatem cum re ipſa ſecundùm ſe, & non tantùm prout eſt in mente credentis. 237
Non ſolùm ſe extendit ad reuelationes publicas, ſed etiam ad priuatas. n.70. & ſeqq.
Uni veritati duplici habitu fidei & Theologia aſſentiri poſſumus. d.2.n.209
Poteſt habitus fidei impediri, quo minùs in ſuum obiectum tendat, defectu veritatis, & defectu ſufficientis propoſitionis. d.3.n 38
Habitus fidei non eſt principium actus euidentis & ineuidentis ſimul. 115
Stare poteſt cum actu ſcientia naturalis. d.11. num. 3.
Non repugnat cum habitu aut actu viſionis Dei, niſi ratione ſtatus. 8
Non datur tantùm ad credendum intenſius, ſed ad credendum ſimpliciter. d.15.n.10
Eius munus eſt, inclinare intellectum ad omne verum reuelatum authoritate diuina credendum. n.16.26.
A quo habitus fidei ſpecificetur. 23
Quomodo habitus fidei ad actum fidei concurrat. num. 19.
Aſſentitur tam verò ſpeculatiuo, quàm practico. d.10.n.22.
Non producitur phyſicè ab actibus ſupernaturalibus fidei. d.15.n.80
Sed à ſolo Deo. 86
In adulto ſemper producitur ante productionem gratia. 87
Cur actus ſupernaturalis fidei non poſſint gignere habitum fidei. 89
Gratia & habitus infuſi ſeruant proportionem forma & proprietatem, non quoad phyſicam productionem, ſed quoad naturalem exigentiam. 92
Habitus fidei infunditur ante charitatem tam in Baptiſmo, quàm extra. 96
Duratione pracedit habitum charitatis. 98
Infunditur ante actum fidei poſt efficacem actum voluntatis imperantis actum fidei. 108
Quibus virtutum actibus augeatur habitus fidei. num 113.
Quomodo augeatur in peccatore. n.117. 120
In quo interdum eſt intenſior, quàm in iuſto. 121
A nulla cauſa ſecunda corruptibilis eſt efficienter, ſicut nec materialiter. n.123.124
Quo pacto dici poſſit corruptibilis ſubiectiuè. num. 125.
Quibus modis ſit corruptibilis formaliter. 126
Habitus fidei & actus infidelitatis poſſunt ſimul conſiſtere diminutus. 127
Habitus fidei corrumpitur per errorem pertinacem contra fidem ab Eccleſia propoſitam & per errorem pertinacem contra fidem priuatam ſufficienter à Deo applicatam. 134
Eſt intenſibilis, non autem remiſſibilis. 147
An primariò inclinet in Deum, ſecundariò in obiecta creata. d.29.n.6.& 7
Quid in Patria ſuccedat habitui fidei. d.15.n.70

Subiectum Fidei remotum, & proximum.

Subiectum remotum fidei eſt omnis & ſola creatura intellectualis. d.15.n.27
Chriſtus non habuit fidem. 67
Beati non habent fidem non ratione incapacitatis, ſed ratione ſtatus. d.11.n.8.& d.15.n.67.& ſeqq.
Damnati non habent fidem 63
Angeli viatores, habuerunt fidem. n.43.& ſeqq.

Protoparentes habuerunt fidem. d.15. 78. & ſeqq.
Anima purgantes retinent fidem. 62
Proximum ſubiectum fidei eſt potentia intellectiua. num.17.

Propoſitio, Applicatio conditio fidei.

Propoſitio fidei neceſſariò debet eſſe aliquo modo euidens, probabilis tantum non ſufficit. d.3.n.14.16
Hæc propoſitio: Deus eſt verax concurrit ad aſſenſum fidei vt credita & per modum complexi. d.1.n.56.
Eccleſiæ propoſitio licet infallibilis ſit, non tamen eſt teſtimonium diuinum, ſed ſola conditio applicans & manifeſtans illud, idque non ſolùm quando proponit veritatem iam reuelatam; ſed etiam quando definit nouam, quæ non ſupponitur ſaltem immediatè reuelata. d.2.n.73.& 75
Eccleſiæ authoritas non eſt conditio ſimpliciter neceſſaria ad obiectum formale fidei, ſed ſolùm de lege ordinaria. n.76.& 77
Interdum Deus priuatas perſonas obligat ad credendas aliquas veritates reuelatas abſque Eccleſiæ authoritate. 29
Obſcuritas obiecti materialis fidei non pertinet ad rationem formalem, ſed eſt pura conditio eſſentialiter tantùm prærequiſita ad actum fidei. n 92. & 94 & ſeqq.
Obſcuritas obiecti formalis eſt conditio eſſentialiter requiſita, non ad quamcunque fidem, ſed ad noſtram. n.103. & 171
Eccleſia ſolùm eſt præuia conditio infallibiliter proponens teſtimonium Dei. 199
Eccleſia ſua definitione non tribuit veritati definitæ nouum motiuum formale credibilitatis, ſed ſolùm declarat illud idem motiuum, quod vi reuelationis diuinæ, antea factæ acceperat. 199
Sufficiens propoſitio fidei eſt, quæ tollit omne dubium practicum de oppoſito. 223
Propoſitio fidei duplex, interna & externa. d.3. num.1.
Nec de potentia abſoluta elici poteſt actus fidei abſque propoſitione interna. ibidem.
De potentia abſoluta ſufficit interna propoſitio fidei, ſine externa, de lege ordinaria non ſufficit. 2
De lege ordinaria neceſſaria eſt obiecti credendi propoſitio facta ab Eccleſia. 4
Dupliciter proponit Eccleſia veritates credendas: alio modo virtualiter & implicitè, alio modo explicitè & formaliter. 8
Propoſitio fidei neceſſaria debet eſſe aliquo modo euidens, nec probabilis ſufficit. n.14.& 16
Euidens propoſitio fidei requiritur non ſolùm ad obligandum; ſed etiam ad ſimpliciter credendum. num.18.
Falſa propoſitio facta à 20. vel 30. Epiſcopis non eſt de ſe ſufficiens ad obligandos homines, ſiue doctos, ſiue rudes. n.37.38
Per accidens ſufficit ad rudes obligandos. ibid.
Applicatio obiecti credibilis poteſt eſſe varia iuxta varias capacitates credentium. d.3.n.42
Sufficiens applicatio illa cenſetur, quæ non ſolùm tollit actualem formidinem de oppoſito, ſed etiam potentiam moralem formidandi. 42
Propoſitio fidei ſufficiens non ſolum debet hominem conuincere de euidentia credibilitatis obiecti credendi, ſed etiam de euidentia incredibilitatis obiecti oppoſiti, quæ etiam virtute reperitur in ſimplicibus hominibus. n.52.& 53
Deus proximè poteſt proponere res fidei. d.4 n 3
Defacto proximè proponunt res fidei in Eccleſia Prædicatores Euangelici. n.3.& 4
Proximus fidei proponens poteſt eſſe quæuis & ſola creatura intellectualis. 3
In defectum Prædicatorum Euangelicorum poſſunt alij bene inſtructi res fidei proponere. d.4 n 4
Hæretici non ſunt admittendi ad res fidei proponendas, neque ijs Myſterijs, quæ nobiſcum admittunt. 4
Hæretici non poſſunt Myſteria fidei proponere euidenter credibilia. 4
Gentilis non tenetur regulariter credere etiam vera ab Hæretico propoſita. 5
Angeli toti Eccleſiæ Myſteria credenda non proponunt; poſſunt priuatis perſonis proponere veritates particulares. 7
Motiua, quibus quis res fidei proponit, debent proponi vt euidenter credibilia. 8
Proximus proponens nō habet ex ſe infallibilitatem in proponendo. 9
Solùm ſupremum caput habet ſpiritus ſancti aſſiſtentiam in proponendo res fidei. 8
In Eccleſia datur aliqua regula viua, infallibilis in proponendo res Fidei. d.6.n.4. & ſeqq.
Proponens rem Fidei duplex: alius, qui ſimul proponit & definit: alius qui tantùm refert, quod alius definiuit. 56
Pontifex proponit rem fidei authoritate propria ſibi à Deo communicata. 57
Poteſt res propoſita eſſe de fide, & proponens ſolùm humana fide certus. 156
Vt obiectum ſit de fide, non eſt neceſſe, vt propoſitio fide diuina credatur. 157
In Concilio alia eſt ratio Pontificis vt proponentis, alia vt capitis. 160
Eccleſia proponit res fidei immediatè credendas ex teſtimonio Dei tanquam ratione formali credendi, & authoritate ſua credita teſtimonio Dei vt infallibili in ratione proponentis. d 9 n.34
Eccleſia eſt proponens res credendas fide diuina, & ſimul res credita fide diuina. 35
Pontifex dupliciter eſt conditio applicans nobis obiecta fidei. 42
Pontifex vt creditus teſtimonio Dei, eſt conditio applicans teſtimonium ſcripturæ ad reliqua Myſteria einſdem ſcripturæ, non tamen ad ipſum Pontificem formaliter credendum. 42
Traditio, ſcriptura, Eccleſia, in ratione conditionis applicantis poſſunt ſe mutuo iuuare ſecundùm diuerſa motiua credibilitatis. 40
Aliquando obiectum fidei poteſt eſſe ſufficienter propoſitum ad determinandam potentiam obiectiuè, non autem ſubiectiuè. 76
Obiectum formale fidei eodem modo applicatur omnibus obiectis materialibus, ſecus de obiecto formali charitatis. d.26.n.19

Motiua crediblitatis fidei.

Signa credebilitatis noſtræ fidei ſunt eius cum recta ratione

ratione & honeſtis moribus conformitas, ſanctitas authoris, Prophetarum vaticinia, Miracula, Conſtantia Martyrum, ipſius efficacia, antiquitas, mira concordia Eccleſiaſticorum ſcriptorū pura intentio ſalutis eorum, qui ad noſtra fidem conuertuntur eius in Dæmones Imperium, falſitas reliquarum ſectarum, teſtimonia aduerſariorum de Chriſti ſanctitate & doctrina. d. 3. n 56 & ſeqq.

Inter motiua credibilitatis eſt etiam ſacra ſcriptura non vt eſt teſtimonium Dei formaliter propter ſe ipſum applicatum, ſed vt applicatum per naturalem diſcurſum. 88

Motiua noſtræ fidei licet non habeant euidentem connexionem cum veritate Chriſtianæ Religionis, habent tamen euidentem connexionem cum ipſius credibilitate. 92

Motiua quibus res fidei proponuntur, debent proponi vt euidenter credibilia. d. 4. n. 8

Euidentia credibilitatis.

Euidentia credibilitatis ſufficiens erat ad obligandos Apoſtolos, & Prophetas ad credenda ea, quæ a Deo immediatè reuelantur. d. 2. n. 115

Triplex eſt: ſuprema, in atteſtante Deo; media, in miraculis; infima in publico teſtimonio grauiſſimorum teſtium. d. 3. n. 13

Stante certo iudicio de euidētia credibilitatis obiecti propoſiti, homo non poteſt poſitiuo actu diſcredere. 27

Quomodo ruſticis prouideatur circa euidentiam credibilitatis. 28

Fidem Chriſtianam eſſe à Deo teſtatam, eſt euidenter credibile. 55

Demonſtratio, qua humanus intellectus conuincitur ad fidem Catholicam capeſſendam. 77

Tanta euidentia credibilitatis eſt in motiuis noſtræ Fidei, vt ſi in ea eſſet error, illius Deus eſſet author. 93

Eudentia credibilitatis noſtræ fidei tanta eſt, vt iniuria fiat diuinæ prouidentiæ, ſi homo non credat. d. 6. n 58

Res noſtræ fidei ſunt ita euidenter credibiles vt ſi per impoſſibile eſſent falſa, homo eas credendo practicè non erraret. d 9. n. 68

Myſteria fidei non creduntur eſſe euidenter credibilia fide diuina exercita & actuali, ſed obiectiua & ſignata. d. 3. n. 88

Nec fide humana, neque actuali, & exercita, neque obiectiua & exercenda. 10

Sed cognoſcuntur euidenter credibilia ſcientia actuali & exercita. 92

De fide eſt myſteria noſtræ Religionis eſſe credibilia fide Diuina obiectiua, & ſignata. 94

Probabilius eſt de fide eſſe, quòd Myſteria noſtræ Religionis ſint euidenter credibilia ſiue quod habeant in ſe tale motiua, propter quæ ſint euidenter credibilia, etiamſi non ſemper nobis appareant euidenter credibilia. 96

Fidei reſolutio.

In quod vltimò Chriſti Fides reſoluatur. d. 9. n. 1. & ſeqq.

Fides diuina non reſoluitur per diſcurſum in aliquod primo creditum, aut ſcitum tanquam in rationem formalem credendi. d. 9. n 8. 43. 44

Nec per diſcurſum in aliquod euidenter notum tanquam in conditionem neceſſario requiſitam. num 18.

Neque per ſimplicem adhæſionem in aliquod principium euidenter notum, vel humana fide creditum aut in internam Spiritus ſancti illuminationem tanquam in cauſam formalem. n. 20. 21. 44

Fides infuſa tanquā in cauſam excitantem & præmouentem reſoluitur in Spiritus ſancti illuminationem. 21

Duplex fidei proceſſus; alter per iudicium credibilitatis ad ſua principia & motiua, alter per aſſenſum fidei ad rationes ipſas formales credendi. 23

Iudicium de credibilitate obiecti vltimò reſoluitur in motiua & rationes humanas ſub quibus proponitur & applicatur obiectum fidei. 24

Aſſenſus fidei Chriſtianæ reſoluitur in authoritatem ſcripturæ ſacræ, in traditionem, & Eccleſiam hac eadem infallibiliter proponentem: mutuo verò vna reſoluitur in aliam in diuerſo genere cauſæ; omnes tandem in authoritatem increatam Dei atteſtantis, tanquam in vltimam rationem formalem credendi 28

Scriptura & traditio reſoluitur quoad nos in Eccleſiam: quoad ſe authoritas Eccleſiæ in authoritatem traditionis & ſcripturæ. 30

In motiuum credibelitatis non reſoluitur fides infuſa. 35

Non reſoluitur iudicium credibilitatis in Eccleſiam conſideratam ſecundùm authoritatem diuinam, ſed conſideratam ſecundùm authoritatem humanam, quatenus includit multos doctos viros. num. 35. 36.

Traditio & ſcriptura reſoluuntur in authoritatem Dei, non tanquam in rationem credendi diſtinctam, ſed tanquam in rationem ſuperiorem in inferioribus incluſam, aut diuerſi modi in ſuum modificatum. 39

In ratione cauſæ formalis Pontifex reſoluitur in ſcripturam & traditionem, non contra. 38

Traditio non reſoluitur in ſcripturam, nec contra, tanquam in vlteriorem rationem formalem, poſſunt tamen mutuo reſolui vt in rationes applicantes. n. 39. 40

Non omnis notitia obſcura reſoluenda eſt in euidentem tanquam in rationem formalem. 43

In reſolutione fidei non committitur circulus. num. 37. 39. 45.

Cognitio in ratione credibilis non debet reſolui in aliquid per ſe cognoſcibile, ſed per ſe credibile. 44

Primum credibile non reſoluitur in aliud credibile. 44

Fides Diuina an poſſit reſolui in hoc principium, Quodlibet eſt aut non eſt. d. 12. n. 7. & 8

Articuli fidei.

Credibilia per certos articulos diſtinguenda ſunt. d. 1. n. 63.

Quæ ſpecialem habent difficultatem in ratione credibilis,

bilis, ſunt in certos articulos diſtinguenda. 1.63
Rectè omnia credibilia in duodecim articulos diſtincta ſunt. 66
Ratio huius duodenarij numeri aſſignatur. n.66.67
Non ſatis eſt ad fidei articulum conſtituendum, vt in eo virtute contineantur omnia credibilia. 69
Diſcrimen inter principium & articulum fidei. ibidem.
Prouidentia Dei comprehenditur ſub articulo omnipotentia. 70
Myſterium Eucharistia comprehenditur per ſanctum Thomam ſub articulo omnipotentia. 71
Myſterium Eucharistia cum peculiarem includat difficultatem, diuerſam à difficultate aliorum miraculorum, rectè potuit de ea ſpecialis articulus conſtitui. 77
Cur autem de ea ſpecialis articulus conſtitutus non ſit propria ratio, ibidem aſſignatur.
Vnicum articulum fidei negans peccat contra praceptum publica confeſſionis fidei. d.14.n.17
Symbolum continet ea credenda, qua fideles ſub quotidiano vſu propoſita non habent. ibid.
Articuli fidei quo ad ſubſtantiā continēt qua ad ſalutem neceſſaria ſunt ex diuina inſtitutione. 1.76
Non eſt eadem ratio fidei in ordine ad concluſiones in articulis virtualiter contentas, & habitus primorum principiorum ad concluſiones ex primis principijs deducendas. d.2.n.217
Articuli fidei quo ad ſubſtantiam non creuerunt. d.1. n.75.
Materia fidei progreſſu temporis creuit quo ad accidentalia, & notitiam explicitam. 78
Aliqua reuelationes accidentales non fuerunt Apoſtolis communicata. 79
Patriarcha Christo propinquiores pleniorem fidei notitiam habuerunt, quàm remotiores. n.80
Apoſtoli, & Ioannes Baptiſta vt Chriſto proximi pleniorem fidei notitiam habuerunt. n.79.81
Myſteria fidei poſſunt creſcere non ſolùm quo ad maiorem notitiam infuſam, ſed etiam quo ad ſcientiam acquiſitam. 83

Certitudo fidei infuſæ.

Omnes aſſenſus fidei infuſa ſunt aqualiter certi. d.2. n.188.
Actus fidei infuſa eſt certior quauis ſcientia naturali etiam intuitiua. d.12.n.4
Fides infuſa eſt aquè certa ac ſcientia infuſa ſupernaturalis. 17
Fides infuſa eſt aquè certa ac viſio ipſa beatifica. num.20.
Reuelatio habet eandem certitudinem quam habet prima veritas. d.2.n.43
Veritas contingens à Deo reuelata eſt aquè certa, ac veritas neceſſaria ab eodem reuelata. d.1.n.12
Quod eſt de fide certum non eget vlteriori certitudine. d.7.n.98

Fides internę & externę neceſſitas.

Fides infuſa neceſſaria eſt ſalutem tanquam medium in re. d.13.n.22
Ad iuſtificationem neceſſaria eſt fides obiecti materialis & ſupernaturalis. 27
Explicita Fides Dei vt ſupernaturalis remuneratoris fuit ſemper neceſſaria ad ſalutem. 35
Fides explicita Christi Mediatoris & Sanctiſſima Trinitatis non fuit ante legem Euangelicam omnibus neceſſaria ad iuſtificationem. 37
Fides explicita Christi venturi fuit medium neceſſarium in re ad ſalutem populo Iſraelitico, iiſq; quibus notificatum fuerat. 38
Quorum myſteriorum explicita fides ſit neceſſaria in lege Euangelica. 45
Fides non eſt neceſſarium medium per ſe ordinatum ad primam gratiam conferendam. d.14 n.28
Exterior confeſſio fidei pertinet ad fidem vt actus manifeſtatiuus interioris fidei. 2
Actus exterior fidei elicitur à virtute fidei. 5
Duplex externa confeſſionis fidei neceſſitas. 9
Confeſſio oris quando ſit abſolutè neceſſaria. n.11. 13.14.
Quando Christiano liceat à tyranno capto fugere, ne adigatur fidem publicè confiteri, & mortem ſubire. 23
Externa profeſſio fidei eſt neceſſaria neceſſitate pracepti diuini. 30
Externa profeſſio fidei quando ſit de pracepto poſitiuo Eccleſiaſtico. 37
Quinam profeſſionem externam fidei facere teneantur. n.38.39

Pręceptum fidei.

Interior actus fidei diuina eſt ſub pracepto. d.13. num.52.
Praceptum de actu fidei diuina non eſt merè poſitiuum, ſed naturale intra ordinem gratia. 53
Praceptum fidei aliud eſt negatiuum, aliud affirmatiuum: illud obligat ſemper, hoc certo tempore. num.61.
Actus fidei ſupernaturalis pro omni ſtatu fuit ſub pracepto. 63
Quando praceptum negatiuum & affirmatiuum fidei obliget. n.61.62.& d.14.n.15
Qua credenda ſunt in lege Euangelica? d.13.n.65
Externa profeſſio fidei eſt ſub pracepto. d.14.n.30
Quando externa profeſſio fidei ſit ſub pracepto poſitiuo Eccleſiaſtico. 37
Quinam teneantur externam fidei confeſſionem facere. n.38.39
Vnicum articulum fidei negans violat praceptum publica confeſſionis fidei. 17
Veritates deducta ex aliquo myſterio reuelato cenſentur obligare ad eas credendas ſicut myſterium ipſum. d.2.n.80

Regula fidei & reuelatio.

Nullam haretici admittunt in proponenda regulam niſi ſcripturam. d.6.n.3
In Eccleſia datur aliqua regula viua, infallibilis in proponendo res fidei. d.6.n.41.& ſeqq.
Regula fidei bifariam ſumuntur. d.9.n.38.39.40
Dupliciter cognoſcitur aliquid eſſe à Deo reuelatum notitia euidente infuſa, vt in Prophetis & per externa ſigna credibilitatis. d.2.n.28
Reuelatio eſt actus ſecundus directus & imperatus à prima veritate. 40

Habet eãdem certitudinem quam habet prima veritas. d. 2. n. 43
Importat reſpectum ad reuelantem, ad rem reuelatam, ad intellectum credentis. 51
Reuelatio duplex, publica, & priuata. 59
Vtraque pertinet ad obiectum formale fidei. 66
Reuelatio credi poteſt fide infuſa, etiamſi ab Eccleſia non proponatur. 69
Reuelatio virtualis applicata per diſcurſum tanquam per rationem formalem aſſentiendi, non eſt obiectum formale fidei. 187

Ordo credendorum.

Inter veritates fidei datur ordo durationis, dependentiæ, dignitatis, perfectionis proportionis vnius ad aliud. d. 1. n. 43
Inter veritates fidei aliæ ſe habent vt obiectum quod, *aliæ vt obiectum* quo. 44
Inter veritates fidei in ratione obiecti materialis quod *nullus eſt ordo in ratione credibilitatis.* num. 45.
Prius aſſentimur prioritate rationis obiecto formali fidei, quàm materiali. 49
Obiectum materiale & formale ſunt inuicem ſubordinata per modum vnius. 50
Ordo ſeruandus inter principia credendi. 62
Prius credendus Deus quatenus verax, quàm quatenus reuelans. 62
Vide *Pontifex, Concilium* &c.
Finis *duplex ex S. Thoma, qui, & quo.* d. 19. num. 23.
Quæ conducant ad finem conſequendum proximè, quæ remotè. 32
Fomes *ſumptus phyſicè ſecundùm ea, quæ naturaliter ei competunt, idem fuiſſet in pura natura, & ſolùm diſcriminaretur vt ſpoliatus à nullo.* d. 2 n. 305.
Fomes non inclinat ad malum per ſe, ſed ad commoda naturæ ſenſitiuæ. 305
Forma *dignificans actus noſtros non ſunt habitus, ſed gratia ſanctificans.* d. 10. n. 15
Forma opera noſtra dignificans. d. 20. n. 7

G.

Gaudium *quid?* d. 26. n. 4
Gaudium diſtinguitur, & quo pacto, à deſiderio. num. 4.
Gratia *eſt Auguſta quædam participatio naturæ diuinæ.* d. 25. n. 7
Gratia & habitus infuſi ſeruant proportionem formæ, & proprietatum, non quoad phyſicam productionem, ſed quoad naturalem exigentiam. d. 15 n. 92.
Gratia aliter connexa eſt cum fide & ſpe, quàm fides & ſpes cum eadem. 116
Non omnis cogitatio congrua inclinans ad bonum honeſtum naturale, eſt ſpecialis gratia ordinis naturalis per Chriſtum d. 10. n. 36
Poteſt homo male vti gratijs gratis datis, non autem fide. 112
Gratiæ gratis datæ ſunt cauſa efficiens ſanctitatis, fidei autem diſpoſitio. 112
Gratia ſanctificanti competunt omnes conditiones veræ amicitiæ. d. 25. n. 34. & ſeqq.
Gratia efficit nos ſimiles Deo ſimilitudine ſpeciali per formam determinatam ad operationes honeſtas proprias Dei: phyſicè expellitur à peccato mortali. n. 55. 62
Gubernatoris *ſupremi munus non eſt prohibere priuatos errores, ſicut priuata peccata.* d. 2. num. 221.

Habitus.

Habitus ſupernaturalis non poteſt ſupplere defectum certitudinis formalis ex parte obiecti credendi d. 9 n. 11
Habitus ſupernaturales infunduntur vt principia actiua actuum ſupernaturalium. d. 10. n. 13. 14 22.
Per ſolam extrinſecam habitudinem ad agens ſupernaturaliter producens non ſunt neceſſarij habitus ſupernaturales. 14
Habitus infuſus requirit ſpeciale adiutorium Dei, vt ſuum actum eliciat. n. 15. 16
In voluntate eſt ſpecialis habitus infuſus ad imperandos actus fidei, qui non eſt habitus fidei, nec charitas, nec ſpecialis obedientia erga Deum præcipientem, & teſtificantem. nec Religio, neque vrbanitas aut ſtudioſitas, vel ſola diſpoſitio acquiſitarum virtutum, ſed ſpecialis virtus ab alijs diſtincta. n. 123. & ſeqq.
Habitus geniti ex oppoſitis actibus non ſe excludunt quoad entitatem ab eodem ſubiecto d. 11 n. 6
Gratia, & habitus infuſi ſeruant proportionem formæ & proprietatum, non quoad phyſicam productionem, ſed quoad naturalem exigentiam. d. 15 num. 92.
Omnes habitus infuſi dantur adultis in præmium propter actum meritorium de congruo. 104
Nullus habitus ſupernaturalis phyſicè, ſed ſolùm moraliter a ſuis actibus gignitur. d. 21 n. 4
Circa bonum in communi poteſt in nobis aliquis habitus gigni, ſecus fortè in Angelis. d. 30. n. 21

Hæreticus, Hæreſis.

Quare Hæretici non eliciunt actum ſupernaturalem fidei. d. 2. n. 77. & d. 3. n. 7
Qui diſcredit obiecto prudenter putato à Deo reuelato, eſt Hæreticus. 250
Hæreſis Priſcilianiſtarum, qui putabant licitum eſſe mendacium: ac proinde Deum mentitum fuiſſe. 251
Deus cum Hæretico non concurrit ad actum fidei, neque circa articulos veros & cur? d. 3. n. 7
Gentilis non tenetur regulariter credere etiam vera ab Hæretico propoſita. d. 4. n. 5
Hæreticos vna Mater ſuperbia genuit omnes. d. 3. n. 75.
Eorum inconſtantia & mutabilitas: à Catholicis recedunt in rebus, quæ ſenſui aduerſantur. 75
Cuiuſlibet Hæreſis author, dogmata locus, tempus, aliaque circumſtantiæ aſſignari poſſunt. num. 75.
Omnes Hæreſes ſunt ab aliquo humano inuentore. ibid.
Modus, quo Hæretici ſua dogmata ex reuelatis

Digitized by Google

principijs deducunt, eſt oppoſitus modo, quo Catholici vtuntur. d. 3. n. 76
Negant hæretici Eccleſiam veram certis notis dignoſci poſſe. 78
Hæretici non ſunt admittendi ad res fidei proponendas, neque in Myſterijs, quæ nobiſcum admittunt. d. 4. n. 4
Hæretici non poſſunt Myſteria fidei proponere euidenter credibilia. 4
Hæreticorum error circa verbum Dei traditum præter ſcripturam. d. 5. n. 2
Hæreticorum error circa ſpiritum priuatum. d. 6. n. 2. & 15.
Nullam hæretici admittunt in proponendo regulam niſi ſcripturam. 3
Monothelitarum Almarini, Ioachimi, Arij, Berengarij, Io. Huſſ. hæreſis Petri Abailardi, Eutichiana, Neſtoriana, Pelagiana, Lutheranorum, Iconomachorum, Macedoniana, cæteraque à Romani Pontifice damnata. num. 22. & ſeqq.
Caluiniſtarum errores damnati à Conc. Triden. num. 34.
Hæreticorum diſſenſio in ſcriptura interpretanda. 41
Hæreticus circa Myſteria, in quibus non errat, non elicit verum actum fidei Chriſtianæ, ſed aſſenſum merè naturalem. d. 10 n. 25. 34. 54
Authoritas Dei hæretico non eſt obiectum formale aſſentiendi, ſed tantùm materiale. 54
Templa hæreticorum quo pacto adire liceat. d. 14. n. 63. 64. 67.
Hæreſis non ſolùm corrumpit habitum fidei infuſum; ſed etiam habitum fidelitatis. d. 15. n. 138
Habitus acquiſitus per actus fidei ſupernaturalis quoad ſubſtantiam manet in hæretico. n. 139. 140
Actus Theologicus manet in hæretico ſolum materialiter, non autem formaliter & in ratione principij operatiui. n. 141. 143
An in eodem intellectu diuinitus ſimul ſtare poſſint hæreſis & fides circa diuerſa obiecta. n. 144. 145
An ſit Hæreticus, qui ex conſcientia erronea diſcredit in materia fidei tantùm putata. d. 16. n. 5
Omnis Hæreticus eſt ignorans: quomodo intelligendum. 7
Hæretici non habent ignorantiam inuincibilem de vera Eccleſia. 8
Hæreticis ſub talibus ſignis & notis proponitur, quod noſtra Eccleſia ſit vera, vt teneantur credere. 8
Ad hæreſim non requiritur Baptiſmus nec fides actualis. 13
Hæreſis, Paganiſmus, Iudaiſmus diſtinguuntur eſſentialiter, & vnde eorum ſpecifica diſtinctio ſumenda. n. 21. 23
Ad hæreſim non neceſſariò requiritur expreſſus animus contradicendi Eccleſiæ. d. 16. n 24
Hæreticus eſſet, qui nollet propoſitionem in ſcriptura contentam credere, niſi de tali reuelatione ratione ab Eccleſia conuincatur. 25
Non committitur hæreſis ſolo actu voluntatis abſque actuali errore intellectus. 28
Hæreſis an peccatum omnium maximum. 29
Differt hæreſis à propoſitione hæretica. 31
Hæretica propoſitio quid? 33
Hæreticorum error negantium in Eccleſia eſſe poteſtatem puniendi Hæreticos. d. 18. n. 1
Hæretici non ſunt omnino extra Eccleſiam, ſed ad eam aliquo modo ſpectant. 8
Eccleſia hæreticos non directè compellit ad fidem reſumendam, ſed vt ſeruent, quæ in profeſſione fidei promiſerunt. 9
Hæreticorum excommunicatio humano iure introducta eſt. 13
Qui ſolùm ſignum externum dant abſque interno errore, Hæretici propriè non ſunt. 16
Interni Hæretici Eccleſiæ ſubiecti non ſunt. ibid.
Non tenemur Hæreticos vitare, niſi nominatim denunciatos ex Iudicis ſententia. 18
Hæreticus ſtatim atque hæreſim ſufficienter declarat, incurrit confiſcationem omnium ſuorum bonorum. 28
Hæreticus ante Iudicis ſententiam non priuatur iuſta bonorum ſuorum poſſeſſione. 35
Hæreticus ante Iudicis ſententiam non tenetur in conſcientia ſua bona fiſco tradere. 35
Ad quem fiſcum poſt iudicis ſententiam deuoluantur. 37
Poteſt hæreticus tuta conſcientia poſt cõmiſſam hæreſim, ſi ea in foro externo probari nec poſſit, de ſuis bonis contrahere. 44
Hæreticus ſi ante iudicis ſententiam reſipiſcat, manet abſolutus dominus omnium ſuorum bonorum. 45
Cur in Germania ſint validi Hæreticorum contractus. 46
An Princeps incidens in hæreſim amittat poteſtatem. 47
Vt Hæretici bona actu fiſco applicentur, neceſſe eſt, vt non ſolùm crimen, ſed etiam pœna declaretur. 49
Hæreſiarchæ, & dogmatizantes poſſunt ab Eccleſia recipi, ſi probabilia ſigna reſipiſcentiæ oſtenderint. n. 60. 61
Varia pœna contra hæreticos lata. 54. & ſeqq.
Quæuis hæreſis tollit adæquatũ obiectũ fidei. 19. 64
Vide confiſcatio. Fides.
Homo ſimplex, qui ex ignorantia inuincibili fertur in obiectum tantùm putatum à Deo reuelatum, non elicit actum fidei diuinæ. d. 2. n. 249
An Deus vti poſſit verbis ambiguis, an etiam id poſſit homo. num. 318. & 320
Homo tenetur in ſuis actionibus ductum rationis ſequi. d. 3. num. 68
Malè prouiſum eſſet hominibus, ſi Religio Chriſtiana eſſet falſa. 68
Si per impoſſibile res noſtra fidei eſſent falſa, homo tamen in illis credendis practicè non erraret, nec iuſtè à Deo puniri poſſet. 68
Non poteſt homo eſſe certus, an ſit in gratia. d. 7. num. 96.
Poteſt homo viribus naturæ abſque ſpeciali auxilio per Chriſtum aſſentiri myſterijs reuelatis propter teſtimonia & rationes humanas. d. 10. num. 31. & ſeqq.

I.

Idiotæ multi & ruſtici excuſantur ab hæreſi formali. d. 16. n. 8

Ieiunium Quadrageſimale traditione habetur. d 5. n. 15. & ſeqq.
Ignorantia vincibilis vera fidei an reducenda ad hæreſim. d. 16. n 9
Non datur ignorantia inuincibilis de vltimo fine. d. 29. n. 140. 141.
Impotentia, quam homo habet ad aſſentiendum reuelatis ex motiuo ſupernaturali abſque ſpeciali auxilio eſt phyſica, non tantùm moralis. d. 10. num. 51. 52.
Indigens extreme non ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur aliena ſuperflua ſurripere. d. 31. n. 98
Licet aliena ſurripere, vt extreme indigenti ſuccurratur. 100
Ineuidentia & euidentia in actu fidei & ſcientia non ſe excludunt eſſentialiter. d. 11. n. 19. 29. 30

Infidelis, Infidelitas.

Infidelitas non corrumpit habitum fidei euidentem in atteſtante. d. 15. n. 137
Duplex Infidelitas, negatiua, & affirmatiua. d. 16. n. 1.
Infidelitas alia inuincibilis, alia vincibilis. ibid.
Infidelitas poſitiua ſemper eſt culpabilis, contra quam ſolùm fulminantur pœna in iure ſtatuta. ibidem.
Ad infidelitatem poſitiuam requiruntur poſitiuum iudicium erroneum contra veritatem reuelatam, voluntas, & pertinacia. n. 2. 5. 6
Dubius in fide quomodo cenſeatur infidelis. 3
An ſit infidelis, qui diceret: non crederem niſi ſcirem. 4
Triplex ſpecies infidelitatis, Paganiſmus, Iudaiſmus, Hæreſis. n 13. 15
Temeritas credendi, & nimia tarditas ſunt ſpecies infidelitatis. 19
Non licet Chriſtianis infideles ſibi non ſubiectos ad fidem cogere. d. 17. n. 20
An poſſit Eccleſia mittere concionatores militibus ſtipatos ad Infideles, vt caſu quo reſiſterent, cogi poſſent. 27
Infideles Apoſtatæ cogi poſſunt ad ſeruandam fidem. 16
Principes Chriſtiani non poſſunt fideles, non ſubditos compellere ad legem naturæ ſeruandam. poſſunt tamen eos blaſphemantes noſtram Religionem impedire. 37
Ritus Infidelium, qui ſolùm poſitiuæ, non autem naturali legi Chriſtianæ oppon[illegible]ur, permittuntur ab Eccleſia. 47
Infidelis ad fidem conuerſus non eo ipſo eximitur à politica poteſtate ſui Principis infidelis. 49
Infideles ſubditi à Principibus fidelibus non poſſunt præfici publicis officijs, nec poſſunt Principes eis iuriſdictionem conferre in ſubditos fideles. 51
Vide fides Princeps.
Inimicorum quis prior reconciliationem debeat petere. d. 28. n. 52
Intellectum obiectum non eſt aptum mouere obiectiuè, niſi vt cognitum. d. 1. n. 49
Intellectualis natura etiam diuina habet proprium dictamen, cui tenetur ſuas actiones conformare. d. 2. n. 286.
Intellectus naturaliter non aſſentitur propter obſcura, ſed propter ſibi clara. d. 10. n. 48. 64
Non poteſt intellectus imperio voluntatis determinari abſque ſpeciali auxilio vt aſſentiatur obiecto propter motiuum obſcurum, relicto euidenti. num. 49.
Intellectus in operando pendet à voluntate ſolùm quoad applicationem virtutis. 58
Cur aliquando ſtante euidentia præmiſſarum nō poteſt intellectus ſuſpendere aſſenſum concluſionis, aliquando verò poteſt. 70
Irregularitatem non incurrit Iudex Eccleſiaſticus hæreticum tradens ſeculari poteſtati. d. 18. n. 63
Iudex controuerſiarum fidei Pontifex Romanus. d. 6. n. 41
Iudici controuerſiarum in Eccleſia aſſiſtit Spiritus ſanctus more humano, præuia diligenti Doctorum conſultatione. 49
Eccleſia habet authoritatem Iudicis controuerſiarum, & vnde id conſtet. 51
Iuriſdictio alia in foro conſcientiæ, alia in foro externo. d. 6. n. 267
Ius Canonicum collectum ex varijs reſponſis Pontificum, Eccleſijs particularibus datis, eſt regula pro vniuerſa Eccleſia. d. 7 n. 76
Ius ſuffragij habens poteſt loco ſui alium ſubſtituere ius ſuffragij non habentem, modo incapax non ſit. d. 8. n. 55. 56
Iuſti ſunt partes & membra Eccleſiæ. d. 3. n. 81
Iuſtificari poteſt adultus contritione extra Sacram. & attritione in Sacram. d. 13, n. 12
De potentia abſoluta etiam abſque actu fidei ſupernaturali. 13
Iuſtificatio requirit fidem obiecti materialis ſupernaturalis. 27
Duplex auxilium ad iuſtificationem requiſitum. d. 20. n. 5
Iudæi naturali aſſenſu aſſentiuntur myſterijs antiquæ legis, in quibus non errant. d. 10. num. 34. 40. 54
Iudaiſmus, Paganiſmus, Hæreſis diſtinguuntur eſſentialiter, & vnde eorum ſpecifica diſtinctio ſumenda. d. 16. n. 21. 23
Pontifex de facto præcipit vt Iudæi certa die conueniant ad audienda myſteria noſtræ fidei. d. 17. n. 29.

L.

Laicis nullo pacto competit ius ſuffragij in Concilio, cuius nec ſunt capaces. d. 8. n, 29
Latria & Dulia ſunt diſtincti habitus. d. 24. n. 44
Latroni publico viatoribus infeſto non licet cibos ſubminiſtrare. d. 31. n. 147
Locutio Dei interna intuitiuè cognoſci nequit abſq; viſione ipſius ſubſtantiæ Dei. d. 2. n. 111
Lumen, quo euidenter cognoſceretur res atteſtata, & quo ſimul res atteſtata crederetur propter ſolùm teſtimonium extrinſecum Dei, non eſſet lumen fidei. d. 2. n. 144.

M.

Magnanimitas moderatur paſſionem appetitus iraſcibilis. d. 19. n. 1
Mala aliqua non ideo mala, quia prohibita, ſed quia

ex intrinſecis ſuis principijs diſſona ſunt naturæ intellectuale. d. 2. n. 281
Martyria Catholicorum, Hæreticorum, & Gentilium longè diuerſa. d. 9. num. 63. 64
Quando Martyrium cadat ſub præceptum. 14. num. 22.
Medium ad ſalutem & ad primam gratiam alterum, connaturale, alterum ex diuina inſtitutione. d. 13. n. 1
Diſcrimen inter medium, quod, voto ſuppleri poteſt, & præceptum. 2
Memoria rei per demonſtrationem cognitæ poteſt conſiſtere cum fide, obliterato medio demonſtrantis. d. 2 n. 158
Mendacium in certis caſibus licitũ eſſe aſſerit Caſſianus. 254
Mentitum etiam Deum, Priſcillianiſtæ delirant. num. 253.
Cùm ſit intrinſecè malum. n. 255. 274
Adeo vt Deus per ſeipſum nec ſecundùm potentiam abſolutam, mentiri poſſit. num. 262.
Ipſis teſtibus modernis hæreticis. 161
Virtualis voluntas fallendi ſpectat ad eſſentiam mendacij. 262
Non eſt petitio principij, probare ex ſcriptura, Deum mentiri non poſſe. 269
Cur Mendacium, Mollities, & Sodomia ſint intrinſecè mala. 274
Poteſt Deus vt ſupremus dominus innocentem occidere, non autem mentiri. 283
Mendacium eſt minus malum, quàm homicidium reſpectu creaturæ, non autem reſpectu Dei. 283
Deus mentiendo non faceret contra legem ſuperioris, ſed contrà dictamen ſuæ naturæ. 286
Meritum de congruo quid exigat? d. 10. n. 185
Ad meritum, vel demeritũ, non ſemper requiritur notitia præmij. d. 13. n. 15
In quouis opere bono duo ſunt, ratio meriti, & ratio ſatisfactionis. d. 31. n. 183
Meritum non inuenitur niſi in actu à iuſto elicito. num. 183.
Miraculum eſt ſigillum diuinæ authoritatis. d. 3. num. 59.
Omnium Miraculorum maximum eſt, quòd fides Chriſtiana per homines tam impolitos & rudes introducta ſit & efficaciter perſuaſa ipſis orbis Principibus. 59
Diſcrimen inter vera miracula, falſa Gentilium, & Antichriſti. 61. & 61

Miſericordia.

Miſericordia quid ſecundùm Ariſtotelem, quid ſecundùm Auguſtinum, quid ſecundùm ſanctum Thomam. d. 30. n. 1
Triſtitia non eſt eſſentialis Miſericordiæ. 2
Miſericordia includit diſplicentiã de malo alterius. 2
Miſericordia in homine duplici conſtat habitu, voluntatis, & appetitus ſenſitiui. ibid.
Diſcrimen inter Miſericordiam, & alias virtutes, quæ ſunt ad alterum. 6
In Chriſto fuit Miſericordia quoad vtrumque habitum. 9
Probabile eſt in reſurrectione habitum materialem Miſericordiæ exiſtentem in appetitu ſenſitiuo reparandum eſſe vna cum corpore. 10
Miſericordia eſt virtus à Charitate diſtincta, cuius motiuum eſt bonum vt ſubleuatiuum alterius miſeriæ. n. 11. 13. 15
An poſſimus nobis velle bonum ex motiuo Miſericordiæ? 18
Miſericordia duplex, acquiſita, & infuſa. 23
Miſericordia ſupernaturalis infunditur vnà cum reliquis habitibus infuſis, augetur meritoriè per actus aliarum virtutum in homine Iuſto, non autem in peccatore: deperditur per peccatum vnà cum reliquis habitibus infuſis, fide & ſpe exceptis. num. 24.
Miſericordia naturalis augetur phyſicè per actus naturales in homine iuſto & peccatore. 24
An Miſericordia ſecundùm ſe ſit omnium virtutum maxima. 25
Miſericordia dicitur perfectior charitate, non prout eſt in nobis, ſed prout eſt in Deo. n. 29 30. 31
Illud opus Eleemoſynæ eſt magis meritorium, quod non ſolùm elicitur ex motiuo Miſericordiæ, ſed etiam imperatur ex motiuo alterius virtutis. d. 31. n. 9
Subleuare rempubl. à miſeria corporali vel ſpirituali ſitne actus miſericordiæ, an iuſtitiæ. d. 32. n. 6
Vide Eleemoſyna, charitas.
Modus neceſſario adæquatè ſubiectum modificat. d. 12. n. 6.
Mollities, Mendacium & Sodomia cur ſint intrinſecè mala. d. 2. n. 274
Motiuum duplex in actu, ſubſtantiale, & accidentale. d. 31. n. 162

N.

Neceſſitas rei ad ſalutem duplex, præcepti, & medij. d. 13. n. 1
Non dicitur in extrema neceſſitate ſpirituali verſari, qui voluntariè ſe exponit periculo æternæ damnationis. d. 29 n. 78
Triplex diſtinguitur neceſſitas in proximo, extrema, grauis, & communis. d. 31. n. 35
Licitum interdum eſt ſubuenire proximi neceſſitatibus per mutuum. 84
In extrema neceſſitate cuilibet licet aliena ſurripere, ſi alia via non poſſit ſibi ſuccurrere. 95
Licitum eſt aliena ſurripere etiam in graui neceſſitate. 103
Licitum non eſt in pari neceſſitate rem alteri ſurripere. 119
Nicæni Concilij Canon. 6. de primatu Pontificis quomodo intelligendus. d. 6. n. 99

O.

Obiectum quo pacto diſtinguatur à ſubiecto habitus cognoſcitiui. d. 1. n. 2
Obiectum Theologiæ materiale eſt omne deducibile per diſcurſum ex reuelatis. 35
Nullum obiectum aptum eſt mouere intellectum obiectiuè niſi vt cognitum. 49
Obiectum formale quid? d. 2. n. 1
Motiuum formale interdum eſt intrinſecum,

interdum

Digitized by Google

interdum extrinſecum obiecto. d. 2. n. 1

Obiectum *non quomodocunque applicatum eſt aptum mouere potentiam quoad exercitium.* d. 10. n. 76

Obiectum *dupliciter videri poteſt in verbo vt in cauſa, & vt in prima veritate.* d. 11. n. 41

Obiectum *virtutis moralis non eſt bonum ſecundum ſe, ſed per cognitionem apprehenſum, non autem virtutis intellectualis.* d. 19. n. 147

Occiſio *innocentis eatenus mala, quatenus ſit à non habente poteſtatem.* d. 2. n. 283

Poteſt Deus vt ſupremus Dominus Innocentem accidere, non autem mentiri. 283

Opinio *non poteſt ſtare cum euidentia ſui obiecti formalis.* d. 2. n. 149

P.

Paganiſmus, Iudaiſmus, Hæreſis, diſtinguuntur eſſentialiter, & vnde eorum ſpecifica diſtinctio ſumenda. d. 16. n. 21. 23

Paſcha die Dominico celebrandum traditione habetur. d. 5. n. 15. & ſeqq.

Patriarchę *Chriſto propinquiores pleniorem fidei notitiam habuerunt, quàm remotiores.* d. 1. n 80

Paulus *cur per Antonomaſiam vocetur Apoſtolus.* d. 6. n. 81.

Cur Paulo aliquando Eccleſia maiores honores quam Petro detulerit. 82

Pauperes *habent ius in bona ſuperflua alterius, capiendi quæ neceſſaria ſunt ad vitæ conſeruationem.* d. 31. n. 73.

Impedire ius quod habent pauperes extremè indigentes capiendi bona ad propriæ vitæ conſeruationem neceſſaria, eſt contra Iuſtitiam. 73

Pauperes re & ſpe, quinam ſint. n. 84 85

Pauperibus re & ſpe ſuccurri non poteſt mutuo, neque ſub conditione ſi ad pringuiorem fortunam venerint, niſi in vno tantum caſu. 85

Pauper ſi poteſt ſuas neceſſitates proponere ei, à quo iuuari poteſt, licitè non poteſt aliena ſurripere ſi tamen faceret, neque grauiter peccaret, nec ad reſtitutionem obligaretur. 92

Vir Nobilis, qui manifeſtatione ſuæ miſeriæ proprium honorem notabiliter læderet, excuſaretur à peccato, clam aliena ſurripiendo. 94

Pax *eſt actus charitatis.* d. 26. n. 4

Peccati *entitatem phyſicam producit Deus vt cauſa vniuerſalis partialis.* d. 2. n. 282

Peccatores ſunt partes non membra Eccleſiæ. d. 3. num 81.

Poteſt peccator elicere actum fidei intenſiorem, quàm Iuſtus. d. 15 n. 147

Peccatum contra fidem duplex, omiſſionis & commiſſionis. d. 16. n. 1

Homo per quodlibet peccatũ mortale fit dignus priuari quolibet dono infuſo. d. 21. n. 10

Charitati quodlibet peccatũ poſitiue opponitur. 28.

Peccatum mortale eſt inimicitia contra Deum. 28

Peccatum mortale nec in inſtanti eſſe poteſt cum gratia, poſſet tamen de potentia abſoluta eſſe cum charitate. d. 25. n. 65. 66

Pelagius *externam gratiam reuelationis non negabat, ſed internam diuinæ illuſtrationis.* d. 10. n. 9

Pelagiani *& ſemipelagiani quid ſenſerint circa auxilium gratiæ ad fidem eliciendam.* 40

Pelagianiſmus *& ſemipelagianiſmus ſequi videtur ex ſententia negante actum fidei ſupernaturalem quoad ſubſtantiam.* d. 10. n. 19

Pertinacia *quid?* d. 16. n. 6

Pertinacia potius explicatur per reſiſtentiam ad Eccleſiam proponentem, quam ad Deum reuelantem. 26

Petra *quid ſit apud Matth. 16.* d. 6 n. 68

Petrus *fuit Romæ Epiſcopus & ibidem mortuus.* num. 88.

Cur in primatu totius Eccleſiæ Petro non ſucceſſerit Epiſcopus Antiochenus. 91

S. Petrus ſucceſſorem ſibi elegit Clementem. 207

Infallibilis authoritas proponendi res fidei eſt in Petri ſucceſſore. 68

Nullus Pontifex aut Concilium ſtatuere poteſt, vt alius, quàm Romanus Epiſcopus in ſucceſſorem Petri eligatur. 141

Pœnę *annexæ excommunicationi contra Hæreticos.* d. 18. n. 24. 25. 26

Variæ pœnæ contra hæreticos latæ. 54. & ſeqq.

An liceat offenſo ab offendente pœnam aliquam delicto proportionatẽ priuata authoritate ſumere. 57

Pontifex.

Aſſertio Pontificis definientis nouam veritatem, bifariam conſideratur, vt aſſertio Dei per Pontificem teſtificata, & vt actus Pontificis aſſertionem proponentis: priori modo ingreditur obiectum formale fidei, non poſteriori. d. 2 n. 78

Omnes controuerſiæ in Eccleſia excitatæ deciſæ ſunt à Romano Pontifice. d. 6. n. 18. & ſeqq.

Omnes Hæreſes à Romano Pontifice damnatæ. d. 6 n. 22.

Pontifex Romanus ſuccedit Petro, non quia Petrus Romæ mortuus eſt, ſed quia ibi ſedem fixit. num. 90.

Iudex controuerſiarum fidei Pontifex Romanus. n. 40.

Pontifex proponit rem fidei authoritate propria ſibi à Deo communicata. n. 57

In omnibus Concilijs generalibus primus locus datus eſt Legatis Romani Pontificis. num. 102. & ſeqq.

Conciliorum generalium Catalogus, in quibus ſemper præſedit Romanus Pontifex, vel per ſe, vel per ſuos Legatos. 103

Phocas Imperator non dedit primatum Bonifacio III. nec Pipinus Rex iuriſdictionem in Galliam dedit Zachariæ. 135

Non eſt de fide Romanum Epiſcopum vt priuatam perſonam non poſſe à fide deficere. 145

De fide eſt hunc numero Pontificem V.G. Vrbanum VIII. eſſe verum Petri ſucceſſorem, & Chriſti Vicarium. 152

Signa credibilitatis ſufficiunt ad credendum hunc hominem habere infallibilem authoritatem definiendi res fidei. 168

De fide eſt omnem Pontificem canonicè aſſumptum, eſſe verum Petri ſucceſſorem, & Chriſti Vicarium. ibid.

Per euidentiam moralem deducitur hunc numero Pontificem eſſe legitimè & Canonice aſſumptum. ibidem.

Pontifex credendus eſt eſſe verus Petri ſucceſſor, non ſolùm

Digitized by Google

ſolùm quando exercet actum aliquem ſui officij, ſed etiam ante vllum actum iuridicum Pontificis proprium, modo conſtet, quod moraliter certa ſit eius electio. 6. 178

Poteſt Pontifex inuitus deponi. 235

An propter quodcunque crimen publicum & notorium deponi poſſit Pontifex. 237

Pontifex vt priuata perſona poteſt in hæreſim incidere, & propterea eam deponi. n.239.241

Vt poſſit Pontifex deponi propter hæreſim requiritur, vt hæreſis ſit notoria, & maneat obſtinatus. n.242.243.

Pontifex propter nullum aliud crimen poteſt deponi, niſi propter hæreſim. 244

Nullum peccatum Phyſicè, & ex natura rei cum Põtificia dignitate pugnat, pugnat tamen moraliter, & ex inſtitutione diuina. 236

An propter defectum ſcientiæ, prudentiæ aut valetudinis poſſit Pontifex deponi. 249

Poteſt Pontifex deponi in caſu perpetuæ amentiæ. n.247.

Quid faciendum, ſi poſt diligens examen Papa iudicaretur mortuus, & poſtea inueniretur viuus, altero electo. 250

Quid faciendum ſi Pontifex à Tyranno perpetuo carceri addiceretur. 250

Non poteſt eſſe Pontifex qui Chriſtianus non eſt, ſaltem per characterem. 260

Eccleſia declarans Pontificem hæreticum nullum actum iuriſdictionis exercet in illum. 261

Tres actus diſtinguendi ſunt in depoſitione Pontificis, declaratio hæreſis, depoſitio Pontificatus, executio pœnæ. 262

Declarato Pontifice hæretico ab Eccleſia ſtatim Deus deponit illum. 263

Declaratio hæreſis Pontificis fit per Concilium generale, aut Cardinales. 265

Dubius Pontifex deponendus. 266

Pontifex in definiendis controuerſijs fidei errare non poteſt, etiamſi extra Concilium definiat. d 7.n.21

Pontifex habet eandem authoritatem in definiendis controuerſijs fidei, quam habuit Petrus. 22

Pontifex antequam definiat tenetur adhibere Doctores, qui rem diſcutiant. 23

Pontifici aliquid definienti, etiam extra Concilium, tota Eccleſia tenetur parere. 25

Pontifex plurima dogmata fidei, quæ de facto credimus, definiuit extra Concilia generalia. 26

Pontifex ad definiendum res fidei non neceſſariò debet adhibere cœtum Cardinalium, ſatis eſt ſi Doctores quoſcunque peritos conſulat. n.30.36

Quid ſi nullos Doctores conſulat, & ſolus per ſe definiat, an errare poſſit. n. 30.36

Ad fidem ſpectat hæc ſententia, quod Pontifex errare non poſſit, etiam extra Concilium aliquid definient. n. 31. & ſeqq.

Pontifex errare non poteſt etiam in erroribus damnandis, & in propoſitionibus qualificandis. 34

Pontifex definiendo non facit nouam reuelationem, ſed factam declarat. 35

Nullus Pontifex vt Pontifex vnquam errauit in rebus fidei. 37

Zephirinus vt priuata perſona an Mõtani errorem approbauerit? 38

Liberius Pontifex, non vt Pontifex, ſed vt priuata perſona, tædio exilij affectus, Arianorum hæreſi ſubſcripſit. 39

Defenditur Leo III. ab errore quem ei imponunt aduerſarij. 2.41. *& Anaſtaſius.* 7.45. *& Gregorius III.* 7.46. *& Nicolaus IIII. Pont.* 47

Gelaſio falsò imponitur, quod ſcripſerit librum, in quo aſſeruerit in Euchar. cum corpore Chriſti manere verum panem. 42

Vigilius Papa nõ vt Pontifex, ſed vt priuata perſona Monothelitarum hæreſim confirmauit. 7.44

Honorius I. ſi in errorem Monothelitarum conſenſit, non vt Pontifex, ſed vt priuata perſona conſenſit. 45

Stephanus & Sergius Pontif. irritando acta Formoſi ſolùm errarunt in controuerſia facti, non iuris. 49

Felix nunquam Arianus fuit, licet communicauerit cum Arianis tempore, quo viuente Liberio verus Pontifex non erat. 40

Felicis Pontificatus incluſus fuit in Pontificatu Liberij. 6.251. *Innocentius III. explicatur.* 7.52

Nicolaus IIII. & Ioannes XXII. ſibi non contradicunt. 7.53

Pontifex errare poteſt in quæſtionibus facti. 49

Alexander III. cùm definiuit, teſtamenta eſſe reſcindenda, quæ non fuerint ſeptem vel quinque teſtium ſubſcriptione firmata, ſolùm intellexit, de teſtamentis cauſa Religionis vel propter pias cauſas. 50

Non poteſt Pontifex aliquid præcipere, quod eſt contra ius diuinum aut naturale, vel contra Euangelium, aut doctrinam Apoſtolorum. d.7.n.61

Ad munus Pontificis obeundum neceſſaria eſt infallibilis authoritas. 65

Non poteſt Pontifex errare in declarãdo an hic, vel ille contractus ſit iuſtus vel iniuſtus, licitus vel illicitus. 70

Non poteſt Pontifex in alijs rebus errare, licet pendeant ex Philoſophia, ſi nos per eas dirigat ad ſalutem. 72

Non poteſt Pontifex cogere virum, vt relicta priore coniuge poſteriorem accipiat, ſi conſtet de legitimo Matrimonio. 73

Non poteſt errare Pontifex in præceptis ſpectantibus ad hanc vel illam Eccleſiam, pendentibus ex iure natura, vel lege Euangelica. 74

Pontifex non poteſt errare in approbandis, aut reprobandis Religionibus. 79

Quod intelligendum eſt de ſubſtantiali Religionis inſtituto. 79. *& de fide eſt.* 80

In Canonizatione ſanctorum Pontifex errare non poteſt, idque de fide, probabiliter. n.91.& 103

Credendum eſt Pontificem errare non poſſe in decernendis medijs ad ſalutem, non modo neceſſarijs, ſed etiam valdè vtilibus. 94

Concilium generale indicere, eique præſidere eſt ſolius Romani Pontificis. d.8. n. 9

Cur Romani Pontifices interdum vſi ſint ope & auxilio Imperatorum. 14

Spiritus ſanctus aſſiſteret Pontifici confirmanti decreta Concilij illegitimi, etiamſi Pontifex illud non legitimaret. 44

Pontificis definitio in Concilio eſt infallibilis. 61

Pontifex ſolus habet ſuffragium vltimò deciſiuum. num. 62.

Pontifex non tenetur ſimpliciter decidere ad plura

Digitized by Google

vota ſuffragantium, controuerſias fidei ſed ad maiorem euidentiam credibilitatis. 8.63
Definitio iuridica Pontificis quomodo differat à ſacra ſcriptura? n. 85. 86
Pontificis definitio eſt de fide ſolùm quoad principalem ſententiam. ibid.
An Pontifex ita ſit caput reſpectu Eccleſiæ, ſicut Generalis reſpectu ſuæ Religionis? n. 88. 104
Pontifex non poteſt abuti poteſtate, quam habet in definiendis rebus fidei, vel ad ſalutem neceſſarijs. 108
Pontifex habet ius defendendi Euangelicos Concionatores, contra quoſcunq; impedientes. d. 17. n. 10
Pontifex habet ius in infideles directiuum proponendo illis neceſſaria ad ſalutem, non autem coactiuum. 15
Electio Canonica Pontificis pendet ex multis conditionibus. d. 6. n. 179
In electione Pontificis diſtinguenda eſt deſignatio perſonæ, & collatio poteſtatis. 185
Ius eligendi Pontificem non eſt tantum penes Deum, vt vult Wicleffus & Huſſita. n. 187. 188.
Nec eſt in populo vt vult Lutherus & Caluinus. ibi.
Sed ſolùm penes Eccleſiaſticos. 193
Permiſſione Pontificum factum eſt, vt aliquando ad eius electionem populus admitteretur. ibid.
Penes ſummum Pontificem eſt ius ſtatuendi modum eligendi, non ſolùm Epiſcopos, ſed ipſum ſummũ Pontificem. 202
Poteſt ſummus Pontifex ſibi ſucceſſorem poſt mortem validè deſignare, modo talis electio non contineat apertam iniuſtitiam. 204. 212
Poteſt Pontifex adhuc viuens renuntiare Papatui, & alium loco ſui eligere, & quo pacto id fieri debet. n. 213. 214
Secluſo iure poſitiuo poteſtas eligendi Papam eſt penes vniuerſam Eccleſiam, & Concilium generale Epiſcoporum, & non tantùm penes Clerum Romanum. 216
Modus eligendi Pontificem iuxta varia tempora Eccleſiæ, varius fuit. 221
Ad electionem Pontificis olim concurrebat teſtificatio & conſenſus populi, interdum accedebat Imperatoris confirmatio: demum ius hoc commiſſum eſt Cardinalibus. n. 221. 222. 223
Forma iuramenti in electione Pontificis à Cardinalibus præſtanda. 224
Triplex modus Canonicæ Electionis Pontificis conſtitutus per Bullam Gregorij XV. 224
Vt Romanus Pontifex Papatui renuntiet, non eſt neceſſarius Eccleſiæ vel Cardinalium conſenſus: eſt autem neceſſarius Pontificis conſenſus vt Epiſcopus Epiſcopatui renuntiet. n. 27. 29
Poteſtas Pontificis non eſt à Republica, vel à Principe, ſed à Chriſto. 186
Poteſtas Pontificia non eſt collata toti Eccleſiæ à Chriſto, ſed Petro, eiuſque ſucceſſoribus. 186
Charitas, quam exigit Chriſtus à Petro non eſt fundamentum Pontificiæ authoritatis. 246
Abſque authoritate Romani Pontificis nullum Concilium generale habet poteſtatem definiendi res fidei. d. 8. n. 16
Vide *Concilium.*
Poteſtas *Eccleſiaſtica, alia ordinis alia Iuriſdictionis.* d. 6. n. 267
Omnis Eccleſiaſtica poteſtas iuriſdictionis, quæ eſt inferior Papali, immediatè deriuatur à Papa. 270
Poteſtas & præceptum prædicandi Euangelium toti mundo per ſe tantùm reſidens in ſummo Pontifice. d. 17. n. 8
In quauis Republica debet eſſe poteſtas non tantùm directiua, ſed etiam coactiua. d. 18. n. 5
Poteſtatem puniendi Hæreticos non habet Pontifex ab Imperatoribus, ſed à Chriſto. 7
Pontifex ſatisfacit præcepto Euangelium propagandi, inſtituendo Religiones, quæ Euangelium prædicant in vniuerſo mundo. d. 17. n. 9
Pontifex non ſolùm habet præceptum fidem promulgandi, ſed etiam illam conſeruandi. 12
Hoc ipſum præceptum ratione charitatis interdum etiam vrget inferiores Prælatos. 11
Pręceptum *prædicandi Euangelium per vniuerſum mundum licet fuerit datum omnibus Apoſtolis, per ſe tamen & ex proprio officio reſidet in ſolo Petro, eiuſque ſucceſſoribus.* 13
Prædicatores *Euangelici de facto proximè proponunt res fidei in Eccleſia.* d. 4. n. 3. & 4
Horum defectu poſſunt alij benè inſtructi res fidei proponere. 4
Pręedicatio *fidei eſt primum medium ad fidem propagandam.* d. 17. n. 1
Ad præſcribendum *conſuetudine ea, quæ raro fiunt, duo actus ſufficiunt.* d. 8. n. 38
Principes *ſeculares omnes ſunt oues Chriſti paſcenda doctrina Petri.* 11
Principes Chriſtiani poſſunt Infideles ſibi ſubiectos cogere ad fidem audiendam, non autem ſuſcipiendam. 28
Principes Chriſtiani poſſunt Infideles ſubditos compellere ad legem naturæ ſeruandam. 42
An Princeps incidẽs in hæreſim amittat poteſtatem. d. 18. n. 47.
Principes ſeculares non habent poteſtatem puniendi Hæreticos. 7
Licite poteſt Princeps prohibere, ne peregrini pauperes ad Eleemoſynas admittantur, vel ne proprij ad aliena loca mendicando vagentur. d. 31. n. 155.
Vide *Infidelis.*
Priuilegium *quod Pontifex expreſsè non reuocat præſumitur conſeruatum.* d. 8. n. 38
Propheta *de lege ordinaria priùs ſaltem ratione iudicat aſſenſu realiter diſtincto obiectum eſſe credibile, deinde verum* d. 9. n. 26
Prophetæ aliqui cum euidentia in atteſtante Myſterij reuelati habuerunt fidem liberam quoad exercitium, non autẽ quoad ſpecificationem. d. 10. n. 68
Prophetia *quid?* d. 12. n. 24
Quorum obiectorum ſit prophetia. 24
Obiectum prophetiæ materiale, formale. 25
Lumen propheticum quid? ibid.
Lumen Propheticum certificat intellectum prophetæ, & de quibus. 26
Prophetia diſtinguitur eſſentialiter à fide infuſa ſolùm penes lumen. 29
Prophetia eſt ad vtilitatem aliorum, vitiari poteſt ex prauo motiuo. 30
Lumen Propheticum in homine puro ſolùm eſt actuale, non habituale. 31
Actus prophetiæ eſt neceſſarius. 32

Digitized by Google

Conuenientia inter Prophetiam & fidẽ. 34. *& ſeqq.*
Actus Prophetiæ & fides infuſa ſunt æquè certi. 38
Propoſitio *hæretica differt ab hæreſi.* d. 16. n. 33
Hæretica propoſitio quid? 33. *Quid Erronea?* 36. *Errori proxima quæ?* 37. *Hæreſim ſapiens quæ?* 38. *Maleſonans, ſeu piarum aurium offenſiua.* 39. *Temeraria.* 40. *Scandaloſa.* 41. *Seditioſa.* 42. *Schiſmatica.* 43. *Periculoſa.* 44. *Blaſphema.* 45. *Impia.* 46. *Arrogans.* 47. *Improbabilis.* 48.
An & quomodo peccet qui obſtinatè contra prædictos propoſitionis gradus ſentiret. ibid.
In propoſitionibus qualificandis Eccleſia errare non poteſt. 54
Vide *Eccleſia, Pontifex.*
Protoparentes *habuerũt fidẽ infuſam.* d. 15. n. 31
Quorum Myſteriorum fidem habuerunt Protoparentes. ibidem
Prouidentię *attributum neceſſariò comprehendit ſcientiam de futuris contingentibus.* d. 1. n. 70
Prouidentia Dei comprehenditur ſub articulo omnipotentiæ. 70

Religio

Religio eſſentialiter conſiſtit in tribus votis, caſtitatis, Paupertatis, & obedientiæ. d. 7. n. 77
Status Religionis ab Apoſtolis ducit originem. 77
Nullus ordo ante Religionem ſanctorum Dominici & Franciſci ad Apoſtolica ſede approbatus legitur. 77
Decretum eſt ab Innocentio III. in Concilio generali Lateranenſi, & confirmatum à Gregorio X. in Concilio generali Lugdunenſi, vt nulla deinceps Religio abſque Romani Pontificis approbatione & conſenſu inſtituatur. 77
Pontifex non poteſt errare in approbandis aut reprobandis Religionibus. 79
Quod intelligendum eſt de ſubſtantiali Religionis inſtituto. ibid.
Quæ ſententia de fide eſt. 80
Religioſi Societatis IESV *exacto probationis biennio, ſunt verè & propriè Religioſi.* 83
Nullus Pontifex approbauit Religionem quoad ſubſtantiale inſtitutum, quam alius poſtea reprobauit. n. 78. 85
Tacto deſiderio æternæ ſalutis ad nullam aliam ſolent Religionem tranſire, quàm ad Catholicam. d. 3. n. 69.
Conuerſio cuiuſdam Iudæi ſolam Catholicam Religionem præ omnibus alijs ſeligentis. 75
Datur præceptum naturale Religionis de exhibendo cultu Deo vt principio bonum naturalium. d. 27. n. 7.
Quilibet Religioſus ordo habet certas quaſdam leges quaſi municipales. d. 32. n. 101

Reſtituere, Reſtitutio.

Non reſtituere *mutuum, quod debes, peius quàm non elargiri de tuo, quod non debes.* 69
Ad propriam vitam ſeruandam poteſt quis aliorum merces in mare proijcere, nec ad reſtitutionem tenetur. d. 31. 101
An licitè ſurripiens aliena deobligatus maneat à reſtitutione, ſi ad pinguiorem venerit fortunam. n. 106. *& ſeqq.*
Non tenemur in pari neceſſitate creditori debitum reſtituere, etiamſi iuramento id promiſerimus. n. 112.
An teneatur ad reſtitutionem, qui proximo ſuccurreret ex bonis alienis, dum non poſſet ex proprijs. 135
Ad Eleemoſynam ſub conſilio elargiendam, non licet aliena capere, vel obnoxia reſtitutioni dare, ſi ſint in ſpecie creditori debita. 137
Qui Eleemoſynam, quam tenebatur dare ad ſublevandam extremam neceſſitatem proximi, elapſa neceſſitate, non tenetur indigenti reſtituere, nec tenetur reſarcire damna ex negatione ſubuentionis proximo ſecuta. n. 138. 141
Qui ficto nomine paupertatis Eleemoſynas corrogat, tenetur eas reſtituere. 159
Cui reſtituenda ſit Eleemoſyna ficto titulo paupertatis acquiſita. 164
Vide *Eleemoſyna.*
Reuelatio *eſt actus ſecundus directus & imperatus à prima veritate.* d. 2 n. 40
Reuelatio importat triplicem reſpectum, ad reuelantem, ad rem reuelatam, ad intellectum credentis. 51
Reuelatio duplex, publica, & priuata. 59
Reuelatio virtualis & formalis quæ? 174
Reuelatio virtualis applicata per diſcurſum tãquam per conditionem explicantem obiectum formale fidei. 190
Continetur aliquid in alio expreſsè reuelato, vel tanquam particulare in vniuerſali, vel tanquam perfectio cum ſubiecto naturaliter connexa. 190
Particulare contentum ſub vniuerſali expreſsè reuelato pertinet ad eandem fidem ad quam pertinet ipſum vniuerſale expreſſe reuelatum. 190
Definitio vel pars definitionis reuelatur virtualiter in definito expreſſe reuelato. 193
Perfectio vel omnino vel ſaltem naturaliter inſeparabilis à ſubiecto virtualiter reuelatur cum ipſo ſubiecto expreſſe reuelato. n. 194. 196
Veritates ab Eccleſia definitæ, non ſolùm poſt, ſed etiam ante definitionem ſpectant ad fidem. num. 197. *&* 198.
Reuelatio virtualis habet eandem certitudinẽ, quam habet formalis. num. 206. *&* 207
Ritus *infidelium, qui ſolùm poſitiuæ, non autem naturali legi Chriſtianæ opponuntur, permittuntur ab Eccleſia.* d. 17. n. 47
Roma *antiqua & noua.* d 6. n. 101
Romana *ſedes in pura fide permanſit; & præter eam nulla.* 92
Rudis *ruſticus obligari poteſt ad credendum fide diuina putata aliquid falſum ab hæretico propoſitum, ſi ei euidenter credibile reddatur.* d. 4. num. 6. *&* 10.
Ruſticis *quomodo prouideatur circa euidentiam credibilitatis.* d. 3. n. 28
Multi ruſtici & idiotæ excuſantur ab hæreſi formali. d. 16. n. 8

S.

Saraceni *vltimam hominis felicitatem collocant in corporis voluptatibus.* d. 3. n. 72
Sardicenſe *Concilium non eſt diuerſum à Nicæno.* d. 6. n. 122.
Satisfactionis *ratio ſecundùm aliquos inueniri etiam poteſt in peccatore: & in quouis opere bono in eſt cum ratione meriti.* d. 31. n. 183

Tria ſunt opera ſatisfactoria: Eleemoſyna, ieiunium, oratio. d. 31. n. 184
Quod opus ſit magis ſatisfactorium. 180
Quid requiratur ad opus ſatisfactorium. 186
Oratio & ieiunium ſunt magis ſatisfactoria, cæteris paribus, quàm Eleemoſyna. 191
Schiſma non interrumpit ſucceſſionem Romanorum Epiſcoporum. d. 6. n. 93. 94
Scientia de futuris contingẽtibus neceſſario comprehenditur ſub attributo prouidentiæ. d. 1. n. 70
An ſcientia ſtare poſſit cum fide humana, & opinione. d. 11. n. 32
Scientia infuſa eſt à Deo vt à cauſa particulari. d. 12. n. 17.
Scientia infuſa non poteſt ſubeſſe falſum. ibid.
Ad ſcientiam infuſam concurrit authoritas Dei. 18
Scientia infuſa naturalis quid ſit. ibid.
Sectę Atheorum, Saracenorum, Gentilium, Iudæorum, Hęreticorum & cætera ſunt euidenter incredibiles, & ſingulæ aliquem admittunt errorem: ſola Catholica eſt euidenter credibilis, nullumque admittit errorem. d. 3 n. 70. & ſeqq.
Sententia Concilij generalis in controuerſijs fidei non eſt vltima. d 8. n. 72
Seruus fidelis iuſte poſſeſſus à principe infideli, non poteſt fuga ſe ſubtrahere a poteſtate principis infidelis. d. 17. n. 52

Simulare.

Simulare opere, vel ſigno falſam Religionem quid ſit? d. 14. n. 41
Signa quibus falſa Religio ſimulari poſſit. n. 46. 49
vrgente graui cauſa, & præciſo omni ſcandalo, licet vti ſignis, quibus fides occultetur. 53

Societas IESV.

Religioſi Societatis IESV exacto probationis biennio, ſunt verè & propriè Religioſi. d. 7. n. 83
In Societate IESV viget lex deferendi ſuperiori quoſcunque defectus extra confeſſionem habitos, prætermiſſa ſecreta monitione. d. 32. n. 95
Lorca id licere negantis temeritas notatur. ibid. 94
Quam legem cum reliquis conſtitutionibus Societatis quinque ſummi Pontifices approbarunt & confirmarunt. ibid.
Talis lex eſt pars ſubſtantialis inſtituti eiuſdem Societatis IESV. 97
Contra inſtitutum Societatis IESV prohibent Pontifices, nequis audeat diſputare ſiue directè, ſiue indirectè, aut quemuis eius articulum impugnare, etiam veritatis indagandæ quæſito colore ſub pœnis excõmunicationis latæ ſentẽtiæ, & inhabilitatis ad quæuis officia, & beneficia eo ipſo incurrendis. n. 95. 98
Gregorius XIII. damnauit cenſuram cuiuſdam authoris, qui contra regulam Societatis IESV circa modum correptionis fraternæ ſcripſerat. d. 32. num. 98.
Vſus & obſeruatio huius regulæ in Societate IESV non eſt cauſa perturbationum in Religione vt aliqui obijciunt. n. 99. 100
Hoc ipſum defenditur contra omnes obiectiones. num. 101. 102.
Eius ſuauitas in executione declaratur. n. 103. 104
An ſine renuntiatione iuris propriæ famæ poſſit prædicta regula Societatis IESV eſſe iuſta & licita. n. 105. 106. 107. 108.
Vltimò concluditur, quod etiam in tali caſu prædicta conſtitutio iuſta eſſet & licita. 109. & ſeqq
Species impreſſa inclinat ad falſum implicat. d. 2. num. 294.
Non datur ſpecies Angeli corporei. 297
Species non inclinat ad aſſenſum, ſed ad repræſentationem rei. 304
Speciebus intentionalibus nihil eſt contrarium. d. 11. n. 6.

Sperare. Spes.

An & quo modo licitum ſit æternam vitam ab homine ſperare? d. 19. n. 46
Dupliciter poteſt quis alteri beatitudinem ſperare. num. 52.
Qui ſperat beatitudinem viribus proprijs, non ſperat auxilio Dei obtinendam. d. 21. n. 24
Spes genericè ſumpta abſtrahit à ratione virtutis. d. 19. n. 1
Spes quid? 1
Quatuor ad ſpem requiruntur, Bonitas, Futuritio, Arduitas, Poſſibilitas. 1
Spes Chriſtiana eſt virtus. n. 10. 11
Quid ſit ſpes iuxta Philoſophum? 11
Spes etiam informis eſt virtus. 17
Spes an excedatur à fide & charitate. 18
Quomodo ſpes differat à charitate in ratione tendendi in Deum. 18
Spes infuſa vitiari non poteſt. 19
Spes eſt virtus Theologica, licet non ſolùm Deus, ſed etiam bona creata ſint eius obiectum. 45
Spei & fidei diſcrimen. 47
Cur aliqui habentes ſpem à beatitudine deficiant. d. 20. n. 9.
Spes ſupernaturalis tantùm quoad modum non eſt ſufficiens ad iuſtificationem. 12
Non poteſt corrumpi fides, quin corrumpatur & ſpes, poteſt autem corrumpi ſpes, non corrupta fide. d. 21. n. 32
Spes regulatur à fide infuſa. d. 19. n. 137
Materiale obiectum ſpei. d. 19. n. 20
Deus eſt obiectum tantùm mediatum ſpei. 20
Obiectum minùs principale ſpei. 31
An Beatitudo alterius ſit obiectum ſpei. 47
Obiectum formale ſpei Theologicæ. 33
Deus vt adiuuans nos ad beatitudinem conſequendam, non eſt obiectum formale ſpei. 37
Auxilium Dei non eſt pura conditio obiecti ſpei, ſed ingreditur illud in obliquo & vt ratio minus principalis obiecti formalis. 38
Sublata fide Diuina dupliciter tolli poteſt obiectum formale ſpei. d. 21. n. 22
Obiectum ſpei & charitatis licet ſit vnum, non tamen eſt æqualiter applicabile omnibus obiectis. d. 24. n. 43.
Actus ſpei eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. d. 20. n. 3.
Actu proſecutionis ſpes in ſuum obiectum fertur amore concupiſcentiæ, deſiderio, ſpe, & delectatione. d. 20. n. 14
Quo pacto amor, deſiderium & ſpes in beatitudinem tendant? 14
Duplex gaudium ſpes in nobis cauſat. 16
Spes timet pœnas vt contrarias beatitudini. 17
Actus ſpei in adulto eſt ſufficiens diſpoſitio ad habitum eiuſdem. d. 21. n. 3

Ad quemlibet actum ſpei neceſſarium eſt aliquod iudicium fidei infuſæ elicitum propter teſtimonium Dei. d. 21. n. 29
Non poteſt actus ſpei infuſæ elici niſi præcedat actus fidei infuſæ. 34
Sola ſpeculatiua poſſibilitas beatitudinis non ſufficit ad actum ſpei. d. 23. n. 63
Habitus ſpei in iuſto augetur actibus ſupernaturalibus tam ſpei, quam aliarum virtutum. d. 21. n. 6
In peccatore habitus ſpei non augetur niſi actibus ſupernaturalibus ſpei. 6
Habitus ſpei an poſſit corrumpi materialiter & phyſicè, an purè demeritoriè. 7
Habitus ſpei corrumpitur per ſublationem motiui formalis. ibid.
Habitus ſpei non poteſt remitti. 10
Non corrumpitur niſi actu peccaminoſo. 11
Non tamen actu veniali peccaminoſo, ne deſperationis quidem. 12
Quo peccato mortali Spes Theologica corrumpatur. num. 13.
Solo actu deſperationis & hæreſis habitus ſpei corrumpitur. 20
Non quouis actu præſumptionis demeritoriè corrumpitur habitus ſpei, ſed ſolùm eo, qui ſupponit erroneum iudicium de beatitudine conſequenda. 26
Qui præſumit ſe eſſe prædeſtinatum, & hac ſpe in peccatis perſeuerat, probabiliter amittit habitum ſpei. n. 26 27
Spes non amittitur ſola omiſſione actus debiti, ſicut nec fides. 28
Qui ex odio Dei deſiderat carere viſione eius, amittit habitum ſpei. 31
Proximum ſubiectum ſpei eſt voluntas. d. 22. n. 1
Spes manet in peccatoribus. 3
Manet etiam in animabus purgantibus. 4. & 5
In Beatis tam ante, quam poſt reſurrectionem, eſt habitus infuſus ſpei. d. 22. n. d. 13
In Chriſto Domino eſt habitus ſpei. 13

Præceptum Spei.

Datur de ſpe præceptum. d. 23. n. 1. & 2
Vnde hoc præceptum colligatur. 3. & 4
An ratione duplicis præcepti de ſpe duplex committatur peccatum. 5
Præceptum poſitiuum de ſpe eſt diuinum. 6
Sub præceptum ſpei potiſſimùm cadit ipſa ſupernaturalis Beatitudo vt finis. 9
Duplex obligatio huius præcepti ratione temporis. num. 11.
Per accidens hoc præceptum obligat, quoties currit aliud præceptum, quod ſine ſpe ſeruari non poteſt, vel cùm vrget tentatio deſperationis. 12
Per ſe hoc præceptum obligat, initio vitæ poſt ſufficientem inſtructionem & in articulo mortis. 19
An huic præcepto ſatisfiat per alia præcepta, quæ actum ſpei includunt vel ſupponunt. 20
An quando vrget præceptum ſpei, & ſuſceptionis ſacramenti, dupliciter peccet qui omittit actum ſpei. 22
Talis homo cui reuelaretur à Deo ſua reprobatio, nō teneretur ad ſperandam beatitudinem. 55
Talis homo licitè non poteſt deſperare de diuina miſericordia, vel omittendo obſeruationem præceptorum. 57
Poteſt tamen licitè nolle beatitudinem. 57
Talis tenetur conari ad omnia præcepta ſeruanda. num. 58.
Ad præceptum ſpei adimplendū requiritur actus ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. 64
Subalternatur *ſcientiæ ſupernaturali Beatorum fides.* d. 9. n. 19
Nulla ſcientia perfectior ſubalternatur imperfectiori. 19
Subiectum *quo pacto diſtinguatur ab obiecto habitus cognoſcitiui.* d. 1. n. 2
Subiectum attributionis & adæquatum quid? 2
Suffragij *ius in Concilio habent Prælati Eccleſiæ, non autem Laici, qui ſolùm vocantur, vel ad defendendum Concilium, vt Principes, vel ad miniſtrandum.* d. 8. n. 19. 21. 22
Pontifex ſolus habet ſuffragium vltimò deciſiuum. num. 62.
Vide Concilium, Pontifex.
Supernaturalitas *duplex.* d. 20. n. 1
Symbolum *continet ea credenda, fideles ſub quotidiano vſu propoſita non habent.* d. 14. n. 17
Symbolum fidei Chriſtianæ traditione habetur d. 5. num. 12.

Theologia.

Theologiæ obiectum materiale eſt omne deducibile per diſcurſum ex reuelatis. d. 1. n. 35
Ad Theologicam virtutem ſufficit, vt primarium eius obiectum ſit increatum. d. 2. n. 49
Theologiæ formale obiectum eſt teſtimonium Dei applicatum per diſcurſum & naturalem connexionem cum veritatibus virtualiter reuelatis. 209
Theologica concluſio etiam vt deducta eſt certior præmiſſa naturali. 211
Habitus Theologicus manet in hæretico ſolùm materialiter, non autem formaliter, & in ratione principij operatiui. d. 15. n. 142. 143
Teſtimonium Dei *comparatur cum medio demonſtratiuo ex Diuo Thoma, quantum ad rationem formalem, non quantum ad modum concurrendi.* d. 9. n. 12
Idem teſtimonium diuinum euidenter cognitum ſub diuerſo reſpectu eſt motiuum iudicij de credibilitate obiecti, & ratio formalis aſſenſus fidei. 26
Veritatem ab Eccleſia definitam non tenemur, imò nec debemus credere propter teſtimonium Eccleſiæ, ſed Dei. d. 2. n. 199
Teſtimonium Eccleſiæ *quatenus eſt congregatio ſapientiſſimorum virorum, infallibile de ſe non eſt, eſt tamen infallibile vt ſubſtat prouidētia diuina.* d. 3. n. 35
Per teſtificationem *ipſam qua nouam veritatem definit Pontifex, non credit ipſe formaliter, nec iudicat veritatem definitam vt credibilem, ſed per alios actus reflexos.* d. 9. n. 27
Timor *triplex ex ſancto Thoma.* d. 19. n. 16
Timor quo ſpes fertur in pœnas non eſt malus ſed bonus & honeſtus. d. 20. n. 17
Diſcrimen inter timorem filialem & ſeruilem. num. 20.
Timor filialis in beatis duplex. ibid.
Non eſt neceſſum vt omnis timor filialis eliciatur à charitate. ibid.

Traditio,

Traditio triplex Diuina, Apoſtolica, Eccleſiaſtica. d. 5. n. 3
Traditio diuina & Apoſtolica habent eandem authoritatem, quam habet ſcriptura. 3
Traditio alia fidem, alia ad mores pertinet. ibid.
Traditionem de ſcriptura neceſſario admittere debent Hæretici. 8. & 9
Baptiſmus paruulorum habetur ex traditione. 10
Symbolum fidei Chriſtianæ traditione habetur. 12
Quod Baptiſmus ab Hæreticis collatus ſit validus, habetur traditione. 11
Multa, quæ ſpectant ad materiam & formam ſacramentorum traditione habentur. 13
Commiſtio aquæ cum vino ante conſecrationem, ieiunium Quadrageſimale, quod B. Virgo nunquam actualiter peccauerit, quod Paſcha die Dominico ſit celebrandum, traditione habentur. n. 15. & ſeqq.
Traditio ſufficienter propoſita cenſetur, ſi fiat definitione alicuius Concilij à Pontifice approbati. 19
Si ſeruetur ab vniuerſa Eccleſia, nullo contradicente, ſi omnes Doctores doceant, id eſſe traditum. num. 20. 21.
Traditio & ſcriptura eſt ipſamet authoritas diuina tradita vel ſcripta. d 9. n. 31. 38. 39
Triſtitia efficax quid? d. 26. n. 8

V.

Vaticinia Dei, quæ non videntur adimpleta, vel fuerunt comminatiua tantùm, vel facta, ſub aliqua conditione tacita vel expreſſa. d. 2. n. 285
Verbum Dei traditum præter ſcripturam datur hæreticorum error circa illud. d. 5. n. 1. 2
Veritas prima per lumē fidei nobis applicatur obſcurè, per lumen gloriæ clarè, per illud mediatè, per hoc immediatè. d. 12. n. 21. 22
Verum & credibile differunt. d. 3. n. 12

Virtus.

Ad virtutem Theologicam ſufficit vt primarium eius obiectum ſit increatum. d. 2. n. 49
Fides diuina non poteſt ferri in obiectum falſum, poſſunt autem virtutes potentiæ appetitiuæ. 234
Quid requiratur ex parte actus moralis vt ad certam aliquam virtutem ſpectare dicatur. d. 14. n. 5
Virtus tendit ſub eodē motiuo ad fugam mali, quoad proſecutionem boni. d. 20. n. 18
Ad virtutem duo requiruntur. d. 25. n. 1
Ad ſpecificam diſtinctionem actuum alicuius virtutis, ſatis eſt diuerſa applicatio obiecti formalis, & diuerſus modus tendendi in illud. d. 26. n. 11
Diſtinctæ virtutes non ſolùm ſunt neceſſariæ propter diſtinctas difficultates ſuperandas, ſed etiam propter diſtincta motiua formalia. d. 30. n. 21
Quilibet actus virtutis non ſolùm imperari poteſt à charitate, ſed etiam à quacunque alia virtute. d. 31. n. 10.
Poteſt virtus inferior actū virtutis ſuperioris, quem intra ſphæram non continet, imperare. d. 31. n. 11
Viſionis Beatæ obiectum eſt Deus ſub ratione Deitatis. d. 1. n. 33
Poteſt homini actu rem credenti infundi clara viſio eiuſdem rei in Verbo vt in prima veritate, quæ eſſentialiter excluderet actum credendi circa idem obiectum. d. 11. n. 47
Vitia dupliciter opponuntur virtuti. d. 16. n. 13
Vnio hypoſtatica ſanctificat naturam humanam Chriſti, quæ ad dignificanda opera ipſius non eget auxilio ſpeciali diſtincto ab eo, quo vnio ipſa producta eſt. d. 10. n. 15
Voluntas non dat: ſed ſupponit vires proportionatas in intellectu ad attingendum obiectum. d. 10. num. 49.
Quid ſit voluntatis imperium? 72
Imperium voluntatis non requiritur ex parte obiecti quod determinationem in genere cauſæ formalis, ſed in genere cauſæ efficientis. n. 72. 73
Non poteſt voluntas abſque vlla ratione determinare intellectum ad alterutram partem contradictionis. 75
Deus alio modo mouet voluntatem, alio modo voluntas ſeipſam. 74

Ad maiorem Dei gloriam, & Beatæ Virginis Mariæ.

Digitized by Google

Digitized by Google